PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (*ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT :*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXXI.

REMIGIUS MONACH S. GERM. ANTISS.; B. NOTKERUS BALBULUS, S. GALLI MONACHUS; JOANNES IX, BENEDICTUS IV, SERGIUS III, ANASTASIUS III, PONTIFICES ROMANI; FULCO RHEMENSIS, RICULFUS SUESSIONENSIS, MANCIO CATALAUNENSIS, HATTO MOGUNTINUS, EPISCOPI; MARTINIANUS MONACHUS.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES.

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1884

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXXI CONTINENTUR.

ANNO DOMINI DCCCC.

FULCO

ARCHIEPISCOPUS RHEMENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Galli. Christ., tom. IX.)

Fulconis initia Flodoardus paucis attigit; *valde nobilem* nihilominus eum memorat, *et palitinis officiis assuetum*, affinem quoque Guidonis et Lamberti Spoletanorum ducum, quos ad imperatores evehere conati sunt summi pontifices. Ex canonico S. Audomari factus est monachus in abbatia S. Bertini, cujus anno 877 abbas electus est. Hincmaro fatis functo, assumptus est a clero simul et populo in archiepiscopum Rhemensem anno 883, et consecratus, ineunte mense Martio. Cum autem Hildeboldus Suessionensis episcopus, cæterique metropoleos suffraganei id factum non exspsctata visitatoris adventu quererentur, excusatorias hac de re iis litteras scripserunt Rhemi, quibus electionem non esse factam ante visitatoris adventum significabant. Fulco post consecrationem suam *fidei suæ* tenorem Marino papæ delegans, inquit Flodoardus, *pallium ab eo antecessorum suorum de more suscepit*; *cui etiam litteras misit pro concedendo debito Rhemensis Ecclesiæ privilegio atque pro commendatione regis Carlomanni, in quibus se significat ab eodem papa dudum fuisse cognitum tempore Joannis papæ, quando cum Carolo imperatore idem Fulco fuerat Romæ.* Irruentibus hinc inde barbaris, urbem Rhemorum *novo circumdedit muro*, veteri prius ab Ebone in majoris basilicæ structuram impenso; ecclesiamque S. Dionysii, quod munimento obesset, paulo post funditus evertit; quædam etiam castella a fundamentis erexit, *Altimontem* scilicet in Dulcomensi pago, et *aliud apud Sparnacum, quod Odo rex, quia desciverat ab eo propter evectionem Caroli Simplicis, subvertit, quo Normannis resisteret.* Urbe novis propugnaculis firmata, corpus B. Remigii ex Orbacensi monasterio, in quod e Sparnaco delatum fuerat, idem antistes anno sui præsulatus primo Durocortorum revexit per Culmiciacum, assistentibus coepiscopis et clero. Per idem quoque tempus corporis partem beati maryris Nicasii, simul cum corpore beatæ sororis Eutropiæ, ab ecclesia B. Agricolæ in urbem recens muris vallatam transtulit retroque post altare Dei Genitricis Nariæ juxta B. Callisti papæ pignora quæ non ita pridem ob paganorum infestationem, illata fuerant, recondidit. Anno 884, audita Adriani III ad summum pontificatum provectione, *litteris eum visitare studuit, congaudens ipsius honori, et se Romam petere velle significat si Deo pacem tribuente valuerit: rogat interim ut a Leone, Benedicto et Nicolao* pontificibus concessa Rhemensi Ecclesiæ privilegia corroboret et augeat, Carlomannum regem iterum commendat, et Frotarium olim Burdigalensem: tunc Bituricensem archiepiscopum. Sublato e vivis eodem anno Carlomanno, fratris ejus natu minimi Caroli Simplicis tutelam sumpsit Fulco.

At tanta mox subiit rerum confusio, Normannis turmatim irruentibus in diæceses Rhemensem, Suessionem ac Noviomensem, ut Francorum proceres totius regni curam Carolo Crasso imperatori Fulconis rogatu commiserint. Anno 887, vel forte 888, xvi Kal. April. Dodilonem consecravit episcopum Cameracensem, qui ejus postea affensam incurrit, quod Balduino Flandrensium comiti faveret. Anno 888 subscripsit privilegio, immunitatis quod Lindbertus Moguntiensis episcopus concessit monasteriis Novæ Corbeiæ el Herifordiensi. Anno 888, sublato imperatore, cum Odo, filius Roberti Fortis, rex Francorum salutatus esset, hunc sensim infenso animo regnantem videt Fulco, ac tandem concilio apud Rhenos coacto anno 893, e solio disturbare adnisus est; unde eodem anno Carolum Simplicem coronavit in ecclesia sua metropolitana, v Kal. Februar. Eodem in concilio multa conquestus est contra Balduinum, Flandriæ comitem, bonorum ecclesiasticorum invasorem, quem, nisi resipisceret, anathemate perpetuo feriendum minitati sunt episcopi congregati. Eodem circiter tempore Mancionem consecravit in episcopum Catalaunensem; qua de re reprehensum est a Formoso papa. Anno 890, præfuit synodo coactæ apud Vangiones, et anno 892 transtulit reliquias S. Rigoberti in ecclesiam suam metropolitanam. Eodem anno 892 privilegium obtinuerat a Formoso papa, ne reges, episcopi, au quilibet Christianorum, sede Rhemensi vacante, in suam utilitatem converterent redditus Ecclesiæ Rhemensis; ut omnia futuro antistiti reservarentur eligendo intra tempus statutum in canonibus, id est intra trium mensium spatium, ne diutius quam par esset metropolis destitueretur pastore. Anno 896, firmata pace Odonem inter et Carolum Simplicem arcessitus est ad concilium Romanum, quod Stephanus VI papa indixerat in mensem Septembrem ejusdem anni; celebratum autem non fuisse ni anno 897 censet Labbæus, et Marlotus synodum illam rejicit in annum 898. Fulco, qui ei interesse non poterat, misit ad eam Honoratum Bellovacensem, et Rodulfum Laudunensem, suffraganeos suos. Anno 898 et sequenti summum Franciæ cancellarium gerebat. Ab eo autem tempore adnotat Mabilio noster cœpisse archiepiscopos Rhemenses cancellarii officio fungi.

Accidit autem, inquit Flodoardus, *ut abbatiam S. Vedasti, quam Balduinus comes tenebat cum Atrebatensi castro, rex Carolus pro infidelitate Balduini ab eo auferret, atque Fulconi præsuli eam concederet, Altimaro quodam comite abbatiam S. Medardi tenente: qaam sibi visum est opportunitatis gratia cum eodem comite commutare debere: quod et egit anno* 900. Eodem forte anno, Fulco Carolum Simplicem, quem pauci, dum vivebat Odo, pro rege habebant, iterum coronavit in urbe Rhemorum. *Accepit itaque Fulco ab eodem Altimaro abbatiam S, Medardi, et dedit illi abbatiam S. Vedasti, recepto per vim obsidionis a Balduino Atrebatensi castro. Cujus anxietatis dolore succensus tam Balduinus quam omnis ejus comitatus, dum quærunt qualiter se possint ulcisci, amicitiam cum eodem præsule se fingunt resarcire, quærentes ultionis locum, explorantesque quomodo a metatu suo ad regis colloquium stipatoribus vallotus proficisci soleret. Quadam die dum paucis admodum*

comitatus regis peteret alloquium, cum in via duce quodam Winemaro, aggredientes intercipiunt. Et quidem primum quasi de amicitia et recuperatione Balduini affantur, demum vero improvisum lanceis impetunt, prosternunt ac perimunt XV *Kalendas Jul. Quidam vero suorum sese ob nimium ejus amorem super ipsum prosternentes, pariter cum eo transfixi et interempti sunt. Cæteri qui superfuere his qui ad hospitalia remanserant, hæc maxima sui doloris nuntia portant. Qui novitate perculsi, armisque muniti, percussores episcopi conantur ultione adoriri. Quibus minime repertis, corpus exanime immensis ejulantes plangoribus levant, et cum ingenti suorum omnium luctu Rhemensem ad urbem deferunt. Ibi tandem totum et dignis exequiis honoratum decenti est sepulturæ mandatum. Cujus antistitiis hoc habetur epitaphium:*

> Hoc tumulo magni Fulconis membra teguntur
> Rhemorum sedis præsulis egregii;
> Germine nobilium quem Francia protulit ortum
> Aulaque de scholis sumpsit et excoluit.
> Hinc Deus assumptum statuit virtute probatum
> Ecclesiæ speculum, pontificemque pium:
> Septenos denosque simul cui præfuit annos,
> Tres menses, denos insuper atque dies.
> Auxit episcopium supperaddens plurima rerum
> Urbis et istius mœnia restituit.
> Orbis honor, patriæ tutor, pietatis amator,
> Pro studio pàcis, confoditur jaculis.
> Septenum denumque diem jam mensis agebat
> Junius, et dira morte peremptus abit.
> Cui Matris Domini, pariter quoque præsulis almi
> Remigii pietas obtineat requiem.

Fulco indignatus erat Carolo Simplici quod ille fœdus cum Normannis pepigisset, eumque episcopali licentia per litteras quas Flodoardus retulit verbis asperioribus increparat, quo regis animum altius hæc penetrarent. De litteris illis lege Rivetem nostrum Hist. litter Franc., tom. V p. 692. Scripsisse etiam creditur ad Alfredum regem West-Saxonum; qua de re lege Bollandianos Jul. tom. I, pag. 651 *Multa* quoque *bona in hac sede Rhemensi,* ait Flodoardus, *præsul hic operatus est: nam et episcopium rebus impetratis pluribus, tam monasterio Avennaco quam nonnullis aliis a regibus ac diversis personis obtentis possessionibus amplificavit, atque diversis muneribus et ornamentis hanc Rhemensem ecclesiam decoravit.* Ejus tempore, anno, ut conjectat Mabilio, 893, reliquiæ S. Gibriani e pago Catalaunensi in basilicam S. Remigii translatæ sunt. *Præfatus denique præsul sollicitus circa Dei cultum et ordinem ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ fervens, suas scholas Rhemis canonicorum scilicet loci, atque ruralium clericorum, jam pene delapsas restituit; et evocato Remigio Antissiodorense magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit. Sed et Hucbaldum S. Amandi monachum, virum queque disciplinis sophicis nobiliter eruditum accersivit, et ecclesiam Rhemensem præclaris illustravit doctrinis.* Harum autem scholarum constitutionem refert Mabilio ad annum circiter 893. Regino Fulconem numerat inter martyres qui pro libertate ecclesiastica fortiter occubuerunt; et nos eidem olim nomen sancti non denegavimus, quamvis publico decreto necdum renuntiatus sit. Hunc apud S. Audomarum quiescere putat Molanus juxta B. Bertinum; at certius est sepultum fuisse in ecclesia B. Remigii Rhemensis; quod posteriores epitaphii sui versus sat clare indicant. Codex Ignaciensis Fulconem testamentum condidisse narrat his verbis: *At vero præfatus Fulco, utpote vir sapiens ac timens Deum, testamentum dudum ordinaverat, ut de jure patrimonii sui quibusdam ecclesiis distribueret; inter quas ecclesiæ Rhemensi pro animæ suæ remedio Villam Nemincum, quæ sita est in episcopatu Noviomensi, contulit; cujus reditus pro illius memoria annuatim recolenda canonicis Rhemensibus dividuntur: de censu prædictæ Villæ canonici Noviomenses habent singulis annis* LX *solidos illius monetæ.*

FULCONIS
ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS
EPISTOLÆ.

(*Province de Reims*, tom. I, pag. 520)

EPISTOLA PRIMA.
AD STEPHANUM V PONTIFICEM MAXIMUM.

(Anno 885.)

Accepi antecessoris tui litteras, me totum, cum omni mea provincia, ad grates ex animo rependendas infinitis prope nominibus obstringentes. Dignatu est enim eloquio prorsus apostolico, et omni gladio ancipiti penetrabiliore nos inter medias Nortmannorum afflictationum procellas solari, et me fratris et amici vocabulo afficere, cum pontificia solea calcari haud commerear. Ad ipsum, et jam ad te, sanctissime parens, votis omnibus aveo properare sed prohibet Danorum, quibus vallamur et vellimur incursatio; qui ab annis jam octo ita hocce regnum infectarunt, ut soli beati essent, qui se castellis possent tueri, et hæc etiam prohibuere, quominus insidias, quas pestiferi homines bonæ memoriæ pontifici moliebantur, possem dissolvere.

Si quid tamen potuere miseri homuncionis preces, iis sane non defui; qui porro deesse possem illi, qui affinem meum Widonem in filium quodammodo adoptarat? quod cum consanguineis meis denuntiassem, statim omne obsequium suum, ac reverentiam sedi apostolicæ devoverunt. Et ego una cum coepiscopis meis, etsi eorum nonnulli, uti Morinensis, civitatem suam ambustam ad tempus deserere cogantur, in cultu Romanæ sedis ad usque lethum perseverantes, quæcunque Ecclesiæ Dei necessaria

occurrent,cum rei domesticæ atque etiam corporis dispendio perficiemus, uti condecet Rhemensem, quem antecessores vestri, præ omnibus Gallicanis pensi habentes, primatu donarunt in Sixto primo totius regionis præsule a beato Petro apostolorum principe huc destinato, etiam Hormisdas papa Remigium per omnem Galliam vices suas obire voluit, quæ modo adjicienda videntur, ne forsan Rhemi nostri sub Nortmannorum ruinis, quod Deus avertat, sepulti, etiam pontificum oblivione sepeliantur.

Propterea commendata velim quæ Marino et Adriano supplex proposui privilegia, necnon Ramponis fratris mei munificam pro erigendo monasterio donationem, et cum Bruinifidus non desistat donata de peculari, tandem anathemate feriatur: sunt et alii qui Rhemensis Ecclesiæ bona corrodant, in quos Carolus imperator, si verbulo pontificio præmoneatur, facile animadverteret.

EPISTOLA II.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 894.)

De pacto cum Normannis inito.

Quis enim, qui vobis sicut oportet fidelis est, non expavescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, et in cladem ac ruinam nominis Christiani pagana arma et fœdera detestanda suscipere? Nihil enim distat utrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola adoret. Nam si, ut ait Apostolus, mores bonos colloquia prava corrumpunt (*I Cor.* xv), quanto magis corrumpitur castitas animæ Christianæ ethnicorum consiliis et societate? Neque enim poterit non imitari quod assidue viderit: quin potius assuescet paulatim, et quasi vinculo malæ consuetudinis trahetur ad facinus. Certe progenitores vestri reges, deposito gentilitio errore, divino cultui se sublimiter subdiderunt, et a Deo semper auxilium expetiverunt, propter quod et feliciter regnaverunt, et regni hæreditatem ad suos posteros transmiserunt. Vos e contra nunc Deum relinquitis. Dicam certe, licet nolens, quia Deum relinquitis, cum vos ejus hostibus sociatis. Unde et merito prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad regem Israel similia facientem directa est: *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Deum amicitia jungeris* (*II Par.* xix). Et certe cum deberetis malis præteritis terminum ponere, et rapinis et deprædationibus pauperum renuntiare, ac pro his omnibus pœnitentiam agere, nunc ad majorem iram Dei provocandam, his qui Deum ignorant, et in sua feritate confidunt, vos conjungitis. Credite mihi, quia nunquam sic agendo ad regnum pervenietis, imo velociter disperdet vos Deus, quem irritatis. Hactenus quidem de vobis meliora sperabam: nunc video vos cum omnibus consanguineis vestris periturum, si tamen hoc vere vultis agere, et talibus consiliis acquiescere. Revera qui tale vobis dant consilium, non fideles, sed per omnia infideles esse comprobantur, quos si audire volueritis, terrenum simul et cœleste regnum amittetis. Deprecor itaque vos per Deum, ut tale deseratis consilium, neque velitis vos in æternum præcipitare interitum, et mihi cæterisque, qui secundum Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat vos non nasci, quam diaboli patrocinio velle regnare, et illos juvare quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim, quia si hoc feceritis, et talibus consiliis acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis, sed et quoscunque potuero a vestra fidelitate revocabo, et cum omnibus coepiscopis meis vos et omnes vestros excommunicans æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate quam vobis servo, hæc gemebundus scribo, quoniam cupio vos secundum Deum et sæculum semper esse honorantum, et non Satanæ, sed Christi adjutorio, ad debitum vobis conscendere regni fastigium. Regnum enim quod Deus dat, firmum habet fundamentum: quod vero per injustitiam et rapinas acquiritur, caducum est, et cito decidivum, nec poterit diu permanere.

ANNO DOMINI DCCCCII.

RICULFUS

SUESSIONENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Gallia Christiana.)

E judicibus qui in placito Vermeriensi anno 892 cellam Alfam Adremarensibus monachis asseruerunt, unus fuit Riculfus. Synodo Rhemensi astitit an. 893, in qua Carolus Simplex unctus est. Consecravit Herveum archiepiscopum Rhemensem anno 900 in synodo Rhemensi, in qua diris devovit homines Balduini comitis Flandriæ qui Fulconem archiepiscopum interfecerant. Constitutionem edidit an. 889, quæ exstat tom. IX Conciliorum Labb., pag. 416. In ea sunt multa observatione digna. N. 3, *de horis canonicis* legitur: « Habete quæsumus studium in psalmos cantando, in divinos libros legendo, in canonicas

horas custodiendo, id est primam, tertiam, sextam, missarum quoque quotidiana celebratione, nonam, vesperas et completorium, atque matutinale officium decantando, et invitate parochianos vestros ut si ad alios cursus venire non sufficiunt, saltem missas frequentius audire studeant, et Dominicis atque aliis diebus festis vesperas, matutinas et missas frequentare non prætermittant. » Ex hac constitutione N. 8 facienda erant scrutinia per baptismales ecclesias A statuto intra Quadragesimam tempore, et baptizati mox post baptismum Eucharistiam, id est communionem sanctam percipiebant. N. 20 sancitur « ut in Kalendis uniuscujusque mensis per singulas decanias presbyteri simul conveniant, et convenientes non pastis vel potationibus vacent, sed de suo ministerio et religiosa conversatione, atque de his quæ in eorum parochiis accidunt sermonem habeant. » Obiisse creditur Riculfus anno 902.

STATUTA RICULFI.

(*Province de Reims*, tom. I, pag. 525.)

Ego Riculfus humilis Suessionum episcopus, B consideratis parœciæ divinitus nobis commissæ necessitatibus, atque comministris nostris competenti habita ratione, inspirante pariter et opitulante Domino, quædam, quæ ad sacerdotum nostrorum commonitionem, vel vulgaris populi eruditionem pertinere videbantur, modeste et utiliter pro viribus tractare disposui. Et quamvis totius Christianæ vitæ regula divinæ Scripturæ paginis satis superque teneatur inserta, non incongruum tamen fore putavi, quædam ex his, quæ simplicium observationi conveniunt, brevibus et lucidis capitulis annotare, vobisque consacerdotibus, et cooperatoribus nostris habenda simul et crebrius legenda committere, ut si tanta divinæ et canonicæ auctoritatis volumina revolvere non sufficitis, hæc saltem brevissima et apertissima manualiter frequentetis, et commissis vobis C plebibus salubrem vivendi normam his admonitiunculis præmonstretis. Ita enim, cooperante Domino, et periculo ministerii vestris vos poteritis exuere, et cum subjectis populis ad cœlestis regni gaudia properare.

I. Attendite ergo, quia nobiscum sollicitudinem gregis Dominici percepistis, et in sacerdotali ministerio secundi ordinis et dignitatis locum possidetis. Et sicut nos, licet immeriti, apostolorum vices in hac ecclesia agere debemus : ita et vos quoque septuaginta duorum discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe Dominica exercere oportet. Nam et in veteri lege Moyses et Aaron locum summi pontificis tenuerunt, et filii quoque Aaron officium sacerdotale in secundo gradu sortiti sunt. Ad vos enim ple- D bium pertinet cura et sollicitudo, et ex vobis pendet eorum salus, utilitas, atque animarum profectus ; scriptum namque est de vobis : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II). Angelus namque Latino eloquio *nuntius* dicitur : et vos quidem angelorum ministerium expletis, quando vestras plebes instruitis atque docetis ; sed primo necessarium est, ut ipsi diligenti meditatione litterarum sacrarum lectionem discatis, quam postmodum alios docere debetis : quia nemo, quæ nescit, aliis insinuare valet. Enimvero nec latere vos volumus, quod de illis presbyteris, qui desides et ad discendum tardi sunt, regum et imperatorum capitula non sine consensu plurimorum episcoporum sanxerunt, scilicet hoc : « Ut quicunque presbyter, a suo episcopo frequenter admonitus de sua scientia ut discere curet, facere neglexerit, procul dubio et ab officio removeatur, et ecclesiam, quam tenet amittat. Quia ignorantes legem Dei, eam aliis annuntiare et prædicare non possunt (*a*). » Hoc ne alicui vestrum eveniat, fraterno affectu præmonemus.

II. Oportet igitur unumquemque sacerdotem, vita, et moribus, et actibus bonis, cum Dei auxilio, populo sibi commisso, cæterisque subditis excellere, ut in eo videant quid imitari et sequi bene operando possint, castitatis videlicet, humilitatis, modestiæ, aliarumpue virtutum, divina gratia largiente, exemplum præbeat, ut juxta Apostoli vocem, doctrinam Dei nostri in omnibus ornet (*Tit.* II).

III. Habete, quæsumus, studium in psalmos cantando, in divinos libros legendo, in canonicas Horas custodiendo, id est, primam, tertiam, sextam ; missarum quoque quotidiana celebratione, nonam, vesperas et completorium, atque matutinale officium decantando. Et invitate parochianos vestros ut si ad alios cursus (*b*) venire non sufficiunt, saltem missas frequentius audire studeant, et Dominicis atque aliis diebus festis vesperas, matutinas, et missas frequentare non prætermittant.

IV. Ad vos ergo dictum esse scitote : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII). Ubi non tantum intelligendum esse putetis, quod de calice et patena (*c*), ubi corpus et sanguis Domini conficitur, dictum sit ; sed de corporis munditia, et mentium puritate. Ut enim beatus Gregorius dicit, cum de parabola decem virginum tractaret : « Vascula nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Habemus itaque fragile vas, id est corpus nostrum, quod semper summopere mundum servare debemus, ut dum oblationes mundas Deo porrigimus, ipsi

(*a*) *Capitul.* XVI, an 769.
(*b*) Id est officium.

(*c*) Id est corporale.

quoque ante sanctum altare illius hostiæ acceptabiles efficiamur. A

V. Item monemus, ut unusquisque vestrum psalmos, et sermonem fidei catholicæ(*a*), cujus initium: *Quicunque vult salvus esse*; et canonem missæ, ac cantum, vel cempotum memoriter, et veraciter, ac correcte tenere studeat. Consignationem vero infantum, tam masculorum quam feminarum, unius vel plurium, et consecrationem fontis, et aquæ per domos spargendæ, et animæ commendationem, et orationes ad mortuum sepeliendum habeatis descripta distincte et veraciter, et frequenti usu ea meditemini, ut correcte et irreprehensibiter ea tam super masculum quam super feminam proferre sciatis. Supradictam vero consignationem infantum volumus ut quadrifarie scribendo dividatis, super singularem scilicet masculum et singularem feminam, B itemque super masculos plures et plures feminas, sicut nos vobis, Christo propitio, descripta trademus.

VI. Item promonemus, ut unusquisque vestrum, Missalem, Lectionarium, Evangelium, Martyrologium, Antiphonarium, Psalterium, et librum quadraginta Homiliarum beati Gregorii correctum atque distinctum per nostros codices, quibus in sancta matre Ecclesia utimur, habere laboret. Et libros quidem divinos et ecclesiasticos, quoscunque potestis habere non emittite; ex ipsis enim cibos et condimentum animarum percipietis, dicente Domino : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Si quis C autem omnes Veteris Testamenti libros habere nequiverit, saltem hoc studiosius elaboret, ut primum totius divinæ historiæ librum, Genesim videlicet, sibi correcte transcribat, cujus lectione totius mundi creationem dignoscere valeat.

VII. Studere etiam debetis, ut digne atque honeste vestra ecclesiastica vestimenta præparata habeatis, albam videlicet ad divinum mysterium unam, vel duas nitidas, cum orariis, id est, stolis duabus nitidis, et amictis duobus nitidis, corporalibus quoque totidem nitidis, item zonis duabus, id est, cinctoriis, ac manipulis totidem nitidis; ac linteamina altaris habeatis nitida, et casulam sericam, cum qua missa celebretur. Hoc autem omnimodis prohibemus, at nemo illa alba utatur in sacris mysteriis, qua in quotidiano D vel exteriori usu induitur (*b*). Loco quoque munda et congrue composita habeatis, ubi post sumpta sacra mysteria, manus et ora vestra lavetis(*c*), et, si possibile fuerit, unusquisque calicem cum patena argentea, sive cujuslibet metalli purissimi habeat; ut cum ad nostram synodum unumquemque vestrum eadem vasa, vel cætera quæ ad ministerium sacerdotale pertinent, deferre jusserimus, vel per vestras parochias transitum fecerimus, nostram exinde offensionem minime incurratis, si hæc præparata inhonestius viderimus. Ad missam quoque, et vesperas, si sufficitis, thus vel incensum in thuribulo Deo offerte. Illud etiam expresse præcipimus, ut domos vestras nitidas et sine sordibus et fœtoribus habeatis, ut exinde puriores ad altare Domini procedatis.

VIII. Instanter quoque monemus, ut scrutinia per baptismales ecclesias statuto intra Quadragesimam tempore generaliter fiant. Et ut baptizati mox post baptismum, Eucharistiam, id est communionem sanctam percipiant, sollicite vos studere præcipimus. Quoniam qui dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* V), ipse dixit : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*ibid.*).

IX. Solerter studendum est presbyteris, ut curam publice pœnitentium habeant, et orationes ad visitandos infirmos vel infirmas correcte proferre sciant et maximam curam adhibeant, ut sicut nemo sine baptismo, ita etiam nemo absque viatici munere moriatur; sed neque publice pœnitens, si fuerit infirmus; et sedulo considerent atque diligenter caveant, ne pro hujusmodi negligentia grave periculum incurrant. Videant quoque ne Simoni mago et Judæ traditori efficiantur similes, si pro pretio, aut pro familiaritate vel propinquitate, pœnitentes ante tempus ad reconciliationem adduxerint, et eis pro reconciliatione testimonium dederint, vel si cum fervore et diligentia pœnitentes aliqua amaritudine, vel, quod absit, odio, aut qua nihil ab eis accipiunt, a reconciliatione suspendi fecerint; quia ut comministri, ita etiam cooperatores presbyteri in ministerio divino a Deo sunt constituti episcopis. Si vero publice pœnitentes pro certa necessitate, vel ratione, ante præfixos a canonibus annos fuerint reconciliati: sicut ante reconciliationem secundum pœnitentium possibilitatem et qualitatem, de eorum pœnitentia sollicitudinem habuerunt; ita et post reconciliationem, vitam eorum et conversationem, donec præfixum pænitentiæ tempus expleatur, non negligant, sed solerter discutiant et attendant, scientes non solum episcopis, sed etiam secundum modum suum, presbyteris convenire quod dicitur : *Speculatorem dedi te domui Israel* (*Ezech.* III); et de unoquoque sibi commisso rursus per prophetam dicitur : *Sanguinem ejus de manu tua requiram.* (*ibid.*).

X. Item oportet ut presbyteri infirmos suos post confessionem et reconciliationem oleo sancto perungant, et tunc eos communicent. Quod si ante adventum eorum infirmus obmutuerit, et certi testes sint quod ipse infirmus tale signum ostenderit, quia pœnitentiam petiit, quam mora sacerdotis ab eo exclusit, viatici ei subsidium præbeant.

XI. His exceptis, scire debetis quia facultates Ecclesiæ in quatuor partes canonica auctoritate sunt divisæ. Ex quibus una est, si voluerit, episcopi; alia ad luminaria et sarta tecta, id est restaura-

(*a*) Agitur de Symbolo S. Athanasio ascripto.

(*b*) Agitur de veste clericali, *veste talari, casula*, antiquis canonibus memorata.

(*c*) Episcopi et, in Ecclesia Rhemensi, sacerdotes usum retinuerunt lavandi post sacram synaxim. Vide Statuta Hincmari.

tionem ecclesiæ ; tertia presbytero et suis ; quarta hospitibus deputata (*Conc. Wormatiense*, anni 868, can. 7). Quapropter ex ipsa parte, quæ fabricis debetur ecclesiæ, volumus aut per nos aut per nostros comministros rescire quid annuatim tam in luminaribus olei vel ceræ, quam etiam in restauratione tectorum, vel in ornamentis inde in ecclesia parcat. Convenit etiam vobis unum vel duos, vel tres clericos habere,qui vobiscum missas celebrent. quos salutetis,et a quibus resalutemini,quia Dominus in Evangelio dicit : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* (*Matth.* XVIII). Solus autem nemo vestrum missas celebrare præsumat. In ratione vero sacrorum, hoc omnibus modis servare debetis, ut in calice aquam vino misceatis, quia panis corpus, vinum sanguis intelligitur; aqua quæ in cruce de latere Domini manavit certissime fidelem designat populum junctum capiti suo, quod est Christus. Quibus devotissime observatis, verum Domini corpus procul dubio in veritate conficitur. Et quisquis ex eo corde et corpore purificatus, cum fide fuerit recreatus, remissionem peccatorum in illo sine dubio operatur.

XII. Hospites secundum quod possibile est excipere,et illis juxta vires ea quibus indigent hilariter administrare studete. Et plebes vestras, ut idipsum faciant,et pedes pauperum laveut, instantius admonete : scientes,quia si aliquis pauperum hospitium postulaverit, et impetrare non meruerit, et extra domum jacens vel a bestiis fuerit comestus,vel frigore aut aliqua aeris asperitate mortuus,ab illo requirendus erit qui humanitatis subsidium ei negaverit. Et sacerdos immunis ab hac culpa non erit,qui adjutores suos ut hospitalitatem diligerent non admonuit.Scimus enim quia magna est hospitalitatis virtus per quam plurimi Deo placuerunt,et angelos hospitio recipere meruerunt, ut Abrahæ, Loth, Tobiæ,et aliis quamplurimis legimus contigisse.Semperque meminisse debetis quanta sit merces hospitalitatis, dicente Domino : *Hospes fui, et suscepistis me* (*Matth.* XXV). Verba quoque Apostoli ad memoriam frequentius revocate, dicentis : *Hospitalitatem nolite oblivisci* (*Hebr.* XIII). Et ut cum B. Job possitis dicere : *Hospitium meum viatori patuit* (*Job*.XXXI). Sententiam quoque S.Gregorii in expositione evangelica frequenter revolvite dicentis, quia hospites non solum invitandi sunt,sed etiam trahendi.Susceptis autem hospitibus,secundum possibilitatem vestram officium humanitatis impendite, juxta hoc quod legitur : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si vero exiguum, et illud libentissime impertire* (*Tob.* IV). Recogitantes quoque et illud evangelicum: *Quicunque dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* X). Et quoniam contingere solet, ut susceptæ personæ illis a quibus suscipiuntur damnum aliquod inferant:si quos tales suscipitis de quorum persona dubitetis,in remota eos domo collocate, ne locum inveniant aut ipsi peccandi, aut vobis dispendium inferendi.

XIII. Illud quoque summopore cavendum monemus,ut presbyteri vel clerici tabernas causa convivandi non adeant,neque in ecclesiis vinum,excepta causa necessitatis, vendere concedant ; sed neque vendentes aut ementes in ipsis ecclesiis more conviviantium immorari permittant,quod in concilio Carthaginensi ita inhibetur : « Nulli episcopi,vel clerici in ecclesia conviventur ; nisi forte transeuntes hospitii necessitate illic reficiant: populi autem ab hujusmodi conviviis quantum possunt prohibeantur. » (*Conc. Carthag.* anni 397, can. 30.)

XIV. Observandum quoqne monemus ut presbyteri vel clerici feminis non cohabitent,neque detrahendi se locum donent. De qua re Clemens sanctæ sedis Romanæ Ecclesiæ præsul,ita edocet:« Clericus, inquiens, ad feminæ tabernaculum non accedat,nequæ properet.»Nec presbyter solus cum sola femina fabulas misceat,definiente sancto concilio Nicæno ; Neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ullo clerico omnino licere habere secum mulierem extraneam. Nos vero etiam a matribus,amitis,sororibus, vel propinquis cavendum dicimus,ne forte illud eveniat quod in sancta Scriptura legitur de Thamar sorore Absalon,quam Amnon frater suus male concupiscendo violavit ; de Loth etiam, qui filias suas per ebrietatis vitium similiter corrupit. Quod si aliquis vestrum matrem,sororem, vel amitam ad convescendum vocaverit, expleto convivio, ad domos suas vel ad hospitia a domo presbyteri remota,cum luce diei eas faciat remeare : periculosum quippe est ut vobiscum habitent, et ideo inhibitum est a sanctis Patribus:quoniam excepta supradicta occasione peccandi, femina quæ cum matre, sorore,vel amita aut nepte ingredietur,non est propinqua ; ex quo nisi caute actum fuerit,in laqueum diaboli sacerdotalis ordo incurrere poterit. Invitati etiam presbyteri a religiosis quibusque pro charorum suorum memoriis non se inebrient,neque inter pocula cantare præsumant : sed neque bibendi precationes sub nominibus sanctorum exerceant ; sed potius cum religione prandeant et cum sobrietate bibant, et quæ ad ædificationem pertinent loquantur, et ad tempus cum luce diei ad ecclesias suas redeant.

XV. Ut presbyteri, villici, id est provisores villarum, non fiant, et procuratores viduarum non existant : et ut conductores agrorum sæcularium non sint,neque ulli turpi negotio et inhonesto victum vel lucrum quærant.Nec etiam de viduarum conversatione sic curam habeant,quatenus opinionem suam infament, nec de se locum detractioni donent.Et ut curam habeant ne ministri reipublicæ,id est vicarii, et centenarii, seu reliqui exactores, advenas et pauperes affligant.Quod si per se emendare non potuerint,nobis vel comministris nostris innotescant.

XVI.Monemus præterea ut presbyteri sic ruralibus,id est terrestribus, et cæteris occupationibus

inserviant, quatenus divinum officium non negligant, et scholarios suos modeste distringant, caste nutriant, et sic litteris imbuant, ut mala conversatione non destruant; et puellas ad discendum cum scholariis suis in schola sua nequaquam recipiant; et ut turpi lucro et negotiationibus non inserviant.

XVII. Illud quoque admonendum censemus, ut ab usuris omnes se subtrahant : si enim, juxta præceptum Domini, amicos in Deo, et inimicos debemus diligere propter Deum, et eis nostra bona, quæ ipse nobis immeritis contulit, gratis largiri : qua ratione possumus ab eis qui nostri in Christo sunt fratres, ut idem ait : *Unus est enim Pater vester, omnes autem vos fratres estis* (*Matth.* XXIII), exigere quæ non accommodavimus, et repetere quæ non præstitimus ? Unusquisque igitur quantum præstiterit tantum recipiat, et eamdem speciem et mensuram annonæ, aut vini, aut argenti, aut certe alicujus pretii convalentis, prout inter eos convenerit : ita tamen ut non multiplicetur neque superaugeatur. De iter agentibus similiter observandum decernimus, ut nulla eis alia mensura in venundando tribuatur nisi illa qua vobis vestra vel accipitis vel comparatis ; quia scriptum est : *Neque circumvenias in negotio fratrem tuum* (*I Thess.* IV). Et : *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Luc.* VI). Et : *Non habebis diversa pondera, majus aut minus, sed sit tibi justus modius, æquusque sextarius* (*Deut.* XXV).

XVIII. Mercationes vero, quæ divinis et humanis legibus prohibitæ sunt, et nunc denuo diebus Dominicis a quibusdam improbis exercentur, modis omnibus inhibemus, et vobis inhibendas omni studio canonica auctoritate decernimus. Ineptum namque est ut Christianus quilibet ea die, qua resurrectionis Dominicæ nostræque redemptionis memoria recensetur, lucra sæcularia vel mercationes exerceat, quam totam debet in divinis laudibus et officiis, et oblationibus, pro sua et cunctorum ad se pertinentium salute, atque totius Ecclesiæ stabilitate occupare.

XIX. Sepulturas mortuorum ecclesiastica honestate et pietate unusquisque presbyter disponat, et ne pro sepeliendis mortuis xenia exquirat. Unde beatus Gregorius ita præsumentibus talia loquitur (*Epist. ad Januar.*) : « Grave nimis, inquit, et procul est a sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, et de alieno velle facere luctu compendium. Hoc autem vitium et nos, postquam, Deo auctore, ad episcopatus honorem Romanæ sedis accessimus, de Ecclesia nostra omnino exstirpare decrevimus, et pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permittimus. Si autem a devotis pro suis mortis quiddam ecclesiæ vel presbyteris sponte offertur, a presbyteris accipi non prohibemus. » Quod autem infra ecclesiam neminem sepelire debetis, multis auctoritatibus perdocemus, et maxime beati Gregorii sanctæ Romanæ sedis antistitis. Interrogatus enim a Petro discipulo suo, utrum animabus aliquid prodesset si mortuorum corpora in ecclesiis sepelirentur, his verbis respondit (*Epist.* 55) : « Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis si in ecclesiis sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum quorum sepulcra aspiciunt recordantur, et pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad solutionem potius quam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in ecclesiis ponuntur. Quod melius, inquit, ostendemus, si ea quæ diebus nostris gesta sunt breviter enarremus. Vir namque vitæ venerabilis Felix, Portuensis episcopus, in Sabiniensi provincia ortus atque enutritus est, qui quamdam sanctimonialem feminam in loco eodem fuisse testatur, quæ carnis quidem continentiam habuit, sed linguæ procacitatem atque stultiloquium non declinavit. Hæc igitur defuncta, atque in ecclesia sepulta est. Nocte autem eadem ejusdem ecclesiæ custos per revelationem vidit quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur, et pars una illius igne cremabatur, pars autem altera intacta remanebat. Cumque hoc surgens mane fratribus narraret, et locum vellet ostendere in qua fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac si illic eadem femina corpore fuisset igne concremata. Ex qua re aperte datur intelligi, quia in quibus hic peccata dimissa non fuerint, ad evadendum judicium sacris locis post mortem non valent adjuvari. Joannes quoque vir magnificus in hac urbe locum præfectorum servans, cujus veritatis atque gravitatis sit novimus ; qui mihi testatus est Valerianum Patricium in civitate, quæ Brixia dicitur, fuisse defunctum. Cui ejusdem civitatis episcopus, accepto pretio, locum in ecclesia præbuit, in quo sepeliri debuisset. Qui videlicet Valerianus usque ad ætatem decrepitam levis ac lubricus exstitit, modumque suis pravitatibus ponere contempsit. Eadem vero nocte qua sepultus est, beatus Faustinus martyr, in cujus ecclesia corpus illius fuerat humatum, custodi suo apparuit, dicens : Vade, et dic episcopo projiciat hinc has fetentes carnes, quas hic posuit, quia si non fecerit, die trigesimo ipse morietur. Quam visionem custos episcopo timuit confiteri. Et rursus admonitus declinavit. Die autem trigesimo ejusdem civitatis episcopus cum vespertina hora sanus atque incolumis ad lectum rediisset, subita et inopinata morte defunctus est. Ex qua re, Petre, collige quia hi quos peccata gravia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat ut etiam de sua præsumptione judicetur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. » His auctoritatibus roborati, ut a vobis quoque hujusmodi præsumptio caveatur instanter judicavimus admonendum ; et ut talia irrationabiliter postulantibus, rationabiliter, his prolatis auctoritatibus, denegare curetis. »

XX. Rationi quoque proximum esse sanximus ut in unoquoque mense, statuta die, id est in Kalendis uniuscujusque mensis, per singulas decanias presbyteri simul conveniant, et convenientes non pastis

vel potationibus vacent, sed de suo ministerio et A religiosa conversatione, atque de his quæ in eorum parochiis accidunt sermonem habeant, et qualiter pro rege vel rectoribus ecclesiæ, atque pro familiaribus suis, tam vivis quam et defunctis, orare debeant, simul considerent.

XXI. Docete etiam parochianos vestros ut quando ad ecclesiam conveniunt, orare pro se proque aliis cum gemitibus et lacrymis studeant, et a verbis otiosis se subtrahant; quia Salvator noster, quando ingressus est templum, et vendentes in illo et ementes eliminavit, protinus dixit : *Scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur* (*Matth.* XXI). Et si ibidem aliqui sunt discordes, pia admonitione et sacerdotali exhortatione eos ad concordiam revocate : si vero semel et bis a vobis admoniti audire refugerint, secundum auctoritatem Agathensis concilii ab Ecclesia excommuuicentur. Ita enim in præfato concilio de his qui per odium ad pacem non revertuntur capite trigesimo primo scriptum continetur : Quod si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur. » Item in concilio Carthaginiensi, capite nonagesimo tertio : « Oblationes dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur. »

XXII. Quando autem vobis a nostra parvitate vel a comministris nostris jejunium faciendum injungitur, plebes ad ecclesiam venire rogate, et facta litania, et missis celebratis. . . . .

ANNO DOMINI DCCCCII.

MANTIO

CATALAUNENSIS EPISCOPUS.

MANTIONIS EPISTOLA

AD FULCONEM RHEMENSEM EPISCOPUM.

(*Province de Reims*, tom. I.)

Domino Patri Folconi venerabili archiepiscopo, B et omnibus episcopis ejus suffraganeis, et cuncto clero eorum, presbyteris, diaconibus, et cunctis ordinus, tam canonicis quam et monachis, Mantio humilis Catalaunensis episcopus, fide obsequium et devotas orationes.

Notum sanctimoniæ vestræ precamur quia presbyter quidam, nomine Angelricus, de villa Wasnau de ecclesia sancti Lupi, venit ante præsentiam nostram coram synodo nostra Catalaunis Nonis Maii habita ; et convictus proprio est ore confessus qualiter cum parochianis suis desponderit vel desponsaverit quamdam feminam, nomine Grimmam, consentientibus propinquis ejus (*a*). Quam cum ducere pergeret, respectu clementiæ Dei restiturunt nequissimo conatui ejus boni et pii fidelesque homines C alii. Quam actionem cum diu omnes pariter doleremus, contulimus super hoc nihil deliberare priusquam ad vestram paternitatem per eumdem presbyterum scriberemus, supplicantes instrui quid nobis agendum foret, nec correptione ulcisci malam præsumptionem, quam per vos quærimus insinuandam. Omnes ergo nos sanctam paternitatem vestram oramus ut eumdem fratrem has litteras ferentem in Domino suscipiatis, et per eum litteris desiderabilibus vestris insipientiam nostram instruatis, et qualiter hæc præsumptio ab Ecclesia pellatur sollicite perpendatis. Constitit itaque inter nos a nostro seorsum esse collegio, quousque vestro consolemur rescripto. Valete, pro nobis obsecramus orantes.

(*a*) Primus hic notatur qui, sacerdotium indutus, de incundo matrimonio cogitaverit.

ANNO DOMINI DCCCCVI.

MARTINIANUS MONACHUS

NOTITIA HISTORICA.

(Apud. Mabill. Annalium tom. III, pag. 324.)

Ineunte decimo sæculo florebat Martianæus monachus, cujus scripta quædam, hactenus ut puto ncognita, invenimus in codice Resbacensi, in quo quatuor ejus *Exercitationum* libri, nempe duo ad monachos sui temporis, unus ad clericos, unus item ad laicos, habentur. Hic disciplinæ regularis cauaa

missus ad quoddam monasterium, inde jussus est *ab abbate et prioribus suis ut ad aliud monasterium transmigraret, quod fertur ab interioribus viris floruisse antiquitus opulentissime opibus scilicet et terra auroque et argento, seu omnibus ornamentis innumeris. Degebat autem illud monasterium sub regulari abbate, cui obediebant inibi fratres ducenti sexaginta. Ibi enim cum aliis fratribus*, inquit ille, *mihi subtilioribus et nobilioribus, ad restaurandum* (sic vocem hanc fere detritam lego) *missus advenissem, multa adversa ab invidis et falsis fratribus pertuli.* Quamobrem is loco cedere compulsus, in solitudinem secessit, ibique duos monasticarum *Exercitationum* seu exhortationum composuit libros, quos *reverentissimo Patri domino* J. nuncupavit, cujus in monasterio aliquandiu substiterat, forte abbati Resbacensis monasterii, in quo hic codex, quem unicum esse opinor, a nobis repertus est. In primo libro invehitur in monachos qui pretiosiora vestimenta amant, contra quam sanctus Benedictus præcipit vestem sanctam et humilem, quam sancti Patres ad insinuandam humilitatem instituerunt, *tincturis et forcipibus* dehonestantes. Deinde hos arguit, quod apud eos omnino negligatur oratio, et quod specie doctrinæ exeant e claustro, ambientes esse magistri antequam sint perfecti discipuli. Ad hæc, quod ambiant honores et dignitates. In secundo libro vitam cœnobiticam ereniticæ præferendam docet; tum cœnobitis varia dat monita. Postea inducit fratres quosdam ita de se conquereutes : *Quare cogitur nobis hic observatio regulæ, plusquam in aliis locis : nam in alio monasterio sic vivitur. et in illo sic vivitur, et sunt sine murmuratione et dissensione, sicut præcipit sanctus Benedictus. Hæc enim superstitiosa sunt, quæ iste impostor cogit nobis facere.* Ad quos ille respondet, se nihil amplius exigere, quam quod in Evangelio, in apostolis et in regula legitur. Ad hæc silentium in ecclesia, dormitorio, refectorio ei in coquina servandum docet. *Propterea si quis ex nobis*, inquit, *loca* A *sancta, silentio perpetualiter dedicata, fabulis polluerit, vel in quocumque loco contra præcepta regulæ quippiam egerit, non potest expiari nisi per veniam et satisfactionem.* Ob hanc causam inter monasterii officinas *fabulatorium* institutum ait, qui necessaria dici possint.

Liber tertius *Exercitationum contra transgressionem clericorum editus* a Martiniano, inscriptus est in hunc modum *Nobilissimis ac præclarissimis dominis meis, scilicet sancti Martini alumnis, frater Martinianus omnium monachorum extremus, in Redemptore pio de occultis hostibus nobilem triumphum.* In primis arguit clericos, quod non clericalem habitum sed arma gestarent; quod cum feminis cohabitarent, ad venationes pergerent, essentque negotiatores. Dein eos ad officium mortis consideratione revocat. Denique tria in eis præcipua vitia notat, superbiam, avaritiam et luxuriam; quæ ipsamet vitia sunt quæ in sæculi sui hominibus Abbo monachus B Pratensis, ut superius vidimus, reprehendit. Quartus Martiniani libellus ad laicos eo spectat, ut eos a delectamentis carnalibus, ab amore principatus, et a vana spe deterreat. Hujus porro auctoris ætas colligitur tum ex scriptura Resbacensis codicis scripti ante annos septingentos, tum ex raritate monasteriorum in quibus tunc disciplina monastica viguisse dicitur; tum ex more gestandi arma, quem in clericis arguit, ad finem sæculi noni consueto; tum denique ex eo quod Martiniani alumni, id est sancti Martini apud Turonos canonici, quibus librum secundum de clericis nuncupat, jam cucullum abjecerant. Unde verisimilimum est Martinianum sub initia sæculi decimi scripsisse, et quidem ante natam congregationem Cluniacensem, perquam regularis disciplina in multis monasteriis eo sæculo refloruit. Forte monosterium illud, ad quod restaurandum missus est, erat Majus-Monasterium olim percelebre, quod sæculo decimo fere in solitudinem et ad paucos clericos redactum erat.

MARTINIANI
PROLOGUS IN LIBROS MORALES.

(Apud Mabill. Annalium tom. III, Append.)

Reverentissimo Patri dom:no scilicet J... frater Martinianus omnium monachorum infimus in Christo Jesu, donum felicis perseverantiæ, ac bravium remunerationis æternæ.

Posteaquam a te, mi Pater, infelix et insipiens sensus meus me corpore separavit, quod mente non potuit, et in vestro monasterio perveni atque secundum propositum monachilis ordinis in eodem degere et militare disposuissem, modico intervallo facto tractatum est ab abbate et prioribus meis, ut ad aliud monasterium transmigrarem, quod fertur ab anterioribus viris floruisse antiquitus opulentissime opibus scilicet et terra, auroque et argento, seu omnibus ornamentis innumeris. Degebat autem illud monasterium sub regulari abbate, cui obediebant inibi fratres ducenti sexaginta. Ibi enim cum aliis fratribus mihi valde subtilioribus et nobilioribus advenissem multa adversa ab invidis et falsis fratribus pertuli. Nec immerito quidem. Nam callidus ille serpens, qui primum hominem per gustum vetiti C pomi expulit de paradiso, immissionibus suis turpiter me ac miserabiliter illudebat, adeo ut plerumque quasi ebrius incedens, quæ sancta erant fastidire, atque lubrica cogitare diligerem. Tandem, Deo dante, cum ad me revertebar, exclamabam : *Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus* (*Psal.* LXVII), etc. Tunc ingemiscens dicebam : *Nisi Dominus adjuvasset me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* (*Psal.* XCIII). Istud enim bellum nemo videbat, nisi Deus liberator meus. Quod si vidissent invidi, qui aliquid me æstimabant, et de me nihil facere contendebant, quid putatis adversum me agerent ? Certe sufficeret eis hoc solum quod in me regnabat peccatum ad me tentandum et ad exturbandum. Sed non permisit pius Deus. Denique multoties cum D largiente Deo tentatio illa evanescebat, mox sentiebam diabolum recedere et Deum meum accedere. Tunc invocato Christi auxilio, accipiebam tabulam et graphium, et tentabam si aliquid possem egenus scribere contra illam tentationem, ea videlicet

causa, ut frequentius visa et lecta auxilium mihi præberet ipsa scriptura, quamvis exigua et illucubrata. Sic itaque, mi Pater, inchoavi hoc opusculum et perfeci. Hoc etenim a te desidero accipi, a te concupisco legi, et flagito emendari, a te postulo corroborari; quatenus si aliquis mei similis post finem meum invenerit, et legere atque exinde in melius assurgere maluerit, illius profectus proficiat mihi, meque mortuo, vel tantillum opus meum vivat atque, me tacente, clamet pauperrima locutio mea in Conditoris servitio. De cætero autem peto quo non attendatur ad vilissimam formam arboris, sed ad mellifluum gustum pomi optimi generis, illius scillicet per quod evacuatur vis mortis propinata per gustum vetiti arboris.

Explicit prologus.

Quadam igitur die, dum ex capitulo nimis affectatus rixosis ac tumidis, sive sæcularibus locutionibus fratrum quondam exissem, occurrit animo ut, dimissis exercitationibus illis, causa quietudinis villas adirem: quo facto, dum residerem tranquillius, acceptis tabulis et stylo, cœpi dictare isto modo.

Scio, et veraciter scio, quia verum est quod mihi objiciunt fratres mei, sed et deceptores sui quia verbum, quod in auribus illorum de divinis lectionibus refero, non dulce, non leniter, sed exasperanter profero; et ego judico quia sic est, sed quare? quia in malivolam animam, id est in sæculari animo, non potest introire divinus sermo, etc., non de omnibus dico, etc.

ANNO DOMINI DCCCCV.

JOANNES PAPA IX.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, Conciliorum generalium tomo XVIII.)

Joannes IX, patria Tiburtinus, patre Rampoaldo natus, professione monachus, et ordine diaconus, post obitum Theodori factus est pontifex anno Domini 901 (*a*), sub Ludovico IV imperatore. Cum Berengarius dux Forojuliensis captum imperatorem oculis simul et imperio privasset, et cum armato exercitu Romam profectus coronam imperii ab hoc pontifice violenter extorsisset, nomenque imperatoris sibi tyrannice vindicasset: post obitum ejus Lambertum Widonis filium, ante annos undecim a Formoso papa imperatoria corona donatum, Romam vocavit, ibique synodali judicio declarari mandavit Berengarii et Arnulphi coronationes nullas esse et illegitimas, utpote quæ vi extortæ penitus sint abrogandæ: Lamberti vero, in quem Formosi papæ et successorum ejus libera vota conspirassent, legitimam et ratam esse habendam. Hac occasione principes Italiæ a Berengario deficientes, Lambertum pro rege et imperatore agnoverunt. Cumque ex Romanis plurimi Berengario faverent, eique contra Lambertum adhærerent, Joannes papa non satis tutum se judicans si Romæ maneret, profectus est Ravennam, ibique acta Stephani contra Formosum per synodum irrita reddidit, hisque turbulentissimis temporibus velut alter Jeremias a Deo missus, evulsit, dissipavit et destruxit ea omnia quæ a prædecessore Stephano male plantata atque pessime ædificata fuerant. Sedit annos tres, et dies quindecim [*al.*, quinque]: obiit anno Domini 905. Sepultus est apud Sanctum Petrum præ foribus ante portam dictam Guidoneam. In cujus sepulcro sculptum erat epitaphium, quod recitat Baronius anno 905.

(*a*) Rectius 808. Vide Pagium ad hunc an.

JOANNIS PAPÆ IX EPISTOLÆ.

(Mansi ibid.)

EPISTOLA PRIMA

AD HERIVEUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Rescriptum domini Joannis papæ ad consulta Herivei Rhemorum archiepiscopi de Northmannis nuper ad fidem conversis, quorum alii baptizati fuerant, et rebaptizati, et post baptismum gentiliter vixerant: qualiter illis consulendum sit; ubi demum habetur absolutio sui suorumque.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo confratri nostro HERIVEO Rhemorum archiepiscopo.

Vestræ fraternitatis, vestræque reverendæ sanctitatis mellifluas litteras libentissime suscipientes, ac diligentissime pertractantes: et tristes admodum, et vehementer exstitimus exsultantes. Mœrentes itaque de tantis calamitatibus tantisque pressuris atque angustiis, non solum paganorum, verum etiam Christianorum in vestris partibus (ut vestrarum assertio litterarum edocet) accidentibus: gaudentes siquidem de ipsa gente Northmannorum, quæ ad fidem, divina inspirante clementia, conversa, olim

humano sanguine grassata lætabatur; nunc vero vestris exhortationibus, Domino cooperante, ambrosio Christi sanguine se gaudet fore redemptam atque potatam. Unde multipliciter ei, a quo procedit omne quod bonum est, immensas gratiarum actiones rependimus, suppliciter obsecrantes ut eos soliditate veræ fidei confirmare et æternæ Trinitatis gloriam agnoscere faciat, atque ad suæ visionis inenarrabile gaudium introducat. Nam quod de his vestra nobis innotuit fraternitas, quid agendum sit quod fuerint baptizati et rebaptizati, et post baptismum gentiliter vixerint, atque paganorum more Christianos interfecerint sacerdotes trucidaverint, atque simulacris immolantes idolothyta comederint; equidem [*al.*, et quidem. HARD.] si tirones ad fidem non forent, canonica experirentur judicia. Unde quia ad fidem ru- B des sunt, vestro utique libramini vestræque censuræ committimus experiendos, qui illam gentem vestris confiniis vicinam habentes, studiose advertere, et illius mores, actusque omnes pariter et conversationem agnoscere præ cæteris valeatis. Quod enim mitius agendum sit cum eis quam sacri censeant canones vestra satis cognoscit industria, ne forte insueta onera portantes, importabilia illis fore, quod absit, videantur, et ad prioris vitæ veterem quem exspoliaverunt hominem, antiquo insidiante adversario, relabantur. Et quidem si inter eos tales inventi fuerint, qui secundum canonica instituta se per pœnitentiam macerare, et tanta commissa scelera dignis lamentationibus expiare maluerint, eos canonice judicare non respuatis: ita ut in omnibus erga eos pervigiles existatis, ut ante tribunal æterni judicis C cum multiplici animarum fructu venientes gaudia æterna cum beato Remigio adipisci mereamini. Munus vero quod nobis vestra sanctitas dirigere dignata est, eo dilectionis amore suscepimus quo a vobis fuit destinatum. Divina majestas vos vobisque omnes subjectos ita concedat temporaliter vivere, ut intercedente beato Petro apostolorum principe, omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, et ad cœlestis regni gloriam sine ulla offensione perducat. Optamus sanctitatem vestram bene valere, et apud piissimum Dominum pro nobis piis supplicationibus intercedere.

EPISTOLA II.

AD STYLLIANUM EPISCOPUM NEOCÆSAREENSEM.

Negat illi veniam quam petiverat communicandi cum illis quos Photius ordinaverat. D

Eas quas par est dilectioni tuæ gratias agimus, honorande frater, quod nunquam a matre tua sancta catholica et apostolica Ecclesia Romana declinare voluisti. Neque enim tormenta ulla, neque exsilia, neque fraudes adulterorum hominum a matre tua te divellere potuerunt. Spero tamen tuarum precum favorem duritiem cordis eorum, qui salvari debent, leniendam, et optatam pacem redituram: quod apertis argumentis futurum apparet, et schisma quadraginta fere annorum ad priorem sanitatem reversurum. Quæ enim tua mater reprobavit tu A etiam ucusque reprobasti, et quæ illa approbavit etiam tu approbasti. Volumus igitur ut etiam nunc secundum eamdem regulam decreta sanctissimorum pontificum prædecessorum nostrorum inconcussa maneant. Quapropter Ignatium, et Photium, et Stephanum, et Antonium, sicut sanctissimus papa Nicolaus, et Joannes, et sextus Stephanus, et universa Romana Ecclesia hucusque tenuit, etiam nos eodem ordine illos recipimus et tenemus, et illis [*f.* ut et illis. HARD.] qui supersunt ex eorum ordine, eodem pacto nobiscum manus præbeas hortamur: et pacis et communionis illis concedimus unitatem, dum ipsi eodem pacto regulas servaverint. Tum vero chirographum, quod nobis fecisti, quamvis multum quæsierimus, invenire tamen minime potuimus.

EPISTOLA III.

AD CLERUM ET POPULUM LINGONENSEM.

Argrinum episcopum iis restituit.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, clero et populo sacræ Lingonensis Ecclesiæ, dilectis filiis.

Tantum a Domino hujus sanctæ sedis et apostolicæ Ecclesiæ fundatore, et beato Petro apostolorum principe accepimus fiduciam, ut pro universali Christi sanguine redempta Ecclesia impigro laboremus affectu, et omnibus Domino famulantibus succurramus; et cunctis pie viventibus apostolica auctoritate opem feramus; et quidquid nocivum est, auxiliante Domino, corrigere et emendare non differamus. Ad hoc enim divinæ dispensationis provisio gradus et diversos constituit ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem et adjutorium impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate connexio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Litteras sane dilectionis vestræ, quas ad beati apostoli Petri sedem pro vestri causa negotii non solum semel sed et bis et ter misistis, libenter suscepimus, una cum dilecti filii nostri Berengarii regis apicibus; sed de vestris afflictionibus et incommoditatibus, quas vos tanto tempore perpessos lacrymabiliter conquesti estis, non modice contristati sumus, scilicet quod Ecclesia vestra multis attrita calamitatibus, omni pastorali sit destituta solatio, ex quo Argrinus venerabilis episcopus ab ipsa per subreptionem quorumdam recessit Ecclesia: quem omnes concorditer vos elegisse: excepisse et acclamasse testificamini; nullumque post ipsum alium sponte recepisse episcopum, sicut libello vestræ reclamationis plenius continetur. Jam enim olim per Anscharum comitem dilectum filium nostrum hoc ipsum cognoveramus, qui se in hoc facto graviter errasse humiliter confessus est. Nos ergo qui omnium Ecclesiarum Dei curam et sollicitudinem gerimus, et omnibus Ecclesiis jus intemeratum, canonicamque auctoritatem irrefragabiliter observare volumus et debemus, nequaquam vos diutius talia pati permittimus; sed compatientes vestræ fraternitati, et vestram lacrymosam querimoniam veridicis assertio-

nibus cum collegio fratrum nostrorum episcoporum, A reliquorum ordinum officio approbantes, præfatum confratrem nostrum Argrinum venerabilem episcopum vobis canonice restituimus, suæque Ecclesiæ reformandæ intromittimus : non sententiam prædecessoris nostri Stephani papæ reprehendentes, sed utilitatis ac necessitatis causa canonice in melius commutantes, quemadmodum predecessores nostros de multis egisse in promptu habemus. Hujus rei gratia monemus vos, et his pontificatus nostri litteris hortamur, atque auctoritate Dei et nostra præcipimus, ut eumdem Argrinum episcopum, quem unanimitati vestræ ut petiistis reddidimus, benigno amore concordique devotione absque ulla cunctatione recipiatis, et obedientes in omnibus existentes, tanquam animarum vestrarum pium pastorem honorabiliter B teneatis atque colatis, canonica illius jussa in cunctis observantes. Quod si aliquis vestrum contra hoc nostrum apostolicum judicium atque statutum agere aut sine ipsius Argrini episcopi consensu, in Ecclesia sua Lingonensi ministrare præsumpserit, et eum juxta nostrum decretum recipere noluerit, sicat se nostra aactoritate excommunicatum atque damnatum. Bene valete.

Scriptum per manum Samuel notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, indictione II.

EPISTOLA IV.

AD CAROLUM SIMPLICEM REGEM FRANCORUM.

Hortatur ut Argrini Lingonensis episcopi restitutioni faveat.

C JOANNES episcopus, servus servorum Dei dilectissimo filio CAROLO glorioso regi.

Quia te, dilectissime fili, more regum prædecessorum tuorum pro defensione et utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ contra parvorum hominum et etiam paganorum rabiem viriliter agere relatu multorum cognoscimus, omnimodis congaudemus, et venerabiliter tuam in Christo amplectimur filiationem : et ut in melius semper proficere satagas, pacem justitiam et veritatem diligas, a recto etiam tramite nullo modo devies, paterne hortamur; quatenus benedictionem a clementissimo Domino nostro Jesu Christo, ut et ab ejus apostolorum principe ac clavigero Petro consequaris, pro cujus amore talia agere satagis. Denique notum esse volumus tuæ filiationi, Lingonensis Ecclesiæ gemitum lacrymabi- D lemque querimoniam non solum semel, sed et bis, et ter ad aures clementiæ nostræ pervenisse, pro pastoris sui Argrini episcopi sequestratione, quem omnes unanimiter elegisse, expetisse et conclamasse se testantur, sed pro quorumdam subreptione ab eis eum separatum fuisse : qua de re ipsa Ecclesia pastorali destituta sit solatio, variisque incessanter perturbationibus et incommoditatibus agitetur, adeo ut pene jam ad nihilum deducta videatur. Quam causam cum collegio venerabilium episcoporum nostrorum diligenti examinatione perpendentes, et rei veritatem perscrutantes, eorumque infelicitati misericorditer subvenientes, canonice definimus, quatenus ei sua nostra auctoritate redderetur Ecclesia : sententiam prædecessoris Stephani papæ causa necessitatis et utilitatis in melius commutantes, sicut prædecessores nostros de multis egisse in promptu habemus. Unde prævidimus, et gloriam ac religiositatem tuam monemus, ut, quia canonice illum prædictæ suæ Ecclesiæ Lingonensi restituimus, ei manum auxilii semper porrigas, nostræque institutioni consentias, et ubicunque expedit, adjutor ei ac defensor pro amore omnipotentis Dei, et reverentia beatorum apostolorum, nostraque apostolica paternitate existas : quatenus sub tuo regali munimine pacifice eamdem regere digne valeat Ecclesiam, ut quibus debet præesse valeat et prodesse. Bene vale.

Scriptum per manum Samuel notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, v Id. Maii. indictione II.

EPISTOLA V.

HATTONIS MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI EJUSQUE SUFFRAGANEORUM AD JOANNEM IX PAPAM.

De morte (a) Arnulphi imper.; de Ludovico ejus filio septenni, rege Germaniæ salutato : de archiepiscopatu apud Moravos erecto.

Domno sanctæ et apostolicæ et universalis Romanæ Ecclesiæ papæ, HATTHO indignus præsul Moguntinensis Ecclesiæ, cum universis suffraganeis nostræ exiguitati adjunctis, debitum orationis obsequium, et fidelem servitutem.

Noverit igitur sublimitas vestræ sanctitatis, quod nulla fratrum unanimitas sanctæ Romanæ Ecclesiæ potestati subjecta, fidelior atque devotior ac subjectior apparet quam nos, qui vestræ dominationi et capiti omnium Ecclesiarum omni mentis intentione subjicimur, plurimum gaudentes in Domino et in dono gratiæ ipsius, quod per vestram sanctitatem et sapientiam magnifice et amplissime sedes ejusdem Ecclesiæ dilatatur in religione divina : et in hoc instantissime precibus incumbimus, deprecantes divinam clementiam ut ad altiora semper conscendere vos et de die in diem meliora sectari atque perficere concedat. De cætero vestræ clementiæ innotescimus seniorem nostrum Arnulphum imperatorem de hujus vitæ exsilio migrasse. Sed quandiu in hoc mundo subsistimus per incerta ferimur, nescientes ubi quorumdam animæ post hanc lucem mansionem recipiant : vestris quasi provoluti vestigiis subnixe poscimus, ut animam ipsius vestræ auctoritatis potestate a vinculis peccatorum absolvatis, quia *quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo* (*Matth.* XVI). Tali vero domino, rectore et gubernatore amisso, in nostris partibus vacillavit navis Ecclesiæ. Quem regem eligeret parvo tempore inscia

(a) Arnulphus imperator, cujus hic obitus nuntiatur mortuus est 20 Novembris, anno 899, Stephano VI pontifice. Non tamen ad eum, sed ad ejus successorem Joannem hæc scripta est epistola, quod facile intelligitur ex querela de Moravorum archiepiscopatu, quem a Joanne institutum esse sequens epistola declarat. Cur autem tam sero scribant hi episcopi, causam his ipsis in litteris afferunt.

GABR. COSSARTIUS.

mansit : et quia timor magnus aderat ne solidum regnum in partes se scinderet, divino, ut credimus, instinctu factum est ut filius senioris nostri quamvis parvissimus communi consilio principum et totius populi consensu in regem elevaretur. Et quia reges Francorum semper ex uno genere procedebant, maluimus pristinum morem servare, quam nova institutione insidere. Sed cur hoc sine vestra jussione et permissione factum sit, vestram haud dubitamus latere prudentiam. Nulla scilicet alia causa actum constat nisi quia,paganis inter nos et vos consistentibus, impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram Romanam sedem : ita ut nec legati a nostra parvitate ad vestram dignitatem dirigi potuissent. Sed quia tandem occasio et tempus advenit, quo nostra epistola vestris obtutibus præsentaretur, rogamus nostram communem constitutionem vestræ dominationis benedictione roborari. Insuper etiam pietati vestræ intimamus quod fratres et coepiscopi nostri Bawarienses se apud nos conquerentes, et alta suspiria trahentes, gemebant qualiter Maravenses populi Francorum potestati rebelles jactent se ab illorum consortio esse divisos, et seorsum metropolitano gloriantur a vestra concessione esse sublimatos,cum nunquam metropolitana sedes inter illos haberetur, sed semper illorum provinciæ et diœcesi cohærerent. Dolebant se etiam apud nos quod quorumdam machinatione magna infamia circa vestram celsitudinem essent denotati, scilicet, ut cum paganis fœdus et pacem inirent, et ipsi pagani consilio eorum agerent tam multa nefaria et illicita. De his omnibus consilium a nobis quærentibus Bawariensibus episcopis,justum respondimus esse fratrum solatio semper adhærere : quia Propheta inquit: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXI). Illi vero non in unum habitant, qui fratrum se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias præparant.Nos illorum tristitiæ compatientes nolumus illi consilium de talibus objectionibus præbere,priusquam ad vestram interrogationem per epistolam nostram veniremus.Semper nos scimus carnales spiritales solere persequi, et malevolos benevolos infirmare et lacerare. Prævidere ergo summopere debent omnes qui sacerdotes Domini persequuntur,tam occulte quam manifeste, ne ad illos pertineat quod Propheta dixit : *Cogitaverunt malitias in corde suo : tota die constituebant prælia. Exacuerunt linguas suas sicut serpentis ; venenum aspidum sub labiis eorum* (*Psal.* CXXXIX). Et paulo post : *Cadent supes eos carbones, in ignem dejicies eos* (*ibid.*).Et iterum : *Vir linguosus non dirigetur in terra ; virum injustum mala capient in interitu* (*ibid.*). Et per Jeremiam inquit Dominus : *Omnes in sanguine judicantur, unusquisque proximum suum tribulat. Omnes in malum manus suas præparant.* Non debent enim alieni,episcoporum aut accusatores aut judices fieri. Unde de Loth est scriptum : *Ingressus es,ut advena,nunquid ut judices* (*Gen.* XIX) ? Accusator autem episcoporum nullus sit servus aut libertus,nullaque persona suspecta aut infamis repellantur inimici et omnes laici.Isti fratres et coepiscopi nostri Bawarienses, veraces Dei cultores et boni pastores,pervigili custodia custodiunt gregem sibi commissum,ne lupi rabies aliquam sancti gregis oviculam rapiat in prædam suam. Stant pro muro domus Israel,ne aliqua vis inimica firmamentum Ecclesiæ dissolvat.Qui tales inquietat et sua malitia impugnat,licet præsentem, futuram tamen non evadet pœnam,quia scriptum est : *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* III). Hæc autem omnia perscripta vobis ideo dirigimus, qui estis caput totius sanctæ Ecclesiæ,quæcunque per orbem diffunditur,et solamen mœrentium,quæcunque tristia vobis contigerunt membris vestris, quia sanctissimi pastores Christi superius dicti in nulla re a catholica fide deviantes,sed eamdem sanctis operibus et ecclesiasticis officiis ornantes,apud nos conquerentes postulaverunt,ut vestræ notitiæ manifesta faceremus, quia et illi per seipsos vobis eadem innotescere vita comite promittebant.Unde poscimus ut vestra consolatio illorum mœrorem ad lætitiam reformet,et semper talia membra summo capiti, quod estis vos, se gaudeant adhærere. Illi autem Maravenses, ut nostris auribus illatum est, in occasionem superbiæ suæ assumunt, quia a vestra concessione dicunt se metropolitanum suscipere,et singulariter degentes aliorum episcoporum consortia refutant.Si hac confidentia diutius inflantur,usque ad sanguinis effusionem, ut multi arbitrantur, prosilient.In quantum præfuimus,admonemus, quatenus vestra auctoritas,priusquam hoc contingat,ad humilitatis viam illos corrigendo deponat, ut tandem cognoscant cui dominatui subjici debeant. Nos siquidem debitores esse cognoscimus,si quid a sanctæ matris Romanæ Ecclesiæ scilicet contigerit elabi, vos inde certificari,ut vestra potentia ad rectitudinis lineam perducatur.Quod si vestra admonitio illos non correxit,velint,nolint,Francorum principibus colla submittent,et credimus absque effusione sanguinis, et mutua cæde ex utraque parte, tunc posse bene contingere. Iterum iterumque vestræ dignitatis auribus replicamus, quod tam episcopi quam laici Bawarienses in religione Christianitatis nulla gente inferiores esse probantur,neque unquam Franci absque illorum auxilio, aut in ecclesiasticis rebus, vel in bellicis negotiis nominatim, vel fama, dignum aliquid peregerunt.Sicut neque illi absque istis.

(a) EPISTOLA VI.

THEOTMARI JUVAVENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPI, ET ALIORUM EPISCOPORUM AD JOANNEM IX.

Queruntur unum archiepiscopum et episcopos tres, in Schlavorum terris prius Pataviensi episcopo subjectis, creatos esse.

Summo pontifici, et universali papæ, non unius urbis, sed totius orbis, domino JOANNI, Romanæ sedis gubernatori magnifico, humillimi paternitatis

(a) Hanc epistolam edidit Cordesius, cum Hincmari opusculis, sed Joanni VII perperam inscripsit. Nam

vestræ filii, THEOTMARUS Juvanensis Ecclesiæ archiepiscopus, WALDO Frisingensis, ERCHENPALDUS Eystatensis, ZACHARIA Sæbonensis, TUTTO Ratisponensis. RICHARIUS Pataviensis Ecclesiæ episcopus. Necnon et universus clerus populusque Christianus per totam Noricam, quæ et Bawaria vocatur, prosperum in Salvatore nostro profectum catholicæ pacis augmentum, et regnum optamus æternum.

Antecessorum vestrorum decretis et catholicorum Patrum institutis plenissime instruimur in omnibus nostro ministerio sacerdotali obstantibus et adversantibus Romanum appellare pontificem, ut quod ad unitatem concordiæ, et ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, sed ab ipso summa provisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta et et apostolica sede, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, et origo Christianæ religionis, profluxerit quidpiam perversitatis, sed doctrina, et auctoritas ecclesiasticæ rationis. Sed venerunt, ut ipsi promnlgaverunt, de latere vestro tres episcopi, videlicet Joannes archiepiscopus, Benedictus et Daniel episcopi in terram Schlavorum, qui Maraci dicuntur, quæ regibus nostris, et populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu Christianæ religionis, quam in tributo substantiæ sæcularis, quia exinde primum imbuti, et ex paganis Christiani sunt facti. Et idcirco Pataviensis episcopus civitatis, in cujus diœcesi sunt illius tempore populi ab exordio Christianitatis eorum, quando voluit et debuit, illuc nullo obstante intravit, et synodalem cum suis, et etiam ibi inventis, conventum frequentavit, et omnia quæ agenda sunt potenter egit, et nullus ei in faciem restitit. Etiam et nostri comites illi terræ confines placita sæcularia illic continuaverunt, et quæ corrigenda sunt correxerunt, tributa tulerunt, et nulli eis restiterunt; usque dum, incessente corda eorum diabolo. Christianitatem abhorrere, et omnem justitiam detrectare, belloque lacessere et obsistere sævissime cœperunt, adeo ut via episcopo et prædicatoribus illa non esset, sed libitu suo egerunt quæ voluerunt. Nunc vero, quod grave nobis videtur, et incredibile, in augmentum injuriæ jactitant se magnitudine pecuniæ id egisse, qualia de illa apostolica sede nunquam audfvimus exisse, neque canonum decreta sanxisse, ut tantum schisma una pateretur Ecclesia. Est enim unus episcopatus in quinque divisus. Intrantes enim prædicti episcopi in nomine vestro, ut ipsi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque episcopatu, unum archiepiscopum (si tamen in alterius episcopatu archiepiscopum [*al.*, archiepiscopus. HARD.] esse potest) et tres suffraganeos ejus episcopos absque scientia archiepiscopi, et consensu episcopi in cujus fuerunt diœcesi. Cum in concilio Africano, cap. 20, decretum sit ut plebes quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur, quæ nunquam episcopos habuerunt, nonnisi cum voluntate ejus episcopi a quo tenentur proprios accipiant rectores, vel [id est, *al.* et. HARD.] episcopos. Et item in eodem concilio, cap. 65, ut plebes, quæ nunquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex consilio plenario uniuscujusque provinciæ, et primatis, atque consensu ejus ad cujus diœcesin eadem plebs pertinebat, episcopos minime accipiant. In decretis papæ Leonis, capite 15, scriptum est: Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur, qui a provincialibus episcopis, cum metropolitani judicio non consecrantur. Item, capite 49: Si indignis quibusque, et longe extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium et gubernatio Ecclesiæ detur, non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimem. Et in eodem capite, post pauca: Difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Et in decreto papæ Cœlestini antecessoris vestri, capite 17 continetur, ne alicui locus concedatur sacerdoti in alterius injuriam. Antecessor vester, Zuentibaldo duce impetrante, Withingum consecravit episcopum, et nequaquam in illum antiquum Pataviensem episcopatum eum transmisit, sed in quamdam neophytam gentem, quam ipse dux domuit bello, et ex paganis Christianos esse patravit. Cum autem eisdem Schlavis locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant nos et diffamabant nos in multis, et verbis mendacibus instabant, quia nemo eis vera respondebat, dicentes nos et cum Francis et Alemannis scandalum et discordiam habuisse, cum hoc falsum esse ex hoc convincitur, quia amicissimi nostri sunt, et charitative cooperantes, et etiam cum ipsis impacatos esse accusabant.

Quod non nostra culpa exigente, sed sua protervia faciente, ita fatemur esse. Quia quando Christianitas illis cœpit vilescere, et insuper debitum tributum senioribus nostris regibus et principibus eorum solvere respuerunt, belloque resistere, et gentem nostram cœperunt lacessere, orta est seditio inter illos. Et quoniam armis sibi eos defenderunt, et in servitium redegerunt, idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt, et debent, et sive velint, sive nolint, regno nostro subacti erunt. Quapropter oportet vos ab alto speculari, et moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne pejor pars confortetur, et melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi senioris nostri, Ludwici videlicet imperatoris, et reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt. Moimarii vera Schlavi, a paganis et ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam rempublicam sublimaverunt, isti damnaverunt. Illi Christianum regnum confortaverunt, isti infirmaverunt. Illi toti mundo spectabiles apparuerunt, isti latibulis et urbibus occultati fuerunt. Illo-

ad Joannem IX missam esse constat, ex episcoporum qui scribunt ætate. ut disces ex Hundii metropoli Salisburgensis, tom. I. Eamdem, et alteram quæ proxime antecedit, ebiderat ante Gevoldus in appendice ad Chronicon Reicherspergense.

rum consilio apostolica sedes pollebat, istorum persecutione Christianitas dolebat. In omnibus his juvenculus rex noster, nulli prædecessorum suorum inferior, secundum virtutem a Deo sibi datam, sanctæ Romanæ Ecclesiæ et vobis summo pontifici, cum omnibus regni sui principibus adjutor optat esse fortissimus. Omne namque regnum divinitus sibi commissum ad Dei servitium suumque adjutorium unum vult et operatur. Unde et pace viget, et concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, sicut patres sui se pertinere lætatur. Quod nos præfati Schlavi criminabantur, cum Ungaris fidem catholicam violasse, et per canem, seu lupum, aliasque nefandissimas et ethnicas res, sacramenta et pecam egisse, atque ut in Italiam transirent pecuniam dedisse, si vobis coram posito, ratio inter nos agitaretur ante Deum, qui cuncta novit antequam fiant, et coram vobis qui vicem ejus apostolicam tenetis eorum falsitas manifestaretur, et innocentia nostra probaretur. Quia enim Christianis nostris longe a nobis positis semper imminebant, et persecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretiosæ pecuniam substantiæ, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus aliquatenus eorum feritatem molliremus, et ab eorum persecutione quiesceremus. Talia namque, ut præscripsimus, juxta malitiam cordis sui argumentantes, et pontifices vestros [nostros] ad injuriam nostram incitantes, adeo, ut directa nobis epistola quasi ab apostolica sede, hæc omnia improperabant, et diversas injurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis quod quidam sapiens ait : *Justus tulit crimen iniqui.* Ipsi enim crimen quod nobis falso semel factum imposuerunt multis annis peregerunt. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, et more eorum capita suorum pseudochristianorum penitus detonderunt, et super nos Christianos immiserunt, atque ipsi supervenerunt, et alios captivos duxerunt alios occiderunt, alios ferina carcerum fame et siti perdiderunt, innumeros vero exsilio denutarunt et nobiles viros ac honestas mulieres in servitium redegerunt, ecclesias Dei incenderunt, et omnia ædificia deleverunt, ita ut in tota Pannonia nostra maxima provincia tantum una non appareat ecclesia, prout episcopi a vobis destinati, si fateri velint, enarrare

A possunt, quantos dies transierunt, et totam terram desolatam viderunt. Quando vero Ungaros Italiam intrasse comperimus, pacificare cum eisdem Schlavis teste Deo, multum desideravimus, promittentes eis propter Deum omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque acta, et omnia reddere quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos redderent, et tandiu spatium darent, quandiu Longobardiam nobis intrare et res sancti Petri defendere, populumque Christianum divino adjutorio redimere liceret. Et nec ipsum ab eis obtinere potuimus, ut post tanta maleficia haberent beneficia ; et sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorsum nos oberrasse et justitiæ restitisse
B probare conetur, veniat præsens, et eum ludificasse, nosque de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singli omnesque admonendo precamur, ne ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam opportunitas exigat, ut hujus rei gratia missus de vestra celsitudine nobis, aut a nostra parvitate directus appareat vobis. Communis gemitus et generalis dolor angustat quos Germania et tota tenet Norica, quod unitas Ecclesiæ dividitur scissura. Est enim, ut præmisimus, unus episcopatus in quinque divisus, ideo si quid fraus maligni [*al.*, maligna. HARD.] Schlavorum calliditate adduxerat, justitia vertat. Vosque virtute ex alto induti, et apostolica potestate armati, juxta prophetam : *Quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abjectum reducite*: ut deinceps populus, et fidei inte-
C gritate gratuletur, et sancta Ecclesia tranquilla devotione lætetur.

Theotmarus indignus archiepiscopus, et apostolicarum rerum procurator promptissimus. Pecuniam vestro juri debitam, propter infestam paganorum sævitiam, nec per me poteram, nec per alios transmittere ; sed quia Dei gratia liberata est Italia, quanto citius potero, vobis transmittam. Precatur nostra humilitas ut dignetur vestra sublimitas respondere per singula transmissa cum epistola.

Alme pater mundi dignus pro nomine Petri,
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris,
Sisque tuis famulis protector verus, et impos,
Commendens Domino, cœlo qui præsidet alto.

JOANNIS PAPÆ IX

CANON DE ELECTIONE PAPÆ IX.

(Apud Pertz., Monum, Germ. hist.)

Quia sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore præsidemus, plurimas patitur violentias pontifice obeunte, quia absque imperatoris notitia et suorum
D legatorum præsentia pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam et scandala in ejus

consecratione non permittant fieri, volumus id ut deinceps abdicetur, et constituendus pontifex convenientibus episcopis et universo clero eligatur, expetente senatu et populo, qui ordinandus est, et sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præsentibus legatis imperialibus, conse- A cretur; nullusque sine periculo juramentum vel promissiones aliquas nova adinventione ab eo audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne Ecclesia scandalizetur vel imperatoris honorificentia minuatur.

JOANNIS PAPÆ IX

PRÆLOCUTIO IN CONCILIO RAVENNATE.

(Apud Mansi, Conciliorum tom. XVIII.)

Prælocutio pontificis.

Quia, divina inspirante misericordia, vestra nobiscum convenit fraternitas, ut nutu sancti Spiritus, qui suis nunquam deest fidelibus, communi omnium vestrum consultu, fratres charissimi, ea quæ necessaria sanctæ Dei Ecclesiæ prævidimus, una cum spirituali filio nostro, gloriosissimo videlicet imperatore Lamberto, et vestro sancto collegio, et quæ nocivo surculo pullulare conabantur in agro sanctæ Ecclesiæ, canonico sarculo eradicare studeamus, quæ capitulatim annotata sunt, si omnibus placent, in conspectu omnium legantur, examinentur, et examinata manibus omnium pro futura memoria roborentur, ne ulli unquam sine status sui periculo eadem violare liceat, sed rata et firma in perpe- B tuum consistant ad statum et muninem sanctæ Dei Ecclesiæ, ad salvationem omnium fidelium per Dei misericordiam.

Responsio.

Immensas Deo Salvatori nostro laudes referimus, qui talem vos præfecit Ecclesiæ ejus opportunitatem decernere, ut omne ab ea zizanium eradicare conemini, prout in hac S. synodo cunctis nationibus apertis declaratur indiciis. Capitula etiam quæ pro generali omnium cautela ad robur et muninem sanctæ Ecclesiæ conscripta sunt, si vestræ placet pietati, legantur, qualiter per ea omnes doceamur quæ observare, vel quæ cavere debeamus, ne in aliquo a regulis sanctorum Patrum, quod Deus avertat, deviare inveniamur.

ANNO DOMINI DCCCCV.

BENEDICTUS PAPA IV

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, Conciliorum amplissima Collectio.)

Benedictus IV, natione Romanus, post interregnum unius diei subrogatus est Joanni IX anno Christi 905, tempore Lamberti imperatoris. Munificentissimus erga pauperes, viduas et orphanos, inter horum temporum pontifices tanquam sidus quoddam lucidum emicuit. Anno pontificatus sui tertio, qui C est Christi 907 ex hac vita migravit, sepultusque est apud Sanctum Petrum juxta aditum quo itur ad sanctum Gregorium: ubi et sepulcrum ejus exornatum fuit epitaphio, quod ex Manlio exscriptum habet Baronius prædicto loco.

BENEDICTI PAPÆ IV EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD GALLIARUM EPISCOPOS, PRINCIPES, etc.

Argrinum Lingonensem episcopum in Ecclesiæ suæ jura omnia restituit.

(Ex Conciliis Mansi.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, reve- D rentissimis et sanctissimis confratribus nostris Galliarum archiepiscopis, episcopis, seu gloriosissimis regibus, ducibus, comitibus, sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ filiis atque fidelibus.

Quanta pietatis gratia, quantaque compassionis et condescensionis sublimitate, sancta mater Romano

Ecclesia, apostolicis instructa hortaminibus, polleat et emineat universis in fidei unitate degentibus, clarum habetur, quoniam a Deo omnis misericordiæ fulget, quemadmodum a sacratissimi fontis potu hausit. Quapropter omnibus in sanctæ conversationis gremio consistentibus notum esse volumus legatos Argrini confratris nostri venerabilis episcopi nostrum adiisse apostolatum, humiliter obsecrantes quatenus justitiæ moderamine æquitatis libramina, more prædecessorum nostrorum, et pro amore Dei, et reverentia beati Petri apostolorum principis, conferremus, suumque electionis ordinem decretumque a populo et clero Lingonensis Ecclesiæ digestum, quod præ manibus habebant, clementiæ vestræ attenderemus, quod et fecimus, in omnibus servata servare curantes: videlicet qualiter a clero et populo præfata Lingomensis Ecclesia post discessum Gerlonis quondam episcopi unanimiter expetitus, concorditer electus et acclamatus, necnon a proprio metropolitano Aureliano, et ab ejus suffraganeis, et a Bernuino Viennensi archiepiscopo canonice consecratus, et in ipsa sede Lingonica communi voto ac desiderio inthronizatus exstitit, et quomodo per spatium duorum annorum et trium mensium eamdem prout protuit pastorali moderamine rexit Ecclesiam; sed postea per quorumdam hominum insolentiam et subreptionem a propria sequestratus fuerit Ecclesia tempore Widonis imperatoris, qui tunc Romanis imperabat. Peractis autem liquidius annis, cum frequenter hanc sanctam Romanam Ecclesiam infortunii sui causa visitaret, et semper lacrymabiliter, ut ei sinum misericordiæ hæc aperire dignaretur deposceret, pervenit ad prædecessoris nostri piæ recordationis Joannis papæ præsentiam cum Ecclesiæ suæ lacrymosis querimoniis, qui ejus absentiam et voce et litteris condolebant, scilicet quod post ejus discessum variis et nimis attriti incommoditatibus, omni pastorali destituti fuissent solatio, adeo ut nec chrisma confectum, nec infantes consignati in ipsa Lingonensi Ecclesia fuerint, nec aliquod episcopale ministerium rite peractum; unde etiam dictus Joannes sanctissimus papa, ejus querimoniam Ecclesiæ suæ benigne suscipiens, cum collegio episcoporum suorum reliquorumque ordinum frequentia diligenter inquisivit, canoniceque definivit, quatenus ei apostolica auctoritate sua redderetur Ecclesia, quemadmodum in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ plenius habetur. Nos vero, his auditis et diligenti examinatione perpensis, prædecessoris nostri Joannis papæ statuta in omnibus servare cupientes, quia rationis hujus series indiscussa, et irrefragabiliter determinanda, absque reverendorum episcoporum consilio perfectionis cumulum capere non poterat, sanctam convocavimus in Lateranense palatium synodum, omniaque ista vera esse omnimodis comprobantes, consilio et hortamine reverendorum patrum nobis assistentium, jura ei indulsimus ecclesiastica, scilicet ut quia injusto a sua Ecclesia privatus fuerat ordine, justo etiam redderetur moderamine, utroque apostolico privilegio solemniter munitus Lingonensem canonice deinceps absque alicujus contradictione teneret Ecclesiam, pastoraliterque regeret, atque Deo ordinante disponeret. Non sententiam prædecessoris nostri Stephani papæ reprehendentes, sed canonice causa necessitatis et utilitatis in melius commutantes, quemadmodum prædecessores nostros de multis egisse manifestum est. Quamobrem auctoritatis nostræ privilegium ei fieri jussimus, in quo pallii usum ad missarum solemnia sacratis diebus illi concessimus, quod olim a sanctissimo prædecessore nostro Formoso papa acceperat. Quapropter virtute sancti Spiritus et nostra apostolica auctoritate præcipimus ut nulla potestas regalis, nullusque conditionis vel ordinis sexus, contra hoc nostrum apostolicum privilegium insurgere audeat, nostrisque jussionibus ullo modo contraire pertentet: sed liceat ei quiete suam, Domino juvante, regere Ecclesiam, ut quibus præesse debet valeat et prodesse. Si quis vero hujus privilegii nostri temerarius transgressor exstiterit, et in omnibus non observaverit, et de rebus jam fatæ Lingonensis Ecclesiæ juste acquisitis aliquid invaserit, aut minorare tentaverit, sciat se a vivifico Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi corpore et sanguine alienum, et a consortio fidelium Christianorum sequestratum, et nisi correctus satisfecerit, perpetuo anathemate damnatum. Bene valete.

Scriptum per manum Sergii sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarii in mense Augusto, indictione 3. Data XI Kal. Septemb. per manum Leonis Dei pietate primicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno domini Benedicti papæ primo. Anno 11 post obitum Landeberti imperatoris Augusti, indictione 3.

EPISTOLA II.

AD CLERUM ET POPULUM LINGONENSEM.

(*Ibid.*)

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, clero et plebi sanctæ Lingonensis Ecclesiæ.

Apostolica nos et evangelica instituta incessanter admonent ut omnium Ecclesiarum curam sollicite gerere debeamus, ipsa nos instruente, nobisque in beato Petro apostolorum principe præcipiente Veritate, qui dicit: *Simon Joannis, diligis me? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Cujus auctoritate et vicaricatione divina dispositione freti, cunctis et in prosperitatibus congaudere, et in necessitatibus opem ferre parati sumus. Et quia lex Dei per Moysen data præcipit: *Si*, inquiens, *videris asinum proximi tui sub onere jacentem, non pertransibis, sed sublevabis cum eo* (*Exod.* XXIII); scrutata vestra calamitate, vestraque descrimina continua, non sine maximo mœrore admirando suscepimus quod infra tot dierum temporumque spatia vestram nobis injuriam custos hominum sollicitudo minime patefecit. Nunc ergo quia sicut per vestra scripta didicimus, Teutbaldus neque a vobis expetitus, neque electus, neque acclamatus

est, sed nec ad aliquos sacros ordines in vestra Ecclesia provectus, sicut hoc veris approbare potestis indiciis, et ita se res habet, sicut prædecessori nostro piæ recordationis Joanni papæ jamdudum innotuistis : non nobis videtur esse incongruum, sed potius omni sacra et canonica auctoritate fulcitum, more prædecessorum nostrorum sententiam mutando in melius, ut de multis exemplis evidentissimis approbare possumus. Ideo Argrinum pastorem vestrum a vobis unanimiter electum et expetitum vobis canonice præesse concedimus ; quem, sicut dicitis, utique patet inconsiderate fuisse per subreptionem a vobis expulsum : præcipientes ut digna ac competenti illum reverentia recipiatis, atque sicut proprio episcopo obedientes in omnibus existentes, et ejus alloquio et consolatione nostra auctoritate fruamini, ac veluti eo tanto pastore reddito et a vobis recepto in Domino vobiscum congratulemini. Sane quia omnibus Ecclesiis jus intemeratum legemque canonicam inviolabiliter conservare volumus, Ecclesiæ vestræ nequaquam vim inferre debemus, nec aliquod præjudicium imponere quærimus, sed in omnibus canonicam auctoritatem et priscam electionem immutilatam esse censemus. Bene valete.

Data II Kalend. Septembris, per manum Sergii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, indictione tertia.

EPISTOLA III, ENCYCLICA.

Malacenum episcopum sociosque ejus a Saracenis male habitos commendat.

(Mabill. Vet. Analecta, pag. 428.)

BENEDICTUS servus servorum Dei, omnibus reverentissimis et sanctissimis episcopis seu archiepiscopis, necnon abbatibus atque comitibus, seu judicibus, verum etiam et universis orthodoxis Christianæ fidei cultoribus.

Sanctitati seu omnium Christianorum religiositatibus notum esse volumus, quia iste præsens Malagenus venerabilis episcopus Hierosolymitanæ Ecclesiæ, una cum suis fidelibus a Saracenorum gentibus a sua Ecclesia deprædatus est, et etiam quidam de suis hominibus ab ipsa nefandissima gente Saracenorum occisi sunt, pro eo quod fidem illorum minime celebrare voluerunt. Hic itaque Malacenus reverentissimus episcopus cum ab ipsis Saracenis deprædatus est, a quibusdam Christianis Deum timentibus comparatus est, et alii triginta Christiani, qui cum eo deprædati sunt, ab eisdem Saracenis in custodia retinentur. Unde mandamus ut pro Dei omnipotentis amore, in quantum virtutis Dominus vobis donaverit, adjutorium illis faciatis, et liceat illis quiete absque cujuscunque oppressione salvos pergere, et de civitate in civitatem per vestrum auxilium et adjutorium salvi existant, ut nullus homo eos deprædare, aut aliquod malum facere audeat : sed, pro amore Dei et reverentia beatorum principum apostolorum Petri et Pauli, ad cujus limina isti pervenerunt, benigne eos suscipiatis, et de civitate in civitatem salvos eos transmittite, et hospitium eis præparate. Credimus enim quia omnia, quidquid in eis bonorum feceritis, ab ipso creatore omnium Deo vobis retribuetur, et mercedem exinde habebitis

PRIVILEGIUM BENEDICTI PAPÆ.

Huoggi abbati Fuldensi concessum.

(Apud Dronke, codex Diplom. Fuld. pag. 298.)

BENEDICTUS, servus servorum Dei, HUOGGI abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per eum in eodem venerabili monasterio successoribusque suis abbatibus in perpetuum.

Summam gerentes sollicitudinem omnium venerabilium locorum quantum ex divino adjutorio possibilitas datur de eorum stabilitate satagere studemus. Hoc namque studio et divina placatur clementia et laus Ecclesiæ Christi procuratur. Nam potiori et nos fiducia pro impetranda venia delictorum æternam pietatem audemus implorare. Et ideo reverentia tua postulavit a nobis, quatenus jam dictum venerabile monasterium Domini Salvatoris a sancto Bonifacio archiepiscopo constructum in loco Boconia erga ripam fluminis Fulda privilegii sedis apostolicæ munimine decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. De qua re piis desideriis faventes, hac nostra apostolica auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus, secundum privilegii seriem quod ab antecessore nostro bonæ memoriæ Marino hujus almæ sedis præsule inibi perpetualiter factum nobis ostendere sategisti. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato venerabili monasterio ditionem quamlibet habere et auctoritatem præter sedem apostolicam, et episcopum in cujus diœcesi idem venerabile monasterium constructum esse dignoscitur ; cui licentiam concedimus tantum cum opportunitas consecrandi altaris fuerit ; prohibemus ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat locisque ac rebus, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet quam quas

futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis et oblationibus decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Cæterum hoc deliberantes decernimus ut congruis temporibus nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur concordiaque convenienti ecclesiastico ritu mancipetur, ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtentu animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ aliquo modo retorqueatur. Et neque regi, neque episcopo cuilibet, vel comiti, vel alii magnæ parvæque personæ licitum sit quamlicet vim inferre, sine aliquam controversiam facere in rebus vel familiis ejusdem sæpe dicti venerabilis monasterii. Et auctoritate nostra interdicimus ut nulla femina inibi ingredi unquam præsumat. Nemo in eodem monasterio venerabili, vel in cæteris ejus locis placitum habeat. Nemo servos vel colonos ad aliquod servitium constringat, illis tantum exceptis personis quibus abbas ad utilitatem suæ necessitatis assensum præbuerit. Eligendi sibi abbatem quando opus fuerit fratres in- A ter se potestatem omnimodis habeant secundum regulam sancti Benedicti sine ullius personæ contradictione. Et tibi, fili dilecte Huoggi, quia te bene eruditum et eloquentem virum esse novimus, verbum Dei prædicare auctoritate sancti Petri, et concedimus et præcipimus. Igitur statuentes apostolica cura decernimus per hujus decreti nostri paginam ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ antistites vel quacunque dignitate prædita persona hanc privilegii nostri auctoritatem quam prærogativa principis apostolorum firmamus, temerare præsumpserit, nisi cito resipiscat, anathema sit et iram Dei incurrens, a cœtu sanctorum omnium extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indubia permaneat. Qui autem custos exstiterit, benedictionem et gratiam a Domino consequatur.

B Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indictione 4. Bene valete. Datum quinta decima Kalendarum Junii per manum Anastasii primicerii defensorum sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato magno imperatore anno.

ANNO DOMINI DCCC[illegible].

CHRISTOPHORUS

SEDIS APOSTOLICÆ INVASOR.

NOTITIA HISTORICA IN CHRISTOPHORUM.

(Ex Conciliis Mansi.)

Christophorus invasor sedis apostolicæ, pari modo ab invasore Sergio pontificatu dejicitur, quo ille prædecessorem suum Leonem V legitime electum sede sua amoverat. Nam cum septem menses sedem pontificiam tenuisset, dejectus est e sede violenter per Sergium, strictusque vinculis, et in carcerem trusus, per vim inductus vitam et habitum monasticum suscepit.

DIPLOMA CHRISTOPHORI

In confirmationem privilegiorum abbatiæ Corbeiensis in diœcesi Ambianensi.

Christophorus episcopus, servus servorum Dei, universis episcopis Galliarum.

Cum Romanæ sedis pontificem constet omnium Ecclesiarum Christi caput fore, ac si beati Petri apostolorum principis vices agentem, cui Christus ait : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum*, nulli cunctandum est quod cunctæ Ecclesiæ paci, saluti et quieti prospicere nos oporteat, præcipue tamen his qui ad nos necessitatis suæ causas deferre voluerint. Unde cognoscat omnium sanctorum Galliæ præsulum charissima fraternitas quod vir venerabilis Franco abbas ex monasterio Corbeiæ provinciæ Galliarum, quod est constructum in pago C Ambianensi super fluvium Sommam, adiit nos per venerabilem coepiscopum nostrum Orgarium, petens ut nostræ auctoritatis privilegio præcepta vel edicta regum et imperatorum antiquis aut modernis temporibus eidem loco concessa firmaremus ; necnon privilegia episcoporum, unum a præsule Ambianensi Bertefrido, ad cujus diœcesim locus ipse pertinet, et coepiscopis suis factum, et primitus ædificato suo monasterio datum ; aliud longe postea regnante Carolo, ab Hincmaro Rhemensi archiepiscopo et universali concilio episcoporum Galliæ conscriptum ; præterea privilegia beatæ memoriæ Benedicti et Nicolai prædecessorum nostrorum, in quibus omnibus statutum est ut præfatum monasterium Cor-

beiæ rerum suarum liberam obtineat dominationem, et eligendi sibi abbatem de suis semper habeat potestatem, contradictores vero et repugnantes huic sanctioni anathemate damnandos. Qua de re noverit omnis cœtus episcoporum Galliæ quod privilegia sanctorum episcoporum Galliæ, sive sedis Romanæ, cui auctore Deo præsidemus, jam dicto monasterio Corbeiæ concessa, nostræ auctoritatis edicto roboramus, et omnem resistentem divino judicio damnandum denuntiamus. Super hæc autem jam dictus abbas Franco cum congregatione sibi commissa obsecrat, ut quia, divina decernente justitia, piratarum sævitia, maritima Galliæ loca, in quibus et ipsum monasterium situm est, adeo devastantur, ut nulli extra munitiones manenti liber relinquatur locus, cujus etiam vastitatis impulsu cogente, sæpe memoratum monasterium muro munitum est; quatenus idem, sicut prius in abbatis et fratrum potestate perpetuo maneat, ita ut neque comes, nec quilibet judex, aut manendi, aut aliquid contra voluntatem abbatis et fratrum inibi agendi potestatem præsumere audeat, ne forte concessa ab initio privilegia violentur. Quorum petitionem justam et pro tempore opportunam judicantes, decernimus, ne aliqua sive ecclesiastica, sive sæcularis persona contra roborata nostra auctoritate privilegia venire audeat; sed sicut hactenus, ita deinceps in futurum inconvulsa permaneant. Et quia præteritorum casus nos cautos faciunt in futurum, omnem huic sanctæ auctoritati renitentem, nisi eis, quos læsit, digne satisfecerit, alienum a cœtu fidelium et hic et in futuro decernimus; omnes vero his nostris sancti scilicet Petri successoris decretis faventes, gratiæ suæ ubertate Dominus replere dignetur.

Scriptum per manum Sergii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Decembri, (*a*) indictione XI, septimo Kal. Januarii, imperante domno nostro piissimo augusto Ludovico a Deo coronato imperatore sanctissimo. Valete.

(*a*) In Dacherii, qui hoc diploma edidit, Spicilegio habetur *indictione* VII, hoc est anno Ch. 903, cujus Kalend. Septemb. indict. VII, numerari cœperat. Tunc revera sedebat in Romana cathedra Christophorus, juxta supputationem Pagii.

ANNO DOMINI DCCCCVIII.

REMIGIUS

MONACHUS S. GERMANI ANTISSIODORENSIS, ORDINIS S. BNEEDICTI.

NOTITIA HISTORICA IN REMIGIUM.

(Apud Fabric., Bibl. med. et inf. Lat.)

Remigius, monachus cœnobii S. Germani *Antissiodorensis*, ord. S. Benedicti, post annum 882 a Fulcone archiepiscopo Rhemensi ad scholam ibi regendam evocatus est, teste Flodoardo Hist. Rhem. IV, 9. Operose de illo egit Historia litteraria Galliæ tom. VI, p. 99. Edidit ille:

1. *Expositionem Missæ*, quod opusculum Alcuino tribuerunt, quippe quod c. 40 libri de diviniis Officiis constituit, observante Eccardo rerum Francic. XXVII, 26. Multa ex Marco Floro desumpsisse notat Bulæus Hist. Academiæ Parisinæ tom. I, pag. 635, Possevinus librum *de Officiis divinis* colon. 1536, excusum memorat; nescio an idem sit cum hac Expositione Missæ. Exstat tom. XVI Bibl. PP. maximæ p. 883.

2. *Expositionem in undecim prophetas minores*, quæ una cum Œcumenio et Areta prodiit Antuerpiæ 1545.

3. *Commentaria in Psalmos*, ex Ambrosio, Augustino et Cassiodoro consarcinata. Colon. 1536, fol. Et hæc quidem tria habentur tom. XVI Bibl. PP. Lugdun.

4. *Commentarius in Epistolas Pauli*, qui vulgo Remigio Rhemensi vel Haymoni (*a*) tribuitur, ad nostrum potius pertinet, quia Gregorius Magnus cum Beda ibi citatur, et Saracenorum mentio fit. Sub nomine nostri prodiisse in Bibl. PP. Coloniensi tradit Caveus, quod longe secius est. Nam tomo V ejusque parte tertia expresse habetur *Remigii Rhemensis episcopi Explanatio Epistolarum Paulinarum* ex editione Jo. Bapt. Villalpandi. Rom. 1598, fol. Mogunt. 1614. fol. In Bibl. vero Lugdunensi tom. VIII, p. 883, Remigio Lugdunensi ascribitur. Vide Historiam Galliæ litterariam tom. III, p. 162.

5. *Commentarius in Apocalypsin*, qui vulgo Haimoni tribuitur ad nostrum spectat. Nam is ex quadam modestia nomen suum scriptis non addidit, vel etiam *Reymonis* aut *Raymonis* abbreviatum nomen adjecit, unde Haymonem fecerunt in his non sati exercitati. Stylus enim est Remigii nostri, prout observat abbas Lebeuf tom. I Dissert. ad Hist Gallicam spectantium, p. 279, qui etiam singularem de hac re dissertationem promittit. Ut obiter hoc addamus, abbas modo laudatus ibidem illud agit, ut *Honorium*, quem huc usque *Augustodunensem* vocarunt, Germaniæ potius vindicet, ut *Augustæ* vel *Vindelicorum* vel *Rauracorum* tribuendus sit.

6. *Epistola ad Dadonem episcopum Virdunensem*, in qua explicat quid de Gog et Magog apud Ezechielem intelligendum sit, et de Hungrorum origine quædam narrat, habetur in Collectione amplissima Edm. Martene et Ursini Durand tom. I, p. 230. Quamvis etiam tantum litteræ initiales R. et D. in codice Floreffiensi exstent, tempora tamen conveniunt, et sub finem epistolæ *congregationem S. Germani* vocat *fratres et dominos suos*.

7. *Commentarius in Genesin* editus est a Bern. Pezio

(*a*) Nam in codice Casinensi, Possevino teste scribitur *Raimo*.

Thes. novissimo Anecdot. tom. IV, part. 1, sub init.

8. *Comment. vastus in Matthæum*, ms. habetur Monachii in bibliotheca serenissimi electoris Bavariæ, teste Rev. Bern. Pezio Dissert. Isagogica ad tom. I Thesauri novi Anecdotorum, p. 23 : in Bibl. Vindobonensi et S. Georgii Majoris Venetiis, teste Possevino Apparatus tomo II, p. 320.

9. *De festivitatibus Sanctorum* lib. I, ad Episcopum Æduorum, memorat Bulæus.

10. *Sermones triginta* occurrunt in Lectionario monasterii Medianensis ante annos 700 scripto, ex quibus aliquot, qui ad sacramentum Eucharistiæ spectant, descripsit Hyacinthus Alliot. Hæc Theodericus Ruinartus in Itinere Alsatico et Lotharingico, tom. III Operum posthumorum Mabillonii et Ruinartii, p. 441. An vero Alliotus illos ediderit, mihi non constat.

11. *Commentarii in Martianum Capellam, Donatum et Priscianum* inediti in variis bibliothecis habentur. Vide Indicem Bern. de Monfaucon. Videndum annon his titulis comprehendantur *Remigii Grammaticalia*, colon. 1508 fol. edita, teste Maittairio tom. I Annal. Typogr. p. 728, edit. poster.

12. *Commentarius in Regulam S. Benedicti* forte illius est. Florentiæ in Bibl. Medicea et Camaldulensi. Idem, p. 413' 430.

13. *Responsio* ad Gualonem, Heduorum episcopum, de pugna Michaelis cum diabolo, de corpore Mosis et de Behemoth, quam Possevinus memorat.

14. *De ratione gubernandæ Ecclesiæ* scripsit, prout docet Eisengreinius, apud eumdem Possevinum.

15. *Interpretatio nominum Hebraicorum* ordine alphabetico, quæ vulgo Bedæ tribuebatur, in cujus quippe Operibus exstat tom. III, p. 371. Oudinus autem testatur in optimæ notæ codicibus Remigio nostro tribui. Adde Merici Casauboni adnot. ad Optatum, p. 49. Ad hunc Remigium Antissiodorensem spectare credo homilias quasdem legendas in Homiliario quodam ms. bibliothecæ can. majoris ecclesiæ Lucensis. Sunt autem homilia S. Remigii in illud : *Vigilate ergo quia nescitis;* incipit : *Hic ergo perspicue.* Altera in illud : *De die autem illa;* incipit : *Gaudet Arius.* Altera ejusdem in illud : *Nihil est opertum*, etc.; incipit : *Cur debetis timere.* Altera in illud : *Vos estis sal terræ;* incipit : *Quia dixerat Dominus.* Item tractatus in illud : *Scitis quia post biduum;* incipit : *Et factum est*, etc., *hac enim sententia.* Item homilia in illud : *Vespere autem Sabbati;* incipit : *Matthæus a parte.* Item altera in illud : *Magister, attuli filium meum;* incipit : *Retorquet culpam.* Altera in illud : *Dissere nobis parabolam;* incipit : *Sed quærendum.* Codex est sæculi, ut arbitror, XII.

MONITUM IN OPUS SUBSEQUENS.

(Apud Pez., Thesaurus Anecdot. novissimus.)

Magnis passim laudibus Remigium sancti Germani Antissiodorensis monachum affecerunt veteres juxta ac recentiores scriptores. Audiendus de eo præ primis Frodoardus in Chronic. lib. IV, cap. 9, ubi de restauratis et reflorescentibus Rhemensibus scholis, Fulcone archiepiscopo, ita scribit : « Præfatus denique præsul honorabilis Fulco... duas scholas Rhemis, canonicorum scilicet loci atque ruralium clericorum, jam pene delapsas, restituit; et evocato Remigio Antissiodorensi magistro, liberalium artium studio adolescentes clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi operam dedit. Sed et Hucbaldum S. Amandi monachum, virum quoque disciplinis sophisticis nobiliter eruditum, accersivit, et Ecclesiam Rhemensem præclaris illustravit doctrinis. » Auctor Vitæ B. Joannis Gorziensis, apud Labbeum tom. I Bibliothecæ Novæ mss., pag. 744, celebrat Hildeboldum, qui *ex discipulis Domini Remigii, doctissimi ea ætate*, id est circa annum Domini 890, *magistri scholas* in Lotharingia *habebat.* Necrologium cathedralis ecclesiæ Antissiodorensis, circa annum 1100 exaratum, et quondam in bibliotheca Thuanæa adversatum, his verbis Remigii obitum secunda Maii annuntiat : *Obiit Remigius monachus et egregius doctor*. Singulare est et notatu dignum quod de Remigii doctrina simul et modestia Bernardus Montefalconius ex coævo fere codice monasterii S. Benedicti Padolironensis prope Mutinam in Diario suo Italico cap. 3 observat. Namque in illo post quædam S. Ambrosio attributa opuscula, *sequi* ait *tractatum domini Remigii venerabilis monachi in Marcum et eruditissimi commentatoris.* Tum subdere librarium : *In omnibus autem nomen suum tacuit, ut cum sapientia culmen quoque humilitatis attingeret.* Silentio prætereo honorifica de Remigio testimonia Sigeberti Gemblacensis, Trithemii aliorumque, quos longo agmine sequuntur Antonius Possevinus in Apparatu sacro, tom. II, pag. 319; Bellarminus et Labbeus in operibus quæ ambo de Scriptoribus ecclesiasticis ediderunt; Du Pin in Bibliotheca ecclesiastica; Caveus in Historia Litteraria; Gottfridus Olearius, tom II Bibliothecæ Scriptorum ecclesiasticorum, ac novissime Casimirus Oudinus, apostata Præmonstratensis, tom. II Commentariorum de Scriptoribus et Scriptis ecclesiasticis, col. 329 et seq., qui etiam omnium accuratissime de relictis Remigiani ingenii monumentis egisse videtur, tametsi nullo verbo meminerit *Commentarii in Matthæum*, quod in Monacensi serenissimi electoris Bavariæ bibliotheca exstare in Itinere Bajoarico monui, ac præterea Viennæ in Austria, utique in Augustissima Vindobonensi bibliotheca, et Venetiis asservari ex anonymo auctore intellexi, qui opusculum de Traditione Ecclesiæ Antissidorensis circa Propositiones Quesnellianas, a Clemente XI P. M. anathemate confixas, nuper admodum in lucem emisit. Nec plura apud eumdem Oudinum reperias de Remigii *Commentario in Genesim*, quem nunc primum e manuscriptis codicibus evulgamus. Hujus tamen operis diserte meminit Anonymus Mellicensis, qui sæculo duodecimo de Scriptoribus ecclesiasticis commentatus est. Sic autem ejus caput 66 ha-

bet : « Remigius, vir clarus, tam divinis quam sæcularibus litteris sufficienter instructus, inter alia Explanationem in Genesim scripsit. Sed et super Psalterium commentum insigne composuit. Habetur nihilominus et aliud ejus commentum, quod scripsit super Donatum. » Cum Anonymo Mellicensi faciunt codices Tegernseensis et Garstensis, quorum uterque sæculi fere duodecimi est. Iidem codices etiam sub Remigii nomine *Commentarium in Pentateuchum* ostentant hoc initio : *Deuteronomium lex secunda dicitur;* etc.; id quod in Paumgartenbergensis monasterii ord. Cisterc. in Austria codice, sæculo tamen XIV vix antiquiore, quoque observavimus. Verum in opus non Remigii Antissiodorensis, sed Rabani Mauri archiepiscopi Monguntini, inter cujus excusa opuscula etiam prostat, esse postea deprehendimus. Itaque, eo prætermisso, ad edendum solum Remigii Commentariorum in Genesim operam conferre visum fuit. Quo in labore maxime mihi profuit adm. RR. PP. Adalberti Düstl ascetæ Tegernseensis et Petri Oberhueber superioris Garstensis humanitas, qua ille integrum opus ex eleganti sui monasterii codice exscripsit, hic vero alterum e sua bibliotheca exemplum subgessit, Tegernseensi longe castigatius exaratum, ad cujus etiam fidem nostram editionem præcipue adornavimus. Cæterum ipsum Remigii opus grave, succinctum ac elegans est, omninoque ad eum modum compositum quem in Commentario Remigii in Psalmos dudum Sixtus Senensis observavit, nempe in quod Remigius ita veterum Patrum sensa transtulerit, ut tamen etiam quædam de suo adjecerit, idque pro more sæculi sui, quo usus antiquiorum scriptorum commentaria expilandi late obtinebat. Nuntiatum non ita pridem publice fuit esse quemdam eruditum in Italia virum, qui Remigii nostri Commentaria in plerosque omnes divinæ auctoritatis libros feliciter detecta prelo apparet; quod ut verum sit ex animo optamus. Illud omnino certissimum est adm. R. P. Felicem Wyrtenberger, doctissimum ex ordine Servorum beatæ Mariæ Virg. virum, nunc totum in eruendis gravissimis et elegantissimis Herrici monachi Antissiodorensis homiliis versarii ; quod eo libentius hoc loco commemoro, quod ejusdem Herrici diligens quondam auditor et nobilis discipulus Remigius exstitit. Sed de his plura in medium afferendi occasionem alibi nanciscemur.

REMIGII

MONACHI S. GERMANI ANTISSIODORENSIS, ORDINIS S. BENEDICTI

OPERUM PARS PRIMA. — EXEGETICA.

COMMENTARIUS IN GENESIM

Erutus ex ms. codice inclyti monasterii Garstensis ordinis S. Benedicti in Austria a P. Bernardo Pez, collato cum codice Tegernseensi ab adm. R. D. P. Adalberto Düstl, ejusdem loci asceta Benedictino.

IN DEI NOMINE

INCIPIT EXPOSITIO REMIGII SUPER BRESITH,

IDEST, SUPER GENESIM.

(a) *Desiderius* vocabatur episcopus quidam familiaris et amicus beati Hieronymi, ad quem scribit hanc præfationem.

Præfatio Latine, *prologus* vel *proæmium* Græce dicitur, id est *breviatio*. *Ymen* Græce, Latine dicitur *via*.

Præsagio, id est, prædivinatione vel signo futurorum.

Sortitus est nomen cum Daniele, qui et ipse *vir desideriorum* appellatus est; et sicut ille desiderabat præscire futura, sic iste desiderabat notitiam habere Scripturarum.

Pentateuchum. Penta, quinque, *teuchum* [librum], id est, quinque libros Moysi.

Obtrectatorum, id est, invidorum.

Suggillatione, id est reprehensione. Tunc enim omnes LXX legebant, et magna veneratione suscipiebant.

Nova pro veteribus cudere, id est, Hebraicam veritatem pro veteribus, id est LXX Interpretibus.

Ita ingenium quasi vinum probantes. Sicut enim vinum probatur nare vel gustu, sic illi probabant ingenium, cum dicebant Hieronymum in reprehensione LXX hoc facere.

Portione, id est pro vili.

Pro paupertate mea. In alia enim præfatione dicit quod in tabernaculo Dei alii offerrent aurum, lapides onychinos, byssum, coccum et purpuram ; sibi vero sufficere, si saltem pilos caprarum offerret. Hanc dicit vilem portionem humilando se, cum ta-

(a) Deest in codice ms. textus præfationis S. Hieronymi ad Pentateuchum, quæ exponitur in sequentibus.

men ipse magna offeret in tabernaculo Dei, hoc est in Ecclesia.

Editioni antiquæ, id est, translationi LXX.

Theodotio Judæus fuit,qui transtulit divinas Scripturas,sed in multis erravit judaizans.Illius translationem Origenes immiscuit translationi LXX.

Proprium syntagma, id est compositionem.

Si, inquit, *omnia colligerem quæ in Evangeliis vel Epistolis inveniuntur, et quæ sunt in LXX, proprium librum possem conficere. Multi ignorantes hæc in Hebraica scripta non esse veritate, secctantur deliramenta apocryphorum. Apocryphon* dicunt Græci *secretum*. Inde apocryphi dicuntur libri qui nullam habent auctoritatem et non sunt in publico legendi. Inde apocrypharius,legatus secretorum.*Deliramenta*,id est,vanitates,vel insanias et ineptias.Lira quippe sulcus dicitur aratri.Hinc delirare dicuntur boves cum exorbitant. Inde dicimus deliros homines insanos, exorbitantes a ratione et sensu.

Hiberas næniαs, id est Hispanicas vanitates. Proprie *næniæ* sunt, quæ super tumulos mortuorum scribuntur, quibus nihil vanius.

Libris authentieis, id est autoritate plenis.

Ptolomæus rex Ægypti. Hic unius Dei cultor exstiterat, edoctus ab Aristæo philosopho Platonico. Dicunt ergo Judæi ideo LXX tacuisse mysterium sanctæ Trinitatis,ne Ptolomæus,qui unius Dei cultor crat, deprehenderet divinitatem Patris et Filii; et ideo non errando, *sed prudenti consilio hoc fecerunt*

Nescio quis primus auctor construxerit mendacio suo septuaginta cellulas Alexandriæ. Alexandria metropolis est Ægypti. Refert autem Josephus quod Ptolomæus rex miserit nuntios cum magnis muneribus ad sacerdotem Judæorum,et rogaverit eum ut libros divinarum Scripturarum faceret transferri de Hebræo in Græcum, quia ipse Græcus crat, et Hebræam linguam ignorabat. Tunc ille misit ei LXX A viros peritissimos. Qui venientes Alexandriam in una basilica congregati,transtulerunt Scripturas de Hebræo in Græcum, conferentes ad invicem. Sed illi qui LXX nimium venerabantur, confixerunt per singulas cellas divisos fuisse, et Spiritu sancto dictante eadem scriptitasse.

Yllepictec (*a*),id est *protector fidelis*, qui protegebat Ptolomæum sapientīæ suæ scuto.

Nisi forte putandus est Tullius œconomicum, id est dispensatorium, quia œconomos diciter *dispensator* : quem librum transtulit Tullius de Græco in Latinum, non tamen prophetavit, quia interpres, non vates fuit.

Platonis Pythagoram [*Protagoram*]. Plato scripsit librum quem Pythagoram appellavit,quia ad Pythagoram philosophum et amicum suum scripsit.Hunc B translulit similiter Tullius.

Et Demosthenis pro Ctesiphonte(*b*).Demosthenes Græcus rhetor fuit, qui scripsit librum pro Ctesiphonte, eo quod ante Ctesiphontem eum scripserit.

Historia. Historia dicitur *apo tu historin*, id est a videndo. Distat inter historias et annales,quia historiæ sunt earum rerum quas videmus vel videre possumus,annales vero earum quas non videmus.

Inter spiritalia charismata, id est dona vel gratiam Spiritus sancti.

In Apostolo, videlicet Paulo, ubi commemorat dona Spiritus,dicens : *Quosdam quidem dicit apostolos,alios prophetas*, etc. In quibus charismatibus ultimum pene gradum interpretes tenuerunt; et hoc in ejusdem Pauli apostoli Epostola reperitur,ubi dicit : C *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ*, etc. usque dum concludit dicens : *Alii genera linguarum, alii intepretatio sermonum.*

Et emendatiora sunt exemplaria Latina quam Græca, Græca quam Hebræa. Unaquæque enim (*c*) res, quo frequentius transfertur, eo firmius emendabitur.

(*a*) *Ita cod.*
(*b*) Ambo cod., *Prothesiphontem*, hic et infra.

(*c*) In cod. Garst. deest *enim*.

INCIPIT TEXTUS BRESITH*.

CAPUT PRIMUM.

Vers.1.*In principio creavit Deus cœlum et terram.* Auctor hujus operis, sicut sancti doctores tradunt, cognoscitur fuisse Moyses qui per revelationem Dei mundi creationem cognovit, qui tamen more Scripturæ de se quasi de alio loquitur.In principio hujus voluminis philosophi confutantur,qui de mundi creatione conati disputare, sicut Plato, qui tria dixit esse principia, Deum videlicet, exemplar et materiam,et Deum non quasi auctorem ex nihilo cuncta creasse,sed quasi opifici in rebus creandis materiam adjutorium præstitisse. Aristoles autem duo dixi D esse principia,materiam scilicet et speciem,tertium quiddam nescio quid volens dicere operatorium appellavit.Quorum erroribus obvians Moyses utpote a Deo electus veritatem dicitur demonstrasse, ostendens Deum cuncta simul ex nihilo formasse, non quidem in tempore,sed in initio temporis dicens : *In principio*, et subauditur : *temporis*, patet procul dubio tunc tempus cœpisse quod antea minime erat.

Creavit enim *cœlum et teram*. Cœlum non istud visibile firmamentum accipere debemus, sed illud empyreum, id est igneum, vel intellectuale cœlum

(*a*) Hic titulus ibidem desideratur.

quod non ab ardore, sed a splendore igneum dicitur, quod statim repletum est angelicis spiritibus de quibus in Job dicitur : *Cum me laudarent simul astra matutina et jubilarent omnes filii Dei* (*Job.* XXXVIII, 7). Et nota tria hic elementa commemorari. Nomine enim cœli aerem collige, nomine terræ ipsam terram, et ignem qui in ejus visceribus latet. Quarti vero elementi, id est aquæ, in sequentibus fit commemoratio.

Vers. 2. *Terru autem inanis et vacua.* Id est, inutilis, infructuosa et incomposita. Omnia enim elementa commista erant et confusa, et totum hoc aeris spatium quod est a terra usque ad cœlum plenum erat aquis, quæ tamen non erant ejusmodi qualitatis cujus nunc sunt, sed in modum nubium tenues, quam qualitatem adhuc illæ supercœlestes aquæ retinent. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Sicut mens vel sapientia alicujus artificis superfertur operi quod facturus est, ut quomodo vult ita illud faciat : ita et Spiritus sanctus superferebatur, præordinans et quasi disponens quid, qualiter facere vellet.

Vers. 3. *Dixit Deus.* Non voce carnea, nec motu labiorum, sed *dixit*, id est, voluit. Velle enim ejus dicere est. Unde scriptum est : *Dixit, et facta sunt* (*Psalm.* CXLVIII, 5). Vel etiam *dixit*, id est, Filium genuit per quem omnia facta sunt. *Fiat lux.* Lux dicitur a luendo, id est a purgando tenebras. Lux autem illa non ejusmodi erat quæ nunc est sole superposito, sed qualis esse solet vel ante solis ortum, vel post ejus occubitum.

Vers. 4. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona.* Non quod tunc primo viderit in cujus præsentia semper hoc fuit : sed *vidit*, id est nobis videri voluit lucem esse bonam. *Et divisit lucem a tenebris.* Tenebræ a tenendo dictæ sunt, quia tenent oculos ne videant. Utrumque autem fecit Deus et lucem et tenebras, scilicet ut in luce operarentur homines, et in nocte requiescerent. Ergo et tenebræ opus Dei sunt. Unde in hymno trium puerorum in quo omnis creatura ad benedicendum Deum invitatur, etiam tenebræ cum luce ponuntur. Allegorice quod dictum est : *in principio fecit Deus cœlum et terram*, nomine principii Filium Dei non incongrue possumus accipere, sicut ipse de se Judæis dixit : *ego principium qui et loquor vobis Joan.* (VIII, 28). Deum enim Pater principium est, sed non de principio, quia a Patre non factus nec creatus, sed genitus est : per quod principium Deus Pater cœlum et terram creavit, id est cœlestes et terrenos. Per cœlum enim cœlestes sive cœlestem vitam ducentes : per terram vero terrenis negotiis inhiantes signantur. Qui utrique per principium creati sunt, quia nato Jesu Christo patuit qui essent cœlestes, quique terreni. *Terra vero erat inanis et vacua.* Id est, corpus humanum inane a meditatione cœlesti, vacuum a fructu bonæ operationis. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Quia nfidelitatis tenebræ et ignoran tiæ abyssum humani cordis operiebant. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Quia divina præscientia super fluida et infructuosa

A corda hominum ferebatur, prævidens et disponens quorum corda digne posset inhabitare. *Fiat lux.* Lux vocabulo fides accipitur. Bene ergo lux prima die facta est, quia primo mandato legis fides commendatur cum dicitur : Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.

Vers. 5. *Factum est vespere et mane dies unus.* Per *mane* initium fidei : per *vesperam* vero perfectio bonæ operationis intelligitur. Cujus diei mane in vesperam deducitur cum initium fidei completione bonæ operationis perficitur.

Vers. 6. *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Quo scilicet firmamento aquæ superiores divisæ sunt ab aquis inferioribus, et illa pars superior in modum crystallini lapidis congelata est, cætera vero inferior

B in mare redacta est. Et hoc quidem secunda die actum est, cujus diei opera minime *bona* esse dicuntur, sicut cæterorum dierum ubi dicitur : *Vidit Deus, quod esset bonum*, non ideo quod bonum non sit quod factum est, et pulchrum, sed propter binarium numerum, qui est transgressio unitatis et malam habet significationem. Unde et eum sancti Patres discordiæ dedicaverunt. Ipse etiam bigamiam significat. In ejus etiam significatione bina animalia de immundis missa sunt in arcam.

Vers. 11. *Germinet terra herbam virentem et lignum pomiferum.* Omnia perfecta a Deo cognita sunt. Unde homo in perfecta ætate creatus est, et arbores cum foliis suis simul et fructu. Hinc et lignum pomiferum dicit *habens unumquodque semen-*

C *tem.* Hæc sementis est frugum et arborum : semen vero hominum, et animalium seminium vel sementum exordium cujuscunque rei.

Vers. 14. *Fiant luminaria in firmamento cœli.* Luminaria solem, et lunam, et cæteras stellas accipimus. Verum sol et luna et septem planetæ non sunt in firmamento positæ sed in æthere pendent : ideo in firmamento positæ, dicuntur. *Et dividant diem ac noctem.* Sol diei præest, luna nocti. *Sint in signa.* Hoc, vel propter terminum Paschalem dicitur, quia luna signum est Paschalis termini qui non nisi post quatuordecimam lunam celebratur, vel quia sidera signa sunt navigatibus per mare vel iter agentibus per Libyam ubi vestigium itineris ad motum venti dissipatur. Luna apud Hæbræos tribus nominibus nuncupatur, Lare, Lavana, Mavors. *Lara*

D vocatur a numero dierum mensis : *Lavana* a candiditate : *Mavors* a defectu, quia deficit singulis mensibus.

Vers. 20, 21. *Reptile animæ viventis.* Reptilia pisces hoc loco accipe. *Mutabilem animam* [Vulg., *motabilem an.*] dicit animalium ad comparationem hominis. Quia licet mortalis sit homo ad comparationem Dei, tamen immortalis est ad comparationem cæterorum animalinm, qua parte imaginem Dei retinet.

Vers. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Cum cætera jubendo fecerit, quasi maximam rem facturus Deus et cunctis quæ

fecerat præferendam, quasi quodam concilio dicit : *Faciamus*. Quod licet quidam ad angelos referendum dicant, melius tamen ad sanctam Trinitatem refertur.

Vers. 37. *Ad imaginem et similitudinem suam. Imago* dicta quasi imitago. Distat inter imaginem et similitudinem. Imago est in ratione et in immortalitate: similitudo vero in morum sanctitate et justificatione. Similitudinem itaque peccando perdidit : imaginem non amisit, Nec audiendi sunt qui dicunt hominem in corpore Dei imaginem habere. Hanc enim potius cum animalibus communem habemus, quia, quomodo ea quinque sensus corporis habent, ita et nos. In anima quippe imaginem Dei habemus. Quod Deus in majori mundo, hoc anima in corpore nostro, operatur. Unde et microcosmos Græce vocatur, id est minor mundus. Deus enim extra mundum positus non excluditur, intra mundum includitur, et præsidendo sustentat, et sustentando præsidet, et circumdando implet, et implendo circumdat. Sic et anima nec extra corpus posita excluditur a corpore, nec intra corpus includitur, sed ubique tota, ubique integra. *Masculum et feminam.* Non utrique uno tempore facti sunt per speciem, sed in præsentia Dei cuncta simul facta esse dicuntur. Unde est illud : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII, 1). Mystice firmamentum sanctam significat Scripturam, sicut in ejus significatione in Apocalypsi dicitur *: et cœlum recessit sicut liber involutus* (*Apoc.* VI, 14) : aquæ multæ populi sunt. Tunc ergo firmamentum in medio aquarum factum est quando Scriptura divina populis innotuit. Aquæ quidem super firmamentum significant angelicas catervas quæ bene super firmamentum esse dicuntur, quia, Deum semper præ oculis habentes, non indigent legali institutione neque evangelicis præceptis. Quæ vero sub firmamento sunt aquæ, homines significant qui divinis edocentur præceptis, sine quibus ad cœleste regnum pervenire nequeunt.

Tertia die congregatæ sunt aquæ in locum unum et apparuit arida. Per aridam significantur corda electorum sitientia aquam baptismatis et fontem doctrinæ cœlestis. Collectis ergo aquis in unum, id est reprobis separatis a justis, apparuerunt sancti, divisi ab amaritudine infidelitatis et inconcussa fidei firmitate roborati.

Quarta die facta sunt luminaria in firmamento. Per firmamentum, sicut diximus, sacra Scriptura non inconvenienter accipitur : per luminaria vero evangelistas, doctores et prædicatores intelligimus, qui illuminati Spiritus sancti gratia alios ad lucem fidei sua prædicatione convertunt. Qualibus per Petrum [Paulum] dicitur : *In medio nationis pravæ et perversæ inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes* (*Philip.* II, 15, 16). Bene autem luminaria in firmamento posita vel constituta, illi semper inhæreant : quia doctores debent contemplari et cohærere sacrosanctæ Scripturæ. Quod apte præfigurabant vectes illi qui in quatuor arcæ circulis positi nunquam inde abstrahebantur (*Exod.* XXXV). Per quatuor quippe circulos, totidem Evangeliorum volumina præfigurantur : per vectes, doctores, in quorum cordibus portatur arca, id est lex divina. Nunquam ergo vectes a circulis arcæ auferebantur : quia prædicatores doctores nunquam habere debent vacuam meditationem legis Dei.

Quinta die produxerunt aquæ reptile animæ viventis Per hæc animalia, quæ ex aquis sunt formata et vivunt in aquis, signatur ordo baptizatorum, qui velut pisces, sine aquis baptismatis Christi vivere nequeunt. *Volatile* nihilominus typum retinet sanctorum, qui penna virtutum et contemplationis ad cœlestia festinare contendunt.

Per jumenta, quæ sexta die creata sunt, doctores nc quilibet ecclesiastici viri exprimuntur, qui minus valentes adjumento suæ prædicationis in fidei firmitate corroborant. *Bestiæ* vero præsignant potentes vel superbos qui, more bestiarum, in quoscunque suæ crudelitatis sævitiam exhibent. Per *serpentes*, qui hoc in loco in bonum accipiuntur, sancti designantur prudentes et astuti caventes dolos diaboli, quibus Dominus dicit : *Estote prudentes sicut serpentes* (*Matth.* X, 15).

Hac ipsa die factus est homo, id est, Christus per Virginem natus est secundus Adam, qui primi hominis peccata tolleret.

Possunt tamen hæc sex dierum opera ad totidem sæculi ætates referri. Prima itaque die fecit Deus lucem. Hac ipsa ætate creavit hominem rationabilem ad similitudinem suam. Quasi enim homo lux vocatur ad comparationem animalium irrationabilium, de quo dicitur : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem* (*Joan.*, I, 9). Divisit lucem a tenebris in hac die*:* quia hac ætate filii Dei, id est, filii Seth separati sunt ab impia generatione Cain, cujus vespera fuit multiplicata iniquitas hominum ideo ut induceret Deus diluvium.

Secunda die factum est firmamentum : quia hac ætatate arca in diluvio enatavit, et omni genere hominum damnato, solæ octo animæ in ea salvatæ sunt : cujus vespera superbia fuit præsumptio, quia homines voluerunt ædificare turrim, et linguarum confusio facta est.

Tertia die congregatæ sunt aquæ : quia hac ætate separatus est populus Dei per Abraham a cæteris nationibus, et illis congregatis vel conclusis in amaritudine et volumine peccatorum, isti in cultu unius Dei solidati sunt, ut herbam virentem virtutum germinarent et fructum bonorum operum proferrent *:* cujus vespera fuit in perditione Saulis et Jonathæ in monte Gelboe quando ab Allophylis interfecti sunt.

Quarta die facta sunt luminaria : quia quarta ætate dignitas regia splenduit in David, et in Salomone et in cæteris regibus et prophetis qui maxime hac ætate floruerunt. Hujus vespera fuit in

Sedechia quem rex Babylonis multavit oculis,eversa Jerusalem et destructo templo,transtulit in Babylonem.

Quinta die ex aquis producta sunt animalia : quia hac ætate populus Judæorum inter gentes velut in aquis captivus versabatur,et tamen a cultu Dei non recedebat. Multum etiam jam sancti quasi aves per contemplationem ad cœlestia sublevabantur,sicut Jeremias, Ezechiel, Neemias, etc. Cujus vespera fuit infidelitas et maximum peccatum eorum qui Christum sibi repromissum videntes recipere noluerunt.

Sexta die homo factus est. Hac ætate natus est Christus per virginem. Qui prælatus est bestiis terræ et piscibus maris et volatilibus cœli : quia omnes gentes jugo fidei suæ subjecit. Cujus ætatis vespera finis erit sæculi.

Septima die requievit Deus :quia septima ætas est animarum requiescentium in Christo et exspectantium generalem corporum resurrectionem.

CAPUT II.

Vers. 4. *Istæ generationes cœli et terræ*. Recapitulatio est creaturæ Dei. Generationes cœli et terræ appellat ornatus eorum.Ornatus cœli sunt angeli et sidera : ornatus terræ homines et jumenta ; arborum et florum varietates. *In die*. Id est in tempore. Diem hic posuit pro tempore sicut Apostolus: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis ! Hoc in loco evanescit error philosophorum : qui dixerunt mundum Deo esse coæternum,vel etiamsi a Deo et sine initio factus est,eum tamen ex materia non a Deo creatum constare dixerunt, quod tamen utrumque effluit,cum dicitur : *In die fecit cœlum et terram*. Cum enim dicit *: in die*, ostendit eum non esse coæternum Deo.Cum vero addit : *fecit cœlum et terram*, mundum a Deo conditum manifestat. Si vero diem pro una die acceperimus positam,secundum illum sensum intelligendum est quem propheta dicit : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli*. XVIII, 1). Juxta quem intellectum B. Gregorius dicit :«Rerum natura per substantiam simul creata est, sed per speciem simul creata non est. »

Vers. 5. *Omne virgultum, antequam oriretur, et omnem herbam, antequam germinaret*. Quod dicit : *antequam germinaret* aut *oriretur*, patet profecto non eo modo,quo nunc arbusta et herbæ ex semine vel ex radice proferuntur, aut humana industria proveniunt,tunc procreata esse,sed subito ad nutum et jussionem Dei erupisse cum foliis et fructu omnique perfectione. *Non pluerat super terram*.Hoc ad superiora refertur. Non pluerat quidem ut ex provectu scilicet pluviarum nascerentur frutices et herbæ.Quomodo et enim plueret,cum omne spatium aeris plenum esset aquis tenuissimis in modum nebulæ,sicut jam supra dictum est ? sed ex quo aquæ illæ collectæ sunt in unum,et apparuit arida,usque ad diluvium pluviæ minime leguntur fuisse.

Vers. 6. *Sed fons ascendens e terra universam ejus superficiem irrigabat*. Fons autem ille, vel per occultos meatus terræ decurrens ascendebat ad irrigandam terræ superficiem, more Nili fluminis qui alvei sui metas progrediens irrigat plana Ægypti: vel etiam irrigans universam superficiem terræ, non quo omnem terræ superficiem operiret,sed rivatim more fluminum per diversa loca dirivaretur. Vel quod melius placet more sacræ Scripturæ,singularem posuit pro plurali, vel fontem pro fontibus, sicut muscam pro muscis, ranam pro ranis, Aut etiam fontem propter universitatem omnium aquarum quæ simul sunt et quasi unus fons in matrice abysso.

Vers. 7. *Formavit Deus hominem*.Cavenda est hic paupertas intellectus humani ut cogitemus Deum manibus operatum fuisse hominem et labiis carneis locutum,aut tale aliquid,quod nefas est de Deo cogitari. Deus enim spiritus est,et ideo non distinguitur membris nec gravatur mole corporis, ut de illo aliquid carneum cogitemus vel intelligamus. Sed quod dicit : *formavit* hominem ex limo, id est volendo et jubendo extra produxit. *Et inspiravit*.Quod dicit : *spiravit*, non intelligendum est, quod hunc corpulentum aerem homini sufflaverit vel immiserit sed *inspiravit*, id est, animavit eum vita rationali, quod in sequentibus *spiraculum vitæ* appellavit. Ad comparationem enim cæterorum animalium quorum animæ moriuntur,homo rationalem animam sortitus est.Unde et Græci differentiam facientes animalium quæ tantum sine ratione vivunt zoa vocant,quia zoe vita dicitur : quæ vero rationis participantur psychica(*a*),quia psyche anima.In faciem autem hominis spirasse (dicitur), quia in capite maxime omnes sensus vigent,horum uno, id est tactu, per omne corpus diffuso.

Vers. 8. *Plantaverat paradisum voluptatis a principio*. Id est hortum voluptatis. Græce enim paradisus *hortus*. Hebraice *Eden* vocatur. *A principio*, id est in initio,remotis aquis a superficie terræ et in unum collectis.Ubi autem nos habemus : *Paradisum a principio*, quidam codices habent ; *Eden ad ortum* ex quo possumus conjicere paradisum in Oriente situm. In quacunque autem orbis parte sit,scimus eum terrenum esse,et interjecto Oceano et montibus oppositis a nostro orbe longe remotissimum. Est enim in altissimo loco situs pertingens usque ad lunarem circulum. Unde et illuc aquæ diluvii minime pervenisse dicuntur. *In quo posuit hominem*, Ex quo quod, positus in paradisum homo dicitur, datur intelligi non ibi fuisse conditum, sed in hac nostra mortali terra,quia, divina præscientia,illum peccaturum et ob hoc ab illa sancta terra in hanc convallem miseriæ propellendum.

Vers. 9.— *Produxitque de humo*.Subauditur paradisi. *Lignum vitæ* et reliqua. Lignum vitæ species arboris fuit ita vocato,quod naturaliter hanc virtu-

(*a*) Cod. Garst. *Yki Psiche*. Cop Teg.*partic. Psiche quia*, etc.

tem sortitum est, ut si quis ex eo fructum comederet perpetua soliditate firmaretur et beata immortalitate vestiretur, nullis deinceps infirmitatibus vel anxietatibus deprimendus, nulla senii lassitudine vel imbecillitate deterendus. *Lignum autem scientiæ boni et mali* nullius arboris certa species credenda est, sed in posterum ventura nomen ejus inditum fuit ex qualitase scilicet obedientiæ vel inobedientiæ, quæ obedienti scientia boni existeret : inobedientia vero, mali ac per hoc peccati nervum incurrenti scientia mali fieret. Obedientia autem sola virtus est quæ hominem Deo conciliat, sicut e contra tumor, id est inobedientia, longe a Deo separat. Quid enim aliud est inobedientia quam nolle subdi Deo, sed suæ velle esse potestatis ?

Vers. 10. *Et fluvius egrediebatur, qui dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison.* Qui interpretatur *oris mutatio*, qui exiens de paradiso et in nostrum orbem discurrens pulchritudinem et amœnitatem suæ mutat speciei. Ipse est enim Ganges. *Qui circuit omnem terram Evilath.* Id est, Indiæ trahens aureas arenas. *Evilath* pars est Indiæ, dicta ab Evilah filio Jectan filii Heber, a quo Hebræi dicti sunt. Habent autem hæc flumina certos ortus. Phison autem in Caucaso monte oritur : *Geon* juxta Atlantem Mauritaniæ : Tygris et Ephrates in Armenia.

Vers. 12. *Ibique invenitur bdellium. Bdellium* enim arbor est aromatica magnitudine olivæ, folio roboris, odore caprifici, ejus lacryma vel gummi est lucida et subalba veluti man. Unde in Exodo dicitur: *Erat autem man quasi semen coriandri albi, colorem habens bdellii* (*Exod.* XVI, 31). *Et lapis onychinus.* Onyches Græce *unguis*. Hinc *Onychius lapis* albis maculis intertinctus ad similitudinem humani unguis.

Geon ipse est Nilus qui per Mauritaniam currit. Interpretatur autem *præruptus* vel *præruptio*, qui ex altissimis rupibus (*a*) præcipitatus adeo validum sonum reddit ut incolas suos surditate damnet. Locus autem a quo elabitur, Cataduppa vocatur.

Tygris per Armeniam currit. Et dicitur Tygris a bestia velocissima quam imitatur velocitate sua.

Euphrates interpretatur *frugifer*, eo quod terram quam præterlabitur frugiferam reddat.

Allegorice autem paradisus præsentem significat Ecclesiam, quæ recte hortus deliciarum dicitur, dum nobis in ea spiritales deliciæ administrantur. *Lignum vitæ in medio paradisi* Christus est in medio Ecclesiæ, de quo per quemdam sapientem dicitur : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eum* (*Prov.* III, 18). Ipse est etiam fons, qui de Patris substantia descendens ad irrigandam suam Ecclesiam sanctam venit. De quo per prophetam Zachariam dicitur : *Erit fons patens domui David in oblationem peccatoris et menstruatæ* (*Zach.* XIII, 1). Domus David sancta est Ecclesia, cui, id est, ad cujus salutem *patet fons*, id est Christus, in *ablutionem peccatoris*. Peccator est qui

A malum quod mente cogitat operibus exsequitur. Menstruata est quæ alienam carnem non tangit, sed propria fœdatur. Significat peccatricem animam quæ malum quod cogitat nequaquam effectu explet. Unde non extrinsecus quasi aliena carne fœdatur, sed intrinsecus velut propria carne suis cogitationibus inquinatur. A quo uno et singulari fonte *quatuor flumina* emergunt, id est, ab ipso procedit doctrina quatuor Evangeliorum, vel quatuor virtutes quibus præpollet Ecclesia.

Vers. 15. *Posuit hominem in paradiso, ut operaretur et custodiret.* Opus illud non ad laborem vel lassitudinem fuit, sed potius ad delectationem : sicut videmus plerumque homines quibusdam operibus delectari, a quibus si interdicantur non modice contristantur. *Et custodiret illum.* Non a furibus, quia
B tunc temporis nulli erant, sed sibi custodiret ut in eo delectaretur.

Vers. 17. *Morte morieris.* Non de morte corporis dicit, sed de morte animæ. Non enim statim ut comedit mortuus est corpore, sed in anima per peccatum. Sed propter mortem animæ, id est peccatum, subsecuta est postea suo tempore mors corporis, id est pœna peccati.

Vers. 18. *Faciamus ei adjutorium.* Id est, feminam ad procreandas herbas et arbusta, non autem ut illa filiorum procreatio talis esset qualis nunc est, scilicet ut ubi filii mortuis parentibus succederent, sed potius ut parentes videntes filios ex se natos lætarentur, et cum illis diu feliciter vivendo exspectarent illum beatum statum et vitam angelicam, ad
C quam transferendi erant finito sæculo non per mortem, sed per quamdam divinæ imitationem virtutis. Impleto namque omnium electorum numero, ubi nullus reprobus nasceretur, gustarent omnes de ligno vitæ, et sic ab isto medio statu transferrentur in illum beatum statum ubi jam nec velint nec possint peccare.

Vers. 19. *Formatis igitur*, etc. Superius ex aquis volatilia progenita dictum est. Nunc vero dicit e terra simul cæteris animantibus esse formata : quod duplici modo solvi potest, ut vel subaudiendum relinquatur, cum dicit : formatis de humo animantibus terræ et volatilibus cœli, subaudis, de aqua formatis : vel universaliter terræ nomine comprehendantur et aquæ quæ in terra sunt, sicut et in psalmo
D Propheta simul cum terra comprehendit etiam quæ in aere et in aquis constant, dicens : *Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum* (*Psal.* CXLVIII, 7, 8), etc. — *Et adduxit eam ad Adam.* Non sicut pastor minans gregem suum, sed *adduxit*, id est nutu suæ dispositionis venire fecit, sicut et in diluvio ex universis amantibus in arcam congregari fecit. *Omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus.* Hebraice Adam rebus omnibus nomina imposuit. Sed facta divisione linguarum, singulæ gentes secundum pro-

(*a*) In cod. Garst. deest *rupibus*.

prietatem et placitum suum universa vocitaret. Ideo autem Dominus cuncta animantia venire fecit ad Adam, ut ex suo arbitrio eis nomina imponeret, ut per hoc cognosceret quia charior et dignior aliis rebus haberetur cui talis potestas a Domino concedebatur.

Mystice Adam Christum significat, qui de sinu paternæ majestatis descendens hominibus visendus apparuit. Qui universæ creaturæ, id est hominibus, quos regenerando in novam transtulit creaturam, nomen imposuit, quia eos ex suo nomine Christianos vocari voluit, sicut per prophetam dictum est : *Servos suos vocabit nomine alio* (*Isa.* LXV, 15).

Vers. 21. *Immisit Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus.* Nunquid vigilante Adam sine dolore Dominus costam ejus auferre non potuit quam eo dormiente abstulisse dicitur? Potuit utique. Sed hoc in mysterio potius fuisse credendum est, ut in principio mundi præfiguraretur sacramentum Dominicæ passionis quod suo tempore, id est, in novissima sæculi ætate futurum erat. Nam dormitio Adæ mortem Christi significat in cruce. Quo in cruce pendente, mysteria sanguinis et aquæ de ejus latere profluxerunt, quibus sancta constat Ecclesia et unde roboratur. Unde et bene dicit : non formavit costam, sed *ædificavit* ; quasi domum Ecclesiæ præsignans quæ ex vivis et electis lapidibus ædificatur. Et quod superius dixit breviter : *Masculum et feminam creavit eos*, nunc apertius exponit quomodo ipsam feminam creaverit :

Vers. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Adam videns mulierem sibi simillimam ex omnibus creaturis recognovit eam ex suæ carnis substantia formatam, vel etiam, ut B. Augustinus dicit, factus Adam in exstasi mentis et prophetiæ spiritu afflatus scivit costam sibi subductam et mulierem formatam. *Vocabitur virago.* — *Virago* a *viro* est dicta, sicut et in Hebræis *is*, *vir* dicitur, et deinde *issa* derivatum, id est *mulier*. Ex hoc *Israel* etiam compositum est.

Vers. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem.* Hunc locum exponens Apostolus dicit : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Eph.* v, 32). *Homo* Christus intelligitur propter assumptam humanitatem. Qui dereliquit *Patrem*, quando de sinu paterno descendens novus homo mundo visibilis apparuit, non descrendo Patrem, cum quo semper in divinitate inseparabiliter mansit. Dereliquit *matrem*, id est, Synagogam, de qua et carnem assumpsit. *Adhæsit uxori suæ*, id est, conjunxit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. *Et factæ sunt duo in carne una*, id est, Christus qui caput, et membra ipsius, id est Ecclesia, sicut ipse Patrem orat pro primitiva sua Ecclesia, id est apostolis suis, dicens : *Volo ut sint unum sicut et nos unum sumus* (*Joan.* XVII, 21).

Vers. 25. *Erat uterque nudus, et non erubescebant.* Quæ causa erubescentiæ esset in illis quos nullus motus inhonestus, nulla carnis titillatio ugebat? Nisi enim homo peccasset, nunquam voluptatis ardore [illegible] Sed sicut nos oculum hac illac sine læsione aliqua vel petulantia volvimus, vel sicut digitum protendimus, ita membris genitalibus non ad delectationem, sed ad gignendam prolem uteremur. Bene ergo dicitur : *Non erubescebant* quod nudi essent, qui melius veste innocentiæ et immortalitatis jucunditate vestiebantur.

CAPUT III.

Vers. 1. *Sed et serpens erat callidior.* Sive *sapientior*, sicut Theodotion dicit, non quidem per sui naturam, utpote qui animam rationalem non habet quæ capax est sapientiæ, sed quia plenus erat dæmoniaco spiritu, quod scilicet veluti quodam organo ipse spiritus nequam utebatur. Ergo illa calliditas vel sapientia non erat serpentis, sed dæmonis qui per serpentem loquebatur, sicut solent loqui per energumenos vel fanaticos et vates dæmoniorum : ipse vero serpens ea quæ loquebatur ignorabat, sicut energumeni ea quæ per illos malignus spiritus vel hostis loquitur ignorant. Proprium est maligni spiritus, ut, quemcunque invaserit, ita eum pondere suæ infestationis deprimat, ut intellectum omnem et rationem ab eo auferat, et horum quæ loquitur penitus expertem reddat. E contra Spiritus sanctus quoscunque sua dignatione idoneos fecerit et sui gratia repleverit, videntes, hoc est intelligentes faciat, ut non modo præsentia, verum etiam futura per Spiritum cognoscant. Unde et Apostolus dicit : *Spiritus prophetarum prophetis subjectus est* (*I Cor.* XIV, 32). — *Cur præcepit vobis Deus?* et reliqua Callidus hostis ob hoc mulierem interrogat, ne post prævaricationem aliquam reatus sui excusationem habere posset. Fortassis enim dicere posset : Oblita enim mandatorum Dei, et ideo deliqui. Quam omnimodis excusationem amovens mandata Dei repetendo inculcat et ad memoriam reducit.

Vers. 4. *Nequaquam moriemini.* Dolose hortatur diabolus hominem ad contemptum præcepti Dei, ut nollet subdi Deo, sed magis suæ esse potestatis.

Vers. 5. *Scit enim Deus, quod, in quacunque die comederitis ex eo, eritis sicut dii.* Quærunt multi : Si Deus prævidebat hominem posse decipi, cur permisit eum tentari ? Sed, ut beatus Augustinus dicit, non magnæ laudis esset, si bene in paradiso viveret nullo persuadente. Ut enim Apostolus dicit, *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*II Timoth.* II, 5). Et certe liberum habebat arbitrium, ut, si voluisset, resisteret tentatori. Quod si fecisset, digne utique remuneraretur. Artificiali et arguta quidem machinatione diabolus suæ persuasionis dolos composuit dicens : *Eritis sicut dii*, ut, si per inobedientiæ contemptum hominem subvertere nequiret, saltem in hoc quod fidem in eo corrumperet et eum ad idololatriam suaderet, victorem se gloriaretur. Si autem ad inobedientiam et comtemptum Dei illum seduxisset, in utroque victor existeret.

Vers. 6. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum.* Hic aperte ostenditur mulier inexcusabilis esse. Licuit enim ei sub tali delibera-

tione dolos advertere inimici. Consideravit enim pulchritudinem ligni et quia suave esset ad manducandum. *Dedit viro suo.* Non quidem dicitur, quod suaserit ei ut manducaret, sed in hoc quod dicitur: *dedit*, intelligitur quia suasit ad comedendum, quanquam non esset opus ut suaderet, quia cum vidit eam comedisse et minime mori, ipse quoque securus comedit.

Vers. 7. *Et aperti sunt oculi eorum.* Quare dictum est, *aperti sunt oculi?* Nunquidnam Deus eos in paradisum non videntes constituerat? Non utique. Sed aperti sunt oculi eorum ad concupiscentiam et cognitionem bestialis motus quem prius in se minime cognoverunt. Est enim quoddam genus cæcitatis quod Græce *aorasia*, id est *avidentia* dicitur, qua quædam videntur, quædam vero non. Qua cæcitate tenebantur illi duo discipuli cum Domino pergentes in Emmaus, de quibus dicitur: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent* (*Luc.* XXIV, 16). — *Cumque cognovissent se esse nudos.* Cognoverunt se esse nudos in hoc quod bestialem motum senserunt quem antea non senserunt. Unde et ad ficum configerunt, quia fortassis, ut beatus Augustinus dicit, hanc arborem primam post prævaricationem repererunt, *et ex foliis* ejus *fecerunt sibi perizomata*, id est succinctoria sive bracas; et apposuerunt sibi in membris genitalibus, circa lumbos videlicet in quibus sementiva vis esse dignoscitur. Congrue autem ex foliis fici fecisse sibi perizomata dicuntur, quæ pruritum quemdam in se habere noscuntur. Significat autem pruritum carnis et incentivæ libidinis ardorem, de qua beatus Ambrosius dicit: « Beati, qui ligant equos suos ad vitem olivæ, ad arborem lætitiæ et pacis, non ad ficum, quæ est humilis ad altitunem, mollis ad laborem, sterilis ad fructum. »

Vers. 8. *Et cum audissent vocem Domini Dei.* Deus primo homini per subjectam creaturam, id est, per angelum sub humana specie apparentem loquebatur: unde et vocem Domini audisse dicitur. Nec vacat, quod *post meridiem* eamdem vocem percepisse dicitur quando jam dies a calore suo frigescit: quia jam in eo fervor charitatis et lux veritatis defecerat. Unde nona hora spiritum emisit, qui sextæ hora fuerat crucifixus. Et recte hoc ordine actum est, ut qua hora homo de paradiso ejectus est eadem illuc restitueretur.

Vers. 10. *Audivi vocem tuam et abscondi me.* Sicut amens et nimio timore perterritus. Abscondit autem se non ut ejus scelera Dominus non videret, sed ut se indignum factum ejus aspectui ostenderet. Duplici autem verecundia arctabantur: vel quia illum obscenum motum in membris suis sentiebant quem antea nunquam experti fuerant, vel quia intelligebant ob transgressionem Dei præcepti hoc sibi contigisse. *Adam ubi es?* Non quasi nescius interrogavit quem nihil latere potest, sed miseriam prævaricationis illi exprimit, cum dicit: *Adam, ubi es?* Id est quam miser effectus es! Qui immortalis conditus fueras, mortis damno teneris, et innocentiæ beatitu-

A dine privaris. Vel, sicut B. Gregorius dicit, interrogatur a Domino, non ut Deus disceret quod ignorabat, sed ut ad humilitatem confessionis illum provocaret ut quod prævaricando deliquerat confitendo deleret. Sed ille peccatum suum in alium retorquere voluit, dicens:

Vers. 12. *Mulier, quam dedisti.* Quasi in hoc Deum infamaret, qui ei dederat per quam deceptus fuerat. Similiter et mulier interrogata in serpentem reflexit culpam, dicens: *Serpens decepit me.* Quo morbo laborat usque hodie humanum genus. Denique serpens non interrogatur, quia diabolus, qui per serpentem locutus fuerat, irrecuperabiliter deliquerat. Et bene Adam primo interrogatur cui præceptum dederat Deus, quod præceptum per virum venit ad mulierem: sicut e contra per serpentem peccatum venit

B ad mulierem, et per mulierem ad virum.

Vers. 14. *Et ait Dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia.* Quod serpenti dicitur ad diabolum est referendum. *Supra pectus tuum gradieris.* Diabolus supra pectus graditur, quia dolos et insidias portans in pectore homines decipere conatur. Unde et merito *serpens* vocatur, quia occulte serpit. *Terram comedit*, quia terrenis operibus pascitur et delectatur.

Vers. 15. *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum. Mulierem.* hic Ecclesiam dicit, cui diabolus contrarius est *Semen* vero *mulieris* bona opera sunt Ecclesiæ, *semen serpentis* opera omnis iniquitatis. Hæc est enim mulierilla, de qua Joannes in Apocalipsi dicit, quod eam draco persequeretur,

C volens eam devorare, postquam etiam fluvium ex ore suo emisit (*Apoc.* XII. 13), quia persecutionem gentium contra Ecclesiam suscitavit. *Ipsa conteret caput tuum.* Id est, Ecclesia *conteret caput tuum*, id est, initium malæ voluntatis. antequam ad opus prorumpat. Unde et in psalmo *beatus* dicitur qui *parvulas Babylonis tenuerit, et ad petram alliserit* (*Psal.* CXXXVI, 9). Parvuli Babylonis est initium peccati et origo malæ voluntatis. Hi sunt parvuli *confusionis* qui, antequam proficiant, allidendi sunt ad petram, id est Christum.

Vers. 16. *Et tu insidiaberis calcaneo ejus.* In *calcaneo* finis est corporis. *Calcaneo* ergo diabolus *insidiatur*. quia maxime in fine vult homines decipere. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas*

D *tuas, in dolore paries filios.* Quia illa, si non peccasset, sine dolore paritura erat: idcirco post peccatum ei hæc pœna irrogatur, ut in dolore pariat jam filios. *Et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Etiamsi non peccasset, sub potestate viri futura erat. Sed illa subjectio minus pœnalis esset, qui ex dilectione procederet quæ nunc ei pro pœna imponitur ut etiam nolens viro subdatur. Moraliter sub potestate viri mulier constituitur: quia spiritui caro subdenda est, ne repugnet, sed magis obtemperet.

Vers. 17. *Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo.* Terra ma-

redimetur, non ipse Adam, ut videlicet cæteri, propter quos ista scribenda erant, terrerentur ne similia facerent et simili pœna plecterentur. Cain vero, quia primæ prævaricationi parricidium adduxit, ipse maledicetur, cui dictum est: *Maledictus eris super terram* (*Gen.* IV, 11). *Terra tua spinas et tribulos germinabit. Spinæ* vero antea erant, quia inter reliquas arbores et virgulta spinas Deus creavit, sed non ad hoc ut homini laborem inferrent, quæ post peccatum ad laborem et afflictionem humano generi datæ sunt: sicut etiam serpentes et noxia quæque ante peccatum erant innoxia. Mystice *spinas et tribulos terra germinat*: quia caro nostra punctiones et aculeos vitiorum gignere non desistit. Et hoc attendendum quod Adæ extrinsecus pœna imponitur, cum dicitur: *Maledicta terra in opere tuo*; mulieri intrinsecus, cum dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas*, etc., quia mulier seducta decepit virum, ideo gravior ei pœna irrogatur.

Vers. 21. *Fecit Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas.* Pelles ex mortuis animalibus detrahuntur. Per *tunicas* ergo *pelliceas* ostendebatur quia mortales jam facti erant ex immortalibus, et non solum amiserunt beatum statum in quem mutari poterant, si non peccassent, verum etiam ipsam felicem vitam, qua in paradiso beate vivere poterant, perdiderunt. Ipsi quidem fecerunt sibi perizomata, ut peccatum suum Deo absconderent. Deus vero *fecit illis tunicas pelliceas* quibus totum corpus eorum induit, quia in corpore et in anima justo judicio damnavit. In anima quidem propter peccatum prævaricationis. in corpore vero propter pœnam peccati. Stulta vero quæstio est, quis velit requirere qualiter vel quo operante pelles ab animalibus subductæ sint. Qui enim de nihilo condidit omnia Deus, hoc quoque quomodo vel qualiter voluit fecit.

Vers. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est!* Irridendo eorum superbiam replicat Deus verba quæ suasor dixerat in caput damnationis eorum, dicens: *sciens bonum et malum.* Quasi diceret: non solum non potuit Adam pervenire ad id quod petiit, scilicet ut similis Deo fieret, sed etiam id quod erat amisit. Appetiit similis esse Deo, non humiliter imitando Deum, sed superbiendo et ejus dominium respuendo. Quod autem sequitur, *quasi unus ex nobis*, sanctæ Trinitatis mentio inculcatur. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam.* Quod vero dicit: *ne forte mittat manum suam.*, verba Dei sunt. Quod denique sequitur:

Vers. 23. *Ejecit eum de paradiso.* Actus ipse est, et est defectiva locutio irato vel perturbato conveniens, non quod in Deum ullus iræ vel perturbationis motus cadat qui est summæ tranquillitatis, sed more sacræ Scripturæ hoc dictum est, quæ de Deo loquens quæ sunt hominum ipsi Deo attribuit. *Sumat de ligno vitæ et vivat.* Sicut jam diximus, impleto numero electorem gustaturi erant omnes de ligno vitæ, et ad illum statum beatum migraturi. Et, quia se indignum fecerat illo statu, recte custodia ei adhibita est, ne posset ulterius lignum vitæ contingere.

Vers 24. *Collocavit autem ante paradisum voluptatis cherubim et flammeum gladium.* Id est, per ministerium angelicum igneam custodiam constituit *Flammeus glodius* tribulationes et labores significat hujus sæculi, quibus sancti in præsenti vita exercentur; sive per *flammeum gladium* significatur sententia justæ damnationis quæ homini data est. Qui tamen ita damnatus est, ut posset passione Christi redimi. Unde et recte gladius ipse *versatilis* dicitur qui posset aliquando removeri. Remotus est enim Henoch, et Eliæ, et Domino baptizato omnibusque quotidie fidelibus, cum de hac vita ad illam supernam transeunt beatitudinem. Et non dicit: *flammam et gladium*, sed *flammeum gladium*: quia quicunque ad paradisum redire cupiunt, necesse est ut igne Spiritus sancti omnes concupiscentias hujus vitæ exurant, et gladio verbi Dei præcidant quidquid in se noxium et inutile conspexerint. Alia translatio habet: *contra paradisum*; quoniam vehemens contrarietas Adæ contigit. Non enim parvo contraria sunt beatitudo et miseria. Siquidem qui prius beatus, factu est miser, et qui antea immortalis conditus, mortalis effectus est. *Cherubim plenitudo scientiæ* interpretatur Cherubim ergo et flammeus gladius ante paradisum collocatur, ut detur intelligi quia per scientiam disciplinæ cœlestis et per tribulationes et labores vitæ præsentis ad paradisum possumus redire.

CAPUT IV

Vers. 1. *Adam vero cognovit uxorem suam.* In paradiso positus non legitur cognovisse uxorem suam, sed postquam ejectus est de paradiso. Quid enim peccaturus erat et mortales filios generaturus, ideo nullus ex ejus stirpe in paradiso natus est qui locus est vitæ. *Quæ concepit et peperit dicens: possedi hominem per Deum. Cainiti* Hebraice *Possidere* dicitur. Quia ergo mater dixit: *Possedi hominem*, vocatus est Cain *possessio.*

Vers. 2. *Rursumque peperit ejus fratrem Abel.* Abel *fructus* vel *vapor* interpretatur. Fuit *luctus* parentibus exstinctus a fratre, et tanquam *vapor* cito disperiit vel disparuit.

Vers. 4. *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus.* In quo respexit Dominus ad munera Abel? Ignem videlicet cœlitus mittendo quo sacrificium consumebatur. Quod Theodotionis translatio ostendit dicens: *Inflammavit Dominus super Abel; super Cain autem non inflammavit.* Tali enim modo probatur hostia Deo placuisse.

Sed quæri potest quare Deus respexit ad munera Abel, ad Cain vero munera non respexit? Nunquid enim plus placet peculiaris hostia quam sacrificium Deo de fructibus? Sed sciendum quia Deus plus mentes offerentium, quam id quod offerebatur, attendit, et ideo *respexit*, id est, acceptum habuit et placuit illi munus ejus. Potest et aliud dici, quia avaritiam detestatus est in labore Cain. Sunt enim quidam qui plus justo desudant in laborando, non tan-

tum ut habeant sufficientiam, sed ut superflua quæque et minus necessaria congregent. Hunc laborem superfluum vidit Deus in Cain et ideo ad munus ejus non respexit. Ars vero pastoralis simplex est et innocua, quam post Abel sancti Patres habuisse leguntur.

Vers. 5, 6, *Et concidit vultus ejus in terram. Dixitque Dominus ad eum : quare iratus es, et concidit facies tua?* Id est, Cur livore torqueris: et non bona verecundia perfunderis? Ut enim Sapientia dicit : *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam* (*Eccli.* iv, 25).

Vers. 7. *Statim in foribus peccatum aderit.* Id est, patebit omnibus et hoc quasi janitore comitaberis. *Sed sub te erit,* id est, sub tua potestate erit *appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Et est sensus : Quia rationis capax es, et nosti quid sit bonum, quidve malum debes dominari peccato, ut voluntas mala non usque ad operis nequitiam perducatur. Et hoc est, quod LXX dicunt : *Peccasti? quiesce.* Id est, Peccasti voluntate? quiesce a malo opere. Alia translatio habet : *Si recte offeras recte autem non dividas dicit Dominus : peccasti.* Et Cain recte obtulit, quia utique Deo qui solus est adorandus, et qui est sacrificandum. Sed non recte divisit, sua Deo dando se autem sibi cum Deus potius nos quam nostra desideret. Omnis enim qui aliquid offert considerare debet cui offerat et quo offerat, et quando et quis sit ipse qui offert.

Vers. 8. *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum :* Sed (*a*) hoc, quod a Deo audierat : superfluum enim est. *Egrediamur foras.* Neque enim adhuc domus vel templum erat ubi Deo sacrificium offerretur. *Et consurrexit Cain adversus fratrem suum, et interfecit eum.* Retro ut ferunt, pastorali virga. Allegorice in scelere Cain malitia Judæorum designatur. Cain occidit minorem fratrem suum Abel, et Judæi Christum caput minoris populi, id est gentilis, sicut ipse per Psalmistam dixerat Patri : *Constitues me in caput gentium* (*Psal.* xvii, 44).

Vers. 9. *Et ait Dominus ad Cain : Ubi est Abel frater tuus?* Interrogat autem Dominus, non quod disceret quod ignorabat sed ut eum saltem sic ad confessionem provocaret aut negantem justa ultione damnaret. Sed ille peccata congeminans superbe respondit, dicens : *Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego?* Quasi Deum scelus ejus latere potuisset *cui nuda et aperta sunt omnia* (*Hebr.* vi, 13).

Vers. 10. *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat me de terra.* Quia ad confiteri noluit, justa jam increpatione redarguitur cum dicitur ; *Quid fecisti? Ecce vox* et reliqua. Vox sanguinis Abel est magna justitiæ virtus quæ vindictam et ultionem expetebat pro innocentis sanguine.

Vers. 11. *Nunc igitur maledictus eris super terram quæ aperuit os suum.* In prævacatione Adæ, sicut

A jam diximus terra maledicta est, non ipse. In peccato autem Cain ipse maledicitur, quia sciens reatum primæ prævaricationis non timuit, sed insuper scelus homicidii vel fratricidii adjecit. Allegorice superius diximus Cain Judæos significare, Abel Christum. *Terra* vero hoc loco Ecclesiam significat, quæ fusum Christi sanguinem aperto ore, id est magnæ devotionis desiderio ad æternam suscipit salutem.

Vers. 12. *Vagus et profugus eris super terram.* Hoc de eis manifestum est qui per omnem Romani orbis imperium vagi et profugi sunt nec usquam habent certas sedes.

Vers. 13. *Dixitque Cain: Major iniquitas mea quam veniam merear.* Peccatis peccata adjiciens desperavit nec credidit se posse salvari vel veniam adipisci Et

B hæc est blasphemia in Spiritum sanctum quæ *nec hic nec in futuro remittetur* (*Luc.* xii. 10). Qui enim desperat, aut putat Deum nolle dimittere, aut non posse Si non potest, non omnipotens, quia est aliquid quod non potest. Si autem non vult, quod etiam cogitare nefas est, invidet saluti humanæ.

Vers. 14. *Ecce ejicis me hodie a facie terræ.* Id est : In conspectu tuo me indignum judicas. *Et a facie tua,* quia videlicet ipsam meam vitam odio habens præsentiæ tuæ me subtraham. *Omnis igitur qui invenerit me occidet me.* Quia ax tremore corporis et furiatæ mentis exagitatione quicunque me invenerit, cognoscet me dignum esse, qui occidar.

Vers. 15. *Nequaquam ita fiet.* Id est, non cito morieris sicut vis. *Septuplum punietur.* Id est plenarie et perfecte. Solet enim septenarius numerus

C pro perfectione poni Unde sæpe Dominus minatur: *percutiam,* inquiens, *vos septies* (*Levit.* xxvi, 24), id est perfecte. Secundum igitur LXX legitur : Quicumque *occiderit Cain septem vindictas exsolvet.* Et est sensus : Non ita fiet ut vis ut videlicet cita morte longæ vitæ cruciatum effugias, sed diu vivendo usque ad septimam generationem tandem quicunqu te occiderit exsolvet, id est, finiet septem vindictas quæ in te sunt : non quo ille qui eum occidisset septuplum esset puniendus, sed quia illum occidendo finiret illas septem vindictas, id est perfectas, quibus Cain diu viveudo cruciabatur. Hoc secundum LXX. Cæterum secundum Hebraicam veritatem *septuplum punietur,* id est plenarie et perfecte : in quo deterret ne quis homicidium audeat iterare

D *Posuit Dominus signum in Cain, ut non eum interficeret omnis qui invenisset eum.* Hoc videlicet, quia vagus et profugus erat super terram, vel, ut LXX, *gemens et contremens.* Allegorice posuit Deus signum in Judæos, ut nemo eos occideret ipsam videlicet legem quam portabant ad suam damnationem et nostram ereptionem. Propter hoc signum nemo eos occidit. Neque enim pagana persecutione, vel etiam sub Christiana jam tranquilitate eos prohibuit suis legibus uti et suo more vivere. Et hoc est quod per Psalmistam Filius loquitur ad Patrem : *Ne occidas*

(*a*) Ita uterque cod., forte legendum *scilicet.*

eos, ne quando obliviscantur populi mei : disperge illos in virtute tua (*Ps.* LVIII. 12).

Vers. 16. *Egressusque Cain a facie Domini habitavit in terra profugus ad orientalem plagam Eden* Eden *epulæ* vel *deliciæ* interpretatur. Septuaginta dicunt : *habitavit in terra Naith*. Sed Naith non est hoc loci nomen. Interpretatur autem *instabilis* vel *vagus*, et ideo in terra Naith habitare dicitur,quia instabilis et fluctuans vagabatur.

Vers. 17. *Cognovit autem uxorem suam quæ concepit et peperit Enoch : et ædificavit civitatem vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Enoch*. Quia in timore erat et tremore, ideo fortassis civitatem ædificavit ut ibi absconditus protegeretur. Quæri autem potest cum quibus eam ædificaverit si plus vel plures non erant homines quam hi quos Scriptura commemorat.Sed sciendum multos plures jam tunc fuisse quia diu vivendo plures filios generabant. Nec mirum, cum etiam filii Israel per quadraginta annos ita multiplicati legantur ut eorum numerari non posset exercitus. *Ædificavit*, inquit, *civitatem, quam ex nomine filii vocavit Enoch*. Enoch *dedicatio* interpretatur.Notandum autem quod in prima generatione de Cain nascitur *Enoch*, id est *dedicatio* : quia reproborum populus in prima generatione, hoc est in præsenti vita, se dedicat huic se adjiciens et in hac, si fieri posset, semper manere volens.Unde et *civitatem ædificavit* quia reprobi hic habent suam felicitatem et quasi fundamentum,cu Apostolus de se suisque similibus dicat : *Non habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus* (*Heb.* XIII, 14). De Seth vero natus est Enoch [natus Enos *vel* Henos] septima generatione, quia sancti qui ad Dei pertinent civitatem, alteri vitæ, id est, futuræ se dedicant quæ post sex sæculi ætates septima generatione,hoc est, justorum congregatione vel resurrectione manifestabitur.

Lamech primus bigamiam perpetravit,quia duas uxores habuit, et propterea in diluvio periit.

Vers. 19-21.*Nomen uni Ada,et nomen altari Sella, Genuitque Ada Jubal. Ipse fuit pater canentium cum cithara et organo*. De hoc Josephus dicit : « Jubal musicam amavit, psalterium et citharam laudavit Et ne unquam ab humana memoria elaberentur ea quæ invenerat in duabus columnis, una lateritia, altera lapidea descripsit cum Adam prædicare audisset duo diluvia et omnium exterminationem. »

Vers. 22. *Sella genuit Tubalcain*. Sed et de hoc idem Josephus dicit:« Tubalcain res bellicas decenter exercuit artem ferrariam docuit : quædam etiam quæ ad libidinem oculorum pertinent, adinvenit. » *Soror Tubalcain Noema*. Notandum quod in generatione Seth nulla mulier nata legitur : in Cain vero generatione legitur soror Tubalcain progenita, per quod designatur lascivia et petulantia quæ reprobis in præsenti dominatur vita.

Vers 23. *Occidi virum in vulnus meum et adolescentem in livorem meum*.Hunc locum ita Hebræi exponunt Lamech diu vivendo caliginem oculorum incurrerat, nec videre poterat. Habebat autem quemdam adolescentem qui gressus ejus regebat. Cum quadam die venatione exerceretur, illuc jacula dirigens quo adolescens indicasset, casu Cain inter fruteta latitantem indice adolescente, percussit,qui feram esse putaverat. Sed cum cognovisset se hominem occidisse, iratus adolescenti ipsum quoque interfecit. Et hoc est, quod sequitur : *Occidi virum* id est Cain, *in vulnus meum*, quia ego quoque pro illo vulnerabor et occidar : *et adolescentem livorem meum*, quia pro illo quoque damnabor.

Vers. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain* ; *de Lamech vero septuagies septies*.Crescente peccato crescit et ultio,Fuerunt autem septuaginta septem animæ de stirpe Lamech quas in diluvio legimus periisse. Allegorice Lamech figuram tenet mundi hujus,cujus tantum fuit peccatum prævaricante Adam ut non posset expiari nisi septuagesima septima generatione, Christo per Virginem veniente.

Vers. 2 . *Cognovit adhuc quoque Adam uxorem suam et peperit filium vocavitque nomen ejus Seth*. Seth *positio* interpretatur, quæ Græce *thesis* dicitur ducta etymologia ex eo quod pater dixit : *posuit mihi Deus semen pro Abel*.Alio sensu Seth *resurrectio* interpretatur, quia surrexit loco fratris sui interfecti.

Vers. 26. *Sed et Seth natus est filius quem vocavit Enos*. Enos *homo* interpretatur. *Iste cœpit invocare nomen Domini*, id est colere Deum et deprecari, quamvis alia sit Hebræorum opinio. Dicunt enim idola tunc primum facta et tanquam Deum adorata.

CAPUT V.

Vers.5.*Et factum est omne tempus quo vixit Adam, anni nongentis triginta*.Ferunt post mortem Abel vovisse Adam ut numquam postea cognosceret uxorem suam et filium generaret.Sed sermo Dei ad eum factus est, ut hoc votum frangeret, quia Filius Dei non posset ad hominis redemptionem carnem assumere (*a*). Cain enim indignus erat ut de stirpe ejus Deus homo nasceretur. Unde ante Seth nullum legitur genuisse,post Seth vero dicitur genuisse filios et filias.

Vers. 22. *Ambulavit Henoch cum Deo*. Id est, imitatus est Deum.

Vers. 31. *Noe vero cum quingentorum annorum esse genuit Sem, Cham et Japhet*. Hoc loco intueri debemus profundum mysterium. Est enim Noe ab Adam post Seth decimo loco.Denarius enim numerus perfectionem significat electorum,quia primæ est tesseræ, id est IV,numerus,nec ultra potest numerando procedi nisi iterum redeaturad unitatem Noe ergo si addamus duos filios ejus Sem Cham *b*) et Japheth,Cham reprobato fiunt duodecim.Duodenarius autem numerus sacratus est in duodecim pa-

(*a*) Uterque codd., *et carnem assum.*

(*b*) Forte deleddum *Cham*.

triarchis et præcipue in duodecim apostolis. Constat vero ex partibus septenarii quæ sunt tria et quatuor. Hæc est justorum perfectio quæ servata est in linea a Seth descendente. Consideremus imperfectionem eorum qui per Cain ab Adam descenderunt. Ab Adam igitur ad Lamech sex sunt generationes, quibus si addamus tres filios ejus et quartam filiam ejus fiunt undecim. Undenarius autem numerus peccatum significat, quia trangressio est denarii. Ecce hic sublucet imperfectio et malitia generationis Cain. *Et facti sunt dies Lamech septingenti septuaginta septem anni.* Hoc secundum Hebraicam veritatem. Cæterum secundum LXX maximus est error in numero, in quo invenitur Lamech post diluvium vixisse quatuordecim annos.

CAPUT VI.

Vers. 1. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ.* Filios Dei appellavit filios Seth qui quandiu se in patris sanctitate incorrupte servaverunt hoc nomine honorari meruerunt, ut filii Dei vocarentur. Sed, postquam carnis voluptate superari conjunxerunt se damnatæ stirpi Cain, ejus malitiam imitari cœperunt. Nonnulli *filios Dei* angelos malignos interpretati voluerunt. Sunt enim quidam dæmones improbi mulieribus. Sed melius est, sicut diximus, ut filios Dei filios Seth accipiamus.

Vers. 3. *Dixitque Deus : Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Alia translatio habet : *Non judicabit Spiritus meus homines in æternum, quia caro sunt.* Secundum quam translationem talis est sensus : quia homines fragiles sunt et mortali carne circumdati, non eos judicabo in æternum ut æternaliter pereant, sed potius eis in præsenti restituam quod merentur. Ex quo intelligimus magnam esse misericordiam, cum peccatores non sinit ex sententia agere, sed flagellando ad se revocat. Unde et quibusdam peccantibus minatur: *Non visitabo filias vestras, cum adulteraverint* (*Ose.* IV, 14). Et alibi : *Unusquisque post pravitatem cordis sui ambulet* (*Jer.* XIII, 12). Hinc et Psalmista : *Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* X, 4). E contra de his qui Deo accepti sunt dicitur : *Visitabo in virga iniquitates eorum* (*Psal.* LXXXVIII, 33). — *Eruntque dies illius centum viginti annorum.* Quidam putant hominum vitam post diluvium in centum viginti annis esse contractam. Sed non ita est sentiendum. Multos enim legimus post diluvium pluribus annis vixisse. Hoc ergo ita accipiendum est. Volens enim Deus inducere peccatoribus diluvium dedit eis spatium, centum viginti scilicet annorum ad agendam pœnitentiam. Sed illis agere nolentibus et in sua malitia perdurantibus non exspectavit eos Deus usque ad datum spatium centum viginti annorum, sed centesimo anno factum est diluvium.

Vers. 4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Gigantes* appellat eos qui de permista generatione Seth et Cain nati sunt, immanes corpore, viribus superbos, moribus inconditos. Hos tales appellat *gigantes*, id est, *terræ filios.*

Vers. 5. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, pœnituit eum quod hominem fecisset.* In Deum nulla pœnitentia cadit. Semel enim Deus fixe et stabiliter omnia disponit. Sed Scriptura more nostro loquens dicit Deum pœnituisse, quia quasi opus suum mutare videtur voluntate tamen et dispositione immutabili permanente. Quomodocunque enim fuerint res, videlicet aut ita sint permansuræ sicut creatæ sunt, aut mutandæ, Deus hoc ante sæcula immutabili prævidit ratione.

Vers. 8. *Noe vero invenit gratiam coram Deo.* Noe *requies* interpretatur.

Vers. 9. *Justus atque perfectus fuit.* Si nullus sine peccato vivere potest, quomodo Noe *justus et perfectus* fuisse dicitur? Sancti Dei *perfecti* sunt secundum aliquem suum modum, non autem ita sunt perfecti sicut perficiendi sunt. Unde et recte dicitur : *in generationibus suis.* In præsenti enim vita pro modo suo juvante Dei gratia perfecti esse possunt. In illa enim beata vita, in qua nec velle nec posse peccati eis suberit, longe aliter perfecti erunt.

Vers. 11. *Corrupta est terra.* Id est omnis homo. Nam quia propter hominem cuncta creata sunt, ideo peccante homine omnia dicuntur corrupta fuisse.

Vers. 12. *Omnis caro.* Id est omnis homo. *Corruperat viam suam.* Id est, depravaverat actiones suas. *Et ego disperdam eos cum terra.* Quare dicit *cum terra*, cum terra nequaquam in diluvio disperdita sit? Dicunt doctores nequaquam tantæ virtutis et fecunditatis eam fuisse post diluvium quantæ ante diluvium exstiterat. Unde et hominibus post diluvium essus carnium concessus est. Ante diluvium enim pomis et oleribus vescebantur. Ergo propter amissam virtutem et gratiam disperditi sunt homines *cum terra.*

Vers. 14. *Fac tibi arcam de lignis levigatis.* Id est, fortibus et insolubilibus. Et hoc est, quod LXX dicunt : *De lignis quadratis*, id est, fortibus. *Mansiunculas facies in arca. Mansiunculas* dicit in quibus diversa animalium genera reciperentur. Septuaginta dicunt : *Bicamerata et tricamerata in arca facies. Bicamerata* videlicet in inferioribus, *tricamerata* in superioribus. Ego quinque mansionibus distincta fuit arca. Prima mansio, id est inferior fuit stercorata, ubi animalium stercora defluebant, ne illa quæ erant in arca et maxime ne homines fætore læderentur. Secunda fuit apothecaria, ubicibus diversus animalium reconditus erat. Tertia fuit bestiarum et immitium animalium ac serpentium. Quarta, jumentorum et mansuctorum animalium. Quinta, id est suprema, hominum et avium. Ostium vero quod in sequentibus in latere arcæ fuisse describitur eo loco fuisse creditur, ubi bicamerata et tricamerata jungebantur inter apothecariam et bestiarum habitationem. *Et bitumino linies.* Bitumen, quod Græce *asphaltum* dicitur, unde lacus *Asphaltites* vocatur, id est gluten tenacissimum, quidquid tactum fuerit

numquam convermescit, nec ulla vi imbrium aut flatu ventorum dissolvi potest.

Vers. 15. *Trecentorum cubitorum.* Sed hoc non mirabimur, si sciamus geometrico cubito illam esse mensuratam qui, ut Origenes dicit, sex cubitis humanis impletur. Positio autem arcæ talis exstitit. Fuit enim fundamento quadrata, inæqualis tamen longitudinis et latitudinis, quæ paulatim ab angulis conscendens in arctam formam sursum erigebatur, donec in cubito latitudinis et longitudinis summitas ejus perficeretur. Fuit autem decies longa quam alta, et sexies tantum longa quam lata ad similitudinem humani corporis. Nam si hominem pronum vel supinum jacentem metiamur, decies tantum longus erit a capite usque ad pedes quam altus a dorso usque ad ventrem, et sexies tantum erit longus quam latus a dextero latere usque ad sinistrum.

Vers. 16. *Fenestram in arca facies.* Ad hoc fenestra in arcæ summitate facta est, ut haberet aditum Noe, per quam emitteret, sicut postea fecit emittens columbam et corvum. Quam fenestram tradunt Hebræi crystallinam fuisse. Mystice autem Noe, vir justus et perfectus nomine et actu, Christum significat. Interpretatur enim *requies*, quia electos suos finitis laboribus sæculi hujus ad æternam Christus perducturus est requiem. Qui vere solus et justus et perfectus est, de quo Apostolus : *Ut sit ipse justus et justificans eum qui ex fide est* (*Rom.* III, 26). Potest etiam Noe typum tenere præpositorum in Ecclesia sive etiam totius familiæ Christi, membrorum videlicet ejus qui per lignum crucis et aquam baptismatis salvantur. Arca vero sancta est Ecclesia quæ *de lignis levigatis*, hoc est, sanctis in æternum victuris construitur. Et sicut in arca diversa erant genera animalium, sic in Ecclesia diversa sunt hominum genera. *Ostium in latere* vulnus significat in latere Christi, de quo ipsa Ecclesia una cum sacramentis constat sanguinis et aquæ.

Vers. 19. *Ex cunctis animantibus bina induces in arcam.* Quæritur de minutis animantibus, non solum quales sunt mures et stelliones, sed etiam quales sunt muscæ, et scabriones, et scarabei et pulices, si in his hic numerus poterit conservari. Sed sciendum quia illa quæ non coitu generantur, sed humore terræ vel ex quæcunque cadaverum aut aliarum rerum corruptione nascuntur, non necesse fuit contineri in arca. Nam et hoc intelligendum innuitur, cum dicitur : *De volueribus juxta genus suum, et de jumentis in genere suo.* Illa quoque quæ in domibus versantur, sicut pulices, mures, muscæ, non necesse fuit in his hunc numerum observari, quæ intelliguntur tunc plura in domibus fuisse. Sed et illa animalia quæ ex commistione diversi generis nascuntur, sicut muli et burdones et cætera talia, non est dicendum fuisse in arca. Ita quæritur de his animantibus quæ in aquis et in terra communiter vivunt, utrum fuisse credantur in arca, aut si non fuerunt, quomodo vivere potuerint sicut lutri et vituli marini. Sed de his credi potest quod extra arcam fuerint : habebant tamen loculos præparatos extra arcam in quibus se poterant recipere, veluti in aridis. Hoc et de avibus sentiendum marinis et fluvialibus, quia vicibus in aquis erant, et item in præparatis mansiunculis extra arcam se recipiebant.

Vers. 21. *Tolles de omnibus escis.* Hoc loco quæritur de animalibus quæ carnibus vescuntur, quomodo in arca anno integro vixerint, cum carnes tanto tempore incorruptæ servari non potuerint. Ad hoc dicendum quia sunt quædam animalia quæ carnibus vescuntur, sed si necessitas imperaverit, fructibus et pomis diversi generis vivere possunt, maxime ficu et castanea.

CAPUT VII.

Vers. 2. *Ex omnibus animantibus tolle septena.* Quod dicit : *Septena et septena*, non geminatum septenarium, id est quatuordecim, sed tantum septem debemus accipere. Similiter ubi *duo et duo*, non quatuor, sed duo debemus intelligere. *Masculum et feminam.* Et hic notandum quod munda animalia impari numero, id est, septenario introducuntur in arcam, immunda vero pari : quia impar numerus quamdam virtutis prætendit speciem, par vero infirmitatis et vitii signum est. Munda animalia plura, id est septena dicuntur introducta, ut egrediens Noe de arca haberet quod Domino immolaret, et quo ipse cum filiis vesceretur.

Vers. 7. *Et ingressus et Noe est filii ejus in arcam.* Attendendum est quod quando ingressus est in arcam, seorsum ipse et filii ejus in arcam, et seorsum uxores eorum. Dicitur enim : *Ingressus est in arcam ipse et filii ejus;* deinde : *uxor ejus et uxores filiorum ejus.* Quando vero egressi sunt, viri cum uxoribus permisti leguntur. Dicit enim : *Egressus est Noe et uxor ejus.* Hoc est quod Salomon dicit : *Templus amplexandi, tempus longe fieri ab amplexibus* (*Eccli.* III, 5). *Ingressi sunt in arcam*, nutu videlicet Dei, non homine faciente.

Vers. 11. *Anno sexcentesimo, mense secundo.* Id est mense Nisan, qui a Latinis Maius dicitur. Primus enim mensis est apud illos Aprilis. *Cataractæ.* Id est fenestræ cœli. Fenestræ autem cœli nubes dicuntur quæ apertæ sunt, ut inde insolitæ et majores pluviæ funderetur. Nam *cataractæ* sunt proprie ostia Nili, sed abusive pro omnibus fenestris accipiuntur. *Fontes quoque magnæ abyssi rupti sunt.* Ut non sensim more solito fluerent, sed repentina inundatione superficiem terræ operirent.

Vers. 16. *Inclusit eum Dominus deforis.* Quod enim manus hominis facere non poterat potentia divina implevit, *deforis eum includens*, nec aquas introire permittens.

Vers. 20. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes.* Dicunt enim quidam hoc historialiter fieri non potuisse sed propter aliquam significationem vel mysterium hoc scriptum esse. Aiunt enim non potuisse fieri, ut aqua crassioris naturæ ad superiorem aeris partem conscenderet maxime propter

Olympum montem, cujus tanta altitudo ut nulli venti ibi flare, nullæ nubes cæcumen ejus valeant operire. Sed qui hoc fatentur non attendunt quia mons ipse terra est. Terram autem scimus corpulentiorem esse aqua. Ubi ergo terra gravior ascendere potuit, cur non hoc levior aqua potuerit?

CAPUT VIII.

Vers. 1. *Adduxit spiritum.* Id est ventum, vel, ut quidam volunt, solem,sive Spiritum sanctum debemus accipere de quo in principio dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Qui enim in principio ferebatur super aquas,ut eas in unum congregaret, ut appareret arida, ipse nunc sua et totius Trinitatis voluntate adductus est super terram, ut a pervasione aquarum eriperet eam, et eis pristinam pulchritudinem et fertilitatem redderet.

Vers. 8. *Emisit corvum et columbam post eum.* Septuaginta dicunt quia corvus emissus, non est reversus ad arcam. Aut enim aquis interceptus est et necatus, aut cadaveri aquis supernatanti inhæsit, et propter gulam periit. Neque enim terra jam siccata erat, quia de columba dicitur quia *cum non inveniret ubi requiesceret pes ejus.* Allegorice diximus superius arcam Ecclesiam significare quæ trecentorum cubitorum fuit longitudinis, quia sancta Ecclesia in fide Dominicæ crucis et passionis salvatur. Longitudo enim trecentorum cubitorum passionem Domini significat. Nam et littera *Tau* quæ hunc exprimit numerum, figuram habet crucis. Latitudo quinquaginta cubitorum resurrectionis Christi gloriam designat quæ quinquagesima die Pentecostes per apostolos prædicata est, cujus spe dilatatur Ecclesia. Altitudo vero triginta cubitorum significat eamdem Ecclesiam per tres mundi partes dilatandam, Africam, Asiam, Europam. Denarius enim ter ductus in trigesimum numerum consurgit. Hæc Ecclesia continet pariter corvum et columbam, hoc est,bonos et malos. Sed corvus de arca emissus non revertitur, quia reprobi licet gremio Ecclesiæ per fidem contineantur,tamen cupiditatibus et illecebris sæculi inhærerentes pereunt.Columba vero rediens ad arcam portat ramum olivæ virentibus foliis in ore suo, quia sancti simplicitate gaudentes manus pacis in ore portant, et cum Psalmista dicunt: *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* (*Psal.* CXIX, 7).

Vers. 14. *Mense secundo.* Id est Maio. *Septima et vicesima die mensis.* Intueamur diligentius hunc locum. Diximus superius Noe annum fecisse in arca, et ipsa die qua ingressus est egressum fuisse. Ingressus autem septima decima die mensis secundi: nunc dicit quia egressus est septima et vicesima die mensis ejusdem. Sed sciendum est quia si præsenti diei addas undecim, qualis hodie luna est talis est post annum ipsa die. Ergo quando Noe ingressus est decima septima luna, decima septima dies fuit secundi mensis, et ideo post annum additis 11, fuit vicesima septima dies, vel vicesima septima luna.

Vers. 22. *Non requiescant.* Sed servient homini.

CAPUT IX.

Vers. 2. *Terror vester et tremor.* Non homini præposuit Deus hominem sed animantibus. Neque enim dixit: *Terror vester sit super homines,* sed *super animantia terræ*: atque ideo, ut B. Gregorius dicit, supra modum superbire est ab æquali velle timeri. Omnes homines natura genuit æquales, sed meritorum distantia justo Dei judicio, sed occulto, alios aliis subjecit. *Omnes pisces manui vestræ traditi sunt.* Id est, potestati: *Et omne quod movetur erit vobis in cibum.* Post diluvium esus permissus est carnium. Antea enim pomis et oleribus vescebantur. Sed quia in diluvis terra virtutem suæ fertilitatis amiserat, ideo Deus consulens humanæ fragilitati permisit homini vesci carnibus.

Vers. 4. *Excepto quod sanguinem cum carne non comedetis.* Et hic et in lege Moysi esus sanguinis prohibetur. In Actibus quoque apostolorum prohibitæ sunt gentes *a fornicatione, et immolatis, et suffocato, et sanguine* (*Act.* XV, 30): quia videlicet sedes animæ in sanguine est, ideo sanguinis prohibetur comestio.

Vers. 5. *Sanguinem de manu bestiarum requiram. Bestiam* vocat crudeles homines et feros. *De manu viri et fratris ejus. Fratrem* vocat omnem hominem ejusdem consortem naturæ.

Vers. 13. *Arcum meum ponam. Arcus* duos habet colores, ex parte cæruleum et ex parte igneum; per hoc designantur duo diluvia: unum aquæ, quod jam præteriit, aliud ignis,quod in fine sæculi venturum creditur. Unde cæruleus color extrinsecus cernitur, igneus vero intrinsecus. Mystice arcus, qui fit sole nube illustrata, significat eum a diluvio, id est, ab æterna damnatione posse salvari qui verum solem Christum nube conspexerit, hoc est, qui ejus passionem et resurrectionem per prophetas prædictam crediderit.

Vers. 18. *Erant igitur tres filii Noe Sem, Cham et Japheth.* Sem interpretatur *nomen* vel *nominatus,* Cham *callidus,* Japheth *latitudo.* Mystice Sem et Japheth significant fideles ex utroque populo in Christum credentes. Cham vero hæreticos designat, unde et bene *callidus* interpretatur. Hæretici enim callidi sunt, non sapientia, sed malitia: quia simplices in Ecclesia decipere quærunt. Mystice Noe qui *requies* interpretatus Christum significat qui *inebriatus est* calice passionis. *Nudatus est,* quia tunc manifestata est infirmitas mortalitatis ejus, et, ut propheta prædixerat, *ibi abscondita est fortitudo ejus* (*Habac.* III, 4.)

Vers. 21. *Et in tabernaculo suo nudatus est.* Id est in plebe Judaica, inter domesticos generis sui. Cham filius ejus, qui nuditatem patris fratribus nuntiavit, Judæos designat passionem Christi longe ante in prophetis legentes qui nuntiabant futuram. Sed hoc quod diu prænuntiaverunt impletum videntes deridere potius quam credere maluerunt. Sem

vero primogenitus et Japheth minimus significant A eos qui in primitiva Ecclesia fuerunt, apostolos videlicet et eos qui ex gentibus crediderunt. Medius Cham Judæos significat qui, nec primum cum apostolis, nec postea gentibus fidem Domini recipere voluerunt. Sem vero et Japheth nuditatem patris sibi nuntiatam audire noluerunt, sed pallio operuerunt: quia fideles mysteria passionis Christi non cum Judæis despiciunt, sed digna veneratione honorant. Et bene *pallium in humeris portant*: quia ipsam passionem non futuram exspectant, sed impletam credunt.

Vers. 24. *Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset.* Prophetico videlicet spiritu. *Quæ fecerat ei filius suus minor, ait*: *Maledictus Chanaan.* Notandum quod, non ipsum Cham, sed *Chanaan* filium B ejus maledicit, qui *motus eorum* interpretatur, a quo postea dicti sunt Chananæi, quos Dominus ante faciem filiorum Israel ejecit. Quod ergo Chanaan maledicitur, prophetia erat: quia gens illa de loco suæ habitationis pellenda erat.

Vers. 26, 27. *Benedictus Dominus Deus. Dilatet Deus Japheth.* De Sem fuerunt patriarchæ et prophetæ cæterique Patres Veteris testamenti: de Japheth gentilium multitudo quæ in Christum credit. *Dilatatus est Japheth*, quia in ipsum crevit credentium ex gentibus multitudo. *Habitavit in tabernaculis Sem*, quia gratiam quam habuerunt priores Patres gentes in Christum credentes secutæ sunt, et nunc cum Abraham, Isaac et Jacob requiescunt, fidem et bona opera illorum imitando. *Sitque Chanaan servus ejus Chanaan.* Id est Judæi serviunt C modo fidelibus ex utroque populo, quia libros divinarum Scripturarum non sibi, sed illis custodiunt, et quasi scrinarii sunt eorum.

CAPUT X.

Vers. 2. *Filii Japheth.* Commemorat modo gentes septuaginta duas quæ a tribus filiis Noe disseminatæ sunt post diluvium. Et primum dicit de Japheth minore, de quo nati septem filii qui tenuerunt septentrionalem regionem a Tauro et Amcino (*a*) montibus Ciliciæ et Assyriæ. *Gomer*, ut Josephus dicit, ipsi sunt Galatæ qui Latine Gallogræci dicuntur. *Magog* quos quidam putant Massagetas. *Madai* Medi, *Javan* Jones, qui et Græci, a quibus Jonium mare et quinta eorum lingua Jonica dicitur. *Tubal* Iberes quos Hispanos dicimus, *Meosoch* Cappadoces quorum hodieque D metropolis civitas *Mazaca* dicitur. *Thiras* Thraces.

Vers. 3. *Filii Gomer Ascenez.* Quos Græci Reginos vocant. *Riphath* Paphlagones. *Togorma* Phryges.

Vers 4. *Javan filii* (*b*), *Elisa*, a quo Elisei, id est, Græci qui et Hellades appellantur. *Tharsis* Cilices quorum civitas est Tharsus nobilis Paulo apostolo inde nato. *Cetthim* Cithii quorum hodieque civitas Cithium appellatur, Dodanim (*c*) Rhodii.

Vers. 5. *Unusquisque secundum linguam.* Hoc per prolepsin, id est per præoccupationem accipiendum est. Necdum enim divisio linguarum facta erat.

Vers. 6. *Filii Cham Chus.* Ipsa est Æthiopia, *Mesraim* Ægyptus, *Phuth* Libya, unde et fluvius Mauritaniæ *Phuth* appellatur, et omnis illa regio Phutensis dicitur. *Chanaan*, a quo Chananæi.

Vers. 7. *Filii Chus Saba.* Id est, Arabia regio thurifera. *Hevila* pars Æthiopiæ Occidentalis. *Sabatha*, *Regma et Sabatacha.* Horum nomina ab usu recesserunt, et quæ pro eis nunc habeantur ignoramus. *Filii Regma Saba.* Alia est hæc *Saba* quam illa quæ superius legitur, et differt in Scriptura. Nam illa per *Sin*, hæc per *Samech* scribitur. Nam et in Psalmo ubi nos canimus: *Reges Arabum et Saba* (*Psal.* LXXI, 10), in Hebræo habetur: Reges *Saba et Saba. Dadan* Æthiopiæ ultima regio est.

Vers. 8. *Chus genuit Nemrod* (*d*). De hoc Josephus dicit quod nova regni cupiditate tyrannidem arripuerit, ignem pro Deo coluit, et ipse auctor existitit ædificandæ turris cujus cacumen contingeret cœlum.

Vers. 9. *Et erat robustus venator coram Domino.* Venebatur enim animas ad interitum, faciens hominem ignem adorare. Alia translatio dicit: *contra Dominum.*

Vers. 10. *Babylon* CONFUSIO interpretatur ob linguarum confusionem quæ ibi facta est. *Et Harath* [Vulg. *Achad*]. Ipsa est Edessa Mesopotamiæ civitas. Archath [Vulg. *Achab*], quæ nunc Nisibi dicitur. Et *Calane* Ipsa est Seleucia a Seleuco rege Asiæ. *In terra Sennaar.* Id est, in Babylonia, *ubi sunt putei bituminis.*

Vers. 11. *De terra illa.* Id est de Sennaar. *Egressus est Assur.* Id est, imperium Assyriorum, quod primum fuit sub Nino. *Et ædificavit Niniven.* Niniven est civitas Assyriorum. Ninus Beli filius ædificavit Ninum quam Hebræi *Ninniven* appellaverunt. Interpretatur autem propter pœnitentiam *pulchra.*

Vers. 13. *At vero Mesraim genuit Ludim, Ludim* est Lybia, quæ prius *Phuth* vocabatur.

Vers. 15. *Chanaan filius Cham genuit Sidonem.* A quo Sidon, civitas Phœnicis.

Vers. 18. *Aradii.* Ipsi sunt qui Aradum insulam tenuerunt.

Vers. 19. *Sodomam et Gomorrham.* Istæ civitates notæ sunt interitu suæ subversionis. *Samariten.* A quo Samaria, quæ sic vocatur et Assyriis et Hebræis. Dicta est autem Antiochia vel Epiphania. *Amathæum.* Hæc nomina ignorantur, vel quia deletæ sunt istæ gentes bello Æthiopico, vel quia ignoratur quæ nomina nunc habeant.

Vers. 21. *De Sem quoque nati sunt*, quos nunc dicemus, *qui fuit pater omnium filiorum Heber*, et frater major minoris fratris Japheth. Ideo autem de hoc novissime locutus est, quia de istius generatione locuturus erat et hujus lineam persecuturus.

Vers. 22. *Filii Sem Ælam.* A quo Ælamitæ, id est principes Persidis. *Assur.* De hoc superius dictum est

(*a*) Cod. Teg. *Tauro, Etham et Eidon.* Forte leg. *Amano.*
(*b*) Uterque cod. *Laban fil.*

(*c*) Cod. Garst *Dodamin.* Tegerus. *Dodamim.*
(*d*) Uterque cod., *Menroth.*

quod ædificaverit Niniven *Arphaxad*. A quo Chaldæi et *Lud*. A quo Lydii. *Aran*. A quo Syri.

Vers. 23. *Filii Aran Hus*. A quo *terra Hus* in Job legitur, quam LXX terram appellant *Ausitiem*, id est Australem. *Et Hul*. A quo Armenii. *Gether*. A quo Acarnani. *Mesi*. Quos LXX *Mosoch* vocant, id est, Mœones.

Vers. 25. *Nati sunt Heber duo filii*, *Heber transitor*, a quo Hebræi *transitores*. Veri Hebræi sunt qui de præsentibus ad futura, de caducis ad mansura transitum faciunt. *Phaleg divisio*. Sub isto enim facta est divisio linguarum.

CAPUT XI.

Vers. 1. *Erat terra labii unius*. Id est, linguæ Hebrææ quæ facta divisione linguarum creditur remansisse in familia Heber : qua etiam lingua Dei Filius ad homines veniens prædicavit. Conveniens enim erat ut, in qua lingua Adam diaboli suasionem audierat, in eadem lingua Salvatoris preciperet prædicationem. Nec dicendum est novi aliquid fecisse Deum, quando linguarum facta est divisio, sed modos et formas locutionum divisisse aliis intellectibus. Unde et eadem verba in diversis sensibus apud diversas gentes inveniuntur. Nam *alma* apud Hebræos *secreta*, apud Latinos *sancta* dicitur. *Sidera* stellæ vocantur a Latinis, a Græcis *ferrea*. In Græcis habetur : *rhabdo sidera*.

Vers. 4. *Faciamus nobis turrim*. Timebant ne iterum fieret diluvium, et ideo auctore Nemrod voluerunt turrim facere altissimam in qua, si diluvium iterum fieret, salvarentur. Bitumen enim aquis dissolvi non poterat. Nulla enim re dissolvi potest, postquam siccatum fuerit nisi menstruo sanguine.

Vers. 5. *Descendit ut videret*. *Descendere* Deus dicitur quando se sensibus vel operibus commodat humanis, sicut ad Moysen dixit: *Videns vidi afflictionem populi mei, et descendi liberare eos* (*Exod*. III, 8). Et de Sodomitis dictum est : *Descendam, et videbo utrum eum clamorem qui venit ad me opere compleverint* (*Gen*. XVIII, 21). Et nota in sequentibus hic mysterium Trinitatis commendari, cum dicit : *Descendamus et confundamus*. Mystice turris hæc mundi superbiam signat, sive etiam elationem hæreticorum qui turrim pravi dogmatis contra Deum volunt ædificare. Quæ merito *turris Babel*, id est confusionis appellatur. *Profecti sunt autem de Oriente*, quia verum solem reliquerunt. *Invenerunt campum Sennaar*, qui interpretatur *fetor* vel *excussio dentium*, quia dogmata hæreticorum non bonum Christi odorem, sed fetorem habent, et amiserunt dentes quibus cibos verbi Dei commolerent.

Vers. 28. *Mortuus est Aran et Thare in Ur Chaldæorum*. Tradunt Hebræi quod Abraham et Aran fratres, cum nollent ignem adorare, in ignem projecti sunt ex quo miserante Deo Abraham illæsus exivit. Unde et sæpe Deus ad illum dicit: *Ego sum Deus qui te eripui de Ur Chaldæorum*. Aran vero igne consumptus est. Ergo *Ur* non est nomen loci.

Vers. 29. *Duxerunt uxores*. Abraham duxit *Sarai* :

A ipsa est *Jesca*. Fuit enim dionomia, id est binomia. Cujus soror fuit Melcha quam duxit Nachor.

CAPUT XII

Vers. 5. *Benedicam benedicentes te, et maledicam maledicentibus te*. Duæ repromissiones factæ sunt ad Abraham : una terrena, qua ei terra Chanaan repromissa est, cum dictum est : *Egredere de terra tua et cognatione*, etc. Alia quæ major est et spiritalis, qua dictum est : *Benedicam tibi*, ut esset videlicet pater Christi et omnium in Christo credentium. Sed et hoc notandum quia jam egressus fuerat de terra sua quando ei dictum fuerat: *Egredere de terra tua*. Sed ibi egressus corpore, hic vero mente et voluntate. Fortassis adhuc habebat affectum revertendi illuc quando dictum est: *Egredere*. — *In te benedicentur*

B *universæ cognationes tuæ* : quia de ipso Christus erat nasciturus per quem cunctæ generationes benedictionem percipere debuerant.

Vers. 4. *Egressus est Abraham et cum eo Lot*. Scilicet mente definiens ut nunquam illuc rediret. Superius exierat corpore, nunc vero mente præcipiente Domino.

Vers. 6. *Pertransivit usque ad locum Sichem*. *Sichem* civitas est, quæ a quibusdam corrupte *Sichar* dicitur. Interpretatur autem *humerus*. *Convallem illustrem* Pentapolin dicit, quæ nunc est *mare Salis* et *Mortuum* dicitur, et *lacus Asphalti* et *lacus Salinarum*.

Vers. 7. *Apparuitque Dominus Abraham*. Recte ei Dominus apparuit, qui renuntians idololatriæ altare

C Domino ædificavit.

Vers. 8. *Ab Occidente habens Bethel, ab Oriente Hai*. *Bethel* civitas in tribu Benjamin quæ antea *Luza*, id est *amygdalus* vocabatur. *Hai* civitas in tribu Juda est constituta. *Bethel* interpretatur *domus Dei* quæ postea *Bethaven* vocata est, id est *domus idoli*. Hai *oculus* vel *fons* interpretatur. Ergo patriarcha tendens ad terram promissionis tetendit tabernaculum inter Bethel et Hai quia sancti omnes fonte baptismatis regenerati, et cursum hujus vitæ circumspecte agentes ad Dei tabernaculum et ad cœlestem properant civitatem.

Vers. 13. *Dic, obsecro, quod soror mea sis*. Quærunt quidam cur sanctus patriarcha mentiri voluerit ut diceret Saram sororem suam, et non potius hoc Deo commiserit qui et ejus vitam et illius ser-

D vare poterat castitatem. In quo ostenditur quia quandiu habemus quod ex ratione faciamus, non debemus Deum tentare, sed ipsi nostræ saluti providere. Quodammodo Deum tentasset, si eam uxorem suam confessus fuisset, duas Deo res committens, suam vitam et illius castitatem. Fecit ergo pro vita quod potuit : quod vero non potuit Deo commisit, certus, si vellet, etiam apud Pharaonem ejus pudicitiam conservare posset.

Vers. 15. *Translata est in domum Pharaonis*. Excusari potest Sara in hoc quod in domum Pharaonis translata est invita vel coacta, non solum in hoc quia non coinquinatur corpus nisi ex con-

sensu mentis, sed etiam in hoc quod connivente et permittente viro factum est hoc. Quæritur etiam quomodo apud Pharaonem tam diu intacta manere potuerit. Dicitur enim : *Abraham bene usi sunt propter eam, et fuerunt ei boves, oves* et familiæ. Sed ad solvendam hanc quæstionem valet et hoc quod in libro Esther legitur, quia puellæ quæ Assuero regi adducebantur non statim introducebantur ad regem sed anno uno custodiebantur, et sex mensibus ungebantur oleo myrtino, et sex aliis mensibus diversis unguentis (*Esther* II, 12). Potuit ergo fieri ut per has inducias longi temporis Sara manserit incorrupta, et interim bene usi sunt Abraham Ægyptii, donec a Deo flagellaretur et, cognitam quod uxor ejus esset, restitueret eam illibatam.

CAPUT XIII.

Vers. 1. Seq. *Ascendit autem de Ægypto*, usque *erat dives valde*. Alia translatio dicit : *Ascendit de Ægypto gravis valde*, quod bene mysterio convenit. Sancto enim viro Ægypti divitiæ graves sunt. Ægyptus enim *tenebræ* vel *mæror* interpretatur.

Vers. 8. *Fratres enim sumus*. Tribus enim modis in Scriptura sancta *fratres* vocantur : natura, sicut Jacob et Isaac : cognatione, sicut Abraham et Lot ; Lot enim filius fuerat fratris sui Aran : gente, sicut omnes Judæi fratres dicuntur, dicente lege: *Si attenuatus frater tuus Hebræus vendiderit se tibi* (*Levit.* xxv, 25). Et attendendum quanta cura concordiæ sancto viro fuerit propter quam custodiendam optionem dedit Lot, ut aut ipse pergeret illo remanente aut certe, si ipse alibi vellet recedere, ipse ibi maneret.

Vers. 10. *Irrigabant*, subauditur, a Jordane, *sicut est paradisus Domini*. Ex hoc discimus paradisum esse terrenum, cui terrena regio comparatur. Hæc regio plana erat et campestris, irragabatur Jordane fluvio sicut Ægyptus Nilo. *Elegitque Lot sibi regionem circa Jordanem*, etc. Allegorice Lot cum suis pastoribus typum tenet hæreticorum qui relicta veritate ecclesiastici dogmatis eligunt sibi pulchra et humilia, quia non recte de veritate fidei sentiunt, nec ad Deum cum Moyse in montem ascendunt. Sodoma *pecus silens* interpretatur.

Vers. 13. *Homines Sodomitæ pessimi erant et peccatores coram Domino*. Nam et coram hominibus pessimi erant. Coram Deo peccator est, qui coram hominibus utcunque justus apparet. Unde et de Zacharia et Elisabeth dicitur : *Erant justi ambo coram Domino Deo suo* (*Luc.* I, 6).

Vers. 14. *Leva oculos*. Id est, aspice. Per hæc quatuor climata terra promissionis ei promittitur. Quod autem in quibusdam locis *mare* ponitur pro *Occidente*, ideo fit quia terra repromissionis in mari Occidentali est.

Vers. 18. *Juxta convallem Mambre*. Quod est in Hebron. *Hebron* civitas est in tribu Juda, quæ alio nomine *Cariatharbe* dicitur, id est *civitas quatuor*. *Cariath* enim Hebraice *civitas*, *arbe*, *quatuor*. Ibi enim situs est Adam maximus, et Abraham, et Isaac et Jacob. *Convallis Mambre* ab uno amicorum Abraham dicta est qui Mambre vocabatur.

CAPUT XIV.

Vers. 1. *Factum est autem in illo tempore ut Amraphel Sennaar*, etc. Quatuor reges inierunt bellum contra quinque. Hi quatuor reges mistyce significant adversarias potestates quæ per carnem quæ quatuor humoribus constat, in quinque sensus corporis dominari quærunt. *Amraphel* interpretatur : *dixit ut caderet*, et est *rex Sennaar* qui, ut superius diximus, interpretatur *excussio* vel *fetor dentium*. Significat hæreticos qui ex proposito peccant et cadunt contra Deum, perversa loquentes et obsceni dogmatis fetorem emittentes. *Arioch ebrius* vel *ebrietas* interpretatur. Significat gentiles qui poculo erroris ebriati creaturam pro Creatore colunt. *Cohdorlachamor* interpretatur *decorus* vel *manipulus*. Ponitur in significatione hypocritarum qui, cum sint pleni malitia, vulgo decori putantur virtutibus. Est *rex Elamitaaum*, id est sæculi vel orbis. *Thadal* interpretatur *sciens jugum*. Præsignat avaritiam cujus jugum sciunt avari libenter ferre. Est *gentium rex*, qua avaritia maxime gentibus dominatur.

Vers. 2. *Inirent bellum contra Bara*. Bara *malitia* vel *creatura* interpretatur. Est *rex Sodomorum*, id est *pecudis silentis*. *Bersa* interpretatur *in angustia*, est *rex Gomorrhæ* quæ interpretatur *populus timens*. *Senaar* [Vulg., *Senaab*] interpretatur *excussio* vel *fetor dentium*, et est proprium nomen hominis. Est *rex Adamæ*, quæ interpretatur *terrena*. Semeber *ibi perditio* interpretatur. Est *rex Sebon* quæ interpretatur *vinculum mæroris*. *Bale* civitatula interpretatur *vorago* vel *præcipitatio*. Vocatur etiam *vitula consternans*. Ferunt enim Hebræi hanc tertio terræ motu corruisse. *Ipsa est Senor* id est *parvula*.

Vers. 3. *Vallem*. *Sylvestrem* Sodomam dicit quæ nunc est *mare salis*, lacus videlicet, quæ post combustionem ignis cœlestis in lacum versa est, in quem lacum cadit Jordanis, et ibi perdit laudabiles aquas suas.

Vers. 5 *Percusserunt Raphaim*. Id est gigantes, qui Raphaim *gigantes* interpretatur. *Carnaim* et *Guttim* [Vulg., *Zuzim*] nomina locorum sunt et gentium. *Seir* per prolepsin dicitur, necdum enim locus ille sic vocabatur. *Seir ipse est Edom*, qui et *Esau* interpretatur *hispidus*, *setosus* qui in modum pellis natus est, a quo regio quam possedit Seir vocata est.

Vers. 7. *Ad fontem Misphat, ipse est Cades*. Cades *judicium* interpretatur. Ibi enim judicatus est murmurans populus. Interpretatur etiam *sancta* cata antiphrasin, id est per contrarium. *Fontem* petram dicit de quo Moyses aquam produxit. *Percusserunt Amorrhæum qui habitabat in Asasonthamar*. Asason thamar *urbs palmarum* interpretatur.

Vers. 13. *In convalle Mambre, fratris* (a) *Aner et Escol. Mambre* proprium nomen est. Hi tres fœdus inierant cum Abraham.

Vers. 14. *Numeravit expeditos vernaculos. Expeditos*, id est sine uxoribus. *Persecutus est eos usque Dan.* Dan fons est ex quo Jordanis efficitur. Nam duo fontes sunt ad radices montis Libani, Jor et Dan, qui juncti Jordanem efficiunt. Dan autem *judicium*, Jor *rivus* interpretatur. *Usque ad Phœnicem.* Phœnicem Syriam dicit. Allegorice hoc bellum Abrahæ contra quatuor reges bellum significat virtutum et vitiorum. Pater ergo fidei et prima via credendi Abraham pro fratre suo Lot contra quatuor reges dimicavit et vicit non in multitudine exercitus, sed in trecentis decem et octo vernaculis expeditis. Sic unusquisque nostrum pro anima sua tanquam pro fratre suo Lot contra quatuor reges, id est, contra spiritales nequitias spiritale bellum gerat cum trecentis decem et octo vernaculis, id est cum auxilio sanctæ crucis. Hic numerus in Tau littera, quæ figuram Christi habet exprimitur.

Vers. 18. *Melchisedech proferens panem et vinum.* Hunc Melchisedech tradunt esse Sem filium Noe, et computantes annos dicunt eum vixisse usque ad tempus Isaac. *Salem* vero civitas ipsa est Hierusalem, trionyma, *Salem, Jebus, Hierusalem.* Hanc enim tenuerunt Jebusæi, et vocaverunt eam *Jebus :* sic conjunctis nominibus dicta *Hierusalem. Erat sacerdos Dei altissimi.* Omnes enim primogeniti a Noe sacerdotes fuerunt usque ad Aaron qui primus legalis sacerdos fuit. Mystice Melchisedech, qui interpretatur *rex justitiæ* vel *pacis*, Christum significat per quem conciliati sumus, et qui in fine sæculi juste orbem judicaturus est. Hujus mysterium Apostolus commemorat dicens : *Sine patre et sine matre, sine genealogia* (*Hebr.* vii, 3). Melchisedech quidem patrem et matrem habuit, sed Christus quem significat sine patre fuit per humanitatem, sine matre per divinitatem. Natus est enim de patre sine matre, de matre sine patre. *Protulit panem et vinum.* Hinc jam præsignabatur mutatio legalis sacerdotii. In novo enim Testamento sacrificium victimarum translatum est in sacramentum corporis et sanguinis Christi. Ergo hoc verum Christi sacerdotium antiquius est sacerdotio legali. Melchisedech enim qui, ut Abraham, gentilis erat, Levi vero princeps legalis sacerdotii adhuc erat in lumbis Abrahæ, et qui postea accepit decimas a populo ipse in Abraham decimatus est, quique postea benedicebant in Abraham a Melchisedech benedicti sunt. Semper autem minor a majore benedicitur.

Vers. 22. *Da mihi animas.* Id est : captivos redde mihi. *Cætera.* Id est, spolia tolle tibi.

Vers. 23. *A filio subtegminis.* Stamen fila dicimus stantia in tela, subtegmen tramam, quæ per telam currit, quæ et pannicula vocatur.

CAPUT XV

Vers. 2. *Filius procuratoris domus.* Id est villici vel dispensatoris. *Eliezer* interpretatur *Deus meus adjutor.* Ab hoc dicunt ædificatam civitatem Damascum.

Vers. 3. *Vernaculis* diminutivum a verna, id est servus vel domigena.

Vers. 5. *Numera stellas. Sic erit semen tuum.* Gemina species ostenditur seminis Abrahæ. Nam superius dicit : *Erit semen tuum sicut arena maris.* Hic vero dicit : *Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli*, quia in illa plebe quidam futuri erant carnales et terreni, qui arenæ comparantur, aridi, infecundi a bonis operibus, alii vero spiritales et cœlestes, virtutum splendore fulgentes, quos stellis cœli comparat.

Vers. 8. *Unde scire possum quod possessurus sim eam?* Quærit signum non quasi dubitans de promissione Dei, sed modum interrogat quo hoc fieri posset. Hinc mos inolevit Judæis ut semper signa petant, sicut Apostolus dicit : *Judæi signa petunt* (*I Cor.* I, 22).

Vers. 9. *Sume vaccam triennem, capram trimam, et arietem trium annorum.* Hæc juxta litteram manifesta sunt. Mystice per hæc animalia plebs Judaica designatur quæ ab Abraham ducit originem. Per *vaccam* quidem, quia jugum legis traxit : per *capram* olidam et fetosam, quia peccatrix futura erat : per *arietem* vero qui est dux gregis significatur quia alio tempore regni imperium potentissime tenuit. Quod vero dicit vel capram, vel vaccam, vel arietem *trium annorum* esse debere, ostendit hanc plebem trium temporum articulis ad regni dignitatem profecisse sub David. Prima ætas fuit sub Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David. Quod vero animalia *divisa* sunt, *aves* vero *non sunt divisæ*, significat quia carnales quique subjacent divisioni. Dividuntur enim per sectarum scandala. Spiritales vero qui significantur per aves indivisibiles permanent, quia nullam fidei patiuntur corruptionem.

Vers. 11. *Volucres quæ descendebant super cadavera*, dæmones significant qui ex divisione carnalium quemdam sibi pastum requirunt. Quod vero *Abraham manu eas abigebat* significat quia sancti Patres plebem illam, manu sanctæ operationis, protegebant ab incursu spiritalium vel corporalium hostium.

Vers. 12. *Cumque sol occumberet.* Solis occubitus finem sæculi significat, quando per Antichristum *tenebrosus horror*, id est persecutio vel perturbatio futura est.

Vers. 13. *Affligent eos quadringentis annis.* Afflicti sunt ab Ægyptiis, sed ultima parte tantum istius temporis.

Vers. 16. *Generatione quarta revertentur huc.* Moyses dicit : *quinta* generatione egressi sunt filii Israel de Ægypto. Hic vero dicit : *generatione quarta.* Sed utrumque verum est. Nam si per Levi computes, quartam invenies generationem ita : Levi, Caaz, Caaz genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar genuit Phinees. Caaz in-

(a) Codd. ambo, *fratres.*

gressus est Ægyptum cum patre suo Levi: Phinees vero filius Eleazari ingressus est terram repromissionis. Si vero et quomodo quinta generatione hoc factum sit velis scire, per Judam computare debebis. Judas genuit Phares, Phares genuit Esrom, Esrom genuit Aminabad, Aminabad genuit Naasson, Naasson genuit Salmon. Judas ingressus est cum filio suo Phares in Ægyptum. Naason vero princeps fuit tribus Judæ in deserto, cujus filius intravit in terram promissionis.

Vers. 17. *Cum occubuisset sol.* Occubitus solis finem sæculi significat, *caligo tenebrosa* tribulationem et angustiam quæ futura erat. *Clibanus* vel *lampas ignis transiens per divisiones* significat judicium quod per ignem exercendum est, quo separandi sunt electi a reprobis.

Vers. 18. *A flumine Ægypti. Fluvium Ægypti* non Nilum debemus accipere, sed Rinocoluram fluviolum qui dividit Palæstinam et Ægyptum.

CAPUT XVI.

Vers. 1. *Igitur Sara uxor Abraham non genuerat liberos.* Quomodo potest Abraham excusari ab adulterio, qui vivente uxore sua ancillæ junctus est? Sed necdum promulgata erat lex Evangelii unius uxoris. Simul etiam audierat multiplicandum esse genus suum sicut stellas cœli, sed nesciebat per quam mulierem, quia Saram sterilem noverat. Non ergo fuit in concumbendo libidinosa voluptas, sed pia propagandæ prolis charitas. Simul etiam dicendum quia hoc voluntate nimiæ cogentiæ uxoris fecit quæ, quia ipsa filios habere non poterat, ex alia eos suscipere cupiebat.

Vers. 2. *Sed forte ex illa suscipiam filios.* Ut illa pariente filium susciperet et in locum proprii adoptaret.

Vers. 9. *Vocabis nomen ejus Ismael.* Qui *audttio* interpretatur. Quia enim angelus dixit: *Eo quod audierat Dominus vocem tuam,* hinc sumpta etymologia vocatus est Ismael, id est *auditio.*

Vers. 12. *Hic ferus homo erit.* Id est agrestis et rusticus. Pro quo LXX dicunt: *Hic erit Phara. Phara* interpretatur *onager,* significans autem Saracenos, qui de Ismael ducunt originem, qui per latam solitudinem incertis sedibus vagantes impugnant omnes eremi vicinos et ab omnibus impugnantur. Allegorice hæ duæ mulieres, exponente Apostolo (*Galat.* IV, 22 *et seq*). Synagogam et Ecclesiam significant. Agar quidem Synagogam quæ in servitutem generat populum Judæorum qui feri sunt et agrestes, jugum Domini leve et fidem ejus nolentes recipere, ideoque dispersi, et vagabundi sunt per totum orbem et omnibus maxime Christianis contrarii. Sara vero Ecclesiam quæ primum sterilis et infecunda fuit, postea vero in libertatem fidei et gratiæ plebem catholicam generavit.

Vers. 13. *Tu Deus, qui vidisti me.* Hoc est, qui misertus es mihi. Videre enim Dei misereri est. Quod autem hic dicit: *vidi posteriora videntis me* concordat cum eo loco ubi Dominus ad Moysen dixit: *Non enim videbit me homo et vivet.* Ac deinde: *Est locus apud me: stabis supra petram. Cum pertransiero, auferam manum meam, et videbis posteriora mea* (*Exod.* XXXIII, 20 *et seq.*). Illam enim sapientiam, quæ est Deus, invisibilem omni creaturæ profecto nullus videre potest. *Posteriora* autem Dei mysterium est incarnationis Christi per quam videri ab hominibus potuit. Unde et bene dixit: *Cum pertransiero.* Nam transire hominis est.

CAPUT XVII.

Vers. 5. *Non vocaberis Abram, sed Abraham. Abram* interpretatur *pater excelsus. Abraham* vero *pater multarum gentium.* Tradunt Hebræi quod de nomine Dei quod quatuor litteris scribitur, unde et tetragrammaton vocatur et ineffabile dicitur, *he* litteram scripserit Deus et addiderit nomini Abraham. Similiter de nomine Sarai *jot* litteram tulerit et camdem *he* addiderit. Nec mirum, si nos pro *he a* habemus, quia Hebræi pro *he* scribunt, sed per *a* pronuntiant. Vocatur autem Abraham *pater multarum,* subauditur, *gentium:* quia omnes gentes in ejus semine, id est, in Christo crediturae erant. *Sarai* vero interpretatur *princeps mea. Sara* absolute *princeps,* ut subaudias omnium animarum in Christum credentium.

Vers. 7. *Fœdere sempiterno.* Quærunt multi quomodo dictum sit *sempiternum fœdus,* cum nequaquam in æternum duraverit. Sed hic *sempiternum* pro *sæculari* ponitur quod Græce *eonion* dicitur. *Eon* enim Græce tam sempiternum quam sæculare vel temporale potest accipi. Vel magis propter spiritalem significationem dicitur *fœdus sempiternum,* quia fœdus Christi et in ævum fidelium credentium qui sunt spiritales filii Abraham nullo fine terminabitur.

Vers. 10. *Circumdetur omne masculinum in vobis.* Jure Abraham lex ista constituta est ut, quia primus homo per prævaricationem mandatorum Dei displicuerat, Abraham signum fœderis esset inter Deum et hominem (*a*). Secundo, ut per hanc a cæteris nationibus discernerentur in corporibus. Tertio, ut hanc eo membro suscipientes in quo dominari libido solet discerent castitatem sibi servandam et omnem impudicitiam recidendam.

Vers. 12. *Tam vernaculus, quam emptitius.* Sive servi qui dominati sunt, sive qui exemptione venerunt. Et quia Dominus omnium est creator nullum excipit a salute, nec cujusquam accipit personam, sed omnium miseretur.

Vers. 14. *De populo suo.* Id est de cœtu sanctorum. Unde et legimus: *Tu autem ibis ad populum tuum, quia pactum meum irritum fecit.* Pactum scilicet illud quod Adæ in paradiso datum est, *in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* III, 12). Omnes enim cau-

Cod. Teger., *et Abraham.* Idem scripserat prima manus in cod. Garst., sed alia antiqua correxit, *hominem.*

saliter in Adam fuimus, et ideo originalis peccati rei sumus. Hæc autem circumcisio quæ in uno membro fiebat significat circumcisionem spiritalem quæ in corde et in omnibus membris exhibenda est. Circumcidendum est cor a noxiis cogitationibus, circumcidendi sunt oculi ne videant vanitatem, circumcidendæ sunt aures, id est, obturandæ ne audiant sanguinem, et sic in omnibus sensibus celebranda est circumcisio.

Vers. 17. *Risit*. Non dubitatione, sed gaudio credens promissioni Dei. Unde et filius ejus Isaac, id est *risus* vocatus est. Sara vero postea incredulitate risit, unde et increpari meruit.

Vers. 20. *Super Ismael quoque exaudivi te*. Diximus superius *Ismaele* Judæos significari qui aucti sunt carnali generatione in immensam multitudinem. Unde per prophetam dicitur : *Gloria ejus ab utero, et vulva et a conceptu* (*Ose*. IX, 11). — *Duodecim duces generabit*. Id est duodecim apostolos, maximos duces Ecclesiæ, qui ex illo populo nati sunt. Vel duodecim duces dicit duodecim ipsius populi tribus.

Vers. 21. *Pactum meum statuam cum Isaac*. Quia misericordia et gratia ejus in populo est Christiano.

Vers 23. *Circumdidit Ismaelem et cunctos mares*. Quæri potest, si mares circumcisione salvabantur, feminæ quomodo salvabantur, quæ non circumcidebantur ? Utique fide et hostiarum oblatione, quomodo et per ante dictum præceptum circumcisionis sancti homines mundabantur, juxta quod Paulus dicit : *fide purificans corda* (*Act*. x, 9).

CAPUT XVIII.

Vers. 1. *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre*, Quæri potest juxta litteram, si Abraham angelos intelligebat esse qui in figura hominum apparebant, cur eis ea quæ mortalibus conveniunt obsequia præparavit ? Fortassis quia primo homines esse credebat, postea vero ex his quæ ab illis dicta sunt vel facta angelos intellexit. Intelligebat eos esse angelos, cum eos ad cœlum redire videbat, sicut in libro Judicicum de Manue legimus, qui primo videns angelum hominem esse putavit, dicens : *Tu es ille vir qui locutus es mulieri* (*Judic*. XIII, 11) ? Cumque ei humanitatis causa hædum fecisse voluisset, dicit ei angelus : *Si cogis me, non comedam. Sin autem : offer illud Domino*. Cumque hoc fecisset, et flamma sacrificii ascenderet, angelus in flamma pariter ascendit. Cæterum de Sara nulli dubium quod homines esse putabat. Nam et negare ausa est quod angelus dixit ad Abraham : *Cur risit Sara uxor tua ?* Negavit enim, et dixit : *Non risi*.

Mystice Abraham triplicem gessit figuram, Dei videlicet Patris in eo quod Isaac obtulit. Gestat et figuram Filii in eo quod de domo sua et cognatione exivit. Hic vero unamquemque sanctam significat animam quæ Deum in hospitio suæ mentis cum gaudio suscipit, Tres viros qui ei apparuerunt, quidam interpretantur Christum, et ipsum Moysem et Eliam qui etiam cum ea in monte transfigurati ap-

A paruerunt. Tunc ergo Dominus venit quando mysterium incarnationis Abrahæ ostendit, quia lex quæ per Moysen data est, et prophetia quæ per Eliam designatur, semper ejus prædixerunt adventum.

Vers. 6. *Accelera, tria sata similæ*. *Satum* genus est mensuræ. *Tria sata* tres significant filios Noe, a quibus disseminatum omne genus humanum post diluvium. Per *tria sata* significabatur Ecclesia et doctrina evangelica per tres mundi partes disseminanda. Hinc et in Evangelio mulier, id est, Ecclesia dicitur accepisse fermentum evangelicæ doctrinæ et abscondisse illud *in tribus farinæ satis* (*Luc*. XIII, 21). id est, in tribus mundi partibus, Asiæ videlicet, Africæ, Europæ, *donec fermentaretur totum*, id est, donec omnis mundus crederet. *Panis* significat unitatem
B credentium, quia panis ex multis granis conficitur. *Azymi* vero fuerunt, quia unitas sanctæ Ecclesiæ incorrupta est. *Subcinericei* vero, quia sancti per potentiam igne Spiritus decocti sacrificium vel escam delectabilem se ipsos Deo faciunt. *Vitulus de armento* Christus est secundum humanitatem ex patribus, de quo per Psalmistam dicitur : *Placebit De super vitulum novellum* (*Psal*. LXVIII, 32).

Vers. 8. *Tulitque butyrum et lac. Lac* cibus infantiæ est, ideoque designat veterem legem. *Butyrum* vero pingue et coagulatum doctrina est evangelica solido cibo sanctos reficiens. *Vitulus coctus* Christum passum significat. *Stabat sub arbore*. *Arbor* crucem significabat, *sub qua Abraham stabat*, quia mysterium passionis Christi inspirante Deo jam contemplabatur.

C Vers. 9. *Ecce in tabernaculo est*. Abraham foris cum angelis erat ; Sara in tabernaculis latebat : quia sapientium et doctorum est aperte prædicare, exemplis alios instituere. Infirmi vero quinque et minus docti se apud se continere debent et doctoribus subdi.

Vers. 11. *Desierant*. id est, cessaverant. *Saræ fieri muliebria*. Id est menstrua, quod cum contingit mulieri, inhabilis jam est ad procreandos filios.

Vers. 20. *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est*. Ut beatus Gregorius dicit, peccatum cum voce est peccatum in actione : peccatum autem cum clamore est deccatum cum libertate. Quia ergo Sodomitæ libere et inverecunde omnem impudicitiam exercebant, imo in pessimis sceleribus lætabantur et exultabant, ideo *clamor* eorum dici-
D tur pervenisse ad Deum.

Vers. 21. *Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint*. Clamor quidem ad Deum pervenerat, sed non statim puniuntur, nisi Angelus descendisset et vidisset utrum hoc perpetrassent. Mox autem, ut inventum est, absque dilatione misso cælitus igne consumpti sunt. Ubi docemur non facile auditis quorumdam criminibus credere : statim vero, ut res probata fuerit, continuo ultio subsequitur. Quod autem dicere : *descendam et videbo*, more nostro Deus loquitur tanquam dubitans et ignorans, Cum tamen ipse sanctam et ratam habeat scientiam.

Vers. 26. *Non delebo propter quinquaginta.* Quinquagenarius numerus dicatus est pœnitentiæ. Unde et quinquagesimus psalmus in pœnitentia cantatus est. Quod ergo dicit: *Non delebo propter quinquaginta*, ostendit potuisse eos ab imminenti interitu liberari, si ad pœnitentiam confugere voluissent. Quod autem paulatim descendendo ad *decem* pervenit, ostendit neminem posse salvari, nisi eum qui crucem Christi ferre eumque sequi studuerit, et decem legis præcepta impleverit. Denarius enim crucem Christi designat, quia decima littera qua denarius numerus exprimitur figuram habet crucis.

CAPUT XIX.

Vers. 1. *Occurrit obviam eis.* Ex hoc et ex multis aliis Scripturarum locis virtus hospitalitatis commendatur de qua et beatus apostolus Petrus [Paulus dicit: *Hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis* (*Hebr.* XIII, 2).

Vers. 8. *Habeo duas filias.* Quæri solet utrum hæc compensatio fieri debeat, ut videlicet minus peccatum fieri permittamus ut gravius delictum vitetur. Ecce enim Lot filias suas incestui tradere voluit, ne majus peccatum contra naturam in viros committeretur. Sed hoc perturbato animo dare debemus. Nesciens ergo qui ageret, vel quo hospites (*a*), quo homines putaret, hoc egisse credendum est.

Vers. 11. *Percusserunt cæcitate.* Quoddam genus cæcitatis est quod Græce *aorasia* dicitur, id est, avidentia, qua quædam videntur, quædam non videntur. Sodomitæ ergo alia videbant, sed ostium Lot videre non poterant. Moraliter *Lot* justos significat, *Sodomitæ* invidos et detractores designant, qui quodammodo *ostium quærunt* per quod ad Lot irrumpant, quando homines bona facta reprehendere volunt, sed non possunt invenire aditum reprehendendi, quia illo virtutis claustro munito corruptores mentium nihil habent quod reprehendant.

Vers. 14. *Locutus est ad generos suos.* Quidam putant Lot habuisse filias quæ viros haberent quos appellavit *generos*, et illas cum maritis in Sodomis remansisse, duabus aliis quæ sine maritis erant cum patre egressis. Sed alia translatio dicit aperte: *Locutus est ad sponsos qui accepturi erant filias* Ergo nondum erant generi, sed esse volebant.

Vers. 17. *Salva animam tuam.* Allegorice Lot fuga de Sodoma, quæ juxta aliam significationem cæcitas interpretatur, significat abrenuntiationem cupiditatum et illecebrarum sæculi. Præcipitur ergo Lot ut fugiat incendium Sodomæ et ne retro aspiciat: quia omnis post perceptam gratiam vias vitæ ingressus non debet ad ea quæ dereliquit iterum redire, juxta quod Dominus dicit in Evangelio præcipiens: *In illa die, qui fuerit in tecto vel in agro non redeat retro* (*Luc.* XVII, 31). Exemplum quoque commemorans uxoris Lot quæ, cum retro respiceret, in statuam salis versa remansit, significans eos qui post professam servitutis (*b*) Dei relabuntur ad concupiscentias A sæculi. Unde et merito *in statuam salis* versa fuisse dicitur, quia suo exemplo, veluti salis condimento, mentes legentium vel audientium ne talia patiantur edocet.

Vers. 20. *Est civitas parva.* Id est, *Segor* quæ antea *Bale* dicebatur, secundum quod dixit: *Est civitas parva, quæ vocata est Segor*, id est *parvula.* Mystice *mons* celsitudinem virtutum significat ad quem nos angelus cohortatur dicens: *In monte salvum te fac*, sicut verbi gratia est contemptus omnium facultatum. Ad quam perfectionem Dominus invitat dicens: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cælo* (*Matth.* XIX, 21). Qui vero se viderit ad hunc montem non posse conscendere, melius est B ut *in Segor*, hoc est, in *parvula* remaneat, contentus laicali vita et communi conversatione, quam post arreptum virtutis montem ad humilia, id est ad sæcularia redeat. Virginitas quoque celsissimus mons est ad quem doctor gentium hortatur, dicens: *Bonum est homini, si sic permanserit sicut et ego* (*I Cor.* VII, 8). Hortatur ergo angelus Lot ut ad hunc montem conscendat, fugiens incendia libidinum. Sed qui se viderit hoc non posse servare descendat ad *Segor*, hoc est, utatur legitimo conjugio, quia melius mediocri bono uti quam per abrupta libidinum præcipitari. Unde et Dominus apostolis dicentibus: *Si sic est causa uxoris, non expedit nubere*, respondit: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 10 *seq.*). Et Apostolus: *Propter fornicationem*, inquit, *unusquisque* C *suam uxorem habeat* (*I Cor.* VII, 2).

Vers. 24. *Pluit Dominus ignem et sulphur de cælo. Ignis* ardorem habet, *sulphur* fetorem. Quia ergo isti flamma libidinis arserant et in fetore carnis versabantur, juste simul *igne et sulphure* perierunt. Considerandum hoc loco quod primos peccatores aqua diluvii exterminavit, quia et ipsi similiter carnis concupiscentia Deum offenderant. Sodomitæ vero graviori supplicio, id est, ignis et sulphuris diluvio perierunt, quia illi, licet mensuram excederent, naturaliter tamen peccabant cum feminis, isti vero, irrationabiliter et contra naturam, ideo gravissimo supplicii exemplo damnati sunt.

Vers. 29. *Recordatus est Abraham.* His verbis ostenditur meritis Abrahæ Lot fuisse liberatum, D licet Scriptura eum appellet esse *justum.* Sed sciendum quia non perfecte justus erat, sed juxta quemdam modum. Sive justus fuisse dicitur ad comparationem Sodomitarum inter quos vivebat, qui omni immundita et iniquitate repleti erant.

Vers. 30. *Ascenditque Lot de Segor.* Quærendum est quare, cum ipse petierit ut Segor habitaret, hortante angelo ut in monte salvaretur, iterum relicta Segor montem conscenderit. Sed ex hoc vera videtur Hebræorum opinio qui dicunt hanc civitatem tertio terræ motu corruisse. Hoc sciens Lot timuit ibi esse, reputans apud se quia si aliis stantibus hæc ceciderat

(*a*) Cod. Teg., *quos hospites.*

(*b*) Ita uterque cod.

multo facilius nunc aliis pereuntibus ipsa quoque posset perire. Et propter hoc peccatum infidelitatis, quia angelo non credidit, dicunt contigisse ei scelus incesti.

Vers. 31. *Pater noster senex est.* Putabant filiæ Lot omne genus hominum ubique defecisse, nullumque virorum remansisse nisi patrem suum. Ideo hoc cogitaverunt ut ex patre semen servarent. Quarum adulterium Origenes multipliciter excusat, quia hoc non libidinoso animo sed studio reparandæ prolis egerunt. Lot vero inexcusabilis est primo, quod angelo non credidit, deinde, quod vino inebriatus est; sicque minus peccatum fuit ei causa majoris criminis.

Vers. 35. *Ac ille non sensit, nec quando illa accubuit, nec quando surrexit.* Hoc Judæi in tantum non recipiunt, ut quoties hunc locum legunt compunguntur. Dicunt enim non posse fieri ut homo non sentiens concumbat.

Vers. 37. *Peperitque major filium, et vocavit eum Moab.* Moab *ex patre* interpretatur.

Vers. 38. *Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen ejus Amon.* Amon *filius populi mei*, vel *filius generis mei* interpretatur. Isti fructus sunt ebrietatis, Moabitæ et Amonitæ, id est, qui ex patre sunt diabolo, juxta quod Dominus talibus dicit: *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44). Et sunt filii populi invidentis et persequentis sanctos.

CAPUT XX.

Vers. 1. *Peregrinatus est in Geraris.* Geraris terra est Palæstinorum.

Vers. 2. *Misit Abimelech, et tulit eam.* Quæri potest in illa jam ætate quomodo amari poterat Sara, cum esset anus decrepita? Sed hoc mirandum potius, quam quærendum, quod tantus decor formæ in ea fuerit ut nec senectus ejusdem pulchritudinem potuerit derogare.

Vers. 6. *Custodivi te, ne peccares in me.* Cum dixit Dominus: *Gustodivi te, ne pecceares in me*, ostendit quia qui talia agunt in Deum peccant, licet peccamen adulterii apud sæculi homines aut leve aut nullum putetur.

Vers. 12. *Filia patris mei, et non filia matris mæ.* Alia translatio apertius dicit: *A patre, et non a matre.* Fuerat enim filia Aran fratris Abraham, soror Lot.

Vers. 16. *Hoc erit velamen ocucorum.* Id est: in funeris præparatone: *Mememtoque te deprehensam.* Hoc quasi jocando dicit monens eam amabiliter ne hoc auderet facere, ne similiter deprehensa videretur Mystice loco hoc *Abraham* Christum significat, *Sara* vero Ecclesiam. Abraham honorabatur propter Saræ pulchritudinem et Christus laudatur in mundo et honoratur per Ecclesiam; quia sicut Psalmista dicit: *Mirabilis Deus in sanctis suis* (*Ps.* XVII, 36). Habebat Sara virum, sed latebat, et Ecclesia habet Christum, sed videtur in præsenti receptus secretis cœlestibus.

CAPUT XXI.

Vers. 4. *Circumcidit octava die.* Circumcisio, cum ob multas figuras præcepta sit, specialiter figuram Christi prætendit qui nos et in præsenti per baptismum vetere homine exuit, et in futuro per resurrectionem circumcidit in nobis omnem mortalitatem et corruptionem. Nam et quod in *octava die* circumcisus est Isaac designabatur octava sæculi ætas, quando generaliter resurrectio mortuorum celebrabitur.

Vers. 8. *Fecit grande convivium.* Juxta litteram convenientius fuit ut in die nativitatis vel circumcisionis ejus Abraham epulum faceret. Sed vir prophetico plenus spiritu hoc in die ablactationis facere maluit. Significabatur enim per hoc, qua tunc Deo et angelis festivitatem quodammodo facimus quando lacte infantiæ dimisso in virum perfectum evadimus et solido jam cibo utimur.

Vers. 9. *Ludentem.* Tradunt Hebræi quod idola fecerit quasi ludens quibus infantiam Isaac deciperet Beatus quoque Hieronymus dicit quod quasi major per ludum primogenita sibi præsumpserit. Absolute autem possumus picere quod cum lubricum et lascivum facere volebat, sicut ipse erat. Unde et Apostolus hunc ludum persecutionem appellat dicens: *Sed, tunc sicut is qui secundum carnem natus est persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et numc* (*Gal.* IV, 29).

Vers. 11. *Dure accepit hoc Abraham.* Licet enim in mysterio ista fieri cognosceret, tamen paterno affectu erga filium movebatur.

Vers. 14. *Bersabee* interpretatur *puteus septimus* vel *puteus juramenti.* Sed locus ille necdum hoc nomen habebat. Unde et per præocupationem accipiendus est.

Vers. 13. *Abjecit Agar puerum.* Non quo eum in scapula portaret qui, quando circumcisus est, tredecim annorum: sed *abjecit* eum ab animo et cura sua eum repulit. Sic enim usualiter loqui solemus: *abjeci ex animo.*

Vers. 17. *Exaudivit Dominus vocem pueri.* Matre flente *pueri vocem* dicitur *exaudisse*, quia pro illo et non pro se flebat, sicque vox matris quodammodo vox pueri erat. Typice *Agar* Synagogam designat, Ismael plebem Judaicam. Portatur Ismael ab Agar: et peccator populus Judæorum gravi maledictionis pondere cervices matris suæ Synagogæ premit. *Panis* quem portabat significat panes propositionis, qui in mensa sanctificati erant. *Aqua* quæ eis defecit significat legalem purificationem, sive etiam carnalem Scribarum et Pharisæorum doctrinam quæ in pelle mortua, hoc est, in carnali observatione continebatur et observatores suos juxta litteram occidebat non habens spiritum vivificantem. Quod Agar *puerum sub arbore projecit eos* significat qui in Christum ex illo populo credentes umbra passionis et crucis protegebantur.

Vers. 18. *Surge, et tolle puerum, et tene manum ejus.* Hoc est junge te illi, et ambula cum illo. Sic faciunt ambulantes simul. Juxta litteram intelligimus matrem se abscondisse, quando dixit: *Non videbo morientem puerum.* Monet ergo eam angelus ut revertatur ad puerum, et tollat eum, non de terra erigendo

vel portando, sed in sua cura et providentia suscipiendo.

Vers. 23. *Terra in qua versatus es advena.* Id est in Palæstina, Abraham enim in Geraris habitabat peregrinus. Gerara vero est quæ nunc *Palæstina Salutaris* dicitur ubi natus est Isaac, licet quidam asserant eum ad ilicem Mambre natum.

Vers. 31. *Vocatus est locus Barsabee. Puteus Septimus,* propter sex agnas quæ ibi immolatæ sunt. Vel *puteus Juramenti,* quia uterque ibi juraverat. *Sabee* utrumque sonat, *et septem et juramentum.* Hoc loco quærendum quid sit quod superius legitur Agar stetisse ad *puteum juramenti* quod postea longo tempore factum est. Needum enim ita vocabatur. Ergo per prolepsin, id est per præocupationem accipiendum est :qui modus locutionis usitatissimus est in divinis Scripturis, quamvis potuerit esse illo tempore jam puteus. Quod si ita est, tunc per recapitulationem locus iste accipiendus est.

Vers. 33. *Plantavit nemus in Bersabee.* Supra dicitur quod non dederit ei Deus hæreditatem *nec passum pedis* (*Act.* VII, 5), ut Paulus apostolus dicit. Sed intelligimus circa puteum fuisse aliquod spatium terræ quod simul cum puteo in dominium cessit.

CAPUT XXII.

Vers. 1. *Tentavit Deus Abraham.* Est tentatio quæ probat, non ea quæ damnat. *Tentavit* ergo eum non quod ipse aliquid disceret cui omnia nuda sunt et aperta, sed ut ipsum Abraham sibi ostenderet ut cognosceret quantæ fidei in Deum esset.

Vers. 2. *Super unum montium.* Hebræi tradunt vel autumant hunc montem esse *Moria,* in quo postea templum Dei *et Dabir,* id est oraculum est ædificatum. Unde et mons Moria *lumen* vel *illuminatus* interpretatur.

Vers. 12. *Cognovi.* Id est cognosci feci.

Vers. 13. *Hærentem cornibus inter vepres.* Alia translatio ipsum verbum ponit Hebraicum, dicens: *Hærentem in virgulto Sabee.* Sabee *condensum* vel *spissum* interpretatur, per quod significat densitatem virgultorum et veprium in quibus cornibus hærebat aries. Juxta litteram magnum nobis exemplum datur magnæ obedientiæ sancti Abraham, qui cum unicum filium haberet audissetque a Domino : *In Isaac vocabitur tibi semen,* tamen non dubitavit eum offerre Deo, *credens,* quod et Apostolus dicit : *Quod a mortuis eum posset resuscitare* (*Hebr.* XI, 19). Allegorice *Abraham* Dei Patris hoc loco gerit personam, *Isaac* Domini Jesu Christi. Immolatio Isaac passionem Christi designat. Bene autem dicitur : *Ipse portabat ligna holocausti* : quia Christus crucem suam bajulavit, juxta quod in ejus passione dicitur : *Et bajulans sibi crucem exiit in locum qui vocatur Golgotha* (*Joan.* XIX, 17). *Duo viri* qui comitabantur cum Abraham, populus Judæorum. *Duo* autem ideo, quia ille populus post mortem Salomonis divisus est in duo regna, in decem videlicet tribus quibus Jeroboam imperavit, quæ vocantur Israel, et in duas alias tribus, Juda videlicet et Benjamin, super quas

A regnavit Roboam filius Salomonis, quæ dicuntur Juda, cum quibus erat et tribus sacerdotalis, id est Levi. *Asinus* quem secum ducebant stultitiam Judæorum designat. Asinus enim quod portabat nesciebat : et Judæi in libris propheticis Christum legebant, sed venientem non intelligebant. Unde et bene eis dicitur : *Exspectate hic cum asino.* Usque hodie enim et usque ad finem sæculi quasi exspectant Christum cum stultitia sua ut Apostolus dicit : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiat* (*Rom.* XI, 25). Quod dicit : *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos,* significat quod impleta passione in ultima sæculi ætate revertatur Deus, et reconcilietur Judæis credentibus. Quod autem *tertio die elevatis oculis,* tres dies tria significant sæculi tempora ante

B legem, sub lege et sub gratia. Nam et Dei Filius die tertio ad nuptias dicitur venisse et aquam in vinum convertisse, quia tertio sæculi tempore venit ad conjungendam sibi Ecclesiam et legis litteram in spiritalem intellectum convertendam. *Aries* qui apparuit Abrahæ humanitatem Christi designat de quo bene dicitur quod *hæreat cornibus inter vepres,* quia Christus cruci affixus est, manus ejus in cornibus, id est, in brachiis crucis hærebant. Sive *hærebat inter vepres,* quia spinis coronatus est. Quod autem aries immolatus est Isaac autem evasit, significat quia per humanitatem pati potuit, per divinitatem vero impassibilis mansit. Nam duæ sunt in Christo substantiæ vel naturæ. Juxta litteram quia aries cornibus hærebat inter vepres, inde Judæi in solemnitati-

C bus tubis corneis solent canere, ut per hoc memor sit Deus eorum et repropitietur illis propter magnam Abrahæ obedientiam.

Vers. 14. *In monte Dominus videbit.* Hoc quasi proverbium obtinuit apud Judæos ut quoties aliqua necessitate vel angustia tenentur, dicant : *In monte Dominus videbit,* vel ut in Hebræo habetur : *In monte Dominus videbitur,* hoc est miserebitur et liberabit nos.

Vers. 16. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus. Omnis homo per majorem se jurat,* ut Apostolus dicit, *Deus autem, quia neminem se habet majorem per semetipsum dicitur jurare* (*Hebr.* VI, 13 *et seq.*).

Vers. 20. *Melcha soror Saræ.* Abraham Saram

D duxit uxorem, Melcham vero Nachor.

Vers. 21. *Hus,* ex quo *terra Hus* dicitur in Job : *Buz* vero, de quo *Buzites,* vocatus est Elia quem etiam autumant Hebræi esse Balaam. *Gamuel patrem Syrorum.* Quod dicit *patrem Syrorum* non est referendum eis qui hoc nuntiabant, sed potius ei qui longo post tempore scripsit.

CAPUT XXIII.

Vers. 3. *Heth* a quo Hethæi dicuntur.

Vers. 7. *Surrexit et adoravit.* Cum Dominus dicat in lege : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies,* quid est quod Abraham homines legatur adorasse ? Sed aliud est, Deum adorare eo modo,

quo solus colendus et adorandus est; aliud, quo se **A** sancti homines invicem venerantur atque suscipiunt, quamvis non dixerit: *Dominum Deum tuum* solum *adorabis*, sicut dixit: *Illi soli servies.* Est enim servitus quæ soli Deo debetur, quæ Græce *latria* dicitur. Unde et idololatræ dicuntur qui relicto creatore creaturæ serviunt. Nam quod Apostolus dicit: *Per charitatem servite invicem* (*Gal.* v, 13), de illa servitute dictum est qua sancti homines se præveniunt sibique obsequuntur, quæ Græce *dulia* dicitur. Unde et servos *dulos* vocamus. Quod vero in Apocalypsi angelus volentem se Joannem adorare prohibuit, dicens: *vide ne feceris*, fortassis aliquod divinum in angelo suspicatus fuerat Joannes et ideo sicut Deum voluerat adorare, idcirco prohibitus est.

Vers. 17. *Confirmatusque ager est quondam Ephronis.* **B** Primum dictum est *Ephron*, id est *confirmatus et perfectus*, sed postquam pretium ex sepultura accepit, licet cogente Abraham, immutatum est nomen ejus et dictum est *Ephran*, id est *infirmus* vel *imperfectus.* Audiant hoc qui sepulturas mortuorum (*a*) vendunt. Si enim ille qui licet invitus tamen quomodo adduci potuit ut pretium de sepultura acciperet nominis immutatione damnatus est, multo magis isti, qui non coguntur, sed ipsi quid exigunt, damnabuntur et inter perfectos non computabuntur. *In quo erat spelunca duplex.* Mystice *spelunca duplex* operationem rectam et contemplationem significat, activam videlicet et contemplativam. Sara ergo in duplici spelunca sepelitur, cum anima fidelis cupiditatibus et desideriis sæculi mortua sub boni operis et contemplationis tegmine celatur. Unde et **C** apostolus Paulus dicit: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

CAPUT XXIV.

Vers. 2. *Pone manum tuam sub femore meo.* Judæi dicunt, in sanctificatione Abraham, id est, in circumcisione jurasse. Sed melius est ut hoc ad incarnationem Christi referamus. Prævidens autem sanctus patriarcha Christum, qui perfectus esset homo et perfectus Deus, de sua progenie nasciturum, sub femore suo præcepit ut manum mitteret et juraret. Quia enim hominem et de sua carne nasciturum prævidit ideo dixit: *Pone manum tuum sub femore meo.* Quia vero Deum agnovit, ideo subjungit: *Jura mihi per Deum cœli*, id est, per divinitatem ejus qui de mea carne nasciturus est. **D**

Vers. 13. *Igitur ego sto prope fontem aquæ.* Beatus Augustinus quærit hoc loco ad litteram utrum hoc agere debeamus ut signum a Deo petamus. Pene enim nihil videtur differre ab augurio. Sed aliud est signo aliquo in quo miraculum sit voluntatem Dei quærere, aliud, in vocibus avium vel mutorum animalium divinationem captare, quamvis, nec illud in summa necessitate præsumendum sit. Allegorice servus Abraham chorum significat sanctorum doctorum. Hic est ille servus qui in Evangelio a Domino suo missus est ut invitatos ad paratam cœnam venire faceret. Misit servus manum sub femore domini sui Abraham, quia doctores summa veneratione incarnationem Christi suscipiunt. Et non *super* femur, *sub femore* manum ponit, quia carnem Christi a carne cæterorum hominum longe distare intelligunt. Christi enim caro de Virgine sine labe peccati nata est. *Rebecca* quæ patientia interpretatur, Ecclesia est ex gentibus quæ per patientiam virtutes suas custodit. *Fons* ad quem servus stetit significat fluenta doctrinæ evangelicæ, vel etiam sacramentum baptismatis ad quod festinabat jam *Rebecca*, id est, Ecclesia; cum hydria, id est cum Verbi mensura. Bene autem *hydriam de scapula super ulnas deposuisse* dicitur. Per *scapulas* enim intelligitur voluntas bona in qua primum fidem suscepit. Per *ulnam* vero operatio, quæ fidem subsequitur. Ornamenta quibus servus Rebeccam decoravit virtutes et præcepta doctorum sunt. *Inauris* enim humilitatem boni auditoris significat qua in dilectione Dei et proximi proficit. Unde et *duos siclos* inaures habuisse dicuntur. *Armillæ* vero obedientiam boni auditoris, vel bonam operationem significat. Quæ appendebat *decem siclos*, quia omnis nostra operatio in decem legis præceptis consistit.

Vers. 22. *Postquam biberunt cameli.* Quod Rebecca non solum viro dedit potum, verum etiam *camelos* adaquavit, significat quia Ecclesia nulli debet subtrahere verbum prædicationis, sed sapientibus et stults in commune annuntiare. Hinc Paulus dicit: *Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I, 14). Vel aliter. Per *camelos* carnem nostram debemus accipere. Cameli ergo adaquantur, quando cura corporis agitur, non tamen in desideriis, sed in necessitate, ut Rebecca sive anima gestare possit.

Vers. 25. *Locus spatiosus ad manendum. Locus spatiosus ad manendum* quem Rebecca apud se esse dicit lex est naturalis quam sancta Ecclesia, antequam ad Christum veniret, habebat, qua dicitur: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (*Matth.* VII, 12). Ergo per hanc legem naturæ præparabatur ingressus legi evangelicæ.

Vers. 29. *Habebat Rebecca fratrem nomine Laban.* Laban figuram tenet carnalium hominum. Hic ergo virum vocat *dominum et benedictum Domini* appellat, quia carnales quique sanctorum doctorum virtutes admirantur eosque honorant, nequaquam tamen ad illorum perfectionem imitandam assurgunt.

Vers. 50. *A Domino egressus est sermo.* Quia sciebant Abraham prophetam esse, idcirco quod Abraham a Domino egressum esse dicunt, sive etiam quia servus Abraham signum a Domino quæsierat eique mox signum datum fuerat, idcirco Deum locutum esse dixerunt.

(*a*) Uterque cod *vendant.*

Vers. 61. *Igitur Rebecca et puellæ ejus. Puellæ* A quæ Rebeccam ad Isaac prosecutæ sunt significant fideles animas quæ in Ecclesia simpliciter conversantur, non tamen ad thalamum contemplationis perveniunt.

Vers. 62. *Habitabat in terra australi.* Id est in Gerara. Mystice *puteus videntis et viventis* (*Jerem.* XXII, 24) sancta Scriptura est per quam Dei cognitionem accipimus. Ipse videns et vivens qui per prophetam loquitur : *Vivo ego, dicit Dominus. Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV, 13). Via quæ ducit ad puteum viventis et videntis passio Christi quæ nos ad intellectum Scripturarum perducit. Neque enim aliter ea quæ in Veteri Testamento scripta erant intelligere possemus, nisi in passione impleta claruissent. Et notandum quod dicit : *deambulabat.* B Deambulare namque est eundo et redeundo iter frequentare. Sic et passio Christi diverso modo et tempore frequentata est. Nunc enim a Judæis blasphemiis et contumeliis insectabatur, nunc colaphizabatur, modo conspuebatur : sic et tali modo per viam suæ passionis *deambulabat.* Quod Rebecca Isaac in terra Australi reperit significat quia sancta Ecclesia, relicto frigore infidelitatis, et calore fidei succensa ad Christum venit.

Vers. 63. *Egressus fuerat ad meditandum in agro.* Quidam codices habent : *ad exercitandum in agro.* Alia quoque translatio dicit : *ut loqueretur in agro. Inclinata jam die.* Quia vir sanctus jam post nonam horam diei ad vesperam inclinatam egressus fuerat solus ut Deo spirituales victimas immolaret, hoc C est, ut orationes et hymnos persolveret. Allegorice ager mundus est, sic Domino parabolam suam exponente : *Qui seminat est Filius hominis : ager autem est mundus* (*Matth.* XIII, 38). Isaac ergo inclinata jam die ad meditandum in agro egressus est : quia Dei Filius novissima sæculi ætate venit in mundum, juxta quod per prophetam dictum fuerat : *Egressus es in salutem populi tui cum Christo tuo* (*Habac.* III, 13). *Ut exerceretur*, hoc est, passionis suæ certamen impleret. *Cumque levasset oculos vidit camelos venientes procul.* Per *camelum*, tortuosum animal et sua struma ponderatum significatur gentilitas, pravis moribus tortuosa et idololatria prægravata, quæ quia ex ipsa reperit quos coleret, quasi strumosum animal gibbum in dorso portabat. In D camelo enim sedens Rebecca ad Isaac venit, quia sancta Ecclesia adhuc gentilitatis errore confisa et quasi sustentata ad Christi gratiam vocata est.

Vers. 64. *Rebecca conspecto Isaac de camelo descendit.* Quia Ecclesia cognito Christo se pro suis erroribus confusa humiliavit. Unde et bene se pallio operuisse dicitur, quia confusione et erroris sui rubore se operuit. Unde et Paulus quibusdam loquitur : *Quem fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis?* (*Rom.* VI, 21.) Nam et Psalmista dicit : *Operuit confusio faciem meam* (*Psal.* LXVIII, 8).

Vers. 67. *Introduxit eum in tabernaculum Saræ matris suæ.* Quia Christus Ecclesiam in locum Synagogæ constituit de qua carnem assumpserat. *Accepit eam uxorem.* Quia gratiam quam illa quondam habebat novæ sponsæ attribuit, despondens eam sibi non habentem maculam, neque rugam. *Ut dolorem qui ex morte matris acciderat temperaret. Mors matris* est infidelitas Synagogæ pro qua Christus multum doluit. Unde et in passione dicebat : *Tristis est anima usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Non enim pro passione tristabatur, sed pro Judæorum perditione. Hunc ergo dolorem temperavit amore Rebeccæ, quia damnum et expeditione unius plebis recompensavit fide et salute omnium gentium.

CAPUT XXV.

Vers. 1. *Abraham vero duxit aliam uxorem Ceturam.* Quæ interpretatur *copulata* vel *conjuncta.* Unde tradunt Hebræi hanc esse Agar matrem Ismaelis quæ prius concubina fuerat, sed post mortem Saræ Abrahæ legitime copulabatur : quod ideo fingunt, ut excusent Abraham ne jam senex et depositus novis nuptiis videatur lascivisse.

Vers. 2. *Quæ peperit.* Hi qui de Cetura nati sunt occupaverunt terram Trogoditen et Arabiam, quæ Eudemon dicitur, usque ad mare Rubrum.
Allegorice sicut per Agar et Ismaelem designantur Judæi in servitutem generati, ita per Ceturam et ejus filios designantur hæretici qui in Novo Testamento sub prætextu nominis Christi male de ejus veritate fidei senserunt. Unde bene postea Abraham filiis concubinarum munera largitus fuisse dicitur, hæreditatem vero solus Isaac consecutus est, quia hæreticis Christus in præsenti beneficia scientiæ et intelligentiæ tribuit, sola autem Ecclesia catholica ad regnum perducitur.

Vers. 3. *Assurim* in *negotiatores* transfertur. *Latusim. .es* vel *metalla cudentes. Lomim*, phylarchos, id est *princeps tribuum.*

Vers. 8. *Deficiens mortuus est.* Beatus Hieronymus dicit hoc male additum scriptorum vitio. Neque enim *defectus* vel imminutio justo viro convenit, cum potius augeri et multiplicari debeat Psalmista dicente : *Justus et cedrus Libani multiplicabitur* (*Psal.* XCI, 13). *Plenus dierum.* Plenitudo in ortu, actu et obitu sanctorum solet inveniri. Et ideo recte Abraham *plenus dierum* mortuus fuisse legitur, consummatus et perfectus erat omnibus virtutibus. Econtra in reprobis omnia quadam imperfectione notantur. Unde et psalmus : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* (*Psal.* LIV, 24). — *Congregatus est ad populum suum*, id est ad multitudinem præcedentium patrum.

Vers. 13. *Primogenitum Ismaelis Nabaoth.* A quo omnis regio a mari Rubro usque ad Euphratem *Nabathæa* dicitur.

Vers. 18. *Ab Hevila.* Id est ab India. *Coram cunctis fratribus obiit.* Id est in manibus fratrum suorum, omnibus videlicet adhuc superstitibus,

et nullo ante eum morte prærepto. *Fratres* autem pro filiis posuit sicut et eo loco ubi in sequentibus Jacob dixit ad Laban: *Quid peccavi tibi, ut insequereris post me?Pone coram fratribus meis et fratribus tuis.*Neque enim Jacob ibi alios fratres habebat quam suos liberos.

Vers. 20. *De Mesopotamia.* Mesopotamia regio fertilissima est quæ sic vocatur Græco nomine etiam ideo quod media sit inter duo flumina,Tigrin videlicet et Euphratem. Nam *mesos* medius, *potamos* fluvius dicitur. Hinc hippopotamos equus fluvialis

Vers. 21. *Deprecatus est pro sua uxore,* Dominus promiserat Abrahæ quod multiplicaret semen ejus sicut stellas cœli et sicut arenam maris.Quæ multiplicatio per Isaac futura erat juxta quod Abrahæ dictum est : *In Isaac vocabitur tibi semen.*Quid ergo est quod Isaac sterilem uxorem sortitus est, si per eum semen Abrahæ multiplicandum erat?Sed sciendum quia sancti ea quæ orando obtinent sic prædestinata sunt ut precibus impetrent.Hinc est quod per Isaac multiplicandum erat semen Abrahæ : sed hoc ipsum orando obtinuit. Nam omnibus justis præparatum est ante sæcula regnum Dei, sed ita ut orando et laborando ad illud suo tempore perveniant.

Vers. 22. *Collidebantur*, Septuaginta dicunt : *Ludebant et calcitrabant. — Perrexitque ut consuleret Dominum.*Quæritur quo perrexerit consulere Dominum.Necdum enim tabernaculum,necdum templum Dei ædificatum erat. An forte perrexit illuc ubi Abraham altare Domino ædificaverat,aut,ut quidam putant, adhuc Melchisedech sacerdos Dei vivebat, quamvis possit credi fuisse tunc temporis aliquem sanctum virum ad quem consulendum soliti erant pergere ? Potest et illud dici,quod mente et cogitatione ad Deum perrexerit,et allegatis petionibus in loco dormierit,ibique per visionem responsum divinum acceperit.

Vers. 23. *Duæ gentes in utero tuo sunt.* Juxta litteram duas gentes Idumæorum et Judæorum dicit Quod vero in sequentibus dicit:*Major serviet minori* illud tempus quando Esau major Idumæorum servivit Jacob, id est Judæis.David enim eos tributarios fecit et sic servierunt sub tributo usquequo rebellaverunt, juxta quod in libro Regum legitur: *Recessit Edom ne esset sub Juda* (*IV Reg.* VIII, 20). Mystice hi duo gemini duos significant populos,Esau major natu Judæos, Jacob vero minor gentilem populum Major ergo servit minori,quia Judaicus populus dispersus per totum orbem servit gentibus,non solum corporali servitute,verum etiam quia legem et prophetas ad gentium utilitates servat. In nobis etiam ipsis hæc rixa duorum populorum agitur cum lex carnis repugnat legi menti, cum vitia virtutibus contraveniunt.Nam per majorem vitia designantur quia plura sunt virtutibus, et semper numero plures vel priores sunt mali quam boni. Sed per Dei A auxilium mali superantur a bonis et vitia cedunt virtutibus.

Vers. 25. *Qui prior egressus fuerat vocatus est Edom vel Rufus. Edom* enim interpretatur *rufus* vel *rubeus*, a quo Idumæi vocantur. *Hispidus*, id est setosus qoud Hebraice dicitur *Seir* a quo mons Seir vocatus est. Ergo novimus eum trinomium fuisse, quia vocatus est *Esau, Edom: Seir. Jacob* interpretatur *supplantator.*Mystice Jacob gentilem populum videlicet Judaicum supplantavit, id est sub planta misit, quia quasi super eum ascendit,quando ejus dignitatem accepit.

Vers. 27. *Factus est Esau vir gnarus venandi.* Per *Esau venatorem* hoc loco designantur homines terrena quærentes,et lucris sæculi quasi venationi insi B stentes. Qui bene etiam *agricola* fuisse dicitur.quia homines sæculi quanto plus intima sua negligunt. tanto magis in cultura et studio rerum præsentium occupantur.*Jacob vero simplex habitabat in tabernaculis.*Quia unusquisque sanctus et minus in terrenis occupatus intra domum sanctæ conscientiæ habitat, nec per exteriora spargitur.Juxta litteram pro *simplici* alia translatio habet *sine dolo*,quod Græce *aplastes*,id est *non fictus* dicitur. Sed quomodo sine dolo erat qui fratrem suum dolo decepit ? Sed hoc ad mysterium, non ad malitiam ejus referendum est, quia *omnia in figura contingebant* (*I Cor.* x, 11).

Vers.31.*Vende mihi primogenita.Primogenita* dicuntur omnia quæ vulvam matris aperiunt,quæ specialiter primogenitis filiis debebantur,Nonnulli dicunt pr mogenita vocari vestem qua induebantur primogenite C et sacerdotes fiebant.Hanc igitur dignitatem quam Esau primogenitus accipere debuit cupiditate gulæ superatus minori fratri suo vendidit.Quibus modis vitio gulæ tentamur?Sciendum autem quinque modis nos vitio gulæ tentari : primo, cum quis ante horam dispositam vel ante necessitatem vult comedere. Secundo cum lautiores cibos requirit. Tertio, cum accuratius communes cibos vult præparari. Quarto, cum comedendo modum excedit. Quinto, cum despicabile est quod vile est percipit in ipso æstu desiderii magis ostendit. Hac specie victus Esau displicuit et reprobatus est.Hinc beatus Augustinus dicit : « Non ergo immunditiam obsonii,sed immmunditiam timeo cupiditatis. » Mystice Judæi qui per Esau significantur,carnis suæ voluptatibus D dediti et terrenis operibus occupati non solum dignitatem quam in præsenti habebant dimiserunt verum etiam illam beatitudinem quæ eis repromissa erat, et omnis eorum dignitas ad gentilem populum translata est.

CAPUT XXVI.

Vers, 10: *Quare imposuisti* ? Id est, quare decepisti ? Hinc *impostores* dicuntur

Vers. 18. *Rursum fodit alios puteos quos foderant servi patris sui.* Allegorice Isaac Cristum significat

(a) Cod,, *apotamos.* Quæ vox cum seqq. deest in cod. Teg.

qui, cum venisset per Incarnationis mysterium ad torrentem nostræ mortalitatis, *fodit puteos* id est, aperuit scientiam Scripturarum,*quos fodiebant servi patris ejus* Abraham, scilicet Moyses, David, Salomon et magni voce prophetæ. Hi enim servi Abraham, id est, omnipotentis Dei cujus figuram Abraham gestabat. Sed hos *puteos Palestini invidentes terra repleverunt,Palæstini* Judæos designant alienos a Deo qui Scripturas perruperant terreno intellectu Nam Palæstini *alieni* interpretantur.

Vers. 19. *Foderunt in torrente et reperere aquam vivam.* Servi Isaac *in torrente aquam vivam repererunt.* Qui sunt *servi Isaac* nisi Matthæus, Marcus, Lucas, et Joannes cæterique apostoli qui *aquam*, id est, evangelicam doctrinam *repererunt* et credentibus tradiderunt ? Sed rursum *Palæstini jurgati sunt :* quia Judæi evangelicæ doctrinæ restiterunt, nec nova condi permittentes, nec vetera purgari valentes.

Vers, 22. *Foderunt alium puteum pro quo non contenderunt, Pro* tertio *puteo* jam victi *non contenderunt*, quia, postquam fides Trinitatis sanctæ per mundum prædicari cœpit,patientia sanctorum victi adversarii cessaverunt.Unde bene puteo nomen inde positum est ei, *latitudo.* Dilatatus est enim verus Isaac, id est Christus fide omnium credentium, et notus quidem antea tantum in Judæa Deus modo vero dicitur : *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5).

Moraliter *puteos fodimus*.quando divinæ scientiæ alta sapimus vel penetramus. Quos tamen puteos allophyli terra repleverunt : quia nobis profunda Scripturarum investigantibus sæpe dæmones terrenas cogitationes aggerunt,ut a nobis aquam divinæ scientiæ tollant.

Vers. 26. *Ablmelech et Ochoza.* Hic *Ochoza* pronubus erat Abimelech.Septuaginta pro Ochoza *collegium* ponunt, ut non sit nomen hominis,sed multitudinem amicorum designet, de quibus unus erat *Phicol*, dux militum.

Vers. 33. *Bersabee.* Non sicut superius, *puteus septimus*, vel *puteus juramenti* sed *puteus sanctitatis*. Nam *sin* littera in *samech* versa est.

CAPUT XXVII,

Vers. 1. *Cumque senuisset Isaac et caligaverunt oculi ejus* etc.Diximus superius Isaac typum tenere Dei omnipotentis Patris, Esau vero primogenitum figuram habere Judaici populi de quo ipse ad Pharaonem : *filius primogenitus meus Israel* (*Exod.* IV, 22). Desiderat Isaac cibis filii sui vesci et Deus Pater desiderabat bonis operibus illius populi pasci. Sed illo negligente,et in exterioribus(*a*)quasi in venatione occupato Rebecca, id est *mater gratia*, minorem filium,id est gentilem populum, supposuit prioris locum ac dignitatem præripuit.Quod autem Isaac caligans oculis Jacob filio futura prædixit,sed

A eum non vidit,significat quia Deus Pater vocationem gentium per prophetas multipliciter prædixi sed eas quodammodo non vidit; hoc est. non misertus earum permisitque ingredi vias suas, et errare per quinque sæculi ætates.Quod vero Jacob non de venatione,sed de domesticis animalibus,id est hædis,cibos patri paravit designat quia populus gentium non in exterioribus nec in littera legis Deo placere studuit sed in se ipso acceptabile holocaustum per fidem et dilectionem obtulit,dicens cum Psalmista: *In me sunt, Deus, vota tua quæ reddam laudationes tibi* (*Psal.* LV, 12). — *Vestes Esau* quibus Rebecca minorem filium vestivit,ornamenta sunt divinorum præceptorum, quibus ille prior populus quondam decorabatur ; sed illo per infidelitatem reprobato,
B gentes in Christum credentes vestiuntur, Domino dicente ; *Auferetur a vobis regnum Dei. et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI, 43). Quod vero pellibus hædorum *manus et colli nuda* protexit designat, quia gentes ad fidem venientes peccata operum confiteri non erubescunt.Hædus enim peccatorem designat, Domino dicente : *Statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris* (*Matth*, XXV, 33). Quod dicit: *Voluntas Dei fuit ut cito mihi occurreret, quod volebam,* citam mundi conversionem designat Pene enim modo incredibili intra brevissimum temporis spatium fides Christi per universum mundum nuntiata est.

Vers. 27. *Accessit, et osculatus est eum. Osculum* patris,quo Jacob osculatus est,reconciliationem significat mundi,quam desiderabat Ecclesia loquens
C in Canticis canticorum,dicens: *Osculetur me osculi oris tui* (*Cant.* I, 1). — *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Odor vestimentorum* est fragrantia virtutum. Bene autem *agro pleno* odor ille comparatur, quia sanctorum virtutibus mundus repletus est. Unde et Paulus dicebat :*Christi bonus odor summus Deo in omni loco* (*II Cor.* II, 15]. Ager enim plenus est mundus sanctorum bonis operibus refertus.Ibi redolent rosæ martyrum,fragrant lilia virtutum,respirant violæ continentium, ubi etiam florentes vineæ apostolorum longe lateque suum odorem propinant.

Vers. 28. *Det tibi Deus de rore cæli. Ros* leniter cadit et prope sine sensu,ideoque subtilem designat contemplationem. Pinguedo vero terræ bona signi-
D ficat opera.Benedicitur ergo Jacob,hoc est gentilis populus,ut cœlesti contemplatione et bonis operibus possit abundare. *Abundantiam frumenti,vini et olei.* In frumento et vino charitas et fervor novæ conversationis; in oleo vero misericordiæ opera designantur.Possunt etia in frumento et vino mysteria corporis et sanguinis Christi accipi ;in oleo misericordia Dei, qua genus humanum salvatum est juxta quod per prophetam dictum est : *Computrescet jugum a facie olei* (*Isa.* X, 27), id est jugum peccati ex præsentia misericordiæ Dei.

(*a*) Uterque codd., *ex interioribus.*

Vers. 29. *Esto dominus fratrum tuorum.* Fratres vel filios matris hæreticos dicit, vel Judæos, qui fratres sunt per invocationem nominis Christi, et per eadem, quæ nobiscum habent, sacramenta. De his in Canticis canticorum loquitur Ecclesia: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (*Cant.* I).

Vers. 30. *Egressso Jacob venit Esau.* Quod vero Esau ad patrem revertitur, populi prioris in fine sæculi conversionem designat, de qua Psalmista dixerat: *Convertentur ad vesperam, et famen patientur ut canes* (*Psal.* LVIII, 15). Et propheta: *Aperuerunt ora sua sicut pauper comedens in abscondito.*

Vers. 39. *In pinguedine terræ et in rore cœli.* Licet omnis benedictio ad Jacob venerit, non tamen vacuus dimittitur Esau. Benedicitur enim *in pinguedine terræ*, hoc est in rerum omnium copia; et *in rore cœli desuper*, hoc est in scientia Scripturarum, quia hoc adhuc ille populus, licet sine causa, compluitur.

Vere. 40. *Vives in gladio.* Per hoc enim significat Judæos crudeliter Christum persecuturos et omnes prophetas et apostolos. *Fratri servies.* Quia Idumæi tributarii fuerunt Israel, qui Jacob vocabatur. *Tempusque veniet. Tempus* illud significat quo rebellaverunt Judæi ne essent sub Juda.

Vers. 42. *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ.* Quis nuntiavit, cum ille in corde suo dixit? Utique per spiritum prophetiæ hoc cognovit, per quem etiam illum majori fratri præponendum didicerat.

Vers. 43. *Haran.* Hebraice, *Syria.*

CAPUT XXVIII.

Vers. 1. *Vade et proficiscere.* Alia translatio habet *fuge.* Ex quo intelligimus ipsum quoque per spiritum minas fratris cognovisse.

Vers. 10. *Igitur egressus Jacob, de Bersabee. Jacob*, ut diximus, Christum significat, qui, relictis parentibus, id est Judæis, de quibus carnem assumpserat, relicta etiam domo, id est Hierusalem, patria quoque, id est Judæa, relicta, perrexit ad gentes, ubi Ecclesiam sponsam acciperet.

Vers. 11. *Tulit de lapidibus.* Dormitio Jacob in itinere mortem vel passionem Christi significat in cruce. Lapis quem capiti suo supposuit, Christus est secundum humanitatem. Quem Jacob unxit, ut per hoc aperte Christus demonstraretur. Christus enim Græce Latine *unctus* dicitur. Apostolus autem dicit: *Caput Christi Deus* (*I Cor.* XI, 3). Lapis ergo capiti Jacob suppositus humanitatem significat assumenti Deo conjunctam. Scala quam in somnis vidit, quæ via erat ad cœlum, hoc est a carne usque ad animam vel spiritum, Christus est, qui quibusdam provectibus electos suos sublevando ex carnalibus facit spirituales. Angeli quos vidit ascendentes et descendentes, sancti sunt evangelistæ vel cæteri prædicatores, qui quodammodo per scalam ascendunt quando divinitatem Christi annuntiant dicentes: *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Descendunt vero, quando humilia incarnationis ejus describunt dicentes: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*, 14). Paulus summus angelus erat, qui ascendebat cum diceret: *Nos prædicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* I, 24). Descendebat, cum diceret: *Nihil scire me judicavi nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). Moraliter, in itinere dormire est in via hujus sæculi ab impedimento sæcularium rerum vel actionum quiescere. Jacob vero dormiens angelos vidit: quia illi divina conspiciunt, qui ab appetitu rerum temporalium oculos claudunt. Hos oculos bene clausos diabolus aperuit cum dixit: *In quacunque die comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5).

Vers. 14. *Dilataberis ad orientem et occidentem.* Quod Jacob terra promittitur, significat possessionem Ecclesiæ Christo promissam. Per *occidentem* interfectio justorum, per *orientem* exordium bonæ conversationis, per *septentrionem* destructio et mortificatio peccatorum; per *austrum* vero fervor divinæ charitatis ostenditur. In his ergo Christus regnat, et hanc gaudet habere hæreditatem.

Vers. 17. *Non est hic aliud nisi domus Dei.* Domum Dei appellat, quia per spiritum prophetiæ ibi tabernaculum Dei prævidebat futurum: Portas autem cœli aditum divinæ exauditionis. Vel mystice portam cœli dicit egressum per incarnationem et regressum. Notandum autem juxta litteram quia non fuit hoc idololatria, nec ipsum lapidem Deum appellavit, aut nullo sacrificio coluit, sed signo tantum et memoria, quod sibi Deus apparuisset, et quod ibi tabernaculum Dei futurum erat.

Vers. 18. *Erexitque in titulum.* Erectio lapidis resurrectionem significat Christi.

CAPUT XXIX.

Vers. 2. *Vidit puteum in agro.* Puteus iste scientiam Scripturam figurat. *Tres greges accubantes circa puteum* significant simplices et mites, qui Scripturæ sacræ mysteris satiari desiderant. Lapis superpositus puteo tegmen litteræ disignat, quo spiritalis aqua tegebatur. Sed Jacob noster, id est: Christus lapidem amovit, quia superficiem litteræ discussit, et spiritalem intellectum in Scripturis aperuit. Possumus etiam per puteum fontem baptismatis non inconvenienter intelligere. *Tres greges accubantes* designant eos qui per humilitatem et sanctæ Trinitatis fidem aqua baptismatis purgari quærunt.

Vers. 10. *Quam cum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam.* Quæri potest unde nosset eam consobrinam suam esse, quam nunquam ante viderat? Sed scire possumus hoc eum a pastoribus didicisse, cum quibus antea locutus fuerat. Ideoque mox ut eam vidit, cum fiducia in ejus osculum irruit.

Vers. 20. *Videbantur pauci dies.* Quare dicit: *Videbantur pauci dies*, cum amatori etiam breve tempus longe videatur? Sed hoc dicit propter servitutem, quæ licet dura esset, facilis ei videbatur propter amoris magnitudinem.

Vers. 27. *Imple hebdomadam hujus copulæ. Hebdomadam* hic septem annos dicit. Hebdomada dicitur septem dierum, et septem annorum, et septies,

septem annorum. Allegorice hæ duæ mulieres duas significant vitas, activam et contemplativam. Lia *laboriosa* interpretatur: significat activam vitam. Quæ bene *lippis oculis*, sed *fecunda* fuisse dicitur, quia activa vita minus videt per contemplationem, sed spiritales Deo parit filios per prædicationem et bonorum operum exempla. *Rachel* vero, quæ *ovis* vel *visus principium* interpretatur, contemplativam designat vitam simplicem et quiete gaudentem, quæ illud cernit principium, quod loquitur in Evangelio: *Ego principium, qui et loquor* (*Joan.* VIII, 25). Est pulchra, sed infecunda, quia contemplativa vita decora et Deo amabilis, nulla pulvere terreni contagii fœdata, sed soli Deo vacans, eique tantum placere quærens, nequaquam spiritales filios per prædicationem generat. Amat Jacob Rachel, sed Liam nocte accipit: quia unusquisque sanctus desiderat frui quiete contemplativæ vitæ, sed prius necesse est ut nocte hujus sæculi exerceatur labore activæ vitæ.

Vers. 28. *Hebdomada transacta.* Non est putandum quod post septem annos servitutis Rachel duxerit uxorem, sed impletis septem diebus post nuptias Liæ, quibus impletis servivit septem annis.

Vers. 29. *Cui pater Balam servam tradiderat.* Liæ data fuerat ancilla superius nomine Zelpha, Racheli vero data Bala nomine. Zelpha interpretatur *os loquens*; Bala, *inveterata*. Significant hæ duæ ancillæ eos qui vel in activa vita vel in contemplativa non recta intentione bona operantur, nec recto studio prædicant, id est non pro Deo, sed pro favore aut commodis sæculi; de qualibus Apostolus dicit: *Sunt, qui prædicant Christum non sincere* (*Pilipp.* I, 1). Et post pauca: *Utrum ex occasione an pro veritate Christus annuntietur in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (*Ibid.*, 18). Unde recte Zelpha *os loquens* interpretatur, quia tales in ore habent prædicationes, non in corde, de quibus dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV, 8). Bala autem *inveterata* dicitur, quia tales, licet bonorum operum fructus quasi bonos filios afferant, tamen quia non recto studio hoc agunt adhuc in veteris erroris conversatione perdurant.

Vers. 32. *Vocavit nomen ejus Ruben.* Ruben interpretatur *visio filii* vel *videns filium*. Simeon, *exauditio*.

Vers. 34. *Copulabitur mihi maritus meus.* Alia translatio dicit, *persequetur me vir meus.* Et est sensus: Quia tres ei filios genui, amabit me ardentissime, *et copulabitur mihi*, ut nunquam me deserat. Inde nomen *Levi*, id est *assumptus*.

Vers. 35. *Confitebor*, id est laudabo Dominum. Juda id est *confessio*.

CAPUT XXX.

Vers. 6. *Judicavit mihi Dominus.* Id est, judicium mihi fecit, æquans me cum sorore mea. *Idcirco vocavit nomen ejus Dan*, id est *judicium*.

Vers. 8. *Nephthalim*, comparatio.

Vers. 11. GAD, *felicitas vel fortuna*, quæ Græco *tychis* dicitur. In interpretationibus autem Hebræorum nominum dicit beatus Hieronymus Gad interpretari *accinctum*, vel *accinctionem*.

Vers. 13. ASER interpretatur *beatus* vel *pinguis panis*.

Vers. 14. *Reperit mandragoras.* Mandragoræ sunt poma pulchra quidem et odorifera (*a*), sed hispida.

Vers. 18. ISSACHAR interpretatur *merces*.

Vers. 20. ZABULON *habitaculum fortitudinis* interpretatur.

Vers. 24. JOSEPH *auctus* sive *beatus* interpretatur.

Vers. 33. *Respondebit cras justitia mea, Cras* pro futuro tempore ponitur.

Vers. 37, 38. *Tollens virgas populeas, ut in aspectu earum conciperent.* Cum proposuisset Laban ut varias fetus pecorum haberet Jacob pro mercede, ille prudentia solertis viri virgas populeas et amygdalinas et ex platanis ex parte decorticavit, et ex parte integras dimisit, posuitque eas in canalibus in quibus aqua putei fundebatur, ut venientes ad potandum oves duplici desiderio coeundi et bibendi tenerentur, et ipso calore coitus aspicerent virgas et sic varios fetus conciperent. Significat autem extremam partem patrationis, quando jam totum corpus animalis concutitur et finis imminet voluptatis. Nec incredibile hoc videri debet cuiquam, cum hodieque in Hispania de equabus hoc idem fieri dicatur. Beatus quoque Augustinus dicit, in libro Hippocratis medici scriptum haberi, quod, cum quædam mulier Æthiopissa pulcherrimum et candidissum puerum edidisset, et propter hoc tanquam rea adultera duceretur ad mortem, Hippocrates (*b*) medicus superveniens docuit, mulierem ad aspectum rei quam viderit, vel mente tenuerit, concipere. Unde jussit requiri in domo ejus, utrum ibi imago vel similitudo aliqua esset quam concumbens mulier habuerit. Quod et cum ita inventum fuisset, liberata est mulier a mortis periculo. Allegorice *virgæ* significant sententias Patrum sanctorum, quas ex corpore Scripturæ divinæ quasi ex arbore præcidunt. Quæ quia rectæ sunt, *virgæ* vocantur. Has virgas ex parte decorticamus, et ex parte corticem remanere permitimus, quando Scripturas divinas partim historialiter, partim allegorice tractamus. Ubi enim historiam sequimur, corticem dimittimus. Ubi vero historiam fugientes allegoricæ insistimus, quasi cortice subtracto candorem spiritalis intelligentiæ operimus. Has ergo virgas in oculis ovium ponere, est Scripturarum exempla mentibus fidelium proponere, ut secundum quod ibi invenerint, vivant, et spiritales bonorum operum fetus pariant.

CAPUT XXXI.

Vers. 7. *Decem vicibus mutavit mercedem.* Subauditur *meam*. Cum enim videret Laban varios fetus augeri, mutata conditione dicebat: Volo ut varii fetus meæ partis sint, pecus vero unius coloris tuæ sit partis. Rursus cum videret et nigra multiplicari, mutata rursus conditione hæc sibi assumebat. Tali modo decem vicibus dicit eum Jacob suam mutasse

(*a*) Cod. Teg., *odora.*

(*b*) Cod. Garst., *Hippocras.*

mercedem. Typice Laban, qui interpretatur *dealbatio*, diabolum significat, qui licet sit suo merito tenebrosus, tamen transfigurat se in angelum lucis.

Vers. 11, 12. *Dixitque angelus Dei : Jacob! vidi omnia quæ fecit tibi Laban.* Ex hoc loco discimus quod ea quæ Jacob fecit, non dolo nec fraude egit, sed divina dispositione, vel etiam quia hæc in figura gerebantur, unde et angelica visione confortari meruit.

Vers. 31. *Contra montem Galaad. Galaad* interpretatur *acerus testimonii.* Sed necdum locus ille ita vocabatur ; postea enim ita vocatus est, cum sibi mutuo jurassent Jacob et Laban, et acervum lapidum in testimonium congregassent. Ergo per prolepsin, id est per præoccupationem locus iste accipiendus est.

Vers. 35. *Quod coram te assurgere nequeo.* Natura docet ut filii parentibus assurgant et eos honorent. Cum ergo Rachel sederet, et patri non assurgeret, excusans se dicit : *Ne irascatur dominus meus.* Causas etiam quas assurgere nequiret, composite significat dicens menstrua sibi provenisse. Hoc est enim quod dicit : *Juxta consuetudinem feminarum accidit mihi.* Allegorice Laban diabolum vel mundum significat, qui dealbatus et pulcher est suis amatoribus. *Idola Laban* significant avaritiam. Dicit enim Apostolus : *et avaritia, quæ est idolorum servitus* (*Ephes.* v, 5). Hæc requisivit Laban ab Jacob, quando diabolus regna mundi et gloriam et honorem eorum Christo ostendit (quem Jacob significat), putans in eo aliquod avaritiæ vestigium posse reperire. Sed Jacob ignorabat idola, quia Christus nullam habuit mundi cupiditatem. Rachel furata est idola, eaque subter stramenta abscondens desuper sedit, quia Ecclesia veniens ad Christum, cupiditates sæculi, quibus antea servierat, quam essent despiciendæ cognovit, easque per pœnitentiam sedendo, id est se humiliando, abscondit. Sessio namque humilitatem significat. Unde Psalmista : *Surgite postquam sederitis* (*Ps.* xxvi, 2).

Vers, 37. *Pone hic coram fratribus meis. Fratres* more Scripturæ filios appellat.

Vers, 40. *Æstu urebar et gelu.* Uno verbo quod est *urebar*, ad duo contraria respondit, ad æstum et ad gelu, quia unus effectus est caloris et frigoris.

Vers. 42. *Timor Isaac.* Qui ab omni creatura est timendus.

Vers. 50. *Nullus sermonis nostri testis est absque Deo.* Nullus est videlicet extraneorum. Vel nullus absque Deo, quia nullus ejus testimonio comparari potest.

CAPUT XXXII.

Vers. 2. *Castra Dei sunt hæc.* Id est angelica agmina. Et bene pergenti Jacob ad fratrem obvii fuerunt angeli Dei, ut videlicet per hoc confortaretur et non metueret fratrem securus de angelico auxilio.

Vers. 7. *Divisit in duas turmas.* Non, ut quidam putant, in tres, sed *in duas turmas populum.* Prima

A turma duarum ancillarum Zelphæ et Balæ cum filiis suis. Secunda turma fuit Liæ et Rachelis et eorum qui cum eis erant. Sed quæri potest hoc loco, cum Deus promisisset Jacob auxilium suum dicens : *Noli timere, ego tecum sum, et multiplicabo*, cur timuerit et providerit saluti suæ, et non potius se Deo commiserit custodiendum? Sed hoc monemur exemplo ne Deum tentemus, dum habemus quod pro salute nostra faciamus. Denique et Jacob, quamvis pro se sibi providerit, audiamus tamen quid orans dixerit.

Vers. 9, 11. *Deus patris mei Abraham, erue me de manu fratris mei.* Dum ergo et sibi providet, et Deum orat, dat nobis exemplum ut vitæ nostræ provideamus, et tamen divinum auxilium nobis adesse rogemus.

B Vers. 24. *Et ecce vir luctabatur cum eo.* Vir iste, qui cum Jacob luctabatur, angelus erat. Luctatus autem non complexione brachiorum, sed obnixa prece, qua obsecrabatur ut se benediceret. Et hoc enim Osee propheta ostendit dicens : *Invaluit ad angelum, et confortatus est. Flevit, et rogavit eum* (*Ose.* xii, 4). Mystice Jacob claudus et fortis duas partes Judaici populi significat, fideles videlicet et infideles. Claudus enim erat Jacob in infidelibus, sanus et fortis in fidelibus. Quod vero *nervum femoris ejus angelus tetigit, et emarcuit*, moraliter significat quia quæcunque Deus sua benedictione dignatur, in eo omnem carnis voluptatem facit emarcescere.

Vers. 28. — *Sed Israel erit nomen tuum.* Mutatio nominis benedictio fuit. *Israel* autem, quamvis bene ab omnibus *vir videns Deum* interpretari dicatur,
C melius *princeps cum Deo* dicitur. Et est sensus : *Nequaquam ultra vocaberis Jacob, sed Israel* erit nomen tuum, id est, sicut ego princeps sum, sic et tu, qui mecum luctari potuisti.

Vers. 30. PHANUEL *facies Dei* interpretatur. Quia enim ille dixit : *Vidi Deum facie ad faciem*, ideo locum illum *Phanuel* appellavit.

CAPUT XXXIII.

Vers. 10. *Sic vide faciem tuam, quasi vultum Dei.* Hoc ad adulationem dixit, vel magis perturbato animo ob timorem fratris. Quamvis etiam posset dici quia Deum pro aliquo magno viro posuit. Solent enim sancti viri *dii* appellari, sicut Moysi dictum est : *constitui te deum Pharaonis* (*Exod.* vii, 1). Nam et in Græco non habetur *tu Theu* cum articulo, quo
D divina substantia intelligitur, sed absoluto *Theu*, in quo homo significatur.

Vers. 28. *Transiit in Salem, urbem Sichimorum. Salem* pro *Sichem* beatus Hieronymus corrupte positum dicit. Potest etiam intelligi duas esse civitates unius nominis : Salem urbs Jebusæorum, in qua regnavit Melchisedech ; et alia Sale urbs Sichimorum : sed diversis litteris scribuntur apud Hebræos, et diversam habent interpretationem. Illa enim Salem *pacis civitas* dicitur, hæc vero Sale *consummata* interpretatur.

CAPUT XXXIV.

Vers. 1. *Egressa est Dina.* Allegorice *Dina* signi-

ficat animam sua studia negligentem, et aliorum facta studiosius inquirentem. Quasi enim egreditur ad videndas mulieres, cum sua intima projicit et in exterioribus occupatur. Mox ergo ut ita egreditur *a Sichem*, id est a diabolo, opprimitur et incestatur. Unde bene Dina *judicium istud* interpretatur. Istud enim est judicium, ut, quia sponte se negligens evagatur, mox a diabolo corrumpatur.

Vers. 3. Quod vero dicit, *conglutinata est anima ejus cum ea*, significat animam consuetudine mala quasi uniri cum diabolo, ut non solum peccet, verum etiam peccandi effectu et delectatione teneatur. Sed et si aliquando resipiscens constritatur per pœnitentiam, diabolus proponit spes vanas ut utilem tristitiam ab ea auferat modo dicens misericordem esse Deum, modo aliorum facta graviora commemorans, nunc dicens quasi nihil esse quod fecit, nunc prolixæ vitæ tempora ad agendam pœnitentiam repromittit. Hoc est, quod dicit, *tristem blanditis delinivit*. Sed pastores Ecclesiæ quasi filii Jacob debent carnis vel animæ peccatum ulcisci, et gladio *spiritus, quod verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17), punire, *parati* semper, secundum Apostolum, *ulcisci omnem inobedientiam* (*II Cor.* X, 6). Quæri potest secundum litteram quomodo filii rem tam magnam facere potuerint, quod superius ipse Jacob parvulos appellavit dicens ad Esau : *Nosti quod parvulos habeam mecum*? Sed sciendum non parvo tempore ibi moratum Jacob. Nam et tabernaculum ibi fixit, et altare construxit, et partem magni agri emit centum agnis. Per hoc ergo ostenditur diu ibi habitasse Jacob, quo tempore et filii ejus creverunt, et Dina nubilis facta est. Quod Simeon et Levi tantum commemorantur in facinore, sciendum plures eos habuisse socios, sed isti auctores cædis fuerunt, quorum soror uterina erat Dina.

CAPUT XXXV.

Vers. 4. *Et inaures, quæ erant in auribus earum. Inaures* ad ornamentum pertinent magis quam ad idololatriam. Nam et superius servus Abraham inaures imposuisse dicitur ad ornandam faciem Rebeccæ. Ego sciamus vocari phylacteria, quæ idolis imponebantur.

Vers. 5. *Terror Dei invasit omnes per circuitum nationes*. Ut promissionem suam Deus impleret, quam ad Jacob habuerat, ideo divino terrore habitatores terræ illius perculit. Neque aliter per medium illarum nationum Jacob illæsus transire potuisset.

Vers. 10. *Non vocaberis ultra Jacob*. Ipsa pene verba quæ angelus dixerat, dixit et Dominus ; non tamen tunc vocatus est Israel, sed prædictum est ei quod ita vocandus esset. Quod ergo ibi prædictum est, hic est impletum.

Vers. 11. *Cresce et multiplicare*. Hoc melius ad spiritalem Israel refertur, qui crescit et multiplicatur in virtutibus. Omnis enim quicunque supplantator est vitiorum, et mente Deum contemplatur, recte *Jacob* vel *Israel* appellatur. Quod ergo dicit : *Ultra non vocaberis Jacob*, non ad illum hominem, sed ad spi-

A ritale semen Jacob pertinet. Ille enim postea Jacob vocatus est. Sancti vero omnes, id est verus Israel postquam omnem corruptionem et vetustatem deposuerit, non dicetur *Jacob*, id est supplantator (non enim erunt vitia quæ supplantet), sed potius *Israel* vocabitur, quoniam Deum sicut est videbit, et summa beatitudo erit ei visio creatoris. *Reges de lumbis tuis*. Id est qui vere reges sunt, semetipsos secundum voluntatem Dei bene regentes, qui filii sunt Israel per imitationem.

Vers. 14. *Erexit titulum lapideum*. Observa quod non dicit, *libans ei*, sed, *super eum*. Non enim lapidi sacrificavit, quod idololatræ faciunt, sed Deo super lapidem sacrificavit.

Vers. 16. *Ephrata*. Ipsa est Bethlehem, et inter-
B pretatur *frugis terra;* Bethlehem autem *domus panis* interpretatur.

Vers. 18. *Pater appellavit eum Benjamin*. Mater, quæ pro illo moriebatur, *doloris filium appellavit*. Erat enim prophetia Pauli apostoli, qui de illa tribu fuit, qui matrem, id est Ecclesiam, persequendo magno dolore affecit. Pater vero, prævidens illum spiritu prophetico convertendum, vocavit illum *filium dextræ*, quia de sinistra infidelitatis transferendus erat ad dexteram fidei et prædicationis. Allegorice *Benjamin* in hoc loco civitatem Jerusalem significavit, cujus major pars in tribu Benjamin sita erat. Quæ matrem suam, id est Synagogam, dolore usque ad mortem affecit, quando mundi Redemptorem ad necem poposcit clamans : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX).

Vers. 21. *Trans turrim gregis. Gregis turrim* dicit,
C id est gregis. Tradunt Judæi hic postea templum Dei factum, unde *turris gregis*, id est multitudinis, congregationis, vel cœtus appellatur. Beatus Hieronymus *turrim gregis* dicit *turrim pastorum*, quæ est ultra Bethlehem, ubi pastores sancti angelico affatu natum Dominum cognoverunt, ubi etiam ipsorum trium pastorum corpora requiescunt. De hac turri per prophetam prædictum fuerat : *Et tu turris gregis nebulosa, ad te veniet potestas prima filiæ Sion* (*Mich.* IV, 8).

Vers. 22. *Abiit, et dormivit cum concubina patris sui*. Juxta litteram facinus Ruben describitur. Allegorice vero *Ruben* primogenitus Judæos designat, quibus primo cognitio Dei facta est, et de quibus dictum est : *Filius primogenitus meus Israel*. Bala concubina legem designat. Quod enim lex per con-
D cubinam designetur, apostolus Paulus ostendit, qui per Agar concubinam Abrahæ dicit designari legem, quæ in monte Sina data est (*Gal.* IV, 24). *Ruben* vero *cum concubina patris concubuit*, quia Judaicus populus legem sanctam et justam corrupit falsis traditionibus, atque dignitatem primogeniti amisit.

Vers. 26. *Hi filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia*. Quæri potest quare omnes in Mesopotamia hos natos dicit, cum Benjamin non sit natus in Mesopotamia? Potest facilis esse responsio, ut dicamus per synecdochen esse dictum, id est a toto partem. Vel etiam ideo omnes dicuntur in Mesopotamia nati, quia Benjamin, dicit ibi natus non sit, causas tamen

nascendi inde habuit. Ibi enim conceptus est, sed intra Chanaan natus.

Vers. 27. *Mambre, Arbe et Hebron.* Una est civitas.

CAPUT XXXVI.

Vers. 6. *Abiit in alteram regionem.* Hic quæri potest cur Esau post mortem patris dicatur abiisse in Seir, et recessisse a fratre suo cum jam, quando venit Jacob, in Seir dicatur habitasse ? Sed fieri potuit ut,Jacob fugiente in Mesopotamiam,dolore et ira præreptæ sibi benedictionis recesserit a parentibus,et habitaverit in Seir per viginti annos,quibus Jacob absens fuit. Postquam vero reversus est Jacob,et fratri suo reconciliatur, rursus de Seir cum fratre suo,donec pater vixit, habitavit cum eo.Isaac mortuo, sicut hic dicitur, tulit substantiam domus suæ et recessit a fratre suo.*Divites enim erant valde, et simul habitare non poterant.*

Vers. 10. *Eliphaz.* Iste qui in libro Job legitur *Eliphaz Themanites.*

Vers. 20. *Filii Seir Horræi liberi* interpretantur. Hi, sicut in Paralipomenon libro legitur, primo habitaverunt in monte Seir,quos expulerunt Idumæi, et pro illis habitaverunt.

Vers. 24. *Iste est Ana, qui invenit aquas calidas.* Hic locus varie ab Hebræis exponitur. Dicunt enim quidam quod lacum in deserto reperit, quoniam facile in illis locis invenitur. Unde et alia translatio dicit : *Invenit jamim in solitudine. Jamim* Hebraice *maria* dicuntur,id est aquarum collectio.Alii dicunt quod onagros, id est agrestes asinos, ad asinas admitti fecerit, ut inde asini velocissimi nascerentur.Nonnulli dicunt,quod ad gregem equarum asinos ascendere fecerit,ut ex hujuscemodi concubitu muli nascerentur. Quidam simpliciter *aquas calidas* dicunt eum in deserto reperisse,quas thermas vocamus.

Vers. 31. *Reges qui regnaverunt in terra Edom.* Sciendum quia non omnes reges commemorat qui fuerunt antequam haberent regem filii Israel,quorum primus fuit Saul,sed hos tantum qui regnaverunnt dum ipse Esau viveret.

Vers. 32. *Balaach* (*a*) *filius Beor.* Non est hic *Balaach* qui in libro Numerorum legitur mercede conduxisse Balaam ariolum. Ille enim rex fuit Edom. iste vero rex fuit in Seir, et ille filius fuit Sephor, iste filius Beor.

Vers.33.*Jobab.* Hunc quidam putant esse Job,sed melius de ejus stirpe fuisse creditur, sicut supra dictum est.

CAPUT XXXVII.

Vers. 2.*Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Putant quidam quod accusaverit eos quia cum pecoribus commiscebantur. Sic Alwinus in Quæstionibus suis.Alii dicunt quod Ruben pro concubina patris solum accusaverit.Quod si ita est,per synecdochen,id est a toto partem debemus accipere.
A Non enim omnes fratres accusavit,sed unum solum,

Vers. 3. *Tunicam polymitam.* Id est glutinatam, vel orbiculatam, pulchra varietate distinctam. Alia translatio habet, *fecit tunicam talarem*, quæ Græce *poderis* dicitur. Symmachus vero *tunicatam*, id est manibus artificis miro decore variatam vel manicatam, id est manicas habentem. Illo enim tempore maxime colobiis utebantur,id est vestibus sine manicis.Historia Joseph ad litteram patet,nunc mysterium investigemus. *Joseph* allegorice Christum significat juxta humanitatem. *Jacob diligebat Joseph plus cæteris fratribus* : et Deus Pater singulariter amabat Christum filium suum præ omnibus Judæis, qui erant fratres ejus secundum carnis susceptionem. *Fecit ei tunicam polymitam,* id est multitudine cre-
B dentium ex omnibus circumdedit illum, dicens per prophetam : *His omnibus velut ornamento vestieris* (*Isa.* XLIV, 18). — *Oderant enim eum fratres sui.* Et Judæi videntes Christum per signa et miracula Dei Filium declarari, invidebant ei, et sæpe in dolo et per insidias cum eo loquebantur. Quod vero dicit *per somnium manipulum suum stare, et fratrum manipulos suum manipulum adorare,* significat quia post resurrectionem ab omnibus credentibus cum fructu bonorum operum adorandus erat. Ipse est enim granum frumenti,quod per mortem seminatum germinavit per resurrectionem, et sic manipulos fidei et bonorum operum protulit per universum mundum.Quod vero *aliud narrans somnium dixit se sole et luna et stellis undecim adoratum,*quæri,potest ad litteram ubi vel quando adoratus inveniatur a
C patre,qui per solem,et a matre,quæ per lunam designabatur.Neque enim Jacob,quando in Ægyptum descendit,eum legitur adorasse. Mater vero ejus in Bethlehem defuncta fuerat. Ergo quia hoc ad litteram stare non potest, recurramus ad allegoriam. Hæc enim visio manifeste prophetica fuit de Christo. quem sol, luna, stellæ et omnis adorat creatura. Mystice etiam sol,id est excellentia et claritas sanctorum, illum adorat ; luna,id est Ecclesia ; stellæ id est singuli quique fidelium,illum venerantur sicut Deum.

Vers. 13 et seqq. *Missus est Joseph a patre suo, ut quid agerent fratres vel greges eorum agnosceret.* Missus est et Dei Filius a Deo Patre in mundum,ut homines quos sibi destinaverat,quasi oves ad fidem
D colligeret,et ad æterna pascua dirigeret.

Vers. 19. *Invenit eos in Dothaim.* Dothaim *defectio* interpretatur. Et revera in magna defectione erant qui de fratricidio cogitabant.

Vers. 24. Joseph a fratribus *in cisternam missus est talari tunica spoliatus.* Et Christus carnis tunica per mortem deposita descendit ad infernum.Tunica autem talaris moraliter significat opus bonum cum consummatione. Nam et in sacrificio Dei cauda hostiæ jubebatur offerri (*Levit.* VII, 3). In cauda est

(*a*) Ita uterque cod. ; Vulg., *Bela.*

finis corporis. Et caudæ hostia offertur, quando virtus inchoata ad perfectionem deducitur.

Vers. 25. *Portantes stacten in Ægyptum.* Stacte gutta myrrhæ arboris, quamvis, et ipsa myrra vocetur. Extractio Joseph de cisterna resurrectionem significat Christi.

Vers. 27. *Venditus est Joseph Ismaelis negotiatoribus consilio Judæ patriarchæ.* Venditus est Christus consilio Judæ Scarioth, et post a gentibus pretio fidei (*a*). In LXX habetur, *aureis*. Sed melius in Hebraica veritate habetur xx argenteis. Neque enim servus pretiosioris metalli pretio vendi debuit quo Dominus. Sed hoc juxta litteram. Quærendum est quid sit quod superius dicit : *Viderunt viatores Ismaelitas venire* : et hic dicit, vendiderunt eum Madianitis. Ismael fuit de Agar, Madian de Cetura. Ergo vera est opinio Hebræorum, qui dicunt Agar et Cituram unam fuisse feminam. Potest et hoc dici, quia superius legimus quod Abraham filiis concubinarum dederit munera, et separaverit eos a filio Isaac ad orientem : tunc hi duo, Ismael videlicet et Madian, simul habitare cœperunt et unam gentem fecerunt.

Vers. 31. *Tulerunt tunicam ejus.* Tunica Joseph caro est Christi, quam de Virgine sumpsit et variis virtutum figuris decoravit. Hanc in in sanguine hædi tinxerunt, quando invidiam peccati ei facere voluerunt, accusantes eum apud præsidem quasi seditiosum et commoventem populum.

Vers. 32, 33. *Hanc invenimus*, usque, *fera pessima devoravit eum.* Planctus iste Jacob propheticus plus dolet de Judæorum perditione quam de filii sui Joseph, ut putabat, morte. *Fera* autem *pessima* populus erat Judæorum, de quibus olim Psalmista : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ* (*Psal.* LVI, 5).

Vers. 35. *Lugens in infernum.* Hinc beatus Augustinus quærit utrum soli mali ad infernum descendant, an mali simul et boni. Aut forte perturbati animi verba sunt. Sed credibile est fuisse apud infernum quædam loca secretiora et minus pœnalia ante passionem Domini, ad quæ etiam sancti descendebant, quia nullus paradisum ingredi poterat, nullus portam regni cœlestis intrare, donec Christus rhomphæam igneam amoveret.

Vers. 26. *Putiphari eunucho.* Hunc alia translatio non magistrum militiæ, sed archimagirum, id est principem coquorum appellat qui etiam sacerdos Heliopolis fuisse dicitur. Ubi quæri potest quomodo uxorem habens sacerdos esse potuerit. Nam gerophantæ Ægyptiorum non nisi casti et ab uxoribus alieni esse poterant. Tradunt Judæi Joseph pulcherrimum fuisse, et ob hoc ad turpe ministerium emptum, sed Deus ejus virilia arefecit, ne castum puerum corrumpere posset. Tunc factus est sacerdos Heliopolis, qui antea laicalis erat.

CAPUT XXXVIII.

Vers. 3-10. *Vocavit nomen ejus Her. Rursus concepto fetu appellavit nomen ejus Onan*, et cætera usque, *occidit eum Dominus, quia rem detestabilem faceret.* Judas hoc loco typus est regiæ stirpis, quæ de Juda descendit. Duo filii Judæ duo genera significant malorum hominum, nocentium videlicet, qui significantur per *Her*, de quo dicitur : *Fuit Her nequam coram Domino, et ab eo occisus est.* Unde et Her *pellis* vel *pellicus* interpretatur. Pellis enim peccata significat : et primi parentes nostri post peccatum tunicas pelliceas leguntur habuisse. Aliud genus est malorum hominum præstare nolentium, id est benefacere, quos significat *Onan*. Interpretatur enim *mæror eorum*, subauditur, quibus beneficium præstare non vult ; de quo dicitur, quia *semen fundebat in terram nolens nasci filios fratri suo mortuo.* Et hos ergo qui male faciunt, et illos qui præstare nolunt, ultio divina condemnat.

Tertium quoque peperit. Tertius, qui sine uxore erat, et *Sela* vocatur, illud significat tempus, quando Judæi sine rege, sine sacerdote, sine sacrificio erant. Unde et Sela *divisio ejus* interpretatur.

Vers. 14. *Theristrum* genus est vestimenti, quo Palæstini et maxime Arabicæ mulieres utuntur. Dicitur autem *theristrum*, eo quod in *theri*, id est in æstate, illo velamine utuntur. Discimus autem ex hoc loco illo etiam tempore alia fuisse vestimenta viduarum, et alia meretricum.

Vers. 23. *Habeat sibi, certe mendacii nos arguere non potuit.* In facto Judæ non justitia, sed fides apparet. Si enim justus fuisset, castitatem servasset. Fides autem in hoc fuit, quia hædum, quem promiserat, remisit. Mystice Judas hoc loco personam gerit Christi. Thamar, quæ *amaritudo* vel *commutata* interpretatur, typus est Ecclesiæ, quæ in amaritudine idololatriæ versabatur. Sed venit ad eam Judas, requisivit cum pastore suo Odollamita qui Hiras vocabatur. *Hiras* autem interpretatur *fratris mei visio*, Joannem Baptistam designans, quem Christus ante se præconem præmisit. Erat *Odollamita*, qui interpretatur *testimonium*, quia Domino testimonium in aqua Jordanis perhibuit. *Venit Judas ad tondendas oves.* Venit Christus ad homines, ut eos velleribus et sordibus peccatorum exoneraret. *Tunc Thamar vidit*, id est misertus est Ecclesiæ, et mutato nomine et habitu fecit eam de Synagoga Ecclesiam, de meretrice sponsam. Quod autem non cognovit eam, hoc est quod ipse per Psalmistam dicit : *Populus quem non cognovi, servivit mihi* (*Psal.* XVII, 44). Dedit ei pro arrhabone *annulum, baculum, armillam*, pignus videlicet vocationis, justificationis et glorificationis, sicut Apostolus dicit : *Quos vocavit, hos justificavit ; et quos justificavit, illos et glorificavit* (*Rom.* VIII, 30).

Vers. 26. *Justior me est. Quia non tradidi eam Sela filio meo.* Alia translatio dicit, *Justificata est ex me*, id est mei comparatione. Non enim fecit hoc

(*a*) Ita cod. Tegerns ; sed Garst., *emptus argenteis pretio fidei.*

desiderio vagæ libidinis, sed amore generandæ prolis.

Vers. 29. *Quare divisa est propter te maceria? Maceriam* vocat membranulam secundarum. *Phares* autem interpretatur *divisio*, a quo Pharisæi.

Vers. 30. *Zara* interpretatur *Oriens*, vel quia prior egredi debuit, vel quia ex illius familia multi justi et sapientes exorti sunt. Allegorice per hos duos filios Judæ duo populi figurantur; per *Zaram*, qui primus manum eduxit, Judaicus populus designatur, qui quasi manum præbuit, quando se præparatum ad Dei mandata implenda ostendit. *Cui obstetrix coccinum ligare voluit*, id est fide Dominicæ passionis et crucis illum insignire. Coccinum vero, quod sanguinis habet colorem, Christi indicat passionem. *Sed ille manum* cruentatam sanguine prophetarum et ipsius Domini *retraxit*, quia fidem passionis ejus recipere noluit. Illo tardante, junior egressus est frater, hoc est, populus gentilis credendo in Christum ad obediendum præceptis ejus se præparavit.

CAPUT XXXIX.

Vers. 6. *Erat autem Joseph pulchra facie.* Joseph diximus Christum significare, cujus pulchritudo omnem superexcellit formositatem, de qua Psalmista: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3), Et Apostolus: *In quem desiderant angeli prospicere* (I *Petr.* I, 12). Ipse revera *prospere in omnibus agit, et omnia in manu illius diriguntur.*

Vers. 7-20. *Post multos itaque dies injecit domina oculos suos in Joseph.* Mulier hæc typum tenet Synagogæ, quæ habebat virum, legem videlicet ipsam, qua regebatur et docebatur. Hæc Christum in homine apparentem voluit lenocinando decipere: quia Synagoga volebat ejus legem (*a*) carnaliter observare, Sabbatum et omnia quæ illi in figura data fuerant, juxta litteram implere. Cui cum Christus nollet obtemperare, *pallium ei rejecit*, quia tegmen litteræ legalis illi dimisit. Unde, sicut Apostolus dicit, *usque hodie, dum legitur Moyses, velamen positum est super cor ejus* (II *Cor.* III, 15). Sicque illam plebem dimisit Dominus dicens: *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 38), et ad gentes transiit cum spiritali Scripturarum intellectu. Accusavit eum mulier, in argumentum marito pallium ostendens, quia Synagoga Christum accusabat legis destructorem, et quia se Deum dicebat, æqualem se faciens Deo. Mittitur Joseph in carcerem: Christus descendit ad infernum. Educitur Joseph de carcere: Christus surgit a morte. Sed qui solus missus fuerat in carcerem, non solus eductus est. Nam principem, qui calicem porrigebat, eduxit et in pristinum gradum restituit. Sic et Christus resurgens suos de inferni carcere liberavit.

CAPUT XL.

Vers. 1. *Pincerna.* Minister vini, qui calicem regi porrigebat vel propinabat. Hoc ministerium non vile fuisse apud antiquos ostendunt fabulæ poetarum, in quibus refertur quod Jupiter amasium suum Ganymedem pincernam deorum constituerit.

Vers. 17. *Et in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria.* In Græco habetur, *portare me chondriton* (*b*), id est panem cibarium. Sed hoc non convenit Pharaoni, ut cibario pane vesceretur. Potuit tamen fieri, ut beatus Augustinus dicit (*c*), ut canistra videretur habere deorsum panes cibarios, supra quos erant omnia, quæ fiunt arte pistoria. Mystice hi duo viri duo sunt populi, qui ambo graviter peccaverunt, ut Apostolus dicit: *Non est distinctio Judæi et Græci. Omnes peccaverunt et egent gloria Dei* (*Rom.* X, 12). Sed apparente vero Joseph, alter, id est Judaicus, non credendo in ligno crucis damnatus est, in ligno prævaricationis.

Vers. 20. *Tertia* autem *dies*, qua vel ille restitutus vel ille suspensus est, Dominicam significat resurrectionem; quæ tertia die facta est.

CAPUT XLI.

Vers. 1 *Post duos annos Pharao vidit somnium.* etc. Septem anni ubertatis, quæ per *septem boves pingues*, et per totidem *spicas plenas atque formosas* designantur, mystice significant plenitudinem septiformis gratiæ Spiritus sancti, quæ primis temporibus in apostolis et cæteris credentibus manifestabantur. Sterilitas autem septem annorum sequentium, quæ per *septem boves macilentos* et per totidem *spicas tenues et uredine percussas* ostensa est, tempus illud significat, quo in fine sæculi refrigescente charitate et abundante iniquitate erit fames verbi Dei, quam Dominus per prophetam prædixit: *Mittam*, inquiens, *famem in terram non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbi Dei* (*Amos* VIII, 11).

Vers. 14. *Protinus eductum de carcere totonderunt.* Eductio Joseph de carcere resurrectio est Christi, per quam omnem mortalitatem et infirmitatem quasi capillorum excrementa projecit, et vestem immortalitatis ac jucunditatis accepit.

Vers. 42. *Tulit annulum de manu sua. Annulus in manu Joseph* pontificatum fidei designat, qui *in manu*, hoc est in potestate Christi constitutus est. Factus est enim sacerdos secundum ordinem Melchisedech. *Stola byssina* significat sanctam carnem ejus, quæ de terra virgineæ carnis exorta est, et sicut byssus diversis passionibus macerata pervenit ad candorem immortalitatis et gloriæ sempiternæ. *Et torquem auream collo circumposuit.* Torques aurea, qua collum Joseph ornabatur, sapientiam designat cœlestem, quæ sicut circulus nec initium habet nec finem. Potest etiam per torquem auream bona voluntas et bonorum simplicitas accipi.

(*a*) Cod. Garst., *vol. ævi leg.*
(*b*) Cod. Garst. *contiton.*; Tegern. *dontiton.*

(*c*) Lib. I *Quæst. in Genes.*, quæst. 131.

Vers. 43. *Fecitque ascendere currum* Joseph currum ascendit : quia Christus divinis muneribus decoratus ad cœlos rediit. *Clamante præcone.* Præco, qui gloriam ejus annuntiabat, est Joannes Baptista, qui primum ejus adventum nuntiavit, sive tuba angelica, quæ eum ad judicium venientem præveniet.

Vers. 45. *Vocavit eum salvatorem mundi lingua Ægyptiaca.* Id est *Phontophones.* Alia editio dicit, *vocavit eum patrem tenerum* : *patrem*, propter sapientiam : *tenerum*, propterea quia adolescens erat.

Vers. 46. *Triginta autem annorum.* Hæc ætas perfecta est in homine, in qua et David rex constitutus est, et Ezechiel exorsus est prophetare. Ipse quoque Dominus omnium in hac ætate baptizatus cœpit prædicare. *Stetit ante Pharaonem.* Quia mundo se præsentavit prædicando et miracula faciendo.

Vers. 51. 52. *Manasses* interpretatur *oblivio : Ephraim crescens* vel *frugiter.*

Vers. 56. *Aperuit Joseph horrea et vendebat Ægyptiis frumenta.* Et Christus in toto orbe horrea divini verbi aperuit, eisque vendidit frumenta divinorum eloquiorum, accipiens inde salutis illorum pretium.

CAPUT XLII-XLIII.

Vers. 1. *Dixit Jacob filiis suis: Descendite in Ægyptum. Jacob* tenet hic figuram Dei Patris. *Frumentum* Christus est, qui se grano frumenti comparavit. *Mittit Jacob pro frumento in Ægyptum* et Deus Pater de Ægypto mundi hujus revocavit Filium dicens : *Ex Ægypto vocavi Filium meum* (*Matth.* II, 15). Decem majores fratres qui missi sunt, perfectiores designant ex plebe Judaica qui legis Decalogum spiritaliter noverant adimplere.

Vers. 7. *Quasi ad alienos durius loquebatur.* Non est deputandum crudelitati quod sic fratres afflixit, vel quod mutuam cognitionem diu distulit, quia hoc fecit volens experiri utrum a malitia cessassent qua eum vendiderant, et an tales existerent erga fratrem suum qualem erga se eos fuisse noverat, quem in exteris regionibus vendiderant.

Vers. 9. *Recordatus est somniorum quæ aliquando viderat.* Quod videlicet sol et luna et stellæ illum adorarent. Et revera Christum adorat omnis creatura, et spiritaliter adorat eum sanctorum perfectio, Ecclesiæ splendor, et omnis electorum multitudo, juvenes et virgines, senes cum junioribus.

Vers. 4. *Avertitque se parumper et flevit.* Jure *Joseph* Christum significat, qui tot virtutibus refulget ; castitate, qua amantis dominæ improbitatem pro nihilo duxit; sapientia, qua secreta somniorum dissolvebat et futura prædicebat. Erat etiam severus in corrigendis fratribus, pius in fovendis, quorum injurias non solum non ulciscebatur, verum etiam pro illis flebat.

Vers. 8, 9. *Judas quoque dixit : Mitte puerum mecum*, usque, *reus ero peccati in patrem meum omni tempore.* Consideremus verba Ruben, quæ superius posita sunt. Ait enim : *Duos filios meos interfice, si non reduxero eum tibi.* Et tamen cum tam magnam rem, mortem videlicet illorum, pro-
A posuerit, non obtinuit quod volebat. Consideremus et verba Judæ, quibus se pro puero obligavit : *Si non reduxero*, inquit, *eum tibi, reus ero peccati omni tempore*, et impetravit quod volebat. Ejus enim curæ Benjamin commissus est. Videamus ergo ne plus sit reum esse peccati quam corporaliter aliquem occidi.

Vers. 11. *Modicum resinæ.* Resinam gummi dicimus, quo nomine generaliter omnes arbores vocantur ; sed hic intelligitur species quæ sic proprio nomine dicitur *Stiracis.* (*a*). Stiracis genus est resinæ. Pro stirace LXX *thyniama* posuerunt, quod Hebraice dicitur NECHOTA. *Stacte* gutta myrrhæ arboris. *Terebinthus* arbor, cujus resina similiter vocatur.

Vers. 23. *Num pecuniam, quam dedisti mihi, probatam ego habeo.* Non est mendacium quod dicit se
B pecuniam habere, quam illi invenerant in saccorum summitate. Vir enim sapiens erat, utpote sapientis domini dispensator, et ideo non de argenti dixit pecunia, sed de ea, quæ semper datur et non minuitur. Unde *probatam* dixit secundum quod Psalmista ait : *eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* XI, 7).

Vers. 32. *Seorsum Joseph, et seorsum fratribus.* Quasi extraneis. *Ægyptiis*, quasi indignis, *seorsum.*

Vers. 34. *Major pars venit Benjamin.* Benjamin diximus Paulum apostolum significare, cui major pars obvenit, quia plus cæteris in prædicatione laboravit, et ab Jerusalem usque in Illyricum replevit Evangelium Christi.

CAPUT XLIV.

C Vers. 2 *Pone scyphum meum in ore sacci junioris.* Allegorice per Benjamin ut sæpe diximus, Paulus apostolus designatur, qui *junior* vel minimus dicitur, quia necdum virum agebat in Christo, et in Actibus apostolorum (*cap.* VII) *adolescens* dicitur. Ipse quoque de se dicit : *Ego sum minimus apostolorum qui non sum dignus vocari apostolus quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* (I *Cor.* XV, 9). Scyphus argenteus, splendor divinorum eloquiorum, quæ specialiter Paulo commissa sunt. Majus enim scientiæ donum cæteris habuit, juxta quod beatus Petrus testimonium perhibet dicens : *Sicut frater noster Paulus secundum datam sibi scientiam* (*b*) *scripsit nobis.* Habebat scyphum argenteum, id est divinam scientiam : sed latebat intra saccum, hoc est intra legalis litteræ
D utilitatem (*c*) Sed venit dispensator, disrupit saccum venit Ananias missus a Christo, dissolvit legalis litteræ grossitudinem, id est cæcitatem. Mox scyphus resplenduit quia Paulus continuo fiducialiter in synagogis agere cœpit prædicans Christum et occidentem legis litteram ad spiritalem transferens intellectum.

Vers. 13. *Reversus in oppidum.* Juxta litteram non crudelitate fratres vexabat, sed peccatum venditionis quod in eo commiserant, purgabat : simul etiam ut experiretur si tales essent erga fratrem suum quales erga se exstiterant.

(*a*) Ita uterque cod.
(*b*) Cod. Teg., *sapientiam*

(*c*) Ita uterque cod. ; forte leg. *vilitatem.*

CAPUT XLV.

Vers. 17. *Onerantes jumenta*, etc. Hoc loco Pharao typum tenet populi gentilis,qui gavisurus est de conversione Judæorum in fine sæculi, eisque promittet copias divinarum Scripturarum,et *medullam terræ*, hoc est suavitatem spiritalis intelligentiæ.

Vers. 21. *Feceruntque filii Israel ut eis fuerat imperatum. Fratres Joseph* apostoli sunt, fratres Christi Petrus et Paulus et cæteri.

Vers. 22. *Benjamin dedit trecentos argenteas.* Hoc est, fidem sanctæ Trinitatis et crucis Christi prædicanda mysteria. Nam *tau* littera, quæ figuram crucis habet, ccc designat numeros.Et Paulus apostolus se dicit :*Nihil me judicavi scire inter vos nisi Christum Jesum et hunc crucifixum* (I *Cor.* II, 2). Dilecto quoque discipulo mandat : *Noli erubescere crucem Christi neque me vinctum ejus* (II *Tim.* II, 8). Accepit et *quinque stolas optimas*, hoc est sapientiam et moderationem quinque sensuum,quæ omnia ampliora in Paulo quam in cæteris fuere. Cæteri fratres *binas stolas* acceperunt, ut videlicet Christum Deum et hominem prædicarent, Deique et proximi dilectionem tenendam prædicarent.

Vers. 23. *Asini*, qui panem et triticum in itinere portabant, gentiles ad Christum conversos designant, qui prius stulti et ignobiles fuerunt, sed ad Christum conversi pabulum verbi Dei portabant.

Vers. 27. *Revixit spiritus ejus.* Hoc loco Jacob typum tenet Israeliticæ plebis, quæ per infidelitatem quodam senio tabescebat, et jam quasi mortua erat, sed audita apostolorum prædicatione,quos designant filii ejusdem Jacob, visis etiam miraculis et charismatibus divinæ [potentiæ], quæ Christus, ejusdem plebis filius secundum carnem, fecerat, *revixit*, cique se occurrendum præparavit.

CAPUT XLVI.

Vers. 7. *Filiæ et cuncta simul progenies.* Quod dicit plurali numero, *filiæ*, a toto partem debemus accipere. Unam tantum filiam Dinam habuerat.

Vers. 26. *omnes animæ quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuerunt septuaginta.* Hæc est Hebraica veritas. Nam quod in LXX legitur : *Omnes animæ fuerunt septuaginta quinque*, supputatis Jacob filiis aperte ostenditur non convenire. Illi enim qui cum Jacob Ægyptum intraverunt,sexaginta sex fuerunt, quibus si addam ipsum Joseph et filios ejus, quos in Ægypto genuerat, fuerunt sexaginta novem. His etiam adde ipsum Jacob, patrem omnium, fiunt septuaginta. Quod in Actibus apostolorum Lucas dicit : *Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta quinque* (*Act.* VII, 14), similis error est. Sed quia tunc LXX majoris auctoritatis erant quam Hebraica veritas, et ab omnibus Ecclesiis legebantur, ideo sanctus Lucas *septuaginta quinque* posuit. *Omnes animæ quæ egressæ sunt de femore Jacob.* Hoc quidam hæretici ad suum errorem traxerunt dicentes animas sicut et corpora ex patris seminario nasci. Sed aliter veritas se habet. Deus enim de nihilo creat animas, non de corporibus, neque de aliis animabus, easque quando et quomodo vult, corporibus tribuit. Ergo quod dicit: *Animæ quæ egressæ sunt de femore Jacob*, per animas totum hominem debemus accipere, a majore videlicet parte, sicut et aliquando ab inferiori parte totus homo accipitur, juxta quod Joannes dicit : *Verbum caro factum est* (*Joan* I, 15), per carnem totum hominem designans.

Vers. 28. *Misit Judam ante se ad Joseph.* Præmittitur Judas, qui *confessio* interpretatur, *ad Joseph*, id est ad Christum, quia confessio præcedit gratiam fidei. Post confessionem ipse Joseph occurrit, quia Christi misericordia subsequitur.

Vers. 34. *Viri pastores sumus, et patres nostri.*Hæc est justa servitus, ut homines pecoribus dominentur, et pecora hominibus serviant. Nam humanam servitutem aut iniquitas aut adversitas facit. Iniquitas quidem, sicut Noe maledicens filio suo dixit : *Maledictus filius meus Chanaan, servus erit fratribus suis.* Adversitas, sicut Joseph qui venditus factus est servus. *Detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.* Jure Ægyptus mundum istum significat, in quo abundavit iniquitas. Abominantur Ægyptii pastores ovium, quia omnis iniquus odio habet justum. *In terra Gessen.* Gessen dicit (*a*) esse Thebaidem regionem, quæ a LXX *Gosen* vocatur.

CAPUT XLVII.

Vers. 9. *Dies peregrinationis meæ.* Nota quod sancti viri advenas et *peregrinos* se confitentur, quia non habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt. *Ramesses* pars est Thebaidis, pagus scilicet, qui nunc *Arsenoginite* (*b*) vocatur.

Vers. 12. *Et alebat eos*, etc. Solent quærere hoc loco unde jumenta et pecora viverent,fame per septem annos omnem terram premente, maxime quia filii Jacob dixerunt superius non esse sibi pabula in terra Chanaan,eo quod nullæ ibi essent pluviæ. Sed sciendum Nilum in Ægypto maximas facere paludes, in quibus abundans herba nascitur jumentis et pabula pecoribus tanto fertiliora quanto siccior fuerit Nilus. In his ergo locis alebantur jumenta et cætera animalia, quæ plurima erant in Ægypto.

Vers. 19.*Eme nos in servitutem regiam.* Allegoriæ omnis Ægyptus servus est, et eo amplius, quo se sponte tradit.Nam filii Israel et ipsi servi fuerant in Ægypto,sed non sponte. Ægyptii vero spontaneam subierunt servitutem, eos utique designantes qui Deum a sua mente excludentes, tradunt se servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem.

Vers. 22. *Præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis. Terra sacerdotum* sancta est Ecclesia,in qua sunt veri sacerdotes,qui veram habent libertatem,et nullam spiritalis famis patiuntur penuriam,quia a rege Christo pabulo divini verbi aluntur.

Vers. 23. *Accipite semina et serite agros.* Et Jo-

(*a*) Ita uterque codex.

(*b*) Ita uterque codex.

seph noster, id est Christus, hortatur fideles ut *semina* evangelicæ predicationis *accipiant et serant agros*, id est corda auditorum, ut inde fructus bonorum operum recipere possint.

Vers. 24. *Quintam regi dabitis. Quinta* pars, quæ regibus persolvebatur, quinque sensuum custodiam designat, quæ Christo consecranda est. Nam et in lege præcipitur omne primogenitum masculini sexus *quinque siclis argenti* debere redimi. (*Exod.* XIII, 15). Quod vero *quatuor partes* permittebantur habere, hoc designat quod unusquisque in laicali conversatione, hoc est actuali, secundum suum propositum vel facultatem permittitur vivere.

Vers. 29. *Pone manum tuam sub femore meo, et jura mihi per Deum cœli, ut non accipias uxorem de filiabus Chanaan.* Ostendit se Jacob filium sancti Abrahæ non carne tantum, sed moribus. Ille enim adjuravit servum suum dicens: *Pone manum tuam sub femore meo, jura mihi per Deum cœli, ut non accipias uxorem de filiabus Chanaan.* Hic similiter adjurat filium Joseph, ut non sepeliat eum in Ægypto. Uterque enim incarnationem Christi et prævidebat et fideliter credebat venturam. Quæri autem potest cur sancti patriarchæ tantum curam habuerint sepeliendorum corporum, cum scirent cadavera et in sarcophagis sepulta et sub nudo cœlo æqualiter posse putrescere. Nam et poeta dicit :

Cœlo tegitur, qui non habet urnam.

Sed hoc faciebant, non quo curam habebant ipsorum cadaverum, quæ quoquomodo in terram reditura erant, sed ut memoriam sui aliis relinquerent, sicque eos ad se imitantum provocarent. Nam et Dominus ad Job loquitur: *Restituetur sicut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum plicatum* (*Job.* XXXVIII, 14). *Signaculum*, id est homo ad imaginem Dei factus, *ut lutum* per mortem *restituitur*, non tamen temere aut negligenter projicitur, sed *sicut vestimentum plicatum* tuto loco reponitur, ut rursum per resurrectionem reinduatur.

Vers. 31. *Adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput.* Augustinus : Quod habent quidam Latini codices : *Et adoravit super caput virgæ ejus in capite*, fallit eos Græcum verbum, quod eisdem litteris scriptum est, sive *suæ*, sive *ejus* sed accentu dispares sunt, et ab eis qui ista noverunt, in codicibus non contemnantur : valent enim ad magnam discretionem. Ac per hoc quæritur quid sit quod dictum est. Nam facile intelligitur senem adorare fastigium virgæ suæ, quam sic ferebat, ut super eam caput inclinando adoraret Deum. Sed quod dicit *ejus*, aliter sese refert ; quia post juramentum filii sui, ipsi filio virga sumpta iterum innisus eidem adoravit cacumen ejus vel illius. Sanctus vir et Deo deditus senectute gravatus ita lectum in quo jacebat compositum habebat, ut capite ad orientem verso mox si vellet, absque difficultate ad orandum se vertere posset.

CAPUT XLVIII.

Vers. 5. *Sicut Ruben et Simeon reputabantur mihi.* Id est, suas per se tribus facient, ut jam non dicatur tribus Joseph, sed tribus Ephraim et Manasse. Sicut Simeon et Ruben suas tribus singulas facient, sic Ephraim et Manasse duæ tribus erunt, et sic tredecim tribus perficientur, Joseph tribu in duas partes divisa.

Vers. 14. *Commutans manus Joseph duos filios patri adduxit.* Ut eis benediceret. Primogenitum suum Manassen posuit ad dextram patris ; juniorem vero, id est Ephraim, ad sinistram. Ille allatus spiritu prophetico, prævidens quæ ventura erant, posuit dexteram manum super caput junioris Ephraim, sinistram vero super caput Manasse, qui major natu erat, manibus in modum crucis in transversum commutatis : quia illum videbat multiplicandum, et Jeroboam regem ex tribu Ephraim futurum. Mystice per hos duos filios Joseph duo populi signantur. Per *Manassen*, qui *oblivio* interpretatur, accipitur Judaicus populus, qui oblitus est Domini creatoris sui. Per *Ephraim*, qui *frugiter* vel *fecunditas* interpretatur, gentilis populus figuratur, qui credendo in Christum fidei et bonorum operum fructum Domino obtulit, et spirituali fecunditate multiplicatus est. Hic licet posterior Dei cognitionem perceperit, coustitutus est tamen ante Manassen : quia quam gratiam (*a*) habuerunt Judæi et sacramenta Scripturarum atque omnem dignitatem divinæ legis, Judæis reprobatis, accepit.

Vers. 21. *Reducetque vos ad terram patrum vestrorum.* Magno desiderio patriarcha Jacob tenebatur, cupiens in ea terra sepeliri, ubi passurum Christum noverat et redimendum genus humanum. Denique, ut ferunt periti sanctorum locorum, ab eo loco qui *Abramium* dicitur, ubi Abraham et Isaac sepulti sunt, usque ad locum Dominicæ passionis, triginta fere millia passuum habentur, ut ipso quoque numero qui in T littera continetur, mysterium Dominicæ passionis ostendatur.

Vers. 22. *Extra fratres tuos.* Id est, extra sortem quam cum cæteris fratribus in divisionibus possessionum accepturus est. Quod autem dicit, *quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo*, gladium et arcum appellat justitiam suam, per quam, peracta cæde Sichimitarum, a gentibus circumpositis Dec se protegente eripi potuit. Alia translatio dicit, *quam tuli in fortitudine mea.* Fortitudinem appellat pecuniam vel divitias quas possidebat, quas suo sudore vel labore acquisierat.

CAPUT XLIX.

Vers. 1. *Diebus novissimis.* Hoc dicendo ostendit se prophetice locuturum. Licet enim hæc verba, quibus filiis benedixit, ad divisionem possessionis quam acceperunt in terra Chanaan, pertineant, specialiter tamen ad Christum, qui novissimo sæculi tempore incarnatus est, referenda sunt.

(*a*) Uterque codex, *quia quondam grat.*

Vers. 3, 4. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea et principium doloris mei.* Quod dicit, *principium doloris mei*, juxta litteram hoc designat, quia omnis primogenitus principium est doloris, dum pro eo paterna primum et materna viscera concutiuntur. Est autem sensus horum verborum : O Ruben, qui primogenitus meus fuisti, cui omnia primogenita et dignitas sacerdotalis ac regia debebantur, qui *prior* fuisti *in donis* et *major in imperio*, tamen perdidisti hæc omnia, quia *effusus es sicut aqua* impetu mali desiderii. *Ergo non crescas*, sive non multipliceris et augearis. Quo sensu et Moyses benedicens cum dicit : *Vivat Ruben et non moriatur et sit parvus in numero et non crescas*, vel ut iteres scelus tuum. Hæc juxta litteram. Allegorice, Ruben populum Judæorum significat, de quo dictum est : *Filius primogenitus meus Israel.* Hic *fortitudo* dicitur, quia Scripturarum mysteria intellexit. *Principium* quoque *doloris* Dei fuit, quia postquam se Deo serviturum promisit, frequenter eum ad iracundiam provocavit murmurando et ejus beneficia fastidiendo. Fuit etiam *prior in donis*, quia illi tradita sunt fidelia sacramenta : *et major in imperio*, quia quandiu Deo servivit, multis gentibus fideliter imperavit. *Sed effusus est sicut aqua*, id est, omnia hæc velocissime amisit, sicut aqua velociter effunditur cum in vase contineri non potest. Et quare hoc ? *Quia ascendisti*, inquit, *cubile patris tui.* Cubile Dei Patris Christus est secundum humanitatem, in quo requiescit plenitudo divinitatis. Hoc cubile plebs nefanda ascendit, quando contra Christum insurrexit et ita eum ad mortem expetivit. *Stratum* quoque Dei *maculavit*, quando Christum peccatorem, Samaritanum et dæmonium habere dicebat. Unde meruit audire : *Non crescas*, sed potius minuaris, et per omnes gentes minuaris.

Vers. 5. *Simeon et Levi, vasa iniquitatis bellantia.* Hi duo fratres Dinæ fuerunt, qui ob strupum sororis sæviendo fœderatam civitatem subverterunt cæsis habitatoribus. Hos vocat *vasa iniquitatis, bellantia*, id est instrumenta iniquitatis. *In consilio eorum non veniet anima mea.* His verbis ostendit non esse suæ voluntatis ut Hemor et Sichem innocentes cum cæteris occiderentur. Non sit anima, id est voluntas et consilium.

Vers. 6, 7. *Occiderunt virum.* Id est Hemor et Sichem. *Suffoderunt murum*, hospitæ civitatis. Quod autem dicit, *dividam eos in Jacob, et disperdam in Israel*, significat quia tribus Levi non habuit possessionem cum aliis tribubus, sed parvas urbes inter alias tribus ad habitandum accepit. De Simeone quoque legitur quod nullum possessionis propriæ funiculum habuerit, sed de possessione Judæ aliquid acceperit. Mystice *Simeon et Levi* principes Judæorum designant, qui contra Christum bellabant facibus invidiæ succensi. Unde merito *vasa iniquitatis* appellantur, quia sicut vasa liquore implentur, sic scribæ et sacerdotes Judæorum dolo et malitia pleni erant. Prævidens ergo patriarcha illorum malitiam orat ut *in consilio eorum*, quod contra Christum fecerunt, *non veniat anima mea*, id est voluntas ejus. *Occiderunt virum*, id est Christum ; *Suffoderunt murum*, id est, corpus ejus clavis confixerunt et lancea aperuerunt. Murum enim fortissimum appellat corpus Christi, quod in utero Virginis quadraginta et sex diebus ædificatum est, sicut templum Domini quadraginta et sex annis ædificatum vel constructum est. *Dividam eos in Jacob, et disperdam in Israel.* Non uno sensu divisio et dispersio accipienda sunt. *Divisio* enim in bono, *dispersio* autem accipitur in malum. Eos enim qui ex illo populo crediderunt, *divisit* Deus ab infidelibus, et corpori Ecclesiæ conjunxit. Illos autem qui in infidelitate permanserunt, *disperdidit* per universas gentes.

Vers. 8. *Juda, te laudabunt fratres tui*, et reliqua usque, *adorabunt te filii patris tui.* Sub nomine Judæ hæc benedictio de David accipitur, qui de eadem tribu fuit rex potentissimus. Quem laudabunt fratres sui, reliquæ videlicet tribus. *Manus ejus in cervicibus inimicorum* ejus erat, hoc est, virtus et fortitudo ad humiliandam potentiam reliquarum gentium. Pene enim omnem Syriam et Palæstinam et circumpositas nationes reliquas humiliavit et tributarias fecit. Unde *et adorabunt eum filii patris ejus*, vel fratres videlicet, vel omnis Judæorum populus, videntes Dominum esse cum illo. Mystice *Judas* Christum significat, qui est verus confessor, sicut in Evangelio ad Patrem dicit : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI, 25). Hunc *laudant fratres sui*, omnis videlicet justorum multitudo, non communi laude, sed speciali et divina, sicut Deum et Dominum suum. *Ejus manus* est *in cervicibus inimicorum* suorum. Ut eos humiliet et suæ fidei colla eorum subdat. Hunc *adorabunt filii patris ejus.* Id est sancti, quos ipse dedit esse filios Dei et fratres ejus.

Vers. 9. *Ad prædam, fili mi, ascendisti.* Hæc quæ tradita sunt tam de David ad litteram, quam et de Christo spiritaliter pertinent, quem per apostrophen patriarcha alloquitur: *Ad prædam, fili mi, ascendisti.* Christus *ad prædam ascendit*, quia contra diabolum pugnaturus venit, ut eos quos captivaverat, eriperet. Quod autem dicit, *ascendisti*, confidentiam et securitatem Creatoris ostendit. Ipse *requiescens accubuit ut leo*, quia in spe firmissima (a) resurrectionis mortem suscepit, quam in potestate habuit. *Requievit ut catulus leonis*, quia tribus diebus in sepulcro jacuit. Ferunt enim physici de catulo leonis quod natus tribus diebus dormiat, tertio tandem die magno rugitu patris excitatur. Sic et Christus tribus diebus dormivit in sepulcro, et tandem tertia die a Deo Patre excitatus est, cujus rugitum Psalmista describit dicens : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara* (*Ps.* CVII, 3). Et respondit

(a) Uterque cod., *firmissimæ.*

ipse : *Exsurgam diluculo. Quis suscitavit eum ?* Nullus videlicet nisi Pater et ipsa divinitas qua humanitas ejus plena erat.

Vers. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus,donec veniat qui mittendus est.* Patet omnibus hoc de Christo dici,ad cujus usque adventum principes de tribu Juda exstiterunt in populo Judæorum. Nam Herodes, sub quo Dominus natus est, alienigena erat et proselytus. Jam enim venerat qui mittendus erat.*Et ipse erit exspectatio gentium,* ut quæ pretioso sanguine ejus redimendæ erant. *Ligans ad vineam pullum suum,et ad vitem,o fili mi,asinam suam.* Hic aperte ostenditur quod non de Juda sed de Christo ista dicantur. Nam cum de Juda videatur loqui, tamen ad ipsum Judam conversus quasi de alio dicit *: ligans ad vineam pullum suum. Vineam* chorum appellat apostolorum, qui quasi palmites de una et vera vite succreverant,sicut ipse in Evangelio : *Ego sum vitis, vos palmites.* Pullus vero, gentilis populus, quem ad vineam ligavit, quando per apostolicam prædicationem populum domuit,ut illorum fidem et doctrinam sequerentur. Asina vero Ecclesia est ex gentibus congregata, quondam stulta et oneribus peccatorum prægravata, (*a*) sed postquam fidem Christi recepit, versa vice jugum diaboli projecit et onus Christi leve suscepit.Hanc *asinam ad vitem ligavit,* quia Ecclesiam ex gentibus vinculis charitatis sibi conjunxit. *Lavabit vino stolam suam.* Stola Christi caro ejus est, quam vino lavit quod de botro in cruce pendente expressum est,quia videlicet carnem suam sanguine passionis suæ perfudit.

Pallium gentes significat,quibus Christus indutus est,juxta quod ei per prophetam dictum cet : *His omnibus velut ornamento vestieris* (*Isa.* XLIX, 18). Pallium ergo suum lavit *in sanguine uvæ*,quia populum gentium suo redemit cruore.Hinc Joannes:*Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I, 5).

Vers. 12. *Pulchriores sunt oculi ejus vino. Oculi* Christi apostoli sunt et evangelistæ,qui nobis spiritalem scientiam infuderunt.Vinum vero austeritatem legalis observantiæ designat.*Oculi* ergo Christi *vino pulchriores sunt,* quia doctrina evangelica clarior est legali traditione. *Dentes* vero sancti prædicatores sunt,qui sicut dentes cibos,ita infideles a sua duritia comminuunt, ut in corpus Ecclesiæ recipiantur. Lac vero est legalis traditio, qua Judæi tanquam parvuli nutriebantur,non valentes recipere solidum cibum. *Dentes* ergo *lacte candidiores* sunt; quia prædicatores Novi Testamenti præcellunt legis doctores.Et bene candidi dicuntur, quia qui alios docent, mundi et ab omni labe peccati immunes esse debent.

Vers. 16.*Dan judicabit populum suum.* Hæc verba, quæ sub persona Dan dicuntur, quidam de Juda proditore accipiunt,qui recte *coluber* et *cerastes* appellatur, id est serpens cornutus propter dolos et venena malitiæ.Equum vero vel equitem Christum accipiunt secundum humanitatem. Cujus ungulas coluber vel cerastes momordit,quando morti ejus insidias paravit. Ut caderet accensor ejus retro,hoc est, ut Christus per mortem redigeretur in pulverem sicut cæteri homines. Quasi enim retro cadunt, quando per mortem in terram,de qua sumpti sunt, redeunt. Sed quia prævidit eum prophetico spiritu tertia die resurrecturum,ideo dixit : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Sed melius hæc verba ad Antichristum referuntur, qui de tribu Dan nasciturus est. Unde tribus Dan recte in deserto in aquilonari parte castra metata fuisse legitur, illum ostendens qui dixit : *Sedebo in monte testamenti,in latere Aquilonis.* Hinc ergo Dan *coluber et cerastes* appellatur : *coluber* propter dolum *cerastes* propter potentiam. Antichristus enim, quos fraude decipere non poterit, per potentiam sæculi quasi cornutus serpens sibi subdere laborabit.Attendendum vero quod dicit, *coluber in via, cerastes in semita.* Nullus ignorat viam latiorem esse quam semitam. Ideo per viam designantur lata itinera sæculi gradientes, quos quasi *coluber* Antichristus occulte mordendo decipiet *in semita* vero sancti per angustam viam ad vitam tendentes, quos quasi *cerastes* per potentiam opprimet. *Mordens ungulas equi.*Equus hoc loco mundus accipitur, qui superbiam et ambitionem in cursu labentis temporis spumat. Ungula autem extrema pars pedis est,pes extrema pars corporis.Quia ergo Antichristus extrema mundi tempora capere quærit, ideo ungulas equi mordere dicitur. *Ascensor* autem hujus equi est omnis qui in dignitatibus et potentia sæculi gloriatur. *Cerastes* ergo,id est Antichristus, equi ungulas mordet, ut ascensor retro cadat:quia ad hoc extrema mundi tempora occupat, ut reprobos secum ad æternam damnationem trahat. Retro enim cadere reprobrorum est sicut econtra in faciem cadere electorum.In faciem cadere est de perpetratis malis erubescere, quia qui in faciem cadit, ibi cadit ubi videt ; qui vero retro, ibi cadit ubi non videt. Et ideo *retro cadere* est in æternæ damnationis foveam, dum ignorat, ruere. Quidam hunc locum sub persona Dan de Samson fortissimo ad litteram accipiunt,qui fuit de eadem tribu et judicavit Israel multis annis.Hunc ergo comparat colubro et cerastæ. Sicut enim serpentes transeuntibus insidiantur, sic Samson neminem hostium sinebat per suam transire possessionem vel malum aliquod ibi facere. Sed et si quis fretus agilitate vel fortitudine mordebat ejus ungulas,hoc est,magna virtute eum superabat, et retro illum fugere compellebat quasi equitem retro faciens cadere de equo. Quod autem dicit *: Salutare tuum exspectabo, Domine,* sensus talis est*:* Cum, inquit,viderem Samson fortissimum tam magna facere,et Philistæos,qui tunc præerant Israelitis, devincere, in mandibula asini

(*a*) Codd., *prægnata.*

mille viros occidere, portas Gazæ civitatis humeris impositas in montem deferre, leonem veluti hædum occidere, cum hæc et talia facientem viderem, putavi eum esse Christum. Sed rursum eum viderem eum amoribus meretricis decipi, et cum viderem eum occisum non resurgere, intellexi non cum esse nobis repromissum Christum. Ergo *tuum salutare exspectabo*, id est Jesum, qui *salutaris* vel *salus* interpretatur.

Vers. 13. *Zabulon in littore maris habitabit.* Juxta litteram prædicit patriarcha possessionem quam tribus Zabulon tenuit. Possedit enim littus maris Magni *pertingens usque ad Sidonem* maritimam civitatem. Allegorice *Zabulon* Ecclesiam significat, quæ erepta de fluctibus sæculi fruitur soliditate littoris, et est *in statione navium*, quia Ecclesia dilatatur per populos gentilium, quos *Sidon*, quæ *venatio* interpretatur, designat.

Vers. 14. *Issachar*, inquit, *asinus fortis.* Asinum fortem vocat juxta litteram, quia laborabat in vehendis mercibus ad mare. *Accubat in terminis*, videlicet juxta possessionem Nephthalim. Hebræi dicunt quod assidue homines illius tribus operabantur in divinæ legis meditatione, et ideo *asinus fortis* vocatur propter assiduum studium inquirendæ sapientiæ. *Issachar asinus fortis.* Quia dixerat possessionem Zabulon in maritimis locis futuram, redit ad mediterranea, et prædicit possessionem Issachar, quod fertilissima futura esset, et negotiationibus abundaret. Mystice *Issachar* populum gentilem significat, qui quondam stultus et ignobilis prægravabatur oneribus peccatorum. Postquam vero Christum cognovit, cœpit accubare in terminis, hoc est, requiescere in spe promissæ felicitatis, quam exspectat in termino, hoc est, in fine sæculi. *Vidit* enim *requiem, quod esset bona*, illam videlicet, quæ in alia vita omnibus sanctis repromittitur. *Vidit terram, quod* esset *optima*, eam, de qua Psalmista dicit: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI, 13); et ideo *supposuit humerum ad portandum*, quia pro adeptione patriæ cœlestis libenter omnia tolerat sæculi adversa. *Factusque est tributis serviens*, quia censum fidei et bonorum actuum Christo reddit.

Vers. 19. *Gad accinctus præliabitur.* In Deuteronomio legimus tribum Gad cum tribu Ruben et dimidia tribu Manasse possessionem trans Jordanem accepisse, tradente sibi Moyse, ea tamen conditione ut non ante in domos suas reverterentur donec cæteri fratres eorum possessionem acciperent. Sicque isti accincti, id est expediti ad bellum vel præparati, perrexerunt ante fratres suos. Cum ergo reversi fuissent peracto bello, et quiete reddita invenerunt filios suos, quos parvos in sua possessione dimiserunt, gravissimo bello impugnari a circumjectis hostibus, et tunc iterum necesse fuit eis ut se accingerent et bellum præpararent. Hoc est quod dicit: *Gad accinctus præliabitur ante eum*, id est ante populum; et postquam reversus fuerit, *accingetur* iterum *retrorsum* contra nationes. Allegorice *Gad* Christum significat, qui primo adventu suo, quando occultus venit, accinctus est ut præliaretur contra diabolum, et *accingetur* (a) *retrorsum* in secundo adventu suo, quando manifestus adveniet, ut judicet mundum, et singulis secundum merita sua reddat.

Vers. 20. *Aser, pinguis panis ejus.* Hæc verba ad fertilitatem possessionis juxta litteram pertinent. Allegorice vero *Aser*, qui *beatus* vel *pinguis panis* interpretatur, eumdem Christum designat, cujus *panis pinguis* est, id est corpus ejus, quo ad æternam vitam reficimur, sicut ipse dixit: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, et do vitam huic mundo* (*Joan.* VI, 35). Ipse *præbet delicias regibus*, id est sanctis, qui motus corporis sui bene regere noverunt. His *præbet delicias*, id est suavitatem verbi, sive etiam se ipsum, quia Aser *deliciæ* interpretatur.

Vers. 21. *Nephtalim cervus emissus. Cervus emissus* vocatur propter fructus temporaneos, qui apud illos citius maturescunt; ideo *cervus emissus*, id est velox vel fugax, vocatur. Alia translatio dicit, *Nephtalim ager irriguus.* Significat autem aquas calidas quæ in illa tribu sunt. Vel etiam propter lacum Genesar hoc dicit, qui apud illos est. Hebræi tradunt Tiberiadem civitatem in hac tribu esse, in qua sunt doctores legis. Et hoc est quod dicit, *dans eloquia pulchritudinis.* Mystice *Nephtalim* apostolos designat, qui de tribu Nephtalim et Zabulon a Domino electi sunt, juxta quod prædictum fuerat per Isaiam: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtalim* (*Isa.* IX, 1); quia primo Dominus in his locis prædicavit, et *tunc alleviata est terra* eorum, sublato gravissimo jugo diaboli. Ergo Nephtalim *cervus emissus* vocatur, quia apostoli velocissime per universum mundum discurrerunt, et ipsi sunt *filii excussorum* missi de manu Domini, velut sagittæ de manu potentis (*Psal.* CXXVI, 4). Ipsi dant eloquia pulchritudinis, id est verba prædicationis divinæ.

Vers. 22. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens.* Joseph *auctus* interpretatur, id est multiplicatus virtutibus et sæculi dignitate. Et enim *decorus aspectu.* Unde et a principe Ægypti emptus est. *Filiæ discurrerunt super murum.* Dicunt Hebræi quod quando Joseph venumducebatur per Heliopolim civitatem Ægypti *filiæ*, id est puellæ Ægyptiorum, *discurrebant per murum civitatis*, admirantes ejus pulchritudinem. Qui qualis fuerit, et hoc conjici potest quod feminæ, quarum proprie pulchritudo est, eam in Joseph mirabantur.

Vers. 23. *Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt.* Propter somnia quæ viderat, dicentes: *Numquid rex noster eris? — Inviderunt illi habentes jacula.* Ipsi sauciati jaculis invidiæ *inviderunt illi.* Unde et vendiderunt eum in Ægypto.

C. Garst., *accingeretur.*

Vers. 24. *Sedit in forti arcus ejus.* Id est virtus ejus et spes ejus *sedit*, hoc est stabilita est *in forti*, hoc est in Christo. *Et dissoluta sunt vincula brachiorum ejus per manus potentis Jacob*, id est omnipotentis Dei. *Inde*, id est ex Jacob progenie, *egressus est lapis*, id est Christus; *egressus est pastor*, id est Christus, qui est et lapis Israel, id est firmitas et robur omnium Deum contemplantium.

Vers. 25. *Benedictionibus cœli desuper.* Quod dicit, *benedictionibus desuper* et *abyssi*, omnium rerum copiam per hæc duo significat, fertilitatem videlicet terræ, temperiem et proventum cœli, hoc est aeris. Per *benedictiones uberum et valvæ* multiplicandam designat stirpem ejus maxime propter Ephraim, cujus multitudo usque in immensum aucta est. Allegorice *Joseph* Christum significat. *Accrescens* dicitur, quia crevit in fide gentium. Ipse est enim *decorus aspectu*, quia *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV. 3). Filiæ, quæ discurrerunt per murum admirantes ejus pulchritudinem, animæ sunt sanctorum, super soliditatem fidei constitutæ, quæ admirantur pulchritudinem Christi, et tanto eum amplius diligunt, quanto majoris fragilitatis sibi sunt consciæ. Discurrunt super murum, hoc est super soliditatem fidei, vel super insuperabilem firmitatem divinarum Scripturarum, ut ibi possint videre pulchritudinem Christi. *Sed exasperaverum eum et jurgati sunt.* Hoc de Judæis dicitur, qui exasperaverunt Christum dicentes eum Samaritanum et dæmoniacum. *Habentes jacula* invidiæ, quibus seipsos vulnerabant. Unde et Psalmista: *Dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5). — *Sedit in forti arcus ejus.* Id est spes virtutis ejus mansit in Deo Patre. *Et dissoluta sunt vincula brachiorum ejus.* Quia vinctus adductus est ante præsidem. Vel *vincula brachiorum* dicit blasphemias quibus opera virtutum ejus impedire conabantur, dicentes eum in Belzebub ejicere dæmonia. Et hoc *per manus potentis Jacob*, id est per operationem omnipotentis Dei. *Deus patris tui adjutor tuus.* Loquitur patriarcha ad Christum secundum hoc quod homo est. *Deus*, inquit, *patris tui*, id est ille Deus quem patres tui adoraverunt, Abraham; Isaac et Jacob. *Et Omnipotens benedicet tibi.* Singulari videlicet benedictione præ cæteris sanctis, per benedictionem cœli desuper et abyssi jacentis deorsum significatur Christo omnia fuisse subjecta, angelos videlicet in cœlo et homines in terra. De hac benedictione Apostolus dicit: *Et exaltavit illum Deus, et donavit illi nomen*, etc. (*Philip.* II, 9). — *Benedictionibus uberum* dicit, id est duorum Testamentorum, quorum alterum venturum Christum, alterum venisse nuntiavit. His uberibus nutritur infantia Ecclesiæ. Vel etiam *benedictionibus uberum* dicit beatæ Mariæ Virginis, quæ Christum infantem habuit, cujus in corrupta in vulva progenitus est. Unde et in Evangelio exclamans quædam mulier dixit: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti* (*Luc.* XI, 27). *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus.* Hoc est, illæ benedictiones quibus Deus Pater Filium benedixit, confortatæ sunt et prævaluerunt omnium sanctorum Patrum benedictionibus. Nullus enim justorum Christo exæquari potuit, quia ille per naturam est Dei Filius, cæteri sancti per adoptionis gratiam. *Donec veniret desiderium collium æternorum.* Colles æternos patriarchas et prophetas dicit, qui non jacent in terrenis, sed sublevantur ad cœlestia. Horum *desiderium* fuit, quo desiderabant videre adventum Christi. *Fiant istæ benedictiones in capite Joseph.* Id est, impleantur in Christo. *Et in vertice Nazaræi.* Id est Christi, qui est verus flos munditiæ, in quo primum benedictiones factæ sunt, et ab hoc vertice descenderunt per omnia membra Ecclesiæ usque ad oram vestimenti ejus, id est usque ad novissimum electum.

Vers. 27. *Benjamin lupus rapax.* Hunc locum ita Hebræi edisserunt. Altare quod in templo erat Domini, in parte tribus Benjamin situm erat. Hoc ergo altare vocat lupum sanguinarium et rapacem propter hostias quæ ibi mane offerebantur, et igne, qui erat semper in altari, devorabantur. Hoc est quod dicit: *Mane comedet prædam.* Quod vero sequitur: *Vespere dividet spolia*, ad sacerdotes pertinet, qui ea quæ per diem de sacrificiis altaris a populo consequebantur, vespere inter se dividebant. Et hoc secundum illos. Nos vero de Paulo apostolo dictum accipimus, qui fuit de tribu Benjamin, et quasi *lupus rapax* persecutus est Ecclesiam primo tempore. Unde et in Psalmo dicitur: *Ibi Benjamin in mentis excessu* (*Psal.* LXVII, 28). Hic ergo mane prædam comedit, quando sanctos laniabat, et acceptis a principibus epistolis usque in exteras nationes sequebatur. Vespere autem divisit spolia, quando jam conversus doctrinam Evangelii magna discretione fidelibus distribuit. Notandum autem quod cum illis fratribus qui de liberis nati erant, id est Lia et Rachele, etiam ancillarum filii benedicti sunt: in quo ostenditur non esse personarum acceptionem apud Deum, qui omnes vult salvos fieri, nec discernit gradus nativitatis, quos una fides facit æquales.

Vers. 32. *Appositusque est ad populum suum.* Sæpe hoc legitur in divina Scriptura: *Appositus est ad fratres suos, appositusque est ad populum suum.* Ideo quærendum de quo populo dicatur. Nam de patribus nulla quæstio est, quod videlicet cum Abraham et Isaac congregaretur. De populo autem dubium est, quia populus est multitudo. Illi vero adhuc tam parvi erant, ut populus dici non possint. Intelligamus ergo hoc non de solis sanctis hominibus dictum, sed etiam de angelis, ad quorum societatem sancti de mundo transeuntes apponebantur. De hoc populo Paulus dicit: *Accessistis ad montem Sion et ad Hierusalem cœlestem, et ad frequentiam angelorum* (*Hebr.* XII, 22).

CAPUT L.

Vers. 3. *Transierunt quadraginta dies.* Hic numerus pœnitentiæ et humilitati convenit. Unde et in Lege et in Evangelio et ab ipso Domino observatus est.

A *Septuaginta diebus* Ethnici, id est gentiles, novem diebus flebant mortuos suos. Unde et novendialis vocabatur nona dies, quando sepeliebatur. Nostri vero, id est Dei cultores, septem diebus exsequias mortuorum celebrant. Unde scriptum est : *Luctus mortui septem dies ; luctus autem fatui omne tempus vitæ ejus* (*Eccli.* XXII, 13). Septenarius requiem significat : unde et septima dies Sabbatum, id est *requies*, appellatur. Celebrant ergo septimam diem mortuorum optantes illos requiescere cum Domino a laboribus præsentis sæculi. Hic ergo dicit : *Flevit eum Ægyptus septuaginta diebus*, qui est decuplatus septenarius. Nam septies deni septuaginta sunt. Potest et hoc dici, quia sicut tertia dies mortui agitur a fidelibus, ut anima, quæ triplicis naturæ est, requiescat ; ita septima dies celebratur, ut anima B corpori reconciliatur, quæ carne illiciente peccavit. In septem enim tria sunt et quatuor. Et ternarius, ut dictum est, pertinet ad animam, quæ est irascibilis, concupiscibilis, rationalis ; quaternarius ad corpus, quod quatuor constat elementis.

Vers. 10. *Veneruntque ad aream, quæ sita est trans Jordanem.* Septuaginta dicunt, *ad aream Adad*, qui locus trans Jordanem est, et multis passuum millibus distat ab Abramio, id est a loco ubi Abraham sepultus est. Ergo prætergressi sunt lacum ubi sepeliri debebat Jacob, et postea remenso Jordane redierunt ad locum duplicis speluncæ. Unde quæri potest quare hoc fecerint. Sed forte dicet aliquis quod timerent ne bella contra se surgerent, sicut et filii Israel circumducti sunt quadraginta annis per desertum, donec quadragesimo anno transmisso Jordane veni- C rent in terram promissionis. Sed causa majoris significantiæ hoc factum esse sciamus. In hoc enim loco qui area Adad dicitur, postea multitudo filiorum Israel murmurans contra Dominum igne divino consumpta est. Hoc ergo præsignabat luctus ille vehemens, quo non tantum mors Jacob, quantum ruina illius populi quæ ibi futura erat, deflebatur.

Vers. 21. *Locutus est fratribus : Post mortem meam visitabit vos Dominus*, et reliqua. Joseph igitur, qui sicut pater ejus Jacob terram repromissionis tota mente desiderabat, incolatumque Ægypti detestabatur; moraliter nos instruit ut quamdu sumus in hoc mundo, semper desideremus ingredi terram repromissionis, id est *terram viventium*, ibique requiescere optemus. Quod tunc digne fit si numerum annorum ætatis ipsius moribus imitemur.

Vers. 25. *Centum* ergo *et decem vitæ suæ annis expletis mortuus est.* Et nos studeamus, quod per Decalogi numerum vel observantiam ad æternam beatitudinem quam centenarius numerus designat, perveniamus. *Conditus est quoque aromatibus ipse Joseph, et repositus est in loculo in Ægypto.* Loculus est vas repositorium, ubi aliquod asservandum commendatur. O felix anima, quæ, aromatibus virtutum condita, in hoc corpusculo degens quotidie proficiendo perenni vitæ reservatur! Sine dubio si tali condimento condita in fide, spe et charitate custodita fuerit, per gratiam Christi ad divinæ contemplationis speciem pervenire merebitur, cujus adeptio perfecta est lætitiæ ; quam Psalmista oculis aspiciens ait : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Domine : delectationes in dextera tua usque in finem* (*Psal.* XV, 11). Amen.

Explicit Commentum Bresith (*a*).

(*a*) Ita codex Tegerns.

REMIGII

MONACHI ANTISSIODORENSIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ENARRATIONUM IN PSALMOS

LIBER UNUS.

DIVERSA DIVERSORUM IN PSALMOS PRÆAMBULA.

(Ex Bibliotheca Maxima Veterum Patrum.)

Quid significet IN FINEM, *quod frequenter invenitur in titulis psalmorum.*

Finem duobus modis accipimus. Primus est iste communis atque moralis, quando res aliqua ad extremum deducta pervenerit, nec ulterius potest prodire, quæ motus sui terminum probatur accipere. D Sic enim dicimus *finitum cibum*, qui sedula comestione consumptus est ; finitam pecuniam, quæ docetur expensa, et cætera quæ hoc modo probatur edici.

Secundus dicitur finis perpetuus atque perfectus, quem modo quærimus : qui tunc nobis protendi ma-

gis ac dilatari incipit, quando ad eum mens devote pervenerit. *Finis ergo legis ac plenitudo, Christus est*, sicut Apostolus dicit (*Rom.* X) : *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti ;* ad quem dum pervenerimus, nihil ultra perquiremus : sed ipso beatitudinis fine contracti, plenissima jucunditate perfruimur, cujus amor tantum proficit, quantum intellectus noster Domino præstante clarescit, et ideo quoties in titulis psalmorum *finem* reperies, ad Dominum Salvatorem nostrum aciem mentis intende, qui est finis sine fine et bonorum omnium contemplativa perfectio.

Quare PSALMI *dicuntur.*

Genus est musicorum, hoc est cithara, decem chordas habens, cui propter hoc psalterium nomen est additum, quia ejus plectro desuper chordæ pulsantur. Quando autem inferius tangitur, cithara nuncupatur. Ex quo intelligere debes, psalterium desuper canens, non carnalia aut terrena, sed spiritualia et cœlestia personare.

Quare psalmi tunc per ista organa canebantur? Quia populus carnalis erat, qui per hujusmodi deelctationes fuerat ad idololatriam depravatus, et necesse fuit eum simili dulcedine ad Deum revocari. Austerioribus eum monitis curari nolebant. Dum enim concurrunt, quasi cantica et melodias audire, verba Dei in eorum mentes salubri et consueta dulcedine serebantur. Magis enim tenetur, quidquid libenter auditur. Simul etiam ut hæc magis quam turpia discerent decantare.

Hac ergo causa David choros cantorum cum principibus suis octoginta et octo in Paralipomenon legitur ordinasse, ut magnitudo sonitus organorum et vocum populi cor et delectatio terrori mista compungeret.

Quomodo solvitur quod dicitur, *defecerunt laudes David*, et postea inveniuntur psalmi David? Sic : sciamus in quo psalmo finiuntur : in septuagesimo scilicet primo, qui Salomonis titulatur, et ad Salomonem omnino non pertinet, sed ad Christum. Merito ergo laudes David in laude Christi finitæ sunt, quia lex et prophetæ usque ad Joannem prædicaverunt (*Matth.* XI). In Salomone (*sic*) quoque intitulatur unus, *Oratio Moysi hominis Dei*, id est, (*a*), sive duodecim, juxta Hebræos, qui aiunt sequentes psalmos usque ad nonagesimum nonum titulum non habentes, octogesimo octavo esse jugendos, sicut in libro prophetarum, quorum tempora non notantur.

Qui est *diapsalma ?* Ubicunque Septuaginta *diapsalma* posuerunt, in Hebræo non habetur *diapsalma*, sed SELA, hoc est *semper :* diapsalma interpretatur *percantatio*. Ipsum autem verbum *sela* ipsi Septuaginta *in finem*, sunt interpretati, in psalmo septuagesimo dicentes : *Etenim Dominus habitabit in finem*. Ita et ipsi non intellexerunt *sela*. Quidam sane putant cessationem Spiritus sancti esse diapsalma ; sed cum in finem tertii psalmi in Hebræo habeat *dia. salma* superfluum est cessationem Spiritus sancti nominare, cum etiam, si hoc nomen poneretur, nemo dubitaret in finem esse cessatum, sed in nono psalmo canticum diapsalmus dicitur, quod utique impossibile est ; et quis posset cantando cessare, aut cessando cantare?

De his autem qui sine titulis sunt traditio etiam talis est, ut cujus auctoris præscriptio præcesserit, cæteri qui sine titulo sequuntur ipsius esse credantur.

Sciendum tamen est quod apud Hebræos omnes psalmi permisti fuerunt et inordinati : quod quidem primus Esdras in unum volumen coegit, et in ordinem numerumque disposuit, ac titulos apposuit : ac per hoc occultum sacramenti mysterium alios aliis prætulerit ordine. Decorus et mirabilis ordo, numero quidem mystico terminatus, sed sacris virtutibus infinitus. Hic autem totus ordo psalmorum, quantum humanum ingenium investigare prævaluit, duplici mysterio noscitur esse decursus.

Primum, sicut auctoritate Patrum dictum est, Novi et Veteris Testamenti sacramenta complectitur. Septem quippe decades referuntur ad Sabbatum, quod ad primam illam pertinet sine dubio culturam: octo vero decades quæ sequuntur nostro tempori deputantur, qui resurrectionem Domini die octava pia devotione veneramur. Secundo, quia sicut quinquaginta diebus superducto diluvio criminibus suis terra diluta est, sic psalmorum spiritualis abyssus peccatis inquinata corda mortalium usque ad judicii tempus perpetua inundatione purificat.

Psalmi omnes qui inscribuntur *ipsi David*, ad Christi pertinent sacramentum, quia David dictus est *Christus*. Denique psalmi qui fugam passionemque David explicant, ostendunt fugam passionemque Dominicam. Illi autem qui *in finem* inscribuntur perfectionem bonorum operum produnt, quia hic finis dissimilis est aliis finibus, cum ille habeat hic replementum : *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* 10).

Pro torcularibus, pro æternorum munerum fructibus hymnus est.

Pro his qui hæreditabunt retributionem sanctorum, sive Ecclesia, quæ est corpus Christi, et hæreditatem capiet regni cœlorum.

Pro octava. Quidam hunc numerum Evangelii deputant, eo quod continentur in his beatitudines, per quas venitur in regnum Dei ; sive illius arcæ octo animæ.

In dedicatione vel *consummatione tabernaculi* perfectio Ecclesiæ intelligitur.

Pro his qui commutabuntur. Pro populi Judaici ac gentilitatis, vel Synagogæ et Ecclesiæ commutatione, providet.

Pro occultis. De adventu filii Dei pronuntiat, qui Judæis occultus fuit.

Canticum resurrectionis. Ipsius Dominicæ resurrectionis veritas.

Oratio Moysi hominis Dei. Ad legem Dei reverti-

(*a*) Deest aliquid.

tur, eo quod ipsa nos Redemptoris resurrectione satiare pronuntiat.

Psalmus in Salomonem, id est *pacificum*, quod est in Christo, qui est pax nostra.

In confessione vero decet ut jugiter homo Deum et voce fateatur et corde.

Illi sane qui res gestas secundum litteram narrant, verticem spiritalis intelligentiæ cognoscuntur habere.

Psalmus filiorum Core per passionem Christi redimendum populum præfiguravit : quia Core interpretatur *calvitium*, quia Dominus noster Jesus Christus in loco Calvariæ crucifixus est.

Pro verbis Chusi filii Jemini. Hoc est, quod Chusi, relicto David, ad Absalom transiit, qui erat hostis patris sui, sicut Judas Christi.

In assumptione matutina. Quia Dominus resurgens mane assumpserit captivitatem, reducens secum ex inferis.

In prima Sabbati. In ipsa resurrectione.

Priusquam liniretur. Antequam resurrectione clarificaretur.

In remunerationem delictorum, utique suorum. Canticum graduum cœlestem designat ascensum.

Psalmus ergo ille qui in medio canticorum graduum est, tanquam turris pulcherrima ponitur.

Sed nec sine mysterio arcitror esse, quod hic liber in tribus quinquagenariis constat scriptus.

Primus enim remissionem peccatorum præstat. Secundus ad spem invitat regni cœlestis. Tertius nos ad regnum æternæ beatitudinis mittit.

Diapsalmæ vero, quæ *semper* interpretantur, docent ut animæ semper in his exerceatur fidelis intentio.

In primo libro Paralipomenon legitur (*I Par.* XXV), cum David propheta devota Domino ætate senuisset, quatuor juvenes ex Israelitico populo elegisse, qui psalmos quos ipse Domini aspiratione protulerat, organis, citharis, nablis, tympanis, cymbalis, tubis, propriaque voce in magna jucunditate supernæ gratiæ personarent.

Quæ suavis adunatio, tribus partibus divisa constabat. Rationalis pertinebat ad humanam vocem, irrationalis ad instrumenta musica. Communis autem de utrisque partibus aptabatur, ut et vox hominis certis modulationibus ederetur, et instrumentorum melos consona jucunditate conjungeretur. Suavis illa et jucunda musica. Ecclesiam catholicam tali actu prædicabat quæ ex diversis linguis varioque concentu in unam fidei concordiam erat Domino præstante creditura. Ex quo numero indita nomina frequenter in titulis invenimus, ut Idithun, Asaph, filii Core et his similia : non quia ipsi (ut quidam volunt) auctores fuissent psalmorum, sed quoniam impositi artificibus, admistratores earum rerum probabiles exstiterint, ut honorem de tali commemoratione sumerent, qui officio sancto devotis mentibus serviebant, maxime quia et nomina eorum intellectus rerum congruos indicare noscuntur.

Non enim supradicti viri ad psalmos [illegible] electi sunt, sed eos congregatos tantum legimus ad canendum; psalmographos autem fuisse historia nulla testatur: et præsumptuosum est dicere, quod nulla possit auctoritate probare. Psalmos autem ad solum prophetam David pertinere certis declaratur indiciis.

Denique in Apocalypsi volens istud opus intelligi, solus David meminit, dicens : *Hæc dicit sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit* (*Apoc.* III). In Evangelio quoque Pharisæis Dominus dicit : *quomodo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo* [illegible] (*Matth.* XXII.) Unde probatur universos psalmos non multorum existere, sed tantum ipsius quem a Domino constat esse nominatum. Usus quoque catholicæ Ecclesiæ, Spiritus sancti inspiratione, generaliter et immobiliter tenet ut quicunque eorum cantandus fuerit, qui ex divisione prænotatur, lector aliud prædicare non audeat, nisi *Psalmus David;* quod si essent proprii aut Idithum, aut filiorum Core, aut Asaph, aut Moysi, eorum nomina utique prædicarentur : sicut et in Evangeliis quando aut Marci, aut Lucæ, aut Matthæi, aut Joannis vocabulo pronuntiantur ; quod etiam secutus Pater Augustinus, congruenter omnes psalmos dicit esse Davidicos.

Psalterium est, ut Jeremias ait, in modum Δ litteræ formati ligni sonora concavitas, obesum ventem in superioribus habens, ubi chordarum fila religata, disciplinaliter plectro percussa, suavissimam dicuntur reddere cantilenam. Huic citharæ positio esse videtur contraria, dum quod ista in imo continet, conversa vice gestat in capite.

Hoc autem genus organi canorum atque singulare aptatur corpori Domini Salvatoris, quoniam sicut istud de altioribus sonat, sic et illuc gloriosæ institutionis superna celebrat, sicut ipse in Evangelio ait : *Qui de terra est, de terra loquitur ; qui autem de cœlo venit, super omnes est, et quod vidit et audivit, hoc testatur* (*Joan.* III). Unde quidam et hoc opus Davidicum, ideo psalmos dictos esse præfiniunt, quia de superno culmine resonare noscuntur. Cognosce ergo quod isti tantum pro excellentia sui dicantur psalmi, qui hoc volumine continentur.

Psalterium Græcum nomen est, et Latine *organum* vel *laudatorium* dicitur, quia Hebræi NABLUM vocant. Psalmus a *psallendo* nomen accepit, vel a [illegible], vel ἀπὸ τοῦ ψάλλειν, hoc est, a *tangendo*.

Psalmus est cum ex ipso solo instrumento musico, id est psalterio, modulatio quædam dulcis et canora profunditur. *Canticum* est quod ad honorem Dei cantatur, quando quis libertate propriæ vocis utitur, nec loquaci instrumento cuiquam musico consona modulatione sociatur; hoc et quod etiam nunc in divinis laudibus agit. *Psalmus cantici* erat cum, instrumento musico præcinente, canens chorus socialis vocibus acclamabat, divinis duntaxat sermonibus obsecutis. *Canticum psalmi* erat cum, choro ante canente, ars instrumenti musici in unam convenien-

tiam communiter aptabatur, verbaque hymni divini suavis copula personabat.

De multifaria inscriptione titulorum.

Quasdam superscriptiones psalmorum per allusionem consimilem constat spiritualiter intuendas, quia si litteram consideres, extraneum est, cum non ea invenias in psalmis, quæ continentur in titulis. Si vero trahantur ad typicum intellectum, nimis videntur accommodæ. Ut est illud, ubi res gestæ significantur : *Cum fugit a focie Absalom*; ubi locus, ut est : *Cum esset in deserto Idumææ* ; ubi dies, ut est : *In prima Sabbati*; ubi Hebræa nomina, ut est : *Idithun*; ubi facta est comparatio gestorum, ut est : *Commutavit vultum suum coram Abimelech;* vel specie rerum consimilium, id est, *pro torcularibus*. Quapropter in superscriptionibus titulorum sive psalmum, sive canticum, sive psalmum cantici, sive canticum psalmi, *in finem*, sive aliquid de sexta quam diximus complexione reperire potueris, aut singulatim unum, duo vel tria, sive quatuor et inserta cognoveris, ad illas virtutes trahe [quas] cuicunque inesse dicimus, quia rerum istarum commemoratio ad similitudinem occultæ intelligentiæ posita subtiliter invenitur. Istæ enim ante fores psalmorum tanquam sacra vela pandent, per quæ, si aciem mentis intendas, rarescentibus quibusdam filis, facile eorum penetralia contueris. Nam per titulum uniuscujusque psami intellectus habetur. Quis enim tot causas, tot diversitates nominum putet otiosas, cum nefas sit credere divinas Scripturas aliquid supervacuum continere, cum sit scriptum : *Amen dico vobis, quod iota unum aut unus apex non præteribit a lege donec omnia compleantur*? (*Matth.* v.) Quid autem titulus nisi clavis ? et sicut in domum nemo ingreditur nisi per clavem, ita uniuscujusque psalmi intellectus non intelligitur nisi per titulum; in cujus enim persona cantatur, per ipsum intelligitur aut in persona Christi, aut Ecclesiæ, aut prophetæ.

Inter expositores psalmorum, de hoc nomine quædam noscitur evenisse diversitas. Hieronymus, Hebraicæ linguæ doctisimus inquisitor, continuationem Spiritus sancti esse confirmat, dicens : Quidam diapsalma commutationem metri esse dixerunt, aut pausam Spiritus sancti ; nounulli, alterius sensus exordium aut rhythmi distinctionem, et quia psalmi tunc temporis juncta voce ad organum canebantur, cujusdam musicæ varietatis esse signaculum. Nobis nil horum videtur, cum Aquila, qui verborum Hebræorum diligentissimus explicator est, verbum Hebraicum SELA *semper* transtulit ; quod Septuaginta Interpretes et Symmachus et Theodotion *diapsalma* transtulerunt. Invenimus in psalmorum fine quorumdam *diapsalma* positum, ut est in fine tertii psalmi et in fine vicesimi tertii ; et in psalmis multis penitus non invenitur. Ex quo animadvertimus hoc verbum superiora pariter et inferiora nectere, et docere sempiterna esse quæ dicta sunt, ut sciamus non tantum ad præsens tempus, verum etiam ad æternum, vel quæ sequantur, vel quæ præcesserunt, pertinere.

A Sciendum autem apud Hebræos in fine librorum unum e tribus solere subnecti, ut *amen* scribant, aut *sela*, aut *salom*, quod exprimit *pacem*. Igitur ut nos solemus ad distinctionem rei alterius subsequentis, medium interponere, *explicit*, aut *feliciter*, aut istiusmodi, ita Hebræi ea quæ scripta sunt roborant, et dicunt, *Amen*, aut *In sempiternum*, scripta et scribenda commemorantes ponunt *sela ;* aut transacta feliciter protestantes, *pacem* in ultimo subnotantes *salom.*

Ista Hieronymus. Hæc Augustinus.

Beatus autem Augustinus, rerum obscurarum subtilissimus indagator, inter ardua sine offensione discurrens, hanc potius partem elegisse cognoscitur ut magis divisio esse videatur, nominis ipsius discu-
B tiens qualitatem. *Sympsalma* quippe dicitur vocum adunata copulatio. *Diapsalma* vero sermonum rupta continuatio ; docens ubicunque repertum fuerit, aut personarum aut rerum fieri permutationem. Merito enim tale nomen illic interponitur, ubi vel sensus vel personæ dividi comprobantur. Unde et nos congrue divisiones faciemus ubicunque in psalmis diapsalma potuerit inveniri. Tribus modis psalmi dicuntur de persona Domini Jesu Christi pro instructione fidelium: primum, per id quod ad humanitatem ejus noscitur pertinere, ut illud secundi psalmi : *Astiterunt reges terræ, principes convenerunt in nnum ;* et in viscesimo psalmo : *Desiderium animæ ejus tribuisti ei*, etc. Secundo quod æqualis et coæternus ostenditur Patri, ut illud ejusdem secundi psalmi:
C *Dominus dixit ad me* : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* ; et in centesimo nono : *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Tertio, a membris Ecclesiæ, cujus ipse dux et caput est Christus, ut est illud : *Longe a salute mea verba delictorum meorum ;* et in sexagesimo octavo : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita* : quod dictum pro unoquoque fidelium debemus accipere. Cæterum delicta a Christo probantur funditus aliena. Sive enim caput loquatur, sive umbra, unus est Christus, et capitis est proprium loqui etiam in persona membrorum. Ipsam nostram consuetudinem advertite, primo quomodo loqui in membris nostris non potest nisi caput; jam vero caput nostrum quomodo loquebatur in persona omnium membrorum, advertite. In angustia tibi aliquis pedem calcat ?
D Calcas me, dicit caput. Vulneravit tibi aliquts manum ? Vulnerasti me, dicit caput. Sic ergo audiamus Christum loquentem; sed unusquisque agnoscat ibi vocem suam tanquam hærens in Christi corpore. De ipso enim et Ecclesia dictum est : *Erunt duo in carne una*, id est in uno corpore. Aliquando dicit verba in quibus nullus nostrum inveniat suam personam, quia ad solum caput pertinent. Hoc si animo recondimus, nulla confusione trahemur; nam si uno modo locutus fuisset tantum, qui ejus geminam substantiam potuisset agnoscere, cum etiam nunc in tam evidentissima distinctione naturam divinitatis et humanitatis Domini Christi aliqui nitantur sacrilega

voluntate confundere? Multa quoque secundum litteram commonet, multa spiritaliter jubet, personas decenter subito immutat, ut nunc Christus Dei Verbum, incarnatus et homo factus, caput Ecclesiæ; nunc ipsa Ecclesia, nunc homo justus, nunc pœnitens loqui videatur, ut omnia necessaria tangat atque concludat. Ubique plenissimum cœlestium sanctum vibrat eloquium, et multiplici diversitate virtutum propter humani generis largiendam salutem, regni sui adornanda mysteria pius Redemptor insinuat.

Hæc ideo præfati sumus, ut cum ventum fuerit ad loca talia, intrepidus lector audire possit quod de se salubriter didicisse cognoscitur.

Ordo autem psalmorum non secundum existentiam temporum, sed pro qualitate ponitur dictorum. Testante enim Regum historia, tertius psalmus David *cum fugeret a facie Absalom filii sui*, quinquagesimo psalmo actu posterior est, quoniam post culpam adulterii et homicidii, Absalom filii ejus persecutio noscitur contigisse; sed pro virtute sua competenti numero probatur aptatus. Tenere enim illum locum tertium oportuerat, qui et sanctæ Trinitatis potentiam, et triduanæ resurrectionis in se mysteria continebat. Nam per liberationem David resurrectio Domini congrue significatur. Talem autem de ordine rationem omnium psalmorum invenire nobis esse difficile profitemur, quod inde terminatum atque suspensum Patrum etiam auctoritas reliquit.

Per totum Psalterium quatuor psalmi sunt qui integrum alphabetum apud Hebræos habere monstrantur, id est: centesimus decimus, centesimus undecimus, centesimus decimus octavus, centesimus quadragesimus quartus, quia isti indicant laudes Domini, ipsa largiente meritorum devotione, cantandas. Tres autem psalmi sunt qui, subtractis quibusdam litteris, integrum alphabetum non continent, id est: vicesimus quartus, qui sextam et nonam decimam litteram non habet; tricesimus quintus, qui sextam decimam litteram minus habet; qui ostendunt tales in Ecclesia psallere, quibus non adeo omnium bonorum operum arridet integritas. Sicut enim illi completis litteris omnibus excellentium merita videntur indicare justorum, sic isti quasdam litteras minus habentes, illos designant qui non adeo universis meritis repleti sunt, sed tamen in secundo consilio habitare noscuntur. Nam cum omnes litteræ apud Hebræos significantias suas habent, credere fortasse dignum est, cui deest aliquod elementum, eum quoque significationes ipsius non habere.

Textus totius Psalterii secundum numerum apostolorum in duodecim partibus concluditur, ut quod apostoli fecerunt, hic contineri noscamus.

In Psalterio namque carnalis vita Domini describitur: primum, natura deitatis; secundum, multitudo nitentium exstinguere Dominum; tertium, quartum, admonitio Prophetæ, ut desinant Judæi mala facere; quintum, oratio Christi ad Patrem, ut in resurrectione ejus mundus proficiat; sextum,

A verba pœnitentis; septimum, Christi ut eis subveniatur a Patre; octavum, omnia referuntur ad Christum allegorica similitudine; nonum, laudes Domini per alleluiaticos titulos qui significant, *Laudate Dominum*; decimum, graduales, ut nos perducant ad Salvatorem; undecimum, hymnidica exsultatione laudamus sanctam Trinitatem; duodecimum, septem psalmi relinquuntur, in fine, qui totam gloriam Trinitatis concelebrant.

Epistola Hieronymi ad Damasum papam.

Beatissimo papæ Damaso sedis apostolicæ urbis Romæ Hieronymus. Supplex præcor ego cliens tuus, ut vox ista a psallentibus in sede Romana die noctuque canatur in fine psalmi cujuslibet, sive matutini, sive vespertini, hoc est, præcipe ut semper dicant:
B *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Istud carmen laudis omnibus psalmis conjungi præcipias, ut fides trecentorum et octodecim Nicæni concilii, et nostro ore pari consortio declaretur. *Alleluia* semper cum omnibus psalmis affigatur, in omni loco communiter respondeatur nocturno tempore. In Ecclesia autem a resurrectione Paschæ usque ad Pentecosten Psalterium finiatur. Inter dierum quinquaginta spatia, pro novitate sacti Paschæ, vox ista laudis cantetur in *Aleph*, quod est *Alleluia*.

Dicta sancti Augustini, quot sint virtutes psalmorum.

« Canticum psalmorum animas decorat, invitat angelos in adjutorium, effugat dæmones, expellit tenebras, efficit sanctitatem. Homini peccatori refectio
C mentis est, delet peccata, simile est eleemosynis sanctorum, parit fidem, sicut sol illuminat. Deum ostendit, diabolum offendit, voluntatem illicitam exstinguit. Oleum misericordiæ est, sors lætitiæ, pars angelorum electa; asperitatem lenit, omnem furorem deprimit, iracundiam frangit: laus Dei assidua, simile est melli. Canticum psalmorum carmen electum est apud Deum. Omne peccatum expellit, vinculum charitatis commendat. Omnia perpetrat, omnia suffert, omnia implet, omnia docet, omnia significat, animam magnificat, os purificat, cor lætificat, turrim excelsam ædificat, hominem clarificat, sensum aperit, omne malum occidit, perfectionem instruit, excelsa demonstrat, desiderium regni cœlestis dat, pacem inter corpus et animam facit. Ignem spi-
D ritalem in corde succendit, omnium vitiorum sollicitudinem tollit: certamen bonorum est, quotidie radicem omnium malorum expellit, sicut lorica induta et sicut galea defendit. Spes salutis est, consolatio doloris, perfectio laboris, notitia veri luminis, fons sanctitatis, hominem juvenem castigat, regnum Dei super terram dat, tædium animæ detrahit, tuba mirabilis est. Qui diligit canticum psalmorum assidue, non potest agere peccatum. Qui habet laudem Dei in corde suo, postremo apud Deum gaudebit, et animam suam in cœlo mirificabit. Psalmi orant pro futuris, gemunt de præteritis, gratulantur pro beneficiis, sperant de misericordia, timent pro culpa, ex

lapideo corde lacrymas educunt. Angelorum opus, laus Christi perfecta est, pronuntiatio adventus Christi, incarnationis, resurrectionis spem, et suppliciorum metus admonet, gloriæ pollicitatio est, mysteriorum revelatio, tribuit facundiam et felicitatem, honorem et gloriam, doctrinam et intellectum. Canticum psalmorum omnibus diligendum, quia omnes virtutes multiplicat, omnes inveniuntur in psalmis. Si vis agere confessionem et pœnitentiam, canta duo : *Domine, ne in furore tuo arguas me;* et duo : *Domine, exaudi. Beati quorum. Miserere mei, Deus. De profundis.* Si vis ovare dic : *Al te, Domine, levavi animam meam. In te, Domine, speravi. Inclina, Domine Deus, in adjutorium. Deus, in nomine tuo. Deus misereatur nostri. Exaudi, Domine, justitiam meam.* Si vis Deum laudare, dic psalmos qui intitulantur, *Alleluia*, et quorum initium est : *Confitemini, Laudate, Benedic.* Si in tribulationibus humanis, vel spiritualibus afflictus sit tentationibus, et tibi videris a Deo derelictus, canta : *Deus, Deus meus, respice in me. Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor. Salvum me fac. Usquequo, Domine Deus, auribus nostris. Miserere mei, Deus. Exaudi, Deus, orationem et ne despicias. In te, Domine, speravi.* Post hæc accepta quiete : *Benedicam Dominum. Benedic, anima mea.* Si tibi fastidiosa vita fit, et supernam jam desideras videre patriam, canta : *Quæmadmodum. Quam dilecta. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Si te vis exercere in divinis laudibus et mandatis cœlestibus, canta : *Beati immaculati.* Et licet ad obitum mortis, hujus hymni virtutem compleveris, nunquam perfecte, ut puto, illum intelligere poteris, in quo nullus versus est in quo non sit vel via Domini, vel mandatum seu præceptum Dei, vel verba, lex, vel justificationes, vel sermones, vel judicia. In omni tempore sive prosperitatis, sive adversitatis, hymnum trium puerorum canta. In Psalterio inveniuntur omnes divini libri ex parte. »

Sciendum est quod psalmi non fuerunt antea prætitulati ut nunc sunt, sed a Septuaginta interpretibus prius conjuncti, et deinceps post migrationem Jerusalem ab Esdra propheta, Spiritu sancto inspirante, in isto ordine quo nunc sunt, fuerunt positi atque prætitulati. Quos Septuaginta quamvis sanctus Augustinus affirmet fuisse inclusos in singulis cellulis quando interpretati sunt, sanctus tamen Hieronymus hoc minime concedens, ait : Si inclusi fuissent, non interpretes, sed magis prophetæ dicti fuissent. Et hoc cognitum est quod coacti fecerunt, dicunt auctores, quia ipse rex Ptolomæus unum Deum colebat sicut Hebræi, et ideo pro amore illius Hebræorum Scripturas in suum jussit transferri eloquium.

Titulus est clavis gratiæ. Sicut per clavem in domum ingredimur, ita per titulum psalmum intelligimus.

Intentio hujus prophetiæ est consolari genus humanum, quod primi parentis culpa de maxima beatitudine in maximas miserias dejectum erat, nec inde poterat resurgere nisi in Dei misericordia. Aut ita : Propheta intendit in hoc opere omnes contemporaneos et futuros ad hoc invitare, ut conformando se Christo, in quantum membra caput imitari valent, totam in eo spem æternæ beatitudinis ponant.

Primus psalmus non habet titulum, quia ipse quasi titulus totius libri est, agens de illo ad quem totius libri intentio referenda est. Primi psalmi intentio est ostendere illum per quem resurgere valeamus a miseria in quam dejecti fuimus.

Si quæratur quare ista prophetia frequentius aliis recitetur in Ecclesia, respondeo quia tota dispensatio hic copiosius quam in aliis demonstratur, et quia verba unucuique justo vel peccatori ita amplificari possunt, ut his quasi propriis uti possit ; et quia majori affectu et compunctione humanam mentem commovet, quam aliæ, hic quædam ascribuntur Christo secundum humanitatem, quædam secundum divinitatem, quædam secundum utrumque. Et illa quidem quæ secundum humanitatem humanæ naturæ ejus conveniunt, ideo proponuntur ut in quibusdam nos conformantes sibi in eo speremus ; quæ vero secundum sublimitatem divinitatis vel secundum utrumque ei competunt, ad hoc referuntur ut per conformitatem illi famulari non dubitemus, qui tantus est ut nobis secundum vitium nostrum retribuere non nequeat.

Sicut in mundanis libris, ita et in divinis quæri potest ad quam partem philosophiæ spectet. Ecclesiastes enim tendit ad physicam, in quo quæritur initium et finis omnium rerum quæ in mundo sunt, et omnia vanitati subjacere ostenduntur. Proverbia vero tendunt ad ethicam. Canticum canticorum ad theoricam, id est, ad contemplationem divinarum rerum.

Ubi autem quid minus habetur in Græco ab Hebraica veritate, Origenes de translatione Theodotionis hic in loco addidit signum, ponens *asteriscum* * id est *stellam*, quæ quod prius absconditum videbatur illuminet. Ubi autem quod in Hebræo non est, in Græco invenitur, ÷ *obelon*, id est *jacentem virgulam* præposuit, quam nos Latini veru possumus dicere, quo signo ostenditur confodiendum quod in authenticis libris non est.

I	II	III	IIII	V	VI
a	b	g	d	e	st
α	β	γ	δ	ε	ς
alpha	beta	gamma	delta	e breue	episimon
mia	dyo	tria	tessara	pente	hex
VII	VIII	IX	X	XX	XXX
z	e longum	th	i	k	l
ζ	η	θ	ι	κ	λ
zeta	eta	theta	iota	cappa	lamda
hebda	octo	ennea	deca	icosi	triaconta
XL	L	LX	LXX	LXXX	XC
m	n	x	o	p	yi
μ	ν	ξ	ο	π	ϙ
my	ny	xi	o breue	pi	cofe
tessara conta,	pente- conta,	hexa- conta,	hepte- conta,	ogdoa- conta,	ennea- conta,
C		CC		CCC	CCCC
r		s		t	y
ρ		σ		τ	υ
rho		sigma		tau	ypsilon
hecaton		diacosii		tracosii	tetracosii
D		DC		DCC	DCCC
ph		ch		ps	o
φ		χ		ψ	ω
phi		chi		psi	o longum
pentacosii,		hexacosii,		heptacosii,	ogdoacosii.

Epistola B. Hieronymi ad Paulam de Alphabeto Hebræorum.

Nudius tertius cum centesimum octavum decimum psalmum tibi insinuare conarer, et dicerem omnem moralem locum in eo esse comprehensum, studiosissime perquisisti quid sibi velint Hebraicæ litteræ quæ in psalmo quem legebamus videbantur insertæ. Respondi secundum ordinem litterarum eum esse compositum, quod videlicet ex prima littera, quæ apud Hebræos *Aleph* vocatur, octo versus inciperent, in capite singulorum versum eadem littera inserta. Rursus ex sequenti *Beth* totidem versus exordium sumerent; ac postea ex *Gimel* idem numerus compleretur; atque ita usque ad *Thau*, quæ apud eos extrema littera est, psalmum esse conscriptum: et ex singulis quibusque elementis secundum interpretationem eorum debere intelligi quæ sequerentur. Hoc item flagitasti ut interpretationes singularum edicerem litterarum. Dixi, fateor. Verum quia propter barbariem linguæ memoria labitur omne quod diximus, desideras commentarium fieri, ut si in aliquod forte titubaveris, oblivionem lectio consoletur. Ac priusquam de singulis disseram, scire debes quatuor psalmos secundum ordinem Hebræorum incipere elementorum: centesimum decimum, et centesimum undecimum, et hunc de quo nunc scribimus, et centesimum quadragesimum quartum; verum in prioribus singulis litteris singulos versiculos, qui trimetro iambico constant esse subnexos; inferiores vero tetrametro iambico constare, sicuti et Deuteronomii canticum scriptum est (*Deut.* XXXII). In centesimo decimo octavo singulas litteras octoni versus sequuntur. In centesimo quadragesimo quarto singulis litteris singuli versus deputantur. Sunt qui et alios psalmos putant hoc ordine incipere; sed falsa eorum opinio est: non enim habent integrum alphabetum. Verum jam complendum est quod petisti, ut sensum uniuscujusque elementi interpretatio annexa significet. ALEPH, interpretatur *doctrina*; BETH, *domus*; GIMEL, *plenitudo*; DALETH, *tabularum*; HE, *ista*; VAU, *et*; ZAIN, *hæc*; HETH, *vita*; THET, *bonum*; IOD, *principium*; CAPH, *manus*; LAMED, *disciplinæ* sive *cordis*; MEM, *ex ipsis*; NUN, *sempiternum* SAMECH, *adjutorium*; AIN, *fons* sive *oculus*; PHE, *os* ab *ore*, non ab *osse* dictum intellige, ne litterarum ambiguitate fallaris; ZADE, *justitiæ*; COPH, *vocatio*; RES; *capitis*; SIN, *dentium*; THAU, *signa*.

Post interpretationem elementorum, intelligentiæ ordo dicendus est.

Prima connexio est, *doctrina, domus, plenitudo tabularum;* quia videlicet doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine divinorum.

Secunda connexio est, *ista; et, hæc, vita.* Quæ enim A alia potest esse vita sine scientia Scripturarum, per quas etiam ipse Christus agnoscitur, qui est vita credentium?

Tertia connexio est, *bonum principium*, quia quamvis nunc sciamus universa quæ scripta sunt, tamen ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, et nunc per speculum videmus in ænigmate. Cum autem meruerimus esse cum Christo, et similes angelis fuerimus, tunc librorum doctrina cessabit, et tunc videbimus facie ad faciem bonum principium sicuti est (*I Cor.* XIII).

Quarta connexio est, *manus, cordis sive diciplinæ.* Manus intelligimus in opere, cor et disciplina intelliguntur in sensu, quia nihil facere possumus, nisi prius quæ facienda sunt scierimus.

B Quinta connexio est, *ex ipsis, sempiternum adjutorium.* Hoc explanatione non indiget, sed omni luce manifestius est ex Scripturis æternæ subsidia ministrari.

Sexta connexio est, *fons sive oculus oris, justitiæ*, secundum illud quod in quarto numero exposuimus.

Septima connexio est, quæ et extrema, quod et in ipso quoque septenario numero sit mysticus intellectus, *vocatio capitis, dentium, signa.* Per dentes articulata vox exprimitur: et his signis ad caput omnium, qui est Christus, pervenitur.

Oro te, quid hoc sacratius sacramento? Quid hac voluptate jucundius? Qui cibi, quæ mella dulciora, quam Dei scire prudentiam, in atria ejus intrare, sensum Creatoris inspicere, et sermones Domini Dei C tui, qui ab hujus mundi sapientibus irridentur, plenos discere sapientia spiritali? Habeant sibi cæteri, si velint, suas opes: gemma bibant, serico niteant, plausu populi delectentur: et per varias voluptates, suas divitias vincere nequeant. Nostræ divitiæ sint in lege Domini meditari die ac nocte, pulsare januam non patentem, panes Trinitatis accipere, et sæculi fluctus, Domino præeunte, calcare. Saluta Blæsillam et Eustochium tirunculas nostras. Saluta Felicianam vere carnis et spiritus virginitate felicem: Saluta reliquum castitatis chorum et domesticam tuam ecclesiam, cui omnia, etiam quæ tuta sunt timeo, ne dormiente patrefamilias, inimicus homo zizania superseminet (*Matth.* XIII). Quamvis enim dicere audeant: *Ego civitas firma, civitas quæ non oppugnatur* D (*Isa.* XXVII, *sec.* LXX), nullus, hostili obsidente exercitu, securus est. Nemo, ut beatus Cyprianus ait, satis tutus, periculo proximus. Exemplar epistolæ, si accipere voluerit φιλοπονοτάτη nostra Marcella, tribuito, et memento mei, obsecrans ut Dominus noster Jesus Christus conterat Satanam sub pedibus nostris velociter (*Rom.* XVI). Amen.

REMIGII PRÆFATIO.

Prophetia est divina inspiratio vel cognitio mysteriorum Dei, et fit per occultam inspirationem vel

per angelicam administrationem. Per angelicam administrationem, tribus modis : dictis, vel factis, vel visione. Dictis, ut: *Ave Maria gratia plena* (*Luc.* I). Factis, ut Gedeoni dubitanti ducere filios Israel contra Madianitas, et signum quærenti, datum est signum quod in priori nocte vellus, super aream extensum, madidum fuerit et area sicca; in sequenti, area madida et vellus siccum (*Jud.* VI). Vellus prius madidum significavit Judaicum populum, prius doctrina verbi Dei irriguum. Area sicca, gentilitas est, super quam Dominus nondum pluerat doctrinam fidei. Area postea madida, sicco vellere, significavit verbum Dei transmigraturum a Judæis ad gentes; unde illud: *Vobis oportuit primum evangelizare verbum Dei sed quia illud repellitis ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Visione: ut Paulus qui raptus est usque ad tertium cœlum (II *Cor.* XII), et Joannes in Apocalypsi. Cum vero non sit nisi unum cœlum, non videtur Paulus materialiter raptus usque ad tertium cœlum. Videtur ergo commodius sic posse accipi, ut primum cœlum, id est, prima cognitio sit sensus; secundum ratio; tertium, intellectus; ad quem raptus, audivit arcana verba quæ non licet homini loqui. Per occultam inspirationem fit prophetia tribus modis: de præterito, de præsenti, de futuro. De præterito, ut Moyses *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). De præsenti, ut Elisabeth ad beatam Mariam: *Unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me* (*Luc.* I.) Et Joannes: *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I). De futuro, ut hæc tota prophetia David, quæ vocatur Psalterium. Quoddam musicum instrumentum est, quod vocatur Hebraice *Nablum*, Græce *psalterium*, Latine *organum*. Hoc instrumento modulavit David laudes psalmorum, quos cantabant centum quinquaginta viri circa arcam fœderis, cum reduceret de Silo in Jerusalem. Reducta arca, constituit trecentos succentores, qui assidue succinerent psalmodiam in templo Domini in Jerusalem. Quibus præfecit quatuor præcentores, Eman, Ethan, Asaph, Idithun. Et ab hoc instrumento nominavit prophetiam psalmorum *Psalterium*: non sine ratione, quia formam illius instrumenti mystice gestare videtur, Psalterium, ut diximus, musicum instrumentum est, triangulatum, habens decem chordas super se extensas; quod inferius percussum, dulcem sonum desuper reddit. Ita et nos si psalmodiam, id est dulce melos, Deo canere volumus, non solum voce, sed et cordis inferiorem nostri partem percutere debemus, id est carnem affligere. Quanto enim carnem affligimus, tanto magis superior pars nostra, id est spiritus, Deo placet.

Quod organum digne Deo modulari non valemus si fides sanctæ Trinitatis desit, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* I). In decem chordis, decem verba legis accipimus: quæ observando, et carnem macerando, et in fide sanctæ Trinitatis perseverando, jucundum psalterii organum desuper in Spiritu sancto resonamus. Intitulatur autem his tribus modis: *Incipit liber Psalmorum*; vel: *Incipit liber Hymnorum*; vel: *Incipit liber Soliloquiorum Dei Psalmorum*, id est divinarum operationum. *Hymnorum*, id est laudum Dei. Hymnus est laus Dei metrice composita. Hinc Arator:

Psalterium lyrici composuere pedes.

Soliloquiorum Dei: vel quia melius ac familiarius et dignius aliis prophetis hic de Christo prophetavit, tanquam ille cui Spiritus sanctus ostenderat eum de stirpe sua nasciturum: vel quia ad Christum maxime hæc prophetia referenda est. Narrantur autem a prophetis aliquando futura per præterita, aliquando præterita per præterita, aliquando futura per futura, aliquando præsentia per præterita. Et non mirum quia Spiritui sancto, qui per os prophetarum loquitur, nihil est præteritum vel futurum, quia æternitas apud eum est, id est omnium rerum præsens status: et ideo aliquando denuntiat res secundum quod apud eum sunt; aliquando, secundum quod apud nos se habent. Sicut in mundanis libris, ita et in divinis quærere potest unusquisque ad quam partem philosophiæ spectet. Sed sicut in illis, ita et in istis quidam ad physicam, Ecclesiastes (in quo quæritur initium et finis rerum omnium quæ in mundo sunt, et ostenduntur omnia hæc vanitati subjacere), et Genesis; quidam ad ethicam, ut Proverbia et Evangelia ex parte, quidam ad theoricam, ut Cantica canticorum et Evangelia ex parte, quæ nos ad contemplationem divinorum mittunt. In divinis non habetur logica, sed loco logicæ theorica habetur. Sciendum quod omnes psalmi a David compositi sunt, licet non omnes ejus nomine intitulentur. Ezras scriba, qui titulos apposuit, alios sub nomine David intitulavit, alios sub nomine diversarum personarum, ut Asaph, Eman et aliarum. Sed hoc vel causa mysterii, vel interpretationis nominum, quæ illis psalmis convenit, quibus tales tituli appositi sunt. Intentio istius prophetiæ est, sicut et aliorum, in toto libro consolari humanum genus, quod primi parentis culpa de maxima beatitudine in maximas miserias dejectum est, nec inde posse resurgere, nisi per Dei misericordiam. In unoquoque tamen psalmo propria intentio quærenda est. Et est intentio Prophetæ in hoc primo psalmo ostendere quomodo et per quem ab illo casu et ab illa miseria in qua humanum genus jacet et versatur, resurgere valeat, scilicet per Christum, imitando eum: quia per nos cecidimus, sed per nos resurgere non valemus. Primus psalmus titulum non habet, quia quasi titulus est totius libri; aperit enim ad quem tota libri intentio sit referenda. Nunc ad psalmi primi expositionem, Deo juvante, accedamus.

ENARRATIONES IN PSALMOS.

PSALMUS PRIMUS.

« Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, « et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit : sed in lege Domini voluntas « ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et « erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in « tempore suo. Et folium ejus non defluet, et omnia « quæcumque faciet prosperabuntur. Non sic impii, « non sic, sed tanquam pluvis quem projicit ventus « a facie terræ. Ideo non resurgent impii in judio, « neque peccatores in consilio justorum, quoniam « novit Dominus viam justorum, et iter impiorum « peribit. »

ENARRATIO.

Beatus vir. Quasi dicat : Olim venit quidam in hunc mundum, qui non fuit vir, sed sine viribus, quia incentivis vitiorum succubuit ; et ideo infelix, quia abiit a lege Domini Dei sui per delectationem vetitorum ; stetit per consensum, sedit per operationem et consuetudinem, propterea de summa felicitate decidit in summam miseriam, de vita ad mortem, de immortalitate ad mortalitatem ; et secum, velut radix, omne humanum genus tanquam ramos in ima dejecit. Sed veniet quidam vir, et bene vir quia fortis, quia insuperabilis, *Beatus*, quasi bene auctus, scilicet vir perfectus, quia *cum aliis dentur dona Spiritus sancti ad mensuram, in eo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Joan.* III ; *Rom.* XII ; *Col.* II), id est integre et solide, ut ait propheta : *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus*, etc. (*Isa.* I). — *Qui non abiit.* Qui non recedet a lege Domini Dei sui, quemadmodum ille infelix, delectatione peccati periens, scilicet *in consilio impiorum.* Consilium impiorum fuit serpentis et Evæ. Consilium dicitur excogitata ratio. Et serpens cum non posset per se Adam seducere, seduxit Evam, et per Evam Adam, callide satis per vitium quod est virtuti proximum, per cupidinem honoris, dicens : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III). Inde et dicitur quod in forma serpentis diabolus Adam et Evam seduxerit, quia nullum vitium facilius serpit in animum hominum quam ambitio, non quod formam serpentis induerit, cum in specie humana hominem facilius decipere posset. Aliter, *in consilio impiorum.* Consilium omnium impiorum est sua quærere, non quæ sunt Dei. Christi animum nec elationis cupido subrepsit : *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, etc. (*Phil.* II.) Nec ullam peccati habuit delectationem, nec quæsivit sua, sed quæ Dei Patris. Propheta hic loquitur de Christo capite, et ideo videtur sufficere quæ dixit. *Qui non abiit.* Quia si non delectatus est, multo minus consensit ; si non consensit, multo minus fecit.

Sed ut ostenderet eodem ordine resurgendum triplici morte animæ a contrario quo cecidimus, et in Christo esse nobis formam resurgendi, ideo hoc illi attribuit. Potest et aliter legi, ut hæc distinctio apte conveniat, sed diversis personis ut ostendat modos resurgendi. ita : Beatus vir qui non habuit ullam delectationem peccati, ut Maria, Joannes, et ille beatus, qui, etsi delectatus est, etsi consensit, non tamen in actum duxit, quamvis non adeo beatus ut superiores. *Et in via peccatorum non stetit.* Via peccatorum omnis illicita cogitatio est in qua stamus, cum consensum præbemus. Sed Christus, qui nec unquam illicita cogitavit, multo minus consensit. Peccatores et impii hic pro eodem accipiuntur. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Id est, qui peccatum in operationem non duxit. Qui enim nec cogitavit, nec consensit, multo minus fecit peccatum. Cathedra regum est vel magistrorum. Quod est dicere, regnum terrenum noluit. Cum enim viderent homines eum qui de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum saturasset, terrenis commodis inhiantes regnum ei offerre cogitaverunt : quorum cogitationi sic obviavit : *Operamini non cibum qui perit sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* IX). Quia illi ad hoc eum volebant regem constituere ut necessaria illis provideret. Non ideo potestatem terenam sprevit quin eam possit sine peccato habere ; sed quia eam mortales sine peccato et aliorum incommodo habere nesciunt, ne daret eis occasionem et exemplum perditionis, noluit regnum terrenum quod vere est pestilens semper ad elationem. Quisquis ex consuetudine peccat quasi ex necessitate jam peccat, et talis vix ulterius peccantem impugnat, et fit sæpius ut ad noxia trahat quos dum peccantes jam tueri contendit, in cathedra nimirum sedet pestilentiæ, id est perditionis, non solum se perdens, sed, quod est pessimum, quibus potest est auctor perditionis. Auctoris autem et cathedra est et sedere. Christus autem verbo et exemplo bonæ operationis semper auctor exstat, et ideo in cathedra pestilentiæ non sedit.

Tres lapsus Adæ, teste Augustino, trinam animæ mortem præfiguraverunt. Sicut mors est separatio animæ a corpore, ita mors est separatio animæ a Deo. Sicut enim corpus vivit adhærendo animæ ita anima vivit adhærendo Deo. Est quippe in nobis Eva, est et Adam. Duæ sunt vires humanæ animæ — una, qua corpus vivificatur, quæ potest dici animalitas, et hoc ex corporis affinitate. Et ratio, quæ

refrenat animalitatem ne extendat se ad concupiscendum illicita : quia, ut ait Apostolus, *caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus* (*I Cor.* xi). Quod si ratio non refrenat ut vir, sed consentit carnalitati delectando vel confitendo vel operando, in similitudine Adæ tres casus facit, recedendo a capite suo Christo et uxori adhærendo. Has tres mortes animæ significant tres mortui illi quos suscitavit Christus. Filia archisynagogi quam in domo resuscitavit significat animam intus mortuam delectatione peccati (*Matth.* ix ; *Marc.* v). *Qui enim viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v). Sed hæc animæ mors non adeo est valida, quia per puellam significatur : quæ quasi adhuc pudica est, cum nondum consensu polluta est, et facile ab eo potest resurgere, scilicet Dominica oratione. Quod in eo ostenditur quia Dominus porrexit manum et levavit eam. Filius mulieris viduæ quem Dominus in porta suscitavit (*Luc.* vii) significat animam mortuam ex consensu peccati. Peccatum, cum usque ad consensum perducit, non longe est ab operatione.

Quæ foris est hæc mors validas, nec ab possumus resurgere nisi digna pœnitentia. Quod significatur per hoc quia juvenis erat. Et Dominus dixit ad eum : *Adolescens, tibi dico, Surge* (*Joan.* xi). Lazarus jam fetidus quem tamen Domiuus resuscitavit de monumento, significat animam illam quæ usque ad operationem peccatum perducit, et ex longa consuetudine et nimio vitiorum fetore jam in desperationem suæ restaurationis cecidit.

Peccator, cum in profundum venerit, contemnit (*Prov.* xviii). Tales Dominus resuscitare dignatur, sed maxima pœnitentia et magno labore. Quod significatur per hoc quia Dominus voce magna clamavit : *Lazare, veni foras.* Beatus vir qui non cogitavit malum, nec consensit, nec docuit operando vel docendo. Et quia non sufficit declinare a malo, nisi quis studeat facere bonum, subdit : *Sed in lege Domini voluntas ejus.* Hoc unum refertur ad illa duo, *non abiit, nec stetit :* quia utrumque ad voluntatem. Aliud est, esse in lege ; aliud est, esse sub lege. Qui amore virtutum peccare nolunt cum lege sunt et in lege, *quia justo non est lex posita* (II *Tim.* i). Qui autem timore pœnæ legem custodit sub lege est, quia ex necessitate bene agit, non ex voluntate. Timor servorum est, amor filiorum : et ideo voluntas filii Dei in lege Patris fuit. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Ad augmentum boni addit studium voluntati, superius ubi dixit *in cathedra pestilentiæ non sedit,* ad quod etiam istud refertur : *Die ac nocte,* vel omni tempore, vel in prosperitate et adversitate. Prosperitas Christi fuit, resurrectio et ascensio ; adversitas, ante passionem et in passione. Nec prosperitas Christum extulit ut a lege Domini recederet, nec adversitas sic conturbavit. Huc usque Propheta de capite Christo. Potest et sic intelligi ut ipsemet Christus de se hæc omnia dicat, ut Joannes : *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de*

A *his et scripsit hæc* (*Joan.* xxi), quia solent homines familiaribus de se et ad se loqui. Potest et sic intelligi ut ad tria tempora referatur : ante legem, sub lege, sub gratia ; ut ita dicatur, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* scilicet qui ante legem a Deo creatore suo non recessit, serviendo potius creatori quam creaturæ, ut Abel (*Gen.* iv) et alii ante legem. Impios vocat, idololatras ; consilium eorum, creatorem contemnere et creaturas colere.

Et ille beatus, *qui in via peccatorum non stetit.* Peccatores vocat transgressores legis, Judæos scilicet sub lege ; viam eorum, carnalem intelligentiam, id est : beatus ille qui spiritaliter legem intelligit, et ille *beatus qui in cathedra pestilentiæ non sedit* sub tempore gratiæ. Hæretici sedent in cathe- B dra pestilentiæ, quia perversa doctrina multos seducunt : Et ille erit beatus qui viam Dei in veritate docebit. Sed in lege Domini, istud non mutatur usque : *Et erit tanquam lignum.* Et iste beatus vir erit tanquam lignum, id est, conformans Christo. Et deinceps an Christum : *Et erit tanquam lignum,* et ideo quia nunquam recedet a lege Domini Dei sui erit sicut illud lignum *quod plantatum est secus decursus aquarum,* id est, in irriguo loco. Talis arbor tempestive dat frondes, et flores et fructus : ita et Christus. Ipse Christus nominavit se lignum, ut ibi : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?* (*Luc.* xxiii.) Hic non ponitur simpliciter lignum, sed lignum plantatum, id est arbor. Et Dominus arborem se nominavit Judæis facta ejus recipientibus et dicta, ipsum autem contemnentibus, dicens : C *Aut facite arborem bonam et fructus ejus bonos : aut facite arborem malam et fructus ejus malos* (*Matth.* xii). Et arbor illa quæ plantata fuit in medio paradisi Christum figuravit. Aquæ tribus modis accipiuntur in divina pagina : pro donis Spiritus sancti, pro fluxu carnalium concupiscentiarum, pro populis. Ideo istud diverse potest intelligi. Et erit Christus tanquam lignum, id est, talis erit, tam benignus, tam efficax ut decet esse istud *lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* id est, ille homo qui conceptus est in beata Maria non secundum carnalem concupiscentiam, sed secus decursus aquarum, id est, secundum abundantiam donorum Spiritus sancti, ut illud, *spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* i).

D Spiritus sanctus veniens in beatam Mariam ab omni æstu illicitarum concupiscentiarum eam protexit et totum ejus amorem in Deum direxit. Et qui ex tali operatione tam purus natus fuit nihil illicitum perpetrare potuit ; bene decursus, quia Spiritus sanctus supervenit, et, quia ejus operationi nihil obstare potest, omnes illicitas cogitationes a Maria removit. *Quod* lignum, id est Christus, *fructum suum,* id est fideles suos, Ecclesiam suam *dabit in tempore suo.* Omne tempus suum est, sed illud maxime visum est suum in quo magis notus et clarificatus est, scilicet cum esset triginta annorum, et docere cœpit et post adventum sancti Spiritus, cum

in omnem terram exivit sonus apostolorum. Unde dicitur: *Nondum erat Jesus clarificatus, quia Spiritus sanctus nondum erat datus* (*Joan.* VII). Vel tempore suo, id est, in consummatione sæculi, *cum tradiderit regnum Deo et Patri quando novissima destruetur mors* (I *Cor.* XV). Vel *erit tanquam lignum*, id est, sicut ille homo qui venit in hunc mundum, non in carne peccati, sed *in similitudine carnis peccati* (*Rom.* VIII), quia sine peccato conceptus est et natus; sed tamen similis in pœna peccati, quia mortalis, quia passibilis. Vel, *secus decursus aquarum*, id est, juxta naturam populorum in qua aliis decedentibus superveniunt alii. Spiritus sanctus aqua dicitur, quia, sicut aqua abluit exteriores sordes, ita Spiritus sancti gratia interiores. Et non mirum, si *fructum suum dabit*, quia *folium ejus non decidet*, id est, verba ejus non erunt inefficacia. Et si quibusdam non operentur, tamen hoc verum est quod non sunt inefficacia, quia talibus non sunt verba qui aure cordis ea non percipiunt. Ideo verba Dei foliis comparantur, quia sicut folia arbores, ita doctrina Christum ornat, et, ut fructus latet in foliis, ita et beatitudo fidelium regitur in doctrina Christi. *Et omnia quæcunque faciet prosperabuntur*, sive in se, sive in suis: in se, sive in dictis sive in factis; in suis sive sint prospera sive adversa. In hoc est Dei providentia mirabilis, quia etiam malis suorum utitur ad bonum.

Quosdam enim permittit cadere, ut fortiores surgant, ut Petrum in negatione, et Thomam in dubitatione, vel etiam ad suam et aliorum utilitatem, ut Petrus, qui in suo casu didicit quanta mansuetudine subditorum vita sit corrigenda. *Non sic impii*, scilicet ut illa omnia cooperentur in bonum, cum etiam illa quæ eis videntur bona cooperantur in malum, ut illud, *Prosperitas stultorum perdet illos* (*Prov.* I). Impios vocat Deum ignorantes, ut Judæi, gentiles et hæretici qui erunt comparabiles pulveri non solidato ab imbre, *quem ventus* prohibet *a facie*, id est, desuper faciem *terræ*, quia carentes humore verbi Dei propter impietatem suam, a vento, id est, a diabolo vel prima suggestione repellentur a cognitione Dei, qui est *terra viventium*, id est, a facie. Facies pro cognitione accipitur, quia secundum faciem de qualibet re cognitionem habere solemus. *Ideo non resurgunt impii*, id est, idololatræ; *in judicio*, id est, ut judicent vel judicentur, quia jam damnati sunt. Resurgentium alii resurgunt ad judicium, alii non ad judicium resurgunt. Qui resurgunt ad judicium, aut judicabuntur ad salutem jam purgati in purgatoriis, aut ad damnationem ut illi quorum perditio non est in hac vita manifesta. Resurgentium non in judicium, alii non judicabuntur, quia judicabunt alios, ut sancti apostoli et alii perfecti in Ecclesia, alii non judicabuntur quia jam evidenter damnati sunt, non solum apud Deum, sed apud Ecclesiam, ut gentiles, Judæi et hæretici, et illi qui in criminalibus peccatis præsentem vitam sine confessione et digna pœnitentia finiunt, licet ignoretur ab

A Ecclesia, *neque peccatores* scilicet resurgunt prævaricatores legis Judæi et falsi Christiani ab hoc ut sint *in consilio justorum*, quia hic noluerunt esse in consilio justorum.

Hoc ideo dicit, ne de sacramentis præsumerent, scilicet ut judicent vel judicentur in bonum, sicut nec impii; nam soli pii, resurgent in judicio, vel ut judicent, vel ut judicentur in bonum, et hoc ideo, quia *novit Dominus viam justorum*, id est, probavit et dilexit viam, id est, vitam bonam. Impii et peccatores ideo non resurgent eo modo, quoniam *iter impiorum*, id est. vita quam ipsimet sibi elegerunt, *peribit* a dignatione Dei. Aliter: impii tanquam pulvis dissipabuntur, quia circumferentur idololatræ *omni vento doctrinæ* (*Ephes.* IV), vel afflatu superbiæ

B ut ille qui dixit, *Ponam sedem meam ad aquilonem, et similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV). A facie terræ, a visione Dei, qui est terra viventium. Ut illud, *Tollatur impius ne videat faciem Dei* (*Isa* XXVI), ideo fiet, quia impii, id est idololatræ, non resurgunt a casu primi parentis et proprio in judicio, scilicet ut in hac vita justo judicio perpendant quam justum sit ut minor serviat majori, servus Domino, creatura Creatori, et ab eo recedere sine quo esse non potest, et creaturam venerari.

Neque peccatores, id est transgressores legis resurgent in concilio justorum. Concilium justorum est ut quæ Dei sunt quærant, non quæ sua, ut non sibi, sed Deo placeant, et propterea *iter impiorum peribit*, id est, vita et labor eorum sine mercede erit. *Qui enim non habuit partem in resurrectione prima*

C *non habebit partem in resurrectione secunda* (*Apoc.* XX). Quod *iter impiorum peribit*, ostendit a contrario, quoniam novit, Dominus non solum cognitione, sed etiam dignatione, viam justorum, vitam et actum.

PSALMUS II.

PSALMUS DAVID.

« Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt « inania? Astiterunt reges terræ, et principes con« venerunt in unum adversus Dominum et adversus « Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum et « projiciamus a nobis jugum ipsorum. Qui habitat « in cœlis irridebit eos et Dominus subsannabit eos. « Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo « conturbabit eos. Ego autem constitutus sum rex « ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans

D « præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius « meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et « dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem « tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea et « tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc, reges, « intelligite; erudimini, qui judicatis terram. Ser« vite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. « Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Do« minus, et pereatis de via justa. Cum exarserit in « brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo. »

EXPLANATIO.

Quare fremuerunt gentes? Quidam a *Beatus vir* usque *Beati omnes qui confidunt in eo*, unum psalmum

dicunt esse. Hieronymus hanc rationem dat quod sit unus, quia a beatitudine incipit et in beatitudine desinit, et beatus Paulus unum ostendit in Actibus Apostolorum. [illegible] Qui autem [illegible] versum psalmum habent a superiori modo intitulant : Psalmus David. Psalmus, id est operatio.

Hac ratione per psalmum accipitur operatio, quia psalterium, ut sonum reddat, manu tangitur. Per manum accipemus operationem. David interpretatur *manu fortis* vel *visu desiderabilis*, in quo significatur Christus qui est manu fortis, quia vicit diabolum et spolia ejus distribuit. *Quosdam enim dedit apostolos, quosdam prophetas, alios doctores* (*Ephes.* IV). Visu desiderabilis est, quia non solum homines, sed et angeli desiderant eum videre. Ipse enim est cibus angelorum et hominum, ut etiam panem angelorum manducaret homo, rex angelorum factus est homo. Dicamus ergo ita: Operatio quæ in hoc psalmo intelligitur est Christi, et hæc est intentio ostendere ut quicunque velint regnare cum Christo, ejus persecutiones non recusent, quia *si compatimur, et conregnabimus* (*Rom.* VIII; (*Tit.* II). Sive unus psalmus sit cum superiori, sive ab eo diversus, in voce Christi legitur, et continuatur cum superiori ita : Ego in hunc mundum veni peccatores salvos facere, nec malum feci, nec malum docui, et ideo, *quare fremuerunt gentes?* Id est, ad quam utilitatem suam? certe nullam, imo ad suam damnationem et ad meam gloriam. *Gentes*, id est gentiles, Pilatus et Herodes fremuerunt, id est, sine ratione ut leones in me fremitum dederunt. Per gentes accipiuntur pagani qui geniti sunt, non regenerati. *Et populi*, id est Judæi, quare *meditati sunt inania?* id est ineffacia, a veritate vacua. Collegerunt enim concilium, dicentes : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum* (*Joan.* XI). Inania hæc fuerunt, quia illa mors Christi exaltatio fuit. Et jam totus mundus post eum abiit. *Astiterunt reges terræ.* Duobus modis potest legi illud. Quasi dicat, non solum *gentes*, scilicet minores milites Romani, sed etiam reges majores astiterunt illis, id est, adjuverunt illas adversum me. *Reges terræ*, id est terreni, terrena amantes et cœlestia contemnentes. Et non solum populi Judæorum, id est minores, sed et principes sæculi, Annas et Caiphas. Et illi et isti *convenerunt in unum*, scilicet consilium, scilicet *adversus Dominum* illum qui est Dominus dominorum, id est, adversus Patrem. Ideo adversus Patrem, quia *et adversus Christum ejus*, id est, voluntatem ejus, quia verbum Patris est ejus voluntas, Aliter, *astiterunt reges terræ.*

Non solum fremuerunt voce, sed *astiterunt*, id est, appropiaverunt operatione. Ille appropinquat ad nocendum qui laborat ut perficiat, et populi Judæorum non solum *meditati sunt inania*, sed etiam omnes in unam sententiam *convenerunt adversus Dominum* eorum auctoremi et *adversus Christum* ejus meditatorem Dei et hominum, dicentes: *Dirumpamus vincula eorum*, id est, Christi et Christianorum. Vincula, id est, rationes et doctrinas quibus nos attrahere volunt sub jugum fidei : *Et projiciamus a nobis jugum ipsorum*, id est, fidem, vel jugum, id est, legem qua nos coercere volunt a jucunda consuetudine. *Non mœchaberis, Non furtum facies* (*Exod.* XX ; *Matth.* XIX). Per *vincula*, blandam doctrinam qua ad fidem alliciunt intellige. Per *jugum*, duram legem quæ post fidem Christianis imponitur. Ipsi cogitaverunt vincula Christi disrumpere et jugum ejus a se projicere, sed frustra, quia ille *qui habitat in cælis* id est, in prædicatoribus suis, scilicet Spiritus sanctus, *irridebit eos.* Cœli dicuntur sancti prædicatores, quia compluunt verbis, coruscant miraculis, intonant minis. *Irridebit eos.* Divina Scriptura sæpe Deo attribuit quod in aliis operatur. Sic irridebit eos, id est, ostendet dignos risu, cum non poterunt efficere quod voluerunt, ut illud : *Omnes incipient illudere ei, dicentes: Hic homo cœpit ædificare et non potuit consummare* (*Luc.* XIV). Et non solum irridebit, sed et quod gravius est, *subsannabit*, cum non solum ostendet pravæ voluntatis inefficaces, sed etiam post se abire faciet ; ut qui prius fuit persecutor Christi postea fiat prædicator Christi. Irrisio fit ore, subsannatio in rugas naso contracto. Vel, *irridebit eos*, his dando in reprobum sensum, id est, in tenebras interiores. Et post, subsannabis eos mittendo in tenebras exteriores. Aliter : *Disrumpamus vincula eorum.* In persona Christi. Quasi dicat i *Ipsi convenerunt adversus Dominum et advercus me Christum ejus.* Sed nos, o prædicatores mei, *disrumpamns vincula eorum*, Judæorum vel gentilium, scilicet eorum blanditias, quibus nos retrahere volunt a prædicatione fidei, *et projiciamus a nobis jugum ipsorum* id est, minas eorum contemnamus. Et bene possumus, quia ille *qui habitat in* nobis *cælis* prædicatoribus suis *irridebit eos.* Istud non mutatur.

Tunc loquetur in ira sua. Tunc, id est, postquam irridebit et subsannabit quosdam convertendo, ad incredulos *loquetur in ira sua*, qui prius in misericordia locutus est : *Venite, filii audite me, timorem Domini docebo vos* (*Ps.* XXXIII). Ponet incredulos a sinistris, et dicet eis : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXXV), etc. Hæc dicet tunc *in ira sua*, id est, justa vindicta. Et post hæc, *in furore suo conturbabit eos*, dicens : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Ibid.*) Nec ira, nec furor, nec aliqua mentis commotio cadit in Deum, sed ex effectu ipso hæc videtur. *Ego autem constitutus sum rex ab eo.* Illi *convenerunt adversus Dominum et adversus* me *Christum ejus*, dicentes: *Eradamus eum de terra* (*Jer.* XI). Sed frustra. Ego autem per illam passionem et mortem *constitutus sum rex*, et non super paleam, tamen super grana, id est, *super Sion.* Sion interpretatur *specula*, et significat illos quorum *conversatio in cælis est* (*Phil.* III), qui ea quæ retro sunt obliviscentes in anteriora se extendunt. Tales etiam montes dicuntur, propter eminentiam virtutum et stabilitatem fidei : *montem sanctum ejus*, id est,

quem ipse sanctum fecit. Ad hoc additum est sanctum ne intelligeretur mons ille Sion.

Et quia etiam locus ille sanctus dicebatur, quia erat juxta Hierosolymam, ideo addidit : *prædicans præceptum ejus.* Ad hoc *prædicans*, ut dentur mihi *gentes in hæreditatem* et termini terræ *in possessionem.* Duobus modis legitur istud. Ad hoc ego prædico, ut dentur mihi gentes *in hæreditatem*, et quia hoc a quibusdam varie posset accipi, determinat, et termini terræ, id est, omnes gentes. Aliter ut dentur mihi *gentes in hæreditatem*. Hæreditas ad hoc colitur, ut pascat, ita et Christus ad hoc prædicat Ecclesiæ suæ, ut eam reficiat, ut illud. *Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei* (*Joan.* IV). Ecclesia est hæreditas Christi quæ eum pascit, et Christus similiter hæreditas Ecclesiæ est eam reficiens. Et non solum *gentes*, scilicet minores, sed ut *termini terræ*, id est illi qui ab amore terrenorum se jam contraxerunt, id est, perfecti viri dentur mihi *in possessionem.* Possessio solet dici illa quæ in domo est, et illo propinquior est et magis chara : ita et illi sunt chariores Deo qui jam sæculo abrenuntiaverunt. Revera *dabo tibi*, quia *Dominus*, id est, Deus Pater, *dixit ad me*, id est, mecum disposuit istud. *Postula a me*, id est, talem te fac ut postulare possis, id est, assume inferiora ut minor fias, quia postulare non dicitur, nisi minor a majore. Nisi enim homo fieret, pro nobis postulare non posset. *Et dabo tibi gentes in hæreditatem, et possessionem tuam terminos terræ.* Hoc expositum est.

Et merito eas *tibi dabo in hæreditatem*, quia *tu es filius meus*, id est voluntas mea, nam *ego genui te*, id est, de essentia mea procedere feci : et hoc non temporarie, sed *hodie*, id est, æternaliter. Semper Filius procedit a Patre, nunquam tamen deserit Patrem, quia ejus voluntas nunquam ab eo dissentit, ut nostra. Hoc non est dictum ad humanitatem Filii, sed ad divinitatem. Aliter non solum *super Sion constitus sum rex*, id est, super Judæos, sed etiam super gentes. Quod probat non qualicunque auctoritate, sed maxima, scilicet auctoritate Dei patris. *Filius meus es tu* , non gratia vel adoptione tantum, sed natura. Merito dabuntur tibi *gentes* ideo, quia ad hoc tu es idoneus. *Tu reges eos in virga ferrea*, id est inflexibili justitia, non in humana justitia quæ facile mutatur : quia quod semel est justum apud eum nunquam erit injustum : vel quod injustum nunquam erit justum. *Tanquam vas figuli confringes eos.* Hoc modo *reges eos*, eos, inquam, formatos a primo parente, vasa lutea non in honorem, sed in contumeliam. *Confringes*, auferendo ab eis quod luteum est ut reformetur in melius. Aliter : *Reges eos in virga ferrea*, scilicet tibi obedientes, inobedientes vero *confringes tanquam vas figuli*, scilicet facile, quia tales contra te fragiles sunt. *Et nunc, reges, intelligite.* Et quia *constitutus sum rex* vester, et vos estis hæreditas mea, et per hoc facti reges qui prius fuistis servi peccati.

Ideo reges, quia valetis regere quod in vobis luteum

A est ratione et imperio animi, nunc confringamini ut *vas figuli. Intelligite*, id est, rationabiliter agite, ne vos in superbiam erigat quod reges vocavi, quia superbia etiam in bene factis cavenda est. *Erudimini* a me, *qui, cum in forma Dei* essem, *non rapinam arbitratus* sum *esse æqualem Deo, sed* humiliavi me potius *factus obediens* Patri *usque ad mortem* (*Phil.* II), quia sub illo humiliari regnare est. *Si compatimini, et conregnabitis* (*II Tim.* II). *Qui judicatis terram*, id est, qui jam per gratiam reges facti, judicatis, id est, damnatis quod in vobis terrenum est, scilicet vitia carnis vestræ. Vel per *reges*, inferiores in Ecclesia per illos qui judicant terram prælatos accipimus. Exsequitur quod dixit, *intelligite. Servite Domino in timore.* Hoc est intelligere, scilicet intelligenter agere,
B perpendere justo judicio quam dignum sit ut creatura serviat Creatori suo, servus Domino. *In timore* animi scilicet timete, ne animus vester se erigat, quod justificati estis, quod *reges* estis; servite potius illi *cui servire regnare est.* Et ne servitium vos humiliet et contristet, *exsultate*, quia hoc modo regnatis. *Exsultate ei*, id est, in gaudio ei *servite*, non gaudio carnali in gula et ebrietate, sed *cum tremore* in afflictione carnis, quia hoc est gaudium mentis. Tremor corporis est : timor animi. *Apprehendite disciplinam.* Exsequitur quod dixit *erudimini. Apprehendite*, id est, magno desiderio capite et amate disciplinam, id est, flagella mea, id est, *qui vult sequi Christum debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (*I Joan.* II). *Non coronatur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II).
C Ideo *disciplinam* patris amate, quia *quem pater diligit corripit* (*Hebr.* XII) : ideo *apprehendite, ne irascatur Dominus*, quoniam scilicet ejus *disciplinam* (*Sap.* XII), non apprehenderitis. Ita, ut dictum est ; non cadit in Deum. Unde illud prophetæ : *Tu autem, Domine Sabaoth, omnia cum tranquilitate judicas* (*Jer.* XI). *Irascatur*, id est, videatur iratus, cum vos juste damnabit. *Et pereatis de via justa*, a doctrina justorum qua omnes justificabuntur, dati in tenebras interiores, id est, in reprobum sensum.

Aliter *ne pereatis de via justa* : hoc est ne cadatis a Christo, quæ *est via quæ ducit ad vitam* (*Joan.* XIV), dum non vultis ejus *disciplinam* pati. Quasi dicat : Quid nobis nocet de via illa perire ? Multum tandem venietis ad æternam miseriam. Quod ostendit per contrarium, quia *beati omnes* erunt *qui*
D *confidunt in eo.* Et hoc erit tunc, *cum ira ejus* quæ modo in vobis ardet, dando in tenebras interiores *exardescet*, id est, valde ardebit mittendo in tenebras exteriores.

PSALMUS III.

PSALMUS DAVID CUM FUGERIT A FACIE ABSALOM FILII SUI.

« Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? « multi insurgunt adversum me. Multi dicunt animæ « meæ : non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem, « Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans « caput meum. Voce mea ad Dominum clamavi, et « exaudivit me de monte sancto suo. Ergo dormivi,

« et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus sus-
« cepit me. Non timebo millia populi circumdantis
« me. Exsurge, Domine, salvum me fac, Deus
« meus. Quoniam tu percussisti omnes adversan-
« tes mihi sine causa, dentes peccatorum contri-
« visti. Domini est salus, et super populum tuum
« benedictio tua. »

EXARRATIO.

Psalmus David cum fugeret a facie Absalom filii sui. Legitur in historia quod Absalom persecutus sit David patrem suum volens ei auferre regnum suum, et abstulit partem, scilicet Israeliticam tribum (*II Reg.* XV), et Judas cum parte Judæorum persecutus est Christum (*Joan.* XVIII), de qua persecutione ad Christum alibi dicitur: *Domine, quid multiplicati sunt?* Titulus autem iste in hoc psalmo ab Ezra est appositus, quia quod ibi historialiter factum est in David carnali, factum est et hic in spiritali David, id est Christo, figuraliter. Absalom interpretatur *patris pax*, non quod Absalom pacem in patrem haberet, cum assidue eum persequeretur: sed quia pater in eum pacem habebat, quantum ad se. Quoties enim sui dirigebant aciem contra eum, rogabat ut viderent ne Absalom periret: mortuum quoque diu flevit fletu magno. Ita et in Juda Christus pacem habuit; quia in nocte illa qua eum tradebat, a cœna eum non repulit, sacramentum corporis et sanguinis sui cum cæteris discipulis ei tradidit, osculum ei non negavit (*Matth.* XXVI), filius fuit quia unus discipulorum de quibus Dominus : *Non possunt filii sponsi lugere quandiu cum illis sponsus est* (*Matt.* IX). *Psalmus David*, id est, operatio quæ in hoc psalmo intelligitur, est David spiritualis, id est Christi, præfigurata in historiali David, *cum fugeret a facie Absalom filii sui.* Fugit ille Absalom, et Christus fugit Judam, quia surgens a cœna, recessit ab eo in montem Oliveti, ut oraret ; ille autem ivit ad Judæos, ut eum traderet (*Joan.* XII): vel recessit a corde ejus, ut diabolus intraret, quia non erat digna habitatio Dei cum fur esset, et loculos habens ea quæ mittebantur portabat (*Joan.* XII). Et est intentio capitis in hoc psalmo, exemplo suo hortari membra sua in multis et magnis tribulationibus non deficere, etiamsi ab his qui intus sunt persecutionem patiantur, si ad eamdem gloriam pervenire volunt ad quem et ipse pervenit. Et hoc differt hæc intentio a superiori, quia ille psalmus egit de persecutione quæ fit ab his qui foris sunt ; hic autem de illa quæ fit etiam ab illis qui intus sunt, id est, a falsis fratribus, et hortatur nos suo exemplo in tribulationibus ad quem sit confugiendum. Vox capitis :

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Quid, id est, in quantum, ut etiam de numero discipulorum augeretur numerus persequentium. Vel quid, id est, ad quid? ad suam confusionem et ad meam clarificationem. Hoc ad exhortationem et consolationem suorum. Revera *tribulant*, id est affligunt me in carne, quia *multi insurgunt*, id est intente surgunt. *Adversum me*, id est, non ut sequantur, sed ut persequantur, *adversum me.* quia *multi dicunt animæ meæ*, id est, vitæ meæ, vel non solum corpori, sed etiam animæ : *Non est salus ipsi in Deo ejus*, nedum resurrectio ; nec etiam aliqua salus in Deo ejus, scilicet cujus Filium se facit. Quasi dicat, Deus dereliquit eum : quia hoc putabant, ideo persequebantur. *Si eum cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Sed mentiuntur. *Tu autem, Domine, susceptor meus es*, id est defensor meus. *Susceptor* dicitur, qui causam alterius suscipit ad defendendum ; susceptus, qui suscipitur, vel *susceptor* humanitatis meæ. Hic videtur quod in hoc psalmo humanitas Christi loquitur ad divinitatem. *Gloria mea*, id est, gloriatio humanitatis meæ. Quia ego, in quantum homo, ignominia mea : vel gloria mea in quo est solum gloriandum. *Qui enim gloriatur, in Domino glorietur* (*Jer.* IX; *I Cor.* I). Ideo *gloria mea*, quia *exaltans caput meum*, id est, mentem meam, quæ carnalitatis caput est, erigens ne deficiat in tribulationibus.

Et merito me exaltas : quia sic oravi, ut exaudiri dignus essem. Ego *clamavi*, id est, irremisse bona operatus sum : *voce mea*, id est, cordi consona, quia ex magno desiderio operatus sum bona *ad Dominum*, scilicet nullum aliud postulans præmium, quia si quis bene operatur, et aliud petit quam Dominum, non exaudietur a Domino. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Et quia tam idonee clamavi, *exaudivit me de monte sancto suo*, id est, de me qui mons sum propter eminentiam virtutum et stabilitatem fidei, *sancto*, id est, sanguine uncto. Soli martyres proprie sancti dicuntur, alii beati vel justi. Vel, *sancto suo*, id est, quem sanguine martyrii sui consecravit. Vel, *de monte sancto suo*, id est, de justitia quam mihi dedit præcipuam, qui est mons, *Justitia tua sicut montes Dei* (*Psal.* XXXV). Vera innocentia summa est justitia. Illa est natura innocentia quæ nec nocet sibi, nec alii, et hæc fuit in Christo. Hæc etiam fuit causa quare exaudiretur. Vere exaudivit. *Nemo enim tollet animam meam a me* (*Joan.* X). Potius *ego dormivi* sponte patiendo.

Dormitio est enim transitus de vigilatione ad somnium, sicut expergefactio transitus ad vigilationem, *et soporatus sum*, id est, sponte mea mortuus sum, et *exsurrexi* cum volui. Et sicut ego optavi, ita et vos orate, fideles mei, ut exaudiamini. « Dicunt quidam, si Christus voluntarie mortuus est, quid ergo peccaverunt occidentes eum? Sed considerandum est, non quod fiat solum, sed quomodo fiat. » Omne enim peccatum quodammodo bonum est, quodam autem modo malum. Bonum est, quantum ad justitiam Dei in cujus dispositissima domo nihil fit injuste. Malum autem, quantum ad voluntatem ejus facientis. Qui enim peccat ex culpa præcedente hanc pœnam habet: quæ pœna ex justitia Dei est etiam in primo peccato; hoc processit ex libertate arbitrii. Ideo *exsurrexi*, *quia*

Dominus suscepit me. Ille me suscepit de sepulcro qui me *suscepit* in Virginis utero. Vel *suscepit* me, quia ego susceptus ejus sum ; et *quia Dominus suscepit me, Non timebo millia populi circumdantis me*, caput et membra. Bene, *circumdantis*, quia pauci sunt veri Christiani ad numerum infidelium, et quia ego caput non timeo, *exsurge, Domine*, id est, perfice quæ cœpisti, ac meos prædicatores exsurgere a timore mentis, ut cum fiducia prædicent ; et *salvum me fac*, in futuro, id est, meos, et debes, quia tu es *Deus meus.* Quisque facit sibi Deum, quem maxime diligit : libidinosus Venerem, vinosus Bacchum, Epicurus ventrem. Ego vero et mei te solum et diligunt et habent Deum. Vel, *exsurge, Domine*, id est, notitiam tuam da diligentibus qui quanto plures convertentur tanto minus prædicatores timebunt. Quotidie Christus exsurgit, cum ejus resurrectio nescientibus manifestatur. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa.* Ideo *non timebo millia populi circumdantis me, quoniam tu percuties eos*, tandem separabis eos ab Ecclesia tua ut paleam a granis in judicio. Et hoc unde scio? *Quoniam jam percussisti omnes adversantes mihi sine causa.* Ideo quod *sine causa mihi adversantur*, hoc indicat illos a te percussos, id est, datos in reprobum sensum. *Dentes peccatorum*, id est, maledicta verba quibus non lacerant, *contrivisti*, id est ad nihilum redegisti. *Non est salus illi in Deo ejus.* Jam ad nihilum redacti sunt. Vel dentes, id est, auctores perditionis eorum qui eos quasi devorant, dum sibi incorporant et faciunt esse quod sunt, ut dictum est Petro scilicet in bonum : *Macta et manduca* (*Act.* x). *Domini est salus.* Bene dixi, *salvum me fac*, nam *Domini est salus*, non mea : et quia tua est, o Domine, *super populum tuum benedictio tua. Benedictio*, id est, multiplicatio virtutum et bonorum operum super populum tuum, ut illud, *Benedicat nos Deus, Deus noster* (*Ps.* LXXI), id est, multiplicet.

PSALMUS IV.

IN FINEM IN CARMINIBUS.

PSALMUS DAVID.

« Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ « meæ, in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei, « et exaudi orationem meam. Filii hominum, usque- « quo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et « quæritis mendacium? Et scitote quoniam mirifi- « cavit Dominus sanctum sum : Dominus exaudiet « me, cum clamavero ad eum. Irascimini et nolite « peccare : quæ dicitis in cordibus vestris et in cu- « bilibus vestris compungimini. Sacrificate sacri- « ficium justitiæ, et sperate in Domino. Multi di- « cunt : Quis ostendit nobis bona? Signatum est « super nos lumen vultus tui, Domine ; dedisti læ- « titiam in corde meo. A fructu frumenti, vini et « olei, multiplicati sunt. In pace in idipsum dor- « miam et requiescam. Quoniam tu, Domine, sin- « gulariter in spe constituisti me. »

ENARRATIO.

In finem psalmus David, canticum vel in carminibus. Per *canticum* accipimus gaudium. In titulis psalmorum sæpe invenitur *canticum* psalmo appositum vel *in carminibus.* Ideo quæsitum est an omnis psalmus esset *canticum*, vel, e converso, an quidam psalmi essent *canticum*, vel e converso. Sed inventum est quod in quibusdam psalmis præcedit *psalmus*, et sequitur *canticum*, in quibusdam præcedit canticum, et sequitur *psalmus.* Significat quod priores ejus partes consolentur nos ad laborem, posteriores ejus partes consolentur nos per gaudium: priores invitant ad gloriam, posteriores, hortantur nos ad laborem. In quo autem psalmo præcedit in titulo *psalmus*, et sequitur *canticum*, priores ejus partes hortantur nos ad laborem, posteriores invitant ad gloriam. Sicut et in hoc psalmo, *Cum invocarem*, in finem *psalmus* David, id est, *bona operatio* quæ intelligitur in hoc psalmo, est David, et quia est David carnalis, est et spiritalis, ideo determinat in finem, id est, hæc operatio sic intelligenda est esse David, ut illum intelligamus qui est finis, ideoque duobus modis : vel, quia est consummatio, non consumptio legis et prophetarum : vel, quia est omnium bonorum perfectio, quia omnia bona imperfecta usque ad eum qui est summum bonum. Omne enim imminutum perfici habent. Et est *canticum*, id est, ostendit nobis post bonam operationem gaudium et præmium laboris. Et hic bona operatio et præmium operationis ostenditur nobis exemplo capitis. Ipse titulus ostendit intentionem. Vox capitis : Vos fideles mei qui per multas tribulationes ad regnum tenditis, si pervenire vultis, invocate Deum, id est, intus vocate in corde, non solum in voce: vel vocate Deum in vos, ut nihil petatis in præmium laboris vestri, nisi ipsum, et exaudiet vos, quia me caput hoc modo exaudivit. Et hoc est quod dicit :

Cum invocarem, exaudirit me Deus. Deus dico *justitiæ meæ*, id est, qui me docuit quomodo juste peterem, quia *ipse dat et velle et posse pro bona voluntate* (*Phil.* II). Vel, ideo Deum vocavi, et non alium, qui ab eo est omnis justitia, non in divitiis vel aliis hujusmodi.

Sed quia dulcius et familiarius videtur loqui cum Deo quam de Deo, ideo convertit sermonem ad ipsum, postquam fidelibus suis ad exhortationem de Deo lotutus est. Vere *exaudisti me*, et in me, et in meis, qui *in tribulatione dilatasti mihi*, id est, dilatatum cor dedisti mihi non strictum ut non solum diligerem amicos, sed etiam inimicos. *Arcta est enim via quæ duci ad vitam* (*Matth.* VII,) et tamen non curritur nisi dilatato corde :

Hoc caput de se, sic autem de membris suis : *Dilatasti mihi*, id est, meis *in tribulatione*, scilicet ut ipsa tribulatio non videretur eis angusta, sed *dilatasti* gaudium, quia tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum (*Rom.* II).

Unde Apostolus, *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei*

diffusa est in cordibus per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v). *Miserere mei*. Hic patet quod Christus non de se tantum loquitur in hoc psalmo, *Miserere mei*, id est, perfice quod cœpisti. *Clarifica me in te*, et quosdam in meis spe, scilicet perfectos. *Miserere* his qui adhuc infirmi sunt, ut illos dilates et perficias, *et exaudi orationem meam*. *Exaudi*, id est, imple orationem meam quæ est pro augmento virtutum, scilicet ut crescant in virtutibus.

Oramus ut veniant bona, deprecamur ut avertantur mala. Aliter : *Exaudivit me Deus justitiæ meæ*, hoc modo *exaudivit* dando justitiam quam petebam. Revera, o Deus, dedisti mihi justitiam; quia *in tribulatione dilatasti mihi* et quia *exaudisti me* justificando, miserum conservando, scilicet ut nil orem nisi quod dignum sit, quemadmodum Paulus qui oravit quod non debuit, propter quod dictum est ei ; *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* xii). Et quia Deus *exaudivit me* eum invocantem, ergo et vos exaudiet, si eum invocaveritis. Propter quod dico : *Filii hominum*, scilicet Adam et Evæ in vetustate et in originalibus vitiis perseverantes, nolentes fieri Dei, *usquequo*, id est quandiu. Jam venit Filius Dei qui vos filios suos quærit fecere, usque ad ejus adventum de ignorantia quodammodo fuistis excusabiles, nunc autem minime : *gravi corde*, scilicet eritis ? Quamdiu amabitis hæc terrena ? quæ (ut ait beatus Gregorius) pondus sunt, non subsidium, quia potius a vera beatitudine vos retrahunt quam eo perducant : *ut quid diligitis vanitatem ? Ut quid*, id est, in quantum *diligitis vanitatem*, id est hæc temporalia bona quæ sunt vanitas, id est, tantum umbra veri boni : et non solum *diligitis*, sed etiam *quæritis mendacium*, scilicet hæc eadem terrena quæ, cum umbra sint tantum veri boni, mentiuntur, quia non solvunt quod promittunt. Opes non dant sufficientiam, honores non solvunt potentiam, et cætera ad eumdem modum, et tamen videntur hoc promittere. At quid ergo, id est, ad quod commodum, *diligitis vanitatem, quæritis mendacium* ? Aliter, *filii hominum*, ac si dicat : De aliis non est mirum si non invocant, cum non sint *filii hominum*, sed potius filii eorum qui se denominaverunt. Vos autem Judæi, qui estis *filii hominum*, id est, patriarcharum et prophetarum per doctrinam, qui vere homines fuerunt quia ratione usi sunt, et qui vobis Dei cultum multis modis insinuaverunt : *usquequo gravi corde* eritis ? quid ultra expectatis ? Jam venit ille quem patres vestri vobis prædixerunt, scilicet ego. *Venite, filii, audite me* (*Psal.* xxxiii), *ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium*, dicentes, *Messias nondum venit ?* Quasi dicat, nolite diligere vanitatem, et nolite quærere mendacium, et mirificabit vos Dominus.

Et ut hoc credatis verius, *scitote*, id est nolite dubitare, *quia mirificavit Dominus*, id est, miro modo clarificavit faciendo de mortali immortalitatem me *sanctum suum*, in hoc *sanctum*, id est, purum, quia non dilexi *vanitatem*, et non quæsivi *mendacium*. Ita et vos, si hæc non quæsiveritis, clarificamini. *Dominus exaudiet me*. Ac si dicat : Imitamini me, quia sum vobis non solum exemplum, sed adjutorium. Quia *invocavi*, id est digne vocavi Deum, *exaudiet me*, quia jam clarificavit ; et *exaudiet me, cum clamavero ad eum*, etiam pro vobis. Quasi dicat, quid faciemus ut et nos exaudiamur ? *Irascimini* præteritis peccatis, et *nolite peccare*, quia non sufficit deflere peccata quæ gessimus, nisi postmodum deflenda non admittamus. *Quæ dicitis*, id est, cogitatis *in cordibus vestris* : in *cordibus* ea tantum dicite, et non cogitanda non erumpant in factum. Et tamen, quia peccatum est in corde etsi non venit ad actum, *in cubilibus vestris*, id est, in corde *compungimini*, id est, ipsam etiam conscientiam peccati emendate per pœnitentiam, id est, pœniteat vos et cogitasse. Aliter : *Irascimini*, id est, ira vos concutit : sit tantum, et non commotio animi, et non etiam factum hoc est, *et nolite peccare*. Et quia non solum ira ad peccatum nos impellit, ideo subdit : *Quæ dicitis*, id est, quæcunque alia vitia præter iram *dicitis in cordibus*, quæ sint digna pœnitentia, *in cordibus* tantum dicite, id est, cogitate, et non exeant ad operationem ; et tamen de his vitiis quæ tantum in cogitatione sunt, etsi levia sint, in *cubilibus*, id est, *in cordibus vestris* de his *conpungimini*, scilicet conterite caput serpentis, sicut dictum est Evæ et serpenti : *Tu conteres caput illius, et ipse insidiabitur calcaneo tuo* (*Gen.* iii). Caput serpentis est initium peccati, id est suggestio diaboli. Illam debemus conterere compunctione et oratione, dum est parvula, ne crescat usque ad actum. Unde illud : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* (*Psal.* cxxxvi). Per *calcaneum* accipitur consummatio peccati, quia hoc maxime observat diabolus, ut perficiamus : ad hoc insidiatur ad hoc laborat. Notandum quod non dicit, *Nolite irasci*, quia hoc non est nostræ potestatis : ex pœna enim peccati hoc habemus ut carnalitas nostra diversis concupiscentiis subjaceat.

Sed habemus rationem mentis quæ has refrenet, ne usque in actus prorumpant. Ait enim Apostolus: *Ego autem mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* vii). Et si usque ad actus perducantur, quomodo corrigantur? Et hoc modo, ut supra dictum est : *Sacrificate sacrificium justitiæ*, scilicet puniendo in vobis iram et alia vitia, per singula vitia quasi singulas victimas mactate Deo, amputando superbiam, taurum; amputando lasciviam, hædum; amputando libidinem, hircum : ita et in aliis. Et hoc est *sacrificium justitiæ*, cum nos ipsi punimus vitia nostra judices in nobis ipsis constituti. Et sic sacrificando *sperate in Domino*. Nam qui non sacrificat non speret. Hic canticum psalmi aperitur. Aliter : *Irascimini* ultionem sumendo de peccatis jam perpetratis, et *nolite* ultra *peccare*. Et post abnegationem vitiorum *sacrificate sacrificium justitiæ* ; id est, recte vivite. Et sic *sperate* præmium laboris vestri, tamen in Domino, ut ipse sit præmium, non aliud. Vos qui sic vivitis, *sperate* æterna præmia. Nam sunt multi qui

non sperant, dicentes : *Quis ostendit nobis bona?* scilicet illa quæ promittis. Qui ascendit in cœlum qui illa videret et nobis renuntiaret? aut quis ostendet nobis mala, scilicet illa tormenta quæ dicitis esse apud inferos? Frustra hoc dicunt, quia tu, Domine, ostendisti nobis dando nobis rationem ad similitudinem tuam. Nam *signatum*, id est, sigillatum, et in ipso sigillo Spiritus sancti, *est super nos lumen vultus tui, Domine*, id est, lux illa quæ imaginem tuam in nobis facit apparere. Vel *lumen vultus tui*, id est claritas imaginis tuæ quæ in nobis obscurata est in Adam, scilicet vera ratio, qua tibi similes sumus, antecedente sigillo sancti Spiritus in nobis reformata est. Et hoc est quod sequitur : *Dedisti lætitiam*, id est Spiritus sancti gratiam *in corde meo*, quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v). Aliter : *Dedisti lætitiam in corde meo*, signando *lumen vultus tui*, id est rationem super nos, id est, in superiori nostro, scilicet in anima: *dedisti*, id est, ostendisti mihi tuam *lætitiam*, scilicet æternam beatitudinem, non foris quærendam, sed *in corde meo*, id est, in sola spe, et nondum in re. Illi autem qui dicunt, *Quis ostendet nobis bona,* ideo ignorant hanc beatitudinem, quia *multiplicati sunt*, id est, multis impliciti, et multis sollicitantur. *A fructu*, id est utilitate sui *frumenti*, non tui, scilicet Christi de quo dicitur : *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet* (*Joan.* XII). *Ego sum panis vivus* (*Joan.* VI). Sui *vini*, non tui. Vinum Domini imitatio passionis Christi, de quo corpus fidelium denuntiat, ut corpus beati Laurentii et aliorum multorum. *Quia calix Domini inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII). *Et olei* sui, non tui. Oleum Domini est gratia Spiritus sancti. Oleum autem peccatorum carnis delectatio vel adulatio. Per hæc tria, frumentum, vinum, oleum, quæ adversum carnis præcipitia sunt cætera carnalia intelliguntur. Ego autem perfecta Ecclesia, quia beatitudinem meam in his non quæro, *dormiam* in hac vita secundum oblivionem omnium temporalium negotiorum. *In pace*, id est, in appetitu æternorum bonorum quæ sunt pax, quia ibi nulla tumultuantur vitia : *pace*, dico, tendente *in ipsum*, scilicet ubi aliud non sequitur nisi ipsa pax. *Et* postea *requiescam* sancta in æterna quiete, *cum mortale hoc induet immortalitatem, cum novissime inimica destruetur mors* (*I Cor.* XV). Causa quare hic *dormiam* et post *requiescam*. *Quoniam tu, Domine, constituisti me singulariter in spe*, id est, in sola spe hæreditatis meæ, scilicet ut non foris quærerem beatitudinem meam in his transitoriis.

PSALMUS V.

IN FINEM PRO EA QUÆ HÆREDITATEM CONSEQUITUR. PSALMUS DAVID.

« Verba mea auribus percipe, Domine, intellige « clamorem meum. Intende voci orationis meæ, rex « meus et Deus meus. Quoniam ad te orabo, « Domine, mane exaudies vocem meam. Mane « astabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens

A « iniquitatem tu es. Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos « tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, « perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum « sanguinum et dolosum abominabitur Dominus : « ego autem in multitudine misericordiæ tuæ in« troibo in domum tuam, adorabo ad templum « sanctum tuum in timore tuo. Domine, deduc me « in justitia tua propter inimicos meos, dirige in « conspectu tuo vitam meam. Quoniam non est in « ore eorum veritas, cor eorum vanum est. Sepul« crum patens est guttur eorum, linguis suis do« lose agebant : judica illos, Deus. Decidant a cogi« tationibus suis, secundum multitudinem impie« tatum eorum expello eos, quoniam irritaverunt

B « te. Domine. Et lætentur omnes qui sperant in te, « in æternum exsultabunt, et habitabis in eis. Et « gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, « quoniam tu benedices justo. Domine, ut scuto bo« næ voluntatis tuæ coronasti nos. »

ENARRATIO.

In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur. Psalmus David. In hoc psalmo figurate intelligitur quod olim historialiter est actum in Sara et Agar, una libera, altera ancilla (*Gen.* XXI ; *Gal.* IV) : libera cum filio hæreditatem accepit. Agar ancilla cum filio hæreditate privata est. Per Saram liberam et filium ejus catholica significatur Ecclesia : per Agar ancillam et filium ejus ecclesia malignantium, falsorum Christianorum et hæreticorum significatur

C et ejus proles qui, quamvis ab Abraham, id est, Christo, generati sunt secundum baptismum et quædam alia sacramenta, tamen non consequentur hæreditatem, cum exigentibus eorum pravis meritis generatio illa magis in servitutem quam in libertatem vergat. Titulus sic exponitur : Psalmus iste, id est, præsens exhortatio bonæ operationis est David, id est, Christi dirigentis in finem, id est in consommatum bonum eos quos hortatur pro ea, id est, catholica Ecclesia quæ hæreditatem consequitur a qua hæreditate contraria pars exterminabitur. Est autem hujus psalmi intentio proponere exemplum eorum qui ad hæreditatem perveniunt, et eorum qui ea privantur, ut discant qui ad hæreditatem vocantur quos imitari debeant, quos fugere et quomodo illuc pervenire. Ecclesia catholica ten-

D dens ad promissam hæreditatem, id est, ad æternam beatitudinem, cernens multa impedimenta in via, id est, in hac vita, timens ne non perveniat, invocat auxilium ejus qui est via illuc, ductor et ipsa hæreditas (*Joan.* XIV).

Verba mea auribus percipe, Domine. Ut dignus sit exaudiri orat quanto affectuosius valet. *O Domine*, hoc ideo quia ego servus tuus, *verba mea*, ideo mea quia cordi consona, scilicet perfecta, *auribus percipe*, id est, ne dedigneris audire. Non hoc dicitur quod sit circumscriptus, quia audire Dei non est aliud quam nutum suæ voluntatis evidenter ostendere, sed ex humana consuetudine hoc dictum est

qui verba quibus aures adhibent auditu digna ostendunt. Vel, *auribus percipe*, id est, tu qui habes vim percipiendi sensualia, judica verba mea an sint digna exauditione, *intellige clamorem meum*. Quanto major est clamor quam verba, tanto majus est intelligere quam auribus percipere. Quasi dicat : Mea valida postulatio te ad misericordiam inclinet, scilicet ut efficias quod peto, quia tuum intelligere facere est. Adhuc majus postulat : *Intende voci orationis meæ*. Quia ego intense et sine irremissione clamo, ideo et tu intende, id est irremisse exaudi. Aliter : quia sine tuo auxilio nihil possum, *intende voci orationis meæ*, id est, irremissam fac ut et tu irremisse exaudias. Tu enim jubes quod vis, et facis quod vis. *Orationis meæ*, quæ sit de profectu virtutum, et per hoc possumus accipere superius et *clamorem* pro gemitu, quia rex meus es, quia tu me regis : vel, quia alium regem nolo habere voluntate propria nisi quem habeo Deum natura, ne devium, a via justitiæ, *et Deus meus*, id est, virtus mea: Deus virtus est, et qui orat, id est, virtutes quærit, Deum quærit et merito illius Deus dicitur δέος, *timor*, inde Deus, quia timor Deum cognoscere facit. Vel, *rex meus*, Christe, *Deus meus* Pater, id est, Creator meus. Et revera intendes, quoniam et clamavi et semper clamabo in me et in posteritatibus meis usque ad consumationem sæculi, et hoc est, *quoniam orabo, o Domine*, et *ad te*, ut tota mea oratio ad te dirigatur, ut tu sis modus petitionis meæ, et quia te et *ad te orabo*, *exaudies vocem meam* non nocte, sed *mane*. Tota hæc vita quasi nox est, quia multis et magnis ignorantiæ et vitiorum tenebris involvitur. Transacta hæc corruptili vita, *cum mortale hoc induet immortalitatem* (*I Cor.* XV), veniet mane, id est initium diei nunquam deficientis. *Tunc* enim *fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII), claritate virtutum splendidi, nullam maculam corruptionis habentes. Hoc modo exaudies, quia *mane* id est, remotis ignorantiæ et totius corruptionis tenebris, luce virtutum et immortalitatis splendidus, *astabo tibi*, assidue tecum stabo. Quod hic non est. Stamus enim hic cum Deo, sed non astamus, quia appropinquamus bene vivendo, male autem vivendo ab eo recedimus. Vel *astabo tibi*, id est tuæ cognitioni prope stabo : *quia nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII). Et tunc cum ero jam totus lucidus, non habens maculam neque rugam, *videbo* scilicet aperte. *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII). Vel, *mane*, id est, tempestive et sine dilatione *exaudies vocem meam* in hac vita præceptis tuis consulendo, et vires administrando ne deficiam in via. Et merito me tempestive *exaudies*, quia ego *mane astabo tibi*, id est, tempestive, ut ille qui avidus est ad laborem summo mane incipit. *Mane* incipiam et *astabo tibi*, id est, assiduus ero. Revera *mane astabo tibi*, quia non nocte, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Et hoc est quod dicit : *Neque habitabit juxta te malignus*. Ac si dicat : Soli justi hanc hæreditatem consequentur, quia injusti privabuntur ea (*Deut.* IV ; *Heb.* XII). *Malignus*, id est immundus detractor, odiosus, in cujus corde sola malitia habitat. *Non habitabit juxta te* ut habeat hæreditatem, quia tenebræ non possunt manere juxta lucem. Et cum tu sis ignis consumens, non potest tibi adhærere. *Si quis enim ædificaverit supra fundamentum hoc, lignum, fenum, stipulam, omne hoc quale sit ignis probabit* (*I Cor.* III). *Neque injusti*, id est, operarii iniquitatis, scilicet Judæi, hæretici et alii falsi Christiani, *permanebunt ante oculos tuos*, quia eorum pœnitentiam misericorditer exspectas, quia fidei et sacramentorum cum fidelibus tuis participes esse concedis, sed non *permanebunt*. Aliter: per malignum, Judæum male lege utentem ; per injustos, falsos Christianos possumus accipere. Vel per malignum, diabolum ; per injustos, membra ejus. Et ne quis ideo desperet, quia malignos et injustos hæreditate privavit, cum vix sit aliquis qui penitus vitio careat in hac vita, ideo determinat de quibus dicat, consolando justos *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*. Magna Dei misericordia non odit illos qui operati sunt, sed *qui operantur*, id est, qui perseverant. Bene, *odisti* : quia qui odit aliquid vel ab eo recedit, vel a se illud separat, sic et Deus impios, non quod odium sit in eo. Potest et sic accipii ut per malignum universaliter accipiamus omnem iniquum sive paganum, sive Judæum, sive falsum Christianum, qui omnes quasi unus sunt in iniquitate, et ad hos sit redditum, *Omnes qui operantur iniquitatem*. Per injustos, possumus accipere hæreticos, qui etiam pluraliter inducuntur propter diversas sectas. Et de his dicitur : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, non qui locuti sunt. Quanto majus est perdere quam odio habere, tanto majus est peccatum mentiri quam male agere non qualicunque mendacio, sed mendacio quod semper in actu est, ut hæreticorum. Potest Deus aliquem odio habere qui tamen vivat. Quem vero perdit ad nihilum redigitur. Sunt enim quædam mendacia satis venialia, ut ea quæ fiunt pro ludo, pro aliorum vita conservanda et aliis multis modis, sed qualitercunque fiat peccatum est. Bene dicit, *perdes* quia Deus vera essentia est. Qui autem mentitur, illud dicit quod non est, et esse non esse penitus destruit. Quam magnum sit peccatum hæreticorum ostendit, vocans hæreticum *virum sanguinum*. Merito, quia fundit sanguinem animarum, id est, fidem qua vivunt animæ justorum. *Justus enim meus ex fide vivit* (*Rom.* I ; *Hebr.* II). Ideo hæreticorum mendacium majus est aliis peccatis, quia alia peccata solum illum qui agit occidunt: hoc autem et illum qui mentitur, et omnes quos in errorem mittit. Quem *virum sanguinum*, eumdem dicit : *virum dolosum* duabus de causis : vel, quia aliud habet in corde et aliud in lingua, cum sciat non esse verum quod dicit, et tamen quadam præsumptione verum asserere conatur. Non enim ignorantia hæreticum facit, sed jactantia. Vel ideo *dolosum*, quia admiscet vera

falsis, ut eo facilius fallere possit. Aliter: *virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Si volumus superius accipere generaliter dictum, *odisti omnes qui operantur iniquitatem*, erit probatio in parte, quia et *virum sanguinum*, id est, homicidam *abominabitur Dominus : pedes omnes qui loquuntur mendacium*, quia non solum *virum dolosum* mentitur, sed etiam illum qui veritatem dicit ut decipiat, ut qui planam viam ostendit ut in turbam prædonum mittat. Isti omes exhæredabuntur. *Ego autem*, catholica Ecclesia, *introibo in domum tuam* cœlestem Jerusalem, scilicet supernorum civium societatem. *Introibo*, ut lapis in ædificium : *in multitudine misericordiæ tuæ*, id est, non in meis meritis. Ideo *in multitudine*, quia magnum est introire vel cum multis quos misericordia tua introire faciet : ideo *introibo*, quia *adorabo* prius. Hic exponit illud *adorabo*, scilicet *ad templum sanctum tuum*, vel ut perveniam *in timore tuo*, scilicet casto, non fornicario quem *charitas foras mittit* (*I Joan.* IV). Hoc modo *orabo* : *Domine, deduc me in via tua*, quia in via sum, id est, in provectu, fac me ire de virtute in virtutem : hoc est, *in justitia tua*, non mea substantia, *dirige viam meam*, id est, vitam meam *in conspectu tuo*, ut tuis oculis sit digna : vel viam tuam, id est, mandata tua fac, ut ea recte intelligam. Et fac *propter inimicos meos* hæreticos, quia in illa via mihi insidias ponunt. Ideo *dirige vias meas*, *quoniam non est in ore eorum*, id est, in verbis eorum *veritas*. In verbis ideo non est *veritas*, quia *cor eorum vanum est*, id est, non habent veritatem, vel vanum, id est, per elationem annihilatum, tractum a fumo qui quanto altius ascendit tanto magis evanescit. Ut illud, *Dicentes enim esse sapientes, stulti facti sunt et evanuerunt in cogitationibus suis* (Rom. I). *Sepulcrum est patens guttur eorum*, eorum, id est, doctrina eorum similis est amplo et profundo sepulcro, quod uno cadavere recepto non clauditur, sed semper patet ut devoret, sempor fetorem emittit nocuum. *Linguis suis dolose agebant*, non tuis, o Deus, quia ad hoc eas eis dedisti ut veritatem loquerentur. Ideo *suis* quia ad mendacium eis utuntur. *Dolose agebant*, id est, deceptorie *agebant*. Bene, *agebant*, quia imperfecte, interdum vera, interdum falsa proferendo. Et quia tales sunt *judica illos Deus*. Hoc potest legi et in bonum et in malum. In bonum : *o Deus, judica illos*, id est, damna eos tales quales se fecerunt, scilicet damna in eis vitia eorum, id est, *decidant a cogitationibus suis*, id est, ipsa eorum conscientia accuset eos, vel separentur a pravis cogitationibus suis. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine*, id est, secundum multas miserationes tuas deleatur multitudo peccatorum eorum. Ideo cadant *a cogitationibus suis*, quoniam pravæ sunt, *quoniam irritaverunt te, Domine*, id est, irritum duxerunt, dum conati sunt legem tuam destruere : vel *irritaverunt*, id est, te, dulcissimum cibum naturaliter, sibi et aliis insipidum fecerunt. Febricitanti etenim palato dulcis cibus insipidus fit. *Et* prius conversione inimicorum *lætentur omnes qui sperant in te. Lætentur* hic in spe, et post *in æternum exsultabunt*, id est, plenarie gaudebunt, cum duplicem stolam immortalitatis accipient. Et bene dixit prius *lætentur*, et post *exsultabunt*, quia lætitia est animi, exsultatio vero corporis. A *salto*, inde exsulto : et fideles prius lætantur de resurrectione animæ, quæ est prima stola, et post plenarie gaudent de resurrectione corporis, quæ est secunda stola. *Et* merito *exsultabunt*, quia tu *habitabis in eis*.

In malum sic potest accipi quod dictum est, *Judica illos, Deus.* Quia incorrigibiles sunt et tuis fidelibus multum nocent, *o Deus, judica illos*, id est, damna, separa paleas a granis. Et hoc non optando dicit Ecclesia, sed prophetando. Judica, id est, damna et hic et in futuro. *Decidant a cogitationibus suis* in hac vita, id est, propter pravas cogitationes suas in quas ceciderunt pravis meritis suis præcedentibus. *Decidant*, id est, in deteriora cadant de errore in errorem corruendo, et in futuro expelle eos ab hæreditate sua *secundum multitudinem impietatum eorum*, id est, multum *expelle*, quia multæ sunt impietates eorum. *Quoniam irritaverunt*, id est, spreverunt quasi vile quid te, Domine, qui es Dominus omnium. Et postquam separata erit palea a grano, tenebræ a luce, *lætentur* adepta hæreditate *omnes qui sperant in te*, non in alio, et merito *lætentur*, quia *in æternum exsultabunt*, ut prius dictum est. Ideo *exsultabunt* quia *habitabis in eis*, qui modo habitas in eis per operantem gratiam, inhabitabis tunc secundum præsentiam et manifestationem tui ipsius : *Et* quod majus est, *gloriabuntur in te*, id est, perfectam gloriam se adeptos videbunt in te summum bonum. *Omnes qui diligunt* scilicet modo, *nomen tuum*, id est Dominus. Dominus nomen est illi. Illi hoc namen diligunt qui Deo voluntarie serviunt. Ideo *gloriabuntur, quoniam tu benedices justo*. Bene *justo* : omnes enim unum sumus in Christo, id est. angebis et multiplicabls omnem gratiam et omnes virtutes, quia quod modo habent in spe tunc habebunt in re, nunc ex parte, tunc perfecte. Revera, *gloriabuntur in te*, o *Domine*, et non in alio, quia tu *coronasti nos*, id est, circumvallasti et munisti quasi corona militium, *scuto*, id est protectione *bonæ voluntatis tuæ :* vel *coronasti nos* post victoriam, non meritis nostris, sed *ut scuto bonæ voluntatis tuæ* prævenisti voluntatem nostram, quia tu dedisti velle dedisti et perficere : tu enim operaris in nobis per gratiam tuam, et opus misericordiæ tuæ in nobis coronas.

PSALMUS VI.

IN FINEM IN CARMINIBUS PRO OCTAVA, PSALMUS DAVID.

« Domine, ne in furore tuo arguas me, neque « in ira tua corripias me: Miserere mei. Domine, « quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quo« niam couturbata sunt ossa mea. Et anima mea « turbata est valde : sed tu, Domine, usquequo ? « Convertere, Domine, et eripe animam meam : « salvum me fac propter misericordiam tuam. Quo-

« niam non est in morte qui memor sit tui : in in- « ferno autem quis confitebitur tibi ? Laboravi in « gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum « meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Turba- « tus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes « inimicos meos. Discedite a me, omnes qui operamini « iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fle- « tus mei. Exaudivit Dominus deprecationem meam, « Dominus orationem meam suscepit. Erubescant « et conturbentur vehementer omnes inimici mei : « convertantur et erubescant valde velociter. »

ENARRATIO.

Psalmus David pro octava in finem in hymnis : octavus accipitur *dies judicii*. Quidam, perverse intelligentes, septem millia annorum pro septem diebus accipiebant et post, sequi octavum, id est, judicii diem, et sic diem judici certum se invenisse putabant. Quibus hæc verba Domini contradicunt : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I), et alia multa : potest autem sic intelligi : Ex quo omnia cœperunt quæ variationibus subjacent, totum illud tempus septem diebus volvitur, ideo tota hæc vita in septenario potest accipi. Transacta hac rerum vertigine, sequitur octava, in qua non erit opus varietate temporum, quia dies illa non variabitur, nec vertetur in tenebras. Aliter : sex diebus operatus est Dominus. In creatura uniuscujusque potest accipi etiam unius diei spatium in qua operari licet. Septima dies accipitur spatium illud quod est inter transitum hujus vitæ et communem resurrectionem. Octava dies est resurrectionis. Aliter : duæ sunt generationes, una carnalis, altera spiritalis. Carnalis generatio fuit a primo homine usque ad Christum. Hæc fuit prima, carnaliter vixit, quamvis in ea aliqui spirituales fuerunt, ut Abraham, Isaac et Jacob, qui in Spiritu sancto Deo servierunt, tamen carnales dicti sunt, quia carnales observationes acceperunt, et in umbra fuerunt. Spiritalis generatio accipitur fidelium ab adventu Christi usque in finem sæculi, quæ generatio spiritalis dicitur, quia vivit in nomine spiritus et non in vetustate litteræ (*I Cor.* xv), et hæc est secunda generatio. Prius enim carnale, deinde quod spiritale (*Rom.* VII). Hæ duæ generationes referuntur ad septenarium numerum, qui constat ex quatuor et tribus. Quatuor referuntur ad primam generationem, quia carnaliter vixit, quia caro constat quatuor elementis. Ternarius ad tres animæ potentias refertur. Est enim rationalis, irascibilis, concupiscibilis. Rationem habet ad discernendum inter appetenda et non appetenda ; deinde concupiscentiam, ut sciat bona concupiscere ; iram, ut sciat malis irasci. Sed quia ex affinitate corporis hæc sæpe hebetantur, ideo adhibetur doctrina ad illuminandam rationem, virtus ad refrenandam nimiam iram et nimiam concupiscentiam. Post hunc septenarium veniet dies octavus, in quo remunerabitur quisque bene usus hoc septenario, in corpore et anima ad gloriam, male vero usus ad pœnam. Psalmus, id est, bona operatio hujus psalmi, est David id est, Christi in corpore suo. David, dico dirigentis in finem, et est hæc actio pro octava, id est, pro exspectatione judicii, et est accipienda in hymnis, quia bene hymnizat Deo fidelis anima, cum per pœnitentiam se affligit. *Gaudium* etenim *est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* xv). Est autem in hoc psalmo vox cujusque infirmi fidelis, considerantis octavam illam, id est, tremendam diem judicii ad quam omnes venient judicandi, alii ad beatitudinem, alii ad pœnam, et suo exemplo alios ad pœnitentiam et vocationem divinæ misericordiæ hortantis. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua tua corripias me.* Te invoco, qui es Dominus omnium. Scio quia venies judicaturus alios in furore, et alios in ira tua ; rogo te, ut hic me judices dum tempus est misericordiæ et dies salutis. Sicut furor major est quam ira, quia ira brevis, furor est longus ; ita arguere majus est quam corripere. Sæpe qui arguuntur accusantur : accusationem sequitur damnatio, correctio fit ad emendationem ; et quia in futuro judicio alii arguuntur in furore (non quod furor cadat in Deum furor enim est magna animi commotio ad vindictam), scilicet quia gravi supplicio : duplici enim contritione conterentur (*Jer.* XVII) alii in ira, ut qui supra fundamentum fidei ædificaverunt lignum, fenum, stipulam, salvabuntur ; quod sic tamen, quasi per ignem (*I Cor.* III) ; o Domine, antequam ad judicandum venias, dum tempus est misericordiæ *miserere mei*, id est misericorditer, me hic corripe, et opus est, *quoniam infirmus sum.* Delictum primi parentis pœnam contraxit magnæ infirmitatis in omnes posteros. *Non enim quod volo, hoc ago ; sed quod odi malum, illud facio* (*Rom.* VII). — *Infirmus sum*, non solum in corpore, sed etiam in anima. Et hoc est quod dicit : *Sana me, Domine*, qui es animarum medicus, *quoniam conturbata sunt ossa mea*, id est, virtutes quæ sunt animæ robur vel carnalitatis, conturbatæ sunt, id est, confusæ et obscuratæ ex infirmitate illa quam a primo parente contraxi. Et ne quis ossa corporea acciperet, exponit quid per ossa velit intelligere. *Et anima mea turbata est valde.* Aliter : quia infirmus sum in carne, infirmus in virtutibus, ideo anima mea turbata est valde ad compunctionem et ad gemitum. Et quia ego ad pœnitentiam turbatus sum, *tu, Domine, usquequo* turbaris ? et quandiu differs sanare ? Medicus ægroto confitenti suam infirmitatem medicinam negare non debet. Ne ultra turberis, vel ne differas misereri, potius *convertere, Domine ;* sicut aversus fuisti avertenti, ita convertere convertenti. Deus nec avertitur, nec convertitur ; sed ejus conversio miserationis est ostensio, sicut aversio cum misericordiæ subtrahit manum. *Et eripe animam meam*, hærentem vepribus carnalium delectationum. Et ereptum *salvum me fac*, id est, da perseverantiam in bono, ut bonus medicus qui sanatum conservat, ostendendo quid vitare et quid sumere conveniat. *Propter misericordiam tuam*, non meritis meis. Non habeo aliud pretium. Ideo eripe, ideo salva, ut

memor sim tui, id est, ut laudem te. Nam si hoc non feceris, non laudabo. Nam ero in morte, quia *non est in morte qui memor sit tui* (*I Petr.* II). Aliter: Ideo libera scilicet animam meam a carnalibus desideriis, quæ militant adversus eam, quoniam, si non eripias, interficient me, id est, separabunt a te, qui est vita mea; et si mortuus, non ero memor tui, ut redeam ad pœnitentiam per confessionem. Ideo post eruditionem, id est, post pœnitentiam conserva, ne iterum lapsus, in profundum vitiorum recidam, ubi jam desperatio est. Et hoc est quod dicit: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Aliter: *eripe animam meam,* sed modo dum tempus est misericordiæ, ne in peccatis moriar, quia in morte non est qui memor sit tui ad pœnitentiam. *In inferno autem quis confitebitur tibi,* ita ut exaudias? Nullus. Ibi enim infructuosa est pœnitentia, ut illius divitis, *Pater Abraham, miserere mei* (*Luc.* XVI). Vel *confitebitur,* id est, nullus laudabit te. Aliter: *eripe, salvum me fac:* quia non sum in morte, id est, in perseveratione peccati, et tui contemptu. *Peccator cum in profundum venerit, contemnit* (*Prov.* XVIII). Quod ostendo per hoc quia memor sum tui, id est, quia oro ad te: quod per repugnans ostendo: *Non* enim *est in morte qui memor sit tui.* Ego dico quod non sim in morte, ideo quia memor sum tui, qui in inferno multo minus sum: *in inferno,* id est, in desperatione, quæ omnibus peccatis inferior est. Quod ostendo per hoc, quia confiteor tibi miseriam meam, et peccatum meum, non tuum. Nam quis desperatus confitebitur tibi, id est, ad honorem tuum, te removendo a culpa, sicut ego facio? In desperatione enim positi, confitentur aliquando peccata sua non tibi, sed contra te, cum dicunt se tales a te creari debuisse, ut peccare non possent, et sic quodam modo se justos judicant, et accusant. Aliter: *eripe,* libera, quia non sum in morte, id est, non sum mortuum membrum, cui non est opus medicina. Quia memor sum tui, id est, misericordiæ tuæ cognosco te medicum, cognosco te misericordem, ego dixi, Libera, *salvum me fac propter misericordiam tuam;* et tamen in quantum valeo, volo promereri. Quia *laboravi in gemitu meo,* id est, studiose ingemui, et non solum laboravi, *lavabo per singulas noctes lectum meum:* lavabo, id est, purificabo per gemitum lectum meum, id est, conscientiam meam, scilicet omnia illa emendabo quæ intus commissi. Conscientia accipitur pro lecto, quia ibi quisque quiescit, id est, consentit vel legi Dei vel legi peccati: vel quia ibi est justorum requies. Ad hoc enim purgatur a sordibus vitiorum, ut ibi sit placida et pura quies animæ. *Per singulas noctes,* id est, per singulas malas cogitationes; vel *lectum meum,* id est, delectationes carnales. *Per singulas noctes,* id est, per singula vitia in quibus delectatus sum. Et non solum conscientiam vel delectationem, cui consentit spiritus, sed etiam *stratum meum,* id est, inferius meum, quod semper animo subjacere debet, *lacrymis meis* exterioribus *rigabo,* velut hortum, ut aptum fiat fructificare Deo: vel corpus stratum dicitur, quia ab infirmo animo varie versatur. *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus* (*Psal.* XL). Tanti laboris causam subdit: *Turbatus est oculus meus,* id est, ratio vel mens: ille scilicet oculus qui multis corporalibus oculis dignior est. Ratio enim discernere facit mala a bonis, damnationem a salvatione. Illa turbatur, cum futuram damnationem prævidet, et nos illam meruisse considerat. *A furore,* id est, a damnatione futuri judicii in octava: vel *a furore,* id est, pœna quam accipimus in primo parente: vel *a furore,* quia non in mansuetudine et patientia judico et in me et in aliis, sed in ira. Ideo interior oculus turbatus est, cernens furorem tuum venturum in octava. Quia *inveteravi inter omnes inimicos meos.* Non solum veteravi, sed etiam *inveteravi,* id est, valde vetus factus sum per consuetudinem et perseverantiam peccatorum inter omnes inimicos meos, ita ut omnium pecccatorum eorum particeps factus sim. Vel *inveteravi,* id est, qui membrum novi hominis esse cœperam per fidem et innocentiam, in membrum veteris hominis redactus inter omnes inimicos meos ut unus sim omnium peccatorum, qui mihi prius inimici fuerunt. Vel *inveteravi,* id est, factus sum ut valde vetus vestimentum, quod nec usui, nec ornamento aptum est, mihi usui, Ecclesiæ ornamento per doctrinam. Fidelis anima considerans magnam Dei misericordiam qui dicit: Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat; et: In quacunque die peccator conversus ingemuerit, salvus erit (*Ezech.* XVIII); post veram peccati confessionem non dubitat se exauditam, ita exsultando dicens: *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Ita et vos, quicunque exaudiri vultis, date vocem fletus. Vos autem *qui operamini iniquitatem,* id est, qui confiteri ea non vultis, sed in eis perseveratis, *Discedite a me* hic affectione, post autem et corpore, scilicet in octava. Ostendat quomodo exaudita sit: *Exaudivit Dominus deprecationem meam,* quæ fuit pro peccatis: ut illud, *Domine, ne in furore tuo. — Dominus orationem meam suscepit,* scilicet quæ fuit pro perseverantia in bono, ut illud: *Salvum me fac propter misericprdiam tuam. — Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei.* Hoc potest legi et in bonum, et in malum. In bonum, ita: quia ergo per erubescentiam peccatorum et dignam compunctionem exaudiri merui, ideo hortor omnes inimicos meos, ut rocognoscant peccata sua, ad quem finem tendant. Nam *finis illorum mors est* (*Rom.* VI). Et erubescant se ea perpetrasse, et post verecundiam conturbentur ad compunctionem et pœnitentiam; *convertantur,* scilicet ad Dominum: et *erubescant,* non dilatione aliqua, sed *valde velociter.* In malum, ita: *Erubescant omnes inimici mei,* et conturbentur nunc jam judicati, excæcati, et dati in reprobum sensum; vel *erubescant,* in illa octava, pro erubescent; non op-

tio, sed prophetatio et divinæ sententiæ aggratulatio est, cum viderint nos esse in gloria, dicentes : *Hi sunt quos habuimus in derisu* (*Sap.* v), et conturbabuntur timore magno, id est vehementer : *convertantur* postea ad videndum sua tormenta, *et* hunc *erubescant* æterna erubescentia ; et hoc *valde velociter*, id est, sine dilatione.

PSALMUS VII.

IN FINEM PSALMUS DAVID, QUEM CANTAVIT DOMINO PRO VERBIS CHUSI FILII JEMINI.

« Domine Deus meus, in te speravi ; salvum me « fac ex omnibus persequentibus me, et libera « me. Nequando rapiat ut leo animam meam, dum « non est qui redimat, neque qui salvum faciat. « Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas « in manibus meis, si reddidi retribuentibus mi« hi mala, decidam merito ab inimicis meis ina« nis. Persequatur inimicus animam meam et com« prehendat, et conculcet in terra vitam meam, « et gloriam meam in pulverem deducat. Exsurge, « Domine, in ira tua, et exaltare in finibus inimico« rum meorum. Et exsurge, Domine Deus meus, « in præcepto quod mandasti, et synagoga populo« rum circumdabit te. Et propter hanc in altum re« gredere : Dominus judicat populos. Judica me, « Domine, secundum justitiam meam, et secundum « innocentiam meam super me. Consumetur ne« quitia peccatorum, et diriges justum, scrutans cor« da et renes Deus. Justum adjutorium meum a Do« mino, qui salvos facit rectos corde. Deus judex « justus, fortis et patiens, nunquid irascetur per « singulos dies ? Nisi conversi fueritis, gladium « suum vibrabit : arcum suum tetendit, et paravit « illum. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas « ardentibus effecit. Ecce parturit injustitiam, con« cepit dolorem, et peperit iniquitatem. Lacum « aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam « fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in « verticem ipsius iniquitas ejus descendet. Confi« tebor Domino secundum justitiam ejus, et psal« lam nomini Domini altissimi. »

ENARRATIO.

In finem psalmus David, *quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini* (*II Reg.* XVI *et* XVII). Cum Absalon persequeretur David, erat quidam Achitophel cujus dolis instruebatur ad omne malum. Quidam autem Chusi, amicus David, contulit se ad Absalom, ut omnia consilia Achitophel investigaret, et ea David proderet, ut eum cautum faceret de illa persecutione. De illis consiliis non videtur hic psalmus agere : et ideo ab historia ad mysterium revocantur. Achitophel interpretatur *fratris ruina :* significat autem Judam, qui Christi ruinam, id est mortem, meditatus est, qui omnium apostolorum fratrem se nominavit : *Vade, dic fratribus meis* (*Joan.* XX). Chusi *silentium* interpretatur, significans dispensationem illam, qua usus est Deus Pater per Filium suum ad redemptionem generis humani. Quod cum fieret, incognitum erat : et adhuc est incognitum,

A nisi quibus Dominus revelare voluit ; ut illud : *Mysterium a sæculis absconditum apostolis revelavit Deus per Filium suum* (*Col.* I, *Eph.* III), hoc est illud silentium, quod cæcitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret (*Rom.* XI), et quod Judas et quod Judaicus populus molitus est ad ruinam unius hoc fieret ad salvationem multorum. Jemini interpretatur *dexter*, significans dextrum, id est, propitium Deum hoc silentium esse operatum.

Psalmus, id est bona operatio, de qua hic psalmus agit, est *David*, id est perfecti fidelis, qui est de corpore David scilicet tendentis in finem, id est in Christum. *Quem* psalmum, id est quam bonam operationem, et quasi gratiarum actionem *cantavit*, id est, exsultanter operatus est, *Domino*, id est, ad honorem
B Domini, *pro verbis*, id est, revelatione, *Chusi*, id est silentii, quia dignatus est ei revelare quomodo per humilitatem, et obedientiam superbiam illius contrivit, qui per superbiam primum parentem de paradiso dejecit, quomodo cantet, quomodo gratias agat pro hac manifestatione sequentia psalmi ostendunt, ubi ostendit se ejus humilitatem et patientiam imitari, dicens : *Si feci istud*, etc. Quod Chusi fuit filius Jemini, id est, quod silentium processit a propitio Deo, ideo illo merito gratias agit. Est autem intentio Prophetæ in hoc psalmo ostendere qualiter quisque perfectus se custodire debeat. Quanto enim quisque perfectior, tanto cautior debet esse, scilicet nunquam remisse agere, quia etsi exteriores hostes jam vicit, ab interiori hoste tamen cavendum est, ne per superbiam dejiciat. Quod vitium etiam in
C benefactis cavendum est, et qualiter aliis se exemplum præbeat patientiæ et humilitatis, invocando auxilium Dei, et humilitatem et justitiam Dei imitando.

Vox perfecti ante adventum Christi.

Domine, cujus servum me exhibeo, *in te speravi*, non in me, non in alia re : ideo, quia tu es *Deus meus*, non ego, ut infelix ille primus parens, et quia in te speravi, *salvum me fac ex omnibus persequentibus me*. Superatis vitiis omnibus, *salvum me fac*, id est, custodi me in arce virtutum jam locatum. Superatis omnibus vitiis carnalibus, *mente servio legi Dei*, *carne autem legi peccati* (*Rom.* VII). *Semper caro concupiscit adversus spiritum*, *spiritus adversus carnem* (*Gal.* V). Nunquam bonis bella desunt. Ideo o Domine, non rogo ut non sit fomes peccati in
D corpore meo, sed precor ut non regnet ibi peccatum. *Salvum me fac*, ut animus meus imperet, caro serviat : vel *salvum me fac ex omnibus persequentibus me*. *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III) ; ideo *salvum me fac*, id est, fac me constantem in virtutibus, ut eorum et minas et blanditias contemnere valeam. *Et libera me*, non ab illis quos jam superavit, sed *nequando rapiat ut leo animam meam*. Oratio hæc perfectorum est, qui solius diaboli insidias metuunt, qui, superatis omnibus vitiis, etiam in bene factis timendus est, ne per superbiam a culmine virtutum dejiciat : *nequando rapiat animam meam*, quasi alie-

nam et non suam. sed tuam ovem, ille pui est *ut leo*, scilicet fortis et insuperabilis nisi a te. Unde illud : *Inimicus vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* v). *Dum non est qui redimat* nisi tu, ad hoc quod dixit, *Libera me. Neque qui salvum faciat,* ad illud, *salvum me fac. Domine Deus meus.* Hæc repetitio ex magna affectione est. *Si feci istud.* Ac si dicat : Tu debes me redimere, tu debes salvum facere, quia sensi illud quod mihi revelasti, et inquantum valeo, imitari studeo. Tu obediens Patri fuisti, persecutores tuos humiliter tolerasti, bona pro malis reddidisti : et ego si hæc omnia non observari, non sim dignus quem redimas. *DomineDeus meus, si feci istud, si est ulla iniquitas in manibus meis,* id est in operibus, id est, si ulla mea iniquitate illos ad persequendum provocavi, si scilicet feci quod non debui ; *si reddidi* mala *retribuentibus mihi mala* pro bonis ; id est, si feci quod etiam justum videtur apud mortales, ut redderem mala pro malis. Ac si dicat : Si illis qui sine præcedenti culpa me persequebantur non reddidi malum, quod magnæ fuit patientiæ, id est, si non feci quod debui. Si ego homo bominem in ira superavi, *decidam inanis,* id est vacuus a gloria et a victoria, superatus *ab inimicis meis* interioribus. Ut enim ait beatus Gregorius : Dum foris ulcisci quærimus, intus graviter ferimur. Omnis enim prius peccat in se quam in alterum : jam enim antequam foris alii noceat, innocentiam intus perdidit, et sic dum victoriam foris obtinere credit, quod gravius est, intus superatus est, et hoc *merito.* Quid enim sibi arrogat homo, qui dum ab homine sumit vindictam ipse a diabolo vincitur ? Ita potius vindicanda est quam homo. Scilicet *persequatur inimicus animam meam,* suggerendo mala, *et comprehendat ;* alligando eam per consensum, *et* sic *conculcet in terra vitam meam,* id est, conculcando et sibi subjiciendo faciat vitam meam terrenam, ut possim esse cibus suus. Dictum est enim ad peccatorem : *Terra es et in Terram ibis* (*Gen.* III), et ad serpentem : *Terram manducabis* (*Ibid.*). — *Et gloriam meam in pulverem deducat,* id est, testimonium conscientiæ meæ. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*I Cor.* I). *Deducat,* id est, de conscientia ducat in pulverem apud eos qui sunt pulvis, ut foris apud homines quæram gloriari : vel in *pulverem,* id est in terræna quæ sunt pulvis, et non quæram gloriam nisi in aliis. Hic tota vis sententiæ est. Istud est maximum. Quasi dicat : Sed non est iniquitas in manibus meis, nec reddidi retribuentibus mihi mala, et ideo *exsurgere, Domine, in ira tua* bona, vindicta digna perfecto viro. Quasi dicat : Non ego superer ab inimico imo inimicus a te superetur, et spolia ejus auferas. *Exsurge, Domine,* per cognitionem qei modo quasi jaces apud persecutores meos per ignorantiam : fac ut te cognoscant, ut te sequantur. Et hoc fac *in ira tua,* ostendendo illis iram tuam, id est damnationem et pœnam suæ impietatis futuram. *Et exaltare,* id est glorificare ; ut lauderis

A *in finibus inimicorum meorum,* id est, in illis qui modo sunt possessio dæmonum, vel in illis qui sunt fines, id est, in arce omnium inimicorum, scilicet in pessimis, quemadmodum in Paulo. Et ut exalteris in finibus inimicorum, *exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti,* id est, appare et manifestare in præcepto quod mandasti : scilicet primis parentibus, scilicet in obedientia et humilitate, ut per illam convertas eos ad te ; ut discant per humilitatem eum vincere qui per superbiam primum parentem superavit. *Et,* cum sic apparueris, *synagoga populorum circumdabit te,* id est, congregatio fidelinm et infidelium circumdabit te : illi ad imitandum, isti ad perdendum. *Et propter hanc,* scilicet synagogam fidelium et infidelium, B *regredere in altum,* id est, redi in altum. Propter synagogam fidelium redi in cœlum, ut te jam non hominem tantum cognoscat, et ut Spiritum sanctum mittas qui eam confirmet, ut Petrus qui antea Dominum coram ancilla negavit, post adventum sancti Spiritus confirmatus, coram rege eum confiteri non timuit. Propter infidelium synagogam in altum regredere, ut augeatur eorum cætitas : videntes enim per plurima signa quod Deus esset, quem morti tradiderunt, non ausi sunt confiteri, ne sanguis innoxius exquireretur ab eis : hoc modo potest legi, scilicet in bonam partem, ab *Exsurge, Domine,* in virtute tua : usque, *Judica me, Domine, secundum justitiam meam.* Potest et in malam partem accipi, ita : continuatio eadem quæ supra. *Exsurge, Domine,* id est, o Christe, in altum ascende, a cognitione C eorum te remove. Pone tenebras latibulum tuum, et hoc in ira tua, scilicet eorum incorrectione iratus. *Et exaltare in finibus inimicorum meorum.* Repetitio. Vel *exaltare,* id est, magnitudinem et potentiam tuam etiam in illis exerce, fac eos flagellum tuum, utere eis ad tuorum fidelium salutem, et suam damnationem. Virga furoris mei Assur, ipse autem non cognovit (*Isa.* x). *Exurge, Domine,* id est, altum et inscrutabilem et incognoscibilem illis te fac. *In præcepto quod mandasti,* id est, in humilitate videaut te humilem, et non cognoscant Deum. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). *Et synagoga populorum circumdabit te.* Istud exponitur ut supra. *Dominus judicat populos.* Hoc duobus modis accipi potest. Uno ita : Ego dixi, D *Regredere in altum,* id est, ascende ad Patrem unde venisti ; sed ego. cui jam revelasti sacreta tua, video quod aliis ad salutem est aliis esse ad damnationem. Ideo dico. *Dominus judicat populos* occulto judicio : ideo rogo te ut me judices ad salutem. Alio modo ita : Appare in humilitate, et revertere in cœlum et post non venies nisi ad judicandum manifeste : et hoc est, *Dominus judicat populos,* id est, judicabit. Notandum quod dicit, *revertere.* Divinitas, quæ ubique est, neque descendit, neque ascendit. Humanitas non descendit, quia de Virgine assumpta est, cum tamen dicatur : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo* (*Joan.* III). Sed est dicendum

quod divinitas Verbi hoc modo descendisse visa est, dum per Dominici hominis carnem se nobis manifestavit. Rediit, cum nobis eam subtraxit. Et quia in futuro judicabis manifeste antequam illuc veniam, *judica me* hic prius. Flagella, ure, proba aurum tuum, Vel quia hic etiam judicas occulto judicio, alios faciens flagella, alios flagellari, *judica me, Domine*, puni, flagella *secundum justitiam meam*, id est, ad probationem : ita enim postulat justitia mea ; qui enim justus est, non habet quod purgetur, sicut purum aurum non habet quod deponat in igne, ita et justus ad hoc flagellatur, ad hoc judicatur, ut ejus justitia augeatur. *Et secundum innocentiam meam.* Justitia est facere bona ; innocentia, deserere mala. Quæ utraque non a me est, sed *super me*, id est desuper. Et quia hoc est probatio mea, non damnatio, *consumetur*, id est perficiatur, in me *nequitia peccatorum*. Exerceant in me iniquitatem suam quousque possunt, quia quanto illi magis sordescunt, tanto ego purior fio ; sicut ignis, quanto plus sordium contrahit ab auro, tanto illud fit purius et de sua natura nihil amittit. Vivit impius pio, *et* hoc modo *diriges justum*, id est justitia justi crescet. Sicut enim nequam exercendo nequitiam injusto, fit nequior : ita justus per patientiam fit justior. Et hoc est directio justi, ut pracedat, de virtute in virtutem. Tu, Deus, hoc facies, qui perfectus es medicus, qui scis quod in nobis punias ; quia tu es *Deus scrutans corda*, id est, consilia cordium quæ recta sunt, *et renes*, id est, delectationes quæ pravæ sunt, quia in renibus viri luxuriæ sedes est, id est, tu scis quando animus consentit delectationi carnis, vel quando caro spiritui obedit. Vel *corda*, id est intentiones, *et renes*, id est fines intentionum ; quia omnis intentio aut tendit ad bonam delectationem, aut ad malam. *Justum adjutorium meum a Domino.* Quasi dicat ; Ego non timeo tormenta impiorum cum sim justus, quia adjutorium meum justum est a Domino : nam salvat omnes *rectos corde*. Vel non timeo ut Dominus me judicet in futuro judicio, id est manifesto, quia modo in occulto judicio adjutorium meum a Domino justum, dum me flagellat temporaliter peccantem temporaliter, in exemplum justi judicii sui, scilicet ut per hoc ostendat quam juste æternaliter peccantem æternaliter puniat, ut qui non parcit Filio, non parcat et servo. Temporaliter peccat, qui peccare sponte desinit : æternaliter peccat, qui si semper viveret semper peccaret. Et quia *salvos facit rectos corde*, nolite ergo, justi, timere. Nos autem, impii, cavete vobis, quia Deus, qui modo occulte vos judicat excæcando, *vibrabit gladium suum*, id est. Filium suum, quem vagina carnis tectum misericorditer vobis misit. *Vibrabit*, id est deteget, cum manifeste per eum judicabit : *Pater enim non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio* (*Joan.* v), et hoc ideo, quia *Deus* est *justus judex*. Nec ulla impotentia impedit ejus judicium, quia *fortis* est. Quasi dicat : Si justus est et fortis, quare ergo peccantem assidue non judicat ?

A Quia est *patiens*. Et hoc ostendit : *Numquid irascetur per singulos dies ?* Et hoc facit, ut convertamini : *Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur* (*Ezech.* XVIII). Et Apostolus : *Nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit ?* (*Rom.* II). Quod si ideo quia differt pœnam, putas eum non judicaturum, et ideo secure peccas, thezaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Et hoc est quod sequitur : *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit.* Revera in futuro judicabit manifeste, quia nunc judicat in occulto. *Arcum suum* jam *tetendit. Arcum*, id est divinam Scripturam, jam *tetendit*, quia duritia Veteris Testamenti flexa est nervo Novi. Ibi oculum pro oculo, dentem pro dente (*Exod.* XXI) : hic autem. Nolo mortem peccatoris, B sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII) : vel hoc modo flexa, quia inclinata est ad capacitatem fidelium per expositores et prædicatores sanctos, et tendendo *paravit illum*, ut esset aptus ad intelligendum. *Et in eo*, scilicet arcu, *paravit vasa mortis*, id est, prædicatores sanctos qui salutiferum liquorem inde accipientes, infundunt ægris et sauciis mentibus hominum, ut expellant diri serpentis mortiferum venenum. Vel vasa mortis in malum eosdem apostolos, qui contemnentibus eorum doctrinam vasa mortis fiunt recipientibus, vasa vitæ. *Aliis enim sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*II Cor.* I). Et hoc est quod sequitur : *Sagittas suas ardentibus effecit.* Eosdem prædicatores effecit sagittas suas, quæ stimulant corda fidelium ad amorem Dei : et hoc fecit ardentibus charitate. Aliter : C *In eo paravit vasa mortis*, hæreticos qui venenum pravæ intelligentiæ inde sumentes, mortificant et se alios prave docendo : et eosdem effecit sagittas suas, id est, stimulos ardentibus in dilectione Dei et proximi. Excitaverunt enim multos ad discutiendam et aperiendam divinam Scripturam, ut ait Apostolus : *Opportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant* (*I Cor.* XI). Dixit, *Deus vibrabit gladium suum*, id est, manifeste mittet Filium suum ad judicandum : et hoc inde potest sciri, quia jam occulte judicat in sacra Scriptura alios in mortem excæcando, alios in vitam illuminando. Et ut ostendat illam manifestam damnationem non ex judicis crudelitate futuram, sed ex propriis impiorum meritis, subjungit : *Ecce parturit injustitiam* et *con-* D *cepit dolorem* Quasi dicat : Nonne vides quomodo thesaurizat sibi iram in die iræ ? Vel potest dici de hæreticis, hoc modo : Vere sunt vasa mortis : *Ecce parturit injustitiam*, et *concepit dolorem.* Si de omnibus impiis dicimus, ita : *Ecce concepit dolorem*, sicut mulier cum voluptate semen concipit, unde postea habet magnum dolorem ; ita iste concipit in corde delectationem earum rerum, quæ magnos dolores ei facient, cum nec sine maximo dolore derelinquuntur, nec retineri possunt. Et ideo *parturit*, id est, meditatur parcere per consensum injustitiam, dum cogitat perficere malum. Ex eo enim quod mala concepit, meditatur fieri mendax, per-

jurus, injustus, et cætera hujusmodi. *Et peperit iniquitatem*, id est, actum perduxit. *Lacum aperuit* Talis similitudo est : Ille qui aperit foveam, et effodit eam faciens profnndam, postea incidet in eam foveam quam fecit aliis ipse prior, quia in ipsa meditatione jam peccavit in se. Omnis enim prius peccat in se quam in alterum, cui hoc solum nimis nocuit quod voluit. Vel exponit quod dixit : *Ecce parturit injustitiam* et *concepit dolorem, lacum aperuit* ad hoc quod dixit, *concepit dolorem. Aperuit lacum*, cum consensit in malum. *Et effodit eum*, cum fraudi operam dedit, vel cum laboravit ut in actum perduceret : et hoc ad illud, *parturit injustitiam*. *Et incidit in foveam quam fecit*, ad illud, et peperit iniquitatem. *Convertetur dolor ejus in caput ejus*. Si ad similitudinem, ita : sicut ille qui magnam parat foveam, tandem incidit in eam ; et quidquid aggregavit, ruens super ejus caput, eum opprimit ; ita quidquid mali impius ædificavit in tota vita sua, cadet super eum cum tandem inde damnabitur. Aliter: *Convertetur dolor ejus in caput ejus*, cum cogitavit malum foris operari in proximum, antequam proximo foris noceat, convertetur intus in caput ejus, id est in mentem, ut illam prius percutiat, et non solum in caput, id est in mentem, sed *iniquitas ejus descendet in verticem ipsius*, id est discretionem, ut illam perimat quæ est mentis vertex, id est summa pars. Dictam est hoc ad similitudinem, quia in vertice capilli separantur, in diversas partes capitis descendentes. Si accipiamus de solis hæreticis, dicemus : Ecce vide quomodo fiunt vasa mortis. *Concepit* enim iste ex illo arcu *dolorem*, id est veneniferum intellectum, et ideo *parturit justitiam*, dum conatur pravum intellectum suum aliis asserere. Qui enim verum dicit, non laborat. Et *peperit iniquitatem*, cum aliis persuasit ; *lacum aperuit*, errorem prædicando ad casum multorum. Sicut in lacu profundo obscuritas est, ita in hæreticorum doctrina, et *effodit eum* multo labore et multis assertionibus confirmando, *et incidit in foveam quam fecit*, non solum in futuro judicio inde damnandus, sed etiam prius in occulto dum permittitur in cæcitate sua vivere. Ostendit quomodo incidit. *Convertetur dolor ejus in caput ejus*. Increduli et hæretici occulte judicantur, et post manifeste. Ego autem servus tuus, qui cognosco ad hoc fieri occultum judicium tuum modo, ut justus justificetur et crescat de virtute in virtutem, *Confitebor Domino*, et gratias agam et laudem dicam, *secundum justitiam ejus*, qua me castigat ut pater filium, et non solum laudabo ore, sed *psallam*, id est bene operabor, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* xv) ; *nomini* tuo, id est, ad laudem tuam, non meam. Aliter : Dicit Hieronymus Chusi non fuisse filium Jemini, sed Arachi, et secundum eum Chusi interpretatur *Æthiops*. Per hunc potest diabolus accipi et ejus membra, scilicet omnes persecutores. Qui Chusi et filius Jemini. Jeminus de progenie Benjamin fuit, sicut et Saul et Semei, qui capite asperso pulvere insultavit David, vocans

A eum virum sanguinis, virum Belial (II *Reg.* xvi) : illi omnes persecutores David de progenie Benjamin fuerunt. Et secundum hoc potest legi in persona David prophetæ, vel alicujus perfecti de priori populo. *Quem cantavit*, id est exsultanter operatus est *pro verbis*, id est, pro minis vel blanditiis, *Chusi*, id est, persecutoris filii Jemini. In persona illorum potest legi psalmus, ita ut supra in principio. *Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac*. Quasi dicat : *Veni, Domine, et noli tardare*. Aliter in persona capitis. *Psalmus David*, id est, Christi capitis, *quem cantavit*, id est, exsultanter complevit, *Domino*, id est, ad honorem Domini, *pro verbis Chusi*, id est pro manifestatione illius secreti quod per eum disposuit David : dico *filii Jemini*, id est, propitii Dei.

B Non quod hæc locutus sit quæ in psalmo dicuntur, sed quod inevidentia rei ostenditur hoc potuisse fieri et dici, sicut in omnibus psalmis est habendum. Vox Dominici hominis : *Domine Deus meus, in te speravi*, quantum ad humanitatem : *salvum me fac*, caput et membra : *ex omnibus persequentibus me* Judæis, *et libera me* a persequentibus Judæis, ut per me mei salventur. *Nequando rapiat ut leo animam meam* Judaicus populus : *animam*, id est vitam. *Dum non est qui redimat neque qui salvum faciat*, si tu non redimis. *Domine Deus meus, si feci istud si est iniquitas in manibus meis*, id est, si obedientiam a te injunctam et humilitatem non implevi, et cætera, ut supra *decidam merito ab inimicis meis*, persecutoribus Judæis, *inanis*, id est, vacuus a gloria resurrectionis : hoc modo *persequatur inimicus animam*

C *meam*, Judaicus populus persequatur ut occidat. *Et conculcet vitam meam in terra*, me morti tradendo. *Et gloriam meam* mei capitis et meorum *in pulverem deducat*, ut tantum corpus meum solvatur in pulverem, et non resurgat. Si autem ego et feci quod jussisti, factus tibi obediens usque ad mortem, et reddidi non mala pro malis, sed bona pro malis, *Exsurge, Domine*, id est recede ab eis. Excæca cor illorum ut me persequantur : Si enim cognoscerent, nun crucifigerent in ira tua. Nisi enim illis iratus esses, non adeo ab eis recessisses. *Et exaltare in finibus inimicorum meorum*, id est, non tantum appareat magnitudo potentiæ tuæ in bonis, sed etiam in malis. Utere eis in bonum, fac eos flagellum tuum : crucifigant me et interficiant ad meorum vitam et

D suum interitum. *Exsurge, Domine Deus meus*, ab illis recede, meis autem exsurge, id est, cognitionem tuam illis præbe, vel exsurge, id est, fac me exsurgere, ut ascendam in cœlum, et mittam in eis Spiritum sanctum, qui charitate impleat corda eorum. *In præcepto quod mandasti*, id est, in charitate. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, et in hoc cognoscent vos, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis invicem* (*Joan.* xiii, xv). *Et synagoga populorum circumdabit te*, id est, congregatio fidelium ad imitandum, et quia in hac fidelium synagoga erunt quidam habentes Christianum nomen, non opera, ideo addit etiam, *pro-*

pter hanc, non solum propter synagogam persequen- A tium, *in altum regredere*, recede ab eis : hoc est quod Apostolus dicit : *In illis diebus stabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes* (II *Tim.* v), etc. ; et : *refrigescet charitas multorum* (*Matth.* xxiv). Ad quid illa omnia fiant, subjungit *Dominus judicat populos*, salvandos et non salvandos : non salvandos, præcedentibus meritis hic excæcat, ut in futuro damnentur. Salvandos judicat justificando, ut in futuro coronentur. Et quia tu, Domine Pater, judicas populos, hos ad salvandum. illos ad perdendum, *judica me* in meis *secundum justitiam meam*, et cætera usque in finem, ut supra.

PSALMUS VIII.

IN FINEM PRO TORCULARIBUS PSALMUS DAVID.

« Domine Dominus noster, quam admirabile est B « nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata « est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infan- « tium et lactentium perfecisti laudem propter ini- « micos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. « Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuo- « rum, lunam et stellas quæ tu fundasti. Quid est « homo quod memor es ejus ? aut filius hominis, « quoniam visitas eum ? Minuisti eum paulominus « ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et « constituisti eum super opera manuum tuarum « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves « universas, insuper et pecora campi. Volucres cœli « et pisces maris, qui perambulant semitas maris. « Domine Dominus noster, quam admirabile est no- « men tuum in universa terra!

C

ENARRATIO.

Psalmus David pro torcularibus. Nihil de torcularibus agit hic psalmus, et hic titulus ides non accipitur ad litteram. Pro torcularibus igitur, id est pro Ecclesiis, in quibus nunc agitur, ut affectu et opere probi separentur ab improbis, quomodo in torcularibus vina a vinaceis, in area grana a paleis, et vino tamen et granis, ut maturitatem venirent, neces saria erant hujusmodi integumenta. Vivit enim impius pio. Aliter : *Pro torcularibus*, id est martyribus quorum anima est quasi vinum, corpus quasi vinacea ; et sicut in torcularibus vinum separatur a vinaceis, et vinum portatur in cellaria ad servandum vinacea projiciuntur porcis comedenda : ita hic martyrum animæ pressura martyrii separantur a corpore, et mittuntur in æternam requiem ; corpora D vero projiciuntur, comedenda a terra. Aliter : Verbum Dei est quasi uva : quod dum pervenit ad aures hominum per prædicatores, quasi uva ad torcular venit, ibi Verbum quasi integumentum remanet, intellectus autem sicut vinum reconditur in memoria et non acessit, sed diffunditur in disciplinam morum et habitum mentis. Propheta loquitur in hoc psalmo prævidens Filium Dei in hunc mundum venturum in forma humana ad redemptionem hominum, et ad ædificationem Ecclesiæ suæ, hac intentione, et quia credimus quod non vidimus, ideo pluribus attestationibus opus est ad fidem ; ideo etiam tot prophetiæ de Christo datæ sunt. Sequitur :

Domine Dominus noster : tu qui per naturam omnium es Deus, factus noster per gratiam, quia cum voluntatem suam dignatus est Judaico populo per legem aperire, quasi spiritualiter per gratiam Deus eorum factus est ; *quam admirabile est nomen tuum* (fama tua) *in universa terra*, qui prius tantum in Judæa notus eras (*Psal.* lxxv). Bene, in universa terra : quia non est gens aliqua, de qua aliqui non sint in Ecclesia. Hic titulus aperitur *pro torcularibus* id est in Ecclesiis. Vere *admirabile*, id est valde laudabile, *quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos*. Tribus modis potest hoc dici : *Magnificentia tua*, id est magnificus tuus Christus qui emphatice ipsa magnificentia dici potest : *elevata est super cœlos* : hoc materialiter, quia ascendit usque ad octavum cœlum. Aliter : super omnes prophetas et apostolos, qui magni quidem sunt, sed omnibus illis major est Christus. Quia *unxit* eum *Deus oleo lætitiæ præ* participibus suis (*Psal.* xliv), qui cœli dicti sunt, ut illud : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* xvii). Aliter : *Super cœlos*, id est præconia divinarum Scripturarum, quæ magnum te prædicant, sed major est gloria tua quam fama : quæ Sripturæ cœli dicuntur quia cælant divina mysteria, vel quia digito Dei, id est Spiritu sancto ibi insculptæ sunt variæ formæ sacrorum intellectuum, historiæ moralitatis et mysterii. Cœlum etiam est instrumentum ferreum ad cælandum, id est ad sculpendum aptum, vel quia in eis omnium hominum vitæ forma impressa est : et hoc modo possumus dicere : Magnificentia tua elevata est super cœlos : quia quidquid in illis Scripturis per sculpturam Spiritus sancti elevatum est et informatum, multo minus apparet quam in Christo, qui est omnium Scripturarum veritas et finis. In hoc gloria mea, o Christe, major est, quam præconia Scripturarum de te. Quia *ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*, id est perfectam fecisti laudem *tuam*, in hoc quod ad prædicandum nomen tuum non potentes hujus sæculi, non divites, non sapientes elegisti, sed ignobiles, pauperes (I *Cor.* i), et infantes, id est ineloquentes, quantum ad mundanam eloquentiam, ut fides credentium pure appareat esse in virtute tua, non in sublimitate sermonis. Et, *lactentium*, adeo infantium, ut lac sugerent, id est simplicem doctrinam tuam, nondum valentes capere solidum cibum divinitatis tuæ, antequam Spiritus sancti eruditione crescerent in virum perfectum. Aliter, *lactentium*, id est quanquam essent infantes quantum ad humanam eloquentiam, tamen essent lactantes, id est apti ad nutriendum parvulos Ecclesiæ. Et quod tales elegisti, *propter inimicos tuos* fecisti. Inimici Dei sunt omnes qui suam gloriam quærunt, non Dei. Exponit quod dixit propter inimicos tuos : *Ut destruas inimicum* scilicet tuæ *et ultorem* suæ laudis, scilicet philosophum, Judæum carnaliter sapientem, et hæreticum. *Quia elegit Deus infirma mundi, ut confundat fortia* : *ignobilia, ut confundat nobiles* : *et quæ stulta sunt elegit, ut confundat sa-*

pientia (I *Cor.* I). Aliter: *ex ore infantium* illorum qui clamabant hosanna (*Matth.* XXI) *perfecisti laudem tuam;* quia ibi apparuit quanta sit laus et virtus tua, cum et illi te laudaverunt: et cum illos fecisti te prædicare, propter inimicum, fecisti Judaicum populum qui te negabat, et ultorem suæ legis, ut in puerorum sapientia damnares senum stultitiam. *Quoniam videbo cælos tuos*: hoc continuatur superius ad illud quod diximus cœlos accipi fideles sanctos, vel sanctam Scripturam, hoc modo: Verum est quod dixi, quia magnificentia tua superat cœlos; quod manifeste probabitur, quia ego in posteris meis videbo cœlos tuos, scilicet fideles sanctos, coruscantes miraculis, compluentes verbis. Si ad sacram Scripturam, videbo ex cælata Scriptura tua illos cœlos factos: *opera digitorum tuorum*, id est quos digiti tu icœlos fecerunt: et ideo magnificentia tua superat illos. Ex diversis donis Spiritus, facti sunt viri sancti cœli. Quæ dona in digitis ideo accipiuntur, quia in nullo membro tanta est divisio, quanta in manu per digitos. Et Spiritus unus est, sed diversa dona: *lunam et stellas;* hos vocat cœlos: *lunam*, id est universalem Ecclesiam, quæ lunæ comparatur quia aliunde accipit splendorem vel quia perfectionem habet modo in anima, imperfectionem in corpore, vel quia plenitudinem habet in perfectis, minuitur in imperfectis. *Stellas*: vel singulas Ecclesias, vel singulos fideles in Ecclesia. Qui a se differunt in decore vitæ, ut *stella a stella differt in claritate* (I *Cor.* XV). *Quæ* vel quas *tu fundasti* fundamento fidei, ut nullo tentationum vento, nulla tribulationum tempestate possent moveri: fundatæ enim sunt supra petram (*Matth.* VII). *Quid est homo*, quia *memor es ejus?* cum admiratione et gaudio legendum. Video quod homines per magnificum tuum facis cœlos, facis lunam et stellas. *Quid est homo?* quod magnum et quod dignum apud te? Video enim fragilem, nullius pretii, et indignum tua dignatione, sed sua culpa, non natura: quia tu creasti eum ad imaginem et similitudinem tuam (*Gen.* I). Ex hoc manifestum est, quod magnum quid est homo apud te, quod memor es ejus. Bene memor, quia per inobedientiam recesserat a te, et venerat in regionem longinquam (*Luc.* XV): sed tu per misericordiam tuam memor quod ratione tibi similis creatus esset, cum evocasti per Filii tui obedientiam. *Aut filius hominis*, quia *visitas eum?* Notandum quod dicit, *homo et filius hominis.* In homine vult intelligi omnem peccatorem, Adam scilicet qui de humo factus ad humum se totum inclinavit, et omnem qui vetustate ejus nascitur et manet. Filius hominis, Christus, et omnis qui ejus imaginem gestat, recte accipitur. Qui Christus filius hominis est, non hominum: quia de sola Virgine natus est sine admistione virili, sine concupiscentia carnali. Hujus imaginem gestat omnis qui veterem hominem exuit cum actibus suis, deponens naturam illam quam ab eo ille contraxit, et induit novum hominem, qui secundum Deum creatus est in sanctitate (*Col.* III): aut Filius hominis, Christus

A filius Virginis. Et ille quantum ad humanam naturam *Quid est?* non dico quod memor es ejus, quia non recessit a te: sed *quoniam visitas eum.* Bene visitas, sicut medicus venit ad infirmum, quia infirmus non potest ad eum venire. Ita divinitas Christi ejus humanitatem, quæ sese erigere non potest, visitavit et ad superna levavit. Magnam gloriam contulisti homini per Filium hominis. Revera magnum est apud te quod illum visitas. Ostendit quomodo visitavit. *Minuisti eum ab angelis*, quantum ad humanam naturam, quia mortalem fecisti, quia passibilem: sed tamen *paulominus.* Ideo paulominus, quia non necessitate mortalis vel passibilis fuit, ut cæteri hominum, qui longe inferiores sunt angelis, sed propria voluntate. Et quia infirmus, ideo eum visitasti:

B quod inde patet, quia *gloria et honore coronasti eum.* Gloria resurrectionis, et honore ascensionis; quia sedere fecisti ad dexteram tuam. Aliter: *Coronasti eum gloria*, id est, in tenebris inferni, ubi nullus locus, nulla est distinctio, circumcinxisti eum magna luce, et honore, cum idem rediit circumdatus multitudine angelorum minstrantium ei. *Et multa corpora sanctorum cum eo surrexerunt* (*Matth.* XXVII). — *Et constitui eum super opera manuum tuarum*: post ascensionem, id est, super ordines angelorum, qui dignitate quadam merito sunt dicendi opera manuum ejus, cum respectu aliarum creaturarum quasi studiosus creati videantur. Et est dictum a simili, quia illis operibus quæ perfectius fieri volumus proprias manus adhibere solemus. Et non solum constituisti eum super superiores creaturas, sed et

C inferiores illi subjugasti. *Omnia subjecisti*, scilicet ei alia præter angelos, *sub pedibus*, id est, sub sacramentis incarnationis ejus, ut per ea vel salventur credendo et conservando, vel pereant contemnendo; omnia, præter eum qui subjecit ei omnia, scilicet *oves*, id est, simplices in Ecclesia, *et boves*, id est prædicatores, qui in Ecclesia quasi in area triturant, quia pedibus, id est, doctrina excutiunt grana a paleis, cum de peccatoribus faciunt justos, exuentes eos a palea peccatorum, vel separantes fideles ab infidelibus. De quibus dicitur: *Non alligabis os bovi trituranti* (*Deut.* XXIV, I *Cor.* IX). Nota quod boves femineo genere posuit, quæ aptæ sunt ad fœtum: ita et apostoli, cum sint triturantes in minoribus, sunt etiam procreantes alias boves, ut

D nunquam deficiant prælati Ecclesiarum. Ut illud: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Ps.* XLIV). Ideo et *universas* addidit. *Insuper et pecora campi.* Ideo insuper, quia hi qui persequuntur diversi sunt a superioribus ordine vitæ. *Et pecora campi*, id est, voluptuosos, ardua, id est, laborem fugientes, deditos gulæ et luxuriæ. *Volucres cæli*, id est elatos, cœlestia rimantes, et sibi per superbiam hoc attribuentes, ut astrologi. Vel *volucres cæli*, potentes hujus sæculi, Deum per superbiam blasphemantes. *Et pisces maris*, id est, hujus sæculi curiosos: *qui perambulant semitas maris*, id est, qui cogitationibus suis ea perquirunt quæ transitoria et cito vane-

scentia sent. ut semitæ maris. Nota quod dicit *maris*, non fluminis vel rivi : per hoc enim ostendit, eorum inquisitionem nimis amplam, non astrictam aliqua mensura. In his tribus generibus, bestiis terræ, volucribus cœli et piscibus maris possunt notari illæ tres tentationes diaboli, quibus Dominus tentatus fuit : gula, superbia, vana gloria : gula in bestiis terræ, superbia in volucribus cœli, vana gloria in piscibus maris. Et propter hæc omnia, *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra* !

PSALMUS IX.

IN FINEM PRO OCCULTIS FILII PSALMUS DAVID.

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo ; narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor et exsultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime. In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur et peribunt a facie tua. Quoniam fecisti judicium meum et causam meam ; sedisti super thronum qui judicas justitiam. Increpasti gentes, et periit impius ; nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi. Inimici defecerunt frameæ in finem; et civitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in æternum permanet. Paravit in judicio thronum suum, et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia. Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. Psallite Domino qui habitat in Sion ; annuntiate inter gentes studia ejus. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum. Miserere mei, Domine ; vide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in salutari tuo ; infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Cognoscetur Dominus judicia faciens ; in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Exsurge, Domine, non confortetur homo : judicentur gentes in conspectu tuo. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt. Ut quid Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione ? Dum superbit impius, incenditur pauper : comprehenduntur in consiliis quibus cogitant. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Non est Deus in conspectu ejus; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus, omnium inimicorum suorum dominabitur. Dixit enim in corde suo : Non movebor a generatione in generationem sine malo. Cujus maledictione os plenum est et amaritudine et dolo : sub lingua ejus labor et dolor. Sed in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Oculi ejus in pauperem respiciunt ; insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum : inclinabit se et cadet, cum dominatus fuerit pauperum. Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertet faciem suam, ne videat in finem. Exsurge, Domine Deus, et exaltetur manus tua ne obliviscaris pauperum. Propter quid irritavit impius Deum ? Dixit enim in corde suo: Non requiret. Vides quoniam tu laborem et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor. Contere brachium peccatoris et maligni : quæretur peccatum illius, et non invenietur. Dominus regnabit in æternum et in sæculum sæculi : peribitis, gentes, de terra illius. Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. Judicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. »

ENARRATIO

Psalmus David in finem id est, hæc operatio est Christi dirigentis in finem, id est, in consummationem *pro occultis filii*. Quia absolute posuit filii, quam locutionem excellentia petit Christi, accipitur ut illud: *Si vos filius liberaverit liberi eritis* (*Joan.* VIII). Ejus occulta multa sunt, præcipue tamen hæc, prior ejus in humilitate adventus, quem sequitur manifestus. Occultum etiam fuit quod insertus est oleaster (*Rom.* XI). Ad quod ut instrumento usus est Christus cæcitate Israel. Occultum est et hoc, quod Deus in hac vita tribus modis judicat, dum quisque aut flagellis exercetur, ut viri perfecti, quibus non est opus correctione: aut monetur pœna ad conversionem: aut, si admonitionem contemnit, præparatur ad pœnam. *Pro occultis* ergo *filii*, id est. pro occultis suis. Vox Christi capitis, gratias agentis, et hortantis membra sua ad laudem Dei pro omnibus ejus beneficiis suo exemplo.

Confitebor tibi, Domine, id est, laudem dicam nomini tuo. Est confessio laudis, est et peccati. *In toto corde meo*, id est plene, tuæ dispositioni in nullo contradicens. Vel *in toto corde*, id est, nulla parte cordis aliud habens, nisi quod ad laudem tuam pertineat, et tibi totum vacet. Et cum alii te laudent, *narrabo omnia mirabilia tua*, id est, in quæ tu voluisti et disposuisti per me narrare. Vel *narrabo*, id est manifestabo, quia omnia per eum Deus fecit, omnia mirabilia, visibilia et invisibilia (*Joan.* I) : multa miracula Filius Dei operatus est, et per se et per suos, occulte et manifeste. Occulte, faciendo de impio pium, de persecutore discipulum. Manifeste vero, infirmos sanando, mortuos resuscitando, quod minus est quam quod occulto, majus est enim animam resuscitare quam corpus. Majus enim fuit Paulum persecutorem convertere (*Act.* IX), quam Lazarum de monumento resuscitare (*Joan.* XI.). Unde Dominus : *Qui credit in me, opera quæ ego fa-*

cio, et ipse faciet, et majora horum faciet (*Joan.* XIV). Omnia quæ Deus Pater disposuit fieri ad reparationem generis humani, per Filium suum ostendit : ideo bene Filius dicit, *Narrabo omnia mirabilia tua.* Et te laudando, perfecte gaudebo : quia et in anima, et in corpore, *lætabor* in anima, et *exsultabo* in corpore, *in te,* non in me, non in alia re. Et ut hoc possim, *psallam* : faciam me psalterium, et inferioris partis percussionem gratanter suscipiendo, desuper in spiritu humilitatis dulce melos resonabo : et hoc faciam *tuo nomini*, id est ad laudem tuam, ut per me crescat laus tua, *Altissime. Quis enim cognovit sensum Domini* (*Rom.* XI) ? Vel in hoc, Altissime, *in convertendo inimicum meum retrorsum*, laudabo te et gratias agam, non in præterita vel in præsenti tantum, sed semper in me et in meis, in convertendo inimicum meum retrorsum. Inde tibi gratias ago semper, quia inimicus generis humani qui primum hominem superavit, et post se abire fecit, princeps hujus factus mundi, me etiam tentando (*venit enim princeps mundi hujus et in me non habet quidquam* [*Joan.* XIV]), retrorsum datus est, ut in illis solummodo dominetur qui retro sunt in terrenis, nolentes se in anteriora extendere (*Phil.* III). Quia ille qui humano generi dux mortis erat, modo retrorsum abiit tentando, persequendo ut canis. Aliter : Quia *inimicum meum* quemque infidelem, qui primus non cognoscens infirmitatem suam, putabat se non egere medico, convertes *retrorsum*, ut post me abeat, me medicum quærat. Et secundum hanc sententiam recte sequitur, *infirmabuntur*. Ideo retrorsum convertentur quia *infirmabuntur*, id est, qui sibi prius fortes videbantur infirmos se cognoscent et sic *peribunt* quod fuerunt. Ut illud : *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). *A facie tua*, id est a cognitione tua, postquam te Deum creatorem suum cognoscent. Quia inimicus ille unus est in se, et multi in membris suis, ideo post singulare plurali utitur. Secundum priores sententias sic istud aptatur : *Infirmabuntur* hoc modo : inimicum caput et membra convertes retrorsum, quia infirmabuntur, inefficaces fient hic, et postea *peribunt*, id est penitus recedent, *a facie tua*, id est a præsentia tua. Tollatur impius ne videat faciem Dei (*Isa.* XXVI). Ideo *peribunt, quoniam fecisti*, id est, facies, o Pater, *judicium*, quod ipsi putabant suum, illud facies *meum*. Ut illud : *Expedit ut unus moriatur pro populo, et non tota gens pereat* (*Joan.* XI). Sicut nauta ventum dicit suum quo utitur, *et causam*, scilicet judicii, quam suam putabant, fecisti *meam*. Quæ fuit? ne forte mundus post eum abeat. Et ut illud judicium meum fieret, *sedisti super thronum*, id est, recte judicasti. Thronus est judiciaria sedes. Tunc judex dicitur sedere in throno, cum illa sede non abutitur. Aliter : *Sedisti super thronum qui judicas justitiam*, id est, humanitatem meam, parasti tibi sedem judiciariam, ut ex illa mundum judicares. Ut illud : *Deus erat Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V). Et illud : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Quod judicat Filius,

A judicat Pater et Spiritus, sed attribuitur judicium Dominico homini, quia si ex sola potentia divinitatis homines judicaret, quodammodo ex infirmitate et impotentia se possent excusare. Nunc autem humanitate Filii nobis proposita, qui bona ille fecit quæ a nobis exquiruntur, et mala vitavit, ad exemplum illius omnes judicabuntur. Ostendit quomodo peribunt. Sedendo *super thronum* tuum, *increpasti gentes*, arguisti eas de incredulitate et impietate per me et meos apostolos. *Et periit impius*, factus fidelis. Et hoc non ad tempus, sed *delesti nomen eorum*. illud nomen quod ipsi sibi acquisiverunt, *in æternum*, id est, *in sæculum*, id est, æternitatem et finem hujus *sæculi* quod vocatur tempus, id est, hujus volubilitatis. Et non mirum si periit impius, quia *inimici*

B *frameæ*, id est opiniones erroris vel persequentes Christum, *defecerunt* contra gladium Dei bis acutum, scilicet contra veridicas sententias Novi et Veteris Testamenti. *In finem*, id est in Christum, qui est gladius Dei, scilicet contra prædicationem Christi. Vel *in finem*, id est penitus. Et postquam opiniones erroris destructæ sunt, *civitates destruxisti*, id est, societates et conventicula malorum, ut fierent civitates tuæ. Vel civitates accipiemus pectora malignantium, ubi sunt et curia dolosa et consilia. Illius curiæ princeps est veritatis inimicus : ejus perniciosissimi satellites, corporis sensus et membra : plebs vero, carnales concupiscentiæ varie tumultuantes. Has civitates destruxisti, cum omnia eorum consilia ad bonum direxisti. Et hoc modo *periit memoria eorum*, id est, fama illa, quam sibi in terrenis acquisierant

C ad memoriam sui post hanc vitam *cum* magno *sonitu* et magno tumultu, postquam cognoverunt in his non esse gloriandum. Vel memoria impiorum, ut jam non regnet peccatum in corpore eorum (*Rom.* VI) : et hoc *cum sonitu*, id est, magna reclamatione totius orbis. Vel hoc modo : *cum sonitu*, quia non potuerunt exuere veterem hominem cum actibus suis, et induere novum (*Col.* III) sine magno tumultu et magno conflictu. Aliter : *In convertendo inimicum meum retrorsum*, diabolum scilicet, cui tentanti Christum, ut eum seduceret, quemadmodum in primum hominem fecit (*Gen.* III), dictum est a Domino : *Vade, Satanas, non tentabis Dominum Deum tuum* (*Joan.* X). Et non solum, sed etiam ministri sui Judæi persequentes *infirmabuntur*, non valentes in me perficere

B quod voluerunt : quia *nemo tollet a me animam meam, sed ego pono eam a meipso* (*Ibid.*). Hic *infirmabuntur*, et postea in futuro judicio *peribunt a facie tua* cum videbunt in quem transfixerunt, quia tunc plane cognoscent me non fuisse solum hominem. Ideo *infirmabuntur, quia judicium* illud quo me judicaverunt, *meum fecisti*, ut occulte mihi militarent, dans pati judicem hominum. Quia etsi illi foris judicarent in corpore, tu tamen *sedisti* judiciaria potestate *super thronum*, id est, animam meam quam tibi fecisti sedem, carnem meam scabellum pedum tuorum. Ideo anima Christi dicitur sedes divinitatis, quia etsi aliis animabus est excellentior, tamen dei-

tate inferior. *Qui judicas justitiam*. Ac si dicat : Tu in anima mea sedisti non judicandus, ut ego homo, sed judicaturus, qui semper juste judicas, ideo etiam fecisti judicium meum, quia juste judicatus sum. In damnatione mortis hoc fecisti, postea increpasti gentes per prædicatores, mittendo Spiritum sanctum post ascensionem meam, qui disciplinam et sapientiam eos doceret, sicut ipse dixi *: Ego dabo vobis os et sapientium, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri* (*Luc.* XXI). *Increpasti gentes*, gentiles de idololatria, Judæos de incredulitate. *Et periit impius*, diabolus dux mortis : *nomen eorum*, scilicet infidelitatis, *delesti* de libro tuo, qui est liber vitæ et mortis (*Apoc.* XX), id est, de memoria tua : et scripsisti in libro vitæ, id est, in Christo : scilicet in fide Christi, ut fideles et Christiani dicantur *in æternum et in sæculum sæculi. Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius* (*Ezech.* XVIII) : et sic illi qui prius erant *frameæ inimici*, id est diaboli, per quos jugulabat Christum et suos, *defecerunt* ab inimico, quia eum deseruerunt *in finem*, id est in Christum. Ad hoc illum deseruerunt, ut Christum sequerentur. *Et civitates destruxisti*, id est, omnes turbati animi motus. Non solum destructæ sunt omnes, sed etiam *memoria eorum periit*, ut nec memores sint ultra idololatriæ et impietatis suæ: *cum sonitu*, id est, irrationabili tumultu, vel *cum sonitu*, id est, magna fama totius orbis et admiratione. Inimicus humani generis, qui non erat Dominus, sed tyrannus periit : quia servus non manet in domo. *Et Dominus* fuit judicatus ad mortem, *permanet*, id est, vivit, quia filius manet in domo *in æternum*, et non solum permanet, sed etiam *paravit in judicio thronum suum*, id est, in eo quod judicatus et damnatus sum ab hominibus, constitutus sum judex a Domino. Vel in occulto judicio *paravit thronum suum*, id est cœlestem sedem, quia per humilitatem prioris adventus homo ille meruit cœlum: vel *thronum suum*, id est Ecclesiam suam, de qua judicat gentes. *Et*, quia judex constitutus est, *ipse*, scilicet tam humilis, tam justus, *judicabit orbem terræ*, id est, perfectos Ecclesiæ qui se orbem fecerunt, qui principium fini junxerunt: *in æquitate*, id est, in se qui est æquitas, id est perfectio, totus teres atque rotondus, in quem ruit fortuna semper manca, scilicet dabit eis perfectam beatitudinem. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII). *Populos* autem, id est incredulos, *judicabit in justitia*, damnando eos secundum merita sua. Vel *orbem terræ*, id est totum mundum, *judicabit in æquitate, reddens unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI) : ideo *in æquitate*, quia in justitia, non in misericordia : quia modo tantum est tempus misericordiæ, tunc justitiæ. *Et factus est Dominus refugium pauperi*. Quasi dicat : Et interim dum veniat ad judicium, *pauperi*, id est, illi qui in hac vita nihil habere cupit, quod vel viventem deserat, vel ab eo moriente deseratur, factus est adjutor : quia est illi quasi arx ad quam mente confugiat.

A Unde Boethius: « Noster dux contrahit copias suas in arcem. At nos desuper irridemus illos circa inutiles sarcinulas occupatos. Bene, factus refugium : quia sua humanitas est humilitas et patientia. Et ex humilitate glorificatio fidelium suorum: in tribulatione magna est consolatio. » Quasi dicat : Si ipse est eis refugium, quare ergo tribulari permittit ? Ad eorum utilitatem, ut bonus medicus, alios curat, alios curatos conservat. Et hoc est quod dicit : *Adjutor* est *in tribulationibus*, non destitutor in opportunitatibus ; permittit corpus foris tribulari, quod solet ex licentia animum aggravare (*Sap.* IX). Sed hoc modo animum intus adjuvat, et hoc ad custodiam ; ut illud : *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, ut me colaphizet* (*I Cor.* XII). Et post : *Nam*
B *virtus in infirmitate perficitur* (*Ibid.*). Aliter : pauperes Christi ut possint esse amatores Dei, in quo est summum bonum, revocandi sunt ab amore sæculi. Quod commodius non potest fieri quam per tribulationes : et hoc modo *adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Flagellat enim omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII). Et quia pauperes se fecerunt, quia quæ non sunt deseruerunt, opus est ut *in te*, id est, in hoc quod est, *sperent qui noverunt nomem tuum*. Non alii. Isti sunt veri pauperes. *Ego sum qui sum* (*Exod.* III) ; et *: Qui est, misit me ad vos* (*Ibid.*) ; hoc nomen soli illi diligunt, qui ea quæ non sunt spernunt. Aliter : *Dominus nomen est illi*. Quod nomen non novit, qui ei meritum non exhibet famulatum. Ideo sperent, *quoniam* et si tribulentur, *non dereliquisti quærentes te, Domine*: te
C dico, non fugacia, non transitoria. Et quia non estis derelicti, *Psallite Domino qui habitat in Sion*, id est, qui de inhabitando facit vos speculam, ut de specula veniatis, ad visionem. Specula hic sumus, id est, in spe vivimus. *Non enim hic habemus manentem* patriam, sed a longe eam videmus et salutamus (*Hebr.* XIII) : et ideo non mirum si in hac patria, quæ aliena est, tribulamur. Et ideo ut perveniatis ad patriam *psallite Domino*, id est, bene operamini. Ac si dicat: Servite Domino ; et non solum operemini, sed etiam *annuntiate* non in uno loco, sed *inter gentes*, id est, in medio nationis pravæ neminem timentis, *studia ejus*, id est voluntates, quomodo pro salute hominum homo fieri voluit, pati, mori et resurgere. *Et nolite timere qui occidunt corpus* (*Matth.* X), quia
D non sine magna mercede hæc patiemini. *Quoniam* Dominus cujus studia annuntiatis, *requirens sanguinem eorum* in judicio, ad hoc ut vindicet, *recordatus est* : quia differt usque ad futurum judicium patientes coronare, inferentes vero damnare, videtur esse oblitus : ideo dicit, *recordatus est*, id est recordabitur, sed quia non est oblitus, ideo corrigit. Imo *non est oblitus clamorem pauperum*. Aliter : *Annuntiate inter gentes studia ejus*: quoniam si non annuntiaveritis, erit *requirens sanguinem* ; id est, interitum eorum de manu vestra. Dicit Dominus: *Si non annuntiaveris impio iniquitates suas, ipse in peccatis suis morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram*

(*Ezech.* III, XXXIII).Si autem a mundo patimini propter justitiam beati eritis (*I Petr.* III), quia *recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum.* Aliter: Annuntiate inter gentes studia ejus, hæc scilicet : Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est et non est oblitus clamorem pauperum, subaudis dicentium : *Miserere mei Domine*, id est, fac ut hæc flagella non sint ad pœnam, sed ad probationem. Vel hoc modo miserere: *Vide humilitatem meam*, id est, devocationem et oppressionem, id est, ostende te videre, tribuendo mihi præmium, illis pœnam, vel humilitatem, id est, dejectionem meam, quæ venit in me *de inimicis meis* serpente et Eva. Aliter : *Vide humilitatem meam*, id est, devotionem meam devocatam ab inimicis meis. Continuatio alio modo, scilicet in voce capitis, ad id quod supra dixit, *Quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine*, et ut non derelinquas, *miserere mei, Domine*, in meis, quia membra sunt, *Psalite Domino*. Interpositio. Tu *miserere*, quia potes : *qui exaltas*, id est elevas et liberas, *me de portis mortis*, id est pravis cupiditatibus, per quas est introitus ad mortem. Vel de portis mortis id est, quinque sensibus corporis per quos anima ad interitum exit consentiendo eis: vel de falsis prædicatoribus, vel de humanis judiciis, quæ sæpe injusta sunt. Inde sumptum, quia antiqui judices in porta judicabant, ad terrorem, ut ingredientes et egredientes mali pœnam cernerent boni præmium. Ad hoc exaltas, *ut annuntiem omnes laudationes tuas*, visibiles et invisibiles, *Sion*, id est Ecclesiæ, *filiæ*, scilicet cui multa diligentia adhibenda est ad custodiam castitatis, et illam annuntiationem faciam *in portis*, id est in virtutibus, ut sermonem doctoris vitæ bonæ exemplum præcedat. Aliter : *in portis filiæ Sion*, id est, in ecclesiasticis sacramentis, vel initiamentis fidei, vel in puris sensibus, vel in manifesto. Et hoc confidenter. Quia etsi foris tribuler, *exsultabo* intus : *dedisti* enim *lætitiam in corde meo* (*Psal.* IV). *In salutari tuo*, id est, in salvatione tua. Quia pater quem diligit, corripit (*Prov.* III). Aliter in voce capitis : *Sperent in te quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.* Et hoc faciant meo exemplo, quia ego caput etsi tribuler foris, exsultabo intus *in salutari tuo*, id est, salvatione hic occulta, in futuro manifesta ; et merito: gentes enim non solum in futuro manifeste damnabuntur, sed etiam modo damnatæ sunt in occulto judicio. *Infixæ sunt*, id est, intus fixæ in corde, *gentes*, omnes increduli. *In interitu quem fecerunt*, scilicet foris interficiendo corpus nostrum interfecerunt animam suam. Ostendit quomodo infixæ sunt. *In laqueo isto*, id est, in doloso consilio : *quem absconderunt*, id est occulte invenerunt, *comprehensus est* id est captus, *pes eorum*, id est amor. Et hoc modo occulte damnantur, et ad pœnam præparantur. Amor est quasi pes animæ : qui si ad malum tendit, est cupiditas; si ad bonum, charitas. Et quia tam potenter judicat Deus ut non ferro, non lapide, non ligno, nec aliquo utatur hujusmodi ad judicium impiorum, ut terreni

A judices solent, sed tantum subtrahendo illis manum misericordiæ suæ non corripiendo eos, inde Ecclesia congratulando dicit : *Cognoscetur Dominus judicia faciens* : faciens judicia scilicet hujusmodi. Cognoscetur Dominus non qualiscumque, sed simpliciter scilicet Dominus dominantium. Tandem cognoscetur cum peccator luet nolens quod perpetravit volens. Ostendit quæ judicia. *In operibus manuum suarum comprehensus peccator*. id est captus ut mus in muscipula. Et quia eorum mala opera eorum doli illos capiunt, non servos tuos : *convertantur peccatores in infernum*, id est, omnes prævaricatores legis, de peccato in peccatum ruentes, descendant in profundum peccatorum. Aggratulatio divinæ sententiæ non optatio. Et non solum prævaricatores

B legis, sed etiam omnes *gentes quæ obliviscuntur Deum*, id est, quæ Deum præ oculis mentis non habent, secure peccantes, et convertentur. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis*, quia etiam ante finem, id est, ante manifestum judicium, quod in fine erit, occulte judicabit impios, dando eos in reprobum sensum. Aliter: *Non erit oblivio pauperis*, id est Christi, qui cum dives esset, factus est pauper pro nobis (*II Cor*, VIII) : *in finem*, id est usque dum finiatur, id est, ad nihilum deveniat ejus labor et patientia. Sed quia multi sunt in corpore illius pauperis, ideo dicit : *patientia*, id est, perseverantia *pauperum* in tribulatione, quæ fit ad interfectorum palmam et interficientium damnationem, *non peribit in finem*, Et ut eorum patientia non pereat, *exurge Domine*, scilicet fer opem qui illis videris jacere et superatus esse in tuis. In hoc ipso

C quod putant nos superatos, potius ipsi superentur *Non confortetur homo* : vetus scilicet; imo confortetur novus, scilicet filius hominis. Hoc modo exsurge. *judicentur gentes in conspectu tuo*, id est, intus in anima ubi tu solus vides: dum ipsi foris judicant, judicentur intus, Aliter: *Ut non pereat patientia pauperum, exsurge, Domine*, in manifesto judicio. *Non confortetur homo* peccator ille qui modo confortatur tribulando pauperes tuos; dum ignorat se hoc modo in occulto puniri, aperte sciat se puniri dum luat nolens, quod perpetravit volens: et tamen interius non sit sine pœna. *Judicentur gentes in conspectu tuo*, hoc modo : *Constitue, Domine, legislatorem super eos.* Bono ordine videtur procedere : præmissis membris

D inducit caput. Ad tantam enim iniquitatum suarum consummationem pervenient ut, contempto Filio Christo, eligant antichristum, ut eo duce eant in æternam pœnam. Quia noluerunt habere me latorem tuæ legis, super se habeant latorem suæ legis, scilicet pravæ antichristum et ministros suos ; coacervent sibi magistros prurientes auribus. *Sciant gentes*, scilicet illum solum legislatorem : et hoc ideo, *quoniam homines sunt*, id est, peccatores et inveterati. Quasi dicat: Hanc cæcitatem mentis patiantur ut solum latorem legis mortis ament quia latorem legis vitæ spreverunt, Aliter : *Sciant gentes*, id est, gentiliter viventes, *quoniam homines sunt : quoniam*

Græce ὅτι. pro *quod. Sciant*, pro *scient*, in futura A damnatione : quia quod modo dantur sic in reprobum sensum, quasi quædam præparatio est futuræ pœnæ. Quod dicit, *constitue*, ordine rerum dicit, non creatione : ut illud : Faciens bonum et creans malum (*Isa.* XLV). Et quia videt futuram nimiam persecutionem sub tempore illius legislatoris, adeo ut pauperes illi, quorum est regnum cœlorum, derelicti videantur, ad consolationem eorum cum admiratione quadam dicit : *Ut quid, Domine, recessisti lone* ? O *Domine, ut*, id est inquantum, videris a nobis recessisse, dum ninium tribulamur foris, et non aperte vindicas ? *Quid*, id est cur, *recessisti* ? Subdit causam ad consolationem. Hic color vocatur subjectio. *Despicis in tribulatione*, id est, videris despicere tuos, dum non statim eripis: sed hoc facis *in* B *opportunitatibus*, id est. in magnis commodis, istis scilicet : *dum superbit impius, incenditur pauper*. Gustata amaritudine, magis desideratur dulcedo. Quanto magis tribulatio hujus vitæ exacerbat pios, tanto magis desiderant vitam illam ubi nulla persecutio erit. Si enim hic essent in lætitia semper, non tanto opere desiderarent. Et hæc est utilitas quam pressura in fidelibus operatur. Impii autem nulla persecutione occculte damnantur : quia *comprehenduntur in consiliis quibus cogitant*, id est, vincula illis fiunt prava consilia sua, quæ eos trahunt in interitum. Et non mirum, quia ex Dei ira non est qui eos corripiat. Imo *laudatur peccator in desideriis animæ suæ*, id est, in peccatis : *et iniquus benedicitur* : et ideo nemo putat peccantem, si non corripitur, sed potius laudatur impunitus, quia lingua adulantium C alligat animas in peccatis. *Exacerbavit Dominum peccator*. Quasi dicat : In hoc patet quod secundum impœnitens cor accumulavit sibi iram Dei, quia non corripit eum ut pater. Et quod eum exacerbavit, in hoc ostenditur: *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret*, id est, non visitabit eum paterna correctione, sed dabit eum in manus suas. Si tibi auferat Deus oculum corporis, iratum credas. Cum tibi oculum claudit animæ ut illum non conspicias, cum fert in peccando prosperitas inquinatas cogitationes et consilia, non iratum putas ? Nemo igitur impunitate peccati gaudeat. Deus non quæret eum, vel ipse non quæret Deum. Bene, quæret quasi perditum. Ostendit quomodo Dominum exacerbavit. *Non est Deus in conspectu ejus*. Adeo secure peccat ut D nullum respectum divini judicii habeat. Et ideo *inquinatæ sunt viæ illius*, id est, cogitationes sordibus vitiorum, *omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus*. Ostensio, quomodo non sit Deus in conspectu ejus. Animus enim male sibi conscius dum peccat impunitate extollitur, quasi judicaturum esse obliviscitur Deum. Et hoc ideo, quia *omnium inimicorum suorum dominabitur. Prosperitas enim stultorum perdet eos* (*Prov.* I). Hoc spiritualiter de ipso antichristo capite omnium impiorum dicitur: cujus inimici erunt omnes amici Christi, quorum dominabitur quantum ad corpus, quia sine contradictione permittetur in eos sævire, ad eorum salvationem et suum interitum. Aliter : dominabitur non in re, sed in opinione sua, superbus ex impunitate. Unde et sequitur : *Dixit enim in corde suo : Non movebor* ab hac prosperitate mea : quia ero *sine malo*, id est, sine ullo incommodo, *a generatione* hac *in* futuram *generationem*. Nisi Deo placerem, non sic in omnibus prosperarer. Aliter: *Non movebor*, id est, non promovebor ad Dominum ab una generatione in aliam sine eorum malo. Aliter, in bonum, ut ex quadam commiseratione dicat Christus : O Pater, quia peccator cum permittitur peccare non est impunitus, sed potius punitur occulto judicio, quod ipse ignorat : ideo rogo, *convertantur peccatores in infernum*, id est, quadam mentis agilitate attendatur, quæ pœnæ sequantur eorum impunitatem, et sic convertantur a via sua mala omnes : et peccatores, id est, legis scriptæ transgressores, et gentes attendant hoc. Quoniam *non in finem*, id est semper, *oblivio erit pauperis*, quia Dominus vindicabit eum, et ideo convertantur a persecutione ejus, Christi scilicet, qui in membris suis patitur. Hæc *patientia pauperum*, qui sunt membra illius pauperis, *non peribit in finem*, id est, usque dum finiantur, id est, annihilentur. Et ut convertantur, *exsurge, Domine*: qui modo in cordibus eorum quasi mortuus jaces, resurge illis per cognitionem. *Non confortetur homo*, vetus scilicet, id est caro : fac eos cognoscere infirmitatem suam et sic deponant superbiam, et quærant te medicum. Et ut homo non confortetur, *judicentur gentes* hic ante illud manifestum judicium. *In conspectu tuo*, id est, intus in corde, ubi tu solus vides, ibi damnentur vitia et assumantur virtutes. Hoc modo exsurge. Constitue, Domine, legislatorem, tuæ scilicet, super eos, id est, Christum : fac ut in eum credant, eum principem habere velint. Hoc modo constitue : Sciant gentes illum legislatorem solum. Et dignum est, quoniam homines sunt, id est rationabiles. Et quia gentes tam diu distulit revocare, ideo admirando dicit : *Ut quid, Domine, recessisti* ab eis *longe*, id est, tam longo tempore? Video quare. *Despicis* eas, non adjuvando in tribulatione, permittens illas tentari ab inimico et superari : et hoc facis *in opportunitatibus*, istis scilicet dum superbit impius, *dum* peccator qui *impius* est, quia te creatorem suum non veneratur, *superbit*, id est, gloriatur de impietate sua, qua iram Dei et damnationem promeruit : factus pauper, id est, cognoscens paupertatem et miseriam suam, nec posse resurgere nisi per misericordiam illius quem prius contemnebant, incenditur dolore cordis ad compunctionem, vel incenditur ad amorem Dei. Cui enim plus donavit, plus diligit (*Luc.* VII). Qui autem pauperes non effici volunt comprehenduntur in consiliis quibus cogitant. Istud non mutatur, et cætera usque in finem. Nunc revertamur illuc. *Cujus*, antichristi, *os plenum est maledictione*, id est detractione, *et amaritudine* in Deum, *et dolo* in proximos. *Sub lingua ejus*, id est in corde, *labor et dolor* : earum rerum amor quæ illi erunt labori, et aliis dolori. Os-

tendit quæ sint illa quæ sunt labor et dolor. *Sedet* A *in insidiis*, id est, moratur, et quadam diligentia insidias parat *cum divitibus*, id est superbis, sibi omnia arrogantibus : *in occultis*, ubi non sit facile discernere quid sit tenendum, ut : Parce ætati tuæ; Respice uxorem et filios tuos; Consule parentibus tuis. Ad hoc parat has insidias, *ut interficiat innocentem*, separando eum a Christo vita sua, et faciat nocentem. Hæ sunt illæ insidiæ. *Oculi ejus in pauperem respiciunt* quadam falsa miseratione. Tu es juvenis, non potes modo jejunare, vigilare, et hujusmodi pati; veniet tempus horum. Et per illam simulatam miserationem *insidiatur in abscondito*, id est in corde, *quasi leo in spelunca sua*. Sicut leo latet in spelunca, ut foris eum non timeant bestiæ, et sic illuc appropient, dum nusquam ejus terror apparet, B donec exeat et aperte devoret : ita antichristi crudelitas quadam adulatoria prædicatione et quibusdam miraculis multos seducet. Et quos hoc modo seducere non poterit, variis suppliciis velut leo violenter, invadet. Hæc omnia ideo tam diligenter describit de antichristo et ejus membris, ut suos cautos reddat. Minus enim lædunt jacula quæ prævidentur. Hinc alibi : *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII). Duæ persecutiones fuerunt in Ecclesia : aperta et violenta; primo tempore violenta fraudulenta in medio, quemadmodum per hæreticos et falsos fratres : validissima, et ex his duabus juncta, in fine tempore antichristi : qui quoniam ut leo in spelunca insidiatur, apte subjungit: C *Insidiatur*, scilicet blandis verbis, *ut* tandem si non poterit blanditiis, violentia quadam *rapiat pauperem*. Insidiatur *rapere pauperem dum attrahit eum*. Et ut melius possit attrahere, *in laqueo suo humiliavit eum*, id est, vilificabit his qui ad sua stupebunt miracula. Sed non impune quia *inclinavit se*, id est, intus corruet, datus in reprobum sensum, eo ipso quo foris irrogabit supplicia. Ostendit illam indignationem : *Cadet cum dominatus fuerit pauperum*; ipsa damnatio erit ei dejectio et quædam præparatio pœnæ, hæc est miserrima inclinatio mentis, dum qui intus cæcatur, et ultimo servatur judicio, nec de peccatis suis aperte punitur, credens Deum impotentem vel injustum. Impotentem, hoc modo : *Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus*, et ideo non D punit. Injustum, hoc modo : *Avertit faciem suam, ne videat in finem*, id est in terram quæ ultima est omnium elementorum. Quasi dicat : Non curat Deus mortalia. Et quia impunitate sceleris (ut sibi videtur) te contemnit : *Exsurge, Domine Deus*. O Domine, exsurge ad manifestum judicium. Et potes, quia tu es Deus : *Exaltetur manus tua*, id est, Filius tuus, qui in humilitate et misericordia primum venit, modo manifesto judicio altus appareat, id est, Deus : *Ne obliviscaris pauperum*, id est, appareat quod non es oblitus. Et merito non oblivisceris. ***Propter quid irritavit impius Deum***? Sine causa revera irritavit. *Dixit enim in corde suo : Non requiret* peccata mea ad puniendum, quia non videt ea : si enim videret, jam punisset. Sed frustra hoc dixit, quia tu *vides* modo et differs judicium, præparando eos ad pœnam, ad hoc ut tradas eos postea in manus tuas, id est, ut postea gravius punias, ideo *quoniam tu consideras*, id est, simul vides *laborem* inferentium supplicia *et dolorem* patientium. Et merito, *tibi* enim *derelictus est pauper*, qui omnia dimisit ut tibi adhæreret. *Orphano tu eris adjutor*. Multi sunt pauperes, qui non sunt orphani. Pupillus est, qui patre est privatus : orphanus, qui patre et matre. Orphanus est ille, cui mortuus est mundus et ipse mundo, qui nullam consolationem hujus mundi quærit. Et ideo *contere brachium peccatoris et maligni*, id est, fortitudinem ejus ad nihilum redige. Et revera conteres, quia *quæretur peccatum illius, et non invenietur*. Non quæritur aliquid nisi in loco. Peccatum illius hic habuit locum, quia vivit impius pio : quandiu habet aurum quod purgari possit, utilis est fornax, ut lima ferro. Ita impii locum habuerunt in Ecclesia, quandiu sine offensa esse non potuit. Flagellum enim Dei fuerunt. Quæretur peccatum illius ubi locum habeat, et non invenietur ideo qui amplius peccatum non erit in illis. Quod causa fuit cur impii essent cum piis. *Dominus regnabit in æternum et in sæculum sæculi. Peribitis, gentes, de terra illius*, id est, omnino separabimini ab Ecclesia sua : quærit in terra, quia stabilis in illo. Aliter : *Contere brachium peccatoris*, id est, damna opus peccatoris, id est, male agentis. Aufer ei potestatem peccandi. *Et maligni*, id est, semper mala cogitantis, ut hæretici, quia non ultra necessarii erunt. *Quæretur* enim *peccatum illius*, scilicet pauperis, *et non invenietur*; quia post judicium sine macula erit ante thronum Dei (*Apoc.* XIV) : non habebit quod possit purgari, quia Dominus regnabit in illo. Ideo vos, gentiles, peribitis de terra illius, *quia desiderium pauperum exaudivit Dominus*, scilicet ut judicarentur. Et non solum judicarentur, sed etiam, o Deus, *auris tua*, id est clementia tua, *audivit præparationem cordis eorum*, id est, regnum quod sibi præparaverunt per patientiam et exspectationem : vel præparationem, id est meditationem. Hoc desiderium, *judicare pupillo*, cui mortuus est mundus. Sed quia inde quærunt vanam gloriam, ideo determinat qui sit verus pupillus : *et humili* non alia quærenti. Ad hoc judices, *ut non apponat ultra magnificare se homo*, id est, peccator antichristus : *super terram*, id est super Ecclesiam. Ponit, cum fraudulenter se super Ecclesiam magnificare quærit; apponit autem, cum minis et tormentis sibi eam subjugare conatur.

PSALMUS X.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« In Domino confido; quomodo dicitis animæ « meæ : Transmigra in montem sicut passer? Quo- « niam ecce peccatores intenderunt arcum, parave- « runt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in ob- « scuro rectos corde. Quoniam quæ perfecisti, de-

« struxerunt : justus autem quid fecit ? Dominus in A « templo sancto suo : Dominus in cœlo sedes ejus. « Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus « interrogant filios hominum. Dominus interrogat « justum et impium : qui autem diligit iniquitatem, « odit animam suam. Pluit super peccatores laqueos: « ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars ca- « licis eorum. Quoniam justus Dominus et justitias « dilexit : æquitatem vidit vultus ejus. »

ENARRATIO.

Psalmus David in finem. Psalmus, id est, *bona exhortatio*, accipitur in hoc psalmo David, prophetæ scilicet dirigentis *in finem*, id est in Christum, in quo est omnium bonorum perfectio; est autem hæc hujus psalmi intentio. David propheta prævidens per spiritum quosdam futuros in Ecclesia, quasi B tauros cervicosos per superbiam, nolentes catholicæ fidei unitatem cum cæteris fidelibus servare, nec a Deo postulare intelligentiam Scripturarum, sed sibi omnia attribuendo sinistra interpretatione earum ad hoc niti, ut soli scire, soli justi esse videantur, et dum suam gloriam quærant, non Dei, parvulos in fide ab uberibus matris Ecclesiæ segregare, et sui erroris vestigia sequi satagere, spem quidem religionis in verbis prætendentes, factis autem penitus abnegantes : existimans parvulis Christi subveniendum, qualiter sacræ fidei impugnatoribus sit resistendum, suo exemplo ostendit, dicens :

In Domino confido. Tota fides mea in Christo est ; per illum solum credo me justificari et salvari ; ille est mihi mons, ille refugium. Quia Dominus meus C est, qui est Deus per naturam. Vos autem qui homines estis infirmi ut ego, *quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem?* ac si dicat : Quomodo audetis persuadere animæ meæ, quæ tam bene locata est, et quæ in nullo alio confidit nisi in Domino: *transmigra in montem*, id est, transi ad nos, ubi est mons, ubi est Christus, quasi de valle et de humili loco, de simplicitate fidei illius quam tenes in qua facile potes decipi ? Apud nos bene instrueris, ubi est mons, id est, celsitudo virtutum et perfecta vita, ubi nemo valet te seducere. Non omnium est fides, nos soli habemus eam ; soli justificare possumus, quia justi sumus. *Transmigra* dico, *sicut passer*, id est, sicut parva avis, quæ non valens raptoribus resistere, ardua conscendit et ibi nidificat : vel etiam cavens sibi in plano a laqueis et a frequentia ho- D minum. Et ita tu caute transi ad nos, qui erimus tibi tutela. Hieronymus omnes parvas aves, passeres dicit nominari. Aliter : Quomodo dicitis animæ meæ ut transmigret ad vos, quasi ut ibi assumat pennas cum sit *sicut passer*, scilicet plumata pennis virtutum, ut apta sit volare ad regnum cœlorum ? Aliter : *Quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra* ad nos : et hæc mihi non ad bonum, sed ut sim *sicut passer*, id est, vagus et instabilis in fide ad meam perditionem ? *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum.* Hoc potest duobus modis legi ; vel in persona prophetæ, vel in persona hæreticorum. In persona prophetæ, hoc modo : quia ad instructionem parvulorum loquitur, ideo convertit se ad eos et dicit : Illi dicunt, *Transmigra* ad nos: sed non est illuc transmigrandum. Causa quare. *Quoniam ecce*, id est vide quod non est aliud nisi deceptio ; *peccatores* qui se justos faciunt, et montes nominant, *intenderunt arcum* : Scripturæ sacræ rigorem, sinistræ interpretationis nervo incurvaverunt. *Sagittas suas*, id est, toxicatas sententias, *paraverunt* perverso intellectu *in pharetra*, id est in corde, ad hoc *ut sagittent rectos corde*, id est, simplices et ad regulam fidei directos, *in obscuro* positos, id est in ignorantia, non valentes adhuc illa altiora discutere. Revera scio quod ad hoc paraverunt sagittas, id est, sententias pravas, ut sagittent rectos corde. *Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt*, quæ præcepta illa *quæ* tu o Domine, *perfecisti*, id est, digito tuo scripsisti immutabiiia et indissolubilia, quia quod semel justum est apud te nunquam erit injustum, et e converso : illa *destruxerunt* non quantum ad ea, quia dixisti, *Verba autem mea non præteribunt* (*Luc.* XXI), sed quantum ad suum errorem et pravum intellectum. In persona hæreticorum, ita : *Transmigra* ad nos, transi huc ubi altitudo est, ubi soli perfecti sunt, soli justi. *Sicut passer :* ideo, quia periculose moraris inferius, vivendo inter peccatores, qui Scripturam sacram tibi male interpretantur, et hoc modo simplicitatem tuam decipere volunt. Iterum propheta : ipsi sub specie pietatis hæc dicere videntur, sed non est illis credendum. Ideo, quoniam *quæ perfecisti*, o Domine, *destruxerunt.* Tu perfecisti laudem tuam in parvulis : sed ipsi destruxerunt eos, avertendo a te, dicendo solos justos esse in Ecclesia. *Justus autem quid fecit ?* O hæretice, qui dicis nos esse peccatores, et ideo non esse de corpore Christi, nec posse quemquam per nostrum ministerium incorporari Christo, dic mihi : Justus autem, scilicet Christus, qui solus justus est, justificans omnes, quid fecit. Quid illi imputatis, quod corpus ejus scinditis et ab eo separatis, cum nullus justificetur nisi per ipsum, sive per ministerium peccatoris sacramenta fidei accipiat, sive per ministerium justi hominis ? Vos autem dicitis, nullum posse justificari nisi per ministerium justi alicujus. Nonne corpus Christi separatis ab eo et potentiam ejus vobis usurpatis ? Aliter : *Justus autem quid fecit* ? Quasi dicat : Vos peccatores contemnitis, et a corpore Christi segregatis. Nunquid Christum in hoc imitamini? Nonne ipse cum peccatoribus conversatus est ? Nonne sciebat Judam furem esse et loculos habere ? et tamen ad prædicandum eum misit cum cæteris apostolis ; et in cœna illa qua eum tradidit, eucharistiam corporis et sanguinis sui, manibus suis confectam, ore suo commendatam, ei cum cæteris tradidit. Hoc autem ideo fecit, ut ostenderet domum Dei non esse ex merito dantis, sed ex fide accipientis : nec irritum fieri, etiamsi super talem administretur qualis erat Judas. Revera mentimini, quia dicitis apud vos solos

A esse fidem Christi, per vos solos homines posse Christo incorporari. Quia *Dominus*, scilicet omnium Deus, est Dominus, non vos. *In templo sancto suo* non vestro, quia solus ille est qui justificat. *Templum enim Dei sanctum est : quod estis vos* (*II Cor.* III). Si quis autem violaverit templum hoc disperdet illum Deus. *Justus autem*, scilicet Christus, *quid fecit*? In quo vos offendit, quod ejus corpus scinditis? Non impune hoc facitis. Quoniam *Dominus in templo sancto suo*. Si quis autem violaverit hoc templum, disperdet illum Deus. *In cœlo est sedes ejus*, id est, in his quos cælos fecit propter eminentias, virtutum. Fideles vocat et templum et cœlos ; sed minores possunt dici templum : majores, cœli. *Oculi ejus in pauperem respiciunt*. Ac si dicat : Sedet quidem in cœlo, hoc est in sanctis, sed quos ipse cœlos B fecit respectu misericordiæ suæ, non merito illorum, non vestro. Vel respiciunt ad vindicandum pauperem, id est, humilem nihil de se, præsumentem. Et non solum in pauperem oculi respiciunt, sed etiam *palpebræ ejus interrogant filios hominum*. Palpebræ ejus, id est, apertio vel opertio sacræ Scripturæ suæ. Ad similitudinem dictum, quia palpebræ aliquando aperiunt oculos, aliquando claudunt. *Interrogant filios hominum*, id est regeneratos et innovatos a vetustate primorum hominum. *Interrogant*, id est, inquirunt et discutiunt qui illi sint qui impatienter accedant et contemnant, et obscuritatibus fatigentur, non exerceantur : et qui illi sint qui patienter accedant ; obscuritatibus non fatigentur, sed excerceantur ut inveniant, et interrogant iterum qui illi sint qui apertione inflantur, non illuminan- C tur : et qui illi qui inde non inflantur, sed nutriuntur. Exponit quod dixit : *Dominus interrogat*, scilicet per palpebras, *justum et impium* : ut dictum est. Justus ei respondet pro competentia sua, scilicet exercetur humiliter cum clauduntur : illuminatuo autem cum aperiuntur ; et ideo salvabitur. *Qui autem diligit iniquitatem*, scilicet cum clauduntur ei sacræ Scripturæ, contemnit ; cum aperiuntur, inflatur : ut hæreticus posset dicere, damnabitur. Sed magis dicit quia ostendit proprio gladio eum jam jugulatum per apolopasin dicens : *Odit animam suam*. Quasi dicat : Et ab hujusmodi Ecclesiæ parvulis cavendum est : quia taliter *pluit super peccatores laqueos*. Bene, *pluit* : quia prædicatores dicuntur nubes, sive boni, sive mali : ut illud, Mandabo nubibus meis, ut non D pluant meretrici illi (*Isa* v). *Pluit super peccatores laqueos*, id est doctrinam erroris sui mittit, non super corda justorum quos fallere non potest, quibus Dominus pluit imbrem matutinum et serotinum. Sed *super peccatores*, id est, super eos quorum corda arida sunt imbre verbi Dei. Et ideo et erroris magister, et ejus erroribus illaqueati, damnabuntur et hic et in futuro. Hic *ignis*, id est fervor concupiscentiarum eos consumens, *et sulphur*, id est fetida operatio, *et* post in futuro judicio *spiritus procellarum*, spiritus maligni eis inferentes procellas et turbinem pœnarum, erit *pars calicis eorum* id est pœnæ quæ per calicem illis dantur, id est, ad mensuram : quia sicut probi præmium ad mensuram accipient, prout quisque meruit, ita et improbi pœnam. Aliter : *Justus aut quid fecit*? Quasi dicat : seductores illi *paraverunt* illis *sagittas suas*, id est, fecerunt ut sagittent rectos corde, et hoc ideo, quia *destruxerunt* verba *quæ tu perfecisti*, quæ, quantum ad tuam veritatem sunt indissolubilia, illa destruxerunt quantum ad se pravum intellectum. *Justus autem*, id est, filius tuus, cui omne judicium dedisti, et qui omnia juste judicat, *quid fecit?* Hanc interrogationem facit ad consolationem bonorum justorum, et ad terrorem malorum. Fecit ut *qui justi sunt justificentur adhuc : et qui in sordibus, sordescant adhuc* (*Apoc.* XXII) : illi ad majus præmium, isti ad majorem damnationem. Et hoc est quod dicit in primis de justis, *Dominus in templo sancto suo*. Dominus ille, qui est omnium Dominus per naturam, in illis quos a sordibus vitiorum mundat, ut templum sanctum suum, est Dominus proprie per gratiam, quia possidet eos : et colit, ut augeatur in eis gratia. In illis est Dominus qui sunt templum suum, id est, in minoribus, qui audiunt mandata Dei, et servant ea in sacrario cordis. *In cælo* est *sedes ejus*, id est, in illis quos per eminentiam virtutum fecit cœlos sedet, ut per illos judicet, vel in eis delectetur : *oculi ejus in pauperem respiciunt* : illi qui sunt cœli, id est doctores per eum illuminati et facti oculi ejus, ut illud : *Si oculus tuus scandalizat te* (*Matth.* v), etc. *In pauperem respiciunt*, id est in simplicem fidelem, nondum divitem in scientia. Ad hoc, ut eum instruant qualiter sibi caveat a laqueis viventium. *Palpebræ ejus*, ut supra. *Interrogant filios hominum*, id est omnes homines. Quasi dicat : *Ego dixi, palpebræ*. Imo *Dominus interrogat* per illas palpebras *justum et impium*, id est, inquirit, per eas qui sit justus et qui sit impius. Ad hoc inquit, ut hunc remuneret, et illum damnet. *Qui autem diligit*, id est de omnibus legit, *iniquitatem odit animam suam*, ut supra. Ut dictum est, hoc fecit justus. Dominus in templo sancto suo est, et oculi ejus in pauperem respiciunt. Et hoc modo pluit super suos misericordiam suam. *Pluit* autem *super peccatores*, id est, in malitia perseverantes et doctrinam ejus prave accipientes. Sicut enim ex eadem terra producuntur grana ad similaginem, et palea ad comburendum ; sic ex eadem doctrina alii sane intelligentes salvantur, alii prave intelligentes damnantur ; *laqueos*, id est, errores quibus trahantur ad damnationem : et quia laqueis errorum ligati trahuntur, ideo *pars*, id est portio, *calicis*, id est, præmii quod per calicem illis dabitur, ut supra *ignis, sulphur, spiritus procellarum*. Supponit causas cur justis præmia, peccatoribus irrogantur supplicia. *Quoniam justus Dominus, et* ideo *justitias dilexit*; et quia justitias dilexit, ideo justos coronabit. *Vultus* autem *ejus*, id est cognitio, non dilexit injustos, sed *vidit æquitatem*, id est judicium Ab hoc eos videt, ut non dimittat impunitos.

PSALMUS XI.

IN FINEM PSALMUS DAVID PRO OCTAVA.

« Salvum me fac, Domine. quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum ; labia dolosa, in corde et corde locuti sunt. Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magiloquam. Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt : quis noster Dominus est? Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum. In circuitu impii ambulant, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. »

ENARRATIO

In finem pro octava psalmus David : id est bona operatio, quæ intelligitur in hoc psalmo, est *David*, scilicet prophetæ, et cujusque perfecti fidelis de priori populo *in finem*, id est, in Christum, per spiritum tendentis, et toto desiderio in eum suspirantis. *Pro octava*, id est, perfecta salvatione, quæ necessaria est natis in hoc decursu hujus corruptibilis vitæ, quæ septenario volvitur. Quisque fidelis de priori populo, cui adventus salutaris innotuit per spiritum, cernens per leges et carnales observationes perfectam salvationem minime dari posse, quia *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I) : et tamen ille prior populus adhuc rudis, carnalibus institutis deducendus erat a visibilibus ad invisibilia. Invocat illum, in quo per spiritum prævidet perfectam salutem affuturum, sic dicens :

Salvum me fac, Domine. Tu qui es Dominus, veni ut salvum me facias perfecta salvatione, illa scilicet quæ non mutetur : quia servi tui prophetæ hoc non potuerunt, nec carnales observationes impositæ tantum usque ad tempus correctionis. *Salvum me fac*, tibi conformando in novitate spiritus, et opus est, *quoniam defecit sanctus* ab illa sanctitate et perfectione virtutum, in qua creatus homo cecidit. Vel nunc veni, quia tempus est miserendi, quia nullus invenitur sanctus. *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei* (*Rom.* III) : vel non invenitur alius ad hoc idoneus. *Defecit sanctus*, et merito : *quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum*, id est, quia mandata tua vera in se et sancta per inobedientiam non sunt impleta, non solum ab hominibus, id est Adam et Eva, sed etiam *a filiis hominum*, id est eorum posteris. Aliter : Non solum ab his qui se dehominaverunt, adorando opera manuum suarum, sed ab his qui sunt filii hominum, scilicet patriarcharum, et prophetarum. Erant ante adventum Christi multi justi et multæ veritates : sed diminutæ, quia caput, id est veritas, nondum venerat ; omnes enim ad inferos descendebant. Quomodo ab uno speculo imagines multæ, sic veritas in se una, in sanctis multæ. Hoc modo imminutæ : *Vana locuti sunt*, mandata Dei loquentes ore, factis autem abnegantes. Hoc de Judæis. Si autem de omnibus, terrena persuaserunt voce et vita *unusquisque*, non pauci, sed omnes, *ad proximum suum*, quem sicut seipsum diligere deberent, habentes scilicet *labia dolosa*, parati ad decipiendum. *Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Hoc duobus accipi potest : in bonum, mutando in melius ; in malum *disperdat*, id est, disperdet et destruet *Dominus* ille, cujus servos prius contempserunt, *universa labia dolosa* omnium sibi aggratulantium, et de se præsumentium, *linguam magniloquam*, præsumentem, et peccata excusantem. Vel hoc modo magniloquam. *Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus*, id est eloquentiam magnam nobis comparabimus : *labia nostra*, id est, eloquia quæ nobis comparavimus, *a nobis sunt*, id est, nostram partem defendunt, adversariorum impugnant : vel *a nobis sunt*, id est, nos ipsi nostra diligentia adinvenimus : non indigemus aliis præceptis vel aliis defensoribus ; et ideo *quis noster Dominus est ?* Cujus alterius præcepta recipiemus qui nobis dominetur, vel quis in aliqua causa nobis prævalet ? Nullus. Quasi dicat : Hæc præsumptuosa verba philosophorum, Scribarum et Pharisæorum qui dicebant : *Moyses dedit nobis legem*, et multa hujusmodi, quæ servi Christi qui præmissi fuerunt destruere non valuerunt. *Dominus* eorum, id est Christus, veniens in carne, disperdet, id est varie destruet, scilicet per se et per suos apostolos, vel disperdet, id est variis assertionibus destruet, dum ad prædicandum eliget stulta et contemptibilia. Ego dixi, *disperdat* : et revera sic faciet ; non *Dominus* ille qui servos prius misit, *dicit* scilicet per spiritum : *Nunc exsurgam.* Quasi dicat : Qui in servis meis quos contempserunt visus sum jacere, nunc exsurgam mittendo Filium, faciam ut per eum meam potentiam cognoscant. Et hoc faciam *propter miseriam inopum*, id est gentilium, qui nullam opem habent propriam vel alienam. *Et* propter *gemitum pauperum*, id est Judæorum, qui non inopes, sed pauperes, quia etsi in se pauperes sint, opem tamen habent mandatorum Dei. *Ponam in salutari*, id est in Christo, quod non posui in servis, scilicet perfectam et manentem salvationem : et non posui in carnalibus institutis. Et qui prius per servos quasi remisse egi, *in eo agam fiducialiter*, id est, sine timore omnes arguens, nulli parcens. Unde illud : *Et erat docens tanquam potestatem habens, non sicut scribæ* (*Matth.* VII) ; et : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Et merito fiducialiter ; dicit enim perfectus ille : Quia *eloquia Domini eloquia casta. Casta* in se ad similitudinem : quia ut casta mulier semper eodem modo habet se erga virum, ita et eloquia Christi immutabilia sunt : quod semel in eis est justum nunquam erit injustum, et e converso. Aliter : *Eloquia Do-*

mini casta : quia sincere et gratis tam in Veteri quam in novo Testamento fideliter sunt prædicata quæ doctrina hic commendatur. Aliter : *Casta,* ut mors pallida.: non quod sit, sed quod faciat,et illa similiter casta,quia castos facientia.Eadem sunt alia similitudine,*argentum igne examinatum.*Sicut enim argentum igne coctum melius in longum et latum extenditur, ita et hæc eloquia per gratiam sancti Spiritus pure et digne accepta extendunt fideles in longum,id est,in perseverantiam bonorum operum et spem vitæ æternæ : et in latum, quia in tribulatione dilatantur in charitate,ut non solum amicos, sed et inimicos diligant. *Probatum terræ,* id est, Ecclesiæ, non ab ea, sed eam probans. Vel probatum terræ, ut sit probatum nomen. *Purgatum septuplum,* scilicet quia pectora fidelium septiformi gratia Spiritus sancti purgant.Hanc commendationem prædicationis Christi ideo præmittit Propheta, ut postea verius credatur. Et quia Pater in te aget confidenter, *tu, Domine,* non alius, *servabis nos,* quos primus parens perdidit, conformando tibi, *et* servatos *custodies nos a generatione hac,* scilicet tam prava, ne ab ea devocemur, *in æternum,* id est in æternitatem, transferendo scilicet in octavam,id est perfectam beatitudinem.*Impii* autem non pervenient illuc,*qui ambulant in circuitu,* id est in septenario,quo volvitur hoc omne tempus : alligati his caducis quæ volvuntur ut rota. *Filios* autem *hominum,*id est,fideles imitantes fidem patriarcharum et prophetarum,*multiplicasti,*id est, multipliciter ditasti, *secundum altitudinem tuam,* id est gloriam cœlestem,reputando eos in spirituali semine Abrahæ, non carnali, cui dictum est : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli* (*Gen.* XXII), hoc de spiritali : et sicut arenam maris, hoc de carnali. Vel, *multiplicasti filios hominum,* id est, ditasti,non a fructu frumenti,vini et olei sui, sed *secundum altitudinem tuam,*elevando eos de virtute in virtutem. Aliter : *In circuitu impii ambulant,* id est ambulabunt, quia non intrabunt in illam octavam, cum semper in miseria volvantur. Illos tamen *multiplicasti,* id est, multos plures fecisti quam tuos, quia *multi vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX). Et hoc fecisti *secundum altitudinem tuam,*id est secundum inscrutabile consilium tuum : vel ut quid ergo vivunt ? *Multiplicasti filios hominum secundum altitudinem tuam.*

PSALMUS XII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ? « usquequo avertis faciem tuam a me ? Quamdiu « ponam consilia in anima mea, dolorem in corde « meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus « super me? Respice et exaudi me, Domine Deus meus. « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in « morte : nequando dicat inimicus meus : Prævalui « adversus eum. Qui tribulant me, exsultabunt si « motus fuero ; ego autem in misericordia tua « speravi Exsultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam « nomini altissimi. »

ENARRATIO.

In finem psalmus David. Hic psalmus potest legi in persona ejusdem, cujus et superior,et sic continuari : Quia *tu, Domine, servabis nos,* et non alius.

Usquequo oblivisceris me, id est,quamdiu confundis me ab exspectatione tua? Præ nimio desiderio hoc dicit, non ex dubitatione aliqua. *In finem,* id est, in æternum. Vel, scio quandiu *in finem,* id est usque ad præfinitum tempus a Patre. *Usquequo avertis faciem tuam,*id est, Filium tuum, in quo tu cognosceris, ut illud : *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV).Nec oblivio cadit in Deum, nec aversio, sed dicitur oblitus et aversus, cum differt quod desideratur ad humanum modum, quia solent prophetæ per similitudines loqui. Eodem modo sic subditur, in finem ; vel *in finem,* id est,sine interrogatione.Et in illa exspectatione positus,*quandiu ponam consilia,* prophetarum scilicet consolationes et rationes eorum,*in anima mea,*quæ tabescit tui desiderio,mallem te videre quam promissiones audire. Vel *consilia,* id est deliberationes,quid sit mihi faciendum,quid vitandum,ut possim tandiu exspectare. Vel illud : Putas videbo ? Putas durabo ? Quandiu ponam *dolorem in corde meo,* quem habeo ex absentia tua ? Quod tamen consilium et quem dolorem non habeo nisi *per diem,*in est,per tuam illuminationem. Vel *per diem,*id est per singulos dies. Vel tandiu erit hoc, quandiu ponam consilia in anima mea. *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* id est,diabolus cum membris suis, quandiu insultabit mihi quasi una exspectanti,dicendo per singulos dies, Ubi est Deus tuus ? Ne avertas, sed *respice* : et ne obliviscaris, sed potius *exaudi me, Domine Deus meus.* Hoc modo exaudi : *Illumina oculos meos,* oculos mentis, id est rectas cogitationes. Qui oculi excæcati,imo obscurati sunt in primo parente. Illumina per veram lucem,id est, Christum tuum qui erit nobis liber vitæ. Mitte eum, ut per ejus conformationem valeam te cognoscere, te amare. Hoc autem ideo facias, *ne unquam obdormiam in morte,*id est,contra illam lucem dormiam in peccatis, cessando a virtutibus. Adeo dormiam, ut paulatim oculos claudendo in minoribus peccatis, a somno virtutum descendam in mortem,id est,criminale peccatum,quod nos a Deo separat vita nostra. Unde illud : *Est peccatum ad mortem, pro hoc non rogo ut quis oret* (*Joan.* V), scilicet tantum, quia non sola oratione valet purgari. Scilicet, *nequando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum,* id est, superavi eum, quia recessit a Deo suo,et consensit mihi.Quomodo prævalere tibi potest ille ? *Si motus fuero,* scilicet a te,*qui tribulant me, exsultabunt.* Vel *si motus fuero* a bono proposito meo. *Ego autem* scilicet non movebor, et hanc fiduciam non ex me habeo,sed inde quia *in misericordia tua speravi.* Et ideo non in morte dormiam,sed potius *exsultabit cor*

meum in salutari tuo, id est, in salvatione Christi tui qui revera veniet. Cor meum non solum in sua salvatione exsultabit, sed et in redemptione corporis mei. Exsultatio enim corporis est, ut ad illam exsultationem merear pervenire. Interim non otiosus ero. *Cantabo* enim, id est, frequenter et sine intermissione cordis eum laudabo, illi *Domino qui* creando bonum *bona tribuit mihi*, id est misericordiam, et non illi qui mala tribuit, scilicet per superbiam me dejecit. Et ut perfecta sit laus mea, *psallam*, id est, castigabo corpus meum et in servitutem redigam. Et hoc faciam non ad meam laudem, sed *nomini Domini altissimi*, ut videntes alii probitatem et constantiam meam, glorificent Deum qui tales servos habet. Aliter in persona cujusque perfecti, post primum adventum desiderantis secundum adventum Christi, in quo dabitur vera pax et perfecta salvatio, quando novissima destruetur mors. Quorum unus fuit qui dixit: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Phil.* I). *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?* id est quamdiu differs producere me in finem hujus miseriæ et hujus certaminis, quod est inter interiorem hominem et exteriorem? Usquequo avertis faciem tuam, id est, præsentiam tuam et veritatem tuam a me: Video enim te *nunc*, sed *per speculum, tunc autem facie ad faciem. Nunc ex parte, tunc* perfecte, *sicut* a te perfecte *cognitus sum* (*I Cor.* XIII). Et dum differs ad judicandum venire, *quandiu ponam consilia* in anima mea, id est, quandiu ero in adversitatibus et pugna, ubi opus est consilio: scilicet quandiu in me repugnabit lex carnis legi mentis? quando labor tolletur de corpore mortis hujus? *Quandiu ponam dolorem in corde meo*, quem habeo de tua absentia *per diem*, ut supra. Aliter: Tandiu hæc patiar *quandiu ponam consilia in anima mea*, id est quandiu pugna erit inter corpus et animam, scilicet quandiu mortalis ero: ideo ad te clamo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* VII). — *Et quandiu ponam dolorem in corde meo per diem*, ut supra. *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Inimicus*, id est diabolus qui laborat ut me devoret, quandiu regnabit in hoc mortali corpore, erigendo carnem adversus spiritum, servum adversus Dominum? Cætera ut supra.

PSALMUS XIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis « suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad « unum. Dominus de cœlo prospexit super filios « hominum, ut videat si est intelligens aut requi« rens Deum. Omnes declinavarunt, simul inutiles « facti sunt; non est qui faciat bonum, non est « usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur « eorum, lingnis suis dolose agebant, venenum aspi« dum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et « amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad « effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas « in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt; « non est timor Dei ante oculos eorum. Nonne « cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui « devorant plebem meam sicut escam panis? Domi« num non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, « ubi non erat timor. Quoniam Dominus in genera« tione justa est, consilium inopis confudistis; quo« niam Dominus spes ejus est. Qui dabit ex Sion « salutare Israel? cum averterit Dominus captivita« tem plebis suæ exsultabit Jacob et lætabitur Israel. »

ENARRATIO.

In finem psalmus ipsi *David*, id est, hæc exprobratio quæ agitur in hoc psalmo ad hæc fit, ut dirigatur in finem, id est perfectam beatitudinem, attribuendo David, id est, Christo, non corpori, sed capiti ipsi. Est ergo in hoc psalmo vox Christi exprobantis duritiam cordis Judæorum, eo quod non cognoverunt tempus visitationis suæ (*Luc.* XIX); et ostendentis quæ pœna incredulos sequatur, quæ autem gloria fideles: et secundum hanc lectionem fit quædam transjectio, ut gravius videatur dictum, hoc modo.

Dixit insipiens. Ordo autem narrationis ab illo versu incipit. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum. Dominus*, id est, Deus qui omnibus dominatur per naturam: *de cœlo*, id est, de me Christo homine: *prospexit*, id est, longe oculos misericordiæ suæ inclinavit, non enim aliter melius hominibus suam cognitionem manifestare potuit, quam per humanam naturam: *super filios hominum*, id est, Judæos filios patriarcharum et prophetarum: qui propter excellentiam homines dici possunt, ad aliorum comparationem. Est autem per similitudinem dictum. Solent potentes et duces exercitus loca eminentiora ascendere, et deorsum aspicere qui sint prompti ad pugnam, qui non: qui strenue se habeant, qui præ ignavia sonitum tubæ audire non valeant. Et illi duces, in alto positi, ex parte videri solent et ex parte non videri: ita et divinitas Verbi latuit in Christo per humanitatem, apparuit autem per Divinitatem, faciens opera quæ nemo alius fecit. Ad hoc Divinitatem, quæ per se invisibilis erat et incomprehensibilis, per humanitatem meam videris ostendere: *ut videat*, id est, videre faciat et probet, *si est* de illo populo *intelligens Deum*, scilicet conformando se mihi Dominico homini per fidem. *Aut* non tantum intelligens, sed etiam *requirens*, scilicet opere. Ad hoc enim suam humanitatem hominibus exemplo proposuit, ut per eum cognoscerent si Divinitatem intelligere et operibus quærere homines possent. Quod enim homo Christus fecit, homini possibile esse ostendit. Sed non invenit, quia *insipiens* ille populus *dixit in corde suo*, id est cogitavit, quod gravius fuit quam ore dicere. *Non est Deus*, Quidam illorum nec prophetam eum credidit. Dixit eum: *Si hic esset propheta, sciret utique quæ est mulier quæ tangit eum* (*Luc.* VII). Quasi dicat: Et in hoc non est auctor accu-

sandus, quia *corrupti sunt*, scilicet ab integritate bonæ naturæ suo vitio. Et intantum, quod *abominabiles*, id est, odibiles et exhæredati *facti sunt in studiis suis*, id est, adinventionibus propriis, non Dei. Quod inde patet, quia *non est*, scilicet in eis, *qui faciat bonum*, id est, Dei voluntatem, ad quam faciendam creati sunt. Intantum quod *non est usque ad unum. Usque*, est inclusivum et exclusivum. *Usque ad unum*, id est, nec unus. Hic est inclusivum. Vel, *usque ad unum*, id est, usque dum perveniant ad unitatem corporis mei, ubi una fides, unum baptisma. Nulli enim bonum operari possunt, qui extra illam unitatem sunt. Unde illud : *Movebatur aqua* (*Joan.* V), et sanabatur unus. Vel ad comparationem, id est, tot sunt mala operantes ut bene facientes nec unius dici possint ad illorum comparationem, ut illud : *Ooliba, justificasti sororem tuam Sodomam* (*Ezech.* XVI), quia tot et tantæ sunt iniquitates tuæ, ut Sodoma prius impia, tua comparatione justa videri possit; ut illud : *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo* (*Luc.* XVIII). *Non est qui faciat bonum.* Nam faciunt malum : quod et sequitur : *Omnes declinaverunt* a voluntate Domini, non solum gentes quæ legem non acceperunt, sed etiam Judæi; *simul*, scilicet cum gentibus, id est facti sunt Judæi similes gentibus. Hoc dictum est ad exaggerationem criminis : *inutiles facti sunt* aliis, ut is qui sibi inutilis et perniciosus civis patriæ aliter. *Non est qui faciat bonum*, ut supra. Hoc modo inutiles. *Sepulcrum patens est, guttur eorum.* Ad hoc apertum est semper, ut fœtorem nocivum malæ persuasionis emittat, vel ut deglutiat mortuos, id est separatos a Deo : *linguis suis dolose agebant. Magister, scimus quia verax es* (*Matth.* XXII). Vel de omnibus dictum : *venenum aspidum sub labiis eorum*, id est, in corde eorum malitia illa quæ est insanabilis ut illud venenum. Aliter : Aspis timens incantationem Marsi, qui ejus venenum vult habere contra alia venena : hoc est enim ejus natura ut alia venena expellat, si invenit in animali : si non, subito interficit. Ne audiat, unam aurem terræ adhibet, alteram cauda premit. Ista isti ut non audiant mandata Dei aurem cordis præsentibus bonis velut terræ affigunt, præteritæ vitæ delectationes alii replicant. Et ideo, *Contritio et infelicitas :* contritio in corpore, infelicitas in anima. Vel infelix contritio, scilicet summa damnatio *in viis eorum*, id est, in operibus. Unde illud, *Qui offenderit in lapidem hunc confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum* (*Matth.* XXI). Qui enim offendit Filium Dei non credendo confringitur intus, quia omne robur animi amittit. Super illum cadit Christus, quem ultimo judicio conterit duplici contritione. Et hoc ideo, quia *viam pacis*, id est, Christum qui dicit, *Venite ad me, qui laboratis* (*Matth.* XI), *non cognoverunt*. Nam si cognoscerent Deum, timerent. Et hoc est, *Non est timor Dei ante oculos eorum*, id est, in mente eorum. Quasi dicat : Modo nolunt viam pacis, id est me per misericordiam cognoscere, sed aliquando cognoscent per pœnam. Quod interrogando subjungit : *Nonne cognoscent omnes qui operantur*, non qui operati sunt, *iniquitatem?* hanc scilicet *qui devorant plebem meam sicut escam panis*, id est, assidue : quia panis quotidianus victus est. In hoc quod dicit plebem, ostendit in voce capitis esse legendum hunc psalmum. Ideo devorant, quia Deum *non invocaverunt* scilicet ipsum de ipso, sed aliud, scilicet terrena. *Dilexerunt enim magis tenebras quam lucem* (*Joan.* III) : et ideo *trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Timuerunt enim perdere mundum, et non timuerunt perdere Deum (*Joan.* XI). Ut, *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Revera cognoscetis me, viam pacis, per pœnas. *Quoniam Dominus*, scilicet ego Christus, *in generatione justa est*, id est, in plebe sua quam vos devoratis, quæ justa est, quia Creatori suo servit et magis diligit lucem quam tenebras. Vos autem *consilium inopis confudistis*, id est, confusum et indiscretum putastis consilium inopis, id est humilis de se nihil præsumentis : ideo quia *Dominus spes ejus est*, id est, quia non vidistis in eo pompam hujus sæculi. Et non frustra in eum speravit, quia ipse dabit Salutare Israel. Et hoc probat, quasi dicat : Constat vobis, o Judæi, quod *quis*, id est aliquis, *ex Sion*, scilicet veniens, id est, ex Judaica tribu, *dabit Salutare Israel*, id est fideli populo eum videnti per fidem. Quis alius dabit, nisi Dominus cujus humilitatem contempsistis? Aut hic aut alius. Revera iste. Et hoc quando? *Cum averterit Dominus*, id est, removebit : *captivitatem*, id est passibilitatem et mortalitatem qua captiva tenetur : *plebis suæ*. Quæ aversio captivitatis hoc modo fiet : *Exsultabit*, id est, gaudebit, scilicet in spe eadem plebs facta *Jacob*, id est, progrediens de virtute in virtutem. Jacob enim hoc nomen habuit, cum peregrinaretur et esset in progressu. In reditu ad patriam luctans cum angelo, Israel nominatus est (*Gen.* XXXV). Et post facta *Israel*, id est videns Deum, *lætabitur* plenarie, facie ad faciem videns quem prius per speculum videbat (*I Cor.* XIII) : vel Jacob facta, id est *supplantatrix* accipiens primogenita Judaici populi, id est hæreditatem quæ illi promissa fuit.

PSALMUS XIV.

PSALMUS DAVID.

« Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut « quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingredi- « tur sine macula et operatur justitiam. Qui loqui- « tur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in « lingua sua. Nec fecit proximo suo malum, et op- « probrium non accepit adversus proximos suos. Ad « nihilum deductus est in conspectu ejus malignus « timentes autem Dominum glorificat. Qui jurat « proximo suo et non decipit : qui pecuniam suam « non dedit ad usuram, et munera super innocen- « tem non accepit. Qui facit hæc non movebitur in « æternum. »

ENARRATIO.

Psalmus iste, *Domine quis habitabit*, sic cum superiori continuatur, quasi dicat : Ego dixi quod

tunc dabit Salutare Israel, cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ : sed nullus sibi in hoc applaudat, quia non omnes computandi sunt in illa plebe. Quicunque autem volunt esse ejus plebis audiant descriptionem militum Christi. Quæ sententia ut auctorabilior sit, quærit Filius a Patre qui illi sint qui hic strenue se habeant in tabernaculo, id est in castris, ubi donativa dabuntur.

Domine, cujus auctoritati est concedendum, cum sint plures raram habitationem habentes : quia *ad tempus credunt, et in tempore tentionis recedunt* (*Luc.* VIII) : *quis habitabit*, id est assidue manebit *in tabernaculo tuo?* id est, in hac temporali ecclesia. *Militia est vita hominis super terram* (*Job.* VII) : quæ domus est militantium, scilicet in ecclesiasticis institutis : inde et contubernium dicitur, quasi contubernium societas tabernaculi. *Aut quis requiescet* post laborem præsentis vitæ *in monte sancto tuo?* id est in excelso habitaculo, in illo palatio cœlestis Hierusalem, ubi magna est celsitudo, magna munitio : ubi nullus inimicus includitur, nullus amicus excluditur. *Sancto*, quia soli sancti in illa civitate habitant, scilicet superni cives. Sequitur competens ordinatio horum militum. In primis ponuntur fortes et loricati, deinde plebeii. Responsio Domini Patris : *Qui ingreditur sine macula*, id est, qui vivit sine criminali peccato quod animam maculat : non tamen sine nævo, id est, levi. Unde illud, *Erit autem agnus sine macula* (*Exod.* XII). Nota, ingreditur vel intus in cognitione, vel hoc tabernaculum ingreditur ut ibi innocenter vivat. Et quia non sufficit cessare a malo, ideo sequitur : *Et operatur justitiam*, id est edictum regis sui implere laborat, prætermissis aliis virtutibus. Ideo justitiam ponit, quia mater est omnium aliarum et major : quia cæteræ tantum habentem delectant, hæc et alios. Potest hæc esse propositio sequentium, *Qui loquitur veritatem in corde suo*, quia parum est viritatem dicere, nisi etiam ita sit in corde. Diabolus veritatem dicebat, *Quid nobis et tibi, fili Dei?* (*Matth.* VIII.) et tamen non habitabat in tabernaculo Domini. Et ille *qui non egit dolum in lingua sua*, id est, qui non est locutus ad deceptionem aliorum. Et ille qui *nec fecit proximo suo malum*. Augustinus : Omnem hominem proximum accipe, scilicet ejusdem naturæ et ejusdem creationis. Malum, id est aliquod damnum in corpore, vel in anima, vel extraneis rebus. Hoc totum perfectorum est. Nec solum non fecit *opprobrium non accepit adversus proximos*, id est, non libenter aut temere criminatori, vel detractori credidit, vel qui non accusatur quasi noxius a proximis. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus* qui plus amat creaturam quam Creatorem, aurum, argentum. Vel aliter : *Malignus*, id est diabolus : *in conspectu ejus*, id est in intellectu : *ad nihilum deductus est*, id est pro nihilo habetur : quia factus ex nihilo, postquam perdidit bonitatem naturæ, redactus est ad nihil. Et dum nihil est, fortis vir non timet eum. Aliter : *Malignus*, id est diabolus *ad nihilum deductus est*, cum in nulla suggestione ei prævaluit in

A conspectu, id est providentia animi ejus. Aliter : *in conspectu ejus*, id est in ejus cognitione : *malignus*, id est diabolus qui per se posse prævalere videtur, *deductus est ad nihilum*, id est ad creaturas quæ de nihilo creatæ sunt : scilicet cognoscit diabolum illos solummodo posse vincere quos a vera et semper incommutabili specie ad creaturam et commutabile desiderium vertit, ut ad pecuniam vel aliquid horum quæ hujus mundi sunt, eisque se subjicit : tunc eum quasi super se deducit. *Timentes autem Dominum glorificat.* Contra illud ad nihilum deductus est in conspectu ejus, id est, illos glorificat qui potius serviunt Creatori quam creaturæ. Hinc ad gregarios milites transit. Et ille habitabit in tabernaculo, et post, requiescet in palatio, *qui jurat proximo suo* homini *et non decipit* mentiendo. Augustinus : *In*
B *humanis contractibus jurare licet, sed ideo prohibetur, ne assiduitas perjurare faciat.* Et ille *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, sed accomodavit gratis exspectans præmium a Deo. Pater qui de imperfectis loquitur. In pecunia alia omnia accipiuntur : hæc magis solet ad usuram dari. *Et munera super innocentem non accepit*, id est, qui corruptus pecunia causam justam non depressit. Unde illud prophetæ : *Væ vobis qui muneribus justificatis impium, et justitiam justi aufertis ab eo* (*Isa.* V). *Qui facit* non solum supradicta, sed etiam *hæc* minora, *non movebitur*, id est non separabitur *in æternum* : quia neque in tabernaculo, neque in palatio. Potest etiam legi aliter iste psalmus *Dixit insipiens*, sub eadem tamen persona qua prius et eadem intentione, scilicet Augustini
C hoc ordine, ut prius de gentibus dicatur *Dixit insipiens in corde suo*, *Non est Deus*, scilicet in rebus. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt*, ut supra. *In studiis suis*, colentes opera manuum suarum, et cætera ut supra, usque : Dominus de me filio suo prospexit, id est prospicere se ostendit etiam super filios hominum. Hic de Judæis : ut videat, id est, cognosci faciat si est in illis intelligens, id est fidelis aut requirens Deum opere : vel de cœlo, id est de patriarchis et prophetis.

Sed nec in his inventus est intelligens aut requirens Deum, licet secundum carnem essent filii hominum, id est, patriarcharum et prophetarum : et licet legem ac mandata acceperint, secundum litteram omnia accipientes. Si qui autem inventi sunt
D requirentes Deum in lege vel in tempore gratiæ, illi non jam filii hominum, sed Christiani vocantur. Qui enim dicebant, *Nos Moysi discipuli sumus* (*Joan.* IX), illi erant filii hominum, et non intelligebant nec requirebant Deum. Bene requirens : quasi perditum in primo parente. Cætera ut supra, usque, *Consilium inopis*, id est, Christi : qui cum esset dives factus est pauper propter nos (*II Cor.* VIII) : cujus consilium fuit ut vos redimeret ut humilitatem et patientiam vos doceret : illud confudistis, id est contemptibile duxistis computando inter et contemptibilia : ideo quoniam Dominus spes est, id est, quoniam non eum similem vobis vidistis.

PSALMUS XV.

TITULI INSCRIPTIO IPSI DAVID.

« Conserva me, Domine, quoniam speravi in te : « dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum « meorum non eges. Sanctis qui sunt in terra ejus « mirificavit omnes voluntates meas in eis. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per « labia mea. Dominus pars hæreditatis meæ et calicis « mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. « Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi. Benedicam Dominum « qui tribuit mihi intellectum, insuper et usque ad « noctem increpuerunt me renes mei. Providebam « Dominum in conspectu meo semper, quoniam a « dextris est mihi ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, « insuper et caro mea requiescit in spe. Quoniam « non derelinques animam meam in inferno, nec « dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas « mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum « vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in « finem. »

ENARRATIO.

Tituli inscriptio, Psalmus ipsi David. Hieronymus: *Tres sunt tituli qui inscribuntur : unus super tumulos mortuorum, alter in liminibus civitatis vel domorum, tertius in victoria regis.* Hujus tituli inscriptio est de victoria Christi regis Judæorum, id est regis omnium confitentium : Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Iste psalmus ideo dicitur esse inscriptio hujus, quia continet scriptam causam illius victoriæ. Agit enim de obedientia Christi, *propter* quam *Deus illum exaltavit et dedit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philip.* II). Sequitur in titulo, *Psalmus ipsi David.* Est enim in hoc psalmo vox ipsius capitis. Agit et de mutatione carnalium observationum, et de reprobatione Judæorum, et susceptione gentium, et de Christi resurrectione et ultima clarificatione : et hæc omnia ad instructionem fidelium.

VOX CHRISTI IN PASSIONE.

Domine Pater, *conserva me,* sicut usque modo interius servasti animam meam immunem ab omni peccato, et dando patientiam et constantiam, ita nunc conserva, id est, simul cum anima serva corpus, ne descendat in corruptionem. Vel me caput et corpus simul serva, quia in mea resurrectione est eorum redemptio. Et debes, *quoniam in te speravi,* non in alio, ut infelix ille primus parens. Qui vult servari, in te speret. Quod in hoc ostendo : *Dixi Domino,* scilicet in Spiritu sancto, scilicet eo modo quod dicendum fuit : *Nemo enim potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII); hoc dixi : *Deus meus es tu,* id est præcipuus : non ego ut illi, quibus dictum est, *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Faciant sibi alii alios deos ad confusionem suam : ego nihil aliud nisi te ad gloriam meam. Ideo tibi hoc pretium salvationis meæ offero, non aliud : quia

A tu Dominus dominantium non indiges aliquo, ut cæteri domini qui bonis servorum indigent. Te enim indiget servus, non tu servo. Et hoc est, *Quoniam bonorum meorum non eges,* vel incarnatione, morte et resurrectione mea. Hoc autem fructu. *Sanctis qui sunt in terra ejus,* id est, illis quos ego feci sanctos, quia jam sunt in terra viventium per spem, *mirificavit,* id est, desiderabiles fecit, *omnes voluntates meas,* ostendendo suas pravas, meas rectas, suas fœdas, meas honestas : ita ut essent *in eis,* id est in opere haberent. Quibus etiam innotui, quid profuerit et humanitas meæ Divinitatis, et Divinitas humanitatis. Profuit humanitas Divinitatis, quia mortuus est propter delicta nostra : et Divinitas humanitatis quia resurrexerit propter justificatio-

B nem nostram (*Rom.* IV). Hoc mirificavit sanctis, id est omnibus fidelibus de quacunque gente, qui sunt in terra viventium per fidem et spem. Aliter : *Mirificavit* Dominus Pater *omnes voluntates meas,* in sanctis, qui sunt in terra ejus, quia invocavi eum eo modo quo est invocandus, scilicet quia *dixi Domino* : *Deus meus es tu.* In hoc patet quod *mirificavit* illis *voluntates meas,* quia *multiplicatæ sunt infirmitates eorum* : quia prius latebant, aut nullæ videbantur iniquitates *multiplicatæ sunt,* id est multipliciter apparuerunt. Ut illud : *Peccatum revixit : ego autem mortuus sum* (*Rom.* VII), quia prius aliquando vivebam. Et hoc. Cognoverunt per me librum eorum : videntes enim vitam meam rectam, cognoverunt suam pravam. *Postea,* id est, postquam, cognoverunt suam infirmitatem, *acceleraverunt,* sci-

C licet ad medicum. Unde illud : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* VII). *Acceleraverunt* dico, sed non eo modo quo prius, scilicet ut diversa sint eorum conventicula, quia unus erit conventus, quia ibi in fide Christi *non est servus neque liber, non est masculus neque femina, non est barbarus neque Scytha* (*Col.* III), aut de sanguinibus, multis scilicet hostiis, quia ad unam hostiam, et unum sanguinem meum. Et hoc est quod dicit : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Non congregabo,* quia convocabo. Non enim solos Judæos recipiam, quorum synagoga interpretatur *congregatio. Conventicula* scilicet Judæorum, ut domus Jacob, domus Levi, quæ parva fuerunt

D ad comparationem omnium gentium, ut illud. *Et venient ad* eam *omnes gentes* (*Isai.* II; *Jer.* XVI). De sanguinibus scilicet taurorum, vitulorum, hircorum, qui valebant tantum ad emundationem carnis, quia ad proprium sanguinem meum illos convocabo, qui *emundabit eorum conscientiam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* (*Hebr.* IX). *Nec memor ero nominum eorum.* Non ultra erunt inimici, nec servi, nec justi, quia amici, quia liberi, quia justi : *per labia mea,* id est, præcones meos prophetas, quia ego ipse qui loquebar in illis, adero. Aliter : Quæ *conventicula* et sanguines, scilicet fuerunt, *per labia mea,* id est, ego illa præcepi. Et si illa servaverunt quæ

ego per servos fieri præcepi, multi magis erunt servanda quæ ego ipse præcipiam. *Non memor ero nominum eorum per labia mea*, id est, per pacem et reconciliationem meam. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum*, concilians *quæ in cœlis et quæ in terra sunt* (*Eph.* II; *Col.* I): labiis enim osculum pacis damus. Aliter: *Per labia mea congregabo non* aliena. Ego ipse ostendam eis vera sacrificia, quia *caro mea verus est cibus, et sanguis meus verus est potus* (*Joan.* VI). Nihil enim in me invenient quod non sit sumendum. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Ac si dicat: Ego eos ideo ad unum convocabo, quia ipsimet se non separabunt. Nam unum tantum petent non multa, scilicet Dominum. *Dominus pars hæreditatis meæ*, id est Ecclesiæ meæ, quæ est mea hæreditas, quia me pascit, me delectat. Omnia in duo divisa sunt, in creaturam et Creatorem. Alii portionem suam in creaturis sibi constituunt, scilicet in his caducis: hæreditas autem mea, solum Dominum. *Et* erit pars *calicis mei*, scilicet ipsius Ecclesiæ, quæ est meus calix, quia me recreat: propterea enim in cruce dixi: *Sitio* (*Joan.* XIX). Aliter: *Calicis mei*, per imitationem, ut illud, Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt. Ecclesiæ per similitudinem dicitur et hæreditas et calix. Quæ hæreditas mea est, et calix meus, non ex me, sed a te, quia *tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*, perditam in Adam; non ego Dominicus homo, sed tu Deus. Aliter: *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, quia Dominus erit pars hæreditatis meæ per me assumptum hominem, pars erit corporis mei. Et ipse mandat meos, non sanguines victimarum. Unde illud, *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI). *Et* erit *pars calicis mei*, id est ejusdem corporis: quod ideo dicitur calix Christi, quia cum plenitudo divinitatis habitet in illo perfecte (*Col.* II), corpori ejus ad mensuram datur. Aliter: *Tu es qui restitues hæreditatem meam.* Populus Judaicus fuit mea hæreditas. Hanc perdidi, quia *vinea mea electa conversa est in amaritudinem.* (*Isai.* V; *Jer.* II), ut me crucifigeret: Facti sunt rami olivæ, ut intersereretur oleaster (*Rom.* XI). Sed *tu*, Domine *restitues*, quia reliquiæ salvæ fient. Et ne quis sibi frustra applaudat in illa hæreditate, determinat qui illi sint, quos velit discere suam hæreditatem. *Funes*, id est, mensuræ, quia termini illius hæreditatis. Et bene, mensuræ, quia *novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II), ad similitudinem dictum, quia agri funibus mensurantur. *Ceciderunt mihi*, id est, gratia tua sorte mihi contigerunt. *In præclaris*, id est candidis, non habentibus maculam neque rugam: maculam incredulitatis, rugam hæresis. Vel *in præclaris*, in victoria. Illi enim sunt mei, *qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V). Sed quia mundo non ita visi sunt, imo pannosi et contemptibiles, ut illud: *Spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus, omnium peripsema usque adhuc* (*I Cor.* IV); ideo subjungit: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Et per illam hæreditatem *benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum* cognoscendi illam, scilicet conservandi vel discernendi meos a non meis. *Insuper* scilicet *benedicam Dominum* de hoc, quia *usque ad noctem increpuerunt me renes mei. Renes*, id est inferior pars mea, caro scilicet, increpavit, id est. erudivit. Sæpe enim increpatione fit eruditio. *Usque ad noctem*, id est usque ad tenebras mortis. In his enim omnibus quæ in corpore pertuli, obedientiam et humilitatem et patientiam didici. Aliter: *Insuper benedicam Dominum*, quod renes mei, Judæi scilicet, quorum renibus natus sum, *increpuerunt me*, id est duriter arguerunt usque ad mortem: quia ibi exemplum humilitatis et patientiæ meis præbui. Aliter: *Insuper benedicam* Domino, quod *renes mei*, id est, infirmiores partes, *increpuerunt usque ad* mortem, et in infirmitate mortuus sum; sed *renes mei* fuerunt, id est delectationes, id est, non solum benedico te de hoc quod spiritus promptus est, sed quod etiam caro delectata est. *Desiderio enim desideravi hoc pascha* (*Luc.* XXII). Illum merito benedico, quia in passione ne deficerem, *providebam*, id est, porro videbam, *Dominum*, remuneratorem, vel mihi assistentem, *in conspectu meo*, id est, intus in corde, ubi est verus intuitus, *semper*, id est, in passione et in morte. Et merito illum providebam, *quoniam a dextris est mihi*, id est, in potioribus, vel fautor et propitius mihi et meis; *me commovear*, scilicet ab eo simul cum his qui me devorare conantur, quorum pedes moti sunt. Vel ideo illum *benedicam*, et non alium: *quoniam a dextris est mihi*, id est, illum præcipuum habeo. *Propter hoc*, scilicet quia non commovear, *lætatum est cor meum*, id est, intus lætabar, etsi foris paterer. Vel propter hoc scilicet, quia tu hoc modo restitues mihi hæreditatem meam. *Et* cum lætitia cordis *exsultavit*, id est, exsultanter tibi gratias egit *lingua mea*, ut illud: *Pater, gratias ago tibi* (*Joan.* XI). *Insuper*, id est, non solum anima gaudebit, sed *et caro mea requiescet*, id est, jacebit in sepulcro. *In spe*, hac scilicet, *quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis* me *sanctum tuum videre corruptionem*, scilicet orporis mei. Jacuit enim caro Christi in sepulcro; sed corruptum non est, quia tertia die resurrexit. Aliter: *Insuper*, id est, non solum ego caput, sed et caro mea, id est Ecclesia, Unde Apostolus: *Erunt duo in carne una. Hoc autem dico in Christo et Ecclesia* (*Eph.* V). *Requiescet* in morte a laboris hujus vitæ. *In spe*, scilicet resurgendi. Et merito, *quoniam non derelinques animam meam in inferno*, id est quod vident præcessisse in capite, non desperant de membris illi adhærentibus. Notandum quod alibi dicit: *Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?* (*Psal.* XXIX.) Sed hoc dictum de vulnere lateris et fixura clavorum, non de corruptione corporis Christi in sepulcro. Revera non dabis videre corruptionem: imo *notas mihi fecisti*, id est, meis per me *vias vitæ*, scilicet humilitatem, patientiam, perseverantiam: ut me imitando,

ad vitam redirent per humilitatem, unde per superbiam ceciderant. Vel, *vias vitæ*, id est mandata. Unde dicitur: *Si vis ingredi ad vitam, serva mandata* (*Matth.* XIX). Hoc antea fecisti. *Adimplebis* autem *me lætitia*, id est, perfecte implebis; *cum vultu tuo*, id est, cum ego et omnes mei mecum fruemur gaudio præsentiæ tuæ. Tunc adimplebis, qui modo implesti gaudio meæ resurrectionis. Hoc modo adimplebis: *Delectationes*, non una, sed multæ: tu enim eris omnia in omnibus (I *Cor.* XV). *In dextera tua* id est, in illis qui erunt ad dexteram tuam, id est, in digniori parte vel in favore tuo; *usque*, id est semper, *in finem*, scilicet tendens illarum delectationum, et nunquam perveniens.

PSALMUS XVI.

ORATIO DAVID.

« Exaudi, Domine, justitiam meam; intende « deprecationem meam. Auribus percipe orationem « meam, non in labiis dolosis. De vultu tuo judicium « meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Pro« basti cor meum et visitasti nocte, igne me exami« nasti: et non est inventa in me iniquitas. Ut non « loquatur os meum opera hominum, propter verba « labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Perfice « gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur « vestigia mea. Ego clamavi, quoniam exaudisti me, « Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba « mea. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis « sperantes in te. A resistentibus dexteræ tuæ cu« stodi me, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum « tuarum protege me a facie impiorum qui me « afflixerunt. Inimici mei animam meam circumde« derunt, adipem suum concluserunt, os eorum locu« tum est superbiam. Projicientes me nunc circum« dederunt me: oculos suos statuerunt declinare in « terram. Susceperunt me sicut leo paratus ad « prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis. « Exsurge, Domine, præveni eum, et supplanta « eum: eripe animam meam ab impio, frameam « meam ab inimicis manus tuæ. Domine, a paucis « de terra divide eos in vita eorum, et de abscondi« tis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati « sunt filiis, et diviserunt reliquias suas parvulis « suis. Ego autem in justitia apparebo conspectui « tuo; satiabor cum apparuerit gloria tua. »

ENARRATIO.

Oratio ipsi *David*. Iste psalmus est oratio attribuenda David, id est Christo, non corpori, sed ipsi, cum sit utrumque oratio. Orationem et deprecationem Hieronymus in hoc loco hanc differentiam dicit habere. Oratio ut pro adeptione vel perseverantia bonorum; deprecatio, ut non veniant, vel ut auferantur mala. Orat ergo Christus in hoc psalmo, ut judicium illud suum quod fuit ad salutem hominum reveletur mundo, ut credentes salvi fiant. Orat etiam, ut fideles sui protegantur ab impiis ne devocentur.

Exaudi, Domine, justitiam, meam, quæ adversatur justitiæ Adæ. Ac si dicat: Quia tua voluntas aucto- A rem salutis hominum per passionem consummari, justum est ut tibi obediam: et quia obediens sum, justitia mea pro me et pro meis orat apud te. *Intende* id est, irremisse considera *deprecationem meam*, id est, orationem pro peccatis hominum. Inde totus hic psalmus inscribitur oratio, quia est vel in prece, vel in deprecatione; quod utrumque oratio est. Et non solum orat justitia mea, sed etiam *orationem meam auribus percipe*, id est, clementer audi, quæ est *in labiis non dolosis*, id est, quæ digna est tuis auribus, quia est cordi consona. Non enim omnis qui dicit, Domine, Domine, dignus est exauditione (*Matth* VII). Hoc oro, in hoc exaudi: *De vultu tuo judicium meum prodeat. Judicium*, illud quo judicatus sum pati pro salute mundi, *meum*, id est mihi utile et B meis *prodeat*, id est, manifestetur processisse *de tuo vultu*, id est de tua voluntate, non Judæorum dispositione. Hoc modo manifestum fiat. *Oculi tui*, id est, prædicatores quos oculos Ecclesiæ facis, *videant*, id est intelligant, *æquitates*, id est æqualitates, in mea clarificatione et eorum damnatione. Aliter: *Judicium meum*, quo ego me obtuli hostiam pro peccatis hominum, *prodeat*, id est appareat, processisse de tua dispositione, non de mea temeritate. *Oculi tui*, qui falli non possunt, *videant* et cognoscere faciant *æquitatem* scilicet meam: quia æquum fuit ut a te missus, tuo imperio obedirem. Aliter: omne *judicium*, id est omnis discretio mea, *prodeat*, id est exeat, *de vultu tuo*, id est, de circumspectione tua. Et non solum ego, sed *oculi* mei, id est, prædicatores per quos ego meis C provideo: vel *oculi tui* eodem modo *videant* æquitatem, id est, intelligant justum esse, ut opere impleant quod verbo docent. Et hoc faciunt meo exemplo. Tu enim *probasti cor meum*, et probum et constans fecisti: *et visitasti*, quasi infirmum ut confirmares, *nocte*, id est, tribulatione: quæ nox dicitur a simili, quia turbat. *Igne*, id est, valida tribulatione, quæ ignis dicitur quia urit, *me examinasti*, id est, peccata hominum in me confudisti. *Et non est inventa in me iniquitas*, quia in nullo horum recessi a mandatis tuis. Ita fac ut nec in illis inveniatur iniquitas, scilicet fac *ut os meum*, id est doctores mei, *non loquatur opera hominum*, id est, hujus sæculi vanitates quas homines amant, sed potius tua opera et tuas victorias, et hoc faciant me imitando, quia ego *propter verba labiorum tuorum*, quia *tu mandasti mandata tua custodiri nimis* (*Psal.* CXVIII), D *custodivi vias duras*. Aliter: Revera *oculi tui* videbunt *æquitates*, quia *probasti cor meum*, et *visitasti nocte*, ut supra. *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas*. In his omnibus obedientiam meam et humilitatem cognoscent et imitabuntur. Adeo in illa examinatione æquitatem servavi, ut in tribulatione maxima etiam os meum non loquatur stultum quid contra te loquens, sicut de Job dicitur: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis neque stultum quid contra Deum locutus est* (*Job.* I, II). Et Christus *sicut ovis ad occisionem ductus est et non aperuit os suum* (*Isa.* LIII). *Opera hominum*, scilicet pessima fuerunt in me: quia morte turpissima con-

demnaverunt. Quod dicit simpliciter opera hominum excellentiam ostendit. Et tamen *propter verba labiorum tuorum*, id est, ut implerem quod de me prophetæ prædixerunt, qui fuerunt labia mea, *ego custodivi vias duras*. In Hebræo, *vias latronum*, hoc est vias omnis carnis dicit David de morte. Via latronum, mors crucis quæ latronibus et sacrilegis deputata erat. Custodivit vias latronum Dominus, quando inter duos latrones crucifixus (*Luc.* XXIII), etsi esset mors suis factis indigna, tamen patienter pertulit. Aliter : *Ut non loquatur os meum opera hominum*, ita non est inventa in me iniquitas, ut aliud non prodeat ex ore meo nisi laus tua. Si enim ad laudem meam hoc dicerem, opera hominum dicerem, non tua. Aliter: Tanta est tribulatio, *ut non loquatur os meum opera hominum*, id est, quod non sit opus ut ego loquar, quia opera hominum fœda in me, et nimis crudelia per se satis loquuntur. *Propter verba labiorum tuorum*, id est, quia tu jussisti, *ego custodivi vias duras*, id est, multa tormenta. Aliter : *Propter verba labiorum tuorum*, id est, propter pacem et reconciliationem, quam promisisti mundo per me ; quia labiis osculum pacis damus. *Ego custodivi vias duras*, id est, mandata tua difficilia non mihi, sed incipientibus. Hieronymus? Quomodo *duras*, cum dicatur : *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI)? Sed leve volentibus, grave nolentibus. Aliter : *Propter verba*, id est, minas futuræ damnationis, *labiorum tuorum*, id est præconum, apostolorum et prophetarum ; ut illud: *Genimina viperarum, quis vos liberabit a ventura ira?* (*Luc.* III). *Ego custodivi vias duas*, id est magna tormenta in meis, ut illa futura tormenta evaderem. Et quia custodivi vias duras non est inventa in me iniquitas. Sed tu, Domine, perfice quod in me incepisti et in membris meis. *Perfice gressus meos*, id est, omnes affectus et voluntates meorum prædicatorum, *in semitis tuis*, id est, in arctis mandatis. Ita perfice, *ut non moveantur* ab eis *vestigia mea*, id est, exempla humilitatis et patientiæ meæ. Perfice in membris, quia in me jam perfecisti, *quoniam exaudisti me, Deus*. Ideo exaudisti, quia *ego clamavi*, id est, fidem tuam aperte nuntiavi ; vel *clamavi*, eo modo quo ad te clamandum fuit, id est, irremisse egi, vel libera et valida intentione ad te preces direxi. Ideo *inclina* nunc *aurem tuam mihi* oranti pro illis etiam qui futuri sunt mei. *Inclina aurem*, ut medicus ægrotis qui non valent per se surgere quia in lecto peccatorum jacent, quorum infirmitatem in me suscepi. Hoc modo *exaudi* vocem meam. *Misericordias tuas* per me mundo exhibitas *mirifica*, id est, desiderabiles illis fac vel mirabiles ostende, ne vilescant, declarando eas per doctores tuos. Ad hoc mirifica, ut sperent in te, et sperando salventur ; *qui salvos facis sperantes in te*. Et quia salvos facis sperantes in te, *a resistentibus dexteræ tuæ*, id est, mihi capiti et meis, *custodi me ut pupillam oculi*, a simili. Aliter : pupilla est illa pars per quam oculus videt et discernit, sic et Christus est pupilla Ecclesiæ suæ, quia ille solus discernit suos a non suis. Dicit

A ergo: fac ut prædicatores tui qui sunt oculus Ecclesiæ, humilitatem meam imitentur, sine qua intelligere et videre non valent quæ videnda sunt, sicut non valet oculus videre sine pupilla. Taliter custodi : *Sub umbra alarum tuarum protege me*. Superveniat obumbratio Spiritus sancti per geminas alas, id est, dilectionem Dei et proximi, et protegat ab omnium incentivorum nocivo æstu. Unde illud : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I). Aliter : Protege me intelligentia duorum Testamentorum in corpore meo, sicut gallina pullos suos protegit sub alis, ne rapiat eos milvus, id est diabolus. *A facie impiorum qui me afflixerunt*, id est ab imagine Judæorum et hæreticorum, ne devocer in corpore meo ab imagine B et similitudine tua, et conforment illi. Et opus est ut protegas. *Inimici mei animam meam* concluserunt. Judæi Christum, et impii hæretici et alii Ecclesiam, non ad imitandum, sed ad perdendum. Animam meam *circumdederunt* circumventionibus multis, minis et blanditiis ; quidquid enim in corpore fecerunt, in animam machinati sunt, ut illam a te devocarent. Et inimicus diabolus non intelligit quid homo cogitet, nisi per exteriores motus; et in quo unumquemque delectari videt, ut intus capiat, diversas suggestiones infert. *Adipem suum concluserunt*, id est obligaverunt et involverunt se malitia et lætitia temporali, ut non manducarent me panem vivum, qui in similitudinem mannæ de cœlo descendi. Per adipem malitia designatur quem in veteri lege manducare prohibentur, quia cor eorum malitia incras- C satum erat (*Matth.* XIII) : propterea in cantico Deuteronomii dicitur : *Recalcitravit dilectus, incrassatus impinguatus, dilatatus* de malitia (*Deut.* XXXII). Recalcitravit, quia mandata observare noluit. Dilectus fuit, quia manna de cœlo illi pluit. Et quia adipati erant temporali lætitia, *os eorum locutum est superbiam*. Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX). *Projicientes me* prius in meis, vel respuentes doctrinam meam prius, vel projicientes extra civitatem quasi pollutum, et quasi ex mea morte pollueretur civitas, vel nunc scilicet cum præmissi sant, *nunc circumdederunt*, id est, nunc tandem consummaverunt iniquitatem suam, spuentes in me, et colaphis cædentes, et tandem turpi morte condemnantes. Et non mirum si hæc in auctorem vitæ fecerunt, quia D *oculos suos*, id est, mentem qua divinitatem quæ in me operabatur videre debuerunt, *statuerunt*, id est, firmiter proposuerunt *declinare*, id est, deorsum inclinare in terram; id est, corpus meum, id est, tantum me hominem credere voluerunt, et non Deum : vel amorem cordis in terrena, ut magis diligerent mundum quam Deum. Vel cum omni intentione circumdederunt ut perderent : quod in hoc ostendebatur, quia oculos in terra figebant. *Susceperunt me*, vel Judæi a discipulo, vel Pilatus et ejus ministri a Judæis, *sicut leo paratus ad prædam*, principes illi ferocissimi qui me crucifixerunt *et sicut catulus* leonum Judaica plebs vel ejus proles, *habitans in abditis*

A id est quasi in occultis consentiendo Minores enim etsi aperte eum non damnaverunt, tamen peccaverunt occulte, quia in morte ejus consenserunt. Non enim soli qui mala agunt rei sunt, sed et qui consentiunt (*Rom.* I). *Exurge Domine*, fer opem, qui in humilitate mea visus es jacere. *Præveni eum*, scilicet diabolum, cujus instinctu hæc faciunt. Veniat ad me, et in me non habeat quidquam (*Joan.* XIV). Vel in laqueo mortis quem mihi paravit capiatur ipse. *O mors, ero mors tua* (*Ose.* XIII), *Et supplanta eum*, ut in morte mea per quam credidit se exaltari, humilietur. Vel ipse insidiatur calcaneo meo, sed tu caput ejus contere (*Gen.* III). Hoc modo exurge: *Eripe animam meam ab impio*, ut eam apud inferos non detineat: vel animam meorum, qui indigni captivi detinentur apud inferos: *Frameam tuam*, id est, B me gladium tuum, per quem jugulandus est inimicus, *ab inimicis manus tuæ*. Aliter: *Præveni eum*, Judaicum populum: excæcetur intus malitia sua, ut factum eorum vindicta præveniat. Et post cum crediderit exaltari in me, *supplanta eum* id est, dejice. Credidit enim per meam mortem obtinere locum et gentem (*Joan.* XI), sed per eam utrumque amittat: ille supplantator, cui aliquid sub planta ponitur ut exaltetur, et post subtrahitur ut gravius cadat. Supposita est eis infirmitas carnis meæ, et elati sunt: subducta est postea cum resurrexi, et ceciderunt. Hoc modo supplanta: *Domine, a paucis de terra divide eos*. Etsi in terra morientium simul crescat zizania et triticum usque ad messem (*Matth.* XIII), tamen divides eos quandoque a paucis, id est ab electis de terra viventium. C *In vita eorum*, scilicet paucorum, ubi divites cum paucis resurgent ad vitam, multi opprobrium: quia *venter eorum*, id est memoria, *adimpletus est de absconditis tuis*, id est iniquitatibus quas tu ignoras, vel ignorantia et oblivione tui. Aliter secundum historiam: *In vita eorum*, scilicet ista quam solam amant, *divide eos de terra* sua. Quod factum est tempore Titi et Vespasiani, quando capti sunt et venundati, et in captivitatem dispersi. Quia *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, ut supra. Quasi dicat. Ad quid hæc Judæorum dejectio? *Cæcitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret et sic*, scilicet exemplo correctus, *omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI). *Saturati sunt*, id est pleni gaudio meæ passionis et mortis et non D sibi solum, sed etiam *filiis* suis sunt saturati, adeo ut et filiis partem præbeant: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVI). *Et dimiserunt reliquias suas*, id est, superabundantiam damnationis suæ *parvulis suis*, id est posteris, ut judicetur sanguis Christi in tertiam et quintam generationem. Aliter: *Saturati sunt*, id est, satisfecerunt voluntati suæ prævæ, non suæ utilitati, sed filiis, qui eorum cognoscentes damnationem, et Dei in morte clarificationem, conversi sunt ad fidem, et *reliquias suas*, id est, spirituales intelligentias, quasi illi supervacuas duxerunt: *dimiserunt parvulis suis*, id est, humilibus de progenie eorum, apostolis et reliquiis illis qui in fine salvabuntur. Aliter: *Saturati sunt*, morte Domini: quia sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita et in corde terræ, id est, in terrenorum Judæorum, fuit mors Christi (*Matth.* XII; *Joan.* II): quia in quinta feria toto die et sequenti nocte inde cogitaverunt, in sexta crucifixerunt, in septima depositus est de cruce, et sepultus jacuit in terra, usque dum post tres dies, id est, prima Sabbati mane resurgeret. *Et reliquias suas*, id est, resurrectionem, *dimiserunt parvulis suis*, qui in ejus resurrectione simul surrexerunt a morte infidelitatis. Et secundum mortalitatem potest hoc modo legi: *Domine, a paucis divide eos*, antequam *de terra* tua omnino dividantur, separentur etiam hic *in vita eorum*, etsi non in carne, tamen affectione, *a paucis* id est ab electis. Non sint hic cum eis in resurrectione prima, ut postea non habeant societatem cum eis in resurrectione secunda. *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo*. Quasi dicat ille: Me projecerunt extra civitatem, et societate eorum indignum judicaverunt: sed a te non sum rejectus, quia *apparebo conspectui tuo* in gloria ascensionis. *In justitia*, quia justum est ut justus justificetur. Illi hic satiati sunt porcina, id est malitia: ego autem ibi satiabor, qui modo quasi pransus sum, in clarificatione mea: *satiabor*, id est, plenum gaudium habebo, *cum apparuerit gloria tua*, id est, cum præsentabo tibi Ecclesiam tuam, cum tradidero regnum tibi Deo Patri, in quo tua apparebit gloria: vel cum gloria illa manifestabitur in re, quæ nunc latebat in spe: quia videbunt te sicuti es, qui nunc per speculum vident (I *Cor.* XV).

PSALMUS XVII.

IN FINEM PUERO DOMINI DAVID, QUI LOCUTUS EST DOMINO VERBA CANTICI HUJUS, IN DIE QUA ERIPUIT EUM DOMINUS DE MANU OMNIUM INIMICORUM EJUS, ET DE MANU SAUL, ET DIXIT:

« Diligam te, Domine, fortitudo mea. Dominus
« firmamentum meum et refugium meum, et libera-
« tor meus. Deus meus adjutor meus, et sperabo in
« eum. Protector meus et cornu salutis meæ, et
« susceptor meus. Laudans invocabo Dominum, et
« ab inimicis meis salvus ero. Circumdederunt me
« dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturba-
« verunt me. Dolores inferni circumdederunt me,
« præoccupaverunt me laquei mortis. In tribulatione
« meo invocavi Dominum, et ad Deum meum cla-
« mavi. Et exaudivit de templo sancto suo vocem
« meam, et clamor meus in conspectu ejus introivit
« in aures ejus. Commota est et contremuit terra,
« et fundamenta montium conturbata sunt et com-
« mota sunt, quoniam iratus est eis. Ascendit fumus
« in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones
« succensi sunt ab eo. Inclinavit cælos et descendit,
« et caligo sub pedibus ejus. Et ascendit super che-
« rubin et volavit super pennas ventorum. Et posuit
« tenebras latibulum suum, in circuitu ejus taberna-
« culum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris.
« Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt

« grando et carbones ignis. Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam; grando et carbones ignis. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos. Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum. Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ. Misit de summo et accepit me, et assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. Prævenerunt me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus protector meus. Et eduxit me in latitudinem, salvum me fecit quoniam voluit. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me. Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus. Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis. Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas. Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum. Deus meus, impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me. Qui docet manus meas ad prælium, et posuisti ut arcum æreum brachia mea. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me. Et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit. Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea. Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Et præcinxisti me virtute ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret: ad Dominum, nec exaudivit eos. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos. Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi. filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis. Vidit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus, salutis meæ. Deus, qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me libera- A tor meus de inimicis meis iracundis. Et ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, et nomini tuo psalmum dicam. Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in sæculum. »

ENARRATIO.

In finem puero David, qui locutus est ad Dominum verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum et de manu Saul. Diligam te, Domine. Secundum historiam hunc psalmum cantavit David, quando, mortuo Saul et aliis inimicis suis, liberatus est ab eorum persecutionibus: sed non pro se tantum has B laudes Deo cantavit, sed pro redemptione illa vera et perfecta, quam vidit futuram in Christo vero David et ejus membris. Agit enim hic psalmus de victoria passionis Christi, et de gloria ejus resurrectionis, et de institutione et conformatione corporis sui, et quomodo vel per quos acta sint. Titulus sic construitur et exponitur: Verba cantici hujus, id est exsultativæ laudis, referenda sunt *in finem* id est in Christum, scilicet attribuenda *David puero Domini*. Abjecto Saul, dictum est a Domino: *Elegi virum secundum cor meum* (*Psal.* LXXXVIII). Unde merito ille David, puer, id est electus Domini, est dictus. Et Christus qui has laudes Deo Patri cantat, puer Domini dictus est; ut illud: *Hic est filius meus dilectus* (*Matth.* III): et, *Puer natus est nobis* (*Isa.* IX), et vere puer, quia purus et sine C macula. Quæ scilicet verba *locutus est ad Dominum*, id est in consideratione illius diei *qua eripuit eum Dominus* de manu omnium inimicorum suorum: quod factum est in ipso capite, quod resurrexit et in cœlum ascendit. *Et de manu Saul*, id est mortis. Secundum nominis interpretationem, per Saul mors intelligitur. Interpretatur enim *appetitus*, quia filii Israel contra voluntatem Dei appetiverunt eum sibi in regem. Et de more dictum est: *Deus non fecit mortem* (*Sap.* I), impii autem accersierunt eam sibi manibus et pedibus. Hæc ereptio perfecta non erit, nisi cum novissima destruetur mors, cum Christus tradet regnum Deo et Patri (I *Cor.* XIII): tunc tandem Christus totus, id est in capite et membris ereptus erit de manu omnium inimicorum suorum, et de D manu Saul.

VOX CHRISTI.

Diligam te, Domine. Quia video quod tandem me eripies de manu omnium inimicorum et Saul, diligam te: non dico dilexi, tantum vel diligo, quia charitas nunquam excidet fides et spes evacuabitur, cum venerit illa ereptio, cum evacuabitur quod ex parte est, sed dilectio crescit. Et merito, quia tu firmas me in illa dilectione, tu es *fortitudo mea*. Per te ego considerata pericula suscipio, et labores meos perpetior. Ut suos etiam cohortetur ad laudem Dei, convertit se ad eos, dicens: *Dominus firmamentum meum:* quia in primo parente per superbiam infir-

matus sum, per ejus gratiam non sum confirmatus. *Et refugium meum*, quem intus secure confugitur, cum quis foris resistere nequit. *Et liberator meus:* tandem liberat non solum ab inimicis, sed etiam a mortalitate. Præ nimio gaudio multiplicat laudes: *Deus meus* per naturam, *adjutor meus* per gratiam, ne deficiam sub onere. *Et* ideo *sperabo in eum*: non ero similis illi qui in se speravit, et cecidit. Hoc modo factus est ajutor per gratiam. *Protector meus*, et non qualiscunque, sed *cornu salutis meæ*, id est qui de carnali et fragili facit me spiritualem et fortem, et quasi naturam meam me excedere facit; ut illud: *In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus* (*II Cor.* x); sicut cornu cum sit de carne, in duritiam tamen versum excedit carnem et in aliam transit naturam. Aliter: Cum diversa animalia diversis armis se protegant, lupus dente, equus pede, tu mihi es cornu, quia das firmam rationem qua valeam ventilare inimicos et præcipue hæreticos. Aliter: Non erigo cornu superbiæ contra te, sed tu es cornu, id est firma celsitudo salutis meæ, erigens spem meam ad te. Et non solum protector et cornu, sed, quod est majus, factus es *susceptor meus*, id est infirmitatis meæ. Hoc pro corpore. Vel, *susceptor meus*, id est causæ meæ. Hoc modo suscepit me. *Misit* Deus Pater Filium suum sibi coæternum, *de summo*, id est de sinu Patris. *Misit*, id est in humilitate apparere fecit, qui invisibilis erat in suis. *Et accepit me*, scilicet formam servi, non angeli, non alicujus dignioris rei. Nusquam enim angelos apprehendit: *et assumpsit me*, id est, corpus meum, quod est Ecclesia: *de aquis multis*, id est de multis populis, quia non solum congregavit eam de Judæa, sed de cunctis terris. Aquæ dicuntur populi (*Apoc.* xvii) ad hanc similitudinem, quia per decessionem et successionem, in decursu semper sunt ut aquæ. Vel *de aquis multis*, id est de fluxu carnalium delectationum, vel de multis baptismatibus. Quia cum unum sit baptisma, et omnia vitia ibi demerguntur præterita, sicut Ægyptii demersi sunt in mari Rubro (*Exod.* xiv), ut nec unus superesset. Significat enim mare Rubrum baptismum, qui sanguine Christi sanctificatus et ruber factus est ad demergenda vitia potens: tamen dividitur secundum baptizatorum sequentia merita. Alii enim sic baptizantur, ut in illa puritate maneant, ut ita toti mundi sint, et non indigeant nisi ut pedes lavent a pulvere (*Joan.* xiii), id est, cogitationes ab illicitis. Alii quædam addunt crimina, sed venialia. Aliis autem nihil prodest, quia redeunt penitus ad vetustatem prave vivendo, sicut legitur de illo mari: *Qui divisit mare Rubrum in divisiones* (*Psal.* cxxxv.).

Quot enim tribus fuerunt Israeliticæ, totidem in partes est divisum. Et quia me caput accepit et assumpsit in membris, *laudans invocabo Dominum*. Non solum vocabo Dominum, sed *invocabo*, id est, in me vocabo, ut ipe sit et quod rogo, et a quo rogo. Et hoc faciam *laudans*, id est, laudabiliter vivens. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Et hoc modo *ab inimicis meis salvus ero*; ab his scilicet: *Circumdederunt me dolores mortis*, id est, illi in quibus erant dolores, illi qui ad mortem ducunt, scilicet passiones invidiæ. Invidebant enim me vivere. *Et torrentes iniquitatis*, id est, subiti impetus iniquorum et cito transeuntes, sicut aqua subito mota pluviali augmento et cito decrescens; *conturbaverunt me*, id est, parvo tempore me morte contristaverunt: post triduum enim resurrexi. Conturbatio enim subitus motus est et cito transiens. Ac si dicat: Sola invidia eorum fuit causa meæ mortis, sed nihil illis profuit: quia ille eorum impetus subito crevit, et subito cessavit, sicut aqua mota a pluvia. Mortuus enim jacui in sepulcro, sed non nisi per tres dies. *Dolores* inferi, id est, dolentes de amissione terrenorum rerum. Sicut sunt superni dolores, illi scilicet qui sunt de amissione cœlestium: ita et inferi, de amissione terrenarum rerum ducentes ad inferos. Iniquitates et dolores, emphatice dictum. Audiebant enim amatores hujus sæculi: Perit *mundus et concupiscentia ejus* (*I Joan.* ii). Neminem calumniaveritis, Nemini injuriam faciatis. *Præoccupaverunt me*, quasi ignorantem quantum ad eorum opinionem, *laquei mortis*, id est, causæ innexæ causis ad mortem meam tendentes. Vel insidiæ eorum paraverunt mihi mortem quasi nescienti. *Ab inimicis meis salvus ero*. Et opus est salvatione, quia *dolores mortis*, id est, passibilitates illæ quas habeo ex mortalitate mea, *circumdederunt me*, id est, carnem meam. Et ideo *torrentes iniquitatis*, ut supra *conturbaverunt:* propterea voluerunt me conturbare. *Dolores* inferi, id est dolores inferioris mei, id est carnis meæ, quæ est inferior pars mea; *circumdederunt me*, id est, fortius me amplexati sunt: et non mirum, quia *preoccupaverunt me* in primo parente, scilicet in massa, *laquei mortis*, id est, causæ mortalitatis. Ex massa enim contraxi etsi non culpam, tamen pœnam. Ego autem feci quod meum fuit: confugi ad preces. Vel *invocavi*, id est, in me vocavi *Dominum* renumeratorem: *in tribulatione mea*, non illorum, quia illis non profuit. *Invocavi Dominum*, id est, intus vocavi in corde, ubi libera est vox et exauditio prompta. Quem Dominum? *Et ad Deum meum clamavi*, id est, irremisse egi. Vel invocavi pro me, clamavi pro meis. *Et exaudivit de templo sancto suo:* quia cum invocavi, non alium: *vocem meam* factam pro me, non ad humanum favorem: *et clamor meus* factus pro meis: *in conspectu ejus*, id est, in corde factus, vel irremissa operatione, ubi præsto est semper conspectu ejus, *introivit in aures ejus*, id est, exaudiri meruit. Quam exauditionem effectus ostendit. Data vel accepta veteri lege per servum, *commota est* terra. Resurgente Domino, per quem lex adimplenda erat et invocanda, commota est materialiter, et corda terrenorum similiter de infidelitate ad fidem, quod significabat terræmotus. Et non solum terra, sed etiam Judæa *contremuit*, id est, simul cum Judæa tremuit tota *terra*, scilicet gentilitatis terra, id est, terreni omnes timuerunt. Quare timuerint post subjungit;

Et non solum minores, sed etiam *fundamenta montium*, id est, principes majores, ut Gamaliel legis doctor, et Joseph ab Arimathia, in quibus minores principes confidebant : *conturbata sunt* de peccatis, *et commota* de infidelitate ad fidem : vel, *fundamenta montium*, id est, spes terrenarum rerum, in quibus montes, id est superbi, confidebant, *conturbata sunt* : quia non confidebant in eis homines ut prius, postquam audierunt : *Omnis caro fenum* (*I Petr.* I); et : Præterit *mundus et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II). Unde illud : *Et ascendet Dominus nubem levem et ingredietur Ægyptum, et confringentur idola Ægypti* (*Isa.* XIX). Et Apostolus ad Timotheum : *Præcipe divitibus hujus sæculi non confidere in incerto divitiarum* (*I Tim.* VI). Aliter : *Fundamenta montium*, id est idola, in quibus montes, id est dæmones, colebantur : Vel, *montium*, id est, in quibus montes, id est, superbi hujus sæculi confidebant, *conturbata sunt*, id est, confusa vel dissipata : et commota de cordibus hominum, vel de honore illo priori. Sive hoc modo, sive illo accipiantur, conturbata sunt et commota : ideo *quoniam iratus est eis*, scilicet Dominus, id est, iram suam et futuram damnationem illis innotuit. Unde illud : *Genimina viperarum, quis vos liberabit a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* (*Luc.* III). Hoc modo commota *sunt. Ascendit fumus*, postquam cognoverunt peccata sua, id est, lacrymosa deprecatio ; *in ira ejus*, id est, in cognitione iræ ejus. Fumus fit ex duabus rebus, ex igne et aqua. Per ignem compunctio, per aquam lacrymæ, per fumum, ut dignum est, deprecatio ; ut illud : *Et ascendit fumus aromatum* (*Apoc.* VIII). Et post : *Quæ sunt orationes sanctorum* (*Apoc.* V). Et post fumum *ignis exarsit*, id est charitas, *a facie ejus*, id est, a cognitione. Cognitio enim Dei eos ad amorem suum accendit. *Carbones succensi sunt ab eo*, id est, illi quibus exstinctus erat amor Dei in primo parente, modo succensi sunt, illuminati per gratiam Dei accepta luce veritatis. Unde illud *Fuistis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino* (*Rom.* III). Si ad incarnationem Christi referimus quod dictum est : *Misit de summo et accepit me ;* sic istud legimus : *Inclinavit cœlos*, quasi quæratur, quomodo carbones succensi sint? *Inclinavit cœlos*, id est, humiliavit justos virtutibus sublimatos, ut descenderent ad omnia toleranda. Et quia Dominus in eis est, *et* ipse cum eis *descendit*. Et tamen *caligo*, id est, caliginosi fuerunt, *sub pedibus ejus* : quia quamvis calcarent eos secundum exterius, tamen conculcabantur ab eis quantum ad interius. Aliter : *Inclinavit* apostolos faciendo eos condescendere nostræ capacitati. Et hoc modo *caligo*, id est caliginosi, *sub pedibus ejus*, id est sub affectionibus, facti boni. Vel, *caligo*, id est, diabolus conculcatus est. *Et ascendit super Cherubim*, quanquam descendit ; quia ipsa quæ putabatur descensio, potius fuit ascensio. Si autem ordine legimus superiora, dicendo : *Protector meus et cornu salutis meæ et susceptor meus* : et quia *susceptor meus, laudans invocabo Do-*

A *minum*, et cætera usque huc, *Inclinavi cœlos* : referemus hoc ad incarnationem Christi, et ostendimus quo ordine superiora sint facta. *Inclinavit* Deus Pater *cœlos*, id est, summa imis conjunxit, cœlestia terrenis, divinitatem mortalitati. *Et descendit*, id est, se hoc modo minoravit, formam servi accipiens (*Phil.* II). *Et caligo* id est obscuritas, Scripturarum quæ fuit in prophetis, *sub pedibus ejus*, id est apostolis. Ut illud : *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV). Vel *caligo*, id est, illi qui prius caligine peccatorum obvoluti erant, cognoscentes eum, fuerunt *sub pedibus ejus*, id est affectionibus, id est, venerati sunt eum. Vel *sub pedibus ejus* fuit *caligo*, quia *mundus eum non cognovit* (*Joan.* I), Aliter : *et caligo* id est, obscuritas et lux incom-
B prehensibilis *sub pedibus ejus*, id est, in carne latuit, scilicet divinitas Verbi ; qualitercunque hoc dicatur quod sequitur, scilicet : *Et ascendit super Cherubim*, sic continuatur : Ego dixi, *Inclinavit cœlos et descendit* : et tamen licet in humanitate descendit, per Divinitatem *ascendit super Cherubim*, id est, altus et incomprehensibilis ; et lux inaccessibilis fuit illis qui fuerunt *Cherubim*, id est pleni scientia : quanto enim magis ad eum acceditur, tanto magis ipse recedit ; quanto plus scitur, eo magis ignoratur. *Ascendit super Cherubim*, id est, transcendit omnem scientiam et cogitationem perfectorum ; *et* ut ostendat quam inaccessibiliter recessit, dicit : *Volavit*, id est, in altum se extulit, non semel, sed ut dici possit quoties et quantum, *volavit super pennas ventorum*, id est, super agilitatem omnium spirituum. Nullus
C enim spiritus adeo velox est ut eum possit comprehendere, sive anima sit, sive angelus. Aliter : exaltatus est super plenitudinem scientiæ, ut nemo ad eam perveniat nisi per charitatem. *Plenitudo* enim *legis* charitas (*Rom.* XIII). Et ne aliquis illum corporeis imaginibus informare velit, incomprehensibilem ponit. *Volavit*, inquam, *super pennas ventorum*, id est, geminas charitatis vel virtutum alas sanctarum animarum ; quæ licet tollantur in auras libertatis ; incomprehensibilis est illis scientia Deitatis : sua enim charitas omnium præcellit charitatem, et sua virtus omnem virtutem. *Posuit tenebras latibulum suum*, id est, fecit ut tenebrosi essent, in quibus ipsi latenter salutem suorum operaretur : ut illud : *Virga furoris mei Assur* (*Isa.* X), ipse vero non cogno-
D vit. Et quanquam in caliginosis operaretur occulte, tamen *in circuitu ejus tabernaculum ejus*, id est, tabernaculantes et militantes ei in circuitu ejus sunt, id est, eum manifeste operari cognoscunt et per eos ipse manifeste operatur. Et opus fuit ut per tabernaculantes, id est apostolos, aperto operaretur : quia *tenebrosa aqua in nubibus aeris, præ fulgore in conspectu ejus*, id est, obscura doctrina fuit in prophetis continentibus aerem, id est apostolos. In eorum enim doctrina apostoli consistunt. Obscura fuit doctrina prophetarum *præ fulgore in conspectu ejus*, id est, ad comparationem illius splendoris et illius manifestationis, quæ fit illis qui sunt *in conspectu ejus*,

id est, qui eum viderunt et cognoverunt, ut apostoli. Aliter : *Posuit tenebras*, id est, corda hominum quæ tenebrosa sunt, quia non videntur, *latibulum suum* ut in eis lateret per occultam spem ; et ideo in circuitu ejus tabernaculum ejus, id est, aperte ei militant tabernaculantes. Aliter : *Posuit tenebras latibulum suum*, id est, in obscuritatibus sacramentorum latere voluit. Et tamen *in circuitu ejus tabernaculum ejus*, id est tabernaculantes ei, ad eum se convertunt : et eum se habere veraciter per illa sacramenta cognoscunt, vel veraciter per illa sacramenta in eis operatur. Et quia dixit, *in circuitu ejus tabernaculum ejus*, ne quis putet se non aliam clarificationem adepturum nisi hanc scilicet quod Deum per sacramenta habet, subjungit : *Tenebrosa est aqua in nubibus aeris*, id est, et in aere, id est apostolis, *in nubibus aeris*, id est prophetis. *Tenebrosa* est *aqua*, id est doctrina : nulli enim eum laudare et explicare verbis valent sicuti est. *Præ fulgore*, id est, ad comparationem illius fulgoris, id est illius claritudinis, quæ erit *in conspectu ejus*, id est in visione ejus, cum *videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III), et cum *fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* III). Secundum superiorem modum ubi diximus, *inclinavit cœlos*, id est cœlestia. Deus factus homo *descendit* : possumus dicere, *Posuit tenebras latibulum suum*, id est obscuras Scripturas. *In circuitu ejus tabernaculum ejus*, id est, illi, qui circa eum fuerunt et eum viderunt, ut apostoli, *tabernaculum ejus* fuerunt, id est, aperte militaverunt, et aperte eum docuerunt. Quasi dicat : Et hæc ejus incarnatio et manifestatio non subita, quia *aqua*, id est, doctrina hujus manifestationis fuit *in nubibus aeris*, et si *tenebrosa*, id est obscura. *In hoc enim verbum est verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit* (*Joan.* IV). Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. Prophetæ seminaverunt Christum et ecclesiastica instituta, apostoli autem messuerunt. *Nubes traneierunt*. Quasi dicat : Per tabernacutantes, id est apostolos, *nubes transierunt*, id est, prophetiæ translatæ sunt a Judæis ad gentes : vel *nubes transierunt*, id est, obscuritas Scripturarum revelata est Hieronymus : *Præ fulgore in conspectu ejus*, id est, præ claritate spiritus quem acceperunt eum videntes. *Nubes*, id est apostoli, *transierunt*, de Judæis, ad gentes scilicet Spiritu sancto eos ducente. *Grando* fuit in illis, id est, terror et comminatio futuræ pœnæ, contundens vitia hominum. *Et carbones ignis*, id est igniti, incendentes corda hominum ad compunctionem infirmorum, et desiderium supernorum, Quasi dicat : *Et* hoc non ex ipsis apostolis, quia *intonuit de cœlo Dominus*, id est de apostolis. Exponit quod dixit, *intonuit*. *Et Altissimus*, scilicet ille qui volavit super pennas ventorum, *dedit vocem suam*, non illorum. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X) : intonuit, id est, terribiliter prædicavit. In qua voce fuit *grando et carbones ignis*. Ipse dedit vocem suam. *Et misit sagittas suas*, id est, apostolos vel evange-

A listas : ipse eos misit, non ipsi. *Vel sagittas*, id est, verba sua. *Et dissipavit eos*, scilicet ad quos missi sunt. Alii enim sagittati sunt ad mortem, alii ad vitam. *Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*I Cor.* II). Vel, *dissipavit eos*, scilicet quos misit. Misit enim eos in universum mundum (*Marc.* XVI). *Fulgura multiplicavit*, id est miracula ; ut illud : *Deo cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis* (*Ibid.*). *Et conturbabit eos* ad quos missi sunt, id est ad punctionem et pœnitentiam commovet. *Et* tunc *apparuerunt fontes aquarum*, id est, apostoli et evangelistæ, in quibus erant aquæ, id est, varia dona Spiritus sancti, *apparuerunt*, id est, aperte prædicaverunt de Christo, *et* per eos *revelata*, id est detecta et aperta, *sunt fundamenta*
B *orbis terrarum*, id est, scripturæ prophetarum, in quibus totus orbis, id est Ecclesia, fundata est, vel aquæ latentes, scripta prophetarum : fontes aquarum, expositores eorum illi modo apparuerunt, ut Augustinus, Hieronymus et alii. *Et per eos revelata sunt fundamenta orbis terrarum*, ut supra. Vel, *fontes aquarum*, id est, renati aquis baptismatis. Et hæc omnia, o *Domine*, *ab increpatione tua* facta sunt : tu enim increpasti eos salubri increpatione : *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ* (*Luc.* XXIV) ! Aliter : Dixi quod Dominus misit sagittas suas, et conturbavit eos : fulgura multiplicavit, et conturbavit eos : sed hoc factum est ab increpatione tua, Domine, non a sagittis, non a fulguribus : sed *ab inspiratione spiritus iræ tuæ* ; quia tu inspirasti eos
C illo spiritu qui eis notificaret iram tuam, ut a timore inciperent. *Domine, a timore tuo parturivimus* (*Isa.* XXVI). *Misit de summo et accepit me*. Si ibi dispensationem incarnationis Christi accipimus, ubi dictum est. *Inclinavit cœlos et descendit*, istud sic accipiamus, quasi et hæc omnia isto modo facta sunt. *Misit* Deus pater scilicet Spiritum sanctum *de summo*, id est de cœlis, vel de sua celsitudine : *et accepit*, id est, corpus meum. *Et* taliter *assumpsit me*, id est, meos de aquis multis, ut supra. Hoc modo assumpsit : *Eripuit me* caput *de inimicis meis fortissimis*, de Judæis in passione, de diabolo et ejus angelis in inferno ; *fortissimis*, quia morti me tradiderunt. Fortis est qui nostra tollit, *fortior*, qui nos ipsos lædit : fortissimus, qui interficit. *Et ab his* etiam
D *qui oderunt me*, in corpore scilicet, qui odio me multos persequuntur. Multi enim non viderunt, et tamen odio habuerunt. Et opus fuit ut eriperet, *quoniam confortati sunt super me*, id est, prævaluerunt mihi in carne. Si ad Christum, ab his qui oderunt me, id est, qui nullam aliam causum habuerunt ut essent mihi inimici, nisi solum odium. Quod odio habuerunt, in hoc patet *quoniam confortati sunt*, id est, unanimiter insurrexerunt super me. Quomodo confortati sunt, ostendit. *Prævenerunt me*, id est, prævaluerunt mihi exterius. *In die afflictionis meæ*, id est, in tempore mihi constituto ad passionem meæ, id est, mihi utili, non eis. *Prævenerunt in die afflictionis*,

sed non parvenient in die clarificationis. Et hoc ideo, quia *factus est Dominus protector meus* (*Psal.* LXXVI) in capite et in membris, *et* protegendo *eduxit me* caput *in latitudinem* gentium scilicet, quia prius in sola Judæa notus, post mortem in omnibus gentibus, vel hoc modo protexit meos, ne devorarentur. Eduxit me in illis, et me in eis, *Eduxit*, id est, extra angustias carnis duxit per spem *in latitudinem* futuræ retributionis, ubi nulla erit angustia: vel hic eduxit in latitudinem charitatis, ut etiam inimicos diligerem. Hoc modo eduxit me caput in latitudinem gentium: *Salvum me fecit*, resuscitando. Vel hoc modo eduxit meos in latitudinem, quia me caput eorum salvum fecit, *quoniam voluit*, non merito meo. Amavit enim me fœdam, ut faceret pulchram. Ejus voluntas meam voluntatem prævenit. Et tamen quamquam ex gratia illis totum sit, *retribuet mihi Dominus* in die clarificationis *secundum justitium meam*, id est, secundum humilitatem et obedientiam meam, cum tamen non sit mea. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi*, id est, innocentiam operum. Illa est vera innocentia, quæ nec sibi nocet, nec cuiquam. Ostendit illam justitiam. *Quia custodivi vias Domini*, id est, mandata, *Nec impie gessi a Deo meo.* Hoc modo custodivi, a contrario. Ideo custodivi, *quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo*, id est, in mente mea. In omni opere meo semper attendi judicia ejus, quæ sunt quatuor: duo de præsenti, et duo de futuro. Flagella corrigendorum, et tentationes probandorum, præmia justorum, pœna impiorum. *Et* in hoc patet, quia *justitias ejus*, id est mandata, custodivi, quod est dicere per contrarium, *non repuli a me.* Alia est justitia Christi, alia hominum. Justitia Christi est pro aliis pati; ut illud: Oportebat eum qui multos filios adducturus erat in gloriam Patris, auctorem salutis eorum, per passionem consummari (*Hebr.* II). Hucusque Christus de se tantum, ab illo loco: *Et retribuet mihi Dominus*. Nunc de membris. *Et ero* in membris meis *cum eo* hoc modo, quia immaculatus. Nota quod non dixit, sine peccato: sed *immaculatus*, id est, sine criminali peccato, quod qui facit, non est cum eo. *Et* hoc non, ad tempus, sed *observabo me ab iniquitate mea*, id est, perseverabo in innocentia mea. *Et* ideo *retribuet mihi Dominus* in membris meis *secundum justitiam meam* ut supra. *In conspectu oculorum ejus*. Quæ justitia et puritas non fuit ad laudem humanam, sed in conspectu Dei, ut ille solus videret quantum ad meritum. Vel, *retribuit mihi in conspectu oculorum ejus* id est, cum eum videbo facie ad faciem, non per speculum (*I Cor.* XIII). Et revera retribues, quia *cum sancto*, id est, cum eo qui est vere sanctus, *sanctus eris;*: tu natura sanctus, eris sanctus cum illo, qui erit gratia sanctus. Tua sanctitas ejus sanctitatem, in eo præcedit, et in eo operatur, et ideo scio quia opus misericordiæ tuæ coronabis: similiter et in aliis accipitur usque *Et cum perverso perverteris*: non ut eum perversum faciass, sed ejus perversio, scilicet a te aversio, faciet te a misericordia in judicium verti: ut in Levitico: *Si ambulaveritis a me perversi, et ego ambulabo contra vos furore perverso* (*Lev.* XXVI). Aliter: Revera *retribuet mihi*, id est meis, meritum, *secundum justitiam meam*: et hoc in futuro, id est, *in conspectu tuo*; quia hic *cum sancto sanctus* erit, id est, sanctus te sanctum habebit, et innocens innocentem: *et cum electo* a te prius, ut illud: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV), *electus eris*, id est, de omnibus deliget. *Cum perverso perverteris*, id est perversus habebit te perversum, præcipue Judaicus populus: qui cum Deum unum coluerit, et ejus mandata acceperit, videns gentilem recipi, qui semper idola coluit, dixit: *Non est æqua via Domini* (*Ezech.* XVIII). Ideo perversus Judaicus populus habet te perversum, *quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis*, id est, quia tu superbis resistis, ut Judæis, et humilibus das gratiam (*Jac.* IV), ut gentibus, ideo oculos superborum humiliabis, quia nihil vident nisi per alium. Vel hoc videtur perversis, id est, veram justitiam ignorantibus perversum, quod confitentes peccata sua salvos facies, quos illi damnare solent. Et quoniam tu populum humilem, id est, confitentem tibi peccata sua, et se accusantem, te justum ponentem salvabis, ideo, *Domine Deus meus, illumina tenebras meas*, id est, fac me interiori oculo videre et cognoscere peccata et ignorantias meas: ideo a te hoc peto, et non ab alio, *quoniam tu illuminas lucernam meam*, id est oculum interioris hominis, id est intellectum; quia sicut lucerna per se non lucet, sed aliunde accipit lumen, ita intellectus interior non videt quæ recta sunt nisi a tua luce. Secundum aliam vero sententiam hoc modo continuatur: Quia *cum sancto sanctus eris*, id est, quia nullus potest esse sanctus sine te sancto, ideo, Domine *Deus meus, illumina tenebras meas*, id est gentiles, qui adhuc sunt tenebræ, per mei autem prædestinationem illumina, per fidem vocando da illis cognitionem tui: *quoniam tu illuminas*, non alius, *lucernam meam*, id est, illos qui jam illuminati sunt, apostolos et alio fideles. Ideo te hoc rogo, quia tuum est hoc facere, scilicet quoniam tu populum humiliantem, gentilem scilicet, salvum facies, se humiliantem et confitentem peccata sua. Notandum quod lucernam singulari, tenebras vero plurali numero ponit: ideo videlicet quia quicunque lucent una luce lucent, qui autem errant diversis erroribus errant. Ideo rogo ut illumines oculos qui adhuc sunt in tenebris, vel ut peccata cognoscere facias, *quoniam* tu, o Deus, *in te eripiar a tentatione*, et non in alio, id est, a spiritu luxuriæ et avaritiæ. *Et in* Domino *meo*, non in idolis, *transgrediar* in meis *murum*, quem superbia erexit inter creaturam et Creatorem, peccata peccatis augendo: illum transibo per humilitatem, subdendo me Creatori meo. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* VI): vel

ego caput *in te* Patre *eripiar a tentatione*, Judæorum et *in Deo meo*, id est Creatore meo, non in manufactis diis, *transgrediar murum* in illis, qui futuri sunt mei præordinatione. Et hoc est quod sequitur: *Deus meus* Creator, qui solus potes, *eripies me de contradictionibus populi*, Judaici scilicet qui mihi semper contradixit. *Non est hic homo a Deo* (*Joan.* IX). Et : *Dæmonium habes* (*Ibid.*). Alii dicebant, *quia bonus est : alii dicebant, non* (*Joan.* VII). *Et constitues me in caput gentium*, ut me habeant caput. Pro una Judæa dabis mihi, Deus, gentes. Et vos, qui auditis me nominare eum Deum meum, facite eum vestrum Deum, ideo, quia *impolluta via ejus*, per quam venit ad vos, id est, incarnatione mea sine virili admistione : vel fides per quam ad eum venitur, ideo impolluta, quia impollutos facit. Et quia *eloquia Domini igne examinata*, id est, pura et purgata per Spiritum sanctum, quia protulit facientia examinatos, id est purgatos. Et quia *protector est omnium sperantium in se*, ideo in eo sperate. Potest et istud ordine legi, ut ita dicatur : Revera *transgrediar murum* in Deo meo : per naturam Deo, per gratiam meo ; quia Deus meus *protector est omnium sperantium in se*, id est, qui eum habent Deum suum. In eo merito est sperandum, quia *impolluta est via ejus*, vel qua ad nos venit, id est charitas, vel qua ad eum venitur, id est fides. Non polluta, ut est via deorum non verorum. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI). Et quia *eloquia Domini igne examinata*, id est, pura et vera, quod eloquia falsorum deorum non sunt : *Spiritus enim sanctus ignis consumens*, qui ea examinavit, *disciplinæ effugiet pœnam* (*Hebr.* XII ; *Sap.* I). Vel *igne examinata*, id est, in tribulationibus probata : hoc modo, quia *protector est omnium sperantium in se*. Et bene potest facere. Nam *quis Deus* alius est dominus regeneratione *præter Dominum*, illum scilicet, cujus gratia regenerati sumus ? *Aut quis* alius *Deus* est Deus creatione *præter Deum nostrum*? Aut hic, aut alius ? Sed non alius, quod per hoc ostendo. *Deus qui præcinxit me virtute*, est Dominus recreatione, *qui præcinxit me* caput *virtute*, id est apostolis virtuosis. *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut vestimento vestieris* (*Isa.* XLIX). *Et posuit immaculatam*, id est sine crimine, *viam meam* id est, viam meorum. Aliter : *Præcinxit me virtute*, id est, meos qui erant fluxi diversis erroribus infidelitatis, vel carnalibus delectationibus. *Præcinxit virtute*, id est, sobrietate quæ hæc restringit. Aliter : Præter alias virtutes quas daturus erat, *præcinxit me*, id est meos, *virtute*, id est fide, quæ singulariter est dicenda virtus propter eminentiam et dignitatem, cum sit fundamentum aliarum virtutum. Vel, *præcinxit me virtute* illa quæ singulariter necessaria erat ad hujusmodi cinctorium. Solius enim fidei est principaliter, ut qui fluxi sunt diversis erroribus infidelitatis per eam coarctentur. Unde alibi : *Et fides cinctorium renum ejus* (*Isa.* XI). *Et posuit*, id est, ordinabiliter et firmiter statuit, *immaculatam viam*

A [illegible] admittentem in se maculam alicujus gravis peccati, scilicet quæ omnia vitia excludit, et omnes virtutes admittit, per quam viam secure ad eum venirem. Unde in Canticis canticorum : *Ordinavit in me charitatem* (*Cant.* II). Vel, *virtute*, id est continentia, quæ latos sinus cupiditatis et luxuriæ et aliorum vitiorum restringeret : et in hoc apparet hunc solum esse Deum recreatione, et ideo jure diligendus. Et ille est Deus meus *qui perfecit pedes meos*, id est, perfectos in virtute et scientia fecit apostolos meos, de quibus dicitur : Beati pedes pacem portantes (*Isa.* LII) : *tanquam cervorum*, ut lutum et spinas hujus vitæ transiliant, ut ait Apostolus : *Arbitror omnia ut stercora* (*Phil.* V). *Et super excelsa statuens me*, id ast, meos apostolos

B videlicet tales fecit, ut non eis sufficeret neglexisse omnia terrena, et habere conversationem in cœlestibus ; sed, quod maximum est, obtutu rationis suæ in ipsum summum bonum irreverberatis oculis aspicerent, ut beatus Joannes omnia transiliendo dixit : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I) ; vel, *perfecit pedes meos*, id est, affectiones meorum in virtutibus, ut essent tanquam pedes cervorum, ut supra. *Et super excelsa statuens me*, id est, anchoram spei illorum in cœlestibus fixit. Et ille est verus Deus, *qui docet manus meas ad prælium*, id est, operarios meos apostolos, scilicet mihi militantes. *Quos* vocat pedes; eosdem vocat manus, diversa similitudine, ut illud : Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente (I *Petr.* V ; *Apoc.* XX). *Et posuisti ut arcum ærum*, id est, inflexibilem et irremissum, *brachia*

C *mea*, eosdem discipulos qui brachia dici possunt, quia totam terram amplexati sunt prædicando. Sæpe in sacra Scriptura similitudo ab impossibili sumitur, ut hic : quia arcus æreus non invenitur, sed si inveniretur, tales isti essent. Aliter : *Qui docet manus meas*, id est opera, meorum : *ad bellum*, id est, qui sic docet meos operari, ut possint pugnare adversus insidias diaboli : *Quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* (*Eph.* VI). Unde illos sic docet : *State ergo succincti lumbos vestros in charitate, induti lorica justitiæ* (*Ibid.*). *Et posuisti ut arcum æreum brachia mea*, id est, bonas intentiones meorum irremissas fecisti, ad similitudinem, quia brachia extenduntur, ita et intentiones. Et ut non deficerem, *dedisti mihi protectionem salutis tuæ*:

D hoc modo scilicet. *Dextera tua suscepit me* in membris meis. *Dextera tua*, id est, dignitas et propitiatio, assumpsit humanitatem meam, vel *dextera*, id est, auxilium tuum : quod in hoc apparet, quia *disciplina tua correxit me in finem*, id est, castigatio et flagellatio tua, virga sive baculus, scilicet ablatio rerum, vel ægritudo vel tribulatio ab aliis illata, *correxit me*, id est meos, si quando a mandatis tuis recesserunt *in finem*, id est in me, qui sum finis, id est consummatio vitæ eorum, ut discerent mihi conformari : vel correxit meos in finem, ne lasciviendo et prave vivendo non pervenirent ad propositum illud bravium. *Quem enim diligit Pater, cor-*

ripit (*Prov.* III). Unde Apostolus : *Omnis disciplina in præsenti non videtur gaudii, sed mœroris, postea autem reddit fructum pacatissimum* (*Hebr.* XII). *Et disciplina tua ipsa me docebit* perseverare et ad destinatum finem pervenire. Nota quod ipsa non solum *dextera*, id est clementia tua, me docet pervenire ad destinatum finem, sed etiam flagellatio. Et in illa disciplina *dilatasti gressus meos*, id est apostolos, per quos gradior in notitiam hominum *Dilatasti*, id est, tanta amplitudine intus posuisti ut etiam inimicos diligerent, vel gauderent in tribulatione : ita tamen ut essent *subtus me*, id est, ut me magistrum et præcessorem habcant, quemadmodum Petro volenti procedere et dicenti magistro suo Christo, prædicenti suam passionem, *Domine, absit a te*: responsum est a Domino, *Vade retro, Satanas* (*Matth.* XVI). Et in hoc quia *subtus me* sunt. *non sunt infirmata vestigia mea* in eis, quia in omnibus me imitati sunt. *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (*Joan.* VI). Aliter : *Dilatasti gressus meos subtus me*, id est, affectiones carnales meorum adeo in dilatatione, id est in gaudio, posuisti, ut in tribulationibus suo superiori congauderent: ut nec caro resisteret spiritui, nec spiritus carni :et in hoc non sunt infirmata vestigia mea, id est, imitatores mei, vel præcepta mea. Et per illos *persequar inimicos meos*; incredulos bona persecutione, vel affectus carnales. *Et comprehendam illos* ut me sequantur, qui prius præcedere volebant. *Et non convertar donec deficiant*, id est, donec carnales affectus subdantur spiritui, vel donec persecutores fiant imitatores, *confringam illos* persecutores: mactabo quod sunt, et faciam illos quod sum ; vel carnales affectus confringam id est adeo carnem affligendo diminuam, ut affectionibus spiritus subdantnr. *Cadent subtus pedes meos*, vel persecutores calcabuntur a meis, vel sub illorum dominio erunt. *Et conculcabis leonem et draconem* : vel carnales affectus subdentur rationi. Et hoc non ex me, sed ex te : quia tu *præcinxisti me virtute ad bellum* : *virtute*, id est virtuosis ; vel *me*, id est, meos præmunisti *virtute*, id est temperantia, quæ maxime carnales affectus restringit. Et per illos vel hoc in modo *inimicos meos dedisti mihi dorsum*, ut qui conversi esse noluerunt, fiant aversi vel dorsum: ut qui prius volebant præcedere, sequantur. *Et odientes me*, id est, nolentes converti, permanentes in odio pravo *disperdidisti*: vel foris, tempore Titi et Vespasiani, vel intus ut nulla eorum vota rata essent ; quod in hoc patet :quia *clamaverunt, nec erat qui salvos faceret*. Clamant enim quotidie Judæi valida intentione pro salute, nec salvantur: quia in Salvatorem non credunt. *Ad Deum* scilicet Patrem clamaverunt, *nec exaudivit eos* : quia non clamant per Mediatorem. Vel clamabunt in futuro positi in pœnis, ut liberentur : nec salvabuntur, quia Salvator, ad eos hic clamavit, et audire noluerunt. *Quicunque erubuerit me coram hominibus, et ego erubescam eum coram Patre meo* (*Luc.* IX). *Et comminuam eos*,

A scilicet illos non exauditos, *ut pulverem ante faciem venti*. Elatio eorum perdet eos, vel aridos et carentes imbre verbi Dei tradam ventis, id est, variis delectationibus, ut ab illis diminuatur, si quid in eis solidum fuit ; *ut lutum platearum delebo eos:* illos ita comminutos, delebo ut lutum platearum, sicut lutum quod in plateis, id est latis viis jacet, ab hominibus conculcatur et fœtet, ita ab omnibus istud cenculcari faciam : et potero, nam tu *eripies me de contradictionibus populi* ; *constitues me in caput gentium*, ut supra. Et merito quia *populus quem non cognovi servivit mihi*: gentilis *populus quem non cognovi*, id est, cognoscere feci corporali præsentia vel legis eruditione, obedivit mihi. *In auditu auris obedivit mihi* qui nec miracula vidit, nec meam præsentiam. Ex

B comparatione ostendit hos eligendos, illos reprobandos. *Filii* autem Judæi, quos filios habui, quibus hæreditatem promisi, *alieni*, id est diaboli ; de quibus dictum est : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII), *mentiti sunt*, dicentes, *Hic est filius Joseph* (*Matth.* XIII ; *Joann.* VI) : vel, *Venerunt discipuli et furati sunt eum* (*Matth.* XXVIII); *mihi*, id est, ad meam utilitatem. *Filii alieni inveterati sunt*, id est, in vetustate primi hominis permansere, nolentes conformari novitati meæ; ideo *inveterati* quia *claudicaverunt a semitis suis*, id est, a suis pravis inventionibus claudicaverunt, non habentes dextrum pedem, vel in lege spiritualem intellectum, vel in fide Trinitatis Christum. Illi claudicaverunt, et me delere cogitaverunt ;sed *Dominus* id est, ego *vivit*. Unde Apostolus : *Mortuus est ex in-*

C *firmitate carnis, sed vivit ex virtute Dei* (II *Cor.* XIII). Ideo *Benedictus Deus meus*. id est, augmentetur per me et ita per me *exaltetur*, id est, maguus appareat, *Deus salutis meæ* ; hoc modo exaltetur, *Magnificans salutes regis ejus*, id est, crescere faciens salutationes datas per me regem ejus hoc modo : *Et faciens misericordiam Christo suo David*, eum resuscitando, *et semini ejus*, id est, imitatoribus ejus resuscitando, interius perducendo ab hac resurrectione *usque in sæculum* (II *Reg.* XXII), id est in æternitatem. Merito es tu a me benedicendus, quia tu es *Deus qui das vindictas mihi* de Judaico populo subdendo eum mihi : vel qui das potestatem meis ligandi atque solvendi, ut illud : *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super*

D *omnem virtutem inimici* (*Luc.* X). *Liberator meus de inimicis meis iracundis*, me de Judæis clamantibus: *Crucifige crucifige* (*Luc.* XXIII); Ecclesiam, ab hæreticis ; unumquemque de Ecclesia, a vitiis. Et non solum liberas, sed *ab insurgentibus in me exaltabis me*, ponendo ad dexteram tuam, ubi ipsi nihil possunt : et tandem *a viro iniquo*, id est diabolo, *eripies me*, id est meos, convertendo ab infidelitate ad fidem. *Propterea confitebor tibi*, scilicet pro illa ereptione, laudabo te, vel confessionem peccatorum tibi faciam in illis qui nationes adhuc, id est nati, sed non sunt renati. *Et psalmum dicam*, id est, bonæ operationi insistam, *nomini tuo*, id est, ad landem tuam, non

meam : quia tu das et velle et facere pro bona voluntate (*Phil.* II). *Magnificans salutes* ad illum versum continuatur : *Exaltetur Deus salutis meæ*, ut supra dictum est.

PSALMUS XVIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum « ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat ver- « bum et nox nocti indicat scientiam. Non sunt lo- « quelæ neque sermones, quorum non exaudiantur « voces eorum. In omnem terram exivit sonus eo- « rum, et in fines orbis terræ verba eorum. In sole « posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam spon- « sus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas « ad currendam viam ; a summo cœlo egressio ejus. « Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est « qui se abscondat a calore ejus. Lex Domini im- « maculata convertens animas: testimonium Domini « fidele : sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Do- « mini rectæ, lætificantes corda : præceptum Do- « mini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini « sanctus, permanens in sæculum sæculi : judicia « Domini vera, justificata in semetipsa. Desiderabilia « super aurum et lapidem pretiosum multum et « dulciora super mel et favum. Etenim servus tuus « custodit ea, in custodiendis illis retributio multa. « Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me, « et ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint « dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a « delicto maximo. Et erunt ut complaceant eloquia « oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo « semper. Domine, adjutor meus, et redemptor « meus.

ENARRATIO.

In finem psalmus David, id est, hæc bona exhortatio, quæ in hoc psalmo intelligitur, est David prophetæ dirigentis infideles, præcipue Judæos quibus hæc prophetat, *in finem*, id est, in gratia Christi, qui est finis et consummatio legis et prophetarum. Intentio Prophetæ est in hoc psalmo ad exhortationem et salubrem admonitionem commendare omnibus, et præcipue Judæis, gratiam Novi Testamenti, consummatam per Christum : *Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I) : ut credentes salventur, increduli autem eo gravius damnentur, quo magis illis innotuit. Commendat autem hanc gratiam ex prædicatoribus ejus, et ex discretione prædicationis, et ex amplitudine ipsius prædicationis : quia omnibus linguis et in omnem terram. Et per auxesin, comparando eam veteri legi administratæ per servum.

Cœli enarrant gloriam Dei. Ac si dicat : Exteriores cœli enarraverunt, quando nato Domino nova stella apparuit (*Matth.* II), et quando cœli aperti sunt super eum, et vox audita est ; *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III) ; vobis Judæis enarraverunt *gloriam Dei*, id est Filium Dei, in quo Deus Pater gloriosus apparuit. Et non solum illi exteriores cœli, sed etiam quidam interiores quorum anima sedes Dei est, qui

A mente a terrenis ad cœlestia sublevati erunt. Tales *cœli enarrant*, id est, evidenter narrabunt gloriam Dei, hanc scilicet quod non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit : et hoc est magna gloria Dei. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis* (*Rom.* III). Et hoc est, enarrant gloriam Dei, id est, misericordiam exhibitam per Filium, in qua Deus glorificandus est. *Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Quod supra gloria hic opera ; quod supra cœli, hic firmamentum, diversa similitudine, id est, iidem prædicatores Novi Testamenti a Spiritu sancto corde confirmati, et firmamentum facti contra impetus sævientium, et hanc gloriam respuentium: annuntiant *opera manuum ejus*, id est, propria opera

B Dei, id est, ea opera quæ nullus facere potuit nisi solus Deus. Et hanc annuntiationem faciunt cum magna discretione, quia *dies diei eructat verbum*, id est, perfecti perfectis cum magna meditatione divinitatem Verbi annuntiant, id est, sapientiam. Nunc autem *dies*, id est, illi qui illuminati sunt a Christo vero sole ; ut illud : *Illuxit nobis sol justitiæ* (*Mat.* IV) ; alii *diei eructat verbum*, quia eructatio ab intimis ducitur, et significat doctrinam quæ fit cum magna meditatione et intima cogitatione. Quod eructare bene jungitur ad Verbum, id est Divinitatem, scilicet ad sapientiam, quia sapientia est divinarum rerum cognitio. Unde Apostolus : *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II) : quorum eructantium unus fuit qui dixit, *In principio erat Verbum* (*Joan.* I). *Et nox nocti indicat scientiam*, id est, imperfecti imper-

C fectis ostendunt simpliciter humanitatem Christi : quæ dicitur *scientia*, quia scientia est de humanis : unde Apostolus : *Nihil enim judicavi me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II). Nox dicuntur imperfecti, quibus sol ille verus nondum illuxit, qui nondum altitudinem divinitatis capere valent, tales non eructant verbum ; sed indicant, id est, simplicibus verbis ostendunt scientiam id est incarnationem Verbi, vel possunt dicere quod illi iidem qui dies diei eructant verbum, condescendentes parvulis Ecclesiæ, facti nox indicant nocti scientiam ; unde illud : *Lac vobis potum dedi, non escam* ; *nondum enim poteratis solidum cibum capere* (*I Cor.* III). Et hanc annuntiationem faciunt in plenitudine omnium linguarum, scilicet *non sunt loquelæ*,

D id est linguæ, *neque sermones*, id est varietates, in ipsis linguis, *quorum* sermonum *voces non audiantur* a prædicatoribus Novi Testamenti : ita proprie, ut *eorum* sermones videantur, non alienæ linguæ. Unusquisque apostolorum habuit omnes linguas ; quod figurabat, quod ille quem prædicabant ex omnibus omnium linguarum unus Christus congregandus erat. Et quia omnes linguas noverunt, ideo *in omnem terram exivit sonus*, id est prædicatio, *eorum*, id est, in omnem ambitum terræ. Bene exivit, quia prius in Judæa prædicaverunt ; unde illud : Incipientes ab Jerusalem quæ est in medio terræ (*Luc.* XXIV) : ibi enim natus, ibi passus, ibi prius prædicatus. *Et in*

fines orbis terræ, id est, in adjacentes insulas *verba eorum*. Aliter: *Non sunt loquelæ, neque sermones quorum non audiantur voces eorum.* Quasi dicat: Nec ibi tantum enarraverunt illas linguas, vel gloriam Dei illis linguis ubi eas didicerunt a Spiritu sancto docti, qui eis apparuit in specie ignis, fœnum carnis eorum consumpturus, aurum eorum probaturus; sed in omnem terram exivit sonus eorum. Aliter: *In omnem terram*, id est, in omnes vocatos et sacramentis ecclesiasticis initiatos. *Exivit sonus eorum*, id est prædicatio, quæ illis fuit sonus: quia aure solum corporis receperunt, et non aure cordis, quæ est auris audiendi: tales nominantur tantum terræ. Et non tantum in orbem terræ, id est, perfectos qui se jam mente contraxerunt a terrenis, sed etiam *in fines orbis terræ*, id est, excellentiores excellentioribus. Verba eorum illis fuerunt verba, qui et aure cordis perceperunt, et opere compleverunt. Eorum dico, dicentium: Deus *in sole posuit tabernaculum suum*, id est carnem suam, in qua ad tempus Deo Patri militavit, *posuit in sole*, id est, manifestatione bonorum operum, quia infirmos curavit, mortuos suscitavit, peccatores justificavit. Unde per contrarium: Qui amat tenebras, odit lucem, vel, *in sole*, id est in labore, ad exemplum suorum. Aliter: *Tabernaculum*, id est Ecclesia in qua militat *posuit in sole*, ut supra. *Et*, ut suæ Ecclesiæ præberet exemplum bonæ operationis et laboris, *ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*; ad similitudinem sponsi, qui exiens de thalamo, id est nuptiali lecto, incedit variis ornamentis ornatus: ita Christus de utero beatæ Mariæ, in quo sibi sponsam, id est Ecclesiam suam, assumendo nostram carnem copulavit, omnibus virtutibus ornatus exivit: et præcipue humilitate, qua superbiam inimici erat destructurus. Ipse taliter ornatus *exsultavit*, id est, exsultanter ivit, *ut gigas*, id est ut fortis, *ad currendam viam*, non ut detineretur in via: humilitate enim per charitatem fuit infra omnes, majestate vero supra omnes. Ejus charitas et humilitas non est passa eum retardari, ut dedignaretur pati indigna corporis et abjecta. Potentia vero ejus divinitatis non permisit attineri in morte, nec ulla adversa formidare. Ideo in via cucurrit; non est detentus in via. Quam viam ipse subjungit. *A summo cœlo egressio ejus*, id est, a Patre procedit Verbum, qui summum cœlum dici potest, non essentia majestatis, quæ una est in tribus personis, sed ordine quo hominibus notificari voluit. Primum cœlum est Pater et summum, quia ab eo procedit Filius, id est, voluntas per quam omnia operatur: quæ non est aliud in essentia quam ipse est Pater, quia in Deo nulla est diversitas, nullum accidens. Secundum cœlum est Verbum a Patre procedens. Tertium cœlum est charitas, id est, dilectio et concordia voluntatis Dei Patris: quia nunquam ejus voluntas mutatur, vel ab eo dissentit. *Et occursus ejus usque ad summum ejus.* Sic ipsum Verbum quodammodo processit a Patre, quando in carne assumpta se manifestavit, ut nihil inveniret quod sibi occurreret, id est æquale esset, præter summum ejus a quo summo egressus est, id est Patre. *A summo cœlo*, id est a Patre, egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, id est, non invenit quod sibi occurreret usque ad summum ejus, id est usque dum rediit ad æqualitatem Patris, rediit tamen competenter accepto. Aliter: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Quam gloriam? *In sole posuit tabernaculum suum.* Potest et sic continuari: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Et ideo patet quod *in sole*, id est, in aperto et in amplitudine, non in angulo aliquo terræ, non in occulto, ut quidam hæretici dicunt, *tabernaculum suum*, id est Ecclesia sua; ut hoc sit dictum contra hæreticos quosdam, qui dicunt: Ecce apud nos est Christus, transite ad nos. Hoc secundum Augustinum. *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* Hucusque fuerunt verba apostolorum: nunc redit Propheta ad verba sua. Quasi dicat: Et ideo quia tam potens est et tam manifeste prædicatus, *non est qui se abscondat*, id est, excusare possit *a calore ejus*, id est, a cognitione vel a munere. Sicut enim magnus ignis calet et splendet, ita Christus calet; quia nullus est qui non habeat aliquod munus suæ gratiæ quo eum possit agnoscere, nec etiam paganus aliquis. Nullus se excusare potest de cognitione, quia nullus est vacuus a munere. Invisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt, intellecta, conspici possunt per rationem hominibus datam (*Rom.* I). Et non mirum, si nullus se possit excusare de hac gloria; quod eam non possit intelligere vel observare, quia *lex Domni*, id est lex gratiæ, quæ est Christus et ejus mandata. *Lex enim per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I). Illa lex Domini *immaculata*, id est, immaculatos faciens, quia lex servi maculata, propter difficultatem prævaricatores faciens. Jubere enim potuit, non adjuvare ut impleretur. Hic per auxesin novam legem commendat, comparando eam veteri. Vere immaculata, quia *convertens animas* a servitute in libertatem: a timore in charitatem. *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV). Vel lex servi convertebat manum vel oculum timore; hæc animas convertit ab illicito amore. *Testimonium Domini fidele*, quia non fallit: nihil enim testatur quod non sit verum. Testimonium servi infidele, quia sæpe fefellit: male tamen intellectum Vetus Testamentum, scilicet carnaliter, hæc dicitur operari. Nam per se lex illa et a Domino est, et sancta, et immaculata et non fallit. *Tibi dabo terram hanc et semini tuo* (*Gen.* XV), carnaliter hoc acceperunt, et ideo decepti sunt, multi enim illam non viderunt, et alia hujusmodi multa. Legem vocat idem quod testimonium: lex est, quia coercet. Testimonium in promissis, hoc modo fidele: *Sapientiam præstans parvulis*, id est, sapienter scire et operari omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci eis. *Nemo novit Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI): parvulis, id est humilibus. *Confiteor tibi, Domine Pater, quia abscondisti hæc a sapien-*

tibus, et revelasti ea parvulis (*Luc.* x). Testimonium servi fuit infidele, quia hæc abscondit parvulis. Unde Dominus : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui habetis claves sapientiæ; nec vos intratis, nec alios intrari permittitis* (*Matth.* XXIII). *Justitiæ Domini rectæ :* ejus justificationes, quas ipse docet, sunt rectæ; quia quod jubet facere, ipse facit; jubet verbo, quod monet exemplo; servos autem sæpe docet, quod facere vel non potest vel non vult. Aligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (*Ibid.*). *Lætificantes corda :* quia per dilectionem bona operari docent, non per timorem. *Præceptum Domini*, id est, Novum Testamentum, *lucidum*, sine velamento carnalium observationum. Unde illud : *Et non sicut Moyses* velatam habet *faciem* (*II Cor.* III): *illuminans* B *oculos* interioris hominis. *Timor Domini*, castus, scilicet non timens accedere ut servus, sed timens recedere ut filius; *sanctus*, id est sanctificans. Timor autem servi, pœna afficiens : *Permanens in sæculum sæculi*, non perit ut ille pœnalis quem foras mittit charitas. *Judicia Domini vera*, tribuendo cuique secundum opera sua; quod enim semel apud eum justum est, nunquam mutatur : et converso, quod semel injustum nunquam fit justum. Ideo vera, id est immutabilia, quia *justificata in semetipsa.* Judicia hominum ideo sæpe sunt injusta, quia aliunde justificantur; sæpe quod unus injuste judicat, alter qui melius scit, illud corrigit; Domini autem judicia semper vera, quia aliunde non justificantur. *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius* C *ejus fuit* (*Rom.* XI)? *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Desiderabilia* sunt illa judicia *super* multum *aurum* pretiosum *et* super multum *lapidem pretiosum*, vel super *multum* desiderabilia, *et dulciora super mel et favum*, id est, meliora sunt quam omnia pretiosa hujus sæculi et jucunda. Aliter, si altius insistere volumus : Dicit B. Paulus : *Si quis* ædificavit *super fundamentum hoc, aurum, lapides pretiosos, salvus erit* (*I Cor.* III). Illi sunt aurum et lapides pretiosi, qui purgati et probati, expectant ut in thesaurum Dei deferantur. Et hi desiderant judicia Dei super aurum et lapidem pretiosum, id est, plus diligunt voluntatem Dei quam suam, quia ejus voluntatem suæ voluntati præponunt. Illi sunt mei, qui soluti vinculis carnis, non re sed mente, ut illud : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I), exspectant D diem illam in qua deferantur in epulis Dei. Illi sunt favus, qui circumdati carne, non concreti, exspectant expressionem manus non opprimentis, sed exprimentis Dei, ut eliquentur a temporali vita in æternam; isti sunt, qui adeo jam sunt purgati intus, quod licet in mundo adhuc versantur, tamen facile ab ejus amore separari possunt; nec opus est ut in torculari, id est gravi pressura premantur, ut discant mundum deserere. Et hi desiderant Domini judicia *super mel et faveum*, id est, plus quam se. Vel desiderant ut supra se veniant, quia intrepidi exspectant judicem. Desiderabilia sunt natura servo

A tuo. *Etenim servus tuus custodit ea*, id est, justus qui non servat, non diligit : *Si diligitis me, mandadata mea servate* (*Joan.* XVI). Et merito, quia *in custodiendis illis retributio multa*, non solum in futuro, sed etiam in præsenti. Nunquam enim virtus est sine præmio, sicut nec vitium sine pœna : habet enim hic præmium bonæ conscientiæ, ille vero supplicium de præmio vitiorum; aut virtus est inane nomen, aut recte petit inde præmium experiens vir. Et Apostolus : *Cogitationum accusantium, aut etiam defendentium* (*Rom.* II). Multa est illa retributio, quæ et hic et in futuro. Servus tuus ea custodit. Et merito. Nam *delicta quis intelligit?* scilicet custodienda. Nullus, quia etiam ille qui non est servus tuus. Aliter: *Servus tuus custodit ea*, quia intelligit. Nam *delicta quis intelligit?* Nullus. Si tenebræ videntur, et delicta intelliguntur. Videre, est a tenebris recedere: et intelligere, a delicto recidere, de his dico qui in delictis sunt sicut de illis qui in tenebris fuerunt. Aliter : *Servus tuus custodit ea.* Sed illi sunt pauci, qui intelligere possint delicta, et custodire tua judicia. Nam delicta quis intelligit, ita ut sunt intelligenda? scilicet ut vitet ea? Pauci, imo per se nulli. Ideo *ab occultis meis munda me.* Aliter : Quia *servus tuus custodit ea*, vel quia in custodiendis illis est retributio multa, ideo ab oculis meis munda me, id est, originalibus delictis, quæ occulte a parentibus quasi hæreditario jure descendunt : *et ab alienis*, id est, ab his quæ non a parentibus contraxi, scilicet ab his quæ postea addidi, *parce servo tuo*, qui non pepercisti liberto tuo. Aliter : Occultum fuit peccatum quando diabolus peccavit, quia superbiam in occulto et a se habuit. Alienum fuit, per quod Adam cecidit : quia a diabolo alienus erat. Dicit ergo : *Ab ocultis meis*, id est, a malis cogitationibus, *munda me*, id est, munda cor meum. Et *ab alienis*, id est, a malis persuasionibus aliorum parce ne consentiam. *Servo tuo*, id est meis, qui per superbiam a te recedere nolunt, sed per humilitatem tibi subdi volunt. Ideo *parce servo tuo*, quia non pepercisti liberto tuo, id est Adæ ab aliena persuasione, qui præceptis tuis obedire noluit, volens esse liber : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Ideo rogo ut a propriis mundes, et ab alienis parcas, quia *si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*, id est, criminali peccato quod maculat. Nota quod non dicit, *Si mei me non fuerint :* sed addit, *dominati.* Non enim potest esse, quandiu sumus in hoc corruptibili corpore, ut non sit in nobis peccatum; sed tunc dominatur cum consentimus et voluntatem nostram ei subdimus. Unde Apostolus : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI). Et propterea *munda me* et *parce*, scilicet ut nec propriis cogitationibus pravis subdat, nec alienis persuasionibus. *Et emundabor a delicto maximo*, id est, a superbia quæ est maximum delictum : qui cum cætera sint timenda tantum in male factis, istud etiam in benefactis est cavendum. Hoc primum ingessit se recedentibus, hoc etiam ingerit se redeuntibus. *Et erunt*

ut complaceant eloquia oris mei, scilicet cum emun- A datus fuero a superbia, tunc tibi placere studebo et ore et corde, et non hominibus. Superbiam enim hominum gloriam quærit. Et hoc est quod dicit: *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper;* ut tu videas, tibi placeat soli. *Domine, adjutor meus et Redemptor meus.* Hoc versus cum illo jungitur, *Ab occultis meis munda me, Domine, adjutor meus :* cætera sunt intérposita. *Adjutor*, in bonis: *Redemptor*, in malis. Vel *Redemptor* per fidem : *adjutor*, justificando.

PSALMUS XIX.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. Mittat tibi auxilium de sancto. et de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Tri- B buat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet. Lætabimur in salutari tuo, et in nomine Dei nostri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum. Exaudiet illum de cœlo sancto tuo, in potentatibus salus dexteræ ejus. Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Ipsi obligati et ceciderunt; nos autem surreximus et erecti sumus. Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te. »

ENARRATIO.

In finem psalmus David. In superiori psalmo Propheta commendavit passionem Christi, qua credentes salvantur. In isto autem, commendat resurrectionem C Christi, qua credentes justificantur. In illo ostenditur quid nobis profuerit mortalitas divinitatis : in isto vero quid profuerit divinitas mortalitatis. Jesus Christus enim *mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV). Providens Propheta per spiritum gloriam resurrectionis Christi futuram, et cum Christo omnes credentes resurrecturos, optando fundit preces ad Deum Patrem, non ex aliqua dubitatione, sed ex nimio desiderio sic dicens :

Exaudiat te Dominus, scilicet, o Christe, quia tu es adjutor meus et Redemptor, Dominus Pater cui omnem exhibes obedientiam, exaudiat te, resuscitando *in die tribulationis*, id est in tempore ad passionem disposito. *Protegat te*, id est tuos, *nomen Dei Jacob*, id est, invocatio nominis Dei Jacob, id D est junioris populi, scilicet luctatoris et præripientis primogenita prioris populi, id est Judaici, scilicet dignitatem et honorem illum qui promissus fuit Judaico populo, qui promogenitus fuit quia prius electus est quam gentilis. *Nomen Dei Jacob*, id est, invocatio nominis Dei Jacob, et non Dei Esau, qui dixit : *Jacob dilexi, Esau odio habui;* et : *Major serviet minori* (*Gen.* XXV ; *Rom.* IX) : qui deponit potentes et exaltat humiles (*Luc.* I), protegat te humilem, et ejus nomen invocantem, a persecutione superborum Judæorum : sicut protexit Jacob humilem et ejus nomen invocantem, a persecutore Esau.

Mittat tibi auxilium de sancto. Tibi, id est tuis, *mittat auxilium de* te *sancto.* Vel tibi capiti *mittat auxilium de sancto*, id est de tuis faciendo eos sanctos, sanctificando membra tua, augeat auxiliatores tuos, quemadmodum manus et alia membra capiti auxilio sunt. *Et de Sion*, id est de specula, scilicet de spe cœlestium gaudiorum, *tueatur te*, id est circumspiciat tibi, id est tuis. Sicut in Sion erant speculatores Jerusalem, ita spes cœlestium gaudiorum sit tuis munitio, de qua sibi provideant. *Memor sit omnis sacrificii tui*, id est, memores faciat tuos omnium injuriarum tuarum, quas passus es ante crucis patibulum : quæ Deo sacrificium acceptabile fuerunt pro delictis hominum. *Et holocaustum tuum*, quo tu voluisti te totum offerre Deo in ara crucis, *pingue fiat*, id est, vertatur in lætitiam resurrectionis ; ut sicut mortuus es propter peccata nostra, ita et resurgas propter justificationem nostram : *holon*, totum ; *causton*, incensum ; inde holocaustum dicebatur illa hostia quæ tota incendebatur. *Tribuat tibi secundum cor tuum*, id est voluntatem, ut possis ponere, cum velis, animam tuam, et iterum eam resumere cum velis, et non secundum cor inimicorum tuorum. *Et omne consilium tuum confirmet*, tam de reprobandis Judæis quam de salvandis gentibus. Quasi aliquis dicat : Cur tantopere rogas pro salvatione Christi? Ad hoc : *Lætabimur in salutari tuo.* Ego et mei similes lætabimur in ejus salvatione Christi tui, quod mors illi ultra non dominabitur. Lætabimur hic in spe ejusdem resurrectionis jam intus salvati per fidem. *Et Magnificabimur* plenaria salvatione, cum mortale hoc induerit immortalitatem : tamen prius *in nomine* Domini *Dei nostri*, scilicet conformati ei scilicet a Christo Christiani et dicti, et facti ejus corpus. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Præcedens versus interpositus fuit. Nunc continet optationes. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas*, tam quas mortalis fundes pro nobis, quam illas quas fundes immortalis factus, ad dexteram Patris sedens. Et revera implebit, quia Dominus *exaudiet illum* pro se et pro suis *de cœlo sancto suo*, id est, de potentia divinitatis illius, qui est cœlum sanctum suum, id est, de divinitate Verbi. Et revera exaudiet quia salvum faciet Dominus Christum suum. Et revera hoc erit, quia ego *nunc*, scilicet longe antequam fiat, *cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.* Et hoc inde patet, quia *salus dexteræ ejus*, id est, salus danda humanitati per dexteram ejus, id est per divinitatem, erit *in potentatibus*, id est, valde potens, nunquam convertetur in infirmitatem. Et nos hoc modo salvati magnificabimur in nomine Domini Dei nostri. Illi autem qui salvantur per sinistram tantum gloriantur in divitiis et potentiis hujus sæculi : ideo, quia obligati sunt in illius cupiditate. Aliter secundum ordinem : *Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Et revera implebit, quia ego *nunc cognovi*, antequam fiat, per spiritum : vel *nunc*, cum maxime opus erat in die tribulationis, *quoniam salvum fecit Dominus Chri-*

stum suum, resuscitando et ad dexteram suam collocando. *Exaudiet* etiam illum sedentem ad dexteram suam *de cœlo sancto suo*, id est, de emissione Spiritus sancti tui, qui est ejus cœlum. Exauditus est in terra, ut resuscitaretur; exauditus est in cœlo, ut Spiritus sanctus mitteretur. Et hoc inde patebit, quod illum exaudiet de cœlo sancto suo : quia *in potentatibus salus dexteræ ejus*, id est, salus data nobis per Filium, qui est ad dexteram, ejus erit nobis potentialis, scilicet æterna et indeficiens salus, quæ nec morbis afficitur, nec mœroribus sauciatur ; vel, *in potentatibus*, ut etiam quando infirmamur, tunc potentes simus, *salus dexteræ* æterna ; ut illud : In dextera ejus pax et securitas (*Prov.* III). Salus sinistræ, temporalis ; ut illud : *In sinistra* vero *illius divitiæ et gloria*. In eo quod dicit : *Exaudiet illum de cœlo*, ostendit præmissas optationes non esse ex dubietate, sed ex affectione maxima. *Hi in curribus, et hi in equis*. Quasi dicat : Illi autem, quorum salus est in sinistra, gloriantur in volubilibus et in potentiis hujus sæculi. *Hi* invocant te *in curribus*, scilicet venientes ad invocationem, confidentes magis in volubilibus hujus sæculi quam in te, et ideo salus est illis non in potentatibus, sed in infirmitatibus : non in dextera, sed in sinistra : *Et hi in equis*, id est, in superbia et dignitatibus. Tractum ab illis, qui de toto Israel tribus vicibus in anno ascendebant Hierosolymam ad orandum. *Nos autem*, quibus dabis lætitiam salutaris tui, *invocabimus* non in illis, sed *in nomine Domini Dei nostri:* ut clarificetur in nobis nomen illius, qui est Deus creatione, et Dominus recreatione. Aliter : *Hi in curribus, et hi in equis* confidunt, quemadmodum faciebat Esau et sui : *Nos autem*, scilicet Jacobitæ præripientes primogenita eorum, *invocabimus in nomine Domine Dei nostri*, quemadmodum Jacob faciebat ; non in alio fiduciam ponemus. Et merito, quia *ipsi obligati sunt*, ad currus et ad equos, pravis cupiditatibus suis vel finibus vitiorum. *Et ceciderunt*, ab illa salute : quia ligati et incurvati ad terrena, non valent mente se erigere ad cœlestia. *Nos autem*, scilicet qui invocamus nomen Domini Dei nostri, *surreximus*, id est, surgemus ab illa inclinatione mentis, scilicet ab infidelitate ad fidem ; *et erecti sumus* per operationem. Et, *o Domine*, ut surgamus et erigamur, *salvum fac regem*, resuscitando et ad dexteram tuam ponendo, ut quemadmodum nobis hic in passione sua contulit exemplum pugnandi, ita ad dexteram tuam interpellet pro nobis, ipse hostia, ipse sacerdos. *Exaudi nos in die*, id est, in puritate mentis, vel in luce fidei, *qua die invocaverimus te*. Non enim in nocte exaudis.

PSALMUS XX.

IN FINEM PSALMUS.

« Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super « salutare tuum exsultabit vehementer. Desiderium « cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus « non fraudasti eum. Quoniam prævenisti eum in « benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus « coronam de lapide pretioso. Vitam petiit a te, et « tribuisti ei : longitudinem dierum in sæculum et « in sæculum sæculi. Magna est gloria ejus in salu- « tari tuo gloriam et magnum decorem impones « super eum. Quoniam dabis eum in benedictionem « in sæculum sæculi, lætificabis eum in gaudio cum « vultu tuo. Quoniam rex sperat in Domino, et in « misericordia Altissimi non commovebitur. Inve- « niatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera « tua inveniat omnes qui te oderunt. Pones eos ut « clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in « ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. « Fructum eorum de terra perdes ; et semen eorum « a filiis hominum. Quoniam declinaverunt in te « mala ; cogitaverunt consilia quæ non potuerunt « stabilire. Quoniam pones eos dorsum ; in reliquis « præparabis vultum eorum. Exaltare, Domine, in « virtute tua cantabimus et psallemus virtutes tuas. »

ENARRATIO.

In finem psalmus David. Eadem intentio est in hoc psalmo, quæ fuit in superiori : sed ibi optando egit de resurrectione ; hic autem ipsam resurrectionem merito factam commendat. Jungitur autem eum superiori, sic :

Dixi : *Domine, salvum fac regem*, et merito debes salvum facere, quia, o *Domine* Pater, *in virtute tua*, id est, in Verbo sibi unito, quod ex te habet, *lætabitur rex* : qui Rex est super omnes reges, qui solus regit, solus dirigit, scilicet omnia tibi attribuens, nihil de se præsumens, ut infelix Adam. Lætabitur prius in sua salvatione, *et vehementer exsultabit* plenaria exsultatione *super salutare tuum*, id est, salvationem humani generis sibi impositam, lætitia animi : exsultatio corporis. Et merito exsultabit, quia *desiderium cordis ejus tribuisti ei*. Quod fuit ponere animam cum vellet et iterum resumere (*Joan.* x) : vel ut moreretur propter peccata nostra, et resurgeret propter justificationem nostram (*Rom.* IV.) *Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*, id est, voluntate pacis et reconciliationis per se datæ mundo. Ipse enim pacificavit quæ in cœlis et quæ in terra sunt. Unde Apostolus : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Eph.* II) : unde angeli concives nostri, prius inimici, quasi translati in regnum alterius Domini, nato illo qui venerat pacem dare mundo, concinunt : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). In labiis quibus osculum quod est signum pacis damus, pacem intelligimus. Aliter : *Voluntate labiorum*, id est, præconum ejus, *non fraudasti eum*, scilicet quin haberent eamdem voluntatem circa Ecclesiam suam, quam et ipse habuit conservandi eam, et patiendi, et moriendi pro ea ; unde Apostolus : *Quotidie morior pro vobis, fratres* (*I Cor.* xv), vel, *voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*, scilicet denegando ei voluntatem labiorum ejus, quin habeat tales præcones quales voluerit, vel quin ad eam gloriam præcones ejus perveniant in qua ipse est. *Volo, Pater, ut ubi ego sum*, ibi sit et minister meus (*Joan.* XVII). Revera non fraudabis. *Quo-*

niam prævenisti eum, id est prævenies, *in benedictionibus dulcedinis*, id est, immunitate peccati. In Adam omnes præventi sunt maledictione ; iste solus fuit inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII). *Prævenisti eum*, id est, prius in eum gratiæ munera contulisti, ut esset primo genitus in multis fratribus (*Rom* VIII) quantum ad juniorem populum Novi Testamenti : quem illi capiti ut corpus,post mortis experientiam aptasti, quasi victori coronam capiti post victoriam.Vere his benedictionibus præventus, quia de Spiritu sancto conceptus. Præventus est Adam plenitudine amaritudinis in quo omnes moriuntur (*I Cor.* XV) ; præventus est Christus in benedictionibus dulcedinis, in quo omnes vivificabuntur. Vel, *prævenisti*, quia nullus ante eum qui non prius sub [illegible] autem immunis fuit primus in genere humano,et solus ab omni peccato. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Quia præventus fuit benedictionibus dulcedinis, id est mortis amaritudinem superavit. Et post victoriam *posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, id est, circumdedisti eum pretiosorum apostolorum ordine claro Supradixit, *desiderium cordis ejus tribuisti ei*, et hoc ostendit, dicens : *Vitam petiit a te,et tribuisti ei. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur* (*Rom.* IV). *Longitudinem dierum in* hoc *sæculum, et in sæculum sæculi*, id est, vitam semper manentem tribuisti in membris. Vel longitudinem dierum tribuisti in membris, quia *regni ejus non erit finis* (*Luc.* I). Et in illa vita *magna est gloria ejus in salutari tuo*, quia sedere eum fecisti in dextera tua. Vel hoc modo magna est, quia non solum ille est glorificatus,sed etiam *gloriam et magnum decorem impones super eum*, id est, addes et fideles,gloriosos miraculis,decoros virtutibus : qui enim vult in Christo manere, sicut ille ambulavit, debet et ipse ambulare ; vel dedisti ei, scilicet assumpto homini Dominico, potestatem glorificandi suos et decorandi,gloriosos facere in victoria,decoros in palma.Hoc modo impones.*Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi*,ut per eum omnibus detur benedictio,id est,omnium bonorum incrementum : et enim non ad tempus, sed in sæculum sæculi.Et tandem *lætificabis eum in gaudio*,plenario scilicet,quando associabitur ei corpus suum. *Cum vultu tuo*,id est,cum manifestabitur præsentia tua.Et merito *dabis eum in benedictionem, quoniam rex* scilicet Dominicus homo *sperat in Domino*, non in se,ut Adam qui datus est in maledictionem. *Et in misericordia Altissimi*,id est,ita sperat et in se et in membris,ut totum attribuat misericordiæ Altissimi et ideo *non commovebitur*,scilicet ab illa spe.Quasi dicat : Qui autem non sperant in misericordia Altissimi movebuntur ab illa spe,et ideo dabuntur non *in benedictionem*, sed in maledictionem ; et ideo, o Domine,compatiendo illis commotis a spe et misericordia tua,opto ut *inveniatur manus tua*,id est,auxilium misericordiæ tuæ tam Judæis quam gentibus, *omnibus inimicis tuis* : quærant misericordiam tuam

A et invenient eam ; unde Apostolus : *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II). Quod si quærere noluerint, *inveniat dextera tua*, id est, vindicta, *omnes qui te oderunt.* Et hoc prophetando non optando.Hoc modo dextera tua inveniet eos in futuro judicio qui manum misericordiæ tuæ hic invenire noluerunt in die salutis : *Pones eos ut clibanum ignis* ardentis intus in conscientia, cum videbunt gloriam filiorum Dei et suam ignominiam. *Ecce computati sunt inter filios Dei* (*Sap.* V). Væ nobis ? Quid profuerunt divitiæ ? quid jactantia? *Clibanum ignis*,id est, ignitum. Clibanus est fornax cui os clauditur, ut intus ardeat. *In tempore vultus tui*, id est, præsentiæ tuæ quæ eos terrebit In tempore judicii vultum tuum timebunt qui tempore gratiæ manum despexerunt.Et post,*Dominus in ira sua*,

B magna scilicet sibi competenti, *conturbabit eos*, dicens : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Et tunc *devorabit eos*, id est, penitus absorbebit eos, non intus tantum, sed animam et corpus.Et non solum eos,sed *fructum*,id est, opera *eorum de terra perdes*, de terra viventium ; opera eorum quæ hic locum habuerunt in terra morientium tollentur de terra viventium,quia fulgentes ut sol, et quasi purum aurum receptum in thesaurum Dei ; sancti non habebunt quod purgari debeat. *Et semen*, id est, imitatores eorum,*a filiis hominum*,id est, ab imitatoribus eorum qui se non denominaverunt.Et merito.*Quoniam declinaverunt in te mala*, *mala* quæ timuerunt,id est,mortem et amissionem loci et gentis declinaverunt a se in te dicentes : *Expedit ut unus*

C *moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat* (*Joan.* XVIII).Potest etiam hoc ad omnes referri tam Judæos quam gentiles, et ad membra Christi, quia dicebatur omnibus, Perit *mundus et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II). Timentes mundani perdere mundum quem diligebant interficiebant hujus doctrinæ prædicatores. *Cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire* omnes tam Judæi quam gentes,quia interficientes corpus Christi putabant eos perdere : ipsi autem servabantur transeuntes de morte ad vitam : vel,in Christum specialiter Judæi : *Domine,recordati sumus quod seductor ille dixit Post tres dies resurgam: Jube ergo custodiri sepulcrum* (*Matth.* XXVII), et cætera. Non fuit istud stabilitum, quia nolentibus eis resurrexit : Quasi dicat. Et unde illis miseris quod

D *mala* sua in te *declinaverunt ?* Ex occulto Dei judicio dabuntur in reprobum sensum præcedentibus eorum malis meritis. *Quoniam pones eos dorsum*,ut qui noluerunt ad te converti sint a te aversi, quia odio habuerunt lucem,conversi ab ea,ament tenebras:vel, *pones eos dorsum* tuum,scilicet ut propter nimiam eorum impietatem non eos respiciat misericordia tua. Et ideo *in reliquiis tuis præparabis vultum eorum*,id est voluntatem pravam eorum et impudentem ostendes *in reliquiis tuis*,id est,in tuo inferiori,scilicet in carne tua in quam tantum sævierunt. Summum Christi, divinitas,deinde anima,infimum et quasi objectum, caro. Aliter : *In reliquiis tuis*, id est,in his terrenis

quæ tu reliquisti et tui *præparabis*, id est, valde parabis *vulium*, id est, voluntatem, *eorum*, ut hæc amando cœlestia contemnant. Aliter : *Ego dixi pones eos dorsum*, id est, abjicies eos, tamen non omnino, quia *vultum eorum*, id est, benevolentiam quæ illis debebatur qui facti sunt *dorsum præparabis*, id est, manifestabis *in reliquiis tuis*, id est in illis qui in fine residui erunt de populo, quia *reliquiæ salvæ fient*. Vel, illum *vultum præparabis in reliquiis tuis*, id est, in Elia et Enoch quorum prædicatione reliquiæ convertentur. Et ut *inveniatur manus tua* et exaltetur *dextera*, scilicet ut convertantur vel judicentur inimici tui, *Exaltare, Domine*, resurge, exaltare a mortalitate in immortalitatem ; *in virtute tua*, id est, in potentia divinitatis tuæ ; ideo hoc opto, quia in tua resurrectione *cantabimus* in corde *et psallemus* in opere *virtutes tuas*, id est, humilitatem et obedientiam et cæteras virtutes tuas imitabimur, quibus omnes inimicos tuos superasti. Vel *cantabimus* ore, *psallemus* opere

PSALMUS XXI.

IN FINEM PRO DAVID PRO SUSCEPTIONE MATUTINA

« Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti longe a salute mea verba delictorum meorum. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies : et nocte, et non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas, Laus Israel. In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et liberasti eos. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi. Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero : de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris a me. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, ad defensionem meam conspice. Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Qui timetis Dominum, laudate eum : universum semen Jacob, glorificate eum. Timeat eum omne semen Israel,

A « quoniam non sprevit neque despexit deprecationem pauperis. Nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum exaudivit me. Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota meam reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur Gentium. Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ, in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram. Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi. Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt

B cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus. »

ENARRATIO.

In finem pro assumptione matutina psalmus David. Hic psalmus est attribuendus David, id est, Christo dirigenti in finem, id est perfectionem pro assumptione matutina, id est, pro resurrectione sua quæ facta est *valde mane cum adhuc tenebræ essent* (*Joan.* XX), quando mortalitas assumpsit immortalitatem, ad similitudinem solis qui paulatim depulsis tenebris ascendendo vires assumit. Sic, Christo resurgente, paulatim fidelium mentes illuminavit. In Hebræo *cerva*, pro matutina quod idem valet ad similitudinem: quia sicut cerva summo diluculo ex ipsa luce gratulatur et alta conscendit, sic humana natura ex

C sua resurrectione lætabitur. Christus caput nostrum in hoc psalmo agit secundum humanitatem cum Patre de gloria suæ resurrectionis, et de fructu ipsius resurrectionis, et de gloria justorum et de excæcatione impiorum. Præmittitur autem ejus passio ut major appareat ejus resurrectio, quia quanto majus certamen eo major victoriæ lætitia. Et in ipso certamine passionis orat ut eripiatur, in persona veteris hominis sic dicens :

Deus, qui es omnium Deus per naturam, *Deus meus*, specialiter per gratiam vel per singularem obedientiam, *respice in me*, id est in auxilium meorum, qui usque modo despexisti me. Hic apparet quod Christus non in sui persona hic rogat, qui immunis est a peccato, sed suscepit delicta nostra, ut nobis tribueret justificationem suam. Orat ergo in

D vice nostra : *Respice in me*, id est libera me, *longe* es *a salute mea*, ut illis videtur qui dicunt : *Si Filius Dei est, descendat de cruce, et liberet eum si vult* (*Matth.* XXVII), quia si non liberas videris dereliquisse me. *Quare me dereliquisti ?* id est, quare, eo modo non liberando quo persecutores dicunt, permittis videri esse derelictum a te ? Hanc inquisitionem ideo facit, ut diligenter causam aperiat. Hæc est causa quare non vis ut descendam de cruce, sed ut resurgam de sepulcro : *Verba delictorum meorum longe* sunt *a salute mea*, verba illa venenata serpentis antiqui, *eritis sicut dii* (*Gen.* III). Quæ fuerunt *verba delictorum*, id est, verba inobedientiæ et omnis

peccati. *Meorum*, id est, omnium eorum propter A quos ad passionem veni liberandum, *longe* sunt a salute mea, hac scilicet ut vivus de cruce descendam. Non enim hoc postulant ut de cruce descendam, sed ut in cruce moriar: hoc enim solum est eis pretium redemptionis. Aliter: *Quare me dereliquisti*, id est, quare videris dereliquisse, dum non respicis in me liberando de cruce? Ideo *verba delictorum meorum*, id est, deprecationes *meorum* quæ sunt *delictorum*, id est pro delictis, *longe a salute mea*, id est, non postulant ut ego descendam de cruce, quia tunc non liberarentur mei, id est, mihi prædestinati. Aliter: *Quare me dereliquisti*? Quasi dicat: Hæc verba quod dico, *respice et dereliquisti*, quæ sunt *longe a salute mea*, id est, a me qui sum immunis ab omni peccato, non sunt mea, id est pro me, quæ nunquam B despexisti, nunquam *dereliquisti*, sed sunt *verba delictorum meorum*, id est pro delictis *meorum*, quæ ego porto; ut illud: et iniquitates nostras *ipse portavit* et *languores nostros ipse* abstulit (*Isai.* LIII). Vel merito possum videri derelictus, et neque me solum *dereliquisti* a tali *salute*, sed etiam meos. *Deus meus, clamabo* ad te *per diem*, id est, per illos qui in membris meis perfectione et claritate virtutum dies possunt dici. *Et non exaudies*, quemadmodum per Paulum qui ter Dominum rogavit ut auferretur ab eo stimulus carnis, et non est exauditus. Nam dictum est ei: *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur* (*I Cor.* XII). *Et clamabo nocte*, id est, in illis qui propter ignorantiam mysteriorum Dei nox dici possunt: et *non exaudies*, doces enim non esse clamandum verbis *delictorum*. Aliter: *Clamabo* C inimicis *per diem*, id est, prosperitatem hujus sæculi, ut maneat. *Et nocte*, id est, adversitate, ut prosperetur. *Et non exaudies. Et* quod *non exaudies, non ad insipientiam mihi*, sed facies ad sapientiam, hanc scilicet ut discant mei te eis sapere plus vel melius providere quam ipsi sibi. Medicus es; non facis secundum voluntatem infirmantium, sed secundum salvationem, facis cognoscere, cum non præstas quæ postulant verbis *delictorum*, non esse pœnam ad damnationem, sed medicinam ad salutem. Aliter: Ideo dico, *respice*, quia, *quare me dereliquisti*, id est, videtis me dereliquisse? *Clamabo per diem* scilicet verbis *delictorum*, nec *exaudies*, et hoc quod *non exaudies*, facis *mihi non ad insipientiam*, ut insipiens fiam, sed ad magnam sapientiam, scilicet ut discant mei D non esse orandum verbis *delictorum*. Aliter, in persona capitis: *Deus meus clamabo per diem*, id est, per totum illud passionis tempus quod fuit ante noctem, id est, crucis mortem, *et non exaudies*, quia permittis conspui, irrideri, verberari et multa indigna pati. *Et nocte*, id est, in crucis pœna, cum sol obscurabitur. *Et non exaudies*, quia permittis in cruce mori. *Et* hoc mihi facies *non ad insipientiam*, sed ad magnam sapientiam. Oportebat *enim eum, qui multos filios* adducturus erat in gloriam Patris, *auctorem salutis eorum per passionem consummari* (*Hebr.* II). *Tu autem in sancto habitas*. Quasi dicat: Tu videris me dereliquisse, quia tot indigna pati permittis et foris non liberas: tu autem, scilicet non derelinquis, quia *in sancto habitas*, me scilicet assumpto homine quem inhabitando sanctum facis, operando occulte salutem, me foris non salvando: *Laus Israel*, id est, qui nunquam tuos deseris, scilicet per quem est laudabilis omnis Israel, id est, omnis qui te videt per fidem et spem: *Laus Israel*, cujus habitatione laudabilis efficitur Israel, vel, quem solum merito laudat Israel quia nunquam derelictus, et hoc ostendit per partes. *In te speraverunt patres nostri*, Moyses et Aron et alii multi *speraverunt et liberasti eos* de manu Pharaonis et Ægyptiorum, et de manu omnium inimicorum suorum. *Ad te clamaverunt*, sicut in deserto, *et salvi facti sunt*: misisti eis manna, dedisti aquam de petra. *In te speraverunt et non sunt confusi*, quia et interius et exterius salvati. Dedisti eis quod promisisti, scilicet terram promissionis, et vitam longævam et procreationem filiorum. *Ego autem sum opprobrium hominum* Judæorum dicentium ad ignominiam: *Tu discipulus ejus sis, nos Moysi discipuli sumus* (*Joan.* IX). *Et* non solum hominum in quibus possunt majores intelligi, sed etiam *abjectio plebis*, id est, vilissimorum de illo populo. Extra civitatem enim me ejecerunt, conspuerunt faciem meam, alapas dederunt. Ac si dicat: Omnes illi, quia in te speraverunt, non sunt a te derelicti, *ego autem*, scilicet videor derelictus, cum tamen sim illis omnibus major, quia *sum vermis*, scilicet natus de Virgine matre sine patre, quemadmodum *vermis* de solo ligno vel terra, scilicet sum homo supra homines quia immunis a peccato. *Et*, quanquam homo supra homines, tamen *non homo* tantum, quia Deus, quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I). Vermen eum vocat propheta qui ait: *Noli timere, vermis Jacob* (*Isa.* XLI). *Omnes videntes me*, scilicet humilitatem, et patientiam meam et nullum adjutorem, aperte *deriserunt me*, dicentes: *Ave rex Judæorum, locuti sunt labiis* mala quæ in corde habebant, *et moverunt caput* insultando, scilicet omni genere irrisionis me deriserunt, scilicet dicentes: *Speravit in Domino* Filium Dei se fecit, *eripiat eum* de manibus nostris, *salvum faciat eum* faciendo descendere de cruce, *quoniam vult eum*; scilicet salvare (*Matth.* XXVII). Quasi dicat: Illi putant me derelictum, quia aperte non liberas ea liberatione qua ipsi putant me liberandum, si mecum esses. Tu autem, Domine, *ne discesseris a me*, scilicet da mihi constantiam in passione, et resuscita a morte, quia nullus est qui eripiat nisi tu: *quoniam tu es qui extraxisti me de ventre* nullo hominum me concipiente, viam aperiente. Ex tua solius operatione humanam sumpsi naturam, ad te solum maxime pertineo: ideo non discedas a me, quia tu *es spes mea*. Tamen *ab uberibus matris meæ*, scilicet ex infirmitate qua ubera materna suxi spem habeo in te non ex divinitatis potentia, vel, ab ipsa pueritia quæ pronior solet esse ad malum. Et merito *tu es spes mea*, quia *in te projectus sum ex utero* id est, ab aliis omnibus longe remotus qui conjecti sunt in Adam: porro jactus sum *in te*, quia natus

sum ad imaginem et similitudinem tuam, ut ait Apostolus : *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV). Et revera in te, quia *tu es Deus meus*, non ego, ut infelix Adam. Et quod te Deum habeo, *de ventre matris meæ* est hoc, id est, ex illa natura quam accepi in utero matris. Nam de te non es tu Deus meus, sed Pater meus. Aliter, secundum ordinem : *Deriserunt me.* Et hoc ideo, *quoniam tu es qui extraxisti me de ventre*, id est, quia tu voluisti ut pro eis mortalis et passibilis fierem, et talis in quem hæc omnia fieri possent, qui in divinitate æqualis mihi factus es *spes mea* ex humanitate. Et quia, me tantum humiliasti, noli me deserere. Aliter: Ideo me persecuti sunt, ideo deriserunt, quia dissimilis illis eram, nulla alia de causa. Et hoc est quod dixit, *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre*, id est, de umbra et obscuritate legis quæ est quasi venter Synagogæ. Hoc modo extraxisti, factus *spes mea ab uberibus matris meæ*, id est, a carnalibus observationibus legis in qua natus sum, ut in tua justitia confiderem, non in justitia legis, quia ex operibus legis nullus justificatur, sed per gratiam tuam (*Rom.* III). Datæ sunt enim carnales observationes, non ut justificarent, sed ut rudem illum populum quasi elementis quibusdam erudirent, ut tandem a carnalibus ad spiritualia transirent. Et merito tu es *spes mea*, quia *in te projectus sum ex utero*, in te solum posui spem meam exiens de utero, id est, de umbra legis in lege gratiæ. Et quia *in te projectus sum*, ideo tu es Deus meus, scilicet *spes mea de ventre matris meæ*, scilicet ex quo me inde extraxisti. Ergo *ne discesseris a me.* Ostende modo quod mecum sis, me resuscitando a mortuis, sicut tunc cum extraxisti de utero matris. Et opus est ut non discedas, *quoniam tribulatio proxima est*, *quoniam non est qui adjuvet*, nisi tu. Ostende quomodo sit proxima, *Circumdederunt me vituli multi*, scilicet lasciviens plebs Judaica, non ad imitandum, sed ad persequendum. *Tauri pingues obsederunt me.* Principes Judæorum, tauri propter superbiam, pingues, id est, adipati malitia, *Aperuerunt super me os suum*, dicentes, *Crucifige* (*Joan.* XIX) ; vel, mortis sententias in me dederunt, quæ sententiæ suæ fuerunt, id est, ex mendacio, non ex veritate, *sicut leo rapiens* quando cum gladiis et fustibus comprehenderunt (*Matth.* VI), *et rugiens* vociferando in me. *Sicut aqua effusus sum* viliter et sine ulla jactura, ut illis videbatur. *Et dispersa sunt omnia ossa mea*, id est, fortes mei, apostoli scilicet, quia sicut caro in ossibus roboratur, ita et corpus Christi quod est Ecclesia in apostolis roboratur, dispersa sunt, id est, in diversas partes fugerunt. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*, id est, Scripturæ sacræ, in quibus latebat voluntas mea, infirmatæ sunt in medio ventris mei, id est, in corde infirmorum meorum. *Aruit tanquam testa virtus mea*, id est, virtus meorum aruit in illis, id est, defecit, sicut humor deficit cum exsiccatur testa ad ignem, ita virtus meorum paulatim cœpit evanescere acce-

A dente igne passionis. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis :* omnes mei quasi muti facti sunt qui prius erant lingua mea, id est, prædicatores mei. *Et in pulverem mortis deduxisti me*, id est permisisti me in sepulcro includi, quasi solvendum in pulverem. Aliter : Illi me circumdederunt, illi sententias mortis in me dederunt, et in sepulcro clauserunt, sed frustra, quia *effusus sum* per totum mundum *sicut aqua*, scilicet aliis in ruinam, aliis in salutem : non credentibus, in ruinam, credentibus in ablutionem criminum. Unde illud : *Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum* (*Luc.* II). Et ut effunderer, *dispersa sunt omnia ossa mea*, id est, prædicatores mei firmati a Spiritu sancto, ut essent quasi ossa et robur corporis mei dispersi sunt ad

B prædicandum in universum orbem. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*, id est, post ignem passionis aperta est et manifestata Scripturarum duritia *in medio ventris mei*, id est, in memoria meorum firma, ad similitudinem, quia quod in medio est solet firmius inhærere. Memoria accipitur pro ventre ea similitudine, quia sicut in ventre multa reconduntur ita et in memoria. *Aruit tanquam testa virtus mea.* In igne passionis non est infirmata virtus mea, ut illi putabant, sed aruit, id est, firmata est sicut testa : quia de passibili factus sum impassibilis, de mortali immortalis, tanquam testa prius humida et fragilis, apposita ad ignem indurescit. Et post passionem *lingua mea*, id est, lingua meorum, *adhæsit faucibus meis*, id est, non cessaverunt mei a prædicatione. Tunc

C enim videtur lingua faucibus inhærere, cum frequens est in locutione. Et per illos, *in pulverem mortis deduxisti me*, id est, in corda gentilium duxisti qui prius erant pulvis mortis, id est, aridi et sine humore verbi Dei. Ille dicitur mortuus pulvis qui sine humore est, et facile a vento rapitur. Aliter : Tu autem in me sancto habitas, quod illi non credunt qui sic dicunt : *In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et liberasti eos.* Hic nihil mutatur, nisi quod in persona persequentium hæc dicuntur usque, *Ego autem*, scilicet non videor illis dignus tua salvatione, quia *sum* ita vilis, et ita videor conculcandus ut *vermis*, et non videor illis homo et ideo *opprobrium hominum*, ut supra : *Locuti sunt labiis ; Vah qui destruis templum Dei* (*Matth.* XXVII). *Et mo-*

D *verunt caput*, insultando. Et merito foris *moverunt caput*, quia removerant intus in cordibus suis Christum verum caput, et assumpserant sibi multa inimicorum capita. Et cætera ut supra, usque, *et in pulverem mortis deduxisti me. Et bene deduxisti*, non enim potuerunt occidere nisi permissi. Hinc fit transitus ad illum versum, *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me*, quia morti me tradere permittis, noli elongare meam resurrectionem usque ad communem resurrectionem, sed *ad defensionem meam conspice :* scilicet visa morte mea, cogita de resurrectione mea, vel, ad defensionem meam, scilicet dando robur, ne in tormentis devocet. Et opus

est tua defensione, *quoniam circumdederunt me canes multi*, inimico blandientes, contra auctorem salutis oblatrantes : *Non hunc, sed Barrabam* (*Joan.* XVIII). *Foderunt manus meas et pedes meos*, crucis clavis affigentes. *Dinumeraverunt omnia ossa mea*, id est, sic in cruce extenderunt, ut omnia ossa mea comminuerent ad numerandum. *Ipsi vero*, scilicet tam excæcati, tam crudeles. Alii enim miserti sunt. *Consideraverunt* me clamantem *Eli Eli* (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV), *et* despexerunt. Aliter : ipsi non mutati non ad misericordiam moti, *consideraverunt*, id est diligenter notaverunt omnia quæ passus sum nullo subveniente. *Et inspexerunt me*, id est inferius tantum aspexerunt, non superius attendentes me hominem, et non cognoscentes Deum. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Quædam vestis fuit inter vestimenta Domini quam milites sicut alia non diviserunt, interula scilicet. Hanc, quia consulta non erat sed desuper contexta noluerunt scindere, sed sortes miserunt cui contingeret; ipsi tam crudeles in me exstiterunt. *Tu autem, Domine*, cui obedivi in his omnibus, *ne elongaveris auxilium tuum*, quia multum appropinquabit impugnatio eorum. Illi conspexerunt ad impugnationem meam, tu autem conspice ad defensionem meam, scilicet resuscita me. Aliter: *Circumderunt me* in meis *canes multi*, lacerantes meos canino dente. *Concilium malignantium obsedit me*, id est meos, ut illud, *sederunt principes et adversum me loquebantur* (*Ps.* CXVIII). *Foderunt manus meas, et pedes meos*, id est, dolose cogitaverunt subvertere opera mea et affectiones meas ut illud, *Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit, Post tres dies resurgam : jube ergo custodiri sepulcrum* (*Matth.* XXVII). Similiter opera et voluntates meorum *foderunt*, cum eos interficiendo salutem hominum quam operabantur et desiderabant destruere voluerunt. *Dinumeraverunt omnia ossa mea* sicut diligenter meos prædicatores quæsierunt ad damnandum, ut certum numerum eorum scirent. Ipsi *vero consideraverunt et inspexerunt me*, id est, meos in spectaculum sibi fecerunt tanquam eorum ludibrium, ut illud, *Spectaculum facti sumus* (*I Cor.* IV), ut captivi qui ducebantur ad publicum spectaculum. *Diviserunt sibi vestimenta mea*, aliqui de illo populo apostolos meos qui sunt *vestimenta mea*, ut illud, *Vivo ego, dicit Dominus* (*Isa.* XLIX), quia his omnibus velut vestimento vestieris. *Partiti sunt*, putantes diversam fidem esse in eis ut illud, *Ego sum Pauli, ego autem Cephæ* (*I Cor.* I) : vel, *vestimenta mea*, id est, sacramenta Ecclesiæ quibus vestior. Alii enim putaverunt in baptismo unam immersionem debere fieri, alii duas et in aliis similiter. *Et super vestem meam miserunt sortem*, ad similitudinem militum qui vestem desuper contextam, non manibus consutam, non diviserunt, sed sortiti sunt quidam charitatem non valentes scindere ut alia sacramenta, qui hæc non unum in plura dividit, sed plura in unum colligit, sortiti sunt, id est, gratia Dei velut sorte contingere intellexerunt. Charitas desuper contexta dicitur, quia præcedit charitas Dei charitatem nostram, ut illud, *Charissimi, diligamus Deum quoniam Deus prior dilexit nos, et Deus charitas est* (*I Joan.* IV). *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice.* Istud non ad hanc sententiam jungitur, sed ad priorem. Hoc modo, *conspice, Erue a framea*, id est a morte, causam pro effectu ; vel, ad damnationem Judæorum, unde illud, *lingua eorum gladius acutus* (*P.* LVI); *animam meam* vitam meam. *Et de manu canis*, id est de potestate Judaici populi cæco more latrantis, *unicam meam*, id est, solam sine peccato, vel, tibi unicam, vel de manu inferni qui canino more omnes avide devorat, vel erue me de morte, ut hoc modo unica mea, id est, Ecclesia unice delecta eripiatur de potestate diaboli. *Salva me ex ore leonis*, diaboli vel terrenæ potestatis. *Et a cornibus*, id est, a superbia Judæorum, *unicornium*, in lege singulariter superbientium et gentium assumptionem respuentium ; vel, ideo *unicornium*, quia uno intellectu legis alios ventilant, vel, a satellitibus dæmonum *humilitatem meam.* Et quo fructu te petis liberari? *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Hucusque de passione Christi, deinde de ejus resurrectione. Augustinus dicit hæc quæ sequuntur non adeo esse necessaria, sed pro commodo causæ suæ inducit, propter hæreticos quosdam futuros qui dicerent Ecclesiam Christi non esse nisi in una parte terrarum, ut Donatistæ qui in sola Africa, id est, apud se dicebant Christum esse, trahentes testimonium de Canticis canticorum : *Ubi cubes in meridie?* (*Can.* I.) *Narrabo nomen tuum*, id est, gloriam tuam, *fratribus meis*, apostolis scilicet. Et per illos *in medio Ecclesia laudabo te* non in Judæa tantum, sed in communi Ecclesia quæ erit conjuncta ex utroque pariete Judaici populi et gentilis; vel, in communi catholicæ Ecclesiæ, non in quadam parte, dicens : *Qui timetis Dominum, laudate eum*, non pauci, sed omnes, nolite quærere vestram laudem, sed Creatoris nostri. Ostendit per partes qui sint timentes Dominum *universum semen Jacob, glorificate eum*, id est, omnes pertinentes ad Jacob, sive Judæi, sive gentes dando terrena, mercando cœlestia, quæ retro sunt obliviscentes, in anteriora vos extendentes. *Timeat eum omne semen Israel.* Euntes in profectu, vel semper luctantes, qui minores sunt hortatur glorificare : Israelitas, qui sunt majores timere ; scilicet illis opus esse laude et operatione qui sunt in profectu, ne deficiant istis opus esse timore, ne per elationem cadant. Ideo timeat timore casto, *quoniam non sprevit deprecationem pauperis*, meam scilicet qui cum dives essem factus sum pauper (*II Cor.* VIII) ; non sprevit me deprecantem pro me, *neque despexit* deprecantem pro meis, quemadmodum inimici fecerunt. *Nec avertit faciem suam a me*, scilicet paupere, qui prius averterat a divite Adam, qui *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Phil.* II). *Et* in hoc apparet quia, *cum clamarem ad eum, exaudivit me. Clarificavi et iterum clarificabo* (*Joan.* XII). Et ideo *apud te laus mea*,

id est, meorum apud te ut non solus Judæus A tibi soli placeat. *In Ecclesia magna*, facta magna et aucta virtutibus per resurrectionem meam, quæ prius parva erat morte mea; vel in *Ecclesia magna*, id est, toto orbe diffusa, contra hæreticos. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*, id est, mysterium corporis et sanguinis mei offeram cum his qui tuo timore hoc celebrant. Et reddendo vota *edent pauperes*, id est, humiles, omnia Domino attribuentes et nihil de se præsumentes, *edent* me, id est, sacramantum corporis et sanguinis mei sument, *et saturabuntur* imitando me et seipsos tradendo : quia edere Dominum, hoc est, eum in omnibua velle imitari et illi uniri. *Et* in illa saturitate *laudabunt Dominum*, quia hæc est vera laus Dei in omnibus pro posse Christum imitari. Illi laudabunt *qui* prius *requirunt* eum per fidem et spem vel, *requirunt eum*, B illl enim *requirunt* qui quæsiti a Domino et radempti eum toto desiderio petunt, omnia alia postponentes ut illi adhæreant. Et merito *laudabunt* quia *corda eorum*, id est. desideria cordis eorum, *vivent in sæculum sæculi* Et non solum pauperes de Judaico populo, sed etiam gentiles *reminiscentur* Domini, qui prius obliti erant. *Et convertentur ad Dominum* qui prius aversi erant dantes honorem creaturis quem deberent Creatori; *universi fines terræ*, id est, de tota terra. Et conversi *adorabunt in conspectu ejus*, id est, in corde puro ubi ipse solus conspicit, vel in conspectu ejus non in conspectu hominum, *universæ familiæ gentium*, id est, de universis familiis gentium. Hoc iterum contra hæreticos. Potest et hoc totum de gentibus dici, ut illud prius dictum est de Judæis, id est, apostolis et aliis creden- C tibus. *Vota mea*, id est, eamdem vota quæ ego persolvi. scilicet vota omnium pretium redemptionis eorum, quod ego persolvi morte mea, eadem *reddam*, non ego ipse in me, sed *in conspectu timentium eum*, id est, in intellectu eorum qui cognoscunt misericordiam Dei per me exhibitam, et eum timent timore casto. Et non solum fideles Judæi qui prius divites erant in cognitione mandatorum Dei, sed etiam *pauperes*, id est, gentiles inopes mente, quantum ad cognitionem Dei, *edent et saturabuntur, et sic laudabunt Dominum qui requirunt eum*. Isti sunt illi *pauperes* qui comedent, scilicet requirentes eum: hoc modo requirent. *Reminiscentur et convertentur ad Dominum*. Et non solum de universis finibus terræ, sed etiam *adorabunt in conspectu ejus*, id est, di- D gna ejus acceptione, *universæ familiæ gentium*, id est, majores et minores. Et merito, *quoniam Domini est regnum*, id est, quia jam facti sunt regnum Domini in victoria crucis qui prius erant regnum inimici. *Et ipse*, scilicet qui Dominus est, non tyrannus, *dominabitur gentium*, misericordi dominio, qui prius fuerant sub crudeli tyranno. *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ*. Hoc potest sic legi ut referatur ad hoc quod dixit, *universæ familiæ gentium*, et revera *universæ*, quia pauperes et divites. De pauperibus dictum est, nunc subjungit de divitibus. Aliter: Dictum est quia *edent pauperes*, scilicet pauperes et re et spiritu: illi *edent* Dominum, quia alium cibum animæ suæ in hoc mundo desiderabunt. Et illi qui hic eum *edent, saturabuntur*, quia sic eorum animam amor Dei reficiet ut ultra nihil desiderent, quia tandem erit *omnia in omnibus* (I *Cor*. XV). Et non soli *pauperes*, sed etiam omnes pingues terræ, id est, omnibus modis pingues, scilicet vel divites in terrenis, vel malitia saginati. Etiam tales *manducaverunt* Dominum non corde, sed ore, et *adoraverunt* foris, non intus. Et quanquam tales foris manducent et adorent in conspectu hominum, et per hoc se stare putent in Domino, tamen *in conspectu ejus cadent*, scilicet intus in anima ubi ipse solus videt, *omnes* illi *qui descendunt in terram* : quorum cor illo pane sursum non erigitur desiderio, sed ad terrena descendunt per illicitam cupiditatem. *Qui enim corpus et sanguinem Domini* sumit *indigne, judicium sibi manducat et bibit. Probet autem seipsum homo* (I *Cor*. XI). *Pingues terræ* manducabunt et non saturabuntur ; imo per illam manducationem cadent, id est damnabuntur, quia magis terrena quam Deum desiderabant. *Et anima mea*, id est, *anima* meorum, *illi* scilicet adhærendo, non terrenis, *vivet. Hæc est enim vita æterna ut cognoscant te verum Deum* (*Joan*. XVII). Illi possunt dici anima Christi qui omnia reliquerunt et secuti sunt ejus voluntatem, ut apostoli et alii perfecti viri. *Et semen meum*, id est, imitatores mei, *serviet ipsi*, scilicet imperfecte, ut a servitute tandem veniat in libertatem. Aliter: *Anima mea*, id est, perfectorum meorum illi vivet mortua sæculo, *vivet* soli Deo ; *illi* soli *serviet. Et semen meum*, id est, imitatores meorum, qui tamen mibi deputantur, *serviet* ipsi non hominibus. Et hoc non in brevi, *annuntiabitur enim Domino generatio ventura*. Tangit quod in Veteri Testamento præfiguratum est, quando dictum est: Si cujus frater sine hærede mortuus fuerit, superstes frater ducat ejus viduam et suscitat semen fratri suo (*Deut*. XXV). Ita Christo Ecclesiæ sponso mortuo secundum carnem, et post, ab oculis fratrum sublato, quasi sine hærede, quia adeo pauci erant sui, ut quasi nulli viderentur ; fratres defuncti, id est apostoli, eam assumpserunt et verbo fidei multos filios genuerunt, non sibi, sed Domino. Unde dicitur : *Annuntiabitur*, id est, ascribitur Domino, non prædicatoribus Novi Testamenti, *generatio ventura. Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit* (I *Cor*. III). *Et* hoc modo, quia *annuntiabunt cœli*, id est, prædicatores alti virtutibus et miraculis *justitiam ejus*, non suam *populo qui nascetuor* per gratiam. Quis est ille ? *quem fecit Dominus* Veterem populum fecit Adam sui conformatione, scilicet servus : novum vero populum fecit Dominus, quia gratis justificavit sine præcedentibus meritis. Peccatores enim nos ipsos fecimus, justos autem sola Dei misericordia. Aliter : *Quoniam tribulatio proxima est*, id est, quia non in rebus extraneis, sed in meipso res agitur, et ideo adjuva in passione ne deficiam. *Quoniam non est qui adjuvet*, inimici circumdederunt, amici fuge-

runt. Obsederunt me consiliis et accusationibus. Et A non solum hoc, sed etiam aperuerunt super me os suum. Ostendit quomodo : *Sicut leo rapiens et rugiens*: *Crucifige, crucifige* (*Joan* XIX). *Sicut aqua effusus sum*, id est, tam viliter occisus, ut aqua effunditur. *Et* nunc *dispersa sunt omnia ossa mea*, id est, discipuli, qui debebant esse robusti in fide, fugerunt. juxta illud prophetæ : *Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis* (*Zach.* XIII ; *Matth.* XXXI), Dicit, *quare fugerunt. Factum est*, etc., id est, doctrina mea annihilata est in illis, qui cum debuissent esse firmi, *venter*, id est debiles, facti sunt Et non mirum, quia *virtus mea*, id est potentia mea *aruit tanquam testa* id est fragilis eis visa est. Et ideo desperaverunt, quia *lingua mea adhæsit faucibus meis*, quia nihil contradixit. Et ideo quia *deduxisti* B *me in pulverem mortis*, id est, putaverunt me ita deduci in mortem, ut fierem pulvis sicut alii, *Lingua mea*, id est meorum, *adhæsit faucibus meis*, id est, adhærebunt Scripturæ quæ est os meum. Et sic per eos deduces me ad cognitionem eorum qui erant pulvis mortis, id est, aridi ; carentes rore Spiritus sancti. Apud te laus mea in Ecclesia magna : ubi tu laudaberis laudatore tecum. *Ego enim et Pater unum sumus* (*Joan.* X), Hoc ideo dicit, ne aliquis propter prædictam ejus humilitatem eum Patri coæqualem esse dubitaret. Hoc modo lauda ; *vota mea*, id est meipsum, *reddam* scilicet sicut cum Patre ante sæcula præordinavi ; et hoc faciam *in conspectu timentium* eum, id est, ita ut timentes eum intelligant quid sint illa vota, et propter quod sit vota, non propter diversitatem, sed propter [illegible] perso- C nas. Quid sint intelligent, scilicet Dominicum corpus esse, non solum commemorationem, ut quidam hæretici voluerunt, cum tamen Dominus aperte dixisset : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (*Matth.* XXVI). Et: *Hic est sanguis meus qui pro vobis fundetur* (*Marc.* XIV) ; et sic sententiæ quæ sequitur : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII), nulla dubitatio relinquitur. (*a*) Panis autem et vinum a Christiana veritate dicuntur, non quod naturam panis et vini post consecrationem in se retineant, nisi quantum ad speciem et saporem et odorem. Illi namque qui carnem in utero Virginis assumptam Verbo suo personaliter et ineffabiliter unire potuit, qui etiam mortalia corpora nostra imperii sui potentia facit immortalia, panis et vini D materiam in sui corporis et sanguinis naturam transferre possibile est. Signa etiam sacramenta hæc mystica ratione vocantur, non Christi, sed nostri. Magna enim in eis signa et mysteria continentur. Nam materia illa, panis scilicet ex qua corpus Domini cum sacerdotali benedictione et Deo cooperante conficitur, ex granis plurimis mola attritis, conspersione aquæ conjungitur. Vinum quod in sanguinem transfertur ex acinis multis torcularis aut alicujus ponderis impressione conficitur. Grana vero et acina cultorum labore cooperante, procreantur. Ita et nos prædicatorum cultura in fide generati conspersione baptismatis, postea vero bonis operibus dediti, et afflictionum exercitio attriti, multi unum corpus efficimur. Unde Apostolus : *Ita multi unum corpus sumus in Christo* (*Rom.* XII). Aqua vero, quæ defluens est, hoc ad sacramentum conficiendum ad figuram nostri vino admiscetur: ita et nos ad modum aquæ fluentis, in mortes defluentes, passionis Dominicæ mysterio efficiente, Christo copulamur gratiæ adoptione. Cum vero corpus hoc a fidelibus accipitur signum est corpora nostra adhuc mortalia per Christi passionem esse reparanda. Per sanguinis autem acceptionem, animarum intelligimus reparationem: circa sanguinem potius anima commoratur. Et quamvis hoc sacramentum a pluribus accipiatur, non tamen (ut videtur) in parte est divisum ; sed totum in singulis est et indivisum, Andrea apostolo sic testante: Agnus tanquam sacrificatus est, integer perseverat et vivus. Suscipitur autem propter sustentatiomem et imitationem in præsenti, propter remunerationem tandem futuram. Unde etiam viaticum dicitur. Et pauperes Christi hoc modo intelligentes edent scilicet illud sacrificium et saturabuuntur, id est imitabuntur, si oportuerit. Et hoc modo laudabunt qui requierunt eum, non aliud, per illud sacrificium : et tandem vivent corda eorum, id est animæ, quia in corde magis principatur anima. Et non solum pauperes, sed etiam illud sacrificium manducabunt et adorabunt (quo et saturabuntur) divites terræ. Si soli pauperes adôraturi et salvandi essent, non utique Paulus ad instruendum eos discipulum suum sic admoneret : *Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere* (I *Tim.* VI).

PSALMUS XXII.

PSALMUS DAVID.

« Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco « pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refe- « ctionis educavit me, animam meam convertit. De- « duxit me super semitas justitiæ propter nomen « suum. Nam etsi ambulavero in medio umbræ mor- « tis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. « Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata « sunt. Parasti in conspectu meo mensam adver- « sus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo « caput meum. et calix meus inebrians quam præ- « clarus est. Et misericordia tua subsequetur me « omnibus diebus vitæ meæ. Et ut inhabitem in « domo Domini in longitudinem dierum. »

ENARRATIO.

Psalmus David. In hoc psalmo vox est Ecclesiæ recogitantis miseriam suam quam incidit ex culpa primi parentis, nunc autem cognocentis salvationem suam factam per Christum in assumptione illa matutina. Agit itaque grates Deo enumerando beneficia ejus, et hortatur alios ad amorem Dei. Dicit itaque :

(*a*) Contra hæreticos, præcipue Sacramentarios.

Dominus regit me. Rerum Dominus, cui jure servio. Adam prevaricator me distorsit,et a pascua vitæ,id est a mandatis Dei,me infeliciter revocavit. Dominus Christus verus pastor, qui *animam suam dedit pro ovibus suis* (*Joan.* x), modo regit me, id est,doctrina vitæ dirigit. In Hebræo habetur, *pascit*: quod idem valet,quia pastus animæ doctrina Dei est. Et quia talis pastor me pascit, *nihil mihi deerit*,quod ad salutem et veram refectionem pertineat.Ipse enim in Scripturis sacris mentem meam dirigit. Ideo nihil deerit, quia ut bonns pastor *in loco pascuæ*,id est,in intellectu sacræ Scripturæ, in quo est magna animæ refectio, vel in spe futuræ beatitudinis,*ibi me collocavit* : *ibi*, id est, in tanta certitudine,et in tanta abundantia omnimode me locavit,quæ prius fluctuabam quærendo pascua, id est beatitudinem nunc hac,nunc illac ;nunc in opibus,nunc in honoribus et aliis hujusmodi. Et ut bonus pastor postquam collocavit me per fidem et intellectum in loco pascuæ,non ibi deseruit,sed *educavit me*,id est enutrivit, *super aquam refectionis*, id est doctrinam Novi Testamenti, quæ dicit : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* xi). Aliter Ecclesia posita *in loco pascuæ*, id est in spe futuræ beatitudinis,ostendit quomodo illuc pervenerit, per gratiam scilicet *Super aquas refectionis educavit me*, id est, posuit mihi fundamentum aquam baptismi, id est, fidem quæ in baptismo accipitur quasi fundamentum : quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* xi). Et super illam aquam educavit me. Hoc modo *animam meam convertit*, prius aversam a Creatore ad creaturas,ab immutabili ad mutabilia. Et postquam convertit animam meam per fidem, *deduxit me super semitas justitiæ*,id est fecit me ire de virtute in virtutem. Tractum a pastoribus, qui gregem suum deducunt de loco ad locum, id est, de una pascua ad aliam. Et hoc fecit *propter nomen suum* glorificandum in me,non merito meo. Notandum quod dicit, *Super semitas justitiæ;* quasi dicat Non solum docuit me custodire mandata facilia, quæ via possunt dici, quia a multis propter facilitatem frequentantur; sed etiam arcta, quæ semitæ dici possunt quia a paucis insistuntur propter difficultatem. In hoc apparet quod super semitas justitiæ deduxit :quia etsi inter impedimenta hujus sæculi verser,ducatu illius securus incedam, non timens labi in aliquod crimen qnod me separet ab eo. Et hoc est quod dicit. *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis*, id est, licet vivam inter illos qui in hac vita obumbrant alios divitiis, vel potentia,vel honoribus, non ad salutem, sed ad perditionem. *Non timebo* ex eorum supereminentia *mala*, scilicet ut ab eis devocer : et hoc non ex me, sed *quoniam tu mecum es*,tam providus pastor, tam bene vigilans supra gregem suum. Vel *in medio umbræ mortis*, id est, in communi conversatione hujus vitæ,quæ non est vera mors, sed umbra, id est imago ultimarum tenebrarum, exteriorum sci-

A licet. *Non timebo mala*,non timebo incidere vitia, quæ mala possunt dici criminalia. De quibns dictum est, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* vi). *Est peccatum ad mortem, pro hoc non dico ut quis oret* (I *Joan.* v), scilicet tantum Vel *in medio umbræ*,id est in communi illius ignorantiæ quæ est mortis,id est, quam habeo ex mortalitate et passibilitate. *Non timebo mala*, ut grex ille non timet aliqua mala,scilicet vel incursus luporum,vel raptus furum, vel aliquid hujusmodi, qui bonum habet pastorem. Ideo *non timebo mala ;* quia *virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* : ut discretus pastor habes virgam,qua errantes oves et agnos leniter corrigas ; habes baculum, quo majora animalia et fortiora ab erratu coerceas ;
B *virga tua*,id est,mitis disciplina, qua me errantem corripis,scilicet infirmitas vel aliqua hujusmodi adversitas : *Et baculus tuus*,id est, gravis tribulatio, *ipsa me consolata sunt.* Quasi dicat : Non solum quod parcis, in eo consolaris me ; sed et in eo quod flagellas : quia *quem Pater diligit corripit* (*Hebr.* xii). Aliter : *Virga tua*, id est flagellatio tua, parva vel magna : *et baculus tuus*, id est sustentatio tua : *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (I *Cor.* x), *ipsa me consolata sunt.* Nam aliam consolationem quæsivi : hoc modo sunt consolata : quia si foris amaritudo tribulationis, tu tamen *parasti mensam*, id est refectionem *in conspectu meo*, id est, in oculis animæ meæ juxta illud :Quando *enim infirmor,tunc* fortior *sum et potens* (II *Cor.* xii). Et in Canticis canticorum
C *Nigra sum et formosa* (*Cant.* i). *Adversus eos qui tribulant me*,id est,hoc fecisti contra quam illi putent : illis enim disciplina tua in præsenti non gaudium videtur,sed mœror (*Hebr.* xii). Aliter : Non solum disciplina tua me consolata est, sed etiam *parasti in conspectu meo mensam*, id est, doctrinam legis tuæ,qua non jam ut parvulus lacte nutriar,sed in virum perfectum eruditus,spirituali dente ruminans ejus sententias, possim resistere perversis. Hæc est illa mensa quæ post laborem me reficit. Et hoc modo *impinguasti caput meum*, id est mentem meam,*in oleo*,id est spirituali lætitia,et eadem doctrina tua,quæ est oleum mentis meæ:ideo quia eam ex hilarat promissio ne præmii post laborem. *Calix meus inebrians*,spirituali gaudio ita mentem meam re-
D plens,ut non sentiam mala exteriora. Hoc modo facta calix inebrians,*quam præclarus est* mihi, etsi non aliis ita videatur.Aliter:Imitatio passionis tuæ, mihi facta *calix inebrians*,id est dulcis potus ;et faciens oblivisci omnia tormenta, *quam*,id est valde, *præclarus est*;etsi aliis videatur obscuritas et ignominia mihi videtur magna claritudo. *Mihi autem absit gloriari,nisi in cruce Domini* mei *Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est est,et ego mundo* (*Gal.* vi). Quasi dicat : Non solum doctrina tua me consolatur,sed etiam imitatio passionis tuæ. *Et misericordia tua subsequetur me.* Quasi dicat : Præcessit misericordia tua vocando per fidem : secuta

est in custodiendis mandatis, et subsequetur me *omnibus diebus vitæ meæ*, et tandiu subsequetur, usque dum *inhabitem in domo Domini*, id est, usque dum a tabernaculo isto in quod ad tempus milito, veniam ad Jerusalem, id est *ad visionem pacis*, in qua habitat Dominus, et ibi manebo *in longitudinem dierum*, id est, in claritate nunquam deficienti.

PSALMUS XXIII.

PSALMUS DAVID IN PRIMA SABBATI.

« Domini est terra, et plenitudo ejus ; orbis terra-« rum et universi qui habitant in eo. Quia ipse « super maria fundavit eum, et super flumina præ-« paravit eum. Quis ascendet in montem Domini ? « aut quis stabit in loco sancto ejus ? Innocens ma-« nibus et mundo corde, qui non accepit in vano « animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. « Hic accipiet benedictionem a Domino, et miseri-« cordiam a Deo salutari suo. Hæc est generatio « quærantium eum, quærentium faciem Dei Jacob. « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, « portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quis est « iste Rex gloriæ ? Dominus fortis et potens, Domi-« nus potens in prælio. Attollite portas, principes, « vestras, et elevamini, portæ æternales, et introi-« bit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ ? Domi-« nus virtutum ipse est Rex gloriæ. »

ENARRATIO.

Psalmus David in prima Sabbati. Sabbatum vocatur tota hebdomada apud Hebræos, nominata ab ultimo die. *Prima Sabbati* est dies resurrectionis, ante cujus ortum Dominus resurrexit. Totum illud tempus Domini, quod fuit ante resurrectionem a lapsu Adæ, nox dixi potest propter tenebras peccatorum, quibus humanum genus involvebatur, et cæcitatem mentis. Totum autem tempus hoc de resurrectione Dominica usque ad finem sæculi potest vocari: *prima Sabbati*, id est prima dies hebdomadæ, in qua Christus verus sol, assumpta immortalitate, mundo lucem dedit nunquam deficientem. Est ergo psalmus iste David prophetæ in consideratione illius, diei, qua Christus victor a mortuis resurrexit, devicto mortis principe, et ejus regno spoliato : hortantis omnes scilicet hujus mundi principes, et præcipue Judæos rebelles et incredulos, ut Christo victori congaudeant, et triumphantem cum gaudio suscipiant, ad similitudinem principum hujus sæculi qui triumphatores suos redeuntes cum magno gaudio suscipiunt, et ampliant portas suas, ut ingredientibus et ingredientibus cum pompa nihil obstet. Dixit ergo :

Principes hujus sæculi, *attollite vestras portas*, id est, auferte a vobis cupiditatem vestram et timorem per quas est introitus ad mortem : hæ sunt principales portæ ad omne peccatum quod ducit ad mortem. Omnes hortatur, sed præcipue principes: quia hi maxime per has ad infernum descendunt. Et, o *æternales portæ*, amor proximi et timor Dei castus, scilicet *elevamini*, quæ jacuistis usque modo prostratæ a casu primi parentis: nunc apparete in hominibus, ut

A per vos introeat Christus corda fidelium. *Et introibit Rex gloriæ*, non rex ignominiæ. Reges terreni sunt reges ignominiæ : ex ignominia enim, id est, ex virtutum defectu, homo hominem sibi regem fecit, qui coerceret ab illicitis. *Non* enim *est* justis *lex posita, sed injustis* (I *Tim.* I). Si enim manerent homines quales creati sunt a Deo in primis parentibus, non esset alius alio inferior. Christus est Rex gloriæ, quia regendo gloriosos facit, cui servire regnare est. Responsio principum *: Quis est iste Rex gloriæ ?* Etsi hæc verba non dicantur, in evidentia tamen rerum apparet Propheta : *Dominus fortis* in passione ; *et potens* in resurgendo : vel, *fortis*, quia superavit mortem : *potens*, scilicet potens in prælio contra diabolum, eum vincens et spolia ejus dis-B tribuens ; vel *fortis* in carne, *potens* Deitate ; vel *fortis*, quia vicit fortem, id est diabolum; *potens*, quia spoliavit infernum. *Dominus potens in prælio* repetitio hæc, aggratulatio est. Deinde convertit se ad principes tenebrarum, qui illas auferendas portas in hominibus erexerant et dicit: *O principes*, id est dæmones, qui usque modo principatum habuistis in hominibus, *attollite vestras portas*, scilicet vitia per quæ ingredimini ad homines, Et, o *æternales portæ*, id est virtutes, *elevamini* in cordibus hominum, quæ prius dejectæ, fuistis. *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI), Responsio dæmonum: *Quis est, iste Rex gloriæ.* Resp. *Dominus virtutum*, Dominus angelorum, *ipse est Rex gloriæ*, non alius. Potest et sic legi, ut in primis fiat allocutio ad bonos angelos, hoc modo. O *principes*, scilicet cives superni C qui inter concives vestros homines principatum tenetis, *attollite* in hominibus *portas vestras*, id est, adjuvate, ut virtutes vestræ quas nunquam deseruistis erigantur in hominibus, quæ usque modo dejectæ jacuerunt. *Et*, o *æternales portæ*, id est angelicæ virtutes, quæ semper in eis fuistis et semper eritis, *elevamini* in hominibus *Et introibit Rex gloriæ*, ut supra. Responsio angelorum : *Quis est iste Rex gloriæ*? nos Patrem et Filium semper simul vidimus iste Rex gloriæ quis est ? Hoc possunt dicere illi spiritus qui semper cum Deo fuerunt, et nunquam missi sunt ad cognoscendam humanitatem Christi : *Dominus fortis et potens*, ut supra. Deinde fit conversio sermonis ad malos angelos, ut supra. *Attollite portas, principes, vestras.* Hoc non mutatur. Quasi D dicat: Ego hortor vos, o principes, ut victori Christo Regi gloriæ congaudeatis, et illi aperiatis. Et merito, quia *Domini est terra*, quæ prius erat inimici terra id est, omnes illi qui initiati ecclesiasticis sacramentis, hoc modo culti, terra dici possunt. *Et plenitudo ejus*, scilicet est Domini, id est, perfecti illius terræ, scilicet Ecclesiæ, illi scilicet qui sunt pleni fide et bonis operibus. Et hæc terra non in quadam parte mundi, ut quidam volunt, est ejus, sed orbis terrarum. Et ne quis acciperet dictum esse de hominibus bonis scilicet, et malis in eo quod dixit, *orbis terrarum*, id est, in toto orbe terrarum, determinat quos dicat esse in victoria illa acquisitos

Hoc modo : Dixi quod orbis terrarum sit Domini, A scilicet *universi qui habitant in eo*, non qui inhabitantur qui mundum sibi subjugaverunt, non ipsi mundo subjecti sunt. Potest et sic legi, ut orbis terrarum sit expositivum illius quod dixit, *plenitudo ejus*. Quasi dicat : Hoc est plenitudo terræ illius quæ facta est Domini, orbis terrarum, id est, perfecti illi qui possunt dici orbis, id est, extremitas terrarum, quia contraxerunt se omnino a vitiis et concupiscentiis hujus sæculi, quorum conversatio in cœlis est. Et universi qui habitant in cœlis, id est, omnes illi qui per imitationem in illis perfectis firmiter manent. Ac si dicat : Perfecti viri et eorum imitatores sunt plenitudo, et hæc plenitudo est Domini. Et merito orbis terrarum est Domini : *quia ipse super maria fundavit eum*, id est, in his B quæ prius mare fuerunt, id est, omnino seculares et procellosi, variis animi motibus semper agitati, fundavit hunc orbem faciendo de infidelibus fideles, de persecutoribus discipulos, quemadmodum de Saulo Paulum, ut per maria accipiamus majores principes, scilicet reges et tetrarchas. *Et super flumina præparavit eum*, id est, de illis qui satellites principium hujus sæculi erant suos fecit convertendo. Aliter : *Ipse super maria fundavit eum*, id est, super fluctuatione hujus mundi, quibus involvebatur ab initio, stabilivit Ecclesiam suam in fide ut jam conculcetur hic mundus et contemnatur ab ea. Fides enim Christi quasi mons est, super quem fundata est ut procellæ hujus sæculi non possint eam movere, quasi infirmo et altiori loco fundatam. C *Et super flumina præparavit eum*, id est, super potentes vel cupidos hujus sæculi, ut ait Salomon : *Omnia flumina intrant mare et mare non redundat* (*Eccle.* I) ; ita et potentes hujus sæculi quanquam multa acquirant, nunquam tamen satiantur. Super hæc flumina est præparata Ecclesia, ut illos prædicet et convertat. Et quia dictum est : *Domini est terra*, ne quis sibi frustra applaudat, putans se esse ejus terram, cum non sit, describit qui sunt ejus terra, præmittens interrogationem. Quasi dicat : Ego dixi terram Domini fundatam esse super maria et elevatam. *Quis ascendet in montem Domini*, vel ad Christum qui est mons præparatus in vertice montium ? *quis ascendet* gradibus virtutum, ut sit terra ejus ? Vel *in montem*, id est, in Ecclesiam elevatam a terrenis ad cœlestia fide et spe. D Ego dixi, *quis ascendet ? aut* potius dico, *quis stabit in loco sancto ejus* ? id est, quis perseverabit ; quia multi ascendunt, et non perseverant ; ad fidem enim accedunt, quæ est locus sanctus, sanctificans recte credentes, qui non stant in ea otiose viventes ; *fides* enim *sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Is ascendit, hic stabit : *Innocens manibus*, id est operibus, qui nec sibi nocet mala operando, nec alteri. *Et mundo corde*, id est, ab omni mala cogitatione. Ostendit qui sit mundo corde : *Qui non accepit*, id est, non acceptam et gratam fecit *in vano*, id est in transitoriis, *animam suam*, scilicet qui sibi non fecit gratiam ullius delecti, nec animo suo. Et propterea etiam *nec juravit proximo suo in dolo*, id est ad deceptionem. Sæpe enim qui vana hujus sæculi grata animo suo faciunt, ut ea obtineant, in perjurium cadunt. *Hic* scilicet, non alius, *accipiet benedictionem a Domino*, id est, talis vir erit terra illa cui benedicet Dominus, juxta illud Apostoli : *Terra* autem accipiens *imbrem et* proferans *herbam opportunam illis a quibus colitur*, in benedictione erit (*Hebr.* VI), id est, in incremento virtutum. *Et* ideo talis vir erit in incremento virtutum, quia accipiet *misericordiam a Deo*, *qui* dat *et velle et perficere pro bona voluntate* (*Phil.* II). *Salutari suo*, id est, a quo solo salvari desiderat. *Hæc est generatio*. Quasi dicat : Ista sola quæ tam innocenter vivit, et non alia, est generatio *quærentium* Dominum per fidem et bonam operationem in hac vita. Et post *quærentium faciem*, id est præsentiam, *Dei Jacob*, id est, illorum qui sunt imitatores Jacob, temporalia spernentes, et æterna desiderantes ; qui non aliud præmium suæ innocentiæ quærunt, nisi vultum Dei. Vel, *hæc est generatio quærentium* Dominum, id est, hoc modo ut dixi, generantur illi qui quærunt Dominum.

PSALMUS XXIV.

PSALMUS DAVID.

« Ad te, Domine, levavi animam meam. Deus meus, « in te confido, non erubescam. Neque irrideant me « inimici mei : etenim universi qui sustinent te, non « confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes « supervacue. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, « et semitas tuas doce me. Dirige me in veritate tua « et doce me, quia tu es Deus salvator meus et te « sustinui tota die. Reminiscere miserationum tua- « rum, Domine, et misericordiarum tuarum quæ a « sæculo sunt. Delicta juventutis meæ et ignorantias « meas ne memineris. Secundum misericordiam « tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, « Domine. Dulcis et rectus Dominus, propter hoc « legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansue- « tos in judicio, docebit mites vias suas. Universæ « viæ Domini misericordia et veritas, requirentibus « testamentum ejus et testimonia ejus. Propter no- « men tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : « multum est enim. Quis est homo qui timet Domi- « num ? legem statuit ei in via quam elegit. Anima « ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæredi- « tabit terram. Firmamentum est Dominus timenti- « bus eum, et testamentum ejus ut manifestetur illis. « Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evel- « let de laqueo pedes meos. Respice in me et mise- « rere mei, quia unicus et pauper sum ego. Tribula- « tiones cordis mei multiplicatæ sunt, de necessita- « tibus meis erue me. Vide humilitatem meam et « laborem meum, et dimitte universa delicta mea. « Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt : « et odio iniquo oderunt me. Custodi animam meam, « et erue me, non erubescam, quoniam speravi in « te. Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sus-

« tinui te. Libera, Deus, Israel ex omnibus tribula- « tionibus suis. »

ENARRATIO.

Psalmus David. In hoc psalmo vox est illorum qui suam miseriam attendunt, et suam fragilitatem adeo magnam, ut etiam quivis vermiculus possit eis nocere. Vel dum de se nimium homo præsumpsit, et quod amisit per superbiam et inobedientiam non posse recuperare nisi per humilitatem et obedientiam, imitando Christum. Potest legi in persona Christi primus et secundus versus hoc modo :

Ad te, Domine Pater, *levavi animam meam,* toto desiderio ad te eam direxi, non ad terrena dejeci. *Deus meus, non erubescam* non surgendo, qui dixi : *Solvite templum hoc, et post triduum reædificabo illud* (*Joan.* II), quia *in te confido,* non in me, non in alio. *Neque irrideant me inimici mei* Judæi, ut dicant : *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV). Et revera non erubescam te sustinens, tua mandata custodiens. *Etenim universi qui sustinent te, non confundentur.* Hucusque in persona capitis. Legitur autem totus in persona cujusque fidelis, sic agentis cum Domino Deo suo :

Ad te, Domine, scilicet habendum, *levavi animam meam,* toto desiderio a terrenis eam levavi ad te, non contra te, ut infelix Adam. Et merito, quia tu es *Deus meus,* non ego, non aliud. Et quia tu es Deus meus, Domine, *in te confido,* omnem fiduciam meam in te conjicio. *Maledictus homo qui confidit in homine* (*Jer.* XVII). Et quia in te confido, non in me, ut infelix Adam, qui rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, *non erubescam,* ut usque modo feci, factus ex præsumptione mea adeo infirmus, ut vilissimus vermiculus me affligere valeat : redde mihi humiliato et confidenti in te illam valitudinem, quam perdidi per superbiam. *Neque irrideant me inimici mei,* quia in te confido : carnales et spirituales inimici, qui in te non confidunt, non irrideant me superatum et a te devocatum. Et revera non confundar, quia sustinui te, id est, pondus præceptorum tuorum : vel cum patientia exspectavi te renumeraturum. *Etenim universi qui sustinent te, non confundentur,* scilicet ab exspectatione sua. *Confundantur* potius *iniqua agentes.* Illi potius erubescant, qui *supervacue,* id est, nimis inefficaciter sunt iniqua agentes, scilicet odio habentes servos tuos diligentes eos : si in persona Christi, iniqua agentes possumus accipere Judæos, in Deum auctorem salutis, mortem machinantes supervacue, id est inefficaciter. Et ut non confundar, ut non irrideant inimici, *vias tuas, Domine. demonstra mihi,* id est, mandata tua ostende, quæ me non permittant errare. *Et semitas tuas,* id est, arcta et difficilia præcepta, *edoce me,* id est, evidenter doce, ut non in illis fallar. *Doce,* dico, ut non sciam tantum, sed ut opere compleam : quia hoc est perfecta doctrina, scilicet in illis mandatis. *Dirige me in veritate tua,* id est, in mandatis tuis quæ vera sunt quia ego in mendacio meo tortuosus sum. *Et* hoc modo *doce me.* Ideo rogo ut tu doceas *quia tu es Deus salvator meus,* id est, potens me salvare. *Et* ideo *te,* id est, tua mandata vel te remuneratorem *sustinui,* id est, cum patientia expectavi, *tota die,* id est assidue : vel in prosperis et in adversis. *Domine, dirige me* : et hoc fac recordando misericordiæ et obliviscendo delictorum. *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt.* Ab initio mundi misericors fuisti, qui nec hominem peccantem sine spe veniæ, in corruptionem cadere et a te recedere permisisti. Misericorditer hominem foris formasti, misericorditer intus reformasti : qui me perditum revocasti, revocatum misericorditer conserva. Aliud est miseratio, aliud misericordia. Miseratio est misericordiæ exhibitio, misericordia vero compassio. *Delicta juventis meæ, et ignorantias meas ne memineris. Delicta juventutis,* id est gravia peccata ; quia juvenes temerarii sunt, et temeritate gravius fit commissum. *Et ignorantias meas,* id est, leviora peccata, quia quod ignoranter committimus, minus peccamus ; vel, *delicta,* id est originalia, quæ in ipso primordio contraxi a parentibus ; *et ignorantias,* id est, actualia, quæ ignoranter commisi postquam juvenis factus sum, id est, innovatus a vetustate primi parentis. *Et ignorantias meas* : hæc sunt illa delicta juventutis, quia aliquis per fidem innovatus promisit, fideliter implere studet : cavet de futuris, mundatus de præteritis, nisi si qua levia ex ignorantia committit, a quibus vix est ullus ita perfectus qui sibi cavere queat. Hæc *delicta ne memineris,* id est, ne serves tandem ad pœnam, sed misericorditer hic ea delendo obliviscaris. Et ut ea non serves ad judicium, *memento mei tu* : quia ego mei sum oblitus, cum a mandatis tuis recessi. *Secundum misericordiam tuam,* quam non merui, non secundum iram quam merui. Et hoc non merito meo, sed *propter bonitatem tuam, Domine.* Sed nemo hæc audiens sibi applaudat in peccatis, securus de venia propter bonitatem tuam : quia *dulcis* est *Dominus* in misericordia, vocando ad pœnitentiam, donando delicta. Et post misericordiam *rectus* est, quia *reddit unicuique juxta opera sua.* Et *propter hoc,* scilicet quia rectus est, quia incorruptus, post misericordiam nihil dimittet impunitum. Et hoc est quod dicit, *legem dabit,* id est, flagella et correctiones *delinquentibus in via,* id est, in mandatis Domini quæ sunt via ad vitam : vel *in via,* id est, in Christo qui est via ad vitam, dabit legem delinquentibus, quia Christus lex est, id est liber et forma bonis imitandi quæ fecit et docuit, malis vitandi quæ ipse vitavit et prohibuit. Aliter : Quia *rectus* est, *dabit legem,* id est, flagella, *delinquentibus in via,* id est in hac vita, ut in eo quod temporaliter punit temporaliter delinquentes, ostendat quod æternaliter puniet æternaliter delinquentes. Temporaliter peccat, qui, si longæva vita daretur, cessaret : æternaliter vero peccat, cui aufertur facultas, non voluntas. *Dirige mansuetos in judicio* : in tali judicio, id est, in hujusmodi lege diriget mansuetos. Nam immansuetos non diriget, imo disturbabit ; tractum ab animali-

bus, quæ si sint mansueta, si deviaverint, flagellando in viam reducuntur; sin vero immansueta et indomita, flagellis cæsa magis exorbitant et efferantur. Et hoc castigando, *docebit mites vias suas*: nam immites sic removebit a viis suis.

Quæ sint illæ viæ ostendit: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Omnes viæ illæ per quas ad nos venit, sunt misericordia et veritas. *Misericordia*, per quam sine præcedentibus meritis veniam donat. *Veritas*, quia post misericordiam vocationis et veniæ digne ultimo judicio merita cujusque examinat. Primus ejus adventus fuit in misericordia, secundus erit in veritate, id est, in incorruptione, in quo solum merita requiret: et has vias docebit mites, ut cognoscant misericordiam Dei, non merita sua: et per hoc non superbiant, sed humilientur, juxta illud: *Quid enim habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV). Et post prærogatam misericordiam attendant judicium futurum, quo reddet unicuique juxta opera sua (*Rom.* II): et ideo studeant facere bona. Non omnibus sunt misericordia et veritas, sed solum *requirentibus testamentum ejus*, id est satagentibus fieri ejus hæreditas, *et requirentibus testimonia ejus* testamenti, id est, præconia prophetarum diligenter quærentibus qui testati sunt illud testamentum. Hieronymus: ille miseretur, qui requirit testamentum ejus Novum, et testimonia, id est, prophetas et apostolos, quorum testimoniis est Ecclesia congregata. Redit ad illud quod dixit: *Memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine*: cætera fuerunt interposita. Ideo rogavi, ut mei memor esses non secundum meritum, sed secundum misericordiam, quia *propter nomen tuum, Domine*, scilicet glorificandum, *propitiaberis peccato meo.* Et revera propitiaberis: *multum est enim*, id est multum mihi videtur. Quasi dicat: Locum propitiationi tuæ jam paravi. Augustinus: Eatenus Deus ignoscit, quatenus tu cognoscis; unde Dominus ad Saül: *Cum esses parvus in oculis tuis, magnus apparebas in oculis meis; cum autem magnus factus es in oculis tuis, parvus fuisti in oculis meis* (I *Reg.* XV) Ne quis autem sibi in hoc applauderet, quod dictum est: *Propitiaberis peccato meo, multum est enim*, dicens: Et mihi propitiabitur, quia meum peccatum multum est, ostendit quis ille sit cui multum videatur, scilicet timenti Dominum. Et ideo quærit: *Quis est homo qui timet Dominum?* Quia autem multi sunt qui dicunt se timere Dominum, et non timent timore perpetuo; quia *qui dicit se timere Dominum, et mandata ejus non custodit mendax est* (*Joan.* II); juxta illud: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis* (*Psal.* CXI); ideo subjungit certa signa, quibus cognoscitur timens Dominum casto timore. Scilicet, *legem statuit ei*, id est, stabile propositum non declinans ad dexteram neque ad sinistram *in via quam elegit*, id est, justitia. Hieron: Legem statuit in via qua ut ad ea quæ elegit deflectatur, sicut in Moyse: Hodie statui ante oculos tuos ignem

A et aquam, bonum et malum, vitam et mortem, elige vitam et vives (*Eccli.* XL). Et hoc est quod dicit: Ipse proponit et indicat quid sit eligendum. Aliud signum: *Anima ejus*, id est cor ejus, *in bonis demorabitur*: semper insistet bona; declinans a malis: vel in bonis illis quæ vere bona sunt illa sola desiderabit, scilicet æterna. *Et* ideo *semen ejus hæreditabit terram*, id est, bona opera ejus eum excolent, ut fiat hæreditas Domini. *Hæreditabit*, id est, faciet hæredem, vel per opera justitiæ hæreditatem accipiet *terram* viventium. Et tertium signum: *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Timor hominum infirmat, timor Domini confirmat. At *ut* tandem *manifestetur illis*; ut non deficiant antequam eum videant. Et quia ipse est firmamentum timen-

B tibus eum, ideo *oculi mei*, cordis scilicet, quibus Deus videtur, *semper ad Dominum* liberatorem. Et merito *quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, id est, omnes aflictiones meas a sollicitudinibus hujus sæculi eruet, ut anima mea libero gressu ad eum tendere possit, vel, *de laqueo*, id est, de insidiis diaboli. Et ut evellar, *respice in me* humiliatum, qui prius despexisti superbum: in me, id est, in auxilium meum. *Et miserere mei*, id est, fac me perseverare in illa ereptione. Et opus est ut tu evellas, *quia unicus et pauper sum ego.* Ordo præposterus: *pauper sum*, id est, non sufficio mihi ad hoc; et unicus, id est solus: non habeo alios præter te, quorum auxilio vel exemplo nitar. Revera nequeo me eruere. Quia *tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*, supra modum creverunt; quia tribulant prospera, tribulant

C adversa tribulant diversæ suggestiones animi seu corporis. Merito multis tribulationibus, cui necesse est multis fulciri ne labatur. Quot et quantæ sunt infirmitates et passibilitates carnis, in fame et siti, in frigore, statione, sessione et aliis multis? quibus, ne labamur, quotidie fulciri indigemus? In his omnibus cor tribulatur, ne impediant et devorent. Et ideo *erue me*, id est libera *de necessatibus meis*, id est, da ut mortale hoc induat immortalitatem, et corruptio incorruptelam (*I Cor.* XV). Necessitates vocat indigentias et passibilitates, quas necessario patitur dum in hoc corruptibili corpore quasi carcere manet: cui proposita fuit sufficientia et indigentia, mortalitas et immortalitas: declinans ab immortalitate et sufficientia, necessario incipit in

D earum contraria. Et ut eruas, inquantum valeo, promereri satago: *vide humilitatem meam*, quam tibi exhibere studeo. *Et laborem meum*, id est, perseverantiam qua assidue laboro humiliare tibi carnem meam, ut te sessorem recipiam. *Castigo* enim *corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). *Et dimitte universa delicta mea*, scilicet ignorantias meas, quas committo necessitate viæ. Nemo enim ita lotus, quin pulverulentos pedes habeat, iter post lavationem faciens: ita nullus aqua baptismatis ita purificatus, quin vel levioribus peccatis aspergatur in hac via, id est in hac corruptibili vita. Et ut me eruas de necessitatibus, non solum mea

delicta dimittas, sed etiam *respice inimicos meos*, ut convertas eos : sic enim securus tibi serviam si non sit impugnator. *Quoniam multiplicati sunt* : qui ideo sunt inimici, quoniam ad multas vanitates sunt detorti a fructu frumenti, vini et olei sui (*Psal.* xv). *Et* quia multiplicati *oderunt me* non multis beati quærentem, sed uno(*a*) : *iniquo odio*, quia salutem eorum diligo. Est et justum odium ; ut illud : *Perfecto odio oderam illos* (*Psal.* CXXXVIII). Et quia iniquo odio me oderunt, *custodi animam meam*, scilicet a conformatione eorum, etsi non carnem meam. *Et* tandem *erue me*, totum separando ab illis, et ponendo ad dexteram tuam. *Non erubescam* tandem, scilicet ab exspectatione mea, *quoniam speravi in te*, scilicet promerendum : vel in te adjutorem, non alium. Aliter : Erue me a perplexitate hujus vitæ postquam custodieris ab inimicorum conformatione, quæ perplexitates multæ sunt, amicorum persuasio, filiorum delectatio, amor parentum. Erue me in his implicitum et impeditum ne devocer : *Qui amat patrem et matrem plus quam me non est me dignus* (*Matth.* x). Ideo etiam custodi, quia *innocentes et recti adhæserunt mihi. Innocentes*, a malo declinantes, *et recti*, id est, bono insistentes, *adhæserunt mihi* imitatione et conformitate, ut per me tibi jungantur : sicut membra capiti per collum junguntur ita per prædicatores et perfectos minores Christo junguntur eos imitando. Ideo mihi adhæserunt ; *quia sustinui te*, id èst, mandata tua custodivi, vel te remuneratorem cum patientia exspectavi. Et propterea *me erue*, ne me deficiente deficiant et hi qui te quærunt. Et ut adhæreant, *o Deus libera Israel*, id est, desiderantes videre te : *ex omnibus tribulationibus suis*, carnalibus et spiritualibus, ne ab his devocentur. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo* (*Joan.* XVII).

PSALMUS XXV.

PSALMUS DAVID.

« Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia « mea ingressus sum et in Domino sperans non in- « firmabor. Proba me, Domine, et tenta me, ure « renes meos et cor meum. Quoniam misericordia « tua ante oculos meos est, et complacui in veritate « tua. Non sedi cum consilio vanitatis, et cum iniqua « gerentibus non introibo. Odivi Ecclesiam malignan- « tium, et cum impiis non sedebo. Lavabo inter inno- « centes manus meas, et circumdabo altare tuum, « Domine. Ut audiam vocem laudis, et enarrem « universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem « domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Ne « perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum « viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus « iniquitates sunt : dextera eorum repleta est mune- « ribus. Ego autem in innocentia mea ingressus sum ; « redime me et miserere mei. Pes enim meus stetit « in directo : in Ecclesiis benedicam te, Domine. »

ENARRATIO.

Psalmus David. Iste psalmus attribuitur David, id est, perfecto cuique pertinenti ad David. Est autem vox perfecti, orantis et agentis cum Deo suo, et quemadmodum in hac vita mortaliter ab impiis separatur, ita in futura localiter separetur : vel ut hic temporaliter uratur, secetur, flagelletur, ne tandem cum impiis damnetur.

Judica me, Domine. Non formido judicium tuum, imo rogo ut veniat et separet me a societate impiorum, quam habeo non mente, sed corpore. Difficilis oratio et formidanda maxime, illius rogare judicium in cujus conspectu cœli vix mundi reperiuntur (*Job.* xv), si non cætera sequerentur merita unde perfectus vir confidens sibi de merito, subdit : *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, id est, quoniam post innocentiam quam mihi prærogasti per gloriam tuam, sic in ea permansi, ut sperem me in ea habere aliquod meritum. Ille innocenter vivit, qui nec sibi obest, nec alteri. *Ingressus sum*, id est, in hac vita vixi, quæ quasi quidam ingressus est in futuram. Dico, *ingressus sum. Et non infirmabor*, id est, perseverabo in illa innocentia, tamen de me non præsumens, sed *in Domino sperans*, scilicet audeo de me hoc promittere. Et ut non infirmer, *tenta me, Domine*, id est, duc me in experientiam laborum, et sic *proba me*. id est probatum me mihi ostende firmum. Multi enim sibi probati videntur, qui se non cognoscunt, sed in tentatione probantur ; ut Petrus, qui sibi satis constans videbatur : cum diceret : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI). Potest et sic continuari : Ego dixi quod *non infirmabor* ; ne quid tamen occultorum meorum me lateat, ostende me mihi, scilicet *proba me, Domine, et tenta me*, id est, fac ut nec delecter in vanis, nec cogitem de terrenis. Et ut tentatus prober : *ure renes mes et cor meum.* Si quid est in delectationibus carnis meæ vel cogitationibus cordis mei quod sit absumendum, adhibe ignem amoris tui, qui illud totum absumat et quasi aurum in fornace probatum me reddat (*Sap.* III) ; amor tuus omnia terrena a delectationibus meis amputet et omnia vana a cogitationibus ; vel, in tentationum æstu fac ut delectationes et cogitationes meæ non absumantur. Et merito rogo ut uras, ut seces ; vel merito rogo ut tentes, ut in certamen ducas : quia scio in hoc esse misericordiam tuam, qua velut pater flagellas omnem filium quem recipis (*Heb.* XII) ; scio mihi hoc esse ad consummationem, non ad consumptionem. Et hoc est quod dicit, *quoniam misericordia tua ante oculos meos est*, ante oculos cordis mei. *Et* ideo *complacui* mihi *in veritate tua*, id est, in mandatis tuis, quæ vera sunt : vel in fide Christi tui, qui prius mihi displicui in mendacio meo ; vel *in veritate tua* quam tu me docuisti, scilicet te esse Deum meum, non gulam, non ventrem, non aliquam creaturam. In hac veritate complacui. *Non sedi cum consilio vanitatis*, id est, non delectatus sum in ludicris hujus sæculi, vel in meditatione terrenarum rerum. *Et cum iniqua gerentibus non introibo*, id est, cum irreligiosis et non timentibus Deum, non ponam absconditam conscientiam meam ideo, quia *odivi ecclesiam malignantium*, id est, conventum cogitan-

(*a*) Locus corruptus.

tium mala. *Et cum impiis*, id est, nec Deum nec proximum diligentibus, *non sedebo*, delectando in eorum impietate : hi sunt hæretici. *Lavabo* autem, id est purificabo, *manus meas*, id est opera mea, *inter innocentes*, id est imitando innocentes, et hoc modo ens inter eos, ad similitudinem sacerdotis, qui prius se lavat, et sic ad altare accedit. Et post lavationem manuum *circumdabo altare tuum*, *Domine*, id est, fidem tuam quam dedisti mihi, in qua locus est veri sacrificii, ornabo bonis operibus, ut altare ornatur palliis et aliis ornamentis. Vel, *circumdabo altare tuum*, id est, aram cordis mei ornabo variis virtutibus : ubi vota vel vovenda, sunt et solvenda. Ideo ornabo vel fidem meam bonis operibus vel cor meum virtutibus, *ut audiam*, scilicet a spiritu in me præsidente, *vocem laudis ; ut* aure cordis *audiam*, id est, intelligam quæ sit vox illa quæ te laudat, scilicet bona vita et bona conversatio. Vel *audiam vocem laudis*, scilicet veram et cordi consonam : tunc intelligimus vocem laudis cum ex puro corde vocem procedere intelligimus. Quæ est illa vox laudis ? Hæc : *et enarrem universa mirabilia tua*, interiora et exteriora : quod hominem mirabiliter creas foris, mirabilius autem intus recreas. Majus enim de Saule persecutore discipulum facere quam Lazarum de monumento resuscitare, quidquid boni habeo, tibi attribuam : quidquid male, mihi. Vel intelligam qualiter laudandus sis, et enarrem aliis. Ideo *inter innocentes lavabo manus*. vel ideo *circumdabo altare tuum :* quia, o *Domine*, *dilexi decorem domus tuæ*, id est, perfectos qui sunt ornamentum Ecclesiæ tuæ, qui sunt lapides pretiosi. *Et locum habitationis gloriæ tuæ*, id est, illos in quibus inhabitat gloria tua, qui nihil sibi, sed totum misericordiæ tuæ attribuunt. Et ideo, quia hic moraliter separatus sum ab impiis, *ne perdas cum impiis, Deus, animam meam ;* quia non fuerunt mecum in generatione prima, non habeam partem cum eis in generatione secunda : *cum impiis*, id est cum illis qui ab impietate sua numquam recedunt *Et cum viris sanguinum*, id est, cum odio habentibus fratrem suum, id est hæreticis. *Omnis* enim *qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III), *ne perdas vitam meam*, id est, ne damnes. Illi merito damnantur, *in quorum manibus*, id est operibus, *iniquitates sunt*, id est, qui nunquam operantur nisi injustitiam. *Dextera eorum*, id est, si qua eorum opera videntur bona, *repleta est muneribus*. Est enim munus a manu, munus a lingua, munus ab officio. Tales putant pietatem esse quæstum ; nolunt quidquam operari, nisi ad laudem humanam. *Ego autem ingressus sum*, id est, vixi *in innocentia mea* prærogata, id est perseveranter in ea egi, non perfunctorie. Et ideo *redime me* ad conformationem eorum ; quandiu enim in hoc tabernaculo sum, implicitus sum eorum perplexionibus, conversando cum eis. Et tandem *miserere mei*, id est, a miseria hujus vitæ me eripias, faciendo de mortali immortalem, de passibili impassibilem. Et debes misereri, quia *pes meus*, id est, tota affectio cordis mei, *stetit in directo*, id est, perseveranter egit in mandatis tuis quæ directa sunt. Vel in justitia, vel *in directo*, id est in te, quia pes animæ meæ non est lapsus ad malum, tua misericordia est. Et ideo *benedicam te, Domine, in Ecclesiis*, id est, augmentabo laudem tuam, subinferendo dilectioni tuæ dilectionem proximi.

PSALMUS XXVI.

IN FINEM PSALMUS DAVID PRIUSQUAM LINIRETUR.

« Dominus illuminatio mea et salus mea, quem « timebo ? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepi« dabo ? Dum appropiant super me nocentes, ut edant « carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi « infirmati sunt, et ceciderunt. Si consistant adversum « me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat ad« versum me prælium, in hoc ego sperabo. Unam pe« tii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo « Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ut videam volu« ptatem Domini, et visitem templum ejus. Quoniam « abscondit me in tabernaculo suo in die malorum, « protexit me in abscondito tabernaculi sui. In petra « exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super « inimicos meos. Circumivi et immolavi in tabernaculo « ejus hostiam vociferationis : cantabo, et psalmum « dicam Domino. Exaudi, Domine, vocem meam qua « clamavi ad te ; miserere mei et exaudi me. Tibi « dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem « tuam, Domine, requiram. Ne avertas faciem tuam a « me, ne declines in ira a servo tuo. Adjutor meus « esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus « salutaris meus. Quoniam pater meus et mater mea « dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. « Legem pone mihi, Domine, in via tua, et dirige me « in semita recta propter inimicos meos. Ne tradideris « me in animas tribulantium me, quoniam insurrexe« runt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas « sibi. Credo videre bona Domini in terra viventium. « Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur « cor tuum et sustine Dominum. »

ENARRATIO.

Psalmus David priusquam liniretur. Tribus vicibus unctus legitur David : prius in domo patris a Samuele misso a Domino post reprobationem Saul (*I Reg.* XVI) ; secundo in Hebron, tertio in Jerusalem, quando constitutus est rex super Israel (*II Reg.* II *et* V). Et ante hanc ultimam et perfectam unctionem cantavit hunc psalmum Domino. Ungebantur autem prius hæ duæ personæ, rex et sacerdos : in quibus Christus præfigurabatur verus Rex et verus Sacerdos, unctus non corruptibili oleo, sed plena gratia Spiritus sancti : factus immortalis Rex, et assistens Deo Patri verus Pontifex, semper interpellans pro nobis (*Hebr.* VII) *:* cujus corpus, id est Ecclesia, prius nunc ungitur ante baptismum, et post in baptisma, præsignans illam tertiam et veram unctionem, quæ in capite suo, id est Christo, jam completa est ; et tandem in ejus membris complebitur, cum mortale hoc induet immortalitatem et corruptibile incorruptionem (*I Cor.* XV) *:* tum

erimus veri reges, quia tunc spiritus vere reget et dominabitur carni: et veri sacerdotes, offerentes nos ipsos Deo hostiam vivam, sanctam, Deo placentem (*Rom.* XII). Est ergo in hoc psalmo vox corporis Christi, laborantis et orantis, priusquam veniatur ad illam æternam unctionem, quæ non sacramentis temporaliter præmonstratur, et ita agentis cum Deo suo :

Dominus illuminatio mea. Ego mihi tenebræ, ego mihi cæcitas; sed Dominus illuminavit me per fidem, ut possim eum contemplari hic spe, tandem in re. Hic dedit notitiam, ibi dabit contemplationem sui. *Et salus mea.* Ego mihi sum infirmitas præter eum, sed ipse est *salus mea*, nunc interim intus et tandem foris, nunc ex parte, tunc perfecte. Et ideo, *quem timebo*? Quis poterit enim mihi auferre? Nullus. Ideo securus sum, quia *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo*? Quasi dicat : intus non *timebo* ne devocer, quia *Dominus est illuminatio mea.* Nec exteriores hostes *timebo*, quia *Dominus est protector vitæ meæ :* protegit mortalis mortalem, et est securus ; protegit me mortalem Immortalis, *a quo trepidabo*? Trepidatio, corporis est : nullus locus relictus est trepidationi. Ideo, in carne non *trepidabo*, quia *dum appropinquant super me nocentes*, facti superiores me quantum ad exterius, vel ad hoc ut mihi prævaleant, non mihi prævalent, non mihi nocent, quia ad hoc *appropiant, ut edant carnes meas*, id est, ut carnales affectus in me absumant, et me ut aurum probent, et ideo non *trepidabo*. *Qui tribulant me inimici mei*, quantum ad exterius, *ipsi infirmati sunt*, non valentes me devocare. *Et ceciderunt*, interius damnati cæcitate cordis. Si enim prius intus infirmati cecidissent, non tantopere ad tribulandum me operam darent. Et ideo quia ipsi infirmantur, non ego : vel quia Dominus est clypeus meus, *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, id est, si consilia impiorum, vel conspirans contradicentium multitudo (utrumque solet esse in castris) *consistant* non mecum, sed *adversum me, non timebit cor meum*, etiamsi timeat corpus meum : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (*I Cor.* X). Etiamsi *si exsurgat adversum me prælium*, id est gravissima persecutio, *in hoc ego sperabo*, id est, ipsum prælium erit mihi spes: vel in hoc quod sequitur, potest hic notari similitudo de aliquo, qui invaderet terram alicujus: post invasionem poneret castra, post locata castra invaderet eum gravissimo prælio. Ille tunc confidens in aliquo potente, nihil de se curaret. Ideo non timebo, et *in hoc sperabo*, quia illud peto quod mihi auferri non potest. *Unam petii a Domino : unam* petitionem, non multas ; vel, *unam* rem quæ semper una est, nunquam variatur : *hanc requiram* irremisse: hæc est illa una, *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ :* ut qui modo sum in luctu et in tabernaculo, tandem inhabitem in *domo Domini*, id est, cœlesti beatitudine, in qua est requies et pax vera tanquam in domo. *Omnibus diebus vitæ meæ*, id est in illa æternitate, quæ et nocte carebit et morte. Et non solum *inhabitem*, sed etiam *ut videam voluptatem Domini*, id est, impleam : vel videam faciem Domini facie mea, id est præsentia. Vel, quid Dominus voluit per hoc quod me illuminavit ? et quid in sacramentis ecclesiasticis temporaliter præfiguravit? *Et visitem*, id est perpetuo videam, *templum ejus*, id est, Christum jam unctum perfecta unctione jam immortalem factum, *in* quo velut in sacrario *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II). Ego jam factus templum ejus, id est, configuratus corpori claritatis ejus, jam factus verum corpus ejus. Aliter : Hæc est illa una, *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, id est, ut in tota hac vita nullæ tribulationes et nullæ adversitates auferant me de numero illorum qui tenent unitatem et veritatem fidei Christi. Et post *videam*, id est intelligam, *voluptatem Dei*, id est, intersim consiliis Domini, vel *voluptatem*, id est, dilectionem Dei. *Et visitem*, id est, frequenter videam : *templum ejus*, id est, locum sanctum, illum quem ipse frequentat. Dictum hoc per similitudinem. Magnum enim videtur in domo alicujus potentis, interesse consiliis ejus. Et revera, inhabitabo, quia certum pignus inde habeo, *quoniam abscondit me in tabernaculo suo*, id est, absconditam inimicis incognitam posuit vitam meam *in tabernaculo suo*, id est in sacramentis ecclesiasticis, in quibus malitia sua exercetur. *In die malorum*, id est, in tempore tribulationis : vel in Ecclesia sua, in qua est militia Christiana , *abscondit me*, id est, tutatus est me, segregando a peccatoribus. Et non solum abscondit, sed ut bonus imperator *protexit me* ab impetu inimicorum. Vel, *in tabernaculo suo abscondit*, id est, fecit me corpus Christi, qui est tabernaculum divinitatis suæ. *In abscondito tabernaculi sui*, id est, in Christo qui hujus tabernaculi absconditum est, quia raptus in cœlum, vel quia occulte in sacramentis ecclesiasticis intelligitur. Hoc modo abscondit nos in Christo, quia naturam nostram secum in cœlum assumpsit. Et ubi caput, illuc et membra. Juxta illud Apostoli : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III). Et hæc spes magna nobis protectio est contra sævitiam inimicorum. Sicut ipse nobiscum deorsum fuit in humana natura, quæ nobis abscondita est, ita et nos erimus cum illo sursum. Vel *protexit me in abscondito tabernaculi sui*, id est, in corde credenti ad justitiam : adeo me constantem fecit in fide, ut nihil curarem de tormentis. Quod est illud absconditum? *Petra.* Unde Apostolus : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X). *In* illa *petra exaltavit me* per spem, quia cum sim membrum corporis ejus, ubi ipse est, ibi quandoque ero et ego. *Et* non solum per spem me exaltavit *in petra*, sed etiam *nunc* inter hostes *exaltavit caput meum super inimicos meos ;* ut quanquam illi sint superiores in carne mea, ego tunc illis præValeam in mente mea. Vel *in petra exaltavit me*, id est, in Christo : et hoc modo *exaltavit*, qui *nunc exaltavit caput meum*, id est Christum, *super inimicos meos* factum superiorem omnibus inimicis suis, in

quo et me exaltavit per spem, vel *in petra*, id est in fide Christi, *exaltavit me*, dando mihi constantiam prædicationis et confessionis. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x). *Circuivi et immolavi*. Quasi dicat: Et in his omnibus exsecutus est in me officium boni imperatoris. Ego autem quid feci? Secutus sum officium strenuo militis. *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis*, id est, *gratia ejus in me vacua non fuit* (*I Cor.* xv). *Circuivi*, id est, circumspexi me undique ad similitudinem strenue militantium, omnem sollicitudinem subinferens ministro in fide mea virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternitatis dilectionem, in dilectione fraternitatis charitatem (*II Petr.* I), et quod ista mecum assunt et superent in malo, *immolavi hostiam jubilationis*, id est, ineffabilis laudis, id est, in tota corde in te glorior, non in me. Aliter : *Circuivi* mente universas creaturas, cœlum et terram, et ornatus eorum, et omnia mihi locuta sunt laudem tuam in suo decore et suo ordine : et inveni in his quid tibi immolarem, scilicet *hostiam jubilationis*, id est, immensam laudem et immensam lætitiam cui nulla verba sufficiant : quia jubilum est ineffabilis laus : vel consideravi fidem orbis terrarum, in qua exaltatum est caput meum super eos qui me persequebantur : et in ipso tabernaculo ejus, id est, in Ecclesia toto orbe diffusa, ineffabiliter laudavi Dominum. Et non solum laudavi, sed semper laudabo. Cantavi corde psalmum Domino, non mihi, totum ad laudem ejus. Vel, hic jubilavi, et tandem *cantabo et psalmum dicam Domino* : corde et corpore totus laudabo eum, cum jam immortalis factus, nihil habeo quod ei displiceat. Et ut possim cantare et tibi psallere. *Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi*, id est, validam intentionem meam qua irremisse egi *ad te*, non aliud, ut me illumines. *Miserere* etiam *mei*, dando illam salutem veram : *et* sic *exaudi me*, id est, ostende te exaudisse. Et debes exaudire, quia *tibi dixit cor meum*, non alii. Hoc est quod dixit ; O Domine, *facies mea*, id est præsentia, *te exquisivit*, id est, tuam præsentiam ex omnibus rebus quæsivit; te solum ex omnibus ad beatitudinem sufficere credidi et non solum quæsivit, sed *faciem tuam, Domine, requiram* : nunquam desistam antequam perveniam. Et ideo *ne avertas faciem tuam a me*, scilicet in quærendo, id est, ne permittas me errare et aliud quærere. *Neque declines in ira a servo tuo* in inveniendo, ut non aliud inveniam quam te, sicut illi faciunt qui non sunt servi tui : dictum a simili, quia cui dominus terrenus irascitur, avertit ab eo faciem suam. *Ne declines in ira*, sed potius *adjutor, meus esto*, dando notitiam veritatis et perseverantiam. *Ne derelinquas me* in quærendo et inveniendo, da ut et te solum quæram, et te inveniam. Et ut non *derelinquas me, neque despicias me*, quod mortalis immortalem requiro. *Deus*, tu es *salutaris meus*, id est, qui solus me salvare potes. Et opus est ut tu non derelinquas,

A *quoniam pater meus et mater mea*, carnalis, scilicet Adam et Eva, *dereliquerunt me*, id est, exhæredaverunt. Et quia exhæredatus eram et projectus, *Dominus autem assumpsit me*, id est, assumptum et adoptivum suum me fecit, assumendo naturam meam. Aliter : *Ne despicias me, Deus salutaris meus*, quem usque modo merito despiciebas, cum filius essem diaboli et Babylone, quem pater meus diabolus, et mater mea Babylonia derelicti a me derelinquerunt me. Sicut duæ sunt generationes, una fidelium, altera infidelium : ita duo patres et duæ matres, una quæ generat in confusionem, id est Babylon, quæ interpretatur *confusio* : altera quæ generat ad vitam, id est Jerusalem. Vir Babylonis, diabolus : vir Jerusalem, Deus. *Dominus autem assumpsit me.* Conver-
B sio ad auditores, ut hortetur ad congratulationem. Potest et sic continuari ; Nec miremini si ego tam pie clamabo ad Deum, quia pater meus et mater mea Adam, et Eva exposuerunt me in mortem per inobedientiam, Dominus autem assumpsit me de massa perditorum. Et, o *Domine*, quia me es dignatus assumptum tuum facere, *legem pone mihi*, id est, statoriam fac voluntatem meam ut legem; ne permittas me perfunctorie, et hoc fac *in via tua*, id est in Christo tuo, vel in præceptis tuis. Et non solum ponas legem, sed etiam *dirige me in semita recta*, id est, in arctioribus mandatis tuis : fac me arcta mandata tua custodire ; vere cedam a voluntate mea : et hoc fac *propter inimicos meos* evadendos, carnales et spirituales scilicet : *Ne tradideris me in animas tribulantium me*, id est, ne aberrando permittas me
C cadere in formationem malorum. Et si tradas me in manus eorum, non tamen tradas in voluntates eorum. Ideo noli me tradere in animas eorum, quia *insurrexerunt in me testes iniqui*, non solum aperte inimici, sed etiam tales qui falsa mihi dicunt de me, ut recedam a te, dicentes etiam beatitudinem esse in his perfunctoriis, et non ea esse deserenda. *Et mentita est iniquitas*, id est, viri illi iniqui irreligiosi mentiuntur beatitudinem esse quærendam hic in terra morientium : *sibi*, id est, ad suam damnationem, non meam. Ideo non mihi, quia *credo videre bona Domini*, non bona hujus sæculi, scilicet non perfunctoria, sed æterna bona, *in terra viventium*, id est, in Ecclesia illa quæ omnes habebit immortales, scilicet in superna civitate sancta Jerusalem : *exspecta Do-*
D *minum.* Ac si dicat quod ut fiat, *exspecta Dominum.* Exhortatio ad quemque fidelem, vel ad se potius. Quasi dicat, talia credo me visurum esse. Sed [*non* coronabitur *nisi* qui *legitime certaverit* (*II Tim.* II). *Exspecta Dominum*, scilicet remunerationem, id est, patienter persevera in mandatis Domini ; noli deficere : et exspectando *viriliter age*, id est, noli habere manus dissolutas et genua debilia, sed incessanter operare, *Et* viriliter agendo *confortetur cor tuum, et* sic tribuletur caro tua, quia *flagellat pater filium quem recipit* (*Hebr.* XI). Si moram fecerit, *sustine Dominum*, id est, pondus præceptorum Domini, vel exspecta eum quia eruet te terra morientium, qui

propter te dignatus est suscipere terram morientium, et mori inter manus morientium.

PSALMUS XXVII.

PSALMUS IPSI DAVID.

« Ad te, Domine, clamabo ; Deus meus, ne sileas « a me : nequando taceas a me, et assimilabor de« scendentibus in lacum. Exaudi, Domine vocem « orationis meæ dum oro ad te, dum extollo manus « meas ad templum sanctum tuum. Ne simul tradas « me cum peccatoribus, et cum operantibus iniqui« tatem ne perdas me. Qui loquuntur pacem cum « proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da « illis secundum opera eorum, et secundum nequi« tiam adinventionum ipsorum. Secundum opera « manuum eorum tribue illis, redde retributionem « eorum ipsis. Quoniam non intellexerunt opera ma« nuum ejus, destrues illos et non ædificabis eos. « Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem « deprecationis meæ. Dominus adjutor meus et pro« tector meus et in ipso speravit cor meum, at adju« tus sum. Et refloruit caro mea, et ex voluntate « mea confitebor ei. Dominus fortitudo plebis suæ et « protector salvationum Christi sui est. Salvum fac « populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ: « et rege eos, et extolle illos usque in æternum. »

ENARRATIO.

Psalmus ipsi David. In hoc psalmo vox est capitis, orantis Dominum Patrem vel Verbum sibi personaliter unitum, ut sicut a se non recessit, sed eum in passionem confortavit, et a morte resuscitavit : ita nec a membris suis recedat, cognitionem sui illi dando et erudiendo, ut non tandem pereant cum ignorantibus Deum, sed in æterna gloria cum Christo capite suo glorificentur.

Ad te, Domine, clamabo : o Domine Verbum, ego Dominicus homo quem suscepisti, ad te scilicet promerendum, non ad aliud. *clamabo*, id est totam intentionem cordis dirigam ad te liberatorem : non enim ad te clamat, qui aliud a te quam te postulat, Et merito quia tu es *Deus meus ;* sicut es, ita te præcipuum mihi facio. Et ideo *ne sileas a me*, id est, ne separes unitatem Verbi tui ab humilitate mea, sed eum a morte resuscita : dictum per similitudinem quia ille tacet a quo verbum recedit. Et non pro me tantum oro, sed etiam *nequando*, id est, aliquando : *taceas*, id est recedas, *a me*, id est a meis, scilicet a conditione et eruditione meorum : *et* tunc *assimilabor*, id est, valde similes erunt mei, *descendentibus in lacum*, id est, in profundam cæcitatem et ignorantiam, scilicet illi quibus Verbi tui lumen non innotuit ; et ideo in maximas hujus sæculi miserias ceciderunt : dictum ad similitudinem doctorum, qui auditoribus suis quibus irati sunt, silent et sic eis doctrinæ verba subtrahunt. Aliter : *Ne sileas a me* in passione, *ne quando* [illegible] Et si in morte a me tacueris, ero similis descendentibus in lacum : non solum cadentibus in lacum, sed descendentibus in inferiorem lacum, id est, non solum cadentibus in mortem, sed etiam descendentibus a morte in putredinem et resolutionem, quæ est inferior lacus miseriæ. *Et* ut non sim similis descendentibus in lacum in me vel in membris meis, *exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ* : vocem, id est, validam et liberam intentionem deprecationis, quæ fit pro auferendis malis. *Exaudi* dico, *dum oro*, scilicet ego qui sum immunis a peccato : et hoc facio *ad te*, scilicet promerendum. Nec tamen oro, sed *dum extollo manus meas*, scilicet in cruce extendendo, vel *manus*, id est, opera mea, *extollo*, id est magnifico, faciens ea quæ nemo hominum fecit. *Ad templum sanctum tuum*, id est, ad salutem eorum, qui credentes futuri sunt, *templum sanctum tuum*, id est, ut constituam tibi Ecclesiam tuam. *Ne sileas a me et ne taceas*, scilicet *ne simul tradas me cum peccatoribus*, id est, cum latronibus cum quibus pœnam sustineo, id est, non permittas me cum illis et aliis peccatoribus putrescere in sepulcro. Aliter : *Ne simul tradas me*, id est, meos in reprobum sensum, a specie invisibili et æterne incommutabili, ad speciem visibilem et temporaliter commutabilem simul cum peccatoribus, qui traditi sunt in desideria cordis sui in immunditiam, ut faciant ea quæ non conveniunt. Noli meos hic ita judicare et ita excæcare, ut illi sunt. Et in futuro *cum operantibus iniquitatem ne perdas me*, id est, cum his qui timorem Domini postponentes, justitiæ Dei non sunt subjecti, ne damnes me damnatione perpetua. Non solum cum illis qui gravius peccant, sed etiam cum his *qui loquuntur pacem cum proximo suo*, me Christo, qui factus sum eorum proximus per carnis assumptionem et misericor[illegible] *Magister, scimus quia verax es* (*Matth.* XXII). *Mala autem in cordibus eorum.* Si *licet censum dare Cæsari an non ?* (*Ibid.*) vel de omnibus inimicis corporis Christi dicit : scilicet, non solum perdas meos cum aliis operariis iniquitatis, sed etiam quod minus est, *cum his qui loquuntur pacem*, id est, dolum cum proximo suo, cum omni homine proximo per carnis cognationem : ostendit quod nec tales immunes sunt a pœna, et minus ponendo, majus etiam non relinquitur. Nullum enim hominum decipere licet. *Mala autem in cordibus eorum*, id est, deceptiones : qui dolus est, cum aliud igitur, et aliud simulatur ? *Illis* autem *da secundum opera eorum.* Si de inimicis capitis, id est, Judæis ita : Quanquam aliis ad salutem valeat quod fecerunt, *secundum opera* tamen ipsorum, id est, secundum intentionem operum da eis. Et non solum *secundum opera*, sed etiam *secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, id est, secundum quod nequiter adinvenerunt, etsi ad actum perducere non valuerunt ; similiter et de eis potest accipi qui in membra Christi et mala agunt et perverse cogitant. Aggratulatio divinæ sententiæ, vel prophetatio. Aliter : *Da illis secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, id est, secundum quod nequiter excogitant in eos retorqueatur. Fallere alios cogitant exterius, fallantur ipsi interius. *Secundum opera manuum eorum tribue illis*, apertius dicitur, id est, secundum illa opera quæ intenderunt manus eorum

et non secundum hoc quod tu operatus es. Si autem de Judæis persecutoribus Christi, ita : Secundum illa opera quæ adeo fuerunt crudelia et nefaria in me ut vere possint propter excellentiam dici *opera manuum eorum*, id est, propria, *tribue illis.* Quasi dicat : Qui misericordiam recipere noluerunt, dignum est ut sentiant judicium, et hoc, non ex crudelitate, sed ex justitia : mala pro bonis reddiderunt, mala inveniant in præmio : *redde retributionem eorum ipsis*, id est, quia pro veritate quam audierunt voluerunt fallaciam retribuere, fallacia ipsorum ipsos fallat. Et merito, *quoniam non intellexerunt opera Domini*, Patris scilicet qui per Filium salutem mundo operari instituit, *non intellexerunt* id est, non intelligenter ierunt. Et, *non intellexerunt in opera manuum ejus*, id est, Christi et prædicatorum ejus, scilicet miracula quæ ipse manifeste operatus est, et sui discipuli, quæ ei testimonium perhibebant de bono. Et ideo merito, *destrues illos*, id est, eorum facta et consilia, non tamen ad eorum salvationem, *et non ædificabis eos*, destrues vitia eorum, quia tandem auferetur eis facultas mala operandi, *et non ædificabis* in eis virtutes. In meis autem qui destructi in vitiis ædificabuntur in virtutibus: *Benedictus* scilicet erit *Dominus*, id est, augmentatus et multiplicatus, sicut bonus rex in multitudine exercitus sui. Et merito, *quoniam* scilicet in illis *exaudivit*, id est, valde complevit *vocem*, id est, validam et liberam intentionem *deprecationis meæ*, id est, factæ pro peccatis illorum qui futuri erant mei. Et si paleæ projiciantur, grana tamen servantur. Hoc modo *exaudivit Dominus*, Pater vel Dominus, Verbum, *adjutor meus*, scilicet humanitatis meæ in passione, ne deficerem, *et protector meus*, in morte, resuscitando. Et ideo *in ipso speravit cor meum*, id est, meorum, ut quandoque et ipsi resurrecturos se credant. Et hoc ideo, quia ego caput eorum *adjutus sum*. Quomodo *adjutus* exponit, et scilicet hoc modo *adjutus sum* : *Refloruit caro mea*, *mea* in re, meorum in spe, *refloruit*, id est, ad immortalitatem rediit : quæ quantum ad massam defloruerat et quasi aruerat in Adam. Et ideo *confitebor ei* confessionem laudis *ex voluntate mea*, id est, ex charitate factus jam immortalis et sine peccato in membris meis, non ex timore pœnæ quæ venit ex conscientia peccati, cum jam non erit duplex voluntas in meis, nec erit lex carnis repugnans legi mentis, sed totum una voluntas. Nota quod dixit, *refloruit*. Floruit enim in Adam caro humana per naturam in immortalitatem, si servasset obedientiam, *refloruit* per gratiam et humilitatem, ut fructificaret Deo, quæ per inobedientiam defloruit, ut sterilis esset. Et merito mei illum laudabunt et glorificabunt, quia *Dominus* est *fortitudo plebis suæ*, scilicet suam justitiam destruentium, et Dei justitiam in se constituentium, nihil boni sibi attribuentium, sed Deo. *Et* tandem est *protector salvationum Christi sui*, id est, defendet a mortalitate et corruptione salvatos et redemptos per me, Christum suum. Et, o *Domine*, quia tu solus *adjutor*, tu *protector*, *salvum fac populum tuum*, id est, custodi in innocentia *populum*, quem tu fecisti *tuum* per gratiam tuam. *Et benedic*, id est, incrementum virtutum da *hæreditati tuæ*, id est, illis quos dedisti mihi in hæreditatem : de quibus dixisti : *Postula a me, ei dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II). *Et rege eos*, id est, dirige in mandatis tuis, et regendo *extolle eos*, id est, magnifica : crescere fac de virtute in virtutem, *usque in æternum*, id est, usque dum ad æternitatem perveniant.

PSALMUS XXVIII.

PSALMUS DAVID IN CONSUMMATIONE TABERNACULI.

« Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios « arietum. Afferte Domino gloriam et honorem, af« ferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Domi« num in atrio sancto ejus. Vox Domini super aquas « Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas « multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in ma« gnificentia. Vox Domini confringentis cedros, et « confringet Dominus cedros Libani. Et comminuet « eos tanquam vitulum Libani, et dilectus quemad« modum filius unicornium. Vox Domini interci« dentis flammam ignis, vox Domini concutientis « desertum, et commovebit Dominus desertum Cades. « Vox Domini præparantis cervos, et revelabit con« densa, et in templo ejus omnes dicent gloriam. « Dominus diluvium inhabitare facit et sedebit Do« minus rex in æternum. Dominus virtutem populo « suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace. »

ENARRATIO.

Psalmus David consummationis tabernaculi, vel *in consummatione tabernaculi*. David, postquam reducta est arca a captivitate Philistinorum et dimissa est in Silo, ædificavit tabernaculum in quo hortabatur populum ut offerret sacrificia Deo. David figuram Christi tenet, arca Ecclesiæ. Sicut David reduxit arcam de captivitate, ita Christus Ecclesiam de potestate diaboli. Est ergo in hoc psalmo vox David prophetæ considerantis per spiritum futuram liberationem Ecclesiæ de potestate diaboli, et hortantis fidelem populum ut consument, id est perficiant tabernaculum, id est Ecclesiam, offerentes se ipsos et eorum imitatores in constructionem hujus tabernaculi opportunitate accepta a Christo, quia jam prius computavit sumptus et quæ necessaria sunt ad perficiendum, prædicando et præparando corda hominum. In hoc quod vox Domini septies repetitur possunt notari septem dona sancti Spiritus, quorum auxilio pectora fidelium præparantur ad construendum hoc ædificium. Potest psalmus ordine legi, potest autem commodius ibi incipi ad exponendum, vox Domini super aquas, et usque ad finem duci, ut a fine recurratur ad principium hoc modo :

Vox Domini, id est prædicatio Filii Dei qui est Rex regum et Dominus dominantium, *intonuit super aquas*, id est, de nube carnis terribiliter prædicavit super populos Judaicos, scilicet in primis terribiliter prædicavit per se et per suos : velut, *Genimina viperarum, quis vos liberabit a ventura ira ?* Fuit ergo

fructus dignos pœnitentiæ (*Luc.* III). Vel, *vox Domini* Patris *super aquas*, id est, super Christum in aquis baptismi : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Cujus Dominus ? *Deus majestatis*, Deus magnæ potentiæ *intonuit : Dominus intonuit super aquas multas*, quasi dicat, non solum super Judaicum populum, sed super omnes gentes, juxta illud : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). *Vox Domini in virtute*, scilicet danda, quia dat virtutem perficiendi, vel, quia non loquebatur sicut Pharisæi, sed sicut potestatem habens (*Marc.* I).

Vox Domini et in se et in suis *in magnificentia*, id est, in miraculis multis; juxta illud : *Deo cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Ostendit quomodo *in magnificentia*. *Vox Domini*, dico *confringentis cedros*, id est, humiliantis elatos gentium et submittentis jugo fidei, confringendo eorum superbiam per pœnitentiam. Et non solum cedros gentium, sed etiam humiliantis *cedros Libani*, id est, elatos de Judaico populo qui fortiores erant aliis superbis, et magis restiterunt prædicationi Christi, armati Scripturis divinis. Per cedros Libani, ideo accipimus superbos Judæos, quia Libanus est mons in Judæa et interpretatur *candidatio*, et Judæi candidati erant ad comparationem gentium per illuminationem mandatorum et cognitionem Dei. Quod dicat : Hoc modo *confringentis*. *Et comminuet eos*, superbos significatos per cedros, *tanquam vitulum Libani*, id est, sicut Christum, ut fiant imitatores humilitatis Christi qui in Libano, id est, populo Judæorum natus et nutritus fuit, ut immolaretur pro salute mundi, quemadmodum in illo monte vituli nutriebantur destinati ad immolationem. Et hoc modo *eos comminuet tanquam vitulum Libani*, quia *dilectus*, id est, quisque fidelis de populo illo, humiliabitur *quemadmodum filius unicornium*, id est, Christus secundum carnem Filius Judæorum qui unicornes dicuntur propter unam legem quam habent per quam in superbiam se erigunt, vel spem terrenorum bonorum quæ sola putant sibi promissa. Aliter : Quasi quæratur, fuit ille vitulus imminutus ? Revera, quia *dilectus*, id est, Filius Dei, cui dictum est : *Tu es Filius meus dilectus* (*Marc.* I), erit *quemadmodum filius unicornium*, id est, quilibet filius Judæorum, scilicet mortalis, passibilis. Aliter : *Dilectus*, id est, Filius Dei comminuetur, non secundum divinitatem, sed ad eum modum ad quem ipse fuit Filius unicornium, id est, secundum illam naturam quam a Judæis assumpsit : et ideo *in magnificentia*, quia *vox Domini* est *intercidentis*, id est dividentis, *flammam ignis*, id est, furentem persequentium iracundiam, quia alios ascivit charitati suæ, alios reliquit in malitia sua; vel diminuentis incendium inferni, subtrahendo ei populum multum et ad se convertendo. Vel, *intercidentis flammam*, id est, quia auxilium illius inter persecutores suis subvenit, vel *intercidentis flammam*, id est, *flammam* cupiditatis et concupiscentiarum, id est, facientis ut non usque ad incendii consummationem perveniant, juxta illud : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI). Et ideo *in magnificentia*, quia *vox Domini* est *concutientis desertum*, id est, gentes ad finem commoventis in quibus nullus erat sulcus prædicationis, vel animam quæ ante erat deserta a Deo, occupantibus vitiis. Quod dicat et hoc modo *concutientis*, *commovebit Dominus desertum Cades*, id est, sancta verba legis aperiet, quæ prius deserta erant ab intelligentia, educendo inde salubrem affluentiam doctrinæ, quemadmodum in *desertum Cades* quod desertum erat penuria aquarum. De petra bis virga percussa largissimas produxit aquas, ut inhabitaretur quod prius *desertum* erat (*Num.* XX). Cades enim *semen legis* interpretatur. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via et aperiret Scripturas* (*Luc.* XXIV) ? Aliter : *Commovebit Dominus desertum Cades*, id est, illos quos intus consumebat et devastabat a quiete prava conscientia, quæ est velut tinea pannos consumens, *commovebit*, ut a prava conscientia dando hominibus virtutem et constantiam bonæ operationis. Cades enim interpretatur *commotio tineæ*, qua et illam commotionem faciet per prædicatores suos. Nam *vox*, id est, prædicatio *Domini* est vox *præparantis servos*, id est, prædicatores expeditos ad transilienda hujus sæculi spineta, id est, sollicitudines et venenum serpentis antiqui absumentes, *et* per illos *revelabit*, id est, aperiet *condensa*, id est, opacitatem Scripturarum et obscuritatem sensuum. *Et* tunc *in templo ejus omnes dicent gloriam*, quia etiam qui prius contradicentes erant ut hæretici convicti doctrina apostolorum dabunt *gloriam* Deo, compaginati cum aliis in unitatem fidei. Et non mirum, quia *Dominus diluvium inhabitare facit*, quod quasi incredibile visum est, gentes omnibus erroribus fluitantes, per fidem stabilitas, facit ut ipse in eis habitet. Vel, non mirum si omnes opera Dei laudabunt, quia Dominus faciet arcam *inhabitare diluvium*, id est, Ecclesiam suam hunc mundum, ubi ita jactabitur sicut arca in diluvio, et tamen non submergetur. Ut dictum est, vox septies repetita septiformam gratiam sancti Spiritus significat, qua Ecclesia constituitur. Et tamen quamquam essent *diluvium*, *Dominus sedebit* in illis *in æternum rex*, quia reget eos, non permittens ultra fluctuare. Et non mirum quod *diluvium inhabitare facit*, quia *Dominus* scilicet rerum cui omnia obediunt, *virtutem*, id est, constantiam, *populo suo*, fideli scilicet, *suo* per gratiam *Dominus benedicet*; id est, incrementum virtutum dabit *populo suo in pace*, id est, in observantia bonæ vitæ. Vel, consummabit, id est, perficiet tabernaculum suum, cum ultima *destruetur mors* (*I Cor.* XV), *et cum venerit quod perfectum est* (*I Cor* XIII) : in pace, id est, in æterna requie. Ergo, quia Dominus servos præparavit ad ædificationem hujus tabernaculi, *Afferte Domino*, scilicet vos ipsos quasi lapides vivos per fidem et operationem in consummationem hujus tabernaculi, *filii Dei*, apostoli in adoptione filiorum recepti. *Afferte Domino*, id est, ad consumma-

tionem tabernaculi Domini *filios arietum*, id est, imitatores vestros : apostoli dicuntur arietes, quia sunt duces gregum, vel utroque cornu inimicos ferientes, id est, testimonio Scripturarum Veteris et Novi Testamenti, vel, *Domino*, id est, ad honorem Domini. Hoc modo *afferte : Afferte Domino gloriam*, illi attribuite justitiam vestram. *Et honorem* recte vivendo, ut videntes opera vestra bona glorificent Patrem vestrum. *Afferte Domino gloriam*, non vestram, sed *nomini ejus*, id est, ad laudem ejus. Et sic, scilicet non vacuis manibus, nec genibus remissis, *adorate Dominum*, non aliud postulantes nisi ipsum. *In atrio sancto ejus*, id est, in hac temporali Ecclesia, quæ est atrium domus Domini, id est, cœlestis beatitudinis, ac similitudine, quia ut atrium est ante domum,ita hæc temporalis Ecclesia præcedit illam supernam. Et sicut in atrio dominorum stant ferentes xenia, exspectantes adventum domini,ita et nos in hac temporali Ecclesia exspetare debemus cum opinione bonorum operum : vel *in atrio sancto ejus*, id est, in conscientia pura, ad hanc similitudinem quia in atrio solent odoriferæ herbæ plantari,ita et in fide. Quasi dicat : Ego dico, *afferte*, *adorate*, et potestis, quia *vox Domini super aquas*, si ordine volumus legere.

PSALMUS XXIX.

PSALMUS CANTICI IN DEDICATIONE DOMUS DAVID.

« Exaltabo te,Domine,quoniam suscepisti me,nec « delectasti inimicos meos super me. Domine Deus « meus,clamavi ad te,et sanasti me. Domine,eduxi- « sti ab inferno animam meam,salvasti me a descen- « dentibus in lacum. Psallite Domino,sancti ejus,et « confitemini memoriæ sanctitatis ejus.Quoniam ira « in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.Ad « vesperum demorabitur fletus et ad matutinum læti- « tia.Ego autem dixi in abundantia mea : Non move- « bor in æternum. Domine,in voluntate tua præsti- « tisti decori meo virtutem.Avertisti faciem tuam a « me, et factus sum conturbatus. Ad te,Domine,cla- « mabo,et ad Deum meum deprecabor.Quæ utilitas « in sanguine meo,dum descendo in corruptionem ? « Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit « veritatem tuam ? Audivit Dominus,et misertus est « mei ; Dominus factus est adjutor meus.Conver- « tisti planctum meum in gaudium mihi,conscidisti «saccum meum et circumdedisti me lætitia.Ut can- « tet tibi gloria mea, et non compungar : Domine « Deus meus, in æternum confitebor tibi. »

ENARRATIO.

Psalmus David in dedicatione domus. Hic psalmus continet vocem capitis congratulantis de resurrectione, in se jam completa in re, et in membris per speciem. Unde Apostolus : *Suscitavit Dominum a mortuis, et nos suscitabit* per virtutem suam (*II Cor.* IV) : Constructa est domus Domini,quando in utero Virginis natura nostra assumpta est a Verbo Dei.Dedicata autem est quando innovata facta est immor-

A talis et impassibilis. Et hæc domus construitur in nobis, cum verbum fidei accipimus. Dedicatur autem nunc in spe, et tandem in re, *cum mortale hoc induet immortalitatem* (*I Cor.* XV), cum jam nihil aliud in nobis erit nisi laus Dei. Agit ergo in hoc psalmo caput nostrum exsultando cum Domino Deo suo de sua resurrectione scilicet quod fundamentum hujus domus jam dedicatum sit.Ostendit etiam qualiter corpus suum quod est Ecclesia nunc dedicata in spe, tandem etiam valeat dedicari in re.

Exaltabo te, Domine. Propheta in consideratione hujus dedicationis sic introducit caput nostrum loquens, et in se, et in membris suis *: Domine*, cui me per obedientiam servum exhibeo, *Exaltabo te*, id est, notificari et laudari te faciam per me, quia
B qui honorificat Filium honorificat et eum qui illum misit (*Joan.* V.) Et merito *exaltabo, quoniam suscepisti me. Me* caput *suscepisti* de sepulcro, qui prius *suscepisti* de Virginis utero. *Nec delectasti inimicos meos super me.* Non adeo *delectasti inimicos meos* Judæos ut essent super me, ut me superarent. *Delectasti* in morte, sed contrivisti in resurrectione. Hoc modo *suscepisti. Domine, eduxisti ab inferno animam meam.* Et hoc modo *salvasti me*, id est, carnem meam *a descendentibus in lacum*, id est, in corruptionem : non enim computruit in sepulcro caro mea cum aliis. Aliter : *Exaltabo te, Domine*, exaltabunt te mei libere laudantes in victoria, tandem absorpta morte. Et merito *quoniam suscepisti me*,id est meos a morte et a passibilitate,nunc inte-
C rim in spe, et tandem in re : vel, *suscepisti* hic causam meorum contra adversarios impugnantes. *Nec delectasti inimicos meos super me*, non enim valuerunt meos devorare. Occiderunt corpus animam autem non potuerunt occidere. Revera non *delectasti*, quia *Domine Deus meus*, quem mei præcipuum habent, *clamavi ad te*, id est, irremisse egerunt mei,*et sanasti me*, id est, sanabis et dedicabis meos dando immortalitatem, nunc interim in ape et tandem in re, hoc modo *sanasti* meos. *Domine, eduxisti animam meam*, id est, meorum, *ab inferno*, id est, a consummata nequitia, scilicet ut non descenderent in criminale peccatum ; quod quasi inferus est animæ *Salvasti me*, id est, meos : *a descendentibus in lacum*,id est;a conformatione illorum qui in fetore vitiorum nimium de-
D lectati, jam in desperationem venerunt, super quos puteus clausit os suum. Habentes itaque tantam spem, scilicet quod corpus vestrum saucium mortalitate, et passibilitate tandem sanabitur in communi dedicatione. *Psallite Domino*, id est, bene operando laudate Dominum; *sancti ejus*, habentes sanctitatem per gratiam ejus,sperantes in vobis quod in Christo creditis. *Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus*,quia memor fuit ut sanctitatem vobis redderet quam amisistis culpa primi parentis,memor quantum ad vos, non quantum ad se. Hoc modo sanctificavit, *quoniam vita* scilicet vobis est reddita *in voluntate ejus*, id est,in me qui nunquam recessi

a voluntate ejus Et ira, id est, pœna mortis *in indignatione ejus :* id est, in Adam qui per inobedientiam factus est indignatio Dei, *Sicut* enim *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* xv). *Ad vesperum demorabitur fletus*. Quasi dieat : Illa *ira* quæ incœpit *ad vesperam*, recedente ab humano genere in Adam sole justitiæ et veritatis, durabit usque ad vesperum, id est, quandiu durabit hæc vita quæ vesperum potest dici, quia ex quo declinavit sol justitiæ et veritatis ab humano genere, non redit perfecte usque ad communem resurrectionem. In præsenti vita fletum habet homo, quando recordatur bonorum quæ perdidit in Adam. *Et ad matutinum*, scilicet quando communis venerit resurrectio, redeunte claritate illa quam perdidimus in Adam : erit *lætitia*, id est, gaudium immortalitatis et impassibilitatis. *Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Col.* III). Aliter : Quæ ira non solum Adæ nocebit, sed etiam iste fletus et hæc ira demorabitur omni respicienti *ad vesperum*, id est, ad occasum Adæ. Et *lætitia demorabitur* omni respicienti *ad matutinum*, id est ad Christum qui est *matutinum*, id est, verus sol, qui noctem infidelitatis expulit : vel ad similitudinem, *ad vesperum demorabitur fletus*, vespere Dominus positus est in sepulcro, et fleverunt illum discipuli, et in matutino tertiæ diei rediit lætitia, resurgente Domino de sepulcro. Et humanum genus post prævaricationem Adæ mortale factum vespere positum est in sepulcro, scilicet recedente ab eo Sole justitiæ et veritatis, et mansit in sepulcro, id est, in immortalitate ille ante legem et sub lege. Tertia die resurrexit, id est, sub gratia, et re, quantum ad caput, id est, Christum; in spe vero, quantum ad ejus membra. Potest et sic continuari et dici. Et vita scilicet æterna sola vita sine morte *in voluntate ejus*. Et tamen quanquam vitam habeatis in spe *ad vesperum demorabitur fletus*, id est, tota hac præsenti vita pœna peccati in vobis manebit. Quasi dicat : Et unde ille fletus? Ex culpa. *Dixit*, Adam creatus et positus *in abundantia* et plenitudine virtutum, conditione tamen dixit, id est, cogitavit *In abundantia mea* scilicet positus, quam per me habere possum, *non movebor* ab eo *in æternum*, et ex hac præsumptione cecidit ab illa perfectione, factus mortalis et passibilis. *Ego autem*, scilicet Dominicus homo præventus in benedictionibus solus hominum a peccato immunis veniens in mundum, ut ab hac miseria homines educerem, *dixi in mea abundantia*, scilicet in plenitudine rationis meæ : *non movebor* scilicet a voluntate Domini ullis tentationibus vel passionibus *in æternum*, et hoc non ex me, sed tu *præstitisti virtutem*, id est, constantiam, *decori meo*, id est, immunitati meæ vel rationalitati. Et tamen *avertisti faciem tuam a me*, id est videris avertisse, quanquam non ego a te ut Adam. In hoc videris avertisse quia *factus sum conturbatus* in morte, præmisisti enim pati me et mori, Aliter : *Psallite Domino*,

A *sancti ejus*, grates reddite Deo *quoniam ira*, id est, brevis vindicta, ira enim furor brevis est. *In indignatione ejus*, id est, in culpa vestra qua merito indignatus est Dominus, scilicet temporali morte solvistis delictum : vita autem æterna non ex merito, quia cadere per nos potuimus, sed per nos surgere non potuimus, sed ex *voluntate ejus*, id est, sola misericordia. Et ideo *psallite*, quia *ad vesperum*, id est, usque ad finem hujus vitæ quæ occasum habet, *demorabitur fletus*, scilicet mortalitatis et passibilitatis. Et *lætitia* scilicet resurrectionis et immortalitatis id est, non temporalis, sed *ad matutinum*, id est, ad lucem illam quæ nunquam deficiet, *cum mortale hoc induet immortalitatem*, scilicet in communem resurrectionem cum dedicatur domus, fiet, cum induemur stola secunda. Quasi dicat : Et ille *fletus*,

B non ex injustitia judicis, sed ex merito meo. Hic Christus loquitur in persona veteris hominis : qui enim dignatus est sumere infirmitatem nostram, non dedignatur sumere vocem nostram. Ego autem, Quasi dicat, illam iram promerui, quia *dixi*, id est, *in abundantia mea : non movebor in æternum, non movebor* ab hac abundantia. Non obediam præcepto auctoris, dicentis : *In quacunque die comederitis morte moriemini*, sed consentiam voci serpentis suadentis : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Ero Deus, ero immortalis. Sed, o *Domine, præstitisti decori meo*, id est, mihi decoro *virtutem*, id est, constantiam *in voluntate tua*, non in merito meo : quod immortalis fui per te habui; quod ex hoc intellexi, *Avertisti faciem tuam a me*, id est, substraxisti mihi manum

C tuam, *et factus sum conturbatus*, id est, mortalis. Et quia *factus sum conturbatus* ego Adam, quantum ad humanam naturam quam suscepi : *in Adam* enim *omnes moriuntur* (*I Cor.* xv). Ego immunis a peccato, ad hec missus ut faciam voluntatem, ut eos redimam. *Ad te, Domino clamabo*, id est, libera et valida intentione orabo pro me, ut resurgam a morte. *Et ad Deum meum deprecabor* pro peccatis et mortalitate meorum, scilicet dicens : *Quæ utilitas in sanguine meo*, id est, in morte mea, *dum descendo in corruptionem*? id est, si putrescat caro mea et non resurgat? Quid proderit mors mea, si non sequatur resurrectio mea? Nihil enim nobis mori profuit, nisi redimi profuisset. *Nunquid si* non resurrexero, *confitebitur tibi pulvis*, id est, laudabit te

D gentilis populus redemptus per me? Qui prius fuit *pulvis*, id est, sine imbre verbi Dei, solutus, agitatus *omni vento doctrinæ* et errorum, et non valens resistere vento elationis. Aut *nunquid annuntiabit* aliquis scilicet prædicator illi pulveri *veritatem tuam* quæ premissa fuit in prophetis complenda per me, si non resurrexero? Nullus. Aliter : *Nunquid confitebitur pulvis*, id est, *nunquid* confessionem peccatorum tibi faciet mortuus, ut resipiscat? Aut *annuntiabit* scilicet *pulvis* pulveri, id est, mortuus mortuis *veritatem*, id est, salvationem vestram. In inferno nulla est redemptio. Vivis est hoc faciendum. Et ideo resuscita me. *Audivit Dominus*, scilicet me sic oran-

tem,et in hoc apparet quia *misertus est mei*, id est, A
meorum. Hoc modo est eorum misertus : resuscitando me. *Dominus factus est adjutor meus* in passione et in morte. Hoc modo *factus est* mihi *adjutor* O Domine, *convertisti planctum meum in gaudium mihi*,id est, tristitiam passionis et mortis in lætitiam resurrectionis convertisti, scilicet *conscidisti saccum meum*,id est,carnem meam similem carni peccatrici habentem non peccatum,sed in pœnam peccati lancea perforari permisisti, clavis affigi. Saccus est vestis pœnitentium facta de pilis caprarum et hædorum, et ponitur pro carne peccatrice, quæ quasi indumentum est animæ.Habuit Christus saccum,sed non habuit opus sacci : de quo dicitur. *qui peccatum non fecit* (*I Petr.* II). Et *circumdedisti me lætitia* scilicet resurrectionis, ad hoc *ut cantet* B
tibi gloria mea,id est, ut laudet te resurrectio mea, quia in mea laude laudabunt te omnes quibus proderit resurrectio mea. Et amplius *non compugar* stimulo mortis,juxta illud : *Mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Et ideo, *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi*, facta dedicatione domus meæ, non deerit tibi laus mea. Aliter : *Convertisti planctum meum*, id est, meorum, *in gaudium mihi* resuscitando eos interius nunc interim,id est, dedisti eis stolam primam. *Conscidisti saccum meum*, id est, carnem peccati destruxisti meis in morte mea,juxta illud,Jesus Christus mortuus *est propter delicta nostra* (*Rom.* IV). *Et circumdedisti me*, id est, meos *lætitia* immortalitatis in spe,scilicet ut in mea resurrectione sperent se tandem dedicari immortatalitate et impassibilitate, cum in communi C
resurrectione accipient stolam secundam. Ad hoc dedicabuntur, *ut cantet tibi gloria mea*, id est, ut gloriosa resurrectio meorum laudet te.Et merito te laudabo in illis, quia *non compungar*, id est, non compungentur ultra, conscientia peccati vel timore judicii. Et ideo, *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi* in illis confessione laudabili.

PSALMUS XXX.

IN FINEM PSALMUS DAVID PRO EXSTASI.

« In te, Domine,speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me. Inclina ad me « aurem tua, accelera ut eraus me. Esto mihi in « Deum protectorem et in domum refugii,ut salvum « me facias. Quoniam fortitudo mea et refugium « meum es tu, et propter nomen tuum deduces me, D
« et enutries me. Educes me de laqueo hoc quem « absconderunt mihi,quoniam tu es protector meus « In manus tuas commendo spiritum meum,redemisti me Domine Deus veritatis.Odisti observantes « vanitates supervacue. Ego autem in Domino speravi,exsultabo et lætabor in misericordia tua. « Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti « de necessitatibus animam meam.Nec conclusisti « me in manibus inimici,statuisti in loco spatioso « pedes meos. Miserere mei, Domine, quoniam tribulor ; conturbatus est in ira oculus meus,anima « mea et venter meus. Quoniam defecit in dolore « vita mea,et anni mei in gemitibus. Infirmata est « in paupertate virtus mea,et ossa mea conturbata « sunt.Super omnes inimicos meos factus sum « opprobrium vicinis meis valde,et timor notis meis. « Qui videbant me foras fugerunt a me oblivioni « datus sum tanquam mortuus a corde. Factus sum « tanquam vas perditum,quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.In eo « dum convenirent simul adversum me, accipere « animam meam consiliati sunt. Ego autem in te « speravi, Domine : dixi, Deus meus es tu, in ma-« manibus tuis sortes meæ.Eripe me de manu inimicorum meorum,et a persequentibus me. Illustra faciem tuam super servum tuum,salvum me « fac in misericordia tua,Domine : non confundar, « quoniam invocavi te. Erubescant impii et deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa. Quæ « loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia « et in abusione.Quam magna multitudo dulcedinis « tuæ,Domine, quam abscondisti timentibus te ! « Perfecisti eis qui sperant in te,in conspectu filiorum hominum.Abscondes eos in abscondito faciei « tuæ a conturbatione.Proteges eos in tabernaculo « tuo a contradictione linguarum.Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam « mihi in civitate munita.Ego autem dixi in excessu mentis meæ; Projectus sum a facie oculorum « tuorum.Ideo exaudisti vocem orationis meæ,dum « clamarem ad te.Diligite Dominum,omnes sancti « ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, et «retribuet abundanter facientibus superbiam.Viriliter agite, et confortetur cor vestrum,omnes qui « speratis in Domino. »

ENARRATIO.

Hic psalmus accipiendus est in finem David,id est in finalem scilicet Christum,qui finis dicitur consummans,non consumens,in eodem,non in aliud, et attribuitur ipsi Christo,id est, in voce capitis legendus est psalmus : dico exstasis,id est, excessus mentis. Exstasis Græce dicitur ἔκστασις, et interpretatur Latine *excessus*. Excessus autem in hoc loco excessus mentis accipitur. Quæ fit dupliciter: vel cum mens humana erigit se ad divina, et vocatur intentio ad superna vel revelatio,ut cum sancti viri in sola speculatione sunt : quorum unus fuit beatus Paulus qui carne in terra positus, mente vero ad cœlestia transvolans,raptus est usque ad tertium cœlum(II *Cor.*XII) : qui etiam dicit *sive mente excedimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor.*V). Sed videntes quod in illa alta intelligentia sibi soli vivunt,charitas Dei cogit illos condescendere infirmitati proximorum,ut et ipsi quandoque cum eis ascendere valeant ad eorum excelsa imitantes Dei virtutem et Dei sapientiam,Christum qui *cum dives esset* in se factus est pauper pro nobis (II *Cor.*VIII): suscepit humanitatem nostram, ut nos divinitati suæ tribueret esse participes. Vel fit mentis excessus ad inferiora, ut dictum est, et vocatur pavor. Humanæ mentis status est, cum sensu vel opi-

nione vel ratione discernit : cum autem se erigit ad intellectum qui solius Dei est,excedit se ipsam; vel,cum alienatur et turbatur vel ratio vel sensus pavore inferiorum.Uterque excessus in hoc psalmo non incongrue accipi potest:cum enim in titulo præmittitur exstasis, magnum quia et divinum nos exspectare monet,ut sequentia psalmi extendunt.

Non enim possunt sic cum Deo loqui, nisi illi quorum conversatio in Ecclesia est. Agit autem hic psalmus de passione Christi et persecutione corporis sui, in quo pavor accipitur,non quantum ad Christum qui etiam si solum homo esset,tamen non est credibile eum timuisse mortem, cum tam certus esset de resurrectione : imo exsultanter ad passionem ivisse,teste Augustino ; sed, quantum ad ejus membra. Qui enim dignatus est sumere naturam nostram non dedignatus est in se transferre pavorem nostrum juxta illud : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Et Petro: Venio Romam iterum crucifigi.Quid mirum si in passione Dominus non timuit? Multi in corpore suo mortem non timuerunt,imo lætanter eam susceperunt,ut beatus Andreas qui cantando ibat ad crucem.Potuit hoc miles,et non potuit imperator.Est autem utilis iste pavor,quia facit nos timere de nostro,sperare autem de Dei dono. Et commendatur nobis in hoc psalmo præcipue chraitas quæ facit compagem :compages autem tendit ad unitatem,unitas vero servat charitatem, charitas ducit ad clarificationem.

Vox capitis transferentis in se vocem membrorum.

In te, Domine speravi, non in me qui ex me nihil habeo nisi pavorem et infirmitatem. In me deficio sed in te proficio :ideo *non confundar in æternum*, quia temporaliter *confundar*,non enim aliter in te sperarem:Temporaliter confunditur qui præterita peccata respiciens horrescit, horrescens erubescit,erubescens corrigit.Unde Apostolus:*Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis*(*Rom.* VIII)? Illi *in æternum* confunduntur qui peccata sua Dei judicio reservant. Confusio dicitur peccatorum, quia simul multa conglobantur et ante oculos peccantis ad erubescentiam ponuntur. *In te* judicii erit æterna erubescentia,quia infructuosa. Væ nobis! *Quid nobis profuit jactanctia*? Quid *divitiarum superbia*? Ecce *omnia transierunt* (*Sap*, V).Et, ut sic non *confundar in tua justitia libera me* ab illa confusione,destrue in me meam justitiam et constitue tuam(mea justitia est malum pro malo reddere.Tu autem solus justus) quam circa nos ostendisti,reddens bonum pro malo qua de impio facis pium,de infideli fidelem,de lupo agnum.Et ut liberes,*inclina ad me aurem tuam*, id est dispone circa me misericordiam,ad similitudinem,ut medicus ægroto. *Accelera ut eruas*, scilicet *me* ab illa confusione.Hoc non ideo dicit,ut precibus impetret citius fieri,quia illud immutabile est,sed ad consolationem ostendit cito futuram illam ereptionem scilicet finita hac temporali vita quæ, quantum

A ad æternitatem, vix aliquid spatii habere videtur. Quasi dicat: Et scio quia cito erues me de fovea illius confusionis. Interim dum veniat tempus ereptionis, *Esto mihi in Deum protectorem*, tu sis clypeus meus contra jacula inimicorum carnalium et spiritualium. *Et in domum refugii*, id est, *esto* mihi placatus per misericordiam,ut qui te iratum fugi ad te placatum refugiam. Ita *esto in domum refugii*, *ut salvum me facias*, quia infirmus sum, sana me ut ad te possim venire. Nam si sanus non fuero, non potero ad te fugere. Ideo tu esto protector, *quoniam* tu es *fortitudo mea*, nam ego mihi infirmitas, *et* ideo refugium, quia *refugium meum es tu*, non potentia, non divitiæ, nec quidquam aliud nisi tu. Merito eum protectorem et *refugium* invocat, qui in nullo alio confidit. *Et* tu *de-*
B *duces me*, scilicet de fovea peccati, ut veniam ad te de virtute in virtutem *propter nomen tuum* glorificandum in me, non merito. *Et*, ut educas, *enutries me*, id est, sapientiam tuam infirmitati meæ incomprehensibilem ad capacitatem meam inclinabis. Sicut mater eamdem escam cujus sumendæ puer idoneus non est per carnem trajicit, et lac puero præbet, sic Dominus, sapientiam suam ut lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos, et sic nos eductos de fovea peccati velut parvulos de utero enutrivit. *Educes me* etiam *de laqueo hoc quem absconderunt mihi*. Quia parvulus sum,ne decipiar,liberabis me ab insidiis inimici diaboli et membrorum ejus. Duo sunt laquei quibus insidiæ fiunt fidelibus, terror quo frangat, et error quo alliciat : quos qui evadere cupit, duæ sunt portæ quas contra claudere debet,
C timor et cupiditas : timor claudendus est contra terrorem, cupiditas contra errorrem. Et hoc, exemplo capitis nostri,qui tentatus a diabolo per ambitionem et delectationem, cum ei dictum est : *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*, januam cupiditatis clausit, dicens : *Vade Satanas*, (*Matth.* IV). Sequitur, Reliquit eum *diabolus* paululum (*Luc.* IV). Ideo paululum, quia postea eum per passionem vincere tentavit,ut qui per errorem vincere non potuit vinceret per terrorem. Sed Dominus timoris januam contra terrorem passionis clausit, quia pro nobis pati non timuit. Hæc omnia, ut dictum est, caput nostrum in voce membrorum loquitur. Tu *educes quoniam tu es protector*, *meus*, protegens me ab insidiis inimicorum devorare me quærentium. Et quia
D *tu es meus protector*, *in manus tuas commendo spiritum meum*. Vitam meam tibi commendo, ut in tempore necessitatis et periculi conserves, tractum ab his qui tempore persecutionis rem suam fideli amico commendant, ut tempore certo servatam reddant. Ideo *commendo*, quia *redemisti me*, id est, meos redimes a laqueis inimicorum et tandem ab omni periculo. Ideo dico *redemisti*, quia certus sum quod redimes, quia, o *Domine*, tu es *Deus veritatis*, nullum fallens in promissis, promittis enim liberationem sperantibus in te. Et, quia es amator veritatis, odio habes mendaces. *Odisti* omnes *observantes vanitates supervacue*, id est, sperantes in nobilitate

temporali, in potentia, in honoribus *supervacue*, id est inutiliter, non enim beatitudinem præstare valent. Ille etiam observat *vanitates supervacue* qui timendo moritur, id est, qui timendo mortem temporalem quam tamen effugere non potest mentitur, et hoc modo mortem differt, non vitat, et fugiendo mortem moritur antequam moriatur. *Ego autem* qui non observo *vanitates in Domino speravi*, et ideo *exsultabo*, scilicet corpore, *cum mortale hoc induet immortalitatem, Et lætabor* scilicet mente, *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus* (*I Cor.* xv)? Et hoc in *misericordia tua*, non in merito meo. In hac *misericordia salvasti de necessitatibus animam meam.* Multæ sunt necessitates fragilitatis humanæ: cor alterius videre non potest, vult ad vitam pervenire sine morte et non potest, diligit inimicum sæpe et persequitur amicum videt quod est bonum et tamen facit malum. A quibus omnibus nullus liberari potest nisi per misericordiam Dei, quia cadere potuimus per nos, sed per nos surgere non possumus. Unde Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* vii). Ideo sequitur: *Quoniam respexisti humilitatem meam.* Qui me superbum in has necessitates conjecisti humiliatum ab his eripuisti. *Nec conclusisti me* in manus *inimici*, scilicet ne illaqueatus terrore vel errore in peccatis perseverando morerer, et sic cum eo vinctus in pœnas traderer. Ideo non *conclusisti*, quia *statuisti in loco spatioso pedes meos*, id est, affectiones meas in charitate dilatasti, scilicet fecisti ut per dilectionem justitia mihi esset facilis quæ sine charitate olim erat difficilis. Huc usque vox Christi in membris suis perfectioribus de se jam securis. Sed quia charitas hic maxime commendatur quæ compagem facit, et in uno corpore, si infirmatur unum membrum compatitur illud quod sanum est, perfectiora membra Christi secura, jam de se in pavorem mentis posita, pro infirmis fratribus quos ab unitate et veritate fidei errare vident sic orant: *Miserere mei, Domine*, compatienti infirmis fratribus, perfice quod incœpisti: sicut me dilatasti, ita et illos dilata qui adhuc infirmi sunt, et ideo in angustiis. *Quoniam tribulor*, non pro me, sed pro commembris meis, videns illos astare theatralibus; quos olim in Ecclesia tua vidi delectare in laudibus tuis, video illos fugere laborem, sequi voluptatem, spernere veritatem, diligere vanitatem. Ideo *tribulor*, quia *conturbatus est oculus meus*, oculus mentis *conturbatus est*, id est, ratio. Nondum excæcatus *in ira*, id est, brevi furore, nondum in odio, quam habeo videns illos in vanitate permanere, sed timeo ne ira vertatur in odium, et ideo *misererere. Anima et venter meus*, id est, interiora mea turbata sunt. Intus absumor, intus æstuo, quia irasci licet, clamare non licet: non enim clamando et corripiendo illos proficerem qui incorrigibiles sunt imo exacerbarem, et ideo interius turbor. *Miserere mei*, scilicet illos emendando, *quoniam defecit in dolore vita mea. Vita* quæ mihi est jucunda in fratrum profectu defecit in dolore, id est, tabescit dolendo de eorum defectu, juxta illud Apostoli: Tunc *vivimus, si vos statis in Domino* (*I Thess.* iii). *Et anni mei*, id est longæva vita defecit *in gemitibus*, non in claris vocibus, videns illos in perversum ire, qui mihi essent gaudium, si starent in Domino. Unde Apostolus: *Gandium meum et corona mea* (*Phil.* iv). *Infirmata est in paupertate virtus mea, in paupertate*, id est, inopia cibi, quia subtrabitur mihi refectio illa quam in eis debui habere, quos mihi incorporare volui; *virtus mea defecit*, id est, robur quod ex illo cibo habere debui. *Et* non solum ego conturbor qui in corpore Christi mediocris sum, sed etiam *ossa mea*, id est, firmiores in Ecclesia et perfectiores, *conturbata sunt*, fratrum iniquitatibus exaggeratio doloris. Et ideo conturbatus sum, quia *vicinis meis*, id est, jam ad finem appropinquantibus, *factus sum opprobrium:* detestantur me et blasphemant *super omnes inimicos meos valde*, id est, magis quam paganos vel Judæos: qui pejus viderunt quosdam de Ecclesia vivere quam pagani vel Judæi qui aperte sunt inimici Ecclesiæ. Pejor enim est qui intus male vivit quam qui foris. Qui foris sunt, quasi infructuosa ligna sunt fabro apta, qui intus, sarmenta sunt vite præcisa quæ solus ignis exspectat. Nota quod vir perfectus dicit, *factus sum opprobrium.* Non enim solis illis imputatur qui prave vivunt, sed dicitur, vide, quam prave Christiani vivunt. *Et notis meis*, id est, jam initiatis sacramentis fidei factus sum *timor*. Omnes æqualiter timent, nescientes quos imitari debeant, cum illi qui nuper religiosi apparebant, modo tam inordinate se habent. Et non solum vicini, non solum noti, sed etiam *qui videbant me*, id est, profecti, cognoscentes secreta mea, intelligentes Scripturas, *foras fugerunt a me*, id est hæreses fecerunt, ab unitate et veritate fidei exierunt: et illis fugientibus, *oblivioni datus sum*, id est, amplius curant reminisci, *tanquam mortuus*, scilicet quilibet, separatus jam *a corde* eorum *factus sum tanquam vas perditum*, id est, sicut vas confractum, inutile et nulli usui aptum: vel, sicut illud vas quod est perditum nullus eo utitur ad quod maxime fuit paratum, ita ego ab eis derelictus ad quorum utilitatem institutus sum inutilis vivo. Quasi dicat: Ideo, quia pro multis orando in paucis proficio. *Quoniam audivi vituperationem multorum*, et laudem paucorum, pauci laudantur ex nobis, et multi vituperantur; *multorum* dico *commorantium in circuitu*, id est, amantium hæc terrena quæ volubilia et transitoria sunt. *In eo*, scilicet *circuitu dum convenirent simul*, dum omnes in hoc consentiunt ut transitoria diligant, contemnant æterna: non solum in eo convenerunt, sed etiam *adversum me*, scilicet *accipere animam meam consiliati sunt*, id est, laboraverunt ut seducerent alios qui adhuc in Ecclesia sunt. *Ego autem in te speravi Domine* Quasi dicat: Sed ego non defeci omnino in dolore illo, quia hominum perversitati-

bus paucos imitatione dignos attendens, salvare tamen quærens, *in te speravi*. In quo non est omnino quod offendat amantem, *in te speravi*, id est, omnem fiduciam meam in te posui. Ideo *in te speravi*, quia offensus consideratione hominum, ac per hoc te attendens, video te ultra hominem. Homo proficit, homo deficit; ut semper idem es. Et propterea *dixi*, scilicet in corde meo. *Deus meus es tu*, et ideo in te sperandum. Et merito, quia *in manibus tuis*, id est, in dono gratiæ tuæ *sortes meæ*, id est, hæreditas mea quæ mihi ex misericordia tua quasi per sortem venit, quod aliam portionem non quæro nisi te ex gratia tua est: sicut in mittenda sorte non hominum merita, non personarum fit acceptio, sed ille assumitur cui casus dederit, ita in Dei electione potest esse aliquis ordo, quantum ad eum qui omnia cum consilio facit, sed, quia nos illud ignoramus, ejus electionem gratiam merito vocamus. Aliter: quod vestem illam habeo quæ per sortem, id est, gratiam tuam datur, scilicet charitatem qua Deum diligo et proximum, *in manibus tuis* est, hoc est, in dono tuo, non in merito meo. Et quia *in te speravi*, *eripe me de* manibus *inimicorum meorum*, id est, ab hominibus iniquis qui sunt manus persequentium, id est, spiritalium inimicorum, *et a persequentibus me*, id est, diabolo et angelis ejus. Non permittas me capi laqueis eorum, vel de manibus eorum scilicet qui per errorem mihi insidiantur. *Et a persequentibus*, id est, aperte impugnantibus per errorem. Et tandem *illustra faciem tuam super servum tuum*, id est, ostende benevolentiam tuam in me, dando mihi resurrectionem et immortalitatem, separa grana a paleis, grana assumantur in horreum tuum, *salvum me fac in misericordia tua*, non in merito meo. *Domine*, cui voluntarie me servum exhibeo, *non confundar* æterna confusione, ut illi qui te Dominum habere volunt. *Quoniam invocavi te*. Parvum videtur hoc meritum ad hoc quod optat, sed si bene attendatur, magnum est. Multi vocant Dominum, non propter Dominum, sed propter aliud, si enim ab alio habere possent quod desiderant, non cum orarent, non illi adhærerent. Sed illi soli Dominum invocant qui in hospitium cordis sui Dominum vocant et cor suum omni vitiorum sorde purgant, ut tale hospitium Dominus ingredi non dedignetur. *Erubescant impii* qui te non invocant. *Et* hoc modo erubescant, *deducantur in infernum*. Merita eorum deducant eos ex adverso, ut cum servi tui sint ad dexteram, illi dedantur ad sinistram: hi in vitam æternam, illi in supplicium æternum (*Matth.* XXV), vel deducantur hic in infernum, id est, in consummatam nequitiam. Et tandem *muta fiant labia dolosa*, labia inimicorum Christi et Ecclesiæ, qui cum viderint illos quos habuerun, in derisum (*Sap.* V), in gloria, se autem in miseria, non ultra poterunt contradicere veritati. Ostendit quæ sint illa *labia dolosa*, scilicet *quæ* hic *loquuntur adversus justum iniquitatem*. Judæi adversus Christum, *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Et increduli et hæretici adversus fidelem populum, isti pacem annuntiant, illi bellum inferunt: isti salutem, illi mortem: isti amicitiam, illi odium. *In superbia*, sequendo quæ Christus contemnenda monstravit. Et *in abusione*, id est, contemptu, quia amatores mundi contemptores sunt fidei. Et Judæi in Christum superbe locuti sunt: *Nolumus hunc regnare super nos* (*Luc.* XIX). Et in abusione, *Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Quasi dicat: Ideo loquitur adversus justum iniquitatem, quia non attendunt quam dulcis est Dominus,

Sed ego qui jam gustavi, dico: *Quam magna multudo dulcedinis tuæ, Domine. Nec oculus vidit, nec auris audivit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II). Sed febricitanti palato non ita sapit, nec lippientibus oculis ita videtur. Hic non pleniter accipiunt præmium, sed in futuro exspectant. In Deo, nihil est quod bonis displiceat, nihil autem quod malis placeat. *Quam abscondisti timentibus te*, ut soli illi ad eam perveniant: nihil dulcius immortalitate sapientiæ, sed a timore incipitur, et quandiu timetur, non pervenitur ad eam, sed servatur ut pervenias. *Perfecisti*, id est, perfecte ostendisti *eis qui sperant in te in conspectu filiorum hominum*, id est perfecte credentibus. *Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo* (*Luc.* IX). Hæc est illa dulcedo quæ ab oculis impiorum abscondita est, dabitur autem perfecte illis qui non timent confiteri Dominum *in conspectu*, id est, præsentia *filiorum hominum*, id est, peccatorum pertinentium ad vetustatem Adæ et Evæ, et non ad novitatem Christi. *Abscondes eos* ab oculis *filiorum hominum* in cœlo, non in paradiso, sed *in abscondito faciei tuæ*, id est, in secreto loco præsentiæ tuæ, quo non est fas ulli impiorum accedere, vilescat tibi quidquid est præter eum, habitet in te, habitabis in eo. Esto domus illius, erit domus tua, absconditam paravit tibi faciem suam visione sua, præsentia sua tuebitur te. A *conturbatione hominum*, id est, a persecutione peccatorum, et interim dum ad illam dulcedinem tendunt, *proteges eos*, scilicet a devotione inimicorum. *In, tabernaculo tuo*, id est, in ecclesiasticis institntis in quibus tibi militant, *a contradictione linguarum*, ut unitatem et veritatem fidei teneant, hæreses non incurrant, contradicant hæreticorum linguæ. Tu, o christiane, ad tabernaculum fuge, regulam tene. Aliter: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ*, id est, intus in corde, ubi *facies*, id est, præsentia tua abscondita est, *a conturbatione hominum*, ut illuc confugientes desuper irrideant, foris conturbantes. Quemadmodum ille qui munitam domum habet, illuc se recipit a facie tempestatis, ita ad conscientiam puram in qua Deus inhabitat, quisque fidelis recurrit a turbine persecutionum tutus manet, et non solum intus proteges, sed etiam foris. *Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum*, foris, id est in manifesto *proteges in tabernaculo tuo*, id est, in sacramentis ecclesiasticis *a contradictione linguarum*, ut tenentes unitatem et veritatem fidei non timeant pravum

dogma hæreticorum. Et in his omnibus beneficiis, vel habentes ergo tantam spem per misericordiam Dei, dicamus : *Benedictus Dominus*, id est multiplicetur et crescat in suis. *Quoniam mirificavit misericordiam suam mihi*, id est, magnam et mirabilem mihi ostendit salvationem suam *in civitate munita* alibi circumstante, id est, in catholica Ecclesia, quæ prius in Judæa tantum parva, nunc munita est populorum frequentia per circulum terræ illam priorem ambiente et muniente. Prius fuit Ecclesia in sola Judæa, quia ibi fuit laus Dei, ibi sacramenta, ibi quodammodo accensa sunt quædam ligna, id est, apostoli igne divini Spiritus, et exierunt et combusserunt omnes sylvas per circuitum, id est, gentilitatem undique per circuitum illius prioris civitatis, ad amorem Dei prædicando accenderunt, et sic illam priorem civitatem ampliaverunt et munierunt; vel *in civitate munita*, id est, Jerusalem in medio mundo posita, ibi *mirificavit misericordiam suam*, quia ibi natus, ibi passus, ibi ascendit. Vel munitam civitatem dicit Ecclesiam catholicam undique per fidem munitam, vel Jerusalem cœlestem munitam angelorum frequentia. Et ut illa misericordia, id est, redemptio et salvatio mirificaretur, *Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum*, cogitans me in primo parente transgressorem præcepti tui, quem ex magna misericordia similem tibi creaveras, immortalem feceras, in gloria paradisi posueras, quandoque ad majorem gloriam transferendum. *Dixi*, id est, cogitavi. *Projectus sum a facie oculorum tuorum*. Tantæ sunt iniquitates meæ originales quod, si respicis merita, non sum dignus quem oculi tui videat, id est, misericordiam præstes, et hoc cogitavi *in excessu mentis meæ*, id est, in pavore: *ideo*, scilicet quia humills me accusavi, quia me recognovi, *exaudisti vocem oratianis meæ*, id est, liberam et validam intentionem *exaudisti* misericorditer redimendo. Et hoc fecisti, *dum clamarem ad te*, non ad aliud. Hoc est quod alibi dicit : *Si dicebam, motus est pes meus*, ad illud, *Ego dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum. Misericordia tua, Domine, adjuvabit me* (*Ps.* XCIII), ad illud, *Edeo exaudisti vocem orationis meæ*. Et quia Dominus tam misericors est et tam promptus ad ignoscendum, *Diligite Dominum*, non mundum, id est, in dilectione ejus perseverate qui prior dilexit vos, qui vos impios dilexit ut faceret justos, nunc *sancti* facti, *diligite* eum. *Diligite* cum suo merito qui prior vos dilexit absque vestro merito. Ideo nolite a dilectione cessare, *quoniam veritatem requiret Dominus*, scilicet ut perseveretis in bonitate et in custodia mandatorum ejus. *Qui enim dicit se diligere Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II); *veritatem requiret* ad remunerandum. Et converso *retribuet abundanter facientibus superbiam*, id est, perseverantibus in peccatis. *Abundanter* enim peccantes, *abundanter* patientur tormenta. Et ideo certi de præmio, *Viriliter agite*, nolite deficere in laboribus, *et confortetur cor vestrum* in spe tantæ mercedis, etsi caro infirmetur, *omnes qui speratis in Domino*, non in sæculo, scilicet qui præmium laboris vestri speratis a Domino, et non in alia re nisi in ipso Domino.

In voce capitis exposuimus psalmum sub persona membrorum. Potest autem exponi in voce et in persona ipsius capitis, hoc modo : *In te, Domine, speravi*, ego Dominicus homo, o *Domine* Verbum, in te est spes corporalitatis meæ, non speravi in me, ut miser Adam. Et ideo, *non confundar in æternum*, confusus sum in passione, *non confundar* in morte, qui dixi, *Post tres dies resurgam*. Et ut *non confundar*, *in tua justitia libera me*, scilicet a morte, scilicet in humilitate et obedientia per quam justificas, qui Adam destituisti in sua justitia. Hoc modo *libera : Inclina ad me aurem tuam*, ad infirmitatem humanitatis divinitatem tuam *inclina*, ut, cum moriar ex infirmitate carnis, resurgam ex potentia divinitatis. *Accelera ut eruas me*, scilicet de fovea mortis, ne differas me resuscitare usque in communem resurrectionem. *Esto mihi in Deum protectorem* in passione *et in domum refugii* in morte.

Ideo quoniam *tu* Verbum, *es fortitudo* meæ humanitatis *et refugium*. Et quia *tu es protector et refugium, deduces me* de morte in vitam, vel de contradictione Judaici populi, et constitues me in caput gentium. *Et enutries me*, id est ex perfectis perfectum corpus mihi adaptabis, humilitatis meæ exemplo illos quasi lacte nutriens, *propter nomen tuum* scilicet per me clarificandum : hoc modo *deduces : Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi*, id est, de morte qua me velut laqueo vinctum in sola Judæa detinere putaverunt, ut mundus post me non iret, liberabis. *Absconderunt* quantum ad me velut laqueo quantum ad se, non quantum ad me, quoniam *tu es protector meus*, *in manus tuas commendo spiritum meum*, in potentiam tuam trado animam meam exeuntem a corpore, ut eam reddas cum postulo, id est, ex divinitate tua potestatem habeam ponendi animam meam et iterum assumendi eam.

Ideo tibi *commendo*, quia tu *redemisti me*, id est, redimes, a morte, *Domine Deus veritatis*, qui nunquam fallis in promissis. Tu enim per prophetas resuscitaturum me promisisti et quia *Deus veritatis, odisti observantes vanitates supervacue*, scilicet Judæos qui, ne amitterent locum et gentem, inutiliter me occiderunt (*Joan.* XI). *Ego autem in Domino speravi, exsultabo et lætabor in misericordia tua*, ut supra, hac scilicet, *salvasti animam meam*, id est, vitam meam, me resuscitando *de necessitatibus*, id est, de morte et passibilitate. *Quoniam respexisti humilitatem meam*, id est, assumpsisti mortalitatem meam, vel obedientiam meam *respexisti*, qui despexisti inobedientiam Adæ. Et salvando, *Nec conclusisti me in manus inimici*, id est, in potestate Judaici populi, ut per mortem detinerent me in angustiis Judææ. Clausisti me in potestate illorum, quia mortuus suum, sed non *conclusisti*, quia resurrexi. Fractum est vas unguenti mei, et effusum est unguentum meum, id est, odor notitiæ meæ per totum

mundum : ideo *non conclusisti pedes meos*, id est, prædicatores, *in loco spatioso*, id est, in tota gentilitate. Accensæ sunt faces in Judæa quæ exierunt et totum mundum incenderunt. *Miserere mei, Domine.* Quasi dicat : Resuscitatus et omni passibilitate ereptus jam non terreor morte, sed *miserere mei*, perfice in eis quod incepisti in me, *quoniam tribulor* non in me, sed in meis, id est, crudelitas persecutorum magnum mihi timorem incutit inde, quia *conturbatus est oculus meus* interior, id est, ratio meorum conturbata est *in ira* quam promeruit primus parens. Mens meorum, quæ debuit vir esse et Evam, id est carnem suam, regere, si sub capite suo maneret, recedens a capite suo, id est a Deo, *infirmata est.* Et *anima mea*, id est, sensualitas *infirmata est*, quia vir Evæ, id est ratio, noluit esse sub capite suo, nec Eva, id est, sensualitas, noluit esse sub suo capite, id est, sub dominio rationis, nec valet eam ratio refrenare, quin extendat manus ad illicita. *Et venter meus*, id est, caro meorum conturbata est non valens concupiscentiis resistere. Et ideo tribulor, quoniam *vita mea*, longæva vita quam debuit homo habere, si a præcepto Domini Dei sui non decederet, *deficit in dolore*, id est in verbo illo unde semper est dolendum, *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). *Et anni mei*, id est, anni meorum æterni qui futuri erant, defecerunt *in gemitibus*, id est, in verbo illo unde semper est ingemiscendum. *Infirmata est in paupertate virtus mea*, id est, sensualitas, et caro mea quæ ante prævaricationem firma erat nunc laborat indigentia plena : in nullo enim habet sufficientiam. *Et ossa mea*, id est, ratio et intelligentia *conturbata sunt*, id est, confusa in cognitione veri. Pro quibus necessitatibus auferendis veniens homo Dominus immunis a peccato, *factus sum opprobrium vicinis meis*, Judæis qui secundum carnem erant *vicini : super omnes inimicos meos*, id est, magis me despexerunt quam aliquem gentilium quos canes et immundos vocabant : quasi dicat tanta et tam indigna pati non dignatus sum. *Et timor*, scilicet *factus sum notis meis*, id est, discipulis. *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XIV). *Qui videbant me*, id est, intelligebant Deum per miracula, *foras fugerunt a me*, id est, a divinitate ad humanitatem se converterunt, qui prius Deum putabant solum hominem me crediderunt. *Oblivioni datus sum a corde* eorum *tanquam mortuus*, scilicet quilibet *tanquam vas perditum*, id est, tanquam vas inutile et nulli usui aptum, ideo, *quoniam audivi*, id est, patienter tuli *vituperationem multorum commorantium in circuitu*, id est, delectantium in terrenis ; ideo me nihil posse putaverunt, quia multa indigna patiens in nullo restiti : vel, *commorantium in circuitu*, id est, quærentium beatitudinem in vanitatibus et nunquam ad medium, id est, ad veram beatitudinem pervenientium. *In* eo scilicet *circuitu* commorantes, id est, amantes ea magis quæ ad perditionem trahunt quam ea qua ad salvationem, dum unanimes essent in damnationem meam, qui ad sal-

A vationem eorum veneram, *accipere animam meam consiliati sunt*, id est, non solum me, sed etiam meos persecuti sunt ut perderent. *Ego autem in te speravi, Domine :* istud et cætera quæ sequuntur, magis in persona suorum dicit caput, quam in sua.

PSALMUS XXXI.

INTELLECTUS DAVID

« Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et « quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non « imputavit Dominus peccatum, nec est spiritu « ejus dolus. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa « mea, dum clamarem tota die. Quoniam die ac « nocte gravata est super me manus tua, conversus « sum in ærumna mea, dunt configitur spina. De« lictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam

B « meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me « injustitiam meam Domino, et tu remisisti impieta« tem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanc« tus in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio « aquarum multarum, ad eum non approximabunt. « Tu es refugium meum a tribulatione quæ circum« dedit me, exultatio mea a circumdantibus me. « Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua « gradieris, firmabo super te oculos meos. Nolite « fieri sicut equus et mulus, quibus non est intel« lectus. In camo et freno maxillas eorum con« stringe, qui non approximant ad te. Multa flagella « peccatoris, sperantem autem in Domino miseri« cordia circumdabit. Lætamini in Domino et exsul« tate, justi, et gloriamini, omnes recti corde. »

ENARRATIO.

C Cum in omnibus psalmus sit *intellectus*, huic maxime et spiritualiter attribuitur nomen illud, quod commune est, propter dignitatem et excellentiam, ut, cum dicitur Apostolus, intelligitur Paulus ; Propheta, Isaias ; Urbs, Roma.

Continet enim intellectum cuique fideli maxime necessarium ad salvationem, hunc scilicet, ante fidem non esse jactanda merita, quippe quæ nulla sunt ; accepta fide per gratiam, non esse præsumendum de impunitate, nec esse pigrum in bona operatione ; et si quid boni fecerit, non sibi, sed totum gratiæ Dei attribuere. Vox Prophetæ. Quasi dicat : Video homines velle esse beatos, sed diversi diversa de beatitudine constituunt. Hoc autem catholicum, hoc verum.

D *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, non illi *quorum* nullæ sunt, quia illi nulli sunt, sed *quorum iniquitates*, originales scilicet et actuales, *remissæ sunt*, scilicet per gratiam Dei, quæ prius intensæ erant etiam sub lege, juxta illud, *Ad perfectum nihil duxit lex* (*Hebr.* VII), quotquot ante salvi facti sunt, ideo salvi facti sunt ; quia credebant futurum quod modo credimus impletum ; juxta illud, *Sancti per fidem vicerunt regna* (*Hebr.* XI) ; et, *Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV) ; et, *cum venisset lex, revixit peccatum* (*Rom.* VII). Hieronymus : Tribus modis remittuntur peccatum, per baptismum, per charitatem, per martyrium. *Beati quo-*

rum remissæ sunt iniquitates per baptismum, *et quorum tecta sunt peccata* per charitatem, juxta illud, *Charitas operit multitudinem peccatorum (I Petr.* IV). *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, per martyrium. Nunc sunt remissæ in aqua baptismi. Et sunt *beati, quorum tecta sunt peccata*, actualia scilicet post baptismum commissa. *Tecta*, dico, non ab infirmo, sed a medico. Tegit infirmus vulnera ad hoc ut morbum augeat : tegit medicus medicaminibus ut sanet. *Quorum tecta sunt peccata* medicamento pœnitentiæ, non ut ea Deus non videat, sed ut non ita videat ut puniat. Quod tegitur non videtur, non imputatur; quod non imputatur non punietur. Si tu tegis peccata tua non confitendo vel defendendo, Deus ea detegit. Si autem tu te humilias, et accusas et detegis, Deus ea tegit. Subjungit quomodo *tecta : Beatus vir*, id est, immortalis, vel laudabilis, vel gloriosus *cui non* imputavit *Dominus peccatum*, non imputavit ad pœnam, quia hic delevit per misericordiam.

Aliter : Quasi dicat, *beati* sunt illi qui per baptismum salvi facti sunt accepta remissione peccatorum per gratiam. Et illi *beati* qui post baptismum peccaverunt quidem, quia ceciderunt in criminalibus, sed per confessionem et pœnitentiam emendaverunt. Sed ille est *vir beatus* et bene *vir*, quia fortiter fecit et magis *beatus* quam illi, *cui non imputavit Dominus peccatum*, id est, qui post remissionem peccatorum sic custodivit animam suam a peccato immunem, ut nihil committeret tam magnum quod ei Dominus imputet : quia non commisit nisi veniala, et quæ Dominica oratione, vel psalmodia, vel letania, vel eleemosynis leviter emendare potuit. Ideo non imputavit, quia *nec est in spiritu ejus dolus*. In illius *spiritu est dolus* qui aliud est et aliud simulat. Intus habet injustitiam, foris clamat justitiam: quod notari potest in Pharisæo et Publicano. In spiritu Publicani non fuit *dolus*, quia quod ex se erat non tacuit. Humiliavit, se accusavit, *stans a longe*, et non audens *oculos ad cœlum levare, sed* percutiens *pectus suum*, dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII). Huic *non imputavit Dominus peccatum*, quia *descendit justificatus in domum suam ab illo*, id est, ad comparationem Pharisæi. Pharisæus autem tacuit quod clamandum fuit, et clamavit quod tacendum erat: tacuit peccata, clamavit merita, et ideo etiam si justitiam aliquam et meritum habuit per superbiam perdidit, sibi attribuens quod a Deo accepit. Quasi dicat : Ille est *beatus, in* cujus *spiritu non est dolus*. Qnia e converso ille non est *beatus, in* cujus *spiritu est dolus*, quod mihi experto credendum. *Inveteraverunt* enim *ossa mea dum clamarem tota die, quoniam tacui.*

Hoc in persona cujusque pertinentis ad veterem hominem, dicit : Quia, per humilitatem nolui pertinere ad novum hominem, per superbiam in veteri homine permansi. Hoc maxime potest referri ad Judaicum populum qui significatur in Pharisæo, sicut gentilis in Publicano. *Ossa mea*, id est, robur meum, scilicet virtutes et justitia, *inveteraverunt*, id est, infirmata sunt, et non potui per me vitiis resistere, A sicut possem, si non in me, sed in Domino confiderem.

Qui in Domino juvenis esse potui in me senex factus sum. *Quoniam tacui, dum clamarem : tacui* peccata, clamavi merita; *tacui* unde proficerem, clamavi unde deficerem; *tacui* a confessione, clamavi in laude. *Tota die*, id est, assidue, ut ille Pharisæus qui per vanitatem sua benefacta jactabat. Sed tandem *conversus sum* ab illo falso clamore ad verum, scilicet ut non defenderem peccata, sed accusarem, nec jactarem merita, sed damnarem. Et hanc conversionem feci *in ærumna mea*, attendens in me magnam miseriam, scilicet assiduam tribulationem flagellorum tuorum, vidi justitiam quæ mihi facilis videbatur esse dificilem sine tua gratia. Cognovi multa B vitia me invadere, nec meis viribus posse resistere. Et hoc ideo, *quoniam gravata est super me manus tua*, quæ humiles sublevat, superbos gravat. Potentia tua multum me superbum depressit, quia peccatum mihi dominari permisit, justitiam difficilem fecit, quæ potestas hæc omnia sublevaret, si non de me, sed de illo præsumere vellem. *Die ac nocte*, id est assidue.

Conclusit enim Deus omnia sub peccato, ut omnium misereretur (*Rom.* XI). Vel *die ac nocte*, id est, et in prosperis et in adversis, quia nec in prosperis ab hac miseria sum relevatus, nec in adversis. Vel *conversus sum* a laude in accusationem mei. *Dum configitur spina*, id est, dum frangitur superbia, et inclinor ad humilitatem per legis prohibitionem. C Spina est os quod animalis corpus rigidum tenet; ea fracta, incurvatur. Tunc ego *conversus sum in ærumna mea*, id est attendendo miseriam meam, *dum configitur spina*, id est, dum conscientia mea quæ prius sibi applaudebat de innocentia putans peccata non esse quæ erant peccata, dum illa conscientia configitur, id est, pungitur et excitatur spinis prohibitionum tuarum. *Antea enim nesciebam hoc peccatum esse quam lex diceret, Non occides, Non mæchaberis* (*Rom.* VII). Vel *gravata est super me manus tua dum configitur spina*, id est, facta est mihi justitia difficilis, quæ prius videbatur facilis, dum data est lex tua quæ pupugit conscientiam meam, juxta illud Apostoli, *Ante legem enim peccatum mortuum erat, ego autem vivebam; cum autem* D *venisset lex, peccatum revixit, ego autem mortuus sum. Nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum nisi lex diceret* (*Exod.* XX), *Non concupisces*. Vel *dum clamarem tota die* desiderio temporalium rerum, et non sine causa, quia *manus tua*, id est, potentia, *gravata est super me*, id est, gravem vindictam accepit de me pro peccato primi parentis. *Die ac nocte*, id est assidue. Hoc modo *conversus sum. Delictum meum cognitum tibi feci*, qui prius non attendebam vel defendebam : ego ipse damnavi, ego ipse confessus sum delictum, id est, quod non [illegible], scilicet quia feci quod non debui : quod enim medicus tegit, sanatur; quod tegit infirmus, nutrit

vulnus. Si non tegis tu perdendo, tegit Deus medendo. Revera *non abscondi*, quia *dixi*, id est, cogitavi, istud scilicet, *Confitebor injustitiam meam Domino*, confitebor ei peccata mea *adversum me*, id est, me accusando. Non imputavi Deo, vel fato, vel fortunæ, vel constellationi, vel diabolo, ut multi faciunt. *Et* quia me adeo humiliavi, *tu remisisti impietatem peccati mei*, id est, defensionem peccati quæ erat ex superbia. Magna commendatio misericordiæ Dei. Nondum vox in ore, et jam ad cor auris Dei.

Non enim dicit, confessus sum: est autem dixisse, confessum esse. *Pro hac*, scilicet impietate, id est, dimissione peccati, dimittenda, vel pro hac venia peccatorum, *orabit ad te omnis sanctus*, id est, orabit te ut ad te perveniat, non propter aliud. *Omnis sanctus*, id est, omnis qui vult fieri sanctus. Nullus enim sanctificabitur, nisi cui tu dimiseris peccata.

Orabit dico, *in tempore opportuno*, id est, in tempore gratiæ, scilicet in tempore incarnationis Christi; quotquot enim sanctificati sunt vel ante adventum Filii Dei, vel post, per ejus fidem salvi facti sunt: ante adventum, credentes futurum quod post adventum credimus factum. Tempus opportunum est, de quo dicit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). Quanquam dixerim *in tempore opportuno*, *verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt*, id est, in multiplicitate variarum doctrinarum non accedent ad ejus misericordiam, scilicet imputando culpam suam vel constellationi secundum quosdam philosphos, vel fortunæ secundum alios, et aliis hujusmodi. Qui per compendium ad eum possent venire, id est, confitendo peccata sua, et se humiliando possent habere placatum, per circuitum eundo accusant. Quasi dicat: ille multitudine excusationem non approximabunt. Ego autem approximabo, quia a quo fugi per superbiam, ad illum refugiam per humilitatem. *Tu es refugium meum*: ad te volo confugere, non te accusare, te in corde quasi arcem refugii habere satago, non me, non hominem, non mundum qui perit. *A tribulatione quæ circumdedit me*, non demersit, quia contuli copias meas in arcem desuper irridens occupatos curis istius sæculi. Et post *exsultatio mea* in te erit mihi; et nunc etiam es tu exsultatio, sed in spe. Et quia in re adhuc est tribulatio, *erue me a circumdantibus me*, scilicet ab aquis multis, vel a tribulationibus carnis, ut per eas non devocer. Quasi dicat: *Dixi, Confitebor, et tu remisisti*, hæc mihi dicens, *Intellectum tibi dabo*, illum scilicet, quem dedi in prima creatione, quia *cum in honore esses*, id est, in dignitate naturæ rationalis, et *non intellexisti* ut moribus exornares, vita excoleres, *comparatus es jumentis iusipientibus, et similis factus es illis* (*Psal.* XLVIII), oblitus Dei tui, sine quo stare in illa dignitate non potuisti. Nunc autem quia ad me per humilitatem redis, intellectum dabo tibi ad beatitudinem necessarium, ut scias de nullo esse

A præsumendum, nisi de sola Dei tui misericordia. *Et* in illo intellectu *instruam te*, ut quod bene intelligis, morum honestate compleas. *In via hac qua gradieris*, id est, in hac vita in qua non eris piger, sed semper gradiens de virtute in virtutem.

Vel in honesto proposito quod eliges, *firmabo super te oculos meos*, id est, nunquam a te recedet misericordia mea, quia semper ad me respiciet humilitas tua, ut ibi, *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (*Psal.* XXIV). Ergo in tanto honore positi, et habentes tantam spem per misericordiam Dei, intelligenter et rationabiliter vivere, *Nolite fieri sicut equus*, qui sine dicretione tam portat suum sessorem quam alium. *Et mulus* tam alterius indifferenter onus sustinet, quam
B sui domini. Vel nolite esse sine rectore, ne lascivientes per abrupta cadatis, sicut equus et mulus cum sine rectore sunt, per devia vadunt: vel nolite de viribus vestris præsumere, qui intellectum habetis, sicut facit equus et mulus *quibus non est intellectus*.

Sed, o Domine, qui malunt esse equi et muli quam tibi approximare, *in camo et freno*, id est, in magna refrenatione et magna contritione, *maxillas eorum constringe*, id est, superbam vocem eorum comprime, discant non jactare merita, sed tibi per humilitatem confiteri peccata. Illorum superbiam deprime, verba legis tuæ in ore eorum pone, quæ eos refrenent a superbia et vago gressu, *qui* euntes per circuitum, *non approximant ad te.* Quod si approximare noluerit, *multa flagella*, id est, multa pœna, erit *peccatoris*, id est, in peccato perseverantis. *Spe-*
C *rantem autem in Domino*, non in meritis suis, non in sæculo, *misericordia circumdabit*, id est, muniet, et hic per flagella, et in futuro per remunerationem. Et ut illius misericordia vos circumdet, *lætamini in Domino*, non in sæculo, cujus lætitia transitoria est. Lætamini mente, *et exsultate* in corpore, in spe tamen *justi*, quia injusti in sæculo exsultant, non in Domino. *Et* tandem *gloriamini* perfecta gloria in re *omnes recti corde.* Nam distorti corde non in Domino gloriantur; cum dicant aut Deum non esse in rebus, sed casu omnia contingere, ut pagani; vel si dicunt Deum esse, dicunt eum injustum, ut falsi Christiani, cum vident se in labore, et alios Deum non timentes in requie; se pauperes, illos divites: vel dicunt eum sola cœlestia curare, infirma despicere.
D Recti autem corde sunt, qui suam voluntatem ad Dei voluntatem dirigunt; et si eos conturbat humana infirmitas, consolatur eos divinæ æquitatis judicium. Et si aliter quam volunt contingat, voluntatem Dei suæ voluntati præponunt: hi semper in Domino gloriantur.

PSALMUS XXXII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Exsultate, justi, in Domino, rectos decet laudatio. Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione. Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus

« in fide. Diligit misericordiam et judicium, misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilio principum. Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione et generationem. Beata gens cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi. De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur. Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor, et protector noster est. Quia in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te. »

ENARRATIO.

Psalmus iste cum superiori continuatur, et est vox Prophetæ, hortantis omnes fideles, ut *justificati gratis per gratiam* Dei (*Rom.* III), non amplius exsultent in sæculo, cujus gaudium finem habet: sed in Domino, in quo sine fine gaudebunt, et innovati cantent canticum novum, quod cantatur non voce, sed nova vita: scilicet novam humilitatem, voce animositatis deposita, novam charitatem, novam justitiam, induentes, *novum hominem qui secundum Deum creatus est* (*Eph.* IV). Dicit itaque:

Exsultate, justi, in Domino. Quasi dicat: Dixi supra, Exsultate, justi, iterum dico, *exsultate, justi*, non in sæculo quod injustorum est, quorum gloria finem habet; sed *exsultate*, id est, extra vos saltate, non in vobis gaudentes, sed in Domino: tantum illi attribuite, in quo æterna est exsultatio. Ideo vos, *justi, exsultate in Domino*, in omnibus gratias agite Deo, quia *rectos* scilicet, et non alios *decet collaudatio*. Non enim *est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV). Peccator in prosperis benedicit Deum, in adversis vituperat, quia est distortus corde. Recte autem qui Dei voluntatem suæ voluntati præponunt, et qui sciunt omnia sibi cooperari in bonum, semper Deum laudant, ut Job, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (*Job* X). Vos qui justi estis, qui per grattam redempti estis, ad novum hominem pertinentes, *exsultate in Domino*, id est, in novitate vitæ A ambulate (*Rom.* VI), quia *rectos decet* talis *laudatio*. Justi sunt illi, qui jus suum non negant Domino.

Hoc modo exsultate: *Confitemini Domino in cithara*, id est, mortificate membra vestra, quia cithara de inferiori sonat. Et *in psalterio psallite*, id est, spiritum roborate, quia psalterium desuper sonat. Vel laudate eum *in cithara*, id est, in inferioribus gratia Dei vobis collatis, per sex opera misericordiæ Deo gratias agite: esurienti panem porrigite, et nudum vestite. Vel in prosperis hujus sæculi et adversis Deum benedicite. Et *in psalterio*, id est, de superiori, *psallite*, subjungentes dilectioni Dei dilectionem proximi, rapientes alios ad amorem Dei obsecrando, hortando, monendo, rationem reddendo. Quibus tribus modis fit eleemosyna: duobus modis B de superiori, scilicet primum cum nos ipsos impendimus, quod præcipuum est; secundum, cum proximum ad charitatem Dei trahimus. Tertium de inferiori, cum in carnalibus proximis ministrando, Deo servimus. *In psalterio decem chordarum psallite illi*, id est, decem verba legatis desuper data, spiritualiter implete, diligendo Deum et diligendo proximum. Cum enim decem sint præcepta, tria pertinent ad dilectionem Dei, septem ad dilectionem proximi. Chorda cum sit, primum extenditur, deinde siccatur, et post torquetur. Ita et nos si volumus fieri tale instrumentum Deo per similitudinem, extendere nos debemus, crucifigentes carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis. Siccare nos debemus, id est, a carnalibus desideriis subtrahere; torqueri etiam debemus, id est, tormenta aliunde C illata patienter tolerare, qui duo ex his in nobis sunt, unum extra. Quasi dicat: et hoc facientes, *Cantate ei canticum novum* scilicet *deponentes* mendacium, simulationem, odium, invidiam, detractionem et *omnem malitiam*, quæ sunt veteris hominis, *quasi modo geniti infantes*, rationabiles, *sine dolo* virtutes novi hominis induite, *qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (*I Petr.* I.; *Ephes.* IV). Vetus canticum est, animositas, superbia, odium. Novum vero canticum, est, mansuetudo, humilitas, charitas. Et non solum cantate ore, sed *bene psallite ei*, id est, bene operando laudate eum *in vociferatione* id est, omni mentis intentione, vel ineffabiliter. Alibi, *in jubilatione*. Ideo Dominum laudate, et ei vivite: *Quia rectum est verbum Domini*: D omnis promissio ejus vera; nihil promittit, et non reddit. *Et omnia opera ejus* quæ jubet fieri, sunt *in fide*, scilicet neminem fallentia. Nulla enim sunt sine retributione: qui misericorditer dignatus est remunerationem promittere, fideliter vult persolvere. Teneamus fidelissimum debitorem, quia habemus misericordissimum promissorem: fideliter exhibebit, si fideliter exigamus. Quia *opera ejus* sunt *in fide*, et nostra sint in fide. Possumus et sic dicere: *Cantate Domino canticum novum*, id est, canticum fidei, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Sed quia *fides sine operibus* otiosa *est* (*Jac.* II), ideo subdit: *Bene psallite ei*, id est,

jubilatione vel *vociferatione*, id est, operando cum magna intentione. In tantum eum laudate, ut verba laudibus deficiant, quia jubilum est laus Dei verbis inexplicabilis. Ideo in fide operamini, quia rectum est verbum Domini, scilicet verbum fidei : unde propheta : *Verbum breviatum faciet Dominus super terram* (*Isa.* x) : de quo Apostolus : *Hoc est verbum fidei quod prædicamus* (*Rom.* IX). Illud verbum rectum est, quia est in operatione : unde sequitur : *Et omnia opera ejus in fide*. Nullus potest bene operari extra fidem, sive hoc, sive illo modo ; quod sequitur, sic continuatur. Revera sunt in fide, quia omnia aut sunt misericordia, aut judicium : et hoc *in fide*, quia nunquam sine remuneratione. *Diligit misericordiam :* ergo et nos diligamus misericordiam. Quæ major potest esse hæc Dei misericordia, quod aversos vocat, quod condonat, quod patiens est super peccatores donec convertantur ? Hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, obliviscitur præterita, promittit futura. Non deserit laborantes et in illo confidentes ; donat unde sibi sacrificetur, tribuit unde placetur : vel alia causa quare sit cantandum, quia diligit misericordiam qua vocat, qua justificat, *et judicium*, quo suos flagellat, malos excæcat. *Diligit et judicium*, quia discernit inter justum et impium, justis dans præmium, dans injustis pœnam. Ita et nos diligamus judicium, juste judicemus. Multi putant se bene agere, cum defendendo causam pauperis, vertunt jus in injustitiam : quod non est faciendum, quia nec misericordia debet impedire judicium, nec judicium misericordiam. Si volumus pauperi subvenire, post judicium misericordiam faciamus, ve postulemus a fonte. Probat quod misericordiam diligat. *Misericordia Domini plena est terra*, id est, Ecclesia, quæ est terra Domini et ejus hæreditas, est plena operariorum misericordiæ Domini. Ostendit per quos operarios implevit hanc terram. *Verbo Domini cœli firmati sunt*, id est, doctrina et operatione Filii. Cœli, id est, apostoli pluentes doctrinis, tonantes minis, coruscantes miraculis, firmati sunt in fide, spe et charitate. Filius Dei Verbum dicitur, quia interpretatur vobis voluntatem Dei. *Et spiritu oris ejus*, id est, Spiritu sancto misso de cœlis, ab ore ejus, id est, Christo, qui est os Patris, quia per illum nobis locutus. Hic ostendit quod Spiritus sanctus a Filio procedit : ab illo spiritu *omnis virtus eorum*, scilicet quod sunt tonantes minis, coruscantes miraculis : hic Trinitas notatur. Huc usque ostensio misericordiæ. *Diligit et judicium, congregans sicut in utre aquas maris*, id est, reservans ibi fluitantes voluntates amaricantium persecutorum, compescens eas ut non sæviant nisi eo permittente, ut habeat unde filios erudiat et servos puniat ; probet pios, et damnet impios ; suos milites coronet, et persequentium rabiem retundat : vel persecutorum sævitiam quæ olim aperte et passim vagabatur collegit et constrinxit in paucis, ut quamvis habeant voluntatem, non tamen pos-

A sint nisi permissi, sicut aqua in utre non exit, nisi cum vult ille qui in potestate habet utrem. *Ponens in thesauris abyssos*, non solum alios, sed etiam perditissimos, etiam desperatos in camera sua habet repositos ; illi etiam in potestate sua sunt, ut nihil possint nisi permissi, ut habeat unde tribuat donaria militibus suis, unde coronet bonos, damnet malos, suos probet, impios consumat. Ergo *timeat Dominum omnis terra*, id est, omnes illi qui terram, id est, corpus suum ita excoluerunt, ut tandem immortalem recipiant, illum solum timeant cui omnia obediunt necessitate. Sævit serpens, timeat Dominum ; sævit leo, timeat Dominum ; sævit tyrannus, timeat Dominum : nihil enim plus hæc possunt, nisi quantum ille permiserit. Nec moveatur aliquo

B horum, scilicet a suo proposito. *Ab eo autem*, scilicet Domino, *commoveantur omnes inhabitantes orbem*, ut quo ille jusserit moveantur, euntes de virtute in virtutem, omnes perfecti qui agrum suum orbiculatum fecerunt, omni enormitate amputata, id est, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, et sic inhabitant illum orbem et non inhabitantur ; illi timeant Dominum timore casto, et non mundum, qui nihil potest in eos, nisi permissus. Aliter : *Et spiritu oris ejus*, id est, *spiritu* Christi, omnis virtus eorum, scilicet apostolorum. Quod sequitur ad istud sic continuatur : *Ejus* dico : qui est *congregans*, scilicet per illos cœlos, *aquas maris*, id est, hujus sæculi fluctus et persecutiones quasi in utrem, ut in paucis jam sæviat istud sæculum, cum jam per doctrinam apostolorum major pars con-

C versa sit ad fidem. Et ne aliquis gloriaretur temeraria exsultatione, dicens : Nihil ergo timendum, quia congregatæ sunt aquæ maris, subjungit : *Timeat Dominum omnis terra*. Exsultet, quia *misericordia Domini plena est terra*. *Timeat* autem peccare et ab eo recedere. Dominum solum *timeat* Ecclesia et non alia, quia alia omnia in ejus sunt potestate et nihil possunt nisi eo permittente.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt, scilicet creatione prima ; vel *ipse dixit*, id est, permisit, et *facta sunt* quæcunque fiunt, sive quæ ipse fecit, sive quæ fieri permittit, et nihil fit eo non permittente. Et bene in eo quod dicit, *facta* intelligimus omnia, quia factum est quoddam incertum et confusum, hoc solo certum quod factum est. Et ideo quod dicit *dixit*, mi-

D nus intelligitur quam quod dicit, *mandavit*, quia quod mandamus ratum esse volumus. *Ipse mandavit, et creata sunt*. Et quæ separatim post recreata sunt in sanctificationem omnia ex eo sunt, et nihil possunt hæc vel illi nisi per eum. Et ideo *Dominus dissipat consilia gentium* quærentium nomen ejus delere, sanctos ejus morti tradere, et a Deo suo devocare. Gentes autem non dissipant consilium Domini. *Reprobat, autem cogitationes populorum*, Judæorum scilicet : *Jube ergo custodiri sepulcrum, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur cum et dicant plebi, Surrexit a mortuis* (*Matth.* XXVII) : populi autem non reprobant consilium Domini. *Et reprobat consilia*

principum, scilicet Annæ et Caiphæ, qui dicit : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo* (*Joan.* xi); vel omnium principum quærentium sua, non quæ sunt Dei. Principes autem non reprobant consilium Dei. Et hoc est quod sequitur : *Consilium autem Domini in æternum manet*, scilicet ut resurgeret et humanum genus redimeret, scilicet, *cogitationes cordis ejus a generatione in generationem*, quia ejus consilium quod fuit dispositionis antiquæ reparationis novæ, felicitatis æternæ, permanet et in generatione prima et generatione secunda immutabile. In prima fuit prophetatum, in secunda impletum, vel in generationem temporalem, in generationem æternam. In aliis minus est cogitatio quam consilium. Consilium est cogitata ratio, sed in Deo idem est : ideo hic indifferenter ponuntur.

Hoc est illud consilium Domini ut gens sua eligat sibi Deum ad beatitudinem, in quo solo est vera beatitudo. Nullus enim beatitudinem veram habere potest a se inferiori, omnes volunt esse beati, sed illi soli sunt beati qui supra se beari quærunt. Quasi dicat: Revera *consilium Domini in æternum manet* quia *beata* est *gens cujus est Dominus* voluntate, *Deus ejus* necessitate quæ non alium Dominum *elegit in hæreditatem sibi*, id est, populus per gratiam acquisitus. *Elegit* dico per gratiam, non per meritum, hoc modo, *De cœlo respexit Dominus*, id est, de humanitate Verbi per quam se ad infirmitatem nostram divinitas inclinavit, *respexit Dominus*, qui prius in Adam despexit, et respicendo *vidit*, id est, misericorditer elegit, *omnes filios hominum*, id est omnes Judæos futuros per gratiam suam imitatores patriarcharum et prophetarum. Et non solum *de cœlo respexit*, sed etiam *de præparato habitaculo suo*, id est, de apostolis quos per gratiam suam tales fecit in quibus habitaret, *respexit super omnes qui habitant terram*, id est, misericordiam suam exhibuit super omnes illos de gentibus qui terram, id est, carnem suam sic colunt, sic spinis et tribulis emundant ut quandoque illam immortalem recipiant tales inhabitant, et non inhabitantur. *Qui* ut idonei fierent ad electionem *finxit* singulatim *corda eorum*, id est, informavit et aptavit corda eorum, dando illis diversa dona sancti Spiritus. Unde Apostolus : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo* (*I Cor.* vii) ; vel *sigillatim*, id est, sigillando et imprimendo illis imaginem suam. Vel, singillatim, id est, singulis sigillum Spiritus imprimens. Et non solum *corda finxit*, sed *intelligit omnia opera eorum*. Misericordia Dei magna non dicit, intelligere facit : sed, ipse in illis *intelligit* juxta illud, *Domino cooperante* (*Marc.* xvi), vel *intelligit*, scilicet qua intentione fiant : *intelligit*, id est, videt quia omnia sunt nuda et aperta oculis ejus ; ad hoc videt ut ea dirigat. Et revera isti soli beati, isti soli salvi qui per gratiam justificantur, et non ex meritis : nam alii minime. Et hoc ostendit a majori, quia neque potentes ut reges, neque fortes ut gigantes qui alios salvare non possunt ; nam nec seipsos. *Non salvatur rex* salvatione vera *per multam virtutem*. Quasi dicat : salvatur rex

A sed non per pompam suam *Et gigas*, id est, robustus *non salvabitur in multitudine virtutis suæ*. Ideo per hoc non salvantur, quia *fallax* est *equus ad salutem*. *Equus*, id est, dignitas et pompa sæcularis videtur promittere beatitudinem, sed non persolvit, si ad regem volumus istud conferre. Si autem ad gigantem, hoc modo : *Fallax equus*, id est, humanum corpus quod est sine intellectu ut *equus*, et quod sine sessore, id est, animi regimine, per abrupta fertur. *Fallax* est ad salutem, quia impedimentum est animæ. Aliter, in bonam partem : *Non salvatur rex per multam virtutem*. Etiam ille qui carnalibus concupiscentiis resistit, vel diabolum et angelos ejus impugnat, si de se præsumit, *non salvatur* : quia *fallax* est *equus*, id est, homo ad salutem non habeat Deum B sessorem suum : quia *neque volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* ix). Job de Deo dixit : *Balteum regnum dissolvit, et renes eorum fune præcingit* (*Job.* xii). Hoc dictum est de illis qui regunt illicitos motus bene, et præsumunt de se illorum balteum dissolvit, id est, permittit eos cadere, ut Petrus qui negavit, Thomas qui dixit, *Omnes cum eo moriamur* (*Joan.* xi), primus se in pedes conjecit. Joannes, qui supra pectus in cœna recubuit (*Joan.* xiii), relicta sindone nudus aufugit (*Marc.* xiv) : et hoc ad utilitatem illorum, quia postea præcinget renes eorum constantia. Salvatur rex salvatur et gigas. *In multitudine autem suæ virtutis non salvabitur*. In quo ergo salus ? *Ecce* quasi in evidenti est, *Oculi Domini*, id est, respectus misericordiæ Domini *super* timentes *eum*, ut evellat de laqueo pedes eorum, ne C ad eum respicientes in foveam cadant vel laqueum. *Et in eis qui sperant super misericordia ejus*, id est, qui sic eum timent ut in alio non sperent, vel qui sperant in ejus remuneratione. Timor enim sine spe, desperatio est : spes autem sine timore, præsumptio Ad hoc sunt *oculi Domini* super justos, *ut* tandem *eruat a morte* æterna *animas eorum*, *et* interim *alat eos in fame*, id est, in tempore famis : quia facit in hoc tempore esurire justitiam, et illa refici. Unde quia reficit in tempore famis et tandem in diebus plenitudinis saturabit, *anima nostra sustinet Dominum*, quem habet misericordissimum promissorem, exspectat fidelissimum debitorem, si moram seram fecerit, *sustinet* pondus præceptorum ejus. Et merito, *quoniam adjutor* in perficiendo in bonis, *et protector* D *noster est*, scilicet in malis, ne deficiamus.

Et ideo merito illum *sustinet*, illum exspectat : *quia in eo lætabitur cor nostrum*, etsi tribuletur caro nostra. *Et in nomine sancto ejus speravimus*, non in nostro, ut Adam qui voluit sibi esse Deus: *speravimus* hoc nomine quod est Deus, quia δέος timor, et nos eum timentes, *speravimus in sancto* qui sanctos facit, vel in *nomine* hoc, scilicet Deum, exhibentes ei dignum servitium, et nos humiliantes, *speravimus*. Et ut lætemur, *fiat misericordia tua*, id est, remunaratio tua, *Domine, super nos*. Ad illum modum ad quem in te speravimus, qui multum sperat multa illi remunerantur, unicuique pro modo suo.

PSALMUS XXXIII.

PSALMUS DAVID CUM MUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT.

« Benedicam Dominum in omni tempore : semper « laus ejus in ore meo.In Domino laudabitur anima « mea ; audiant mansueti et lætentur. Magnificate « Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in « idipsum. Exquisivi Dominum, et exaudivit me,et « ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non « confundentur. Iste pauper clamavit, et Dominus « exaudivit eum,et de omnibus tribulationibus ejus « salvavit eum.Immittet angelus Domini in circuitu « timentium cum, et eripiet eos. Gustate et videte « quoniam suavis est Dominus : beatus vir qui spe- « rat in eo. Timete Dominum, omnes sancti ejus, « quoniam non est inopia timentibus eum. Divites « eguerunt,et esurierunt : inquirentes autem Domi- « num non minuentur omni bono. Venite,filii,au- « dite me : timorem Domini docebo vos. Quis est « homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos ? « Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne « loquantur dolum. Diverte a malo, et fac bonum ; « inquire pacem, et persequere eam. Oculi Domini « super justos,et aures ejus in preces eorum.Vultus « autem Domini super facientes mala,ut perdat de « terra memoriam eorum. Clamaverunt justi, et « Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulatio- « nibus eorum liberavit eos. Juxta est Dominus his « qui tribulato sunt corde,et humiles spiritu salva- « bit. Multæ tribulationes justorum,et de his omni- « bus liberabit eos Dominus. Custodit Dominus « omnia essa eorum, unum ex his non conteretur. « Mors peccatorum pessima : et qui oderunt justum « delinquent. Redimet Dominus animas servorum « suorum, et non delinquent omnes qui sperant « in eo. »

ENARRATIO.

Psalmus David,cum immutavit vultum suum coram Abimelech,et dimisit eum,et abiit. Legitur in libro Regum (*I Reg.* XXI),quomodo David interfecit Goliath Philistæum, et pro hoc negotio venit in gratiam Saul regis Israel,ut etiam daret ei filiam suam Michol. et conviva regis esset ; sed postea cum in choro canentium audivit Saul prælationem David, *Saul percussit mille, et David decem millia,* in millibus suis indignatus rex,voluit interficere David : fugiens autem David a facie Saul,venit in terram Philisthinorum ad Geth civitatem Achis.Cumque hoc nuntiatum foret Achis,misit legatos qui David apprehenderent,et ad eum ducerent ut interficeretur.Sed misericordia Dei præveniente,cecidit Spiritus sanctus super eum.et mutavit vultum suum,simulans se arreptitium. Decorus enim erat aspectu,et ferebatur manibus suis, et procedebat ad ostium porte,et saliva decurrebat per barbam ejus ; et cum eum vidisset Achis, putans eum insanire,dixit?Cur adduxistis mihi hominem furibundum?Nunquid desidero arreptitium?Non curavit de eo. Et dimisit David, et abiit. Cum autem historia narret vultus mutationem factam coram Achis, titulus autem habeat corum Abimelch, potest dici quod Achis proprium nomen illius regis esset,Abimelech autem commune omnium regum Philisthinorum, ut Pharao Ægyptiorum, Cæsar Romanorum,vel mutatio nominum trahit nos ad mysterium. In David intelligimus Christum, in Goliath diabolum,quem superbum Christus humilis devicit,sicut David parvus magnum Goliath jactantem suas vires, et ostentantem Israelitis arma sua. Abimelech interpretatur *patris mei regnum.* Regnum David, patris Christi secundum carnem, fuit populus Judaicus : et coram Judaico populo mutavit Christus vultum suum,quando sacrificium illud quod erat in populo illo secundum ordinem, Aaron tratulit in corpus et sanguinem suum secundum ordinem Melchisedech, qui in figura hujus sacrificii obtulit Deo panem et vinum (*Gen.* XIV ; *Hebr.* VII) : et hæc mutatio facta est,quando in cœna illa qua tradebatur, *accepit panem et benedixit, et fregit, et dedit discipulis suis, diceus : Hoc est corpus meum. Similater et vinum* accipit (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XXVI ; *Luc.* XXII), et sanctificando mutavit in sanguinem suum.Et cum hoc faceret, quondam modo ferebatur in manibus suis, quod in specie, panis magis corpus suum accipi voluit, quam alia : quia vinum corpus dementat ita et imitatio passionis Christi sanctos martyres adeo inebriavit,ut ab humana mente omnino in divinam transferret, et terrena penitus oblivisci faceret- Et in hac traditione corporis et sanguinis sui,commendavit nobis humilitatem suam qui,cum dives esset, factus est pauper pro nobis (*II Cor.* VIII) : et Rex angelorum factus esi homo,ut panem angelorum manducaret homo.Tanta enim erat humana superbia ut nec patriarcham,nec prophetam nec alium aliquem hominem imitari dignaretur.Ut ergo hæc superbia se humiliaret, factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. Immortalis formam mortalem induit, ut mortalis assumeret immortalem : descendit ille, ut nos ascenderemus. In hac autem mutatione vultus, id est sacrificii, in quo voluntas Dei quodam modo ostendebatur,quia per hæc temporalia instituta voluit ostendere vera, et æterna,affectabat se.Quæ major affectio,quam quod Deus immortalis per multa indigna et multa proba subiret mortem temporalem,ut humanum genus a morte æterna eriperet ? Tympanizabat ad portam civitatis, quia corpus suum in cruce affixum clavis extendit, ut corda hominum quæ pervia erant diabolo clauderet inimico, et aperiret Deo. Et procidebat ad ostium portæ,id est, humiliabat se usque ad initium fidei nostræ, quæ fides introitus est in Ecclesiam.Salivæ autem in barbam defluebant,quæ salivæ puerorum sunt, quia verba Domini quibus corporis sui et sanguinis commendatio fiebat,infantilia Judæis videbantur, in quibus verbis Divinitas per humanitatem latebat, quia in barba fortitudo notatur : cum enim diceret: *Nisi manducaverit quis*

carnem filii hominis, et biberit ejus sanguinem, non A *habebit vitam* (*Joan.* VI) : multi audientes et ignorantes opus divinitatis in his latere, abierunt retrorsum, etiam ex discipulis, dicentes : *Durus est hic sermo, et quis* poterit *eum audire* (*Joan.* VI) ? Putabant enim ut carnem suam, quam videbant, eis vellet dare ad manducandum. Et conversus Dominus ad discipulos suos undecim, dixit : *Numquid et vos vultis abire* ? Respondit Petrus pro omnibus : *Domine, ad quem ibimus ? Verba vitæ habes* (*Ibid.*) *Spiritus est qui vivificat, caro* autem infirma est (*Ibid.*) In his qui retrorsum abierunt, non intelligentes commutationem hujus sacrificii, intelligitur Achis, qui interpretatur *quid est hoc* ? et significat ignorantiam, apud quos cum a Pharisæis et summis sacerdotibus et scribis ad mortem quæreretur, in B porta civitatis manentibus tympanizabat, id est, apostolis in fide jam positis quæ est introitus ad Jerusalem cœlestem,sonum dulcem de tympano protulit, doctrinam scilicet carnis suæ mortificandæ. Et quia ille populus incredulus commendationem veri sacrificii intelligere noluit,et exemplum humilitatis Christi non recepit, dimisit eum Christus et abiit, id est, transtulit ad gentes, ut per hoc salvarentur. Et est vox Christi in hoc psalmo, commendantis novum sacrificium corporis et sanguinis sui : et proponentis in se exemplum humilitatis humano generi, qui,*cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi* suscipiens (*Phil.* II).

Benedicam Dominum in omni tempore. Ego, qui hactenus benedixi Dominum ad horam per legalia C sacrificia secundum ordinem Aaron in populo Israelitico,nunc benedicam novo sacrificio secundum ordinem Melchisedech, qui et tempore et dignitate prior fuit, cui Abram decimas dedit, in quo Aaron decimatus fuit. Et hoc faciam in populo Christiano, sumendo corpus et sanguinem meum, id est, imitando humilitatem meam, non ad horam,sed omni tempore, quia hoc sacrificium non est ad tempus institutum. Scilicet *semper laus ejus*, scilicet erit, *in ore meo*,id est,et in prosperis et in adversis. Superbi hujus sæculi prosperitate elati in prosperis benedicunt,id adversis maledicunt ore corporis et ore cordis. *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job.* I). Hoc modo benedicam : *in Domino laudabitur anima mea :* vita mea per se vituperabilis *laudabitur*,id est laudabilis erit, *in Domino*,id est, in misericordia et D in donis Domini : nihil mihi attribuam. *Audiant*, scilicet hanc humilitatem meam, *mansueti*,humiles audiant et imitentur, id est, discant animam suam in Domino laudare, et non in se, non in sæculo, *et lætentur* vera lætitia. Ideo mansueti audiant hoc sacrificium immutatum et intelligant quia superbi audire noluerunt, qui dixerunt : *Durus est hic sermo* (*Joan.* VI), *et lætentur* in exemplum mei, non contristentur ut illi qui dixerunt : *et quis* poterit *eum audire ?* (*ibid.*) Et quia in hac lætitia non est locus invidiæ,et omne bonum in commune collatum pulchrius enitescit,nolo solus habere,nolo solus accedere,ut amatores sæculi ad hoc quod diligunt, sed quotquot possum,volo mecum trahere ad amorem Dei, obsecrando,admonendo, orando, rationem reddendo. O vos, mansueti, *magnificate Dominum mecum*, bene operando : *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet* (*I Petr.* V) mecum : ut sicut ego vivo propter Patrem, ita et vos propter eum. *Et exaltemus nomen ejus in idipsum.*In nobis magnum faciamus eum recte vivendo,et alios ad amorem illius trahendo,scilicet exsultatione tendente in idipsum,id est in Deum,scilicet in omnibus ejus misericordiam commendantes,vel in invicem aliter alterius onera portando, et sic legem Christi implendo (*Gal.* VI) ; et in hoc me habete exemplum, quia Christus : *exquisivi Dominum :* ex omnibus illis gloriam quæsivi, illum solum amavi. *Et* quia illum solum quæsivi, *exaudivit me*, scilicet hac exauditione. *Et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me*, tam exterioribus quam interioribus. Ergo, meo exemplo, *accedite ad eum* animo, non loco, non eo modo quo illi accesserunt qui me crucifixerunt : sed sumendo corpus et sanguinem Christi, et imitando ejus humilitatem. *Et* hoc modo accedendo *illuminamini* a tenebris ignorantiæ,ut non sitis Achis, scientes quid sit sacrificium illud,et quid notet et propter quid sit juxta illud Apostoli : *Surge,qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V), qui est lux vera : ipse enim est nobis liber et exemplar vitæ. *Et* post ejus illuminationem *facies vestræ non* erubescent.Interiores scilicet conscientiæ jam mundatæ,vel exteriores, non *confundentur* ante verum judicem,neque hic erubescent de paupertate et ignominia. Quasi dicat : Et ut facies vestræ non confundantur, imitamini humilitatem meam, qui cum dives essem,factus sum pauper pro vobis (*II Cor.* VIII); ita et vos nolite gloriam vestram quærere, sed Dei. *Iste pauper*, id est, ego humilis, non præsumens nisi de sola Dei misericordia, *clamavit*, id est, omni intentione ad Deum se erexit,*et* non fuit confusus, quia *Dominus exaudivit eum, ex omnibus tribulationibus ejus salvabit eum.* Ergo et vos exaudiet, si humiles fueritis,si ad eum clamaveritis. Et revera potestis clamare, quia habetis me non solum exemplum, sed et auxilium, quia *angelus Domini*,scilicet Christus magni consilii angelus (*Isa.* IX), *immittet*,id est immissionem faciet, id est auxilium suum, *in circuitu timentium eum*, id est, ad defensionem illorum qui eum timent. *Et eripiet eos*, hic ab interiori confusione, et tandem exteriori. Vel *immittet* angelum Dominus *in circuitu timentium eum, et eripiet eos*, quia quisque fidelis habet angelum bonum qui eum custodit,sicut in Evangelio : *Angeli eorum semper vident faciem Patris* (*Matt.* XVIII). Ergo quia me habetis exemplum, habetis et auxilium, *gustate* Dominum, sumite corpus ejus et sanguinem : *et videte*, id est intelligite, *quoniam suavis est Dominus.* Ac si dicat : Sumite sacrificium corporis et sanguinis mei, et intelligite quid sumatis,quia in exemplum humi-

litatis et patientiæ meæ hoc sumitis, ut sicut ego gloriam meam non quæsivi,sed Domini,ita et vos : sumite cum timore et reverentia, et videbitis quoniam suavis est Dominus.Sicut ego de morte transivi ad vitam, de passione ad suavitatem et gloriam, ita, et vos comedentes me, id est, imitantes passionem et humilitatem meam in hac vita, videbitis tandem quoniam Dominus,qui modo amarus videtur propter passionum tolerantiam,suavis est in remuneratione.*Gustate* et nolite esse Achis, id est, error et ignorantia,ut dicatis : *Quomodo* iste poterit *nobis dare carnem* manducare (*Joan.* VI)? Si ignoras, gusta et vide, *quoniam suavis est Dominus.* Si autem non intelligis,rex Achis immutat faciem suam, et recedit a te. Et quia suavis est Dominus in remuneratione, *beatus vir qui sperat in eo* : quia etsi nunc videatur miser, tandem beatus erit, *cum mortale hoc* induet *immortalitatem* (*I Cor.* XV). Et quia spes sine tempore præsumptio est, *timete Dominum* timore casto, timentes eum offendere. Quasi dicat : Timendo eum non mentiar, non fraudem faciam,non ero avarus, non ambitiosus, et ideo pauper : ad hoc, *quoniam non est inopia timentibus eum :* veri boni *inopia non est timentibus eum,*quia habent eum in quo sunt omnia bona, et si pauperes videantur, non habentes hæc falsa bona, tamen intus divites sunt, et quandoque foris indigentia supplebitur.Et ideo nolite timere pauperes fieri in his falsis bonis propter eum, quia *divites* hujus sæculi,abundantes divitiis et sibi sufficere credentes,tamen *eguerunt* illo vero bono : foris divites,intus sunt pauperes.Quasi dicat : *Timentibus* Deum *non est inopia*, nam non timentibus est inopia.Vel vos,gentes,quæ pauperes estis, id est, quæ ad justitiam vobis non sufficere creditis, accedite ad eum, quia nihil vobis in eo deerit. *Divites*, id est,Judæi,qui sibi in lege et terrenis bonis sufficere putaverunt,*eguerunt* pane Verbi Dei. Unde propheta : Ecce ego *mittam* in vos *famem non panis, sed audiendi* Verbi *Dei* (*Amos.* VIII). *Et* quanquam eguerunt illo vero bono, tamen *esurierunt* naturali intentione, quia naturaliter omnes ad beatitudinem tendunt, etsi quosdam devius error abducit. *Inquirentes autem Dominum,* scilicet intus quærentes passibus animi non corporis, illum in quo est verum et summum bonum, *non minuentur omni bono,* imo augebuntur, quia nunc habent ex parte,et tandem habebunt perfecte.Nullo bono minuentur, quia habebunt illum in quo est omne bonum. Et quia non est inopia timentibus eum,*venite, filii*, passibus fidei : et si dixerim vos timere,tamen filii estis juxta illud : *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I) : *venite* bene operando ; *si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite* (*Joan.* VIII), *audite me* aure audiendi. *Timorem Domini docebo vos,* id est, qualiter debeatis Deum timere, ut nihil vobis desit in ullo bono. Et ne quisquis dicat se timere Dominum, determinat quis sit qui Dominum timeat timore casto.*Quis est homo,*scilicet qui timet Dominum ? Ille *qui vult vitam*, id est, qui in Dei studio, in Dei opere suo ad hoc tendit,ut Deo adhæreat,in quo est vera vita.Et ille *vult vitam*, qui *diligit videre dies bonos*, id est, qui non delectatur in diebus malis,sed omni intentione ad illam vitam tendit,in qua nulla erit adversitas. Aliter : *Quis est homo qui vult vitam*,et *diligit videre dies bonos ?* Quisque dicit, ego : ergo fac ea quæ sequuntur. *Prohibe linguam tuam a malo*, ut eundo per circuitum accuses Creatorem,cum te accusando,possis de compendio eum placare.*Prohibe linguam tuam a malo*, quia perfectus est qui non peccat in lingua, *a malo*, id est a detractione : *et labia tua ne loquantur dolum :* labia cordis non circumveniant fratrem dolose.*Mors et vita in* manibus *linguæ* (*Prov.* XVIII). Et alibi : Cultus justitiæ, silentium et pax (*Isa.* XXXII). Declina *a malo :* non sufficit, quia non est satis non spoliare pauperem, nisi eum vestias.Dives ille qui in inferno cruciabatur, non legitur quod de rapina vixerit, sed quod sua cum Lazaro non divisit (*Luc.* XVI). Ideo sequitur : *Et fac bonum,* omne quod potes. Nihil prodest si destruis et non ædificas ; si destruis vitia, et non ædificas virtutes : nam habeo Dominum adjutorem. Et faciendo bonum,noli quærere hic mercedem, sed *inquire pacem*, id est, remunerationem : ne tibi dicatur : Recepisti mercedem. *Et persequere eam*, id est, ne desistas.Et potes eam inquirere, quia *oculi Domini*, id est, respectus misericordiæ Domini,*super justos*, id est,super eos qui voluntatem Domini Dei sui suæ voluntati præponunt. *Et aures ejus in preces eorum*, quia nihil desiderant nisi quod desiderandum est, id est, exauditio ejus et dispositio misericordiæ in preces eorum. Etsi enim non videantur exaudiri interdum cum clamant, in tribulationibus tamen exaudiuntur, quia tribulatio patientiam operatur (*Rom.* V) *:* quidquid sibi utile rogant justi, præsto est ad tribuendum gratia Dei.Et ne quis pravus hoc audito diceret : Secure peccabo, quia Deus justos tantum videt,non me ; addit : *Vultus autem Domini super facientes mala,* non ad salvandum, sed *ut perdat de terra* scilicet viventium *memoriam eorum*, id est, famam et gloriam, quam sibi paraverunt in terra morientium.Non ideo perdet quod ibi sit ; sed quia ipsi putant se habituros sicut hic. Dictum est, *Et aures ejus in preces eorum* : et merito, quia *clamaverunt justi*, scilicet ad Dominum, id est, liberam et validam intentionem oris et operis ad eum direxerunt, id est, idoneos et dignos ejus exauditione fecerunt irremisse agendo.*Et* ideo *Dominus exaudivit eos :* quod mihi patet, quia *ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.* Hic liberavit, quia magis profuerunt tribulationes quam obessent,et tandem penitus liberabit.Et non mirum si eos liberat,quia juxta est.Clamaverunt tres pueri et liberati sunt manifeste (*Dan.* III) : clamaverunt Machabæi, similiter justi, et non sunt liberati, et tamen utrique vera salvatione sunt liberati (*II Mach.* VII). *Juxta est Dominus,* id est, auxilium Domini præsto est non omnibus qui tribulantur,sed illis *qui*

tribulato sunt corde, id est, qui in tribulationibus cor suum, id est, superbiam cordis conterunt et humiliant; quod et subjungit, *et humiles spiritu*, non contra Dominum murmurantes de injustitia, sed ejus paternam disciplinam ut boni filii humiliter suscipientes, salvabit nunc interim interiori salvatione, et tandem etiam exteriori. Aliis tribulatis non est prope, sed longe juxta illud : *Ego sum Deus de prope, et Deus de longe* (*Jer.* XXIII). Quasi dicat : Ego dixi, *ex omnibus tribulationibus liberabit* justos. Nam *multæ* sunt *tribulationes justorum. Omnes enim qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III), *de omnibus his liberabit eos*, tandem in præmio. Interim autem *custodit Dominus omnia ossa eorum*, id est, omnes virtutes quæ sunt robur animæ. Dando patientiam, custodiet ut in nulla virtute et nullo bono proposito deficiant. *Unum ex his*, scilicet ossibus, *non conteretur*, et si conteratur os corporis, etsi frangatur, *et* diminuatur, ossa animæ non solum non frangentur, imo robustiora fient : carnis enim domatione spiritus roboratur Justorum *ossa custodit Dominus*, injustorum autem confringet. Et ideo *mors peccatorum pessima*, quia in eo quod optimum habent, moriuntur, id est, in anima. Mors enim animæ, est separari a Deo suo, sine quo vivere nequit : etsi moriantur in deliciis, pessima est quia non moriuntur laboribus. Sed quia nullus est sine peccato, ne hoc fideles deterreret, subjungit : *Et qui oderunt justum delinquent*. Quasi dicat : Et illi soli delinquent in vitam, et incurrent hanc mortem, *qui oderunt* me *justum*, salvatorem et reconciliatorem eorum, qui sacramentum corporis et sanguinis mei odio habent, contemnentes me, Achis similes. Quia multa sunt genera peccatorum, et non esse peccatorem in hac vita difficile est, cujus peccatoris mors sit pessima, determinat. Hic est enim modus humanæ justitiæ, ut vita mortalis quantumlibet proficiat, quia sine delicto esse non potest, in hoc non delinquat, dum sperat in eum in quo est remissio peccatorum. *Redimet Dominus*, scilicet ab illa pessima morte, per quam a temporali miseria transitur in æternam, *animas servorum suorum ; et* hoc ideo, quia *non delinquent*, scilicet gravissimo delicto, non credendo in eum in quo est remissio peccatorum : *omnes qui sperant in eo*.

PSALMUS XXXIV.

IN FINEM PSALMUS IPSI DAVID.

« Judica, Domine, nocentes me, expugna impu-
« gnantes me. Apprehende arma et scutum, et ex-
« surge in adjutorium mihi. Effunde frameam, et
« conclude adversus eos qui persequuntur me : dic
« animæ mea : Salus tua ego sum. Confundantur et
« revereantur quærentes animam meam. Avertantur
« retrorsum et confundantur cogitantes mihi mala.
« Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, et ange-
« lus Domini coarctans eos. Fiant viæ illorum tene-
« bræ et lubricum, et angelus Domini persequens
« eos. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum
A « laquei sui, supervacue exprobraverunt animam
« meam. Veniat illi laqueus quem ignorat, et ca-
« ptio quam abscondit apprehendat eum, et in la-
« queum cadat in ipsum. Anima autem mea exsul-
« tavit in Domino, et delectabitur super salutari
« suo. Omnia ossa mea dicent : Domine, quis simi-
« lis tibi ? Eripiens inopem de manu fortiorum ejus,
« egenum et pauperem a diripientibus eum. Sur-
« gentes testes iniqui, quæ ignorabam interroga-
« bant me. Retribuerunt mihi mala pro bonis, steri-
« litatem animæ meæ. Ego autem cum mihi molesti
« essent, induebar cilicio. Humiliabam in jejunio
« animam meam, et oratio mea in sinu meo con-
« vertetur. Quasi proximum, et quasi fratrem no-
« strum sic complacebam, quasi lugens et contri-
B « status sic humiliabar. Et adversum me lætati sunt,
« et convenerunt : congregata sunt super me fla-
« gella, et ignoravi. Dissipati sunt, nec compuncti
« tentaverunt me : subsannaverunt me subsanna-
« tione, frenduerunt super me dentibus suis. Do-
« mine, quando respicies, restitue animam meam a
« malignitate eorum, a leonibus unicam meam.
« Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gra-
« vi laudabo te. Non supergaudeant mihi qui adver-
« santur mihi inique, qui oderunt me gratis et an-
« nunt oculis. Quoniam mihi quidem pacifice lo-
« quebantur, et in iracundia terræ loquentes, dolos
« cogitabant. Et dilataverunt super me os suum :
« dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri. Vi-
« disti, Domine, ne sileas : Domine, ne discedas a
« me. Exsurge et intende judicio meo, Deus meus,
C « et Dominus meus in causam meam. Judica me
« secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et
« non supergaudeant mihi. Non dicant in cordibus
« suis, Euge, euge animæ nostræ ; nec dicant : De-
« voravimus eum. Erubescant et revereantur simul,
« qui gratulantur malis meis. Induantur confusione
« et reverentia, qui maligna loquuntur super me.
« Exsultent et lætentur, qui volunt justitiam meam:
« et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui vo-
« lunt pacem servi ejus. Et lingua mea meditabitur
« justitiam tuam, tota die laudem tuam. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo vox est capitis nostri suo exemplo docentis in tribulationibus orandum, ut liberemur ab inimicis interioribus et exterioribus. David inter-
D pretatur *manu fortis*, quia nostram mortem sua morte devicit : *visu desiderabilis*, quia vitam æternam promisit. Quid autem fortius ea manu, quæ tetigit loculum : et resedit mortuus ? (*Luc.* VII.) Quid fortius ea manu, quæ mundum devicit, diabolum ejecit non armata ferro, sed clavis affixa ligno ? Quid desiderabilius visu eo, quem ut videre possent sancti martyres, qui eum non viderunt, per omnia tormentorum genera ad eum venire non dubitarunt? Totus Christus hic loquitur et hic orat, prius in se passus, et nunc quotidie patiens in membris suis.

Judica, Domine, nocentes me. O Domine Pater! vel, Domine Verbum, age quod agis, exerce potentiam

tuam. *Judica* illos qui judiciaria potestate tuum judicium subvertere conantur; da eos in cæcitatem mentis: nisi enim pravis meritis eorum exigentibus intus excæcati essent, nequaquam in auctorem salutis eorum sententias mortis darent, Judæi in Christum, et alii increduli in prædicatores hujus salutis.

Vel *judica* inter me Christum et Judæos persequentes, id est, discerne et inter Ecclesiam et suos persecutores, ut his fiat ad damnationem eorum persecutio, qua me et meos persequuntur, mihi et meis ad gloriam. Et hoc modo judica. *Expugna impugnantes me.* Ipsi judicant me et meos manifesto judicio, sed tu judica eos occulto. *Expugna*, id est, supera intus *impugnantes* me foris, Judæos me impugnantes et membra mea. Vel diabolum et angelos ejus expugna, ut meis non prævaleant. Et ut expugnes, *apprehende arma et scutum*, id est, animam meam et meorum potentia divinitatis tuæ sustineat: quæ animæ sunt arma, quia per illas militas et vulneras inimicos, quia scutum sunt, quia et se protegunt et alios : et hæc tamen arma aliis armis numerantur, juxta illud Apostoli : *In omnibus sumentes scutum fidei et galeam salutis et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Eph.* VI). Aliud est in divinis armis, aliud in humanis. In divinis unum in diversis accipitur, ut fides pro scuto et galea. In humanis, minime. Tu *apprehende*, quia arma quamtumlibet sunt apta ad pugnam, per se nihil faciunt, nisi forti manu gestentur. Magnum etiam fidelibus præbet propheta spectaculum, cum inducit Deum armatum pro suis stare. Et sic armatus, *exsurge in adjutorium mihi*, me sublimando, adversarios deprimendo. Deus immutabilis est : sed tunc dicitur jacere, cum nos permittit deficere. Tunc vero dicitur exsurgere cum nos armis virtutum ad pugnam parat, et fortes ad resistendum facit. Hoc modo exsurge in adjutorium mihi. *Effunde frameam*, id est, multiplica gladium tuum, fideles tuos, per quos vigiles inimicos meos. Vel *frameam* tuam, id est me Christum tuum, qui sum framea, id est, gladius tuus. *Non enim veni mittere pacem in terram, sed gladium* (*Matth.* X: *Luc.* XI). *Effunde*, id est, in gentium notitiam educ, ut ad imitationem meæ, multæ frameæ fiant. *Et* hoc modo *conclude*, id est, muni me et meos ; quanto enim mei frameati plures erunt, tanto magis munitus ero. Vel, *conclude*, scilicet ora inimicorum : et fac fideles per confirmationem mei ita circumspectos, ut non habeant adversarii quid contradicere : imo habeant per innocentiam et bonos mores revereri, *adversus eos qui me persequuntur. Dic animæ meæ*, id est, fac intelligere animam meam et meorum, a te solo esse salutem. Illi dicunt humano cordi Deum non esse adjutorem, ut aliena auxilia petens ab eis opprimar ; sed tu dic animæ meæ : *Salus tua ego sum. Dic animæ meæ*, id est, dicere nunquam desiste : et ita dic ut audiam : non est dici nisi audienti, tunc dices, si audiam. Adæ illud dicere non dedisti, quando illicito delectatus, assensum præbuit (*Gen.* III) : *Salus tua ego sum*, et ideo nullum damnum sibi putet anima mea, obedire tibi usque ad mortem.

Et effusa framea, id est, clarificata resurrectione et ascensione mea, mihique divulgata, *confundantur et revereantur* illi, qui prius quærebant perdere *animam*, id est, vitam *meam* et meorum : *confundantur*, attendentes peccata sua : erubescant *et revereantur*, scilicet judicium meum pro illis peccatis. Et reverendo judicium meum, *avertantur retrorsum*, ut imitatores fiant, qui prius præcedere volebant, et suum errorem defendebant. *Et* sic *confundantur ;* scilicet bona confusione, *cogitantes mihi mala*, non solum facientes mihi et meis. Si autem retrorsum converti noluerint, *fiant tanquam pulvis ante faciem venti*, id est, pereant confusione æterna. Hic duo genera carnalium persecutorum notat. Unum, eorum qui sic expugnantur, ut de numero persequentium devota pietate transeant in numero fidelium. Alterum, eorum qui sic expugnantur, non ut Christo concorporentur, sed ut scilicet ab eo separati, cum impiis damnentur. Vel hoc modo in malum. Dixit superius ; *Dic animæ meæ : Salus tua ego sum :* et dicta illa salute meis, *confundantur*, id est excæcentur interius : *et revereantur*, id est, timeant resurrectionem. *Qærentes animam meam* ad damnationem, *avertantur retrorsum*, id est, cadant retro, quia ille casus est gravior. Ille cadit retro, qui peccat, et sua peccata non considerat : ille in faciem, qui sua peccata proponit ante se. Quasi dicat : In mea clarificatione meis sic contingat : *justus justificetur adhuc :* alienus, *qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Qui nolunt averti, *fiant tanquam pulvis ante faciem venti.* Sicut pulvis non potest stare contra ventum ; ita isti sine soliditate fidei non valeant resistere vento tentationis, *et angelus Domini*, malignus spiritus, Domini per naturam, vel quia nihil potest nisi permissus a Domino ; sit *coarctans eos*, id est, undique per varias tentationes eos ad præcipitium impellens. *Fiant viæ illorum tenebræ et lubricum, et angelus Domini persequens eos ;* id est, in hac via similes sint iter facienti per tenebras et lubricum, cui ad lapsum et impulsor accedit : sint in tenebris positi, id est ignorantia et cæcitate mentis, et in lubrico, id est, luxuria. Luxuriosam vitam ducant, quæ est ad causam prona; et tamen non desit illis persecutor diabolus. Hæc non optando dicit, sed prophetando. Hieronymus : Non cognoscant lumen veritatis, nec firma statione consistant, sed gressus eorum qui in hac passione grassantur, lubrici fiant, et angelo claritatis Dominicæ affligantur. Quasi dicat : Et hoc illis eveniat non ex divina injustitia, sed eorum merito ; *quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui :* qui meus interitus foris, intus fuit eis laqueus ; in hoc enim laqueati sunt, quo me laquere putaverunt. Laqueus eorum contritus est, id est, temporalis interitus, quia ego resurrexi ; sed illi in mortem æternam ceciderunt, de qua non resurgent : laquei sui quia non me, sed seipsos illaqueaverunt in vindictam : *supervacue exprobraverunt animam meam*, id est, multa probra vitæ meæ imposuerunt. *Vah ! qui*

destruis templum Dei (*Matth.* XXVII); *Non est hic homo a* A *Deo* (*Joan.* IX); sed *supervacue*, id est, mendaciter et sine veritate, nihil enim potuerunt probare. Vel *interitum laquei sui absconderunt*, causas causis innectentes: *sui*, scilicet non ex vero, sed ex mendacio, Vere sui laquei interitum paraverunt, et non mei, quia veniet illi, scilicet populo Judæorum, *laqueus quem ignorat*, scilicet captio Titi et Vespasiani: vel persecutoribus Ecclesiæ veniet laqueus quem ignorant, in eo quod eam injuste persequuntur; quia funiculis peccatorum suorum intus ligantur, unde ad damnationem trahantur: *et captio quam abscondit*, populus Judaicus, id est, mortem quam mihi paravit absconse ad illaqueationem et interitum totius mundi, *apprehendat eum*, vel peccatorem. *Cadat* in ipso, scilicet laqueo mortis: quem mihi paraverunt vel in B ipso, ut semper in ipso sint, illis illaqueatis. *Anima autem*, id est, mei Christi, id est vita *mea*, erepta de laqueo mortis, *exultabit in Domino*, non in mundo, ut illi laqueati. *Et delectabitur super salutari suo*, id est, de salvatione sua desuper data, non in terrenis, ut illi qui illaqueati sunt funibus peccatorum. Et non solum anima mea Christi, sed *omnia ossa mea*, id est, fortes mei, imitantes constantiam meam, *dicent: Domine, quis similis tibi?* Dicetur illis, Adora solem, adora lunam, adora statuam Jovis; sed illi cognoscentes hæc omnia esse opera tua, dicent: Domine, quis in creaturis similis tui? Nullus, quia tu, et non alius, es rapiens *inopem*, id est, fidelem humilem, in nullius ope confidentem, nisi in tua, *de manu* id est potestate, *fortiorum ejus*. Quantum ad corpus C Christum jam eripuisti: et quotidie eripis ejus membra interius, non permittens ullis tentationibus apostatare, scilicet *eripiens egenum*, id est, illum qui se sibi non sufficere credens credit se egere misericordia Dei. *Et pauperem*, id est, illum qui sibi non sufficiens ad salutem, diviti Deo adhæret: *a diripientibus eum*, Christum a Judæis et Ecclesiam a suis peccatoribus. Qui diripientes sunt multi. Nam *surgentes*, id est, contra me se erigentes, *testes iniqui*, Judæi et alii increduli, dantes testimonium falsitatis et testimonium mortis in auctorem vitæ: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (*Joan.* XVIII). Et revera *iniqui testes*, quia *quæ ignorabam, interrogabant me*, id est, peccata quæ ego per experientiam nesciebam, interrogando mihi imponebant. Et in illa interrogatione, *retribuebant mihi mala pro bonis*: D quod iniquissimum est. Qui non reddit bonum pro bono, ingratus est; qui autem malum pro malo, malus est: qui vero malum pro bono, iniquus est; id est, retribuebant mortem, quæ mala erat quantum ad eorum intentionem, pro vita: hæc mala, scilicet *sterilitatem animæ meæ*, id est vitæ meæ. Ego illis abundantiam, ipsi mihi sterilitatem; ego medicinam, ipsi vulnera; ego salutem, ipsi mortem; ego illis imbrem verbi Dei, ipsi non recipientes, fecerunt se infructuosos, similes illi arbori cui maledixit Dominus: quæ culta, non reddebat fructus, sed folia (*Marc.* XI): scilicet reddentes verba non facta; in verbis numerositatem, in factis sterilitatem. Aliter: *Sterilitatem animæ meæ*, dum regnari se non patiebantur ad vitam, *sterilitatem* reddebant *animæ meæ*, id est, desiderio meo. *Ego autem* quasi feci unde illi deficerent, et mei proficerent: quia delictum eorum salus gentibus scilicet, *cum mihi molesti essent*, id est, cum me propter habitum miseri molestarent, *induebar cilicio*, id est, latui infra metas humanitatis, non ostendens illis divinitatem meam per miracula: in nullo enim in passione ostendere noluit potentiam suam: *Si enim cognovissent, non* eum *crucifixissent* (*I Cor.* II), et in hoc nobis exemplum humanitatis et patientiæ præbuit. *Induebar cilicio*, id est, latebam in similitudine carnis peccati. Et tamen quanquam mihi sterilitatem afferrent, quanquam mihi cibum subtraherent, non irascebar, ut alii domini solent, subtracto cibo. Sed *in* illo *jejunio humiliabam animam meam*, id est, humilem me illis ostendebam. *Ego dæmonium non habeo* (*Joan.* VIII). *Tu es Christus Filius Dei vivi? Tu dicis* (*Matth.* XVI). *Et* quanquam in illis esset sterilitas, tamen *oratio mea in sinu meo convertetur*. Ad illos convertetur, qui præfigurati sunt per manum mundatam a lepra in sinum reductam. Manus enim Moysi educta de sinu leprosa (*Exod.* IV), significat rescisos a corpore Christi propter lepram, id est, criminalia peccata. Manus sanata in sinum reducta significat per pœnitentiam mundatos, et revocatos in Ecclesiam: *in sinu meo convertetur*, id est, a filiis iræ convertetur in filios misericordiæ, ut illos convertat, et in illis non sit infructuosa, qui in sinu misericordiæ Dei ad vitam prædestinati sunt: quidam enim in passione conversi sunt. Aliter quasi dicat: Ipsi mihi *sterilitatem* suam dabant, id est, se steriles et infructuosos, *ego autem cum mihi molesti essent*, id est, despicerent propter habitum pauperis, *induebar cilicio*, id est. quosdam ex illis peccatoribus feci indumentum meum et conformavi eos mihi. Et tamen *humiliabam*, id est, extenuabam et macerabam animam meam *jejunio*, quia non tot manducabam quot volebam. Solum enim latronem comedi et alios paucos (*Luc.* XXIII). Quanquam possent cognoscere in me unde meus cibus fierent, quia oratio mea non exibit foras ad alios: sed convertetur intus in sinum meum ad Verbum mihi personaliter unitum. Non enim orabam foris ad alios, ut cæteri hominum. Vel quanquam *humiliabar*, quanquam non irascebar, tamen *oratio mea in sinu meo convertetur*, id est, habebam Deum, in me ipso, per quem possem vindicare in eos. Sed ideo *humiliabam*, quia *complacebam*, scilicet mihi in admonitione illorum, sic *quasi* aliquis gaudet in admonendo *fratrem* vel *proximum*. Et tamen sic *humiliabar* ab eis *quasi lugens et contristatus*, id est, ut possem comparari lugenti et contristato: ideo *quasi lugens et contristatus*, quia illi quos salvare cupiebam, *et convenerunt*, id est, unanimes in hoc facti sunt, non ut post me irent, sed *adversum me, et* quod deterius est, non coacti, non cum timore aliquo, sed *lætati sunt*, id est, lætanter fecerunt. Et ipsis sic

convenientibus, *congregata sunt super me flagella, et* hoc sine mea culpa, quia *ignoravi* non pœnam sed causam pœnæ quia nulla erat mea culpa *Dissipati sunt*, id est, dissentientes, a se inventi sunt. Alii *dicebant, quia bonus est : alii autem non* (*Joan.* VII) : nec tamen a persecutione mea destiterunt : vel hoc modo *dissipati*, id est divisi. Aut duo Christi sunt, aut hic est. Vel timidi facti sunt pro miraculis pro obscuritate solis, pro terræ motu, *nec* tamen sunt *compuncti*. *Tentaverunt me* potius. *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce* (*Luc.* XXIII). *Subsannaverunt me subsannatione*, scilicet aperta irrisione : *Ave, rex Judæorum* (*Matth.* XXVII). *Frenduerunt super me dentibus suis, Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX). *Domine, quando respicies?* Ex persona suorum hoc dicit, quibus longum videtur differri vindictam usque in communem resurrectionem. Cur non modo vindicas? Cur nos modo non coronas? Qui videris despexisse in pœna, cur non respicis in judicio? Quasi dicat : Scio cur differs : non facis hoc tædio, sed amore, non ex inopia, sed ex ratione. Tu enim potens es dare, sed ego impotens accipere. Non ex impotentia hoc facis, sed ex opportunitate, ut in communi resurrectione majus sit gaudium. *Restitue animam meam*, animam Christi tui, *a malignitate eorum*, in tempore prædestinato, a morte quam mihi paraverunt maligni, *et unicam meam*, id est Ecclesiam meam, unice dilectam. Vel animam meam, quia unica vel sola a peccato immunis : libera *a leonibus*, id est, a ferocitate Judæorum. *Restitue a leonibus*, id est, libera ab his, qui ut leones lacerant carnem ejus. Vel *a leonibus*, id est, a crudelitate diaboli et ministrorum ejus. Et quo fructu peto me erui? Hoc : *confitebor tibi in Ecclesia magna*, id est ampla : continenti bonos et malos, grana et paleas : *in populo gravi laudabo te*, non in palea, id est, non in illis quos ventus tentationum sublevat et dissipat, sed illis qui fide et opere firmi et stabiles nullis tentationibus moventur, in his ostendam te laudabilem. Et ut possim te laudare in populo gravi, *non supergaudeant mihi*, qui gavisi sunt in morte non supergaudeant non resurgenti Judæi, *qui adversantur mihi inique:* quia infirmi medico, servi Domino, creatura Creatori. Ostendit quomodo inique. *Qui oderunt me gratis*, id est sine causa, *et annuunt oculis*, id est, dolose mecum agunt, pacem verbis prætendentes, opere autem bellum. Vel *annuunt oculis*, ut Judas: *Ipse est, tenete eum* (*Matth.* XXVI). Aliter pro membris : O Domine, ut te laudem meis, *non supergaudeant mihi*, id est meis, *qui adversantur mihi inique*. Non supervaleant palæ granis, scilicet ut plures imitentur vitam impiorum, quam fidem et vitam sanctorum, qui gravitatem morum et sanctitatem vitæ habent. Quasi dicat : Et non mirum si cum meis dolose agunt, *quoniam mihi quidem*, qui immunis sum a peccato, qui ut medicus ad ægrotum veni, *pacifice loquebantur*, id est dolose. *Magister, scimus quia verax es* (*Matth.* XXII). Et loquentes, scilicet pacifica, *in iracundia terræ*, id est, in prava ira et injusta quæ erat pro terrenis, quia timebant amittere locum et gentem (*Joan.* XI). *Dolos cogitabant*, id est, mortis causas callide exquirebant : et tandem, *dilataverant super me os suum*, id est, mortis sententias in me dederunt. *Reus est mortis* (*Matth.* XXVI). Et gavisi sunt de morte mea; quia *dixerunt : Euge, euge!* bene evenit : *viderunt oculi nostri*, quod prius speravimus, ut qui promittebat vitam, moreretur. Ubi nunc facta tua? ubi mirabilia? *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII). *Vidisti, Domine*. Quasi dicat : Ipsi viderunt passionem meam, viderunt mortem meam qui possunt decipi : sed tu, *Domine*, quia non potes falli, *vidisti* pœnam, *vidisti* et *causam :* et ideo *ne sileas*, scilicet a judicio, qui visus es silere scilicet in pœna mea : *ne sileas* in causa mea, ostende *causam* meam esse meliorem causa Judæorum, me resuscitando. Si non descendi de cruce, resurgam de sepulcro. Et, me resuscitato, *ne discedas a me*, id est a meis, dando illis constantiam per fidem, spem, et charitatem, qui dixisti : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* (*Matt.* XXVIII). *Exsurge*, Domine, id est, ostende potentiam tuam in resurrectione mea : qui visus es jacere in morte mea. Et ita exsurge : *intende judicio meo*, id est, irremissum te fac in discernendo causam meam a causa illorum, cum quibus pœna est par. Et hoc est quod sequitur, *Deus meus* necessitate, *et Dominus* voluntate. Intende *in causam meam*. Non discernor ab impiis quantum ad pœnam : discernor autem a te quantum ad causam : ostende in resurrectione mea causam meam disparem fuisse a causa latronum, cum quibus pœna par fuit. *Judica me secundum justitiam tuam*, hoc modo discerne me ab impiis. Judæi judicaverunt me secundum justitiam suam, sed tu judica secundum justitiam tuam : non enim merito peccati mortem subii, sed causa obedientiæ ; et ideo justum est ut me resuscites, o Domine ! cui voluntarie servio. *Deus meus*, creatione. Ideo *judica secundum justitiam tuam, ut non supergaudeant mihi*. Si gaudent de mea morte, tristentur de resurrectione. Vel non supergaudeant meis, devocando eos qui gaudent de eorum interitu, scilicet *non dicant in cordibus suis*, id est, in cogitationibus, etsi dicunt in labiis, *Euge, euge! animæ nostræ* ; bene contigit voluntati nostræ : ideo bene quia *devoravimus eum*, deglutivimus et transjecimus in corpus nostrum, devocando a Deo suo, et nobis confirmando. Imo diminuantur ipsi, ut absorbeantur in corpus populi sancti, quem in suum absorbere volebant : quod præfiguravit vitulus ille conflatilis quem Aaron fecit de inauribus mulierum Hebræarum, dum Moyses esset in monte Sinai, accipiens duas tabulas Testamenti a Domino : cui sacrificaverunt filii Israel, dicentes : *Isti sunt dii tui, Israel* (*Exod.* XXXII) ; quem vitulum Moyses, descendens de monte, accepta lege, diminuit et redegit in pulverem, et dedit populo bibere. Hoc modo transeant in corpus tui populi. *Erubescant*, scilicet de peccato suo, *et revereantur*, id est, timeant de resurrectione mea, et sic convertantur. Non solum qui faciunt, sed etiam similiter illi *qui*

gratulantur malis meis, id est, consentientes ut totus mundus post eum abeat. Et non solum erubescant, sed *induantur confusione*, id est, magna erubescentia peccatorum suorum operientur *: et reverentia*, id est, timore judicii, *qui maligna loquuntur super me*, id est, mendacia sua, et hi omnes facti mei, *exultent* scilicet in corpore spe resurrectionis, *et lætentur* nunc in mente resuscitati interius illi. *qui volunt justitiam meam*, id est, qui suam justitiam deseruerunt, et misericordiæ Dei subjiciuntur. *Et dicant semper : Magnificetur Dominus*, id est, humitient se nihil sibi attribuant nisi malum : illis solis magnus videtur Dominus qui se humiliant, et se parvos recognoscunt. *Semper*, id est, et in prosperis, et in adversis. Illi omnes se humiliando magnificentiam Dei in se recognoscunt, *qui volunt pacem servi ejus*, id est, qui gratanter accipiunt reconciliationem datam per me Christum servum ejus, qui dixit : *Pacem meam do vobis*, exteriorem scilicet in spe, *pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV), scilicet interiorem ad bellum exterius. Vel *semper magnificetur Dominus*, et non servus. Servus humilietur, et Dominus magnificetur : *et* tunc fatui *lingua*, qui primus maligna loquebatur super me, lingua non oris, sed cordis, *meditabitur justitiam tuam*, id est, divulgabit per mundum fidem tuam qua sola credentes justificantur, et hoc non *tota die*, id est, omni tempore *laudem tuam*. Videtur hoc impossibile, ut quis incessanter laudet Dominum, sed recte attendentibus possibile est. Exercet quis aliquod negotium ? Non circumveniat in eo aliquem, in hoc laudat Deum. Colit agrum ? Non transgrediatur terminum vicini sui : et in hoc laus Dei. Utitur cibo ? non ut ventrem distendat, sed ut ad laborem sit promptior, se reficiat, et in hoc laudat. Dormit ? Non rumpat somnum aliquo malo opere Et in omni innocentia operum se præparet ad laudem Dei, ei sic nunquam cessat a laude.

PSALMUS XXXV.

IN FINEM SERVO DOMINI PSALMUS DAVID.

« Dixit injustus ut delinquat in semetipso, non « est timor Domini ante oculos ejus. Quoniam dolose « egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas « ejus ad odium. Verba oris ejus iniquitas et dolus « noluit intelligere ut bene ageret. Iniquitatem me- « ditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non « bonæ, malitiam autem non odivit. Domine, « in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad « nubes. Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua « abyssus multa. Homines et jumenta salvabis, Do- « mine, quemadmodum multiplicasti misericordiam « tuam, Deus. Filii autem hominum in tegmine ala- « rum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab uber- « tate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis « eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine « videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam « scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt « corde. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus « peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt qui « operantur iniquitatem ; expulsi sunt, nec potue- « runt stare. »

ENNARRATIO.

Hic psalmus agit contra illos qui sibi adversantur ne bene vivant, non quia non intelligunt sed quia nolunt. Aliud enim est velle intelligere, et impediri humana fragilitate, quia *corpus corruptibile aggravat animum, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX), et aliud quod cor humanum periculosius contra se agit nolens intelligere divina mandata ut quasi ignorantia se excuset. Et sunt hæc hujusmodi : *Quod tibi non vis, aliis ne feceris* (*Tob.* IV *Matth.* V), et alia multa quæ facile intelliguntur. Hi sunt qui nolunt consentire adversario suo dum sunt in via cum eo, id est, nolunt acquiescere sermoni Domini, qui eis contradicit quandiu in peccatis delectantur. Isti sunt qui amant peccata sua, et nolunt ea cognoscere ut deserant ; et si cognoscant, vel per se, vel per alios, defendunt. Et timentes judicium hominum occulte peccant, quia magis timent judicium hominum quam judicium Dei. Contra hujusmodi agit propheta in hoc psalmo, cupiens eos ad meliora deducere.

Inde sic habet titulus : psalmus iste attribuitur David prophetæ, vel cuique perfecto in corpore Christi servo Domini ; qui enim ad hoc laborat, ut convertat impium *ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* V) ; et in hoc bene servit Deo, servo Dominico, scilicet dirigenti *in finem*, id est, consummatum bonum.

Injustus, ille scilicet qui in peccatis suis delectatur cum deberet odio habere, *dixit*, id est, proposuit, non ignoravit, quasi ex industria secum disposuit, *ut delinquat*, id est, ut peccet, ut a mandato recedat et ut homo non videat cujus judicium magis timet quam Dei : *ut in semetipso delinquat*, id est, in absconso ubi ipse solus conscius sit, noluit participem habere ut celaretur vel sibi ipsi nocuit prius. Nonne Deus videt ? *Non timor Dei ante oculos ejus*, non habet Dei judicium præ oculis cordis. Quod autem Deum non timeat, per hoc ostendit, *quoniam dolose egit in conspectu ejus*, imo ubi solus Deus conspicit : hoc modo dolo egit, maluit ignorare præcepta Dei et male agere, quam intelligere et bene, et hoc est dolose agere quia hoc modo per ignorantiam vult defendere delictum suum Vel hoc modo dolose egit, *ut*, id est, quasi, *inveniatur* [illegible] simulavit quærere peccatum ut cessaret, ut odio haberet cognitum : sed quia dolose, inventum non odit ut sanetur, sed defendit Dicit enim, Multi hoc faciunt quod feci, aut omnes nunquid omnes perdet Deus ? Aut si nollet hæc [illegible] qui hæc agunt ? Et quia non ad odium quæ sunt sed dolose, cognita iniquitate quid [illegible] scilicet defendit, non damnavit peccatum postquam cogno-

vit, postquam intellexit quam magnum fuit. Emphatice dictum iniquitas,id est augmentative;adeo enim prava sunt verba peccatum defendentia, ut non solum iniqua,sed ipsa iniquitas possint dici.*Et dolus.* Hoc modo dolus, *Noluit intelligere ut bene ageret.* Intellexit quid esset bonum, sed *noluit* sic *intelligere ut bene ageret.*Intellexit malum,et tamen fecit. Intellexit bonum, et noluit facere. Et non mirum si in verbis iniquitas,quia *iniquitatem meditatus est in cubili suo*, id est in corde vel in conscientia ; ubi sibi requiem parare debuit, ibi inquietudinem paravit. Si quis foris persecutionem patitur, in domum fugit, ut ibi inveniat requiem ; si autem ibi invenit rixantem uxorem et litigiosam, nusquam est ei requies , ita si qui foris tribulatur,puram habeat conscientiam : ibi sapientia inhabitet, foris si vitiorum rixa ; et sic consolabitur et requiem sibi inveniet. Foris erunt pugnæ, intus gaudium. Intra, inquit, in cubile (*Matth.* VI), id est, in cor tuum ; ibi ne tumultum rerum ex depravata conscientia patiaris,claude ostium, id est, nihil exterius amittas aut petas.

Aliter : iniquitatem meditatus est in cubili suo id est interrupit suam quietem causa malitiæ, sicut aliquis causa honesti negotii. *Astitit omni viæ non bonæ*, id est, consensit malæ operationi alterius, et hoc totum non ex impotentia vel ignorantia sed quia *noluit intelligere ut bene ageret.* Aliena peccata imitatus est et amavit. *Malitiam autem*, id est propria peccata *non odivit*, id est, non fecit quod faciendum esset ut si non posset non peccare propter peccatum quod in carne est, vel odio haberet. Alii enim pugnant contra diabolum, et vincunt;alii pugnant et vincuntur, quia de se præsumunt ; alii nec pugnant, nec vincuntur, sed traduntur captivi : hi sunt qui malitiam non odio habent. Ordo : verba sunt iniqua,quia cogitatio prava ; et quia cogitatio prava, ideo et mala opera: *Domine; in cælo misericordia tua.*Quasi dicat Tales non salvabuntur, quia, o Domine, misericordia tua, in qua sola est salus, est *in cælo*, id est,in solis illis quos tu facis cœlos,quos multis virtutibus sublimas et ornas. *Et veritas tua*, id est, veritas mandatorum tuorum, est scilicet potens *usque ad nubes* constituendas quia veritas mandatorum tuorum non solum illuminat, sed etiam ad hanc perfectionem provehit quosdam, ut fiant nubes,id est, doctores aliorum, pluentes doctrinis, tonantes minis, coruscantes miraculis.*Justitia tua sicut montes Dei*, propter eminentiam virtutum ; vel *sicut montes Dei*,quia quemadmodum sol oriens illustrat montes prius, deinde refulget in valles,ita Christus verus sol, prius illustravit apostolos, deinde per illos nos quasi valles, scilicet eorum auditores.

Sic e contrario *judicia tua abyosus multa*, id est, damnati in profundo vitiorum sunt velut abyssus multa. Aliter : *Judicia tua abyssus multa*, quasi dicat:quod quosdam ex misericordia tua sic sublimas ut cœli possint dicit et nubes et montes, quosdam

A autem permittis non intelligere ut bene agant,ut illud : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malac.* I; *Rom.* IX) : in hoc sunt *judicia tua abyssus multa,* id est, inscrutabilia, quare hunc eligis, illum autem reprobas. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !*(*Rom.*XI.) Potest et sic continuari: *Injustus* statuit *in semetipso ut delinquat*, id est,injustus per se peccat.*In* unoquoque autem *cœlo* apparet *misericordia* Dei,hoc est,justi operantur per misericordiam Dei. *Et veritas tua* id est ,impletio misericordiæ tuæ est valens *usque ad nubes* constituendas. Potest et hæc intentio dari psalmo.Propheta,vel quilibet perfectus agit in hoc psalmo contra illos qui dicunt se peccare vel propter constellationem vel propter fatum vel propter infirmitatem naturæ.Et hoc modo

B volunt se excusare de peccato suo, et Deum accusare. Quasi dicat propheta : Falso quæritur de natura sua genus humanum;non enim ex imbecillitate sed ex proprio arbitrio peccant homines ; ideo non est auctor accusandus, sed ipsi. Dixit injustus ut delinquat in semetipso, id est, statuit apud se proprio arbitrio peccare, non coactus ulla necessitate. Quasi dicat: Et unde hoc quod statuit delinquere? *Non est timor Dei ante oculos ejus*,id est, non attendit Deum judicem esse vel creatorem in rebus.Et in hoc non est auctor accusabilis,sed potius ipse.Nam cum Deus dedisset ei intellectum,quo posset intelligere non esse delinquendum, tamen deliquit:quod est *dolose* agere. Et cætera ut supra,usque, *Domine in cælo misericordia tua*, quod ad hunc modum sic continuatur cum superiori,dicat : *Diait injustus*

C *ut delinquat* ex infirmitate naturæ;sed non est verum quia o *Domine ! in cælo*, id est,in Christo cœlo cœlorum scilicet justo justorum, posita est *misericordia tua* ad condonanda peccata et ad faciendam justitiam quod non esset, si homines quod agunt ex necessitate agerent. *Et veritas tua* ad remuneranda merita, est scilicet non solum in cœlo, sed descendit *usque ad nubes*, id est, prædicatores, ut etiam illi hanc misericordiam et hanc veritatem pluant mundo.Et revera in Christo est misericordia tua,quia qui illi sunt ita virtutibus sublimati,ut sint alti sicut montes, et ita stabiles in fide illi sunt. *Justitia tua*,Dei non ex meritis suis. Et *judicia tua abyssus multa*, ut supra. Et quanquam hi sint abyssus, illi justitia, tamen utrosque salvabis, sed diversa salvatione,

D quia *homines et jumenta salvabis, Domine.* Sicut salvas jumenta,dando illis alimenta unde lacunam ventris impleant, et cætera corpori satisfacientia, et homines, id est, in vetustate illius præmanentes qui homo fuit, non filius hominis, carnales scilicet intra bestias deputatis, ut aliam vitam non quærant nisi hanc. *Homo enim cum in honore esset, non intellexit* : *comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII).

Et, o *Deus*, quod tales etiam aliquo modo salvas, ad eum modum facis *quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam*, id est,secundum multiplicem misericordiam tuam,quæ non deest illis hic in tem-

porali salvatione, aliis in æterna. Quasi dicat : Homines, id est carnales, terrenis solis beantur curamentis, et illis solis gaudent, *Filii autem hominum*, id est pertinentes ad filium hominis, conformati et in justitia et sanctitate, habentes hæc temporalia, non *sperabunt* in eis ut illi ; non erunt hic habentes beatitudinem, sed sperantes. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII) ; illi dicentes, *In tegmine alarum tuarum*, id est, protectione geminæ charitatis, vel Novi et Veteris Testamenti, non in potentia sæculari, non in divitiis. *Nemo* enim *ascendit in cœlum* per se, *nisi filius hominis qui descendit* (*Joan.* III), omnes alii portantur. Dixit Moyses : Quicunque gibbo premitur, ad sacerdotale officium non accedat (*Lev.* XXI). Ideo *sperabunt*, quia *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, id est, donis spiritualibus decurrentibus a domo cœlesti. *Bene inebriabuntur*, quia sicut vinum immodice sumptum mentem aufert, ita et magnitudo spiritualis lætitiæ mentem fidelibus aufert humanam, et transfert in divinam. *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos*, id est, voluptuoso potu spiritualis gratiæ potabis eos, qui venit ad eos quasi torrens, omnia obstacula terrenarum cogitationum amovens, et omne lutum terrenæ voluptatis diluens. *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI) : quia quemadmodum aliquis rapit aliquid per vim, ita fideles rapiunt regnum Dei, quia impelluntur a spiritu Dei quasi per vim.

Revera tu *potabis eos torrente, quoniam apud te*, non apud alium *est fons vitæ*, id est Christus, per quem vita datur. *Et in* illo *lumine tuo*, per quem illuminas oculos mentis, *videbimus lumen*, id est te. *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV). Et ut te lumen videamus, id est, ut te intelligamus, non est hoc nostræ opis, sed tu *mitte quem missurus es* (*Exod.* IV), ut tandem perfruamur luce æternitatis tuæ. *Prætende misericordiam tuam scientibus te*, id est volentibus te scire. *Et justitiam tuam*, non suam, id est, fidem qua justificas præmitte *his qui recto sunt corde*, id est illis qui omnem voluntatem suam ad tuam dirigunt. Et, prætensa misericordia tua, custodi me, ne quod habeo ex misericordia, amittam per superbiam. *Non veniat mihi pes superbiæ*, ut me erigam contra me mihi aliquid attribuendo. Unus pes est ille, non duo ; ideo facilis ad dejectionem. *Non veniat mihi pes superbiæ*, id est, affectio prona ad lapsum. Pede superbiæ disceditur a te primo et postremo, quia principium omnis peccati, quo apostatatur a te Domino, superbia ; et cum de justitia quisquam possit sategerit, extrema perditio est gloria in se, non in Domino. Adam primi peccatoris manu impulsus in superbiam abiit non pede corporis, sed affectione animi ; et hoc principium peccati (*Eccle.* X) non mihi contingat secundo homini. Et si non habuero pedem superbiæ, *manus peccatoris*, id est impulsio angeli apostatæ, *non moveat me*, scilicet a te, quæ movit in primo parente.

A Ideo hoc rogo, quia *ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem*, id est omnes illi qui perseverant in malitia *ibi*, id est in superbia. Prius superbuit apostata angelus, qui in veritate non stetit : deinde eo suadente illi, quos ejecit Deus de paradiso, qui operantur iniquitatem, omnes ex eo habent quia ceciderunt in Adam per superbiam impulsu primi peccatoris. Et quia post casum *expulsi sunt* de paradiso, non *potuerunt stare*, id est, resurgere qui potuerunt cadere. *Expulsi sunt*, scilicet ab interiori paradiso, id est a testimonio conscientiæ, a quo quisque prius scilicet per peccatum expellitur : et ideo *nec potuerunt stare* in exteriori paradiso, ideo exteriorem requiem amiserunt. Quandiu enim in requie fuerunt et exterius in ea perstiterunt. Aliter : *Prætende misericordiam* B *tuam*, ut valeamus te lumen intelligere in lumine tuo de illo lumine procedentem : *Prætende misericordiam tuam*, id est justitiam tuam, prior esto ad subveniendum, ut non labamur a te pede superbiæ, et demur in opus peccati, non sit prior te iniquitas ad nocendum. Unde cum cautam Dominus faceret Ecclesiam, ait : Illa tuum observabit caput, tu autem ejus calcaneum (*Gen.* III). Serpens observabit quando tibi veniat pes superbiæ, id est amor apostatandi, ut te dejiciant, tu autem ejus caput serva : *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X). Per pedem superbiæ, possumus accipere quod supra dictum est : *Ab occultis meis munda me* (*Psal.* XVIII). Per manum peccatoris, et ab alienis parce servo tuo. *Ibi ceciderunt*, id est in superbia omnes *qui operantur iniquitatem*, id est, increduli, et omnes qui perseverant in C peccatis, juxta illud : Qui *cum* justitiam Dei *cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt* (*Rom.* I), *et ceciderunt*, quia *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum* (*Ibid*).

PSALMUS XXXVI.

PSALMUS IPSI DAVID.

« Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris « facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fenum « velociter arescent, et quemadmodum olera herba- « rum cito decident. Spera in Domino, et fac bonita- « tem : et inhabita terram, et pasceris in divitiis « ejus. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones « cordis tui. Revela Domino viam tuam, et spera in « eo, et ipse faciet. Et educet quasi lumen justitiam « tuam, et judicium tuum tanquam meridiem : sub- D « ditus esto Domino, et ora eum. Noli æmulari in eo « qui prosperatur in via sua, in homine faciente in- « justitias. Desine ab ira et derelinque furorem ; noli « æmulari ut maligneris. Quoniam qui malignantur « exterminabuntur : sustinentes autem Dominum, « ipsi hæreditabunt terram. Et adhuc pusillum, et « non erit peccator : et quæres locum ejus, et non « invenies. Mansueti autem hæreditabunt terram, et « delectabuntur in multitudine pacis. Observabit « peccator justum, et stridebit super eum dentibus « suis. Dominus autem irridebit eum, quoniam pro- « spicit quod veniet dies ejus. Gladium evaginave- « runt peccatores, intenderunt arcum suum. Ut de-

« cipiant pauperem et inopem, ut trucident rectos « corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum, et « arcus eorum confringatur. Melius est modicum « justo, super divitias peccatorum multas. Quoniam « brachia peccatorum conterentur, confirmat autem « justos Dominus. Novit Dominus dies immaculato- « rum, et hæreditas eorum in æternum erit. Non « confundentur in tempore malo, et in diebus famis « saturabuntur, quia peccatores peribunt. Inimici « vero Domini mox ut honorificati fuerint et exal- « tati, deficientes quemadmodum fumus deficient. « Mutuabitur peccator, et non solvet: justus autem « miseretur et retribuet. Quia benedicentes ei hæ- « reditabunt terram, maledicentes autem ei disper- « ibunt. Apud Dominum gressus hominis dirigentur, « et viam ejus volet. Cum ceciderit, non collidetur: « quia Dominus supponit manum suam. Junior fui, « etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec « semen ejus quærens panem. Tota die miseretur et « commodat, et semen illius in benedictione erit. « Declina a malo et fac bonum, et inhabita in sæcu- « lum sæculi. Quia Dominus amat judicium, et non « derelinquet sanctos suos, in æternum conserva- « buntur. Injusti punientur, et semen impiorum per- « ibit. Justi autem hæreditabunt terram, et inhabi- « tabunt in sæculum sæculi super eam. Os justi me- « ditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judi- « cium. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplan- « tabuntur gressus ejus. Considerat peccator justum « et quærit mortificare eum. Dominus autem non « derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit « eum cum judicabitur illi. Exspecta Dominum et « custodivi viam ejus; et exaltabit te, ut hæreditate « capias terram; cum perierint peccatores, videbis. « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut ce- « dros Libani. Et transivi, et ecce non erat; quæsivi « eum, et non est inventus locus ejus. Custodi inno- « centiam et vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ « homini pacifico. Injusti autem disperibunt, simul « reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem justo- « rum a Domino, et protector eorum in tempore « tribulationis: Et adjuvabit eos Dominus: et li- « berabit eos; et eruet eos a peccatoribus, et sal- « vabit eos quia speraverunt in eo. »

ENARRATIO.

Psalmus ipsi David, id est, hæc bona operatio attribuenda est perfectioribus in corpore Christi, qui instruunt minus perfectos, cum eos aberrare sentiunt. Imperfecti Christiani semper perturbantur, cum viderint malos feliciter vivere, copia rerum temporalium circumfluere, dignitatibus eminere, domum incolumem habere, gaudiis suis non deesse, nihil triste vitam illorum interpellare: vident nefandissimos mores, copiosissimas facultates: et dicunt eis corda illorum, nullum esse judicem in rebus, sed omnia agi casibus et fortuitis motibus. Nam si Deus curaret hæc infima gubernare, illorum iniquitas non tantum floreret, et mea innocentia non tantum laboraret. Sed quia divina Scriptura omni A morbo animi dat medicamentum suum taliter ægrotantibus, taliter apud se cogitantibus temperat poculum saluberrimum, ut discant non murmurare contra Dominum: quia prosperitas malorum est eis ad summam perniciem, et adversitas bonorum eis ad summam gloriam.

Noli æmulari in malignantibus, id est, noli invidiam habere, vel noli irasci in malignantibus, id est, in flore et prosperitate maligne agentium, cum tu benigne vivas et tamen labore et inopia premaris. *Neque zelaveris facientes iniquitatem*, id est, ne imiteris vel ames facientes mala, et tamen florentes, quorum priora florent, posteriora arescent: eorum priora sunt in latitudine, posteriora in angustiis. Tua priora in angusta via sunt; posteriora erunt in B magna dilatatione. Potius posteriora eorum considera, *quoniam tanquam fenum velociter arescent*: hoc est, posteriora eorum vacua erunt a gloria. *Omnis caro fenum, et omnis gloriæ ejus quasi flos agri* (*Isa.* XL). *Et quemadmodum olera herbarum cito decident*, id est, quemadmodum olus ens inter alias herbas: olus est quædam herba, quæ superficietenus adhæret humi, et viret tantum in hyeme; et sole redeunte in æstate, illico arescit. Huic comparabiles sunt gaudentes in terrenis, non habentes firmam radicem charitatis amore inhærentis huic mundo, qui est comparabilis hyemi; sed sole surgente, id est, Christo veniente ad judicium, arescet eorum gloria. *Mortui enim nunc estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III). Cum Christus apparuerit gloria vestra, tunc et et vos apparebitis cum ipso C in gloria. Potius quam illos imiteris et illis invideas qui nunc florent, et post arescent, *spera in Domino*, ut posteriora tua floreant: noli gaudere in sæculo, sed exspecta gaudium a Domino. Et ut possis sperare, *fac bonitatem*, noli otiosus esse. Injucunda est lux lippis: nec est sperandum, ut jucundum habeas lucem, nisi a tenebris desuescas. Et, scilicet faciendo bonitatem, *inhabita terram*, id est Ecclesiam, in institutis ecclesiasticis te exerce, ab eis non recedas: quia non est locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam; vel *inhabita terram*, id est corpus tuum cole, ut tandem consequaris immortale et impassibile. Et cum inhabitaveris Ecclesiam, *pasceris in divitiis ejus*, id est in Domino, qui est divitiæ illius terræ. Si autem ad carnem refertur, pasceris in di- D vitiis ejus tandem, *cum mortale hoc induet immortalitatem* (I *Cor.* XV). Quæ sint divitiæ illius terræ, subjungit. *Delectare in domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*. Illi qui in sæculo delectantur, hic accipiunt petitionem carnis suæ, scilicet marescibilem gloriam et cito transituram; sed tu non in alio delecteris nisi in Domino, et accipies immarcescibilem gloriam, quam petit cor tuum. Illi amant tenebras, tu lucem: illi habent peritura, tu quære æterna. Et ut possis sperare, *revela Domino viam tuam*, id est, talia opera fac quæ sint digna oculis Domini, non quantum ad cognitionem qua non indiget, sed quantum ad dignationem. Aliter: Quasi dicat: Volo de-

lectari in Domino, sed nequeo implere. Ad hoc indica Domino infirmitatem tuam, *et spera in eo :* quia non est in eo sperare, nisi bene operantis. *Et ipse faciet.* Quid faciet ? *Educet quasi lumen justitiam tuam*, id est, fidem tuam qua justificaris, quæ modo nulla videtur quantum ad remunerationem, in remuneratione manifestam omnibus faciet. *Et judicium tuum tanquam meridiem*, id est, bonum propositum tuum quo elegisti sequi Dominum, promittentem ea quæ non videntur, potius quam mundum dantem ea quæ videntur et non permanent, *educet* de tenebris ignorantiæ *tanquam meridiem*, id est, ita omnibus in remuneratione notum faciet, sicut meridianam lucem. Et ideo *subditus esto Domino*, omni obedientia et humilitate ei serviens. Et ut possis esse subditus, *ora eum* de perseverantia. *Qui stat, videat ne cadat* (*I Cor.* x) ; perseveret bonum opus, perseveret oratio : nondum accipis mercedem. Ille dare potest, sed tu nondum potes accipere. Quasi dicat : Ecce subditus sum et oro eum, sed nonne vides quomodo ille perversus male operans, florens, per iniquitatem elatus, non me dignatur agnoscere ? in his quomodo durabo ? Ad hoc. *Noli æmulari*, id est, ne invidus sis ei *qui prosperatur in via sua*, non in via Dei quæ arcta est, id est, qui prosperatur in desideriis carnis suæ, quia tribulabitur in perventione : tu in via tribularis, in perventione prosperaberis. In hac vita tu incedis per angustam viam, ille per latam : sed ille angustiabitur, tu vero dilataberis. Illius via lata est, et ducit ad mortem : tua arcta est, et ducit ad vitam. Noli invidens esse *in homine faciente injustitias*, id est, in prosperitate ejus qui magis diligit mundum quam Deum, creaturam quam Creatorem : quod injustum est. Potius *desine ab ira*, noli turbari : ira furor brevis est de prosperitate malorum et labore bonorum : *et derelinque furorem*, id est, noli adeo turbari de flore malorum, ut excæcetur oculus mentis : potius consule oculum fidei, in qua hæc abrenuntiare dictus es, non hæc tibi in præmio promissa sunt, sed æterna bona : quia furor est, non ratio, irasci contra Dominum, et murmurare contra eum. Furor major est quam ira. Hunc furorem derelinque. *Noli æmulari ut maligneris :* si in animo habes iram, nunquam ad hoc pervenias, ut malignum imiteris, ut nequam efficiaris ; noli indignari quod ipse hic abundat, et tu non ; quia non sunt hæc vera bona, non hæc tibi promissa sunt, potius attende Dominum tuum qui hæc contempsit : nihil pateris quod ipse passus non sit. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur* a terra viventium, extra terminos hæreditatis filiorum Dei erunt. *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Isa.* xxvi). Vel hic *exterminabuntur* non bene colentes terram suam, non regentes terrenos motus : et ideo non hæreditabunt eam impassibilem. *Sustinentes autem Dominum*, id est, pondus præceptorum Domini in nullo contra Dominum murmurantes, vel cum patientia si moram fecerit exspectantes, *ipsi hæreditabunt terram*, vel terram viventium, vel terram suam, quam hic

A bene coluerunt, tandem possidebunt immortalem et impassibilem. Et hoc cito erit : *adhuc pusillum*, scilicet sustine, quia parva est mora hujus temporis, quantacunque nobis videatur, comparata æternitati, adeo ut nec punctum ad eam possit dici. Quis enim finitum infinito comparet ? Laborandum est æternum pro æterna mercede, sed non vult hoc misericordia Dei : pro parvi temporis labore, æternam vult dare mercedem, et ideo sustine *adhuc*, id est, cum patientia exspecta *pusillum*. *Et non erit peccator*, id est, usus peccatoris. Non quin sit, cum dicatur : *Et ibunt hi in supplicium æternum* (*Matth.* xxv) ; sed illud erit potius non esse, quam esse. Hic est peccator, hic habet locum apud Deum, qui utitur illo ad probationem bonorum, sicut diabolo usus est

B ad probandum Job (*Job.* I) ; ita est hic locus ejus, quomodo est in fornace aurificis, locus paleæ : ardet palea, et aurum purgatur : sic sævit impius, ut justus purgetur. Postquam purgati fuerint justi, non erunt qui in eos sæviant ad purgandum. Aliter : *Non erit peccator*, id est, diabolus non habebit in te quidquam : *Quæres locum ejus et non invenies*. Peccatum est locus diaboli, quod adhuc non erit ; vel hoc modo *non erit peccator, quæres locum ejus, et non invenies* ; ibi separabitur a te, quia ultra non habebit locum, non poterit tibi utilis esse sicut hic fuit, quia vivit impius pio. *Qui malignantur, exterminabuntur. Mansueti autem*, scilicet portantes jugum Domini, juxta illud : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI) ; *hæreditabunt*

C *terram*, a qua illi exterminabuntur, id est Jerusalem sanctam, quæ liberabitur de peregrinatione ista : vel *terram*, id est, carnem suam quam hic excoluerunt possidebunt immortalem et impassibilem, et hæ erunt deliciæ ipsorum. *Delectabuntur in multitudine pacis :* in Deo, in quo est multa pax, id est abundantia perfecta : *Ipse erit omnia in omnibus* (*II Cor.* xv), et ideo ibi erit multa pax, quia nulla perturbatio, nulla anxietas. Interim autem non deerit persecutor : pugnandum est, quia *non* coronabitur *nisi* qui *legitime certaverit* (*II Tim.* II). *Observabit peccator justum*, diligenter quæret locum ad decipiendum. *Et stridebit super eum dentibus suis*, id est, graves et mordaces sententias in eum dabit ad hoc ut devocet. Sed quæ cura justo? Nihil ei poterit nocere. *Dominus autem*, in quo justus confidit, *irridebit eum*, id est,

D risu dignum ostendet justo, ut cum ille nitatur vulnerare hujus tunicam, propria transfigit viscera. Hujus carnem vulnerat, sed suam occidit animam. Ideo irridebit, *quoniam prospicit quod veniet dies ejus*, scilicet dies examinationis, dies perditionis : priora ejus florent, sed posteriora arent. Ergo noli invidere, sed prospice diem ejus, et vide quia aut convertetur, et tuus erit : aut perseverabit, et a te sequestrabitur. Ostendit quomodo veniat dies ejus perditionis. *Gladium evaginaverunt peccatores*, ut interficerent corpus. *Intenderunt* et *arcum suum*, id est, paraverunt occultas insidias, quibus animam devocarent : sed vide, quia *gladius eorum intret*, id est,

intrabit *in corda ipsorum:* quia dum nituntur corpus justorum occidere, occidunt animam suam. *Et arcus eorum confringatur*, id est insidiæ eorum frustrabuntur. Ad hoc intenderunt arcum, *ut decipiant pauperem*, id est justum de se non præsumentem, *et inopem*, id est Dei opem quærentem. Ad hoc evaginaverunt gladium, *ut trucident*, id est, foris terribiliter occidant *rectos corde*, dirigentes cor suum ad voluntatem Dei. Ergo noli æmulari impio, noli illi invidere : quia *melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas*; scilicet sperare ea quæ non videntur : et si des quod peccatoribus modicum et vile videatur, melius est justo quam multum florere in mundo. Vel aliter continuatur ad hoc quod dixit, *et arcus eorum confringatur;* quasi aliquis dicat : Quomodo confringetur ? Nonne mea aufert ? nonne assidue mihi insultat ? Ad hoc melius est justo modicum, id est, sola necessaria melius valent recte viventi, quam multæ divitiæ injustorum. Nec hoc etiam diu erit quod tibi noceat : *Quoniam brachia peccatorum conterentur*, id est, divitiæ et potentia in quibus peccatores confidunt, diminuentur : vel fortitudo eorum diminuetur in gehenna, ut illius divitis qui apud superbos splendide epulabatur, apud inferos torquebatur (*Luc.* XVI). Et quid interim ? *Confirmat autem justos Dominus.* Christus milites suos suo exemplo corroborat, ut non invidentiam habeant flore malorum, ut non recusent eorum sustinere pressuram : quod passus est imperator, non dedignentur digne pati. *Quis nos separabit a charitate Christi* (*Rom.* VIII)? Ille pro impiis mortuus est, et nos pro justo non moriemur? Ideo justos confirmat, quia *novit Dominus dies immaculatorum*, id est, diligit conversationem bonorum. *Et* ideo *hæreditas eorum in æternum erit :* ideo caro eorum bene culta, quæ hic fuit mortalis ét passibilis, ad hoc perducetur, ut sit æterna et impassibilis. Hoc modo erit æterna. *Non confundentur in tempore malo*, in tempore futuri judicii, quod impiis erit malum, non confundentur ab exspectatione sua : sed potius *saturabuntur in diebus famis* malorum ; ubi mali patientur famem, isti saturabuntur. Nam *peccatores* non saturabuntur, *quia peribunt*. Aliter : Interim dum ad illam hæreditatem perveniant, *non confundentur in tempore malo*, id est, in hoc tempore tribulationis : quia *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit* (*Rom.* V). Et *in diebus famis*, id est, in hoc tempore in quo sunt dies famis, ubi *beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V), *saturabuntur* interiori saturitate, juxta illud Apostoli : *Gloriamur in tribulationibus* (*Rom.* V). *Quia peccatores peribunt :* ideo justi *saturabuntur* vel hic, vel in futuro, quia soli peccatores non saturabuntur. Peccatores cum tribulantur, nullum locum habent consolationis, nec interius : exterius foris patiuntur, intus conscientia illos non consolatur. Revera peribunt. Nam *inimici Domini mox ut*, id est, postquam *honorificati fuerint*, terrenis divitiis et honoribus, et inde *exaltati*, id est elati : quod erit mox, quia breviter durabunt *: deficientes deficient*, ascendendo descendent, hic interiori defectu, et tandem exteriori *: quemadmodum fumus*, qui quanto altius ascendit, tanto magis evanescit. Merito hoc illis eveniet, quia *mutuabitur peccator, et non solvet :* a Deo accepit quod homo est, non bos, asinus ; quod quinque sensibus discernit, *et non solvet* inde debitum, scilicet non aget gratias Deo sibi miserendo, bene vivendo, et aliis subveniendo, dando externa bona et interna. *Justus autem* scilicet non confundetur in tempore malo, quia mutuo accipiet et solvet. Et hoc est quod dicit : *Justus autem miseretur*, scilicet sibi, non polluendo animam suam, non recedendo a mandatis Domini, juxta illud : *Miserere animæ tuæ*, et eris *placens Deo* (*Eccli.* XXX). *Et tribuet* scilicet aliis, scilicet pauperibus externa bona : quia quod pauperibus tribuit, Deo tribuit : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Si feneras, non speras : si non feneras, non speras : si feneras hominem, id est, si das homini tua ad usuram, non speres inde præmium : fenera Deum, id est, da Deo tua ad usuram, da pauperi qui tibi solvere non potest : et accipe Dominum fideijussorem, et magnum tibi crescit fenus : dabit vel *tribuet* in terrena bona, scilicet lucrifaciet alios, proponendo se exemplum bonæ vitæ. Quasi dicat : Justus tribuet, peccator non tribuet. Quare justus. Quia benedicentium est, id est, voluntarie bonam vitam instituentium hæreditare, id est, excolere terram suam, id est, vitam suam, quam tandem hæreditabit æternam. Maledicentium autem, id est, malam vitam voluntarie instituentium, disperire, id est, non colere terram suam. Et hoc est quod dicit : *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram; maledicentes autem ei disperibunt.* Quasi dicat : Non tantum non hæreditabunt, sed *disperibunt maledicentes ei*, id est, contemnentes eum. Quasi dicat : Et hoc quod bene dices ei hæreditatem terram, non a se, sed a Domino, quia *apud Dominum gressus hominis dirigentur.* Non est hominis dirigere viam suam. Apud Dominum gressus hominis, justi scilicet, id est, ejus voluntates omnes ad exemplum Christi Domini sui directæ fient, ut sint apud Dominum, id est, ad voluntatem Domini. Salomon (*Prov.* XVI) : *Hominis est præparare* viam suam, sed *Domini* est erigere. Distorti erant affectus nostri, extra viam eramus ; sed venit Christus, vocavit nos, justificavit, sanguinem suum pro nobis fudit, et sic in viam reduxit. Tentatus est, passus est pejor: non hoc possumus pati quod ipse prior non sit passus : *et viam ejus volet;* igitur sequamur voluntarie cum præcedente, non attendentes quo eamus, sed quo perveniamus : patimur temporalia mala, perveniamus ad æterna scilicet bona. Et ideo homo viam insistet, per quam Christus ivit. Et quia *viam volet*, id est, quia Christum imitabitur, *cum ceciderit, non collidetur* : hoc est velle viam ejus, tribulationes pati, et non deficere ; pati exterius, et non deficere interius. Unde alibi *: Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*

(*Psal.* XXXIII). *Cum ceciderit* in aliquas tribulationes, *non collidetur:* illa afflictio non erit ei ad dejectionem, sed potius ad exaltationem, *quia Dominus supponit manum suam:* ideo auxilio et exemplo suo eum sublevat quia prior passus est. Aliter : Firmat manum ejus, id est, opera ejus. Hieronymus. *Septies cadit justus, et resurgit* (*Prov.* XXIV). Cadit cogitatione, delectatione, verbo. Resurgit confessione, spe, fide et opere. Et ideo justus, quia *justus ex fide vivit* (*Rom.* I). Et revera justus *non collidetur* quia Dominus non derelinquet eum, dirigendo gressus ejus : quod mihi experto credite. *Junior fui, etenim senui.* Hic loquitur Ecclesia tota, quæ una est in sacramentis, sed in personis diversa : et ideo quasi unus homo tota loquitur. *Junior fui*, id est, ferventior in charitate, cum primitiva eram in Abel, in patriarchis. Et revera junior, nam *senui :* jam enim refriguit charitas. *Et non* in juventute, nec in senectute *vidi justum derelictum* interius, quin Dominus semper dirigeret gressus ejus, et si multi visi sunt derelicti, quantum ad exterius. Vel *junior fui*, id est, parvula, quia in paucis tempore Abel justi sine fecunditate adhuc. Et hoc ostendit : *Etenim senui*, id est, crevi et multiplicata sum in senecta haberi. *Et non vidi justum derelictum*, scilicet a pane verbi Dei : quia nunquam lex Dei, id est ejus voluntas, recedit de corde et ore ejus. Ejus ori nunquam Christus abfuit. *Nec semen ejus*, id est imitatores ejus, *quærens panem*, scilicet vitæ, panem verbi Dei non habens, et ideo mendicans. Vel *semen ejus*, id est, bona opera quæ hic seminavit, sine fructu, id est sine mercede : tunc semen quasi quærit panem, cum non crescit in fructus. Ostendit quomodo justus nunquam pane vitæ scilicet careat, quia semper habet. *Tota* enim *die*, id est assidue, juxta illud : *et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I) ; *miseretur*, scilicet sibi, ensem illum rationis quo accinctus est non permittens rubigine consumi. *Et commodat* aliis eumdem panem, non cessat alios obsecrando, admonendo, hortando, rationem reddendo, ad charitatem Dei attrahendo. Et sic subjungit dilectioni Dei, dilectionem proximi. *Tota die miseretur et commodat*, id est, nunquam lex Dei, id est, voluntas Dei recedit de corde ejus : quando legit, manducat ; quando inde cogitat, ruminat ; ut sit mundum animal et non immundum quod deglutit, id est, obliviscitur quod audit, juxta illud Salomonis : Incomparabilis thesaurus quiescit in ore sapientis, stultus autem deglutit illum (*Prov.* XXI). Augustinus dicit : « Miseretur, id est, feneratur ; pauca dat, et multa recipit : sic et justus dat terrena, ut accipiat cœlestia : dat peritura, ut accipiat æterna. » Si feneras, non speras, si non feneras, non speras ; si feneras hominem, non speras a Deo mercedem ; fenera Deum, et accipies mercedem ; accommoda pauperi, fac eum debitorem, accipe Deum fidejussorem. In cœlis jam sedet, in terris tamen non dedignatur solvere debitum pro paupere, qui se in paupere dicit accipere : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). *Tota die miseretur et commodat.* Nunquam charitas est otiosa : si habet exteriora bona, tribuit ea : si ea non habet, tribuit bonam voluntatem. Non ergo derelinquitur justus, sed potius non deserente se Deo, comparabilis est illi, qui motus intus misericordia, in actum ducit eam. Vel perseveranter miseretur animæ suæ, placens Deo, ut faciat sibi proximum in via Dei socium. *Et* ideo *semen ejus in benedictione erit :* comparabilis erit ei, qui quod seminat multiplicatum recipit. *Centuplum* enim *accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Ergo *declina a malo, et fac bonum :* quod est æquipollenter dictum : Noli æmulari, noli invidiam habere in flore malorum ; potius fac bonum, quia non erit irremuneratum: vides quia nullus invidus remunerabitur. *Et* sic *inhabita*, scilicet terram tuam, *in sæculum sæculi :* sic eam accipies immortalem et impassibilem. Quasi dicat: Certa legitime, et coronaberis (II *Tim.* II). Si non seminaveris, non metes. Ideo *declina a malo et fac bonum, quia Dominus amat judicium*, hoc scilicet, id est, hanc discretionem. Vel *declina a malo et fac bonum*, et faciendo hæc, multa mala sustinebis : sed noli deficere, *quia Dominus amat judicium : Quem enim diligit* castigat (*Prov.* I) : et in judicio, id est in flagellatione, *non derelinquet sanctos suos*, ut videtur malis, sed potius per hoc conservabit *:* pro temporali flagello *in æternum conservabuntur.* Et si priora horum videntur arida, posteriora florebunt. *Injusti* autem, quorum priora nunc florent, *punientur*, id est, eorum posteriora arescent. *Et semen impiorum*, id est opera mala quæ hic seminaverunt, *peribit*, id est, non erunt in benedictione, id est, multiplicatione, quia irremunerata erunt. *Justi autem*, qui modo videntur derelicti, *hæreditabunt terram.* Vel carnem quam hic coluerunt, immarcescibilem recipient. Vel *terram* viventium, id est, æternam beatitudinem. *Et* hoc non ad tempus, sed *inhabitabunt in sæculum sæculi super eam*, scilicet stantes, id est, firmiter et stabiliter habentes. Interim autem *os justi* interius, id est cor, *meditabitur sapientiam*, id est, legem et voluntatem Dei : *et lingua ejus loquetur judicium*, id est discretionem, et sibi miserebitur, et aliis tribuet illum, docebit proximum quid debeat probare, quid improbare. *Lex Dei ejus in corde ipsius :* hæc est illa sapientia quam meditabitur, et illud judicium quod aliis loquatur. *In corde ipsius*, quia voluntarie operabitur in lege. *Et* ideo *non supplantabuntur gressus ejus*, id est, cogitationes ejus non decipientur, ut devocetur a malo. Nam non desunt supplantatores. *Considerat* enim *peccator justum*, id est, vitam illius diligenter inquirit : *et* hoc non ad imitandum, sed *quærit mortificare eum*, id est, devocare a justitia, sed non mortificabit : *Dominus autem*, cujus legem assidue meditatur, *non derelinquet eum in manibus ejus.* Linquit quidem in manibus exterioribus, quia permittit ab eo affligi, sed non derelinquet interius, quia non devocabitur secundum voluntatem ejus. Hoc modo non derelinquet, quia etsi impius hic

damnet *eum*. Dominus tamen *nec damnabit* in futuro A judicio, *cum judicabitur illi*, scilicet pio de impio, vel *non derelinquet eum in manibus ejus*, traditum foris in manibus ejus, cum conceditur illi adeo flagellare pium, quantum velit, et jam tum *cum judicabitur illi*, scilicet impio de pio, id est, cum judicabitur pius secundum voluntatem impii, quia illud judicium fiet ad probationem pii et ad damnationem impii. Et quia non derelinquet te in manibus impii, ergo noli æmulari, sed *exspecta Dominum*, scilicet remuneratorem et liberatorem cum omni patientia. *Et* hoc modo exspecta: *Custodi viam ejus*, quam ipse tibi præmonstravit, viam patientiæ et humilitatis. Viriliter age, a bono opere nunquam desistas: *et exaltabit te* de virtute in virtutem; adeo exaltabit, *ut hæreditate capias terram*. Vel terram viventium B videbis ex compendio, cum tu ad dexteram, illi erunt ad sinistram: Aliter: *Et exaltabit te* tandem, *ut hæreditate capias terram*, quia etiam hic te exaltabit. Consule oculum fidei, et *videbis*, scilicet te exaltatum, id est elevatum et beatum, *cum perierint peccatores*, id est, cum tradentur in reprobum sensum, juxta illud: *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (*Psal.* LVII). Cum enim justus videt impium derelictum a Deo propter iniquitatem suam, in casu illius sibi cavet magis. Et revera peribunt impii, quia ego attendens ejus priora, *vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani*, in divitiis, in honoribus, in potentia. *Et transivi*, scilicet agilitate mentis ad ejus novissima, scilicet ab hac falsa felicitate ad veram: *et ecce non erat;* non quod C omnino non esset, sed dum *quæsivi eum, non est inventus locus ejus;* quia planato ferro, non est opus lima. Aliter: Quare dico, *exspecta?* quare dico, *custodi?* Quia *vidi impium* non custodientem et non observantem, hic *exaltatum* in terrenis. Et transiens ad novissima ejus, *non inveni eum* sic abundantem. Et quia vides florem malorum cito casurum, tuam felicitatem appropinquare, noli malis invidere quod florent; noli illos imitari, sed potius *custodi innocentiam;* noli tibi ipsi nocere, noli murmurare contra Dominum. *Et vide* potius, id est, intellige *æquitatem*, id est, justitiam Dei: non enim sine ratione malos florere permittit hic, bonos autem laborare. Judicia Dei non ideo injusta, quia occulta. Vide æquum esse laborare in vinea, ut nummus recipiatur in vesperis (*Matth.* X). Ideo custodi innocentiam, *quoniam sunt* D *reliquiæ homini pacifico*, id est, patienter agenti et non murmuranti contra Dominum de temporali felicitate: *sunt reliquiæ*, id est, illi reservatur post mortem æterna felicitas: a simili, sicut pauperi qui de suo non habet, reservantur reliquiæ de mensa divitis. Aliter: *Non est inventus locus ejus*, scilicet divitis. Quasi aliquis dicat: Non ergo licet hic abundare? Inquit, licet, sed *custodi innocentiam:* habes sacellum argenti, et custodis ne tibi subtrahatur, et innocentiæ damnum negligis? *Et vide æquitatem*, id est directionem: non dirigas oculos ad præsentia: et videbis quoniam *sunt reliquiæ homini pacifico*, scilicet post mortem habebit vitam. *Injusti autem*, qui non custodiunt innocentiam, *disperibunt:* variis tormentis cruciabuntur, vel hic excæcabuntur interius. Et *simul reliquiæ impiorum interibunt*, id est, et posteriora eorum arescent. Justo utilia sunt et priora quibus humiliatur, et posteriora quibus exaltatur. Injustis contra perditioni sunt et priora quibus exaltantur, et posteriora quibus dejiciuntur. *Salus autem justorum a Domino*. Quasi dicat: Quod justi hoc modo salvantur, custodiendo innocentiam, videndo æquitatem, a Domino est, non ab ipsis. *Et protector* est *eorum* contra impugnatores *in tempore tribulationis*, id est, in hac vita. *Et* quia ipse est eis salus, ipse protector *adjuvabit eos Dominus*, scilicet in perficienda obedientia. *Et liberabit eos*, a conformatione malorum: *et* tandem *eruet eos a peccatoribus*, separando grana a paleis. *Et salvabit eos* perenni salvatione, quia grana sunt, et non palea. Et merito, *quia speraverunt in eo*, non in mundo. Ergo *noli æmulari*, noli invidentiam habere *in malignantibus:* sed potius *spera in Domino et fac bonitatem*, quia *et* te *adjuvabit*, *et* te *salvabit*.

PSALMUS XXXVII.

PSALMUS DAVID IN REMEMORATIONE SABBATI.

« Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in « ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ « sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam. « Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non « est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput « meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. « Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a fa- « cie insipientiæ meæ. Miser factus sum et curvatus « sum usque in finem, tota die contristatus ingredie- « bar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, « et non est sanitas in carne mea. Afflictus sum et « humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis « mei Domine, ante te omne desiderium meum, et ge- « mitus meus a te non est absconditus. Cor meum « conturbatum est, dereliquit me virtus mea; et lu- « men oculorum meorum, et ipsum non est mecum. « Amici mei et proximi mei adversum me appropin- « quaverunt et steterunt. Et qui juxta me erant, de « longe steterunt: et vim faciebant, qui quærebant « animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti « sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur. Ego « autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mu- « tus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo « non audiens, et non habens in ore suo redargutio- « nes. Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies « me, Domine Deus meus. Quia dixi: Nequando « supergaudeant mihi inimici mei: et dum commo- « ventur pedes mei, super me magna locuti sunt. « Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor « meus in conspectu meo semper. Quoniam iniqui- « tatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato « meo. Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt « super me, et multiplicati sunt qui oderunt me « inique. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant

« mihi, quoniam sequebar bonitatem. Ne derelinquas « me, Domine Deus meus, ne discesseris a me. Intende « in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.»

ENARRATIO.

Si volvamus omnem scripturam quæ de David invenitur, nusquam inveniemus David recordasse Sabbati. Recordatio, præteritorum est. Cum autem Sabbatum per singulas hebdomadas redeat, non invenitur illud recordasse, sed observasse. Sed inducitur hic quidam recordans illius requiei, quam habuit humanum genus in primo parente, scilicet quod immortale fuit creatum et impassibile conditione, tamen et quandoque futurum immortale et impossibile sine conditione, scilicet ut nec mori posset, nec pati. Sabbatum enim interpretatur *requies*: hic, inquam, considerans illam requiem perditam culpa primi parentis, et considerans futurum Sabbatum, cum vel requies vel pœna æterna manet quemque, cum hic sit in malis, ne deteriora eveniant, orat et dicit:

Domine, ne in furore tuo arguas me. Futurum est enim, ut in futuro judicio quidam in ira emendentur, quidam in furore arguantur: illi qui in ira, sic tamen quasi per ignem. Sed illa pœna adeo erit gravis, ut si omnia tormenta quæ hic reis inventa sunt, simul conferantur, gravior erit ignis ille et intolerabilior. Qui autem in furore, mittentur in ignem æternum; ideo utrumque deprecatur, tanquam dicens Deo: Quoniam ista magna et multa sunt quæ patior, quæso ut illa tibi sufficiant ad vindictam culpæ quam promerui: et incipit illa enumerare, satisfaciens Deo, et offerens illa quæ patitur, ne deteriora patiatur, ostendens se hic libenter pati omnia, ut tandem illa evadat. O *Domine*, ure, seca, corripe hic, argue, dum tandem *ne in furore tuo arguas me*, id est, gravissima et æterna pœna. *Neque* tunc *in ira tua corripias me;* quia qui tunc in ira corripientur, salvabuntur quidem, sed per gravissimam pœnam. *Hi sunt qui super fundamentum ædificaverunt lignum, fenum, stipulam* (*I Cor.* III): non quod furor aut ira in Deum cadat, sed quod patientibus ita videbitur. Si autem in voce capitis sic dicemus: Domine Deus Trinitas, usque ad plenitudinem temporis genus humanum pro maxima parte in furore arguisti, in ira corripuisti: quia mulctatos prima morte, morte interioris hominis omnes idololatras, in mortem corporis conjecisti: tandem si incipit judicium a domo tua, revocatos amore resurrectione prima per me, ne in ira tua argue, ne in furore tuo corripe. Etsi visitas iniquitates in virga, etsi misces amaritudinibus universa, ne in furore, ne in ira tua ista eveniant: etsi mortem subeunt corporalem, tamen quos misericordia tua per me restituisti resurrectione prima in homine interiori, spe felici restituendos se esse gaudeant resurrectione secunda exteriore, et quasi quæsiturus esses, quæ causa, Domine, ut ita pro tuis agendum susceperis? ad hoc, *quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, id est, humano generi, et mihi quantum ad illam naturam. *Non est sanitas in carne mea*, id est, in interioribus membris, quia et ipsa terram tuam experiuntur in Adam. *Non est pax ossibus meis*, id est, firmioribus meis, quia non sunt ipsa a peccato immunia. Vel in voce Ecclesiæ: ideo noli in futuro furore judicare et in futura ira, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: sufficiat tibi hæc temporalis vindicta, et pœna quam modo patior. Jam enim vindicas, *sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, patior in primi parentis culpa: quod enim illi fuit pœna, nobis factum est natura. Unde Apostolus: *Fuimus et nos aliquando natura filii iræ* (*Eph.* II), id est, portantes vindictam. Hæ sunt sagittæ, mortalitas, fames, sitis, somnus, et cætera hujusmodi. Sagittas vocat, dolores animi et corporis quos patimur: vel sagittas dicit verba Dei, quæ infixa sunt in cordibus nostris, quibus fit ut recordemur Sabbatum: et ipsa recordatio Sabbati, et nondum receptio, facit nos nondum gaudere et agnoscere non esse sanitatem in ipsa carne. Quasi dicat: et hæc tua animadversio qua modo vindicas, magna est, quia *confirmasti super me manum tuam*, id est, fecisti meam pœnam continuam: ad similitudinem magistri, cujus manus non recedit a dorso pueri. Hæc est illa manus, hæc est illa miseria. *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ*, id est, a præsentia iræ tuæ. Ex quo vindicasti in primo parente, adeo continua est miseria humani generis, ut assidue nobis repræsentet iram tuam. Portamus corpus mortale, plenum tentationibus, plenum sollicitudinibus, obnoxium doloribus corporalibus, nexum indigentiis, mutabile, languidum et cum sanum est, quia utique nondum plene sanum. Nam inde dicebat, *non est sanitas in carne mea*, nisi quia ista quæ hujus vitæ dicitur sanitas, bene intelligentibus et Sabbatum recordantibus, non est utique sanitas? Si non manducaveris, inquietat fames, et alia hujusmodi multa, iste naturalis quidam morbus est, qui in Adam fuit solum pœna. Et non solum in carne sum infirmus, sed etiam *non est pax ossibus meis*, id est, viribus animæ meæ quæ sunt ossa, id est, robur hominis: ex carne enim infirmatur homo, sed ratione animi confirmatur Et quia dixit, *a facie iræ tuæ*, ne videretur illa pœna esse ex injustitia judicis, dicit: *a facie peccatorum meorum*, id est, a præsentia; cum enim assidue cerno pœnam, assidue etiam reminiscor culpæ. Ante oculos habeo iram tuam, ante oculos habeo peccata mea originalia et actualia. Ideo *non est pax ossibus meis*, id est, nulla requies animæ meæ. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, id est, peccata mea in primo parente erexerunt caput, id est mentem meam, ut se erigeret contra te caput suum: *Et eritis sicut dii* (*Gen.* III), quia *caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus* (*I Cor.* XI). Et illæ *iniquitates supergressæ sunt caput meum*, id est, erigendo mentem meam depresserunt eam, et per vindictam tuam ceciderunt super eam, ut jam non valeat uti libertate sua velut ira et concupiscentia, quæ deberent rationi sub

jacere: quia perfecta discretione debemus irasci quibus irascendum est et concupiscere quæ concupiscenda sunt. Hæc *supergressæ sunt caput meum*, id est, vicerunt rationalitatem. *Et* non parum *supergressæ, sunt*, sed *sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Aliter: *Confirmasti super me manum tuam*, sicut dictum est: et post hanc miseriam est mihi alia: *Non est sanitas in carne mea*, id est, affligor exterius omni afflictione: et hoc *a facie iræ tuæ*, quia timeo iram tuam futuram. *Non est pax ossibus meis*, id est, affligor omni afflictione interiori, propter illud judicium futurum: *a facie peccatorum meorum*, tam originalium quam actualium. Hieronymus: « *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, cognosco magna peccata mea et prævalere viribus meis: vel quia iniquitates meæ extulerunt caput, et quasi leves volabant, acceperunt pondus vindictæ quod deprimeret: *sicut onus grave gravatæ sunt super me*, id est, reversæ sunt in me et gravatæ.» Quasi dicat: Et quod gravius est, *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ* .id est, peccata in baptismo dimissa. Et hoc modo sanata, rursum in consuetudinem duxi, quod dum fit, necesse est mortuum jam fœtere, quemadmodum vulnus intactum corrumpitur et putet. In eo quod dicit *cicatrices*, intelliguntur peccata quasi sanata. Aliter: A qua gravatione gravissimi oneris *cicatrices meæ*, id est, originalia peccata deleta in baptismo, corrupta sunt per actualia: et sic *putruerunt*, id est, gravissima facta sunt; quia gravius torquetur aliquis veniens ab baptismum, si postea peccat, quam si non veniret ad baptismum: quia melius est viam veritatis ignorare, quam post agnitam relinquere. Et hoc *a facie insipientiæ meæ*, id est, cognosco ex insipientia mea hoc contigisse: quia sicut sapientia est sibi in posterum cavere, sic insipientia est sanatum in posterum sibi non cavere. Hieronymus: « Porcorum mos est cœno pro bonis odoribus uti: non sum talis. Nam mihi mea vulnera fœtent, et ideo pœnitentiam desidero. » Unde, a qua corruptione et a qua putredine *miser factus sum* id est, continua miseria afflictus sum exterius. *Et curvatus sum*, scilicet interius multimoda incurvatione, quia rationalitas extenditur non solum ad necessaria, sed etiam illicita *usque in finem*, quantum potui incurvari et deprimi, vel usque in mortem, a qua incurvatione *tota die*, id est assidue, *contristatus ingrediebar*, id est, vivebam, ex quo Sabbati recordari cœpi. Unde in Canticis canticorum: Ecce tu *pulchra es amica mea*; *oculi tui columbarum* (*Cant.* I, 4); quia columba gemitum habet pro cantu, et perfecti in Ecclesia mundo fallaciter et perniciose et blandienti adgemunt, cui alii congaudent. Et merito contristatus, *quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. et non est sanitas in carne mea.* Repetitio, idem est quod supra, *non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis.* In lumbis est delectatio, in delectatione procreatio. Et ex anima omnes cogitationes procreantur, quæ delectationes plenæ *sunt illusionibus*, id est, vanitatibus et phantasmatibus multis,

A adeo ut nec Dominicam orationem valeat quis ex corde cantare, quin multa impediant et mentem alienent. *Et non est sanitas in carne mea*, ut dictum est. Aliter: *Domine, ne in furore tuo arguas me*, in judicio, quando peccatores condemnabuntur, hic me arguas: Furor et ira intelligitur diabolus, id est, noli me judicare per diabolum, sed per teipsum, vel arguere verbis, corripe flagellis. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, id est, verba tua impressa sunt menti meæ *Et confirmasti super me manum tuam*, id est, non impotens fuisti ad me deprimendum. *Non est sanitas in ossibus meis*, id est, non purum corpus meum, juxta illud, *Scio quia non habitat in me*, hoc est, in carne mea, *bonum* (*Rom.* VII). *Non est pax ossibus meis*, ut supra. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, quasi B dicat: Tot sunt iniquitates meæ, ut ego eas portare non possim; sed caput meum, id est Christus, suas eas fecit, et iniquitates nostras ipse portavit (*Isa.* LIII); ideo ipse portavit, quia *sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Et non mirum, quia *putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ*, a primo homine usque ad Christum, peccata humani generis deterioraverunt, usque dum venit Samaritanus ille, qui alligavit vulnera infundens vinum et oleum (*Luc.* X), id est, passionem et Spiritus sancti gratiam. *A facie insipientiæ meæ*, scilicet cicatrices meæ corruptæ sunt: quia infirmitatem Christi, insipientiam putavi; cujus incarnatio magna fuit sapientia. *Miser factus sum et curvatus usque in finem*, id est, C usque ad Christum. Et quia *lumbi mei impleti sunt illusionibus*, id est, quia anima mea et interior mens, a vero defecit: et quia *non est sanitas in carne mea afflictus sum*, scilicet in corpore, *et humiliatus sum nimis*, scilicet interiori, quia me erexi contra mandata tua; unde *rugiebam*, id est, cum magno dolore intus lamenta dabam, ut rugitus possit dici. *A gemitu cordis mei*, non a gemitu carnis. Gemitus carnis est, pro amissione terrenorum: gemitus vero cordis, pro amissione quietis. *Domine, ante te omne desiderium meum.* Quasi dicat: Et gemendo quid desiderem, et quare gemam, tu, Domine, scis; quia non desidero nisi quod desiderandum est, scilicet requiem illam et beatitudinem, quam amisi in primo parente, pro qua semper est orandum, quia dictum est: *Sine intermissione orate* (*I Thess.* I). Qui semD per clamat. semper desiderat; qui semper desiderat semper orat. Qui cessat ab amore cessat ab oratione. Qui sunt qui cessant ab amore? De quibus dicitur: Ex abundantia iniquitatis *refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XIV). Frigus enim charitas silentium est cordis, fervor vero charitatis clamor est cordis. Si semper flagrat charitas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras; si semper desideras, semper oras. Ergo semper desidera, ut semper oras. *Et* quia tu scis, id est, probas desiderium meum, quod est secundum voluntatem tuam, ideo *gemitus meus a te non est absconditus.* Quamvis enim aliquando foris gaudere videat, et gemitus meus non

semper veniat ad aures hominum, tamen semper est coram te. Et merito gemo, quia *cor meum conturbatum est*, timeo latrones, timeo damna temporalia, motus terræ, et cœli undique sollicitudo incutitur. Et non est mirum si cor conturbatur, quia *dereliquit me virtus mea*, id est constantia mea: factus sum inconstans: vel *virtus*, id est, rationalitas. Ideo autem derelictus sum a virtute, quia *lumen oculorum meorum*, lumen cordis, sine quo cor humanum in tenebris est, id est Deus, *ipsum non est mecum*, ipsum scilicet, sine quo esse non possum. Quasi dicat : Pro qua virtute restituenda, pro quo lumine reddendo, pro qua turbatione auferenda, ego solus inter omnes mortales ad hoc idoneus, *factus* sum *obediens* Patri *usque ad mortem* (*Phil.* II). Et quia me sic humiliatum viderunt, ad cumulum miseriæ meæ, *amici mei*, id est, qui amici deberent esse, ut infirmi medico, servi Domino, creatura Creatori, gentes scilicet, *et proximi mei*, Judæi secundum carnis cognationem proximi, *appropinquaverunt*, scilicet corpore, sed *adversum me*, corde, dicentes : *Crucifige* (*Matth.* XV). *Et steterunt*, scilicet *adversum me*, id est, adversum salutem suam. Sicut Christus, antea in Ecclesia locutus est, ita nunc Ecclesia loquitur in Christo Aliter : *Virtus* meorum, id est rationalitas, *dereliquit* meos in tantum, quod *lumen oculorum meorum*, id est. Divinitas mihi unita, sine qua esse non possum quantum ad veram essentiam, ipsa *non est mecum* quantum ad reputationem illorum, quia tantum putant me esse hominem, et ideo *amici mei* qui deberent esse, *et proximi* quantum ad carnem, *appropinquaverunt* non ad imitationem, sed *adversum me*. Et præterea illi *qui juxta me erant*, id est discipuli, qui me cognoverant, *de longe steterunt*, ut Petrus qui ad vocem ancillæ me negavit (*Joan.* XVIII), ut illud : *Stabant omnes noti ejus a longe* (*Luc.* XXIII). *Et* quia amici desuererunt, ideo *vim faciebant qui quærebant animam meam*, id est vitam meam, ad perdendum, illi ideo faciliorem accessum habuerunt. *Et qui inquirebant mala mihi*, id est mortem, cum non haberent ullam veram causam, *locuti sunt vanitates*, id est mendacia, *Hunc audivimus subvertentem gentem nostram* (*Luc.* XXIII) Et, *Hic dixit : Possum destruere templum hoc, et in triduo reædificare illud* (*Matth.* XXVI). *Et* quia locuti sunt vanitates, ideo *dolos tota die meditabantur*. *Ego autem*, qui ad hoc veneram, ut exemplum patientiæ et humilitatis darem, *tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum*, id est, non respondi, tanquam nec audirem, nec loqui possem. *Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones*. Apertius id ipsum dicit, non ideo eos in passione non redarguit, quin haberet unde argueret, qui sæpe illis respondit: *Væ vobis, scribæ : Quid me tentatis, hypocritæ* (*Matth.* XXII, XXIII) ? Sed tacuit in passione, ut adimplerentur Scripturæ, *Sicut ovis ad occisionem ductus est* (*Isa.* LIII), ut nobis formam patientiæ daret. Si enim de cruce descenderet, non videretur potentiam ostendere, sed impatientiam exhibere. Majus signum potentiæ fuit de sepulchro surgere, quam de cruce descendere. Ideo illis non contradixi, ideo omnia patienter sustinui, *quoniam in te, Domine, speravi*, tibi causam meam commisi. Hic monet suos, quid agendum sit in tribulationibus, quia cum posset resistere, noluit, sed speravit in Domino. Et quia in te speravi, *tu exaudies me, Domine Deus meus*. Ergo, o fidelis vir, si causa tua non auditur per terrenum judicem, noli desperare, noli deficere ; quia si hic non exauditus fueris, exaudieris in cœlo : si hic a terreno judice accipies sententiam, a Deo accipies in cœlo coronam. Et alia causa cur *factus sum sicut homo non audiens*. *Quia dixi*, id est, mecum illud statui, ut in patientia perseverarem, ideo *ne* aliquando *supergaudeant mihi inimici mei*, id est, ne Judæi mihi insultent in passione deficienti, vel alii inimici insultent meis in tribulatione devocatis. Et ne pedes mei, id est, opera vel affectiones meorum, commoveantur, id est, a te recedant, deficientes in tormentis, et sic inimici super me magna loquantur, multas et magnas blasphemias. Et revera scio quia deficientes meos irridebunt, si moti fuerint pedes meorum, quia jam sæpe talia fecerunt. *Dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt*. Et ideo non habui redargutiones, quia voluntarie ad passionem veni , non ex necessitate. *Quoniam ego in flagella paratus sum, et* hoc ideo, quia *dolor meus*, id est, morum, quem habent ex transgressione primi parentis et propriis commissis, *in conspectu meo semper*, donec doleam, quemadmodum in conspectu medici est vulnus. Bene dixi, dolor meus ; *quoniam iniquitatem*, scilicet illorum, *meam annuntiabo* ego Christus, non enim iniquitatem feci, sed suscepi. *Et* non solum nuntiabo iniquitatem esse meam, sed *cogitabo pro peccato meo*, id est, meorum dolendo. Ita et tu quisque fidelis imitare Christum, non solum confitere peccatum tuum, sed cogita ut deleas. Fluant lacrymæ, fiant eleemosynæ : gaudeat pauper de tuo dato, ut et ut gaudes de Dei dato ; eges tu, eget ille ; eget ille tui, eges tu Dei. Exple tu hic foris ejus indigentiam, ut et Deus tuam interiorem suppleat inopiam. Vel ideo *super me magna locuti sunt, quoniam ego in flagella paratus sum*, quod ipsi non putant, sed in flagella coactum. Quod si intelligerent obedientiæ esse quod flagellor, quia *Nemo tollit a me animam meam* (*Joan.* X), non super me magna locuti essent. *In flagella paratus sum*, ut patiar illa flagella quæ illi essent passuri. Quasi dicat *: Ego in flagella paratus sum, inimici autem mei*, tam mei quam meorum, *vivunt*, id est florent in hac vita, *et* ideo *confirmati sunt super me*, id est, prævaluerunt in causa mihi et meis quantum ad exterius, prævaluerunt enim mihi Judæi in passione mea et meis, verberando et occidendo. Et in illa confirmatione *multiplicati sunt*, id est, multi inventi; plures enim facti sunt persecutores, quam imitatores. *Qui oderunt me inique*. Quomodo *inique* subjungit : *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant*

mihi; hoc quid nequius? Qui reddit mala pro malis, bonus non est; qui non reddit bona pro bonis ingratus est; qui autem mala pro bonis, iniquus est: *mala pro bonis*, odium pro dilectione, perditionem pro salute, mortem pro vita; *detrahebant mihi* non propter aliam causam, nisi quia *sequebar bonitatem*, id est, quia dissimilis illis eram et contrarius operibus eorum. *Ne derelinquas me.* Quasi dicat: Sed tu ne des *sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* LI). *Domine*, per gratiam. *Deus meus* per naturam. *Ne Discesseris a me*, non resuscitando, ut illi putant vel ne derelinquas meos, dando constantiam in tribulatione, et ne discesseris a meis liberando ab inimicorum devocatione. Et ut ne derelinquas, ut ne discedas, *Indende in adjutorium meum*, id est, da auxilium libero arbitrio quod dedisti. *Domine Deus salutis meæ*, qui es Dominus Deus per naturam factus es Deus salutis per gratiam. Vel non solum non discedas a me Christo, sed potius facie intende in me extensum in cruce, dando mihi resurectionem. *Domine Deus salutis meæ*, id est, qui dedisti me meis auctorem salutis.

PSALMUS XXXVIII.

IN FINEM PRO IDITHUM, CANTICUM DAVID.

« Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam « in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum « consisteret peccator adversum me. Obmutui et « humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus « renovatus est. Concaluit cor meum intra me, et « in meditatione mea exardescet ignis. Locutus sum « in lingua mea : Notum fac mihi, Domine, finem « meum. Et numerum dierum meorum quis est, ut « sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti « dies meos, et substantia mea tanquam nihilum « ante te. Verumtamen universa vanitas, omnis « homo vivens. Verumtamen in imagine pertransit « homo, sed et frustra conturbatur. Thesaurizat, et « ignorat cui congregabit ea. Et nunc quæ est exspe-« tatio mea? Nonne Dominus et substantia mea « apud te est? Ab omnibus iniquitatibus meus erue « me, opprobrium iusipienti dedisti me. Obmutui, « et non aperui os meum : quoniam tu fecisti: amove « a me plagas tuas. A fortitudine manus tuæ ego « defeci in increpationibus : propter iniquitatem « corripuisti hominem. Et tabescere fecisti sicut « araneam animam ejus, verumtamen vane contur-« batur omnis homo. Exaudi orationem meam, Do-« mine, et deprecationem meam; auribus percipe « lacrymas meas. Ne sileas, quoniam advena ego « sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres « mei. Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, « et amplius non ero. »

ENARRATIO.

Historialiter nihil in hoc psalmo agitur de Idithum, qui fuit unus de illis quinque quos constituit David præcentores psalmorum (*I Par.* XXV), sed ex interpratione nominis quærenda est intelligentia veritatis. Interpretatum enim nobis est Idithum, *transiliens eos*. Est in hoc psalmo vox transilientis eos, scilicet humo adhærentes, terræ incurvatos, de A infimis cogitantes, in terrenis spem ponentes. Hic itaque transiliens, mundum contemnens, terrena omnia conculcans, elegit sibi vivere in quibusdam spiritualibus gaudiis, quæ gaudia in hac vita adhuc manentibus, maxime sunt in divinis Scripturis, ubi investigatio utilis fit labore inquisitionis et dulcedine inventionis. Sed cum omnia mundana jam calcaret, omnes hujus voluptates contemeret, sine sola lege Domini meditaretur, in ea sola delectaretur, de ea aliis frequenter loqueretur, de ea aliis prodesse studeret; intellexit non ibi esse morandum, sed adhuc altius ascendendum : quia studio dicendi perdidit diligentiam cognoscendi. Et cum videret paucos imitatores, multos autem calumniatores, et verborum venatores, falsitatem defendentes, contra veritatem stare para-B tos, et assiduitate loquendi difficile esse in lingua non cadere, non enim frustra in homine posita est, periculo loquendi, statuit silentium remedium, dicens secum : Sufficit mihi delectatio intelligentiæ coram Deo, quid mihi opus est captando loqui, et dare aditum calumniantibus? Dixi ergo, Custodiam vias meas. Titulus *in finem*. Hæc proferuntur *pro Idithum*, id est, in persona transilientis. Et est Prophetæ intentio in hoc psalmo ostendere qualiter omnia mundana a fidelibus sint transilienda, et ad quem tendendum, quo perveniendum.

Dixi, id est, statui mecum et de liberavid, *custodiam vias meas*, id, est omnia opera mea et omne sensus meos caute observabo, adeo *ut non delinquam in lingua mea*, quod valde est difficile : Perfectus enim est omnis qui non peccat in lingua (*Jac.* III). C *Qui custodit linguam suam, custodit animam suam* (*Prov.* XXI). Et: Cultus justitiæ, silentium et pax (*Isa.* XXXII). Et : Eloqui me pœnitet, tacere nunquam. Et post deliberationem *posui ori meo custodiam*, non propter bonos, sed *cum consisteret peccator adversum me*, id est cum calumniator staret cum aliis ad audiendum, non ut imitaretur si qua bona audiret, sed *adversum me*, id est, paratus calumniari si qua audiret pœnitenda : aut cum intelligere nequivit, diceret me nihil dicere. *Obmutui*. Timens malorum calumniam inter conservos cibaria non dispensavi, cum mihi credita esset dispensatio. Et ideo *obmutui*, quia foris non erogavi, intus a Domino accipere non merui. Dictum est illi servo qui Domini sui acceptum talentum errogare timuit: *Ligatis manibus et* D *pedibus, mittite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXV). Si autem illi sic dicitur, qui non fuit cursor ad perdendum, sed puer ad erogandum, quid illis dicetur, qui acceptum talentum luxuriose vivendo perdunt? id est, scientiam quam a Domino acceperunt luxurioso otio dederunt. *Et humiliatus sum*, id est afflictus. *Et* ideo afflictus, quia *silui a bonis*, quod non debui : *et sic dolor meus renovatus est*; ut qui prius dolebam de calumnia malorum, id ideo tacui, postea dolerem quod creditam a Domino dispensationem conservis denegarem. Et cum essem inter has duas necessitates positus dicendi et tacendi : dicendi, quia talentum Domini acceperam, ut ad

mensuram darem, tacendi ne malis locum calumniandi, concederem, *Concaluit cor meum intra me*, id est, cœpit esse inquietum cor meum, conflictatum intus gemino calore, positus inter eos qui calumniari parati erant, et eos qui affectabant, instrui, affligebar in utroque : in his, ne projicerem margaritas ante porcos ; in illis, ne erogarem cibaria conservis. Videbam insensatos, et non arguebam, et me sic tacentem zelus domus tuæ comedebat (*Psal.* LXVIII). Et in hoc æstu etsi multa transilierim, cogitavi tamen adhuc altius ascendendum esse et quærendum tutiorem locum. *Et in* illa *mea meditatione* exardescit *ignis*, id est, quoddam desiderium accendit cor meum cognoscendi finem meum. Et post desiderium *locutus sum in lingua mea*, non ei quem erudirem, sed a quo erudirer ; *in lingua mea*, id est, in lingua cordis, vel in sermone mihi convenienti, qui jam hæc mundana transilieram, hæc locutus sum. *Notum mihi fac, Domine, finem meum :* finem sine fine, non cursum meum, ut non respiciam ad ea quæ jam transilivi, sed ad ea prospiciam quæ restant. Transilivi jam multam, et veni in quædam meliora his quæ transilivi, sed restat adhuc quo sit ascendendum. Nullus enim in hac vita perfectus, cui adhuc desit quo ascendere possit ; audi Apostolum : Fratres, ego me nondum arbitror apprehendisse (*Phil.* III). Unum autem quæ retro sunt obliviscens, in anteriora me extendens, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis. Ideo iste transiliens dicit : *Notum mihi fac, Domine, finem meum*, id est te, ultra quem non est quidquam desiderandum. *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* XIV), id est, fac me te solum cognoscere ad desiderandum, ut omnis mea intentio ad te promerendum intendat, et desiderium meum nusquam moretur, donec ad te perveniat, quia in te solo est beatitudo vera et perfecta. Et si multum proficiat homo, nusquam tamen cessandum, donec ad illum finem perveniatur. Vel *finem meum*, id est, modum loquendi et modum tacendi, quia *tempus loquendi et tempus tacendi* (*Eccle.* III). *Et numerum dierum meorum quis est*, id est, ostende mihi non ad scientiam, sed ad experientiam, certitudinem illorum dierum, id est, illius æternitatis quæ est in illo fine qui numerus est, quia est illorum dierum qui non pereunt, non fluunt tempora : fuit, vel erit ; sed est, semper in illis est, vel, secundum aliam sententiam, qua diximus modus loquendi et modum tacendi, ostende mihi numerum dierum meorum, id est, compensationem illius temporis quod vere est, ut hujus compensatione sciam quid loquendum, sit, et quibus, et quid non : vel doce me semper tendere ad illos dies, qui sunt, ut illorum compensatione pro nihilo ducam quidquid patior in his diebus qui non sunt. Ad hoc illum numerum ostende, *ut sciam quid desit mihi :* scilicet præsentia tua, quia *nunc cognosco ex parte* (*I Cor.* XIII). Hoc enim deest mihi hic laboranti, hic est ille denarius : et quandiu mihi deest, non me dico perfe-

A ctum, sed imminutum ; hunc mihi ostende, mentem meam ad hunc dirige : comparatione enim illius quod est, attendens ista quæ non ita sunt, et plus videns mihi deesse quam adesse, ero humilior ex eo quod deest, quam elatior ex eo quod adest. Quasi dicat : Et revera deest mihi ad perfectionem. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*, id est breves et cito transeuntes. *Dies meos*, id est, quos ego mea culpa mihi mensurabiles feci : cum essent a te dati sine mensura. *Et* non solum dies mensurabiles facti sunt, sed *substantia mea*, quam hic habeo, quam mihi ex nihilo dedisti, *tanquam nihilum* est *ante te*, id est, ad comparationem illius substantiæ et illius claritudinis, quam habiturus sum in præsentia tua. *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens*, id

B est, quamvis nihil sit, tamen miser homo hoc non attendit. *Omnis homo vivens*, id est, omnis homo vivens secundum hominem, id est, in eo quod homo est, non in eo quod imago Dei est, est *universa vanitas*, id est, laborando incurrit omnimodam vanitatem animæ et corporis ; quia et cogitat et laborat in terrenis, quæ ad nihilum tendunt. Quasi dicat : Et non adeo esset mirum, si homo vanis deditus, diu in illis permaneret ; *verumtamen*, id est, licet sit *homo* multimoda vanitas, *in imagine pertransit*, id est, sic cito hæc omnia vana deserit, ut imago transiit in speculo. *Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit* (*Jac.* I). *Sed* tamen miser homo, hoc non attendens, *frustra conturbatur*. Timet hoc non acquirere, timet perdere : et sollicitatur

C multis modis pro se, pro uxore, pro filiis. Revera vane, quia *thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea*, quia incertus est de ejus vita cui congregat : miser non attendit quam cito ab ipsa vanitate decidat, imo de posteritate cogitat. Aliter : Quanquam omnia mundana transilierim, infima calcaverim, in sola lege Dei delectationem habuerim, in dispensando Dominico talento sollicitus fui : et in illa dispensatione fructuavi, *finem* etiam qui sine fine est, quæsivi, *numerum dierum meorum* scire laboravi : ubi sit vera essentia, cognovi : *verumtamen* quandiu in hoc mortali corpore vivo, quandiu ne cadam laboro, quandiu bona et mala mea incerta habeo, *universa vanitas* sum, quantum ad ea quæ sub sole habeo, non quæ supra solem. Nam *omnis homo* hic *vivens*, sive inhærens, sive pertransiliens, est *universa vanitas*.

D Dicit Ecclesiastes : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid habet amplius* in omni *opere suo*, quæcunque *laborat homo sub sole* (*Eccle.* I)? subjacet enim merito peccati multimodæ vanitati ; cupit enim dormire, vigilare, esurit, sitit, et cætera hujusmodi, quæ omnia vana sunt. *Verumtamen in imagine pertransit homo*, id est, quamvis in his quæ sub sole habet, vanitati subjaceat ; tamen in his quæ supra solem habet, non subjacet vanitati, quia *pertransit homo*, id est vivit, vel *pertransit* hanc vanitatem *in imagine*, id est, in eo quod imitatur imaginem ad quam creatus est, id est rationem, scilicet cum proprium finem desiderat. Et tamen quanquam mente

sit supra solem, et in ea non subjaceat vanitati, tamen corpore sub sole est, et ideo vane *conturbatur* omnis homo. *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea*, ut supra. *Et nunc, quæ est expectatio mea?* Quasi dicat : Quia jam omnia hæc mente transilivi, in caducis spem non posui, quæ est ergo exspectatio mea ? *Nonne Dominus ?* Scilicet in quo nihil est vanum, nihil transitorium. Revera Dominus, quia dedit ut ista contemnam, dabit seipsum. Quasi dicat: Merito te Dominum exspecto remuneratorem, quia *substantia mea apud te est*, id est, veram essentiam nusquam habeo nisi in te, id est, in præsentia tua: quia tu solus es, et nullus est, nisi tibi adhærens. Et ut tandem mea substantia apud te sit, *ab omnibus iniquitatibus meis erue me*, non solum ab his quas jam transilivi, ne in eas revolvar, sed ab his quæ restant necessitate viæ. Nullus enim adeo perfectus, quin ex humana conditione contrahat aliquas iniquitates. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Aliter : Intelligo perfectionem meam, intelligo et imperfectionem : imperfectus sum, quia nondum te apprehendi, in quo est perfectio mea. Perfectus, quia scio quid mihi desit : ideo rogo ut me eruas ab iniquitatibus impedientibus ut pervenire possim. *Opprobrium insipienti dedisti me*. Tu *erue*, quia tu *dedisti me opprobrium insipienti*, id est, quia te, non aliud quæro : quia ea quæ non videntur, spero : risus factus sum *insipienti*, id est, illi qui terrenis et præsentibus tantum gaudet, in futurum sibi non providet: vel satis permisisti ut essem opprobrium insipienti, sufficiat tibi hactenus. *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Phil.* I) : vel ideo *erue*, quia ut erui dignus essem *opprobrium insipienti dedisti me*, et ego *obmutui*, in nullo contradixi. Vel ad hoc quod dixit, satis *opprobrium insipienti dedisti me*, satis *obmutui, et non aperui os meum* ad contradicendum, et hanc patientiam habui non ex me, sed *quoniam tu fecisti*, scilicet me patientem, Deus, ideo *obmutui*, quia *tu fecisti* mihi illud *opprobrium* ex juxta vindicta tua. Sed, o Domine, *amove a me plagas tuas :* quidquid enim patior in hoc mortali corpore intelligo esse flagella tua. Quare dico tua ? Quia *increpationibus defeci*, factus mortalis et passibilis, *a fortitudine manus tuæ*, quæ non fuit impotens ad vindicandam culpam et transgressionem humani generis. Et hoc non injustitia tua, sed ex merito meo : quia *propter iniquitatem*, scilicet suam, non tuam, id est, propter transgressionem, *corripuisti hominem*, scilicet primum, et me et totum genus humanum in illo. Ac si dicat : Video me in malis, video me in pœnis, et apud te non video iniquitatem. Si ergo ego in pœna sum, et apud te iniquitas non est, nonne restat ut pro iniquitate erudieris hominem ? *Et* hoc modo corripuisti. *Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus*, id est, talem fecisti vitam hominis, qualis est aranea: quæ si vel facile tangitur, cito frangitur, et mittit tabem. Tabem reddidisti humanam vitam merito peccati, ut de ea non incongrue dici possit : *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* X) ? Quoniam in vita sua projicit intima sua, ad similitudinem : sicut aranea, producendo intima sua, componit fragile opus et in ipso opere moritur : sic homo, projiciendo intima sua, id est, amittendo rationalitem, quod maximum habet, studet in his transitoriis, in quibus cito moritur. *Verumtamen*, id est, quamvis non lateat tanta calamitas, tamen *vane conturbatur omnis homo*, id est, circa hæc vana sollicitatur quæ cito transeunt : *omnis homo*, id est, humane vivens. Et ut ego non sic conturber, *exaudi orationem meam, Domine*, factam pro perseverantia virtutum, *et deprecationem meam*, pro peccatis commissis : *auribus percipe*, id est, ostende te percepisse, *lacrymas meas*, id est, lacrymosas preces. *Ne sileas*, id est, ne iratum te mihi ostendas, quia iratorum dominorum est silere : ideo noli a me iratus recedere, *quoniam ego sum apud te* tantum hic *advena et peregrinus*, id est, ens apud te in spe, intelligo me hic esse advenam: quia hic non habeo manentem civitatem, sed futuram inquiro (*Hebr.* XIII). Et non solum advena, qui de prope potest esse, sed peregrinus, qui multum est remotus : *sicut omnes patres mei*, scilicet intellexerunt patriarchæ et prophetæ et apostoli. Et ut ego apud te possim esse, *remitte mihi :* intensa sunt peccata mea ; sed ea relaxa dimittendo, *ut refrigerer* ab æstu vitiorum in conscientia ; da mihi testimonium bonæ conscientiæ, *priusquam abeam*, id est, recedam ab hac vita, vel *priusquam abeam*, scilicet a te, in quo est mea substantia. Nam si irrefrigeratus abiero, *amplius non ero :* sicut hic temporaliter non fui in vero esse, ita nec post tempus ero in vera essentia.

PSALMUS XXXIX.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Exspectans exspectavi Dominum, et intendit « mihi. Et exaudivit preces meas, et eduxit me de « lacu miseriæ et de luto fæcis. Et statuit supra pe- « tram pedes meos, et direxit gressus meos. Et im- « misit in os meum canticum novum carmen Deo « nostro. Videbunt multi et timebunt, et sperabunt « in Domino. Beatus vir cujus est nomen Domini « spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias « falsas. Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mira- « bilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis « sit tibi. Annuntiavi et locutus sum : multiplicati « sunt super numerum. Sacrificium et oblationem « noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum « et pro peccato non postulasti : tunc dixi, Ecce ve- « nio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem « voluntatem tuam ; Deus meus, volui, et legem « tuam in medio cordis mei. Annuntiavi justitiam « tuam in ecclesia magna : ecce labia mea non pro- « hibebo : Domine, tu scisti. Justitiam tuam non « abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare « tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam et « veritatem tuam a concilio multo. Tu autem, Do- « mine, ne longe facias miserationes tuas a me : « misericordia tua et veritas tua semper susceperunt « me. Quoniam circumdederunt me mala, quorum « non est numerus : comprehenderunt me iniquita

« tes meæ, et non potui ut viderem. Multiplicati sunt « super capillos capitis mei et cor meum dereliquit « me. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me : Do- « mine, ad adjuvandum me respice. Confundantur et « revereantur simul qui quærunt animam meam ut « auferant eam. Avertantur retrorsum et reverean- « tur qui volunt mihi mala. Ferant confestim con- « fusionem suam, qui dicunt mihi : Euge, euge. « Exsultent et lætentur super te omnes quærentes « te, et dicant : Semper magnificetur Dominus : qui « diligunt slutare atuum. Ego autem mendicus sum « et pauper : Dominus sollicitus est mei. Adjutor « meus et protector meus tu es : Deus meus, ne « tardaveris. »

ENARRATIO.

Verus David, id est Christus, caput nostrum, B ostendit in hoc psalmo nullum posse justificari nisi per fidem, non ex operibus legis, non ex libero arbitrio, ut Porphyrius voluit, qui dicebat non esse sibi opus fidem in baptismo accipere, quia jam mortificatus esset interius. Et qui sint qui per fidem justificentur, exemplo suo præmittit, ostendens patientiam esse necessariam, ut reportemus repromissiones : orat etiam pro gentibus, Judæis per fidem concorporandis, ut fiat unum ovile et unus pastor.

Exspectans exspectavi Dominum. Ex magna affectione talis dictionum germinatio solet fieri. Quasi dicat : Ego veni, *non ut facerem voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* VI) : quod oportuerat fecisse primum hominem ; habeo misericordissimum promissorem ; exspecto fidelissimum exhibitorem ; præbeo me humilem exactorem. C *Exspectans*, id est, cum patientia obedientiam complens, *exspectavi Dominum*, non quemlibet hominem promissorem, non impotentem, sed omnipotentem : qui, etsi differt quod promisit, non tamen aufert. *Et* quia patienter exspectavi, *intendit mihi*, id est, intuitus est me ad utilitatem meam. Quasi dicat : Ita et vobis patientia necessaria est. Majus est quod dicit, *mihi :* quasi diceret, me, quia vultus Domini etiam super facientes mala. Et hoc modo intendit. *Exaudivit præces meas*, factas pro peccatis meorum : quas ex nimia affectione meas dico : quod in hoc apparet, quia *eduxit me de lacu miseriæ*, id est, de lapsu peccatorum eduxit meos per confessionem et pœnitentiam : *lacus miseriæ*, est peccatorum multiplex lapsus et profunditas : in quo lacu alii sunt supra, D alii infra. Supra sunt humiles deprecatores et lacrymosi clamatores ; infra vero, superbi contemptores : hi ibi remanent, illi inde educuntur. *Et de luto fæcis*, id est, de sordibus lubricis hujus sæculi. In luto notantur sordes, in fæce lubricum, id est, eduxit meos etiam de illis peccatis, in quibus pronior est lapsus, scilicet ambitione et luxuria ; et postquam eduxit, *statuit supra petram pedes meos*, id est, affectiones meorum firmavit in me petra, ut me imitarentur, mihi conformes fierent, ut ultra non relaberentur in lutum ; *et* postquam eorum affectiones firmavit, ut amplius non amarent ca-

A duca, *direxit gressus meos*, id est, opera meorum quæ prius erant distorta. *Et immisit in os meum*, in os cordis, *canticum novum*, id est novam vitam ; qui prius cantabant canticum vetus, nunc canticum novum. *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete ea servire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI), scilicet *carnem Deo nostro*, ut recte viventes, nihil nobis, sed totum gratiæ Dei attribuamus : quia illud fuit vetus canticum, de nobis præsumere et ad quam utilitatem istud novum canticum ? Magna, quia *videbunt multi* successores illos cantare novum canticum id est, innocentem vitam ducere, Deum laudare : *et timebunt*, scilicet cantare vetus canticum, scilicet prave vivere et mundum laudare. *Et* sic *sperabunt in Domino*, in quo est sperandum : ideo *in Domino* quia desperabunt de sæculo. Nullus sperat in Domino, nisi qui prius desperat de mundo : et ideo inimicus mundi efficitur, ut Domini amicus fiat. Et talis bene *vir* dicitur, et *beatus :* et quia illud canticum non ore corporis, sed cordis cantatur, ideo dicit : *Videbunt et non audient.* Hic cordo semper in Ecclesia viget, ut alii præcedant, et alii illos imitentur, et hos illi minores. Et quo fructu in Domino sperabunt, audi. *Beatus*, id est bene auctus, erit *vir, cujus est nomen Domini spes ejus*, id est, qui dignum exhibendo obsequium, idoneum se facit, ut in illud nomen, quod est Dominus, sperare valeat. *Et* postquam in eum spem fixit, *non respexit in vanitates*, id est, oculos cordis non retorsit ad hæc transitoria : quia *nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX). *Et* quia non respexit, in *insanias falsas*, id est, ad ludos hujus sæculi et ad spectacula theatri, quæ hominem insanum faciunt : *falsas*, nihil veritatis habentes. Quasi dicat : Merito ad hoc non respexit, quia potius est respiciendum ad spectacula et mirabilia Dei. Nam *multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua*, ad quæ potius respiciendum : in illis est sana et sobria ebrietas. Mirabatur aliquis in theatro aurigam regentem currum sine læsione ? videat Deum specialiter regentem omnes illicitos motus, et se illos regere cum eo, et laudet Deum. Miratus est ibi funambulum ? miretur in Ecclesia mariambulum, non solum pedibus corporis, ut Petrus (*Matth.* XIV), sed, quod est mirabilius, spiritualiter pedibus cordis. Mare etenim est sæculum istud, quia amarum multis sollicitudinibus, venti, variæ tentationes, fluctus, persecutiones, prælia, seditiones quæ omnia calcant sancti et contemnunt. Audiat quisque Dominum clamantem : Exspecto vos, luctamini, adjuvabo, vincite, coronabo. *Et* illa mirabilia scilicet fecisti *tuis cogitationibus*, non indigens alieno auxilio : et ideo *non est qui similis sit tibi.* Ergo in te sperandum. Superius dixit, *Exspectans exspectavi Dominum*, cætera interposita sunt. [illegible] *...tans* Dominum Redemptorem, Ego Christus *annuntiavi*, scilicet opere, *et locutus sum* ore. *Pœnitentiam agite*,

doloris jacuit regendo, et castigando, et in servitutem redigendo carnem, sanus portet grabatum suum, et non ut ægrotus ab eo portetur. Et opus est ut *Dominus ferat opem*, vel revera habet *lectum doloris. Nam universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*, id est, totum corpus humanum in quo infirmus humanus animus velut in strato quiescere quærit versabile fecisti, ut nulla ibi sit requies, cum modo dulcia in amara vertantur, modo amara in dulcia, et sic diversis tribulationibus peccato primi hominis inquietasti, et comparabile fecisti ægroto qui prænimia ægritudine commovet totum lectum. *In infirmitate ejus* ideo sic eum infirmasti, quia infirmus fuit et instabilis in præcepto Domini Dei sui. Aliter, ut non idem accipiamus *stratum*; quod *lectum doloris universum stratum ejus*, id est, omnes delectationes carnis in quibus humanus animus sine peccato delectari potest, ut in prædiis, in domibus, in uxore, in filiis, quod est ei *stratum in infirmitate ejus*, quia adhuc infirmum gerit animum, *versati*, id est, fecisti ut omnes carnales delectationes miscerentur amaritudinibus, ut per amaritudinem inferiorum discat amare meliora, ne viator tendens ad patriam amet stabulum pro domo. Pro qua infirmitate humani generis curanda, pro quo lecto doloris auferendo *ego* veniens, *dixi, Domine, miserere mei*. Insistenda vis pronominis: *ego*, scilicet a peccato immunis, solus homo ad hoc idoneus, solus erga homines tantæ affectionis, *dixi, Domine, miserere*: non dico meorum, cum tamen pro eis orem, sed ex multa affectione dico, *mei*. Et in hoc exemplum humilitatis præbui. Hoc modo *miserere. Sana animam meam*, id est, meorum, qui se juste a te infirmatos cognoscunt. Per se cadere potuit homo, sed per se resurgere non potest. *Sana animam* meorum multiplici vulnere peccatorum sauciam, ut tandem et corpus sanes. Tu *miserere*, tu *sana quia tibi peccavi*, tu solus sanus mederis, tu solus sine peccato misereris. Tibi peccatores et desperati reservantur, ut nimium ægrotans bono medico. *Ego, dixi, miserere, sana, inimici* autem *mei* qui deberent esse amici, *dixerunt mala mihi*, id est, ad meam gloriam, scilicet ista mala: *Quando morietur et peribit nomen ejus*? ut non ultra nominetur, non ultra prædicetur. Aliter: *Inimici mei dixerunt mala mihi*. Describit egestatem illam et paupertatem, tanquam sic dicens: Beati qui intelligunt in me supra quam vident in me, cæterum *inimici mei dixerunt mala mihi*, et ideo minime beati. Quasi dicat, quid mirum de aliis? Nam *et si ingrediebatur*, id est, si aliquis amicitiam et societatem prætendit, simulans ingredi, id est, mecum vel cum meis conversari, ut Judas et illi de quibus dicit Apostolus, *propter subintroductos falsos fratres qui subintroierunt explorare libertatem nostram* (*Gal.* II), ad hoc *ingrediebatur*, ad hoc nobiscum versabatur, ut haberet quod proderet, non quod crederet, et non tantum *ut videret*, sed etiam *vana loquebatur*, amorem prætendebat in ore, quem in corde non habebat. *Magister bone, scimus quia verax es* (*Matth.* XXII). Et hoc non ad meum damnum, sed ad suum, quia *cor ejus congregavit iniquitatem sibi*, non mihi, quia *secundum iniquitatem suam et impœnitens cor thesaurizat sibi iram, in die iræ et furoris justi judicii Dei* (*Rom.* II). Et quia intus fuit in dolo, *egrediebatur foras*, a societate et a vinculo charitatis exivit, *et loquebatur in idipsum*, scilicet in id quod alii qui aperte erant inimici, ut Judas et alii contra Ecclesiam, vel in idipsum, id est, contra Dominum. Et non solum ingredientes, sed etiam *adversum me susurrabant omnes inimici mei*, tam ingredientes quam egredientes. *Venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus* (*Matth.* XXI). Et non mirum si *adversum me susurrabant*, quia prius *adversum me cogitabant mala*, id est, mortem, cum ego illis vitam, sed mala, id est ad meam gloriam, mihi, quantum ad illorum voluntatem, mala, sed sibi quantum ad rem. Et tandem post cogitationem, post murmurationem, *verbum iniquum*, id est, injustam sententiam *constituerunt adversum me. Reus est mortis* (*Matth.* XXVI). Ipsi me ad mortem damnaverunt, sed quæ cura? *Nunquid non resurgam*? Et hoc ostendit per simile. *Nunquid ille qui dormit non adjiciet ut resurgat*. Utique adjiciet. Quod enim ipsi mortem putabant, dormitio mea fuit: quia spontanea, non coacta. Primus Adam dormivit ut fabricaretur Eva (*Gen.* II), secundus Adam dormivit ut fabricaretur Ecclesia. Et quomodo hæc fient? Vel quid dicam de aliis? *Etenim homo pacis meæ*, id est, qui mihi ostendebat pacem dando osculum (*Joan.* II), *in quo speravi* non quantum ad me, ipse enim sciebam quid esset in homine, sed in quo mei sperare potuerunt, quia mecum versatus, in conscientia provectus, vel in quo sperare debui quantum ad communem gratiam. *Esurivi enim*, et cætera: speravi enim in illo esse cibum meum qui edebat panem meum, qui reficiebatur eadem doctrina qua et ego: vel, qui mecum vescebatur *magnificavit super me supplantationem*, id est, plus me supplantavit quam alii. *Dixit enim, ipse est, tenete eum, et ducite caute* (*Marc.* XIV). Quasi diceret: Diligenter eum custodite ne amittatis, quia novi ejus opera et ejus consilia. Inimici mei ad mortem me damnaverunt. *Tu autem, Domine*, cui in hoc obedio, *miserere mei*, id est, præbe meis misericordiam me resuscitando. Hoc modo *miserere. Resuscita me, et retribuam eis*, vel in bonum convertendo, vel in malum judicando eos, post meum judicium judex constitutus; vel etiam hic retribuam temporaliter, nam post quadraginta duos annos captivati et interfecti sunt a Tito et Vespasiano. Et revera retribues, *quoniam non gaudebit inimicus meus super me* resuscitato qui gavisus est de me mortuo. Et *in hoc cognovi quoniam voluisti me*, id est, quoniam placuit tibi obedientia mea et sacrificium meum. Quasi dicat: inimicus meus non gaudebit, ego autem gaudebo. *Me autem suscepisti* de sepulcro, vel susceptum tuum fecisti *propter innocentiam*, quia solus intra *mortuos* liber (*Ps.* LXXXVII) exsolvi quod *non rapui* (*Ps.* LXVIII). *Et* non solum

resuscitasti, sed *confirmasti me*, id est, immortalem, et impassibilem posuisti, *in conspectu tuo*, etsi in conspectu eorum ad tempus permisisti videri infirmum, præligendum sane ad tempus infirmari ut *in æternum* confirmeris. Unde *benedictus* sit, id est multiplicetur et crescat in membris, *Dominus* cui servit Israel. *Deus Israel*, id est, Deus qui facit de proficiscentibus pervenientes, *a sæculo* scilicet isto præsenti, *et* usque *in sæculum, fiat, fiat.* Fiat hæc benedictio in priori populo, fiat et in posteriori.

PSALMUS XLI.

IN FINEM INTELLECTUS FILIIS CORE.

« Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes dies ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ? Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. In voce exultationis et confessionis, sonus epulantis. Quare tristis es, anima mea ? Et quare conturbas me ? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt. In die mandavit Dominus misericordiam suam et nocte canticum ejus. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo : susceptor meus es. Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ? Dum confringuntur ossa mea; exprobaverunt mihi qui tribulant me inimici mei. Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus ? quare tristis es, anima mea ? et quare conturbas me. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. »

ENARRATIO

Hic psalmus præferendus est in finem, id est, Christum ; psalmus, dico, *intellectus*, id est, mittens nos ad intellectum, hunc scilicet ut attendamus miserias præsentis vitæ, et toto desiderio ad illum tendamus ubi nulla erit gaudii perturbatio, propositus hic intellectus filiis Core ad discendum. Historialiter nihil agitur de Core vel ejus filiis, sed nominis interpretatio mittit nos ad intelligentiam veritatis. Interpretatur enim Core *calvus* vel *calvaria*, in quo Christum intelligimus qui calvus fuit, quia nihil superflui habuit, nihil in Verbo vel in facto habuit otiosum et non dignum imitatione. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* v). Ejus carnem comedimus cum facta ejus imitando pensamus, bibimus et sanguinem cum pro eo sanguinis effusionem non timemus; nihil in eo fuit quod comedendum non esset ; vel, ideo calvus dicitur, quia per Eliseum calvum præfiguratus fuit, cui ascendenti in montem quadraginta duo pueri Hebræorum insultantes dixerunt : *Ascende calve*, quibus ipse maledixit ; postquam maledictionem exierunt duo ursi de silva qui eos devorarent. Per Eliseum, ut dictum est, Christus accipitur, per pueros insultantes, stultos Judæos qui Domino insultantes, dixerunt : *Crucifige, crucifige* (*Joan.* xix), quia calvus erat, id est, immunis a peccato, et dissimilis operibus eorum : per duos ursos de silva exeuntes, Titum et Vespasianum accipimus, qui eos quadragesimo secundo anno post Domini mortem, quod præfiguravit numerus puerorum, devastavit, multis modis afflixit ; vel ideo calvus dicitur, quia in Calvariæ loco crucifixus est, qui locus dicitur Calvariæ a nudatis ossibus mortuorum qui ibi crucifigebantur, et est in hoc psalmo vox Core capitis nostri proponentis filiis, id est, imitatoribus suis hunc intellectum, ut qui vult post eum ire abneget semetipsum, discat mundum quem male amat, deserere, ut Deum vitæ fontem possit sitire. Et inducit hoc per simile, ut quicunque vult Deum desiderare sit similis cervo in velocitate, nihil eum detineat in hac vita. Et in hoc etiam sit similis : mos est cervorum serpentes de cavernis educere et devorare, et tunc sitientes magno desiderio ad fontem currere, ut ibi deponant senium et innoventur ; ita et hic volens desiderare Deum fontem vitæ, prius exstinguat in se serpentes iniquitatis, sibilat luxuria, sibilat avaratia, sibilat ambitio, monet deserere rectum potius quam amittere commodum ; morderis a serpente, et non eam interficis ; refrena avaritiam, rege libidinem, compesce cætera carnis illicita desideria, et exstingue serpentes iniquitatis, et tunc vere tibi hic intellectus proponetur, tunc hæc verba recte tibi convenient, scilicet impigre exstinctis serpentibus.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea, id est, mei Core, scilicet Christi, exstinctis serpentibus vitiorum quas assumpsi, non quas naturaliter habui qui peccatum non feci. *Ad te* Deum hauriendum. Et quia cervus et ad lavandum et ad bibendum potest fontem desiderare, ideo determinat quomodo desideret. *Sitivit anima mea*, scilicet venire *ad Deum fortem* a quo est omnis fortitudo mea, per quem fortis fio ad exstinguendos serpentes iniquitatum mearum, *vivum*, per quem est mihi et meis vera vita. Hieronymus : *Ad Deum fortem vivum*, non ad mortua simulacra. Et in hoc desiderio dixi : *Quando veniam et apparebo ante faciem* Domini ? sitio in cursu, satiabor in adventu, scilicet quando immortalis factus revertar ad Patrem tempore constituto, cum completa fuerit obedientia mea ; prius sedendum, prius humiliandum, postea ero immortalis et impassibilis ut conspectui tuo sim dignus astare quo impietati aspirare fas non est. Quasi dicat : Revera veniam et apparebo, quia *fuerunt mihi lacrymæ meæ*, id est, meorum ex miseria temporali, quas ex magna affectione meas dico ; *panes*, id est, refectio, *die ac nocte*, id est, omni tempore, vel *die*, ante passionem ; *nocte*, in passione. *Dum*

dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? id est: dum tamen contemptui indesinenter habeor, quasi nullo auxilio, nulla sublevatione Deus adsit. Aliter : Dum meditor, dum in via sum, antequam appaream, *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* ; quia bibere nondum poteram fontem illum, avidius lacrymas meas manducabam. Non enim dicit, factæ sunt lacrymæ meæ potus, ne ipsas sitire videretur. Si quis sitiens manducat eo amplius sitit, ita et qui in hoc desiderio est lacrymas ex præsenti peregrinatione vice panum habeat. Consume autem serpentes iniquitatis si vis plenius sitire fontem veritatis, quæ sitis nunquam fit nisi *die ac nocte*, prosperitate hujus vitæ et adversitate. De miseria præsenti sufficienter attendas, quod attendere ad sitim illam citandam vicem panum habet. *Dum dicitur mihi* et meis *quotidie : Ubi est Deus tuus?* Hic homo non est a Deo (*Joan.* IX). Hic homo cum sit, facit seipsum Deum (*Joan.* X). Et, *si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII). Et meis dicitur : *Ubi est Deus tuus*? Ab his qui creaturam Deum habent ostendit digito simulacrum suum, et dicit : Ubi est Deus tuus ? Nusquam est. *Hæc recordatus sum*, id est, illis sic dicentibus, in memoria habui comtemptus illorum ut perseverem. *Et effudi in me animam meam*, juxta illud Isaiæ : *Cum effuderis esurienti animam tuam* (*Isa.* LVIII), recordando eorum contemptum, magis desideravi te, *fudi animam meam in me* : id est, humiliavi me, attendi quid creatura debeat Creatori, quid inferior superiori, quid servus Domino, et non solum fudi in me, sed *effudi* extra me ad desiderium tui. Aliter : Illis sic improperantibus, *recordatus sum* hæc mihi esse præordinata et imposita a te, et hæc recordando *effudi animam meam*, id est, extra me fudi ad recognoscendum gloriam proxime futuram pro obedientia. Et ita *effudi* extra, ut prius funderem in me, ut supra. Et merito *effudi*, merito me humiliavi, *quoniam* hoc modo, scilicet complendo obedientiam *transibo usque ad domum Dei* scilicet constituendam, id est, Ecclesiam quæ domus est, ad comparationem synagogæ quæ transitoria fuit, in qua Deus habitat per fidem et spem, ideo *transibo*, quia *veniam* prius *in locum tabernaculi*, id est, exsolvam legalia. In templo enim est præsentatus et circumcisus (*Luc.* II), quia *non veni solvere legem, sed implere* (*Matth.* V). *Tabernaculi* dico, *admirabilis*, legalia enim instituta mirabilia fuerunt, non in temporalibus institutis, sed in horum significatis. Aliter: Ideo me humiliavi, ideo obendientia complevi, quoniam sic *transibo* usque ad domum Dei restaurandam, id est, super cœlestem Jerusalem, veniens prius *in locum tabernaculi admirabilis*, locus tabernaculi in terra, homines fideles Deo militantes, in quibus admirandum est membrorum obsequium qui jam non regnat in eis peccatum, ut obediant ei ad iniquitatem (*Rom.* XI), sed obediunt justitiæ in sanctificationem; admirandum etiam quomodo anima Deo militet, refrenando cupiditates, virtutes colendo. Ego *ransibo* bene operando et docendo, *usque ad domum Dei* constituendam, et hoc non ex justitia aut ex necessitate, *hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX), sed *in voce exsultationis*, id est, exsultativa voce quæ non fit nisi juncta bona operatione quia exsultatio corporis est, *et confessionis*, id est, laudis tuæ, totum tibi attribuens, talis *exsultationis*, qualis solet esse *sonus epulantis* juxta illud beati Andreæ: O bona crux, diu desiderata. Et beatus Laurentius : Assatum est corpus meum, modo versa in corde tuo, id est, cogita qualem constantiam habui, et hoc videns manduca me, id est imitare ; ut panem angelorum manducaret homo, id est, ut reficeretur eadem contemplatione divina qua reficiuntur angeli, rex angelorum factus est homo. Et quandoquidem humiliando me transibo usque ad domum Dei constituendam. *Quare tristis es anima mea?* id est, quare prætendis quamdam tristitiam a mortalibus in te transsumptam *et quare conturbas me?* id est quamdam perturbationem prætendis? *Cœpit enim Jesus pavere et tædere* (*Luc.* XXII). Et, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Non ex coactione, sed ex voluntate, non ex necessitate, sed ex affectione, qui enim potestatem habuit cum vellet, ponendi animam suam, potuit et in se transferre tristitiam suorum. Et quia non ea necessitate, *spera in* Domino et noli turbari. Istud *spera, quoniam adhuc confitebor illi*, id est, futurum est ut mei confiteantur, illi prius inimici tandem facti mei hanc confessionem : tu es *salutare vultus mei*, tu es *Deus meus*, id est, cognoscent *te verum Deum et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). vel *Deus meus*, *Deus* creatione, *meus* recreatione, ens *vultus mei*, id est, meæ naturæ, est *salutare*, id est, salvator meus, unde alius propheta : Spiritus ante faciem nostram, id est invisibilis Deus, factus visibilis assumendo naturam nostram, et Spiritus narium nostrarum Christus Dominus (*Thren.* IV). Quod alibi dicitur Spiritus sanctus incarnatus sic accipitur. Pater est Spiritus, id est, quoddam invisibile incorporeum, et illud sanctum idem dicitur de Filio, idem de Spiritu sancto. Deus, ex eo quod Verbum, salutare ; ex eo quod homo, *Ad me ipsum anima mea conturbata est.* Quasi dicat : Ideo non est tristandum animæ meæ, quia *ad me ipsum conturbata est*, non extra me: *quia nemo tollet a me animam meam, sed ego pono eam* (*Joan.* X). Aliter : ad me ipsum se referens *anima mea*, id est, ad susceptam ab homine mortalitatem et passibilitatem, *conturbata est*, quia in me ipso passibilis eram, quanquam essem et Deus, tristis fuit anima mea, cœpi pavere et tædere. Sed quorsum ita conturbant ? ut commemoretur et convertatur ad me genus humanum, attendens prius promissa et accipiens post exhibita. *Propterea* quia potens sum ponere animam meam cum volo, et iterum sumere, *memor ero tui de terra Jordanis*, id est faciam tui quosdam memores de populo Judaico se humiliante, et in se descendente, ut apud te exaltetur. *Jordanis* enim interpretatur *descensus*. *Et* de terra *Hermoniim*, id est, quosdam de gentilitate faciam tui memores, se anathemati-

zantes, id est, se relinquentes ut tibi uniantur. *Hermon* interpretatur *anathema eorum* : et est in terra gentium : scilicet *a monte modico*, id est, illos tui faciam memores, qui mons erunt propter virtutum excellentiam, modicus in humilitate : hoc modo faciam tui memores *de terra Hermoniim*. Nam *abyssus abyssum invocat*, id est, profundus et magnus intellectus illorum de Judæa invocat abyssum, id est, intellectum gentium ad conformationem suam, id est, venientes ad fidem de circumcisione gentes ad fidem trahent (*Joan.* IV), *in voce cataractarum tuarum*, id est, exponendo eis illas voces. In hoc enim verbum est verum, quia alii sunt qui seminant et alii qui metunt. Cataractæ dicuntur occultæ viæ per quas aquæ cœlestes decurrunt. Et bene doctores ex circumcisione gentes poterunt ad fidem trahere vel majores, quia *omnia excelsa tua*, id est, supplicia futura quæ adhuc suspendis, quæ nunc minaris futura promerentibus, *et fluctus tui*, id est, passiones illæ quæ nunc assidue influunt et turbant ex humana infirmitate et passibilitate, *transierunt*, scilicet ab eis super me imposita et *super me* consummata ; quidquid enim illi meruerunt ex culpa, ego persolvi ex gratia. *Excelsa* jam *transierunt* in re, *fluctus* in spe : *vere languores nostros ipse* abstulit, *et dolores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII) : non ita *transierunt fluctus*, quin simus mortales et passibiles, sed hoc modo, quia non ducunt nos ad æternam mortem. *Et excelsa tua*, id est, gravis damnatio extrema super me considerata ab inferentibus, quia ipsi putaverunt me dignum illa damnatione. *Transierunt*, ab illis dico, non ab omnibus, sed ab illis qui attendunt in *die*, id est, in prosperitate *misericordiam* Domini sibi exhibitam ad consolationem. *Et nocte*, id est, in adversitate intelligunt canticum, id est, laudandum esse Dominum. Multi enim cadunt ad suam utilitatem et aliorum, et adversitas temporalis multis fit ad utilitatem, ut discant mundum male blandientem contemnere, et Deum desiderare in quo vera et summa felicitas est. Unde Job : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non* sustineamus ? (*Job.* II) *Dominus dedit, Dominus abstulit* : *Sit nomen Domini benedictum* (*Job* I). Quam *misericordiam in die* cantandam *et nocte canticum, Dominus mandavit*, scilicet per me, id est, invisibilis et incomprehensibilis Deus per assumptionem carnis meæ ostendit, qui *in die*, id est, ante passionem misericordiam ejus cantavi, *et nocte*, id est, in passione ejus, *canticum*. Aliter : *Super me transierunt. Transierunt* ab eis quibus debebantur super me imposita, et hoc ideo quia *in die*, id est, in prosperitate, scilicet usque ad tempus passionis meæ, quamdo quasi prosperandum mihi fuit ut implerem quæ implenda erant, *mandavit* per me *Dominus*, id est, notam fecit generi humano *misericordiam suam*, id est, ea notificavi quæ de reparatione illius ante passionem meam notificanda erant. *Et nocte canticum ejus*, id est, in passione mea proposui omnibus quid sit faciendum in talibus, scilicet in omnibus *misericordiam* ejus laudandam, quia misericors est cum parcit in prosperitate, cum non meremus nisi flagella ; misericors cum flagellat ad tempus, ut in æternum conservet. Et ut possint *in die misericordiam* cantare *et in nocte canticum*, offeram Deo sacrificium, sed illud non quæram extra me, *apud me* enim id est, in me *oratio* quam offeram *Deo*, scilicet vitulum labiorum, id est, laudem oris cum innocentia cordis et puritate operis. *Deo* dico auctori *vitæ meæ*, id est, meorum hæc illa oratio : *Dicam Deo* : *Susceptor meus es*, nihil meritis meis attribuam, sed totum gratiæ tuæ. Tu suscepisti me de sepulcro et meos de massa perditorum. Et quia Deus est *susceptor meus*, *quare oblitus es mei* ? id est, meorum, id est, quare videris oblitus dum permittis cadere ? *Et quare contristatus incedo* ? id est, incedunt mei timentes casum ? *Dum affligit me inimicus*, in tantum ut etiam *ossa mea* confringantur, id est, fortes mei vel patientia mea superentur et devocentur nimia persecutorum crudelitate et confractis ossibus, *exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei* ; improperaverunt mihi Deum meum, *dum dicunt mihi per singulos dies*, id est assidue, *Ubi est Deus tuus* ? Quasi dicat : Etsi foris videaris oblitus, intus minime, si differs, non tamen aufers. Aliter, secundum Hieronymum : *Dum exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei*, dum ego te per pœnitentiam et afflictionem corporis et animæ placare desidero, inimici mei putantes me incassum hæc facere, dicunt : *Ubi est Deus tuus* ? Dicunt hæc in evidentia rei, dum tormentis a Deo removere satagunt et verbis, putantes me derelictum cum foris patior et non evidenter liberor, attendentes quid patior, non quare patior. Et quia tanta commoda futura sunt ex mea affectione, vel quia *in die mandavit Dominus misericordiam* et *nocte canticum. Quare tristis es, anima mea* ? *et quare conturbas me* ? id est, quare prætendis quamdam tristitiam et conturbationem, non ex coactione, sed ex voluntate, hæc toties caput nostrum repetit, ut suos consoletur et exhortetur suo exemplo, ut non deficiant in laboribus hujus vitæ transitoriæ positi in spe æternæ felicitatis, scilicet visionis Dei, et quia non ex coactione, *spera in Deo*, et merito, *quoniam adhuc confitebor illi*, *salutare vultus mei et Deus meus*, id est, etsi modo tanta pro eis patior, tamen mei adhuc confitebuntur corde, et ore dicent : *Deus meus* salvator est *vultus mei*, id est, est homo ut ego. Aliter, in persona Ecclesiæ : *Ubi est Deus tuus*? Illi quidem de suis diis in præsenti possunt agere demonstratione, non autem oculos habent quibus videatur Deus meus, quia *invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom* I), animus per ministeria corporis quædam faciens non est insufficiens ut per se alia non sentiant, ut enim se videat per se a corporeis sensibus se subtrahit, et confert se ad interiores, atque ministeria corporis non sufficiunt, splendorem, sonoritatem, odorem, saporem, lenitatem virtutum, vel contra, vitiorum sentire. *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam*

meam. Constitui et ipse quærere de Deo meo, ut non solum crederem, sed etiam de illo aliquid viderem. Sentio aliquid esse ultra animam meam. Si enim in se remaneret non effusa super se, non videret nisi se. Supra ipsam autem attingendus Deus est, supra animam est domus Dei, ad quam ut ascendat effundit se supra se. Conscensio autem ista non est nisi per viam Ecclesiæ, qui habet in secreto domum altissimam, habet tabernaculum in terra, in quo dum ambulas, si tibi rerum tumultus non obstrepit, duceris in interioris et intelligibilis soni jucunditatem, ut omnia externa contemnas raptus ad internam illam lætitiam, sed quia licet illuc rapiamur, tamen quandiu sumus in corpore peregrinamur a Domino (*II Cor.* v), sequitur, *Quare tristis es, anima mea? quare* turbaris? Non ad Deum, sed *ad me ipsum anima mea conturbata est. Spera in Deo,* quia incertum habeo; si apparuero *ante faciem Dei,* non erit quod eam conturbet. *Ad me ipsum* merito turbatur, quia sentit mutabilitatem; ad Deum non turbatur, quia sentit incommutabilem: Justitia Dei semper est, mea autem si hodie est, cras non. Vis autem non turbari? Ne remane in te ipso, ne de te præsumas. *Jordanis* interpretatur *descensus,* quia in me nihil nisi infirmitas in me humiliabor, de te præsumam. Quod est, *memor ero tui de terra* id est, descendam ut liberer, non ascendam ne elidar. *Hermon, anathema,* ergo quæ mea sunt anathematizabo, ut displicendo mihi placeam illi. Ad illum respirabo de *monte* parvo ut me faciat magnum. *Abyssus abyssum invocat, abyssus* est immensa profunditas. Ergo profunditas hæc profunditatem intellectoris exigit, et hoc in voce prædicatorum, Sic enim justus justum lucratur, et sic non mihi præsumendum. Aliter: Propterea comturbatus in me ad te suspiro quia audio in voce Scripturarum quod si me nunc habet abyssus iniquitatis, ipsa vocabit aliam, id est de ipsa transibo ad *abyssum* gehennarum. *Judicia tua abyssus multa* (*Ps.* xxxv), quia et hic interioribus tenebris damnas, et post exterioribus; quid ergo? Irrumpant in te suspensiones ejus, id est, *excelsa* quæ minatur, et *fluctus,* id est, quæ jam sentis, vel idem est quod *abyssus abyssum invocat;* et quid ad hæc? Mandat tibi Dominus in prosperis *misericordiam,* attende, dum securus es, disciplinam Verbi Dei, et liberabit te; quod non patebit nisi in adversis. Proptera *apud me oratio, Judica me Deus* etc,

PSAMUS XLII.

PSALMUS DAVID.

« Judica me, Deus, et discerne causam meam de « gente non sancta: ab homine iniquo et doloso « erue me. Quia tu es Deus fortitudo mea, quare « me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit « me inimicus? Emitte lucem tuam et veritatem « tuam; ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in « montem sanctum tuum et in tabernacula tua. Et « introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat ju« ventutem meam. Confitebor tibi in cithara, Deus « Deus meus, quare tristis es anima mea? et « quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam « adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus « meus. »

ENARRATIO.

Ipse psalmus potest per se legi, ut sit vox capitis pro sua resurrectione: vel jungitur cum superiori hoc modo. Supra dixit, *omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt,* id est, considerata sunt ab inimicis super me imponenda, quia ipsi deputant me dignum illa extrema damnatione gravissima et præsenti persecutione.

Judica me Deus. Judicant de me impii quod injustum est, judica tu quod justum est; judicant alii, sed non discernunt, par labor, sed dispar conscientia. Tu hoc modo *judica. Discerne causam meam.* Etsi pœna nunc sit par cum impiis et labor, fac ut per finem discernatur causa, fac me resurgere, ut hoc modo causa cognoscatur dispar. *Erue me de gente non sancta,* id est, de gente illa quæ se sanctam facit, et non est, id est, *ab homine iniquo et doloso,* hæc est gens non sancta. Quid iniquius quam ut infirmus occidat medicum, servus Dominum, impius justum? dolosus erat idem Judaicus populus, cum diceret: *Nobis non licet occidere quemquam* (*Joan.* xviii). *Dentes tamen eorum arma et sagittæ, et linguæ eorum gladius acutus* (*Psal.* lvi), cum dicerent: *Crucifige, crucifige* (*Joan.* xix). Ideo tu erue, tu *discerne, quia tu es, Deus, fortitudo mea,* per quem ego et mei fortes sumus, id est, constantes in passione. Vel per quem ego et mei sumus futuri fortes, quando erimus immortales et impassibiles qui modo apparemus debiles. Et *quia tu es fortitudo mea, quare me repulisti?* id est, quid causæ est quod in tantum permittis affligi ut videar derelictus? *Et quare tristis incedo,* id est, quid consilii, quæ utilitas quod tristis est anima mea usque ad mortem? quod paveo et tadeo trausformando in me pavorem meorum, *tristis* dico, *dum affligit me inimicus* Judaicus populus. Magna utilitate generis humani sum ego repulsus et mei. Ad hoc *cæcitas contigit in Israel,* ut *plenitudo gentium intraret* (*Rom.* xi): ut mitteretur per totum mundum quasi exercitus verbum Dei. Ergo quia Judæi repulerunt, *emitte* me *lucem tuam* de cavea Judæorum in notitiam gentium *lucem,* id est divinitatem quæ illuminat tenebras cordis. *Et veritatem tuam,* id est, præcepta tua in omnibus vera. Et revera educes, quia *ipsa,* non dico deducent, sed jam *deduxerunt* sic certum est, quasi jam sit præteritum. *Ipsa,* id est lux tua scilicet divinitatis tuæ potentia, et mandata tua vera, *deduxerunt me* hominem de Judaico populo, *et adduxerunt in montem sanctum tuum,* scilicet constituendum, id est Ecclesiam tuam virtutibus sublimatam, ut ex utroque pariete fiat unum templum; *et in tabernacula tua.* Quod *montem* hoc vocat *tabernacula* diversa similitudine. Tabernaculum est Ecclesia temporalis, quia in illa militant qui ad palmam tendunt; cum audis tabernaculum, peregrinationem attende, hostem cave, de prælio satage ut tandem

post victoriam quiescas. Potest et sic legi: Verbum A tuum lux tua, veritas tua personaliter mihi unita, ut ex ipsius Dominici hominis persona accipias, idoneum me faciens per experientiam passionis introduci per gloriam resurrectionis in intima cœlorum, et inde misso Spiritu *in tabernacula*, id est Ecclesiam temporaliter militantem. Et quod sequitur, *introibo*, priorum sit persecutio. Sed priusquam deducat, *introibo ad altare Dei* per ascensionem. Quod est illud *altare* [9] *ad Deum*, id est divinam contemplationem, *qui* Deus *lætificat juventutem meam*, id est, me innovatum et meos. Ille lætificat juventutem meam qui prius contristavit vetustatem meam. Aliter : et post tabernaculum constitutum introibunt mei *ad altare Dei*, id est, ad videndam altitudinem Dei. Bene : *introibo*, quia modo foris B sumus in peregrinatione. Ad illud *altare* ille solus accedit qui ad istud securus accedit ; illic inveniet vitam suam qui in isto discernit causam suam : quale hic sacrificium ? ipse qui intrat assumetur in holocaustum. Sed interim, dum illuc tendo, non ero otiosus. *Confitebor tibi in cithara*, ego caput, et membra in me, experiendo passionem et mortem. In meis, mortificando membra quæ sunt super terram, ac de inferioribus ministrando, ut reddant a suo inferiori dulce melos Deo. Et merito, quia tu *Deus* creatione, *meus* singulari gratia, meorum recreatione, qui me immunem facis a peccato, qui meos ita affecisti ut nolint conformari vetustati Adæ, sed sequi voluntatem tuam. Et quoniam hæc omnia commoda futura sunt ex mea afflictione, *quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?* C ut supra, non ex necessitate, sed ex propria voluntate. Et quia non ex necessitate, *spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*, id est confitebuntur mei ad honorem illius. *Salutare vultus mei, et Deus meus*, id est, Salvator est existens *vultus mei*, id est homo et Deus.

PSALMUS XLIII.

IN FINEM FILIIS CORE AD INTELLECTUM.

« Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri « annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in « diebus eorum et in diebus antiquis. Manus tua « gentes disperdidit et plantasti eos: afflixisti po« pulos et expulisti eos. Nec enim in gladio suo pos« sederunt terram, et brachium eorum non salvavit « eos. Sed dextera tua, et brachium tuum et illumi- D « natio vultus tui, quoniam complacuisti in eis. Tu « es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas sa« lutes Jacob. In te inimicos nostros ventilabimus « cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in « nobis. Non enim in arcu meo sperabo, et gladius « meus non salvabit me. Salvasti enim nos de affli« gentibus nos, et odientes nos confudisti. In Deo « laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur « in sæculum. Nunc autem repulisti et confudisti « nos, et non egredieris in virtutibus nostris. Aver« tisti nos retrorsum post inimicos nostros, et qui « oderunt nos diripiebant sibi. Dedisti nos tanquam « oves escarum, et in gentibus dispersisti nos. Ven« didisti populum tuum sine pretio, et non fuit mul« titudo in commutationibus eorum. Posuisti nos « opprobrium vicinis nostris, subsannationem et de« risum his qui sunt in circuitu nostro. Posuisti nos « in similitudinem gentibus, commotionem capitis « in populis. Tota die verecundia mea contra me « est, et confusio faciei meæ cooperuit me. A voce « exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et « persequentis. Hæc omnia venerunt super nos, nec « obliti sumus te, et inique non egimus in testa« mento tuo. Et non recessit retro cor nostrum, et « declinasti semitas nostras a via tua. Quoniam hu« miliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos « umbra mortis. Si obliti sumus nomen Dei nostri, « et si expandimus manus nostras ad Deum alie« num. Nonne Deus requiret ista ? ipse enim novit « abscondita cordis. Quoniam propter te mortifica« mur tota die, æstimati sumus sicut oves occisio« nis. Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, « et ne repellas in finem. Quare faciem tuam aver« tis? oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis « nostræ? Quoniam humiliata est in pulvere anima « nostra, conglutinatus est in terra venter noster. « Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos pro« pter nomen tuum. »

ENARRATIO.

Hic psalmus, id est, bona operatio hujus psalmi perducens in finem, id est, consummationem, propositus est a filiis Core, id est, imitatoribus passionis Christi, aliis minoribus filiis Core ad intellectum hunc, scilicet ut intelligant, cum Deus hæc temporalia subtrahit, nec semper præstat quod petunt, et sæpe miscet dulcia amaris, ad utilitatem meorum hæc fieri. Volentes itaque hoc consilium Dei infirmioribus aperire, ne in talibus tabescant, sancti martyres quærunt ab ipso Deo quid causæ sit, ut, cum patres nostros filios Israel præsentibus consolationibus expleverit et in futuro eorum posteros evidenter liberabit, modo se ab Ecclesia sua quas subtrahit ut multis pressuris subjaceat, et sic tandem aperuit consilium Dei, hoc scilicet ut retrahat ab amore sæculi male dulcis, et doceat amare cœlestia et æterna quæ eis laborantibus sunt promissa. Vel intelligant illa quæ historialiter apud priores patres facta sunt, id est, victoriam de hostibus significare istam spiritualem victoriam de vitiis quæ vere agitur ut hoc intelligentes magis magisque mortificent vitia in se.

Deus, auribus nostris audivimus, auribus audiendi id est, intellectu cognovimus. Quasi dicant sancti martyres : Domine, qui multa beneficia præstitisti priori populo et multa nobis præstaturus es in futuro, quare nos deseris in hoc medio ? Et enumerat beneficia prioris populi, deinde futura, in medio ostendit pressuram et aperit causam. *Patres nostri*, qui nos in fide genuerunt, patriarchæ, prophetæ, apostoli, *annuntiaverunt nobis* in Scripturis suis, *opus quod operatus es in diebus eorum* qui nobis

nuntiaverunt quo persequeretur unus mille, et duo fugarent decem millia. *Et in diebus antiquis*, id est, apud priores eorum, scilicet istud opus, *Manus tua*, id est, potentia tua *gentes disperdidit*, Ægyptios, Jebusæos, Madianitas. *Et plantasti eos*, id est, stabiliter posuisti patres nostros in loco eorum. Vel moraliter : *Manus tua gentes disperdidit*, id est, vitia, *et plantasti eos* in virtutibus, *afflixisti populos*, id est, populositatem, id est, culturam idololatriæ, *et expulisti eos* a tuis. Revera tu hoc fecisti. *Nec enim in gladio suo possederunt terram*, id est, in virtute sua. *Et brachium eorum*, id est, robur exterius *non salvavit eos* ab hostibus, *sed dextera tua*, id est, propitiatio tua, *et brachium tuum*, id est, tua fortitudo, *et illuminatio vultus tui*, quoniam talibus signis adfuisti ut præsens intelligeris, vel quod visibiliter illis aderas. Et hoc non ex eorum meritis, sed *quoniam complacuisti in eis*, id est, cum illis egisti ut lauderis in illis. Vel moraliter : Revera tu *expulisti* vitia, quia ipsi *non possederunt terram* suam in brachio suo, id est, in virtute sua, et robur interius eorum non salvavit eos a vitiis. *Sed dextera tua*, id est, Filius tuus qui est *brachium tuum*, *et illuminatio vultus tui*, id est, visitatio gratiæ tuæ per quam dedisti consilium contra vitia. Et non propter aliud nisi quod *complacuisti* tibi *in eis*. *Tu es ipse rex meus et Deus meus*. Quid ergo ? Aliter tunc, aliter nunc. Mutata sunt tempora, sed non est mutatus Creator temporum, et inde mirum quod idem tunc qui nunc : alia autem tunc, alia nunc. Illa beneficia transierunt, tu ipse scilicet non mutatus, *es rex meus*, quantum ad hominem, *et Deus meus*, quantum ad Verbum. *Qui mandas salutes Jacob*, id est, qui mandasti per angelum salvationem temporalem Jacob, id est priori populo. Nunc autem mandas per Filium salvationem interiorem Jacob, id est, juniori populo. *Novissime enim locutus est nobis in Filio* (*Hebr.* I). Quasi dicat : Et cum hæc ita se habeant, quare tanta mala patimur? Hæc de præterito. Quid autem de futuro ? *in te cornu ventilabimus inimicos nostros*. Cornu de carne est, sed in duritiam versum excedit illius naturam, ita Christus carnem nostram suscepit, sed immunis a peccato fuit. *In te cornu*, per quem excedimus omnem carnalitatem, separabimus tandem paleam a granis, id est, separabimus extrema ventilatione a nobis inimicos nostros qui modo concreti sunt. *Et* tunc *in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, in nomine tuo præsumentes, id est, in invocatione nominis tui. Vel, quia nomen Christianum retinebimus fide et opere, entes vere Christiani, *spernemus* modo *insurgentes in nobis*. Et revera per te. *Non enim in arcu meo sperabo*, id est, in mediocribus meritis meis, vel occulta virtute. *Et gladius meus*, id est, majora merita, vel manifesta virtus *non salvabit me* vel meos a conformatione malorum. *Salvasti enim nos de affligentibus nos*, loquitur de futuris tanquam de præteritis, quai tam vera sunt quasi jam facta. Hæc salvatio erit quando *mortale hoc* induet *immortalitatem* (I *Cor.* XV), *et odientes*

A *nos confudisti* confusione mala, ut dicant : *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam* (*Sap.* V), quia nostra separatio erit illorum confusio. Quasi dicat : Et illis confusis, nos gloriabimur, non erimus otiosi *in Deo*, id est, in misericordia Dei nobis exhibita qui suum opus in nobis coronabit, *laudabimur*, laudabiles erimus. Vel, *laudabimur* in invicem *tota die*, id est, tota illa vita quæ mortem non habebit. *Et in nomine tuo* scilicet glorificando, non nostro, vel, quia a Christo Christiani *confitebimur tibi in sæculum*, cum tu eris omnia in omnibus. *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). *Nunc autem*, scilicet in hoc medio tempore, tu qui hoc modo egisti cum priori populo, qui tandem acturus es tam misericorditer in

B futuro, *repulisti nos*, id est, videris repulisse quantum ad tribulationem, *et confudisti nos*, quantum ad devocationem, quorumdam, vel, repulsi ab invisibili sublimitate multum provolvimur in re, confundimur autem exterius, non in conscientia, eximus contra inimicos, sed corpore invalidi. Nam *non egredieris, Deus, in virtutibus nostris*. Eximus ad inimicos, sed tua, per te nobiscum non procedit. Quod in hoc apparet quia *avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, scilicet quosdam ex nobis nimia tribulatione devocatos qui facti sunt sequaces inimicorum. In Hebræo, *Dedisti* terga nostra hosti, significat illos qui urgene persecutione defecerunt in fide, ut sequerentur inimicos, redeuntes mente in Ægyptum ad ollas carnium, volentes temporaliter gaudere. *Et qui oderunt nos diripiebant sibi*,

C conformando nos sibi. Hoc modo *diripiebant*. *Dedisti nos tanquam oves escarum*, quantum ad reputationem illorum, ad hoc putant nos esse natos ut interficiamur. Quædam oves reservantur ad fetum, aliæ ad interfectionem et comestionem ut arietes, vel *tanquam oves* facile deducibiles, quantum ad devocatos. *Et in gentibus dispersisti nos*, quia quidam timentes devocationem fugiebant de una civitate in aliam. *Vel dispersisti nos*, ut unusquisque sibi nos raperet in gentibus, hoc est in pressura gentium; *Vendidisti populum tuum sine pretio*, multos martyres ad mortem dedisti, et paucos convertisti. Videmus quos dedisti, et non videmus quos acceperis. *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, et si aliquos accepisti, illi non multi fuerunt. Olim unus

D de tuis fugabat mille, modo e converso unus illorum decem millia ex nobis interfecit. Multum est quod summum martyrem das in mortem, et illo fortiter agente non fiunt multi Christiani. Non fuit, quomodo solent immutari pauca multis, in tuis commutationibus, sed dissipabuntur potius conventus laudantium te. Hieronymus : *Vendidisti populuum tuum sine pretio*, quibus dicitur : *Venditi estis in peccatis vestris*. (*Isa.* L). Nullus ita emit eum a te, ut tu sanguine tuo. *Et non fuit multitudo in commutationibus* vestris. Vilior enim erat merces, id est non est commutatio facta. Nam Dominus populum quem emit, non auro, neque argento, sed proprio cum sanguine comparavit

(*I Pet.* I). *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris.* Potest sic legi, ut huc usque de gentibus sit dictum, nunc autem dicatur de Judæis, vel, ut universaliter dicatur de Judæis et gentibus qui omnes vicini sunt propter cohabitationem. Vel, vicini dicuntur qui jam voluntate appropinquaverunt ad fidem nostram et conformitatem, videntes nos tam indigne tractari reputabant nos fore eis maximo opprobrio si converterentur ut et ita cruciarentur. Et non tantum *vicinis*, sed etiam *subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt*, id est longe a nobis, vel, in multitudine circa nos paucos undique persequentes ut nusquam possimus evadere. *Subsannationem et derisum*, id est omne genus irrisionis. *Subsannationem* his qui indignantur quod nos prædicamus Jesum crucifixum. *Et derisum* sapientibus Græcis qui nostram prædicationem stultitiæ deputant, juxta Apostolum: *Nos autem prædicamus Jesum et hunc crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I). *Posuisti nos in similitudinem gentibus.* Hæc est illa irrisio *in similitudinem*, id est in proverbium, cum verbis alicui improperent ut dicant: Tam turpiter moriaris, ut magister ille Christianorum, vel ut Laurentius: vel, si cogitent, cum aliquem volunt cruciari, ut ad nostram similitudinem faciant. Et non solum proverbium, sed etiam *commotionem capitis in populis*, id est ut ex nobis habeant causam commovendi caput, cum viderint nos taliter cruciari, moventes capita sua dicent: Heu miseri! quanta stultitia vos vexat? unde hæc nova insania quod non parcitis juventuti vestræ, sed potius appetatis mortem quam vitam? Sicut moverunt caput exterius et interius contra te, sic contra nos. Unde pro devocatione illa et insultatione, *tota die verecundia mea contra me est*, id est, ante me assidue. *Et confusio faciei meæ cooperuit me*, id est totus coopertus sum confusione, laborans, et gemens et non habens foris adjutorem; et si intus habeam, *a voce exprobrantis*, id est vituperantis nostram sectam, *et obloquentis*, id est verbis impugnantis, *a facie inimici*, id est a terrore interius, *et persequentis*, exterius. *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te.* Ecce intellectus hic aperitur cur Deus hæc omnia fieri permittat. Quasi dicat: sic fecisti cum patribus, sic facturus es nobis quandoque. Quod autem in medio tempore sic nobiscum agis magno a consilio uteris, scilicet ad hoc facis ut sciant quod a te gratis sunt facti, a te gratis reparati: veniant ergo super nos hæc omnia; gratis te colimus, nihil te colendo quærimus nisi te, tu eris omnia in omnibus. *Nec obliti sumus te*, subauditur quærere, te desiderare, quod forsitan faceremus, si felicitas temporalis nullis misceretur amaritudinibus. Nos fortiores non *sumus obliti*, et si infirmi rediissent mente in Ægyptum ad ollas carnium: quod inde apparet, quia *inique* non *egimus in testamento tuo*, id est in promissione quam tibi fecimus, promisimus enim tibi abrenuntiare diabolo et pompis ejus, et te solum sequi: et si caro infirma, spiri-

A tus fuit promptus (*Matth.* XXVI). Inique agit qui pactum non solvit. Habet autem quasi pactum creatura rationalis, ut servus fidelis Creatorem et Dominum præ se faciat, seipsum sibi abneget, diabolum quantum possit abrenuntiet. Dico, *non sumus obliti*, nam *non recessit retro cor nostrum* a te, scilicet a mandatis tuis; et si caro recessit, *cor non recessit*, non recurrimus in Ægyptum ad ollas carnium, non retro aspeximus ad ea quæ dimisimus. Imitamini ergo nos inferiores, filii Core, hanc viam insistite. *Et* scilicet non *declinasti semitas nostras a via tua*, id est, non permisisti opera nostra recedere a mandatis tuis. Vel ideo *non inique egimus in testamento tuo*, quia tu *declinasti*, id est, pendere fecisti *semitas nostras a via tua*, quæ nobis est semita, id est, arcta via, tibi

B est via lata et spatiosa: fecisti ergo ut in semitis nostris viam tuam imitaremur, sicut a Christo tuo prius fuit moriendum, post resurgendum et intrandum in gloriam, ita et nos maluimus ex tempore humiliari prius: prius enim est certare quam coronari, humiliari quam exaltari. Aliæ viæ nostræ, aliæ tuæ: nostræ, per prosperitates, tuæ per amaritudines. Et tu ostendisti nostras vias alias esse a tuis, dicens nobis: Latas vias ambulare vultis? nolite: hac itur ad vitam, hac ad mortem. Quod *non declinasti semitas nostras a via tua*, vel quod pendere eas fecisti a via tua, in hoc patet, *quoniam humiliasti nos in loco afflictionis*. Non gloriabitur quis in loco exsultationis nisi humiliatus fuerit in loco afflictionis, id est, in vita præsenti in qua quoquo te vertas, nulla pax, nulla perfectio, neque est gaudere in triumpho,

C nisi sategerit in prælio. Vel, *in loco afflictionis*, id est, in corpore humilias nos ad tribulandum, vel compati nos fecisti devocatis. *Et* revera magna fuit afflictio in qua *nos humiliasti*, quia *cooperuit nos umbra mortis*, id est, temporalis mors nos multum oppressit, quæ quasi umbra sunt futuræ et æternæ mortis. Vel, *umbra mortis*, id est, illi qui nos sua potentia, vel suis divitiis, vel sua mala conversatione obumbrant ad mortem. Vel, *umbra mortis* sunt quos premit ignorantia veritatis. Dico, *non recessit retro cor nostrum*, nam si recessisset tu vindicares. Nam *si obliti sumus nomen Dei nostri*, scilicet non reddendo ei jus suum in nobis, timendo eum ut creatura Creatorem suum, *et si expandimus manus nostras ad Deum alienum*, id est, prætulimus Creatori creatu-

D ram, *Nonne Deus requiret ista?* scilicet ad vindicandum *requires* utique. Nam *ipse novit abscondita cordis.* Quasi dicat: non solum exteriora, sed et occulta consilia cujusque, quo animo quidque faciat vel patiatur, scilicet *ipse novit* cur hæc omnia mala patiamur, quia, o Domine, *propter te* scilicet promerendum, non propter terrena, *mortificamur* exterius *tota die*, id est, assidue. Nam *æstimati sumus sicut oves occisionis*, id est, stulti et seductibiles, sicut oves sponte ad occisionem euntes, vel facile seductibiles, quantum ad devocatos: Aliter: Dico, *non recessit retro cor nostrum*, et hoc cum quadam fiducia. Nam *si expandimus manus nostras ad Deum alienum et*

obliti sumus nomen Dei nostri, eveniant nobis omnia mala. Diceret aliquis: Nonne Deus injustus est, cum permittet nos tanta pati? non. Nam *nonne requiret* a malis hanc tribulationem? Revera *requiret*, quia ipse *novit abscondita cordis*, id est, non solum cor, sed intentionem cordis quæ occulta est; *ipse novit* qua intentione hæc patimur, *quoniam*, o Domine, *propter te mortificamur*. Et quia *propter te mortificamur, o Domine, exsurge* his qui nos persequuntur; illis enim dormis adhuc, qui te resurrexisse non credunt, qui te mortuum tantum hominem attendunt. Ergo, *exsurge* etiam in notitiam gentium ut cesset jam devocatio, cesset tribulatio. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere* ut fuit *unum ovile et unus pastor* (*Joan.* x). *Quare obdormis, Domine?* Exciteris in cordibus eorum qui te mortuum confitentur, et resurrexisse non credunt, ut tandem desinentes nos persequi, non usque in finem extremæ mortis intereant. *Quare faciem tuam avertis?* Quasi dicat: oblitus nostri videris esse, dum qui timent eos qui occidunt corpus desunt nobis. *Oblivisceris inopiæ nostræ.*

Copia nostra est multitudo credentium, inopia nostra eorum devocatio et eorum subtractio, quorum salutem esurimus. Quasi dicat: oblitus videris inopiæ nostræ, tum devocari multis tribulationibus permittis tuos, et in hoc nos pauperari, illos vero ditari qui nos persequuntur. Revera inopes facti sumus, *quoniam humiliata est in pulvere anima nostra*, id est, animales inter nos sunt humiliati in conformatione illorum qui sunt pulvis, vel ita sumus conculcati sicut pulvis. *Conglutinatus est in terra venter noster*, id est, infirmiores nostri adhæserunt terrenis. Ergo, o *Domine, exsurge*, scilicet *adjuva nos* in persiciendo vocationem gentium. *Et redime nos*, scilicet tuos qui devocantur, *propter nomen tuum*, scilicet glorificandum. Vel, *quare faciem tuam avertis dum oblivisceris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ?* id est, videris præsentiam tuam subtrahere illis, et oblivisci eos in quorum tribulatione nos tribulamur. Inopia sunt illi qui nolunt spoliari, sed supervestiri; abundantia autem sunt, qui gaudent in tribulationibus. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra.* Ac si dicat: Vere *faciem tuam avertis*, quia *anima nostra*, id est, illi qui deberent nos vivificare, humiliati sunt ab his qui pulvis sunt, *Conglutinatus est in terra venter vester*, id est, infirmi nostri quasi glutine conjuncti sunt terrenis.

PSALMUS XLIV.

IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR FILIIS CORE AD INTELLECTUM, CANTICUM PRO DILECTO.

Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua intende prospere, procede et regna. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Myrrha, et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum. Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram. Memor ero nominis tui, Domine, in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.

ENARRATIO.

Psalmus iste cantatur de sanctis nuptiis, de sponso videlicet et sponsa, de rege et plebe, de salvatore et salvandis, et proponitur filiis Core agentibus scilicet pro his qui commutabuntur, id est, pro commutatis ad intellectum recipiendum: quæ sunt etiam canticum pro dilecto. Vel, potest construi præposterato ordine ut dicamus: hæc verba sunt canticum pro dilecto, verba, dico, proposita filiis Core ad intellectum. Hoc nomen Core cum auditur non debemus ad irrisionem accipere, ne in sensu puerili inveniamur comparabiles pueris illis qui sancto Dei Eliseo prophetæ typum Christi gerenti insultabant, dicentes: *Ascende calve, ascende calve* (*IV Reg.*). Quos pueros stulte garrulos et in perniciem suam maledicentes bestiæ exeuntes de silva devoraverunt. Ab imitatione horum puerorum nos revocat Apostolus, dicens: *Nolite pueri effici sensibus* (I *Cor.* xiv), cum tamen magister ipsius nos invitet ad imitationem pueri cum dixit: *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* xviii). Consideret igitur quisque ad quid magister nos invitet, et quid nobis discipulus interdicat, ut quem delectat imitatio parvuli non delectet ignorantia, sed innocentia. Pueri autem illi qui sancto Dei calvo insultabant præfigurabant illos qui, ex nimium pueruli sensu, stabant ante lignum sacrum Dominicæ crucis, dicentes: *Si Filius Dei es, descende de cruce* (*Matth.* xxvii); qui a bestiis sunt dovorati, quoniam a diabolo interius sunt mortificati, vel a bestiis devorati sunt, id est, a Tito et Vespasiano afflicti et condemnati qui dicuntur bestiæ egredientes de silva, id est, a gentibus missi, quæ gentes silvis comparantur, quoniam nullam adhuc receperunt culturam. Quod quadraginta duo ex illis pueris fuerunt a bestiis devorati, præfigurabat quadraginta duos annos qui fue-

runt a passione Christi usque ad destructionem Jerusalem. *Pro his qui commutabuntur*: quæ sit ista commutatio omnis commutatus in seipso potest agnoscere; consideret qui fuerit, quid modo sit; consideret mundum prius idola adorantem, modo vero Deum colentem. Hanc commutationem etiam pagani recognoscunt, cum viderint templa sua deserta, Ecclesias Dei refertas. Vel *ad intellectum* sunt hæc proposita *filiis Core* ut non sint cæci, sicut illi de quibus dictum est: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, vel *ad intellectum*, ut intelligant ad quem pertineat hæc commutatio, ad Christum videlicet, dilectum super omnes dilectos. *Canticum pro dilecto.* Solent scholastici componere carmen cantandum in nuptiis in laudes sponsi et sponsæ quod vocatur epithalamium: ad hanc similitudinem hic psalmus est in laudes sponsi Christi et sponsæ ejus Ecclesiæ. Laudatur hic ille de quo in Canticis canticorum dicitur: *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I.) Gaudeat ergo sponsa Ecclesia se amatam a tanto sponso, quoniam dilexit eam fœdam ut faceret pulchram, quam sanguine suo lavit ut non haberet maculam, in cruce extendit ut non haberet rugam. Quem sponsum Dominus Pater in hoc psalmo nobis commendat, ut majoris sit auctoritatis, prius, secundum ineffabilem generationem illam qua ipse Filius a Patre genitus est, postea vestiens eum humanitate et inducens eum cum magna potentia, ut jungat sibi sponsam suam Ecclesiam, deinde inducens sponsam decenter ornatam et dignam tanto sponso.

Eructavit cor meum verbum bonum. Ne putaremus Dominum Patrem indigere conjugio in generatione Filii sui, ostendit nobis ipsam generationem non ab alio, sed a se ipso factam, sic dicens: *Cor meum*, id est intima substantia mea secreta essentia mea *eructavit*, id est, genuit, *verbum bonum*, id est, Filium mihi æqualem et consubstantialem. De hoc Verbo dictum est: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Ut autem per *bonum* intelligamus Verbum æquale Patri et consubstantiale, ipsum *Verbum caro fatum* nobis insinuat cum dicit: *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi solus Deus* (*Matth.* XIX). In hac responsione non divisit se a Deo, sed potius univit tanquam si diceret: Cum tu dicis mihi, *magister bone* (*Marc*, X), Deum me esse confiteris, quia *nemo bonus nisi solus Deus.* Qualiter Dominus Pater generasset Verbum suum ex corde suo, quamdam similitudinem in nobis ipsis possumus comprehendere, sicut ab infimis summa possunt comprehendi, a creatura Creator. Quisque enim sapiens architectus ædificaturus fabricam ex corde suo generat consilium in quo disponit ipsam fabricam qualiter ædificanda sit, et jam placet ei fabrica, non in specie ædificii, sed in probatione consilii. Facta autem jam fabrica, jam non sibi soli placet, sed etiam videntibus, et sic laudatur consilium in quo prius eam sic disposuit, qui non appareret talis in specie ædificii, nisi præ-

A cessisset in approbatione consilii. Qualiter autem per fabricam subjectam oculi intelligimus præcessisse concilium sapientis, sic, si oculum mentis ad superiora vertamus, in nobis ipsis possumus intelligere sapientiam Patris præcessisse in dispositione nostræ creationis: consideremus nosipsos, cœlum, et terram, et omnes ornatus eorum, homines videlicet in terra, Angelos, Virtutes, Principatus in cœlo, et intelligamus Verbum necessario, quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). Quod ipse Pater hic testatur sic. *Dico ego opera mea* esse *regi*, id est, huic Verbo regi facto, dispono *opera mea* regenda, quia ei soli innotesco; mea secreta, ut sit expositio superioris, sic: *Dico ego opera mea regi*, id est, *Verbum* eructo cum quo omnia *opera mea*

B dispono. Ne *Verbum* illud transitorium intelligamus, supponitur; *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Linguam pro verbo, calamum pro scripto, causam videlicet pro effectu posuit. Tanquam si dicat. Verbum meum non est transitorium, sed est *calamus scribentis*, id est, comparabile verbo scripto et parmanenti. *Scribæ*, dico, *velociter scribentis*, id est, sine mora multa comprehendentis. Sunt scribæ quidam qui uno puncto totam dictionem vel orationem comprehendunt, cui velocitati verbum Patris quodam modo comparatur, quia nihil est velocius quam semel omnia dixisse. Unde illud: *Semel locutus est Deus* (*Job* XXXIII). Nam nunquam secundo loquitur, quia si perit primum, dicat secundum: et si non perit primum, non proferat secundum. Istud dicere Patris nunquam habuit principium, nunquam

C habuit finem: quia *verbum illud attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviter disponens omnia* (*Sap.* VIII). Dicit Augustinus in hoc loco: « Vereor ne id quod dico, a tardioribus aliquando possit intelligi dicam tamen, sequatur qui potest, ne non dictum non sequatur qui potest. *Speciosus forma præ filiis hominum.* » Quasi dicat: Tu Verbum, tu rex *speciosus forma*, id est, in formosa divinitate *præ filiis hominum.* Nota quia posset dicere, præ angelis, sed quia verum hominem eum constituit, ideo *præ filiis hominum* dixit. *Speciosus* dico, quia *diffusa est*, id est, diffundetur *gratia in labiis tuis*, id est, in præcordiis tuis, vel in præsentia tua. Unde illud: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I). Gratia Domini est: quia ipse omnia

D gratis fecit, perditos quæsivit, inventos in humero reportavit, præterita condonavit, futura promisit. *Propterea benedixit te Deus in æternum*, id est, ut diffunderetur gratia in labiis tuis, *benedixit te Deus*, id est, multiplicavit te *Deus*, id est, ego Pater, multiplicatione in æternum tendente. Primum hominem benedixit, sed non in æternum, quia in inobedientiam cecidit, vel istud sit effectus ad hoc quod dixit: *Diffusa est gratia in labiis tuis*, et quis diffundetur, *benedixit te Deus*, id est, promissionibus tuis *benedixit* in æternum, quia sine fine permansuræ sunt. Promissiones autem servi, umbræ fuerunt et transitoriæ, carnaliter intellectæ. *Accingere gladio tuo super femur tuum*,

potentissime, id est tu *speciosus forma*, ut debelles serias potestates, *accingere*, id est, accinctus sis *gladio tuo*, id est, divino eloquio quod est gladius spiritus, et hoc *super femur tuum*, id est, super humanam naturam tuam potenter scilicet *accingere gladio*, hoc gladio separavit Dominus filium a patre, filiam a matre, nurum a socru sua (*Matth.* x). Pater iste est diabolus a quo separatum est humanum genus per prædicationem Domini. Mater est Synagoga a qua separata est filia, id est, Ecclesia ex Judæis congregata. Nurus est Ecclesia ex gentibus constituta quæ erit adversus Synagogam quæ sacros ejus est, mater videlicet Christi, ex qua secundum carnem natus est. Nurus ista significabatur ab Æthiopissa, quam duxit Salomon sibi reginam (*III Reg.* III). Et sic duo adversus tres, pater et mater adversus filiam et filiam et nurum. Nam socrus et mater in Synagoga intelliguntur. *Specie tua et pulchritudine tua intende*, id est, tu accinctus gladio, sis intensus in speciosa *pulchritudine tua*, id est, in abundantia virtutum positus, in qua miser Adam positus, remittebatur cum deberet intendi. Et sic intensus in te ipso, *prospere procede* ad debellandos inimicos: *et regna*, id est, vince *propter veritatem*, scilicet Evangelii, quæ de te fiet. Unde Apostolus: *Exhortatio nostra non de errore, neque in dolo, neque de immunditia* (*I Thess.* II). *Et regna* etiam propter *mansuetudinem* inter tormenta habitam, quia in passione humilis et mansuetus apparebis. *Et regna* etiam propter *justitiam* in parte exhibitam et in parte exhibendam. Exhibita est, ut illud: *Qui justus est justificetur: et qui* sordidus *est, sordescat* (*Apoc.* XXII).

Quod hic videmus impletum. In futuro autem exhibetur justitia, quando incorruptus judex digna quæque ultimo judicio requiret, vel propter justitiam tuorum, scilicet abnegantium sæcularia desideria et sobrie et juste viventium: *et deducet te mirabiliter dextera tua*, id est, potentia tua undique ducet te in notitiam hominum, et hoc mirabiliter, quia eris faciens divina et patiens humana. Et qualiter hoc fiet? Quia *sagittæ tuæ acutæ*, id est, verba prædicationis tuæ sunt acuta, corda hominum videlicet pungentia, et amorem divinum excitantia. Quibus sagittis *populi* percussi *sub te cadent*, id est, se tibi humiliabunt *in* corde *inimicorum regis*, id est, in hoc quod tibi regi cor inimicum habuerunt cadent et resurgent habentes cor amicum tibi. Hac sagitta percussus cecidit Saulus et surrexit Paulus: cecidit persecutor, et surrexit egregius prædicator (*Act.* IX). Et in taliter percussis erit *sedes tua Deus*, id est, in illis sedebis non transitorie, sed *in sæculum sæculi*, id est, æternaliter, et tu merito in illis regnabis, quia *virga regni tui*, id est regimen quo regis tibi subjectos, est *virga* non distortionis, sed *directionis*. Unde alibi: *Reges eos in virga ferrea* (*Ps.* II), cum regimen aliorum sit flexibile et distortionis. Et vere *virga regni tui* est *virga directionis*, quia tu *dilexisti justitiam*: et hoc inde apparet, quia *odisti iniquitatem, et propterea* id est, ut diligeres justitiam, *unxit te Deus* omnium, *Deus tuus*, id est, ego pater tuus tibi in

A omnibus consentiens. Et qua unctione? *Oleo lætitiæ*, id est, spirituali jucunditate, et hoc *præ consortibus tuis*, id est præ omnibus illis, quorum consors es in humana natura. Et quia dixit illum præ omnibus unctum esse ostendit unctionem illorum esse magnam, ut inde ejus unctionem intelligamus admirabilem, cum præ illis unctus sit. Quasi dicat: *finxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, quod magnum est, quia *myrrha et gutta et casia*, id est, omnia odoramenta virtutum spirabunt *a vestimentis tuis*, id est ab apostolis tuis et apostolicis viris. Unde illud: *Vivo ego, dicit Dominus* (*Isa.* XIX), quia his omnibus velut vestimenta, indueris. Vestimenta Dei dicuntur sancti; quia sicut homini nihil est vicinius vestimento, sic Deo nihil est vicinius sanctis. *A domibus eburneis.*
B Domus eburneæ sunt illi quos vestimenta vocavimus. Nam in eis habitat etiam Dominus et dicuntur eburneæ domus propter castitatem et sermonis nitorem. Nam elephas cujus ossa ebur sunt castissimum animal dicitur. *Ex quibus delectaverunt te filiæ regum*, id est ex odoramentis illis quæ spirabunt a vestimentis tuis, delectabunt te filiæ regum, id est Apostoli in fide generati qui carnem domant, spiritum roborant; et hoc *in honore tuo* quoniam licet ab eis in fide generantur, non ab eorum nomine vocabuntur, sed tuo: quia nulli vocabuntur Petrini vel Paulini, sed omnes Christiani, et sic per vestimenta et per domos eburneas *astitit regina a dextris tuis*, id est, in Propitiatione tua. Nam quæ a sinistris erunt erunt concubinæ significatæ per octoginta concubinas Salomonis.
C Numerus autem concubinarum excellens numerum reginarum, significabat quia *multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX). Regina autem stabit *in vestitu*, id est, in doctrina deaurata, id est bonis sententiis confirmata; *circumdata varietate*, subaudis linguarum quoniam variis linguis Ecclesia Christi adunata est. Vel *in vestitu deaurato*, id est, bonis moribus adornato, et *circumdata varietate*, scilicet virtutum. Vel *in vestitu deaurato*, id est in membris solidis, non crepantibus in tribulatione. *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam.* Convertit se ad reginam quasi dicat: Tu regina jam facta etiam filia, audi promissa, et intellige impleta: et qualiter dico ut audias? Inclinando *aurem tuam*, id est, humiliter audi regis tui mandata, *et obliviscere populum tuum*, id est carnalia constituta, vel populum Babyloniæ, cui po-
D pulo rex fuit diabolus. Obliviscere etiam *domum patris tui*, diaboli, id est, nullam habeas societatem cum impiis, et debes oblivisci *populum et domum patris tui*, quia *concupiscet Rex decorem tuum*, id est, te decoram fieri qui te dilexit fœdam, ut faceret pulchram; et sit tibi magnum quod *rex te concupiscet, quoniam ipse*, rex videlicet, *est Dominus Deus tuus. Et* te etiam obliviscente *populum et domum patris adorabunt eum*: *et* pro etiam) *filiæ Tyri*, scilicet filiæ gentium, ut sic per Tyrum quæ fuit civitas vicina Judæis terram gentium intelligamus. Quæ filiæ Tyri adorabunt eum *in muneribus*, id est, in largis eleemosynis per quas omnia munda fiunt eis (*Luc.* II).

Has eleemosynas quærere Dominum in voce pauperis ipsemet notificat, dicens: *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* xv). Vel secundum interpretationem nominis accipiamus gentes iterum. Nam Tyrus interpretatur *angustia eorum:* ubi proprie gentes intelliguntur, quæ nimie angustiabantur de peccatis suis: *Vultum tuum*, id est, ecclesiastica instituta tua in quibus apparet voluntas tua, *deprecabuntur divites plebis*. Ad istos divites loquitur Paulus amicus sponsi istius, dicens sic ad Timotheum: *Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo qui præstat nobis omnia* abundanter *ad fruendum* (*I Tim.* vi). Sed divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum, ut apprehendant vitam æternam. Et quoniam solent munera eleemosynarum aliquando fieri ad favorem hominum, ne hæc filia regis in se ipsa gloriaretur et ab aliis laudem quæreret, subsequitur: *Omnis gloria ejus filiæ regis*, id est Ecclesiæ, fit *ab intus*, id est in conscientia, quia gloria nostra debet esse testimoniam conscientiæ bonæ et interrogationis in Deum, et hæc gloria fit *in fimbriis aureis*, id est, in fine bono, ut sic *in fimbriis* finalitatem accipiamus, et in *aureis* bonitatem. Nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* xxiv). *Circumamicta varietatibus*, id est, variis populis, vel varietatibus virtutum. Per hanc etiam filiam conversam a gentibus, *adducentur regi virgines*, id est, alia Ecclesia, ut sic accipiamus Ecclesiam angelicam cæterasque quæ post primitivam Ecclesiam conversæ sunt. Quæ virgines adducentur *post eam*, id est, post primitivam Ecclesiam, ita ut *proximæ* sint *ejus*, id est, imitatrices fidei ejus. Et istæ tales *afferentur tibi*, id est, ad honorem tuum. *Afferentur* dico, non in mœrore et tristitia, sed *in lætitia et exsultatione*. Unde illud: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore* (*Rom.* viii). *Adducentur* ipsæ virgines *in templum regis*, id est, ad hoc ut ipsæ sint templum. Et ne quis ideo putaret Ecclesiam Christi non esse crescendam, quia non supersunt apostoli et primi prædicatores, subsequitur: Pro *patribus tuis nati sunt tibi filii*. Quasi dicat: Licet non supersint patres tui, id est, a te constituti, tamen non decrescet Ecclesia tua, quia nati sunt tibi filii, quia pro apostolis nati sunt Gregorius, Augustinus et cæteri plures, quos *constitues principes super omnem terram*, et sic per illos *memor ero nominis tui*, id est, celebrare faciam nomen tuum *in omni generatione et generationem*. Et vere per illos hoc fiet, quia *propterea*, id est, quia sufficiunt prædicatores, *confitebuntur tibi populi*, id est, sufficient consequaces: et hoc erit *in æternum*, quod est, *in sæculum sæculi*.

PSALMUS XLV.

IN FINEM FILIIS CORE PRO ARCANIS PSALMUS DAVID.

« Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine ejus. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo. Conturbatæ sunt gentes et inclinata sunt regna, dedit vocem suam, mota est terra, Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob. Venite, et videte opera Domini qui posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret, et confringet arma et scuta comburet igni. Vacate et videte quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus et exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob. »

ENARRATIO.

Vox est in hoc psalmo filiorum Core, illorum qui prædicante Petro apostolo, ut legitur in Actibus apostolorum, recognoverunt arcana Domini, illa videlicet qualiter omnes ad quos venit Spiritus sanctus omnibus linguis loquerentur: recognoverunt etiam quam altus et excelsus apud Deum factus esset ille quem manibus suis crucifixerunt, ut Spiritu sancto idiotas impleret et linguas infantium faceret disertas, et compuncti corde dixerunt: *Quid faciemus, viri fratres?* Et Petrus ait: *Pænitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Act.* ii). Possumus et intelligere arcana illa de quibus ait Apostolus: *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret* (*Rom.* xi). Ut autem hæc arcana intelligamus exhortantur nos filii Core qui hæc loquuntur, sic dicentes:

Deus noster refugium, id est, Deus nostræ naturæ assumptor est nobis *refugium, et virtus*, id est virtuosum refugium: *adjutor in tribulationibus*, id est, in conscientia mala, *quæ invenerunt nos nimis*. In hac tribulatione solus est adjutor qui solus peccata dimittit. Hæ tribulationes inveniunt nos, quando aliis prædicantibus peccata recognoscimus. Invenimus nos ipsi tribulationes, quando sine admonitore peccata flemus: in utroque tamen adjutor noster Deus, et *propterea*, id est, quia eo adjuvante exclusus est tumultus conscientiæ, *non timebimus dum turbabitur terra*, id est, gens judicata in terrenitate perdurans. *Et non timebimus* dum *transferentur montes in cor maris*, id est, dum apostoli transferendi sunt a Judæis in corda gentilium qui mari comparantur, quoniam idololatriæ amaritudine tegebantur, ad quorum comparationem gens Judæorum terra dicitur, quia amaritudine gentium tanquam mari circumdabatur his montibus, id est, apostolis dixit Dominus in Evangelio: *Si habueritis fidem* tanquam *granum sinapis dicetis huic monti:* Tollere et mittere *in mare*, et *fiet* illud (*Matth.* xvii *et* xxi) De se ipso dixit huic monti qui prædicatoribus apostolis missus est in mare, id est, in notitiam gentium. *Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum*. Ecce ostendit qualiter montes transferendi sunt in cor maris: quia sona-

bunt, id est, voces emittent ipsi montes: conturbatæ sunt *aquæ eorum*, id est doctores gentium, et non ipsi doctores tantum destruentur, sed etiam *montes*, id est, principes terreni conturbabuntur *in fortitudine ejus* qui erit nostrum refugium: et hoc non mirum, quia *fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, id est, abundans gratia Spiritus sancti confordabit collectionem sanctorum: *et ipse Altissimus sanctificavit tabernaculum suum*, id est, sibi tabernaculantes: vel sic. *Et transferentur montes in cor maris*, et tunc in ipsa translatione, id est in ipsa prædicatione Evangelii sonabunt ipsæ gentes et turbabuntur doctores eorum, dicentes: Quis est annuntiator novorum dæmoniorum? (*Act.* XVII.) hoc dictum est apud Athenienses. Ephesi autem in theatro suo tantum strepitum fecerunt pro Diana sua ut clamarent quasi per duas horas: *Magna Diana Ephesiorum* (*Act.* XIX). Et *conturbati sunt montes*, id est, principes terreni confisi in *fortitudine ejus*, scilicet maris. Sed quid fecit civitas Dei? *Fluminis impetus lætificavit eam, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Et quomodo *sanctificavit?* Quia *Deus* est *in medio*, id est, in firmitate cordis *ejus*, et ideo licet sæviat mare, licet montes conturbentur, *non commovebitur* civitas ipsa a prædicatione Evangelii, quia *Deus adjuvabit eam mane*, id est, indilate; *diluculo*, id est, in resurrectione sua in diluculo facta; vel *diluculo*, id est, metu mortis consumpto, et sic *conturbatæ sunt gentes et inclinata sunt regna*, id est, principes terreni. Et quo ordine istud fiet? Nam *Dominus virtutum*, id est, virtuose omnia faciens, *nobiscum* ens. Quod alius propheta dicit, *Emmanuel* (*Isa.* VII): *susceptor noster*, id est, nostræ naturæ assumptor, *Deus Jacob*, id est, prioris populi, *dedit vocem suam*, et inde *mota est terra*, scilicet gentium. Et quia Dominus visitat vos, o gentes, *venite*, ergo, non passibus pedum, sed passibus fidei, *et videte*, id est, intelligite *opera Domini, quæ* ipse *Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Jacob*, *posuit prodigia*, id est, admiranda *super terram*, id est, infra terrenos. Et quæ sunt opera? *Auferens bella usque ad finem terræ*, quod alius propheta dicit convertere *gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* (*Isa.* II). *Arcum conteret et confringet arma.* Ecce qualiter bella auferet. Nam *arcum*, id est, occultam impugnationem, *et secuta*, id est protectionem vanæ præsumptionis *comburet igni.* De quo igne dictum est: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut* ardeat. (*Luc.* XII.) Hoc igne comburet Dominus *scuta* dicens: *Vacate*, id est, vacui estote unde pleni estis, implemini unde vacui estis. Quasi dicat: Evacuate saccos vestros palea et implete eos granis *et* sic *videte quoniam ego Deus* quem hominem videtis, *exaltabor in gentibus et exaltabor in terra.*

PSALMUS XLVI.

IN FINEM PRO FILIIS CORE.

« Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in » voce exsultationis. Quoniam Dominus excelsus, ter-

A « ribilis, rex magnus super omnem terram. Subjecit « populos nobis et gentes sub pedibus nostris. Elegit « nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quam di- « lexit. Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tu- « bæ. Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, « psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite « sapienter. Regnabit Deus super gentes, Deus sedet « super sedem sanctam suam. Principes populorum « congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii « fortes terræ vehementer elevati sunt.

ENARRATIO.

Quia ad vos, o *gentes*, gratia Dei pervenit, *omnes plaudite manibus*, id est bene operamini: *Jubilate Deo in voce exsultationis*, id est in voce exsultativa. Nota quia utrinque, et voce et manibus, est plauden-
B dum Deo, quoniam ei tantum voce quis plaudat, non bene, quia pigræ sunt manus; si tantum manibus, non bene, quia muta est lingua, et ideo concordent manus et lingua, illa confiteatur, illæ operentur. Jubilate Deo in voce exsultationis, *quoniam Dominus excelsus* qui hic videbatur infirmus, *terribilis* qui inter Judæos fuit despectibilis, *rex magnus*, qui hic apparuit humilis et parvus, *super omnem terram* gentium et Judæorum. *Subjecit populos nobis*, id est, nobis prædicantibus subjugavit Judæos *et gentes sub pedibus nostris.* Et *elegit nobis* conformandam *hæreditatem suam*, hanc videlicet, *speciem Jacob quam dilexit*, id est, illos qui Jacob imitati sunt. Et psallite, quia *Deus ascendit in jubilo*, id est, in magno gaudio apostolorum. Nam magnum gaudium erat eis quando
C naturam suam in tantum videbant exaltari, *Dominus in voce tubæ*, id est in angelica voce ascendit cum ipsi dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* (*Act.* I.) Ac si dicant: Videte ascendentem, credite in absentem, sperate venientem, et per misericordiam ejus semper vobis sentite præsentem. Et quia Deus in tanto *jubilo ascendit*: ergo *psallite Deo nostro, psallite*, patri videlicet *psallite regi nostro* filio, *psallite* Spiritui sancto, et merito, *quoniam rex omnis terræ Deus* est, et inde *psallite sapienter*, id est, in cordibus vestris, quia non sapienter psallit qui voce tantum psallit, *psallite*, quia *Deus regnabit super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam*, vel Ecclesiam. Ut autem regnaret, *principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*, id est, credentes adhæserunt sibi. Et hoc unde? *Quoniam dii fortes*, id est apostoli
D constantes, *terræ*, id est, de mundo electi, *vehementer elevati*, id est, signis glorificati *sunt* ut congregarentur principes cum Deo. Unde Apostolus *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in Spiritu sancto et in plenitudine multa* (*I Thess.* I): vel sic *principes populorum*, id est, gentium *congregati sunt cum Deo Abraham*, facti filii Abraham non secundum generationem, sed secundum imitationem. Et quoniam illi electi sunt, cum Dominus non fuisset missus ad eos, *dii fortes*, id est, Judæi qui multum præsumebant de terra sua, id est, de se ipsis, *vehementer elevati sunt*, superbiendo contra Dominum.

PSALMUS XLVII

PSALMUS CANTICI FILIIS CORE SECUNDA SABBATI.

« Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate « Dei nostri,in monte sancto ejus.Fundatur exsul- « tatione universæ terræ mons Sion, latera aquilo- « nis, civitas regis magni. Deus in domibus ejus « cognoscetur, cum suscipiet eam. Quoniam ecce « reges terræ congregati sunt,convenerunt in unum « Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, « commoti sunt ; tremor apprehendit eos. Ibi do- « lores ut parturientis,in spiritu vehementi conteres « naves Tharsis. Sicut audivimus, sic vidimus in « civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, « Deus fundavit eam in æternum.Suscepimus,Deus « misericordiam tuam,in medio templi tui.Secun- « dum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines « terræ : justitia plena est dextera tua. Lætetur « mons Sion,et exsultent filiæ Judæ propter judicia « tua, Domine. Circumdate Sion, et complectimini « eam,narrate in turribus ejus.Ponite corda vestra « in virtutite ejus;et distribuite domos ejus,ut enar- « retis in progenie altera. Quoniam hic est Deus « Deus noster in æternum et in sæculum sæculi ; « ipse reget nos in sæcula ».

ENARRATIO.

Audivimus in superioribus quid congrue posset telligi per primam Sabbati audiamus et hic quid conferat secunda.Non latet plures in fide regeneratos,totam septimanam apud Hebræos quondam Sab batum vocari,et primam feriam et secundam feriam primam Sabbati et secundam Sabbati esse appellatas,et quia in prima feria conditor humani generis lucem divisit a tenebris,ejus resurrectio per primam Sabbati congrue potes denotari ; quia tunc revera lux a tenebris est divisa,quaudo Immortalitas a mortalitate est divisa. Secunda autem Sabbati, qua dictum est, Dominum fecisse firmamentum, non incongrue Ecclesiam denotat,quia ipsa pro membris suis dignioribus, quæ hujus mundi tentationibus nunquam cedunt,nomine firmamenti digne notatur Unde Apostolus:*Debemus nos* firmi infirmitates *infirmorum sustinere* (*Rom.* xv). Hanc Ecclesiam videns Propheta ex omni genere construendam,exhortatur posteros suos, ne se ab ædificio hujus Ecclesiæ sub trahant, sed studeant ut ibi sint gemmæ, lapides vivi, angulari lapidi, Christo videlicet, conjuncti.

Magnus Dominus, Pater, *et laudabilis nimis in civitate Dei nostri*,id est, in Ecclesia per Deum videlicet constructa : *laudabilis* et *in monte sancto ejus*, id est, Christo : et quia magni regis magnam decet esse civitatem,audi quanta sit hæc civitas, quæ *fundatur exsultatione* universa in monte *Sion*, id est ab exsultantibus totius Judææ, quæ per montem intelligitur : *latera aquilonis, civitas regis magni*, id est, illi desperatissimi, in quibus refrixit charitas: vel *latera aquilonis*, id est, illi qui adhærent dicenti Ponam sedem meam ad aquilonem,et *ero similis Altissimo* (*Isa*, xiv), sunt *civitas regis magni*,Per aquionem inteligimus frigus charitatis, quoniam ex A aquilone solet venire majus frigus : vel legamus montes *Sion*, sic *fundatur exsultatione* universa terra, id est, in omni terra construetur hæc civitas Nam montes *Sion*,id est Judaicus populus,et *latera aquilonis*, id est gentilitas,sunt *civitas regis magni*. *Deus* autem *in domibus ejus*, scilicet civitatis, *cognoscetur*, *cum suscipiet eam*,scilicet civitatem tuendam. Et contra quos ? Ecce puta : *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt* in concilium,*convenerunt in unum*, id est, ad unam voluntatem, ut destruerent ipsam Ecclesiam.Sed tandem *ipsi* reges,volentes eam destruere,*admirati sunt*,id est admirabuntur, *videntes sic*, id est, Ecclesiam tot fundari miraculis, conturbabuntur de peccatis suis, commovebuntur ad pœnitentiam : *tremor* enim futuri judicii *apprehendit eos*. B Vel sic : *Deus in domibus ejus cognoscetur cum suscipiet eam* sibi personaliter uniendam. Et quibus signis *cognoscetur Deus in domibus ?* ecce, vide. *Quoniam reges terræ congregati sunt*, *convenerunt in unum* id est, in angularem lapidem. Christum videlicet, ut sibi per fidem jungantur. Et quomodo hoc fiet ? Quia *ipsi videntes sic* fundari Ecclesiam, *admirati sunt*, *conturbati sunt*, *commoti sunt*, *tremor apprehendit eos*.Hæc non mutantur a superiori sententia:*ibi dolores ut parturientis*,id est,in illa commotione et in illo tremore sunt dolores non infructuosi,sed in lætitiam vertendi, quia sunt dolores pœnitentium, tandem salutem parientium,unde Isaias : *A timore tuo*, *Domine*, *concepimus*, *et parturivimus spiritum* salutis (*Isa*. xxvi.) Hic concepit vetus, et nascitur C homo vetus. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, id est, superbiam gentium, præsumentem de prosperitate hujus sæculi,et in ea quasi vento deportatam valido timore futuri tui judicii. Quid per *Tharsis* intelligendum sit, diversi diversa dicunt. Nam quidam volunt Tarsis, intelligere Ciciliam, eo quod ejus metropolis Tharsus dicitur,de qua fuit Paulus apostolus : et in hac civitate negotiationes navium maxime exercebantur. Volunt etiam quidam intelligere Carthaginem quoniam ejus primordia floruerunt navigationibus. Nam quando Dido Carthaginem condidit,naves quæ paratæ erant ad mercationem in regione a qua discessit, assumpsit ad fugam, consentientibus principibus illius regionis : quæ condita Carthagine, ad D negotiandum non defecerunt : unde nimium ipsa civitas superba facta est ; et ideo per *naves Tharsis* superbia gentium non incongrue denotatur,præsumens in incertis divitiarum, tamquam in flatibus ventorum:vel ex interpretatione nominis possumus habere eamdem sententiam.Tharsis enim interpretatur *exploratio gaudii*, ubi intelliguntur gentes quæ gaudium suum in velificationibus hujus sæculi explorabant. *Tremor appqehendit eos*, dicentes : *Sicut audivimus* prophetatum, *sic vidimus* completum *in civitate Dei nostri*, id est, in ecclesia : ut *sicut audivimus* in promissionibus, *sic vidimus* in exhibitionibus *in civitate Dei nostri*. Et quare

voco eam *Dei*? Quia *Deus fundavit eam in æternum.* Fundamentum istius civitatis Christus est, unde illud : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est* (*I Cor.* III). *Suscepimus, Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, id est in illis qui in templo tuo medii sunt, firmi, bene scilicet fundati, ne in fide titubent. Templum vocantur nomine tenus omnes initiati sacramento fidei : in istis medii dicuntur, qui nomen suum, hoc videlicet quod est templum per bona opera possident : et ne quis hos medios, quibus exhibita misericordia Domini, paucos putaret, subsequitur : *Secundum nomen tuum, Deus sic et laus tua in fines terræ*, id est, laus tua diffundetur in omni terra, sicut diffusum est nomen tuum : quia sicut non est terra in qua non sit exauditum nomen tuum sic nulla erit in qua non laudaberis. Et sic *justitia plena est dextera tua*, id est, multi erunt justi stantes in tua dextera, licet *multi sunt vocati, pauci electi* (*Math.* x). Vel sic, *suscepimus, Deus, misericordiam tuam*, id est, misericordem Christum tuum, *in medio templi tui*, id est, in judaico populo, qui dicitur templum tuum medium, a gentibus videlicet undique circumscriptum; sed non tamen ibi tantum notus, quoniam *secundum nomen tuum*, o *Deus* diffundetur *laus tua in fines terræ*, vel ubique vel in illos qui in finem terrenitatis suæ disposuerunt : et sic erit *dextera tua plena justitia*, id est, filiis tuis : multos habebit imitatores, unde *lætetur mons Sion*, id est, Judæa, et *exsultent filiæ Judæ*, id est gentes. Juda dicitur *confessus*. Secundum quam interpretationem convenit gentibus, ut dicantur filiæ Judæ, quæ exsultent *propter judicia tua, Domine* : quibus aliquando separandi sunt localiter ab his a quibus separati sunt moraliter. Vel *propter judicia tua, Domine*, quod ipsi per gratiam tuam de massa præditorum assumpti sunt, vel quod ex delicto Judæorum salus gentibus pervenit. *Circumdate Sion et complectimini eam.* Admonet initiatos sacramento fines, quos superius templum vocavit, ad imitationem illorum quos ibi medios dixit. Quasi sic dicat: Vos qui per sacramentum fidei templum estis, *circumdate Sion*, id est, firmos in fide, et hoc non ad destructionem, sed *complectimini eam*, id est imitamini : et quæ narratis, *narrate in turribus ejus*, in fide apostolorum, qui turres dicuntur pro eminentia virtutum, id est quia sunt inexpugnabiles et defensio minus perfectorum, sunt et in porta, per quos quisque ingredi potest ad vitam. Ex his tribus fuit Paulus commendans sic prædicationem suam: *Licet angelus de cœlo* aliud *evangelizet vobis quam nos evangelizavimus, anathema sit* (*Gal.* I). Si superius legimus, *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam* de Christo erit hic admonitio ad Ecclesiam gentium, ut circumdent *Sion*, id est, conversos ex Judæis, dictos Sion præsentia contemnentes, futura exspectantes. Et sic dicit *Circumdate Sion et complectimini eam, narrate in turribus ejus. Ponite corda vestra in virtute ejus* Sion, id est, non ore tantum narretis, sed *in virtute*, id est, in charitate, quæ facit omnes virtuosos, *et distribuite domos ejus*, id est, discernite quæ dōmus sit munda et quæ non: vel *distribuite domos* ejus, considerantes cui data sint genera linguarum cui interpretatio sermonum cætera ut ex unoquoque quod nobis utile est, quæratis ad imitandum et sciendum. Et quare dico ut distribuatis ? *ut enarretis*, id est, notum faciatis per bona opera vestra non tantum convictoribus vestris, sed *in progenie altera* ? id est, per cognationes vestras. Et quid narretis ? *Quoniam hic* susceptus in medio templi, vel hic constructor civitatis *est Deus Deus noster*, quem hominem videmus : *Deus* dico, *in æternum*, quod est, *in sæculum sæculi : et ipse*, non alius, angelus videlicet vel archangelus, *reget nos in sæcula.*

PSALMUS XLVIII.

IN FINEM PRO FILIIS CORE PSALMUS DAVID.

« Audite hæc, omnes gentes; auribus percipite « omnes, qui habitatis orbem. Quique terrigenæ, « et filii hominum: simul in unum dives et pauper « Os meum loquetur sapientiam et meditatio cordis « mei prudentiam. Inclinabo in parabolam aurem « meam, aperiam in psalterio propositionem meam. « Cur timebo in die mala ? iniquitas calcanei mei « circumdabit me. Qui confidunt in virtute sua, et « in multitude divitiarum suarum gloriantur. Frater non redimit, redimet homo ? non dabit Deo « placationem suam. Et pretium redemptionis ani« mæ suæ, et laborabit in æternum et vivet adhuc « in finem. Non videbit interitum, cum viderit sa« pientes morientes: simul insipiens et stultus peri« bunt. Et relinquent alienis divitias suas, et sepul« cra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula « eorum in progenie et progenie; vocaverunt nomina « sua in terris suis. Et homo cum in honore esset, « non intellexit: comparatus est jumentis insipienti« bus et similis factus est illis. Hæc via illorum « scandalum ipsis et postea in ore suo complace« bunt. Sicut oves in inferno positi sunt, mors de« pascet eos. Et dominabuntur eorum justi in ma« tutino, et auxilium eorum veterascet in inferno « a gloria eorum. Verumtatem Deus redimet ani« mam meam de manu inferi, cum acceperit me. « Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et « cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quo« niam cum interierit, non sumet omnia, neque « descendet cum eo gloria ejus. Quia anima ejus in « vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi cum « benefeceris ei. Introibit usque in progenies pa« trum suorum, usque in æternum non videbit lu« men. Homo cum in honore esset non intellexit : « comparatus est jumentis insipientibus, et similis « factus est illis. »

ENARRATIO.

Magna et inusitata nequitia est in hominibus : quia cum ipsi debeant vivere secundum voluntatem Dei, volunt Deum vivere secundum voluntatem

suam : et cum ipsi nolunt corrigi, volunt Deum depravari, non arbitrantes justum esse quod Deus vult, sed non quod ipsi volunt. Quod faciunt illi, quibus grave est hoc quod vident malos florere, bonos laborare : qui tales nolentes Deo servire pro futuris, sed tantum ad hoc, ut bene sit eis in præsenti, murmurant contra Dominum. Dicit autem sic :

Audite hæc, omnes gentes, id est, tam gentiles quam Judæi : *auribus percipite omnes, qui habitatis orbem*, id est, per quos ipsos orbiculatos virtute fecistis. Nota quod dixit, *auribus percipite*, omnibus dixit, *audite* : sed quoniam prævidit quosdam sic audituros, ut etiam operentur, quosdam non, prædixit quod futurum prævidit. Auribus enim audiunt, qui id quod audiunt, in exhibitione operis ostendunt. *Quique terrigenæ*, id est, qui hæreditates terrenas requiritis : *et filii hominum*, id est, imitatores prophetarum : *dives et pauper in unum*, id est, in eamdem fidem venientes, *audite*. Nam *os meum loquetur sapientiam*. Et quia multi unum habent in ore, et aliud in corde, ut attentius eos reddat ad audiendum, dicit : *Et meditatio cordis mei prudentiam* loquetur. Quasi dicat : Non dolose vobis prædico : quia quod in ore sonat, ex corde processit. *Inclinabo in parabolam aurem meam*, id est, ut cor meum sapientiam meditetur, *aurem meam* interiorem humiliabo illi qui interius tandem videt et instruit, et tamen *in parabolam :* quia quantumcunque hic quis humiliatur ad audiendum, et quantumcunque perfecte intelligat per parabolam, idem quasi per ænigma intelligit ; quia quandiu in hoc tabernaculo ingemiscimus, quasi in imperfectione suspiramus. *Aperiam in psalterio propositionem meam*, id est, in opere meo prius ostendam quod prædico. Nam qui recto ordini prædicationis vult insistere, conveniens est ut quod aliis prædicat, in seipso per bona opera recognoscat. Unde illud : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I), et hoc est quod dicit, id est, iste hic notat, cum dicit se inclinare aurem in parabolam, et aperire in psalterio propositionem suam, ut aliis possit prædicare : et ecce propositum, quod vult aperire in psalterio. *Cur timebo in die mala ?* Hic in se transfert personam in Christo pie vivere volentium. Quasi dicat : Cur ego et alii timebimus in die judicii ; cum in libro nostro habeamus illud, per quod vitare timorem possumus ? Nam ubi homo non offenditur nisi voluerit, cur ibi timebit : *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*. Ac si dicat : Est necessarium ut ego et alii carnali iniquitate circumdemur. Calcaneus dicitur pars illa corporis, quæ terræ semper adhæret, ubi merito ambitio et cæteræ carnales iniquitates intelliguntur, quia semper circa terrena versantur : vel *iniquitas calcanei mei circumdabit me*, id est, finalis iniquitas, quæ in benefactis cavenda est, *circumdabit me* ex necessitate. Hæc iniquitas potest intelligi superbia, sine qua pauci reperiuntur. Nam non sunt plures qui in benefactis suis in se non glorientur : quia hæc est iniquitas quæ se primum ingessit recedentibus. De hac iniquitate dictum est. *Mulier conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo suo* (*Gen.* III.) Calcaneo insidiatur serpens, quia fini boni operis superbiam admiscere studet : vel potest esse responsio superioris, sic : *Cur timebo in die mala:* Quia *iniquitas calcanei mei circumdabit me*, si timuero. *Qui confidunt in virtute sua*, etc. Ac si dicat : Illis est timendum in die mala, *qui confidunt in virtute sua*, id est, qui de merito sibi præsumunt. *Et in multitudine divitiarum suarum gloriantur*, et in nobilitate amicorum suorum sperant. Istud tertium non ponitur, sed intelligitur per probationem subsequentem : *Frater non redimit, redimet homo ?* Quasi dicat : Non est confidendum in virtute et in multitudine, quia non redimet. Et quod non redimet, probatur a majori, quia non redimet amicus : et quod amicus non redimet, sic ostenditur. *Frater*, id est Christus, cujus fratres sumus, quia ejus cohæredes, *non redimit*, et quia ipse non redemit, *redimet* autem *homo ? non :* et quia Christus non redemit, subjungitur, *non dabit placationem suam*, id est, non satisfecit Deo pro suis peccatis, ut dignus esset redimi a fratre. Nam non est dispositum a Deo, ut aliis prosit illa redemptio, nisi illis qui student Christum imitari : quod non faciunt illi, qui Deo non dant placationem suam pro peccatis suis. Placationem dare Deo pro peccatis est lacrymas effundere, eleemosynas dare, etc. *Et* hac de causa etiam non redemit frater eum, quia non dedit *pretium redemptionis animæ suæ*, id est, non confessus est ad salutem animæ suæ, et ideo *laborabit in æternum*, id est duplici contritione conteretur : *et* tamen *vivet*, id est floret, *adhuc*, id est ex tempore, *in finem* tamen. Nam qui in hac vita florent, eorum labor erit in æternum. Qui autem laborant, eorum vita erit in æternum. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes, simul insipiens et stultus peribunt*. Ecce quare *in finem vivet*, quoniam non attendit *interitum* suum, id est mortem interiorem suam *cum viderit sapientes* mori exterius : putat enim non nocere sibi hoc quod male vivit, cum commune sit ei cum bonis mori exterius, et ideo *simul* ad æternum interitum *insipiens*, qui nescit sibi cavere in posterum, et *stultus* qui non attendit nihil esse in hac vita præter miseriam *peribunt : et relinquent alienis divitias suas :* quia licet filiis relinquant, tamen alienis, cum ad salutem eorum eas non dispendunt. Sed licet quasi alieni sint, quia de salute patrum non solliciti sunt, tamen in hoc se filios volunt ostendere, quia *sepulcra eorum* putant esse domos *illorum in æternum*, quod tamen non est, quia si in sepulcris homo semper maneret, anima in inferno cruciatum non sentiret. Hæc talia sepulcra *vocaverunt nomina sua*, id est vocare faciunt *in terris suis*, id est in prædiis suis. Invocatio nominis solebat fieri in sepulcro, quia solebant amici mortuorum accipere panem et vinum ; et sedentes in sepulcro, invocare nomina mortuorum, suo ventri servientes, non spiritibus mortuorum : quia si prodesset inebriatio hominum in sepulcris facta, non

A sic arsisset lingua divitis in inferno : quia ex vino in suo sepulcro consumpto, nec una gutta super ipsius ardentem linguam descendebat (*Luc.* XVI). Hæc invocatio non tantum fit in sepulcris, sed in *tabernacula*, id est domos in quibus temporaliter fuerunt *in progenie* hac præsenti, et progeniem futuram, *vocaverunt*, id est vocare faciunt *nomina sua*, quia in anniversariis solebant convenire ad domos, ut ibi inebriati nomina mortuorum invocarent. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Ecce causa quare stultus et insipiens peribit, quia cum essent *in honore*, id est ad imaginem Dei creati, non intellectualiter se habuerunt : et ideo *comparatus est jumentis insipientibus : et* hoc non in majoritate aliqua, sed *similis factus est illis*, de ventre tantum sollicitus. Et quid de eis? *Hæc via illorum scandalum ipsis*, id est,
B tantum Deum honorant, ut sint de illis, quibus dicitur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XXIX; *Matth.* XV); et sic ejus posteriora pejora sunt prioribus : quia cum prius erat apertus paganus, modo sub nomine religionis occultus est et deterior ; *et postea in ore suo complacebunt :* quia si aliquis reprehenderit vitam eorum, et dixerit hæc terrena non esse attendenda, ipsi in ore suo confitentur verum esse, corde tamen non imitantur. Usque huc descripsit Spiritus sanctus illos, qui arbitrantur non esse felicitatem præter honorem sæculi ; et post obitum non attendentes, nisi quemadmodum illis procurentur funera pomposa, et ibi eorum nomina invocentur. Nunc autem quid de eis eventurum sit prædicit sic : *Hæc via*
C *illorum scandalum ipsis, et postea in ore suo complacebunt* : et ideo *sicut oves* devorati, et nulli tribulationi resistentes, *positi sunt in inferno*, id est in excæcatione mentis, et *mors depascet eos*, id est diabolus qui minister mortis est, erit pastor eorum, *et* tandem *dominabuntur eorum justi in matutino*, id est in illo vero mane, quod non habebit succedentem noctem. Nam tunc judicabunt sancti nationes, et dominabuntur populis, vel sic, *mors depascet eos*, id est diabolo erunt refectio, qui in devoratione eorum quasi in cibo delectatur. Unde dictum est serpenti : *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes* (*Gen.* III), et sic *justi* qui despectui hic habebantur ab eis, *dominabuntur* eorum *in matituno, et auxilium eorum* quorum mors est pastor, *veterascet*, id est interisse patebit ; *auxilium* dico præsumptum *a glo-*
D *ria eorum*; id est a flore quem habuerunt in hac vita, vel *auxilium eorum veterascet* a gloria eorum remotorum, vel propter gloriam quam hic habuerunt, quia eatenus erunt inglorii, quatenus hic fuerunt gloriosi, *verumtamen Deus redimet animam meam*. Quasi dicat : Justi in futuro dominabuntur, et interim quid ? Tribulatio et omnis miseria erit sanctis. Sed quæ cura ? Quia licet tribulentur hic, tamen *redimet* eos *de manu inferi*, id est, de potestate tenebrarum, *cum acceperit me*, sibi conformem fecerit. Vel *dominabuntur justi in matutino*, et tamen non erit in medio, non in umbra videlicet et legalibus constitutis, sed tamen *redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me*, id est, cum Verbum meam naturam sibi invisendam assumpserit. *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.* Quasi dicat : Quia florentes in hoc mundo in inferno ad ultimum ponentur, et tu dominaberis, qui hic despectus videris. *Ne timueris* ergo sperare futura et postponere præsentia *cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus*, id est, noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, *quoniam cum interierit, non sumet omnia*, quia nihil secum portabit præter *peccata, neque descendet cum eo gloria ejus*, quæ facta est sibi pomposo funere. Et quare *non descendet? Quia anima ejus in via ipsius*, id est, in hac præsenti, quam ipse tantum credit vitam, *benedicetur* ab adulatoribus, quia ad cumulum miseriæ suæ non desunt sibi adulatores, et ipse *confitebitur tibi cum benefeceris ei*, id est, cum in prosperitate est, tunc tantum laudabit te. Et sibi quid inde? *Introibitusque in progenies patrum suorum*, id est, ad illam miseriam perveniet, ad quam pervenit progenies patrum suorum, Cain videlicet et cæteri et ibi *non videbit lumen usque in æternum*, id est quandiu durabit æternitas. Et hoc quare ? Quia *cum* ipse *esset homo in honore* positus, *non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* ut superius.

PSALMUS XLIX.

PSALMUS ASAPH.

« Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit « terram. A solis ortu usque ad occasum, ex Sion « species decoris ejus. Deus manifeste veniet, Deus « noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus exar« descet et in circuitu ejus tempestas valida. Advo« cavit cœlum desursum, et terram discernere popu« lum suum. Congregate illi sanctos ejus, qui ordi« nant testamentum ejus super sacrificia. Et annun« tiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex « est. Audi, populus meus, et loquar Israel et testi« ficabor tibi Deus, Deus tuus ego sum. Non in sa« crificiis tuis argam te, holocausta autem tua in « conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo « tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam « meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in mon« tibus et boves. Cognovi omnia volatilia cœli, et « pulchritudo agri mecum est. Si esuriero non dicam « tibi : meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus. « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sangui« nem hircorum potabo ? immola Deo sacrificium « laudis, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me « in die tribulationis, eruam te et honorificabis me. » Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras ju« stitias meas, et assumis testamentum meum per os « tuum ? Tu vero odisti disciplinam et projecisti « sermones meos retrorsum. Si videbas furem, cur« rebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam « ponebas. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua « concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum

« loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas « scandalum : hæc fecisti et tacui. Existimasti inique « quod ero tui similis : arguam te, et statuam contra « faciem tuam. Intelligite hæc qui obliviscimini « Deum, nequando rapiat et non sit qui eripiat. Sa- « crificium laudis honorificabit me, et illiciter quo « ostendam illi salutare Dei. »

ENARRATIO.

Quoniam non defuerunt in priori populo, qui intelligerent sacrificium constitutum secundum ordinem Aaron, esse immutandum in sacrificium secundum ordinem Melchisedech constitutum : placuit Spiritui sancto, in persona illorum per Prophetam hunc prænotari psalmum, ut in hoc psalmo colligerent secum suos contemporaneos et posteros ad intelligendum quod carnalis observantia in spiritualem intellectum esset immutanda, et quod hæc mutatio esset futura per ipsum Dominum nostrum. Hoc etiam hic notatur, ne Judæis mira videatur legis suæ destructio : quia ipse Dominus venit, et novam attulit. Dicit autem sic Asaph :

Deus deorum Dominus locutus est, id est, Deus a quo omnes qui dii sunt, deificati sunt, non ex superbia geniti, sed per gratiam ejus justificati, et sic dii facti : ipse dico, qui nobis per Moysen legem dedit, qui in prioribus temporibus per servos locutus est, ipse nunc locutus est nobis, non per angelum vel per prophetam, sed per seipsum (*Hebr.* II) ; unde illud : *Ecce ego qui loquebar, ipse adsum* (*Isa.* LII). *Et* loquendo quid elegit ? *vocavit terram a solis ortu usque ad occasum*, non solum Africam, ut quidam dicunt, *vocavit*, sed tantam vocavit, quantam fabrivit. In hac tamen vocatione non separavit Africam. Gaudeat ergo Africa de unitate, non superbiat de divisione. *Ex Sion species decoris ejus.* Quasi dicat : Licet terra ab ortu solis usque ad occasum vocata sit, tamen *species decoris ejus*, id est, qui Evangelii ejus pulchritudo dicuntur, venient ex Sion, id est ex Judæis, quia apostoli, qui species dicuntur Evangelii, reddentes ipsum Evangelium aliis speciosum, ex Judæis nati sunt. Vel sic : *A solis ortu*, id est, ab illis in quibus aliquo modo per cognitionem legis sol verus resplenduit, usque ad illos in quibus penitus cecidit sol. *Vocavit terram*, sed tamen *ex Sion* processit prius *species decoris ejus* ; unde illud : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo quod est in Jerusalem* (*Psal.* LXVII). *Deus deorum Dominus locutus, vocavit terram*, dicens : *Audi, populus meus, et loquar Israel*, quia si non audis, etsi loquar, tibi non loquar, *et testificabor tibi*, quod *ego Deus* Abraham et Isaac, *Deus tuus sum*, si audis, et si non audis, ego bono meo Deus sum, malo autem tuo Deus tuus non sum. *Non in sacrificiis tuis arguam te.* Ecce quod testificatur se non amplius requirere sacrificium secundum legalia instituta factum, quod dicit. *Non arguam te in sacrificiis tuis*, id est, non requiram a te, etsi pingues tauros et cætera animalia mihi mactaveris, quid autem tunc ? *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper*, id est, flagrantia charitatis incendens te totum, est mihi placabilis. Incenditur homo totus, quando interior homo flagrantia charitatis incensus, membra corporis ad usum suum sic rapit, ut ad illicita nunquam resurgant. *Nec accipiam de domo tua vitulos.* Quasi : Ecce sacrificia de quibus *non arguam te*, nam *vitulos de domo tua, et hircos de gregibus* non requiram a te ; quoniam si vellem talia, a te non requirerem, cum *meæ* sint *omnes feræ silvarum, et jumenta in montibus et boves.* Et ne istis remotis, aliquis vellet sibi offerre volatilia et fructus agri, removet et ista, sic : *Cognovi omnia volatilia cœli, et pulchritudo agri mecum est* : et ideo : *si esuriero, non dicam tibi*, quia *meus est orbis terræ et plenitudo ejus.* Sed *nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ?* Non : *immola Deo sacrificium laudis.* Ne ipsi quibus contradixit, deinceps vellent vacui apparere in conspectu suo, ostendit eis sacrificium quo ipse placatur, sic : *Immola Deo*, a quo habes quidquid boni habes, *sacrificium laudis*, bona opera tua, videlicet, ut hoc videntes alii *glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V) : *et redde Altissimo vota tua*, teipsum videlicet. Nam quis quis bene cogitat quid vovendum sit Deo, nihil Deo acceptabilius potest invenire quam ut seipsum voveat et reddat. *Et invoca me in die tribulationis.* Quasi dicat : Hoc fructu dico ut mihi immoles sacrificium laudis, quia si immolaveris, et postea invocaveris me in die tribulationis, ego *eruam te* ab ipsa tribulatione, *honorificabis me*, nihil præsumendo de te. *Peccatori autem dicit Deus* : *Quare tu enarras justitias meas* ? Quasi dicat : Sic locutus est Dominus populo suo, non suo autem, videlicet *peccatori, dixit Deus* : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* Cum *non* sit *speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV), qui hic audit Deum contradicentem peccatori ne prædicet, intelligat eum alibi dicentem : Quæ dicunt, facite : quæ faciunt, nolite facere (*Matth.* XXIII). Intelligat et Paulum dicentem : *Sive* veritate, *sive* occasione *Christus annuntietur* (*Philip.* I), et cætera. Sed hæc dicta sunt, ne timeant qui audiunt, ne vile sit verbum Dei a quocunque audiunt. Peccatori autem interdicitur ne prædicet, ut sic non sint securi qui bona dicunt et mala faciunt. Nam sunt qui dicunt : Non perdet nos Deus, per quorum os tanta bona voluit dici populo suo, quos tales arguit Dominus, sic : *Quare enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam.* Quasi dicat : Non debes assumere testamentum meum per os tuum, quia *tu odisti disciplinam*, id est, eruditionem paternam, quia quando parco, cantas et laudas : quando castigo, murmuras, quasi nunc tantum essem Deus cum parco, et non Deus tuus cum castigo, cum tamen omnes quos amo, et castigo et arguo (*Prov.* III ; *Apoc.* III). Et *projecisti sermones meos retrorsum*, ubi non videantur a te, sed honorent te. Et hoc quomodo ? Quia *si videbas furem, currebas cum eo*, illi consentiendo, licet corporaliter talis non esses, *et cum adulteris portionem*

tuum ponebas, consentiendo iterum eis, et præter ista peccata, *os tuum abundavit malitia*, id est detractione proximi, *et lingua tua concinnabat dolos*, id est, ornatis verbis protulit dolos erga proximum. Et quomodo? Quia *sedens*, id est, immoratus es in deliberatione illa, quod notatur per sedens. Nam qui stans vel transiens facit aliquid, non videtur adhibere voluntatem facto, qui autem sedet, otium quærit ut faciat. Quod hic dicit: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris*, detrahendo sibi et sic *adversus filium matris tuæ ponebas scandalum*. Fratres dicuntur perfectiores in fide, qui sunt filii patrum, habiles solido cibo refici, quibus cum detrahitur, scandalizantur filii matris, qui adhuc quasi lacte et non solido cibo nutriuntur. Nam cum a quibusdam Paulus detrahebatur, dicentibus: *Epistolæ quidem graves sunt et fortes, præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis* (*II Cor.* x): illi qui minus perfecti erant in fide, scandalizabantur. *Hæc fecisti*, videlicet cucurristi eum fure, portionem ponebas cum adultera, *et tacui*, a severitate mea, differendo vindictam ut faceres pœnitentiam, et ideo *existimasti inique quod ero* tibi *similis*, dimittendo videlicet peccatum tuum impunitum, et ideo *arguam te* de peccato tuo, *et statuam contra faciem tuam*, ut tandem sic cognoscas multum esse peccatum tuum, quod non facerem, si tibi multum prius esset. Nam cui multum est peccatum, ei ignoscit Deus. Unde illud: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique a Deo dijudicaremur* (*I Cor.* xi). Hucusque præposterato ordine introduxit Asaph Christum, loquentem non manifeste, sed occulte: quia ipse cum in se esset fortis, infirmus in carne apparuit. Nam oportebat eum videri, ut non intelligeretur: contemni, ut occideretur; et sic occultus inter Judæos ambulavit, mira faciens, mala patiens, donec in ligno suspenderetur. Et *Deus noster*, qui in primo adventu sic occultus venit, *veniet manifeste et non silebit* judicando qui tunc non siluit monendo, et non silebit in judicio, qui tunc non siluit in præcepto. *Ignis in conspectu ejus* ardebit. Ignis iste paleam incinerat, aurum purgat, sed mutemus vitam, ut non timeamus pœnam, et in hoc quisque studeat, quia et si fieri posset ut dies judicii non fieret, tamen non esset male vivendum: quia si nulla alia pœna immineret peccatoribus nisi separatio a facie Dei, tamen in quantalibet essent affluentia divitiarum, non videntes a quo creati sunt, et separati ab illa dulcedine veritatis ejus, se plangere deberent: quod noverunt illi, qui utcunque veritatis illius dulcedinem sentire cœperunt. Qui autem non desiderat faciem, timeat vel ignem, et quem non invitant præmia, terreant supplicia. Vile est tibi quod pollicetur? contremisce saltem quod minatur. *Et in circuitu ejus tempestas valida*, quæ separabit agnos ab hædis, quæ ventilabit omne granum a paleis separando (*Matth.* xxv, iii). Et qualiter hoc fiet? *Advocavit cœlum desursum*, id est, judicatores suos: *et terram*, id est, ipsos judicandos, *discernere* in ipsis *populum suum* a populo non suo. Et quia vos cœli vocandi estis ad hoc ut judicetis, et nunc *congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*, id est, qui promissiones ejus digniores faciunt sacrificiis suis, existimantes non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam (*Rom.* viii), vel qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, id est, qui ponunt ejus promissiones super bona opera sua, de virtute in virtutem euntes (*Psal.* lxxxiii), *et* vobis congregantibus *annuntiabunt cœli justitiam ejus*, hanc videlicet, *quoniam Deus judex est*, et reddens unicuique secundum opera sua. Vel sic *advocavit* terram *discernere populum suum*, et bene potest, *quoniam Deus judex est*, omnia in veritate discernens. Et quandoquidem *Deus* occultus in primo adventu *veniet*, manifestus in secundo, *intelligite hæc* verba Domini, *qui obliviscimini Deum* dicentem: *Sacrificium laudis*, id est, opera bona non præsumptuose, sed in laude Dei facta, *honorificabit me, et illic*, id est, in sacrificio laudis, est *iter quo ostendam illi salutare Dei*, id est Jesum Christum. Vel *ostendam illi salutare Dei*, quia diligam eum, et manifestabo meipsum ei, et ideo hæc *intelligite, ne quando rapiat* vos, mittendo in tenebras exteriores, *et non sit qui eripiat*, quia non est judicium contra Dominum.

PSALMUS L

IN FINEM PSALMUS DAVID, QUANDO VENIT AD EUM NATHAN PROPHETA, QUANDO INTRAVIT AD BETHSABEE.

« Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius « lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo « munda me. Quoniam iniquitatem meam ego co« gnosco, et peccatum meum contra me est semper. « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justi« ficeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in « peccatis concepit me mater mea. Ecce enim veri« tatem dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ « manifestati mihi. Asperges me, Domine, hyssopo, « et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor. « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsulta« bunt ossa humiliata. Averte faciem tuam a peccatis « meis, et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum « crea in me Deus, et spiritum rectum innova in « visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde « mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu princi« pali confirma me, Docebo iniquos vias tuas, et « impii ad te convertentur. Libera me de sangui« nibus, Deus Deus salutis meæ, et exultabit lingua « mea justitiam tuam. Domine labia mea aperies, et « os meum annuntiabit laudem tuam. Quoniam si « voluisses sacrificium, dedissem: utique holocaustis « non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contri« bulatus, cor contritum et humiliatum Deus non « despicies. Benigne fac, Domine, in bona voluntate « tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem. Tunc

« acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.»

ENARRATIO.

Proponitur omnibus fidelibus in hoc psalmo peccatum David non in patrocinium peccandi, sed in exemplum resurgendi : ut qui peccaverunt cum David, discant resurgere cum David. Quod sit illud peccatum, titulus psalmi aperit: *Psalmus David, cum venisset ad eum Nathan propheta, quia intravit ad Bethsabee.* Hic titulus sumptus est de historia (*II Reg.* XI). Bethsabee uxor erat aliena, scilicet Uriæ Ethæi. Hanc cum vidisset David, deambulans in solario post meridiem, euntem lavatum, ejus pulchritudine captus est ; cum esset rex et propheta longe erat mulier, sed prope erat hostis qui eum invasit, scilicet libido. Et in hoc monemur otium fugere. Quandiu enim David passus est persecutionem Saul, nihil tale commisit. Cognita quæ esset, et vocata ad se cognovit, quæ concepit ex eo. Volens itaque David crimen celare, misit ad Joab principem militiæ suæ, ut remitteret ei Uriam. Quem de prælio redeuntem rex benigne suscepit, et tandem in domum suam descendere jussit, sequente eum regio cibo. Qui non intravit ad uxorem suam, sed mansit nocte illa in domo David cum servis illius : quo cognito, postquam ab eo quæsivit cur in domum ad uxorem suam non introisset, et ille dixisset indignum fore ut dominus suus Joab in periculo esset cum toto exercitu, et ipse voluptati operam daret : misit per eum rex litteras ad Joab, ut educeret exercitum contra hostes et ubi pugna vehementior esset, ibi poneret Uriam, ut ab hostibus interficeretur : et sic auctum est adulterium homicidio : deinde duxit Bethsabee uxorem. Post hoc factum missus est ad eum Nathan propheta a Domino (*II Reg.* XII), qui eum argueret de tanto commisso, qui per similitudinem ad rem accedens, dixit regi duos fuisse : unum qui haberet centum oves ; alterum, vicinum ejus, qui non haberet nisi unam, quam in sinu suo foveret, quæ de calice ejus biberet, et de pane suo ederet. Veniente autem hospite, illum alterum dimisisse omnes oves suas, et abstulisse vicino suo illam unicam, et dedisse hospiti ad epulandum : quid inde judicaret. Qui non intelligens parabolam, severam sententiam dedit, quod mori deberet, et in quadruplum reddere ovem. Cui propheta : Tu es ille. Qui noluit defendere peccatum suum, sed humiliavit se ad pœnitentiam quousque audivit : Noli timere, quia transtulit Dominus a te peccatum tuum. Attendenda hæc infirmitas carnis, recordanda verba Apostoli : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI) ; non dixit, *non sit*, sed *non regnet.* Inest peccatum, cum delectaris : regnat, si consenseris. Admonemur exemplo David non relaxare carnalem cupiditatem: admonemur etiam ; non extolli in prosperis. Nam periculosior est res prospera animo, quam adversa corpori, amovet etiam desperationem, cum David tanti criminis reus non desperavit. Iste psalmus sic-

A ut cautos facit qui non ceciderunt, ita desperatos non vult.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Cujus magna est miseria, magna erit misericordia. Illi parvam rogent misericordiam, qui parum, id est ignoranter, peccaverunt. Grave est quod habeo, sed ad te omnipotentem confugio. De lethali vulnere desperarem, si te talem medicum non cognoscerem. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Miseratio est exhibitio misericordiæ, id est, secundum multiplicem misericordiæ exhibitionem quam præbuisti humano generi ab initio mundo. Attendis enim contemptores, ut corrigas : nescientes, ut doceas : confitentes, ut ignoscas, *dele iniquitatem meam*, quæ fuit quia feci

B alii quod mihi fieri nolui, ideo hic *dele* per misericordiam, ne in futurum reserves ad pœnam. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Necesse habent lavare, qui minus peccaverunt, me autem *amplius*, id est, multo plus quam ego petere sciam. Vel, qui peccata lavas ignorantis, *amplius lava* peccata scientis, *ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.* Iniquitas fuit in illum, cujus uxorem abstulit ; peccatum in se, quia in hoc transgressor legis factus. Scio enim quoniam magnum peccatum est contrectare alienam uxorem, virum ejus nescientem, et ideo nec contradicentem, interficere ; ideo *miserere, dele, lava : quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, id est, quia ego punio, tu noli punire. Quasi aliquis dicat: Nescis quid petas, nescis quem invoces. Justus est, justitiam ab eo auferre non potes, et quia justus est,

C odit peccatum tuum, et si odit, non dimittet impunitum. Quid ergo ? Rogas misericordiam ut auferas judicium ? Nolo, scio quod justus est, et ab eo nequeo justitiam auferre. Imploro quidem misericordiam, sed attendo justitiam, sed ideo nolo ut me punias, quia ego peccatum meum punio; magna mihi misericordia videtur, si me peccatum meum punire permittas, ut tibi non reservetur. Cognosco *peccatum meum :* nam coram *me est semper* ; non habeo post me ut non videam, quemadmodum tunc habui, quando tam severam sententiam in alios dedi. Quia enim suum peccatum non cognoscebat, ideo alieno non ignoscebat, ideo tam severe judicabat: sed usus est Deus lingua illius quasi ferramento ad resecanda vulnera cordis ejus. Tu *miserere*, tu *munda*, quia

D *tibi soli peccavi.* Tu solus medeberis, solus peccata dimittis. Ille solus est justus punitor, qui in se nota habet quod puniatur, et ideo *tibi soli*, quia *malum coram te feci :* alios latere potuit peccatum meum, te autem celare non potui, quia *omnia sunt nuda et aperta oculis* tuis (*Hebr.* IV). Intantum *tibi soli*, intantum tu es justus, *ut justificeris in sermonibus tuis*, id est, ut etiam *in sermonibus tuis* justus sis, cum omnis homo præter te sit mendax, *et vincas*, scilicet omnes judicatos; omnes enim juste judicari possunt, quanquam multum justi, multum provecti, tu solus injuste, quia solus a peccato immunis. *Cum judicaris*, o Pater in Filio, Verbum in assumpta humanitate

hoc futurum prævidit, et Filius Dei veniret judicandus. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Quasi dicat: Et non solum judicatus vincis omnes judicatos in tali scelere quale meum est, in hoc quod illi juste, tu injuste; sed etiam omnes homines, quia omnes sunt peccatores, tu autem solus sine peccato. Et transfert in se omne humanum genus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* In quibus subjungit: *Et in peccatis concepit me mater mea*, id est, in concupiscentia carnali concepit. Quæ carnalis delectatio ex peccato primi parentis in carne nostra viget. Non ideo in peccatis concipiuntur homines, quia peccatum est misceri conjugibus, opus hoc castum in conjuge non habet culpam, sed origo peccati secum trahit quasi ex radice debitam pœnam. Non enim maritus, quia maritus est, mortalis est, et enim et Dominus mortalis, sed non de peccato suscepit pœnam nostram, sed non culpam nostram. Merito ergo *in Adam omnes moriuntur, in Christo autem omnes vivificabuntur* (*I Cor.* xx). Ergo *miserere, dele munda*, et opus est. *Ecce veritatem dilexisti*, id est, justum judicium, intantum ut nec illis parcas quibus ignoscis, aut enim illi punient, aut tu, et ideo prærogas misericordiam, ut serves judicium, ignoscis confitenti, ut tu non punias, sed seipsum punienti. Et quia *veritatem dilexisti*, quia nullum peccatum impunitum dimittis, prærogasti misericordiam ut servares judicium. Nam misso propheta tuo qui me corripuit, qui peccatum meum me cognoscere fecit ut punirem, *manifestati mihi incerta et occulta sapientiæ tuæ*, ut etiam tam graviter lapsis veniam non negares, quod disposuisti per sapientiam tuam qua hominem creasti, et creaturam tuam in eis perditam roborasti, quæ usque adhuc aliis incerta fuerunt. In qua incertitudine Ninivitæ pænitentiam egerunt. Dixerunt: *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus* (*Joel.* II; *Jon.* III)? Hæc sunt illa incerta: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor*, id est, dabit mihi humilitatem. Hyssopus herba est quæ pulmonem purgat: et est humilis, In pulmone qui inflatur, tumor superbiæ accipitur, contra quem morbum humilitas medicinam præbet, id est, humilitate et charitate te amplectar, ut illa herba adhæret saxo; confitebor tibi peccatum meum, non defendam, displicebo mihi, ut tibi placeam, *lavabis me*, taliter aspergendo a peccatis meis. *Et super nivem dealbabor*, quia intus in anima: cujus major est lavatio quam corporis, sicut majus est anima quam corpus Aliter: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* Alii si peccant regi qui judex positus est, peccant et Deo; rex si peccat, soli Deo peccat, quia solus Deus punit eum. Ergo *miserere*, Domine, *mei, ut justificeris in sermonibus tuis*, id est, ut verax inveniaris in promissis tuis, qui mihi per spiritum sanctum promisisti: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* XIII); videor enim indignus de cujus progenie Filius Dei carnem assumat, si a tanto scelere non emundes, *et vincas* scilicet illos, qui negant te mihi promissa solvere debere, *cum judicaris* ab illis indignus qui solvas, cum sim tanti criminis reus. Et ideo *miserere, dele, lava*, et opus est, quia si non esset hæc nova iniquitas, tamen haberes ex veteri multum quod in me punires. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, ut supra. Et hoc dicens, quod *in iniquitatibus conceptus sum*, non refundo culpam in auctorem, sed veram tibi facio confessionem, quam tu diligis. *Ecce enim veritatem dilexisti*, id est veram confessionem, et ideo quia tanta est iniquitas mea, *miserere*. Et scio quia misereberis, quia *incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*: cognovi enim per spiritum consilium dispositionis antiquæ, reparationis novæ, felicitatis æternæ, quod aliis incertum est. Mittes Filium tuum, in quo nobis erit occulte vera remissio. Et illo *hyssopo*, o Domine, *asperges me*, id est conformatione illius qui significatur per hyssopum. Nam quemadmodum hyssopus valet ad reprimendam inflationem pulmonis, sic conformatio Christi, id est, humilitas valet ad nostram superbiam deprimendam; vel quemadmodum hyssopi fasciculus intinctus sanguine vitulæ valet ad exteriorem mundationem leprosorum: ita effusio sanguinis Christi valet ad nostram exteriorem mundationem. *Lavabis me*, scilicet exterius, *et super nivem dealbabor*, scilicet interius. Aliter: Ideo *miserere*, quia promisisti regnum justis, ergo nisi me et alios justifices, nullum invenies cui des, sed *miserere*, justifica, et hoc modo *vincas* illos, qui negant fieri reparationem post lapsum, vel qui dicunt pro uno peccatore te auferre regnum justis, hæc est illa hyssopus, illa humilitas. *Auditui meo dabis gaudium*: gaudebo audire reprehensionem tuam, et non loqui contra te, non defendere peccatum. Unde Joannes: *Amicus autem sponsi stat et audit, et gaudio gaudet* (*Joan.* III). Hæc est vera humilitas, sibi displicere ut placeat Deo, quidquid peccati est, sibi imputare: quidquid justitiæ, Deo. *Et exsultabunt ossa humiliata*: anima mea humiliata gaudebit, quæ per superbiam in mœrorem venit. Aliter: Et tandem post illam mundationem et lavationem, *auditui meo dabis gaudium*, ut audiam: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XV). *Et tunc exsultabunt ossa humiliata*, id est, virtutes nunc humiliatæ et facile revincibiles, ibi erunt fortes et invincibiles. Et ut ossa exsultent, *averte faciem tuam a peccatis meis*, id est, dele peccata mea, ut ea non tandem punias. Merito rogat Deum avertere faciem a peccatis suis, qui inde non avertit faciem suam, a peccatis autem faciem, non a me. *Et* non solum ab his peccatis quæ modo feci, sed *omnes iniquitates meas dele*, originales et actuales. Hoc modo *dele*: *Cor mundum crea in me, Deus*, quia meum cor ego pollui de opere iniquitatis. *Et spiritum rectum*, quem ego distorsi, *innova in visceribus meis*, id est in interiori meo, qui inveteravit et defecit in me. Et *me* innovatum *ne projicias a facie tua*, id est, ne permittas cadere in peccatum ulterius. *Et* deinceps *Spiritum sanctum tuum*, id est, a te datum, scilicet spiritum compunctionis et pœnitentiæ, *ne*

auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui. Solebam mihi applaudere de cognitione adventus Filii tui, sed nunc non est gaudendum, cum sim injustus, ideo justifica, ut de illo adventu valeam lætari : ipse enim ab inferis est educturus suos quos ibi inveniet. *Et* in hac lætitia *spiritu principali*, id est Spiritu sancto, qui spiritus est omnium bonorum spirituum, *confirma me.* Nullus salvari potest sine illo salutari, ita enim a sanctis patribus dispensatio susceptæ carnis credebatur, ut a nobis facta creditur. Quasi dicat : Et quo fructu hoc petis ? Magno. *Docebo iniquos vias tuas :* injusti meo exemplo non desperabunt, sed per me agnoscent *vias tuas*, id est, misericordiam et judicium. *Et* meo exemplo *impii ad te convertentur.* Et ut meo exemplo impii ad te convertantur, *libera me de sanguinibus*, id est, carnalibus concupiscentiis, ne occidar amplius intus; *Deus Deus salutis meæ*, subaudis auctor. *Et exaltabit lingua mea justitiam tuam*, non meam, scilicet fidem justificantem, vel quod tu non vis mortem peccatoris. Revera liberabis. Nam, *o Domine, labia mea aperies*, labia cordis clausa ex peccato, aperies ad laudem tuam, per gratiam justificando. *Et os meum*, scilicet exterius, *annuntiabit laudem tuam*, quæ multiplex est. Hominem enim ut sit, creas, peccantem, non deseris, confitenti ignoscis, et ut sit securus, mundas. Sacrificium laudis tibi offeram, quia aliud sacrificium non vis, *quoniam si voluisses sacrificium*, scilicet exterius, *dedissem* oves et boves et victimas multas. Illo tempore erat David quo victimæ animalium offerebantur Deo, et videbat hæc futura tempora. Nos ergo in his vocibus sumus. Nihil ergo offeremus ? intus habes quod offeras. *Utique holocaustis*, scilicet victimarum, *non delectaberis.* Nam *sacrificium*, scilicet *Deo* placens, *spiritus contribulatus*, repugnando carni, *cor contritum* pœnitentia, *et humiliatum* a superbia, vel ad hoc humiliatum, ut semper sibi in futurum caveat. Hieronymus : « Multi habent cor contritum, et non humiliatum : quia plangunt quod fecerunt, et postea in idipsum redeunt. » Et ut sacrificium laudis tibi non solum a me, sed a multis fiat : *Benigne fac, Domine, Sion*, id est, *mitte quem missurus es* (*Exod.* IV). *Sion*, id est, Ecclesiæ tuæ, quæ obliviscens quæ retro sunt in anteriora se extendit (*Phil.* III). *In bona voluntate tua*, id est, in Christo tuo, vel non in merito suo, sed in misericordia tua, *ut ædificentur muri Jerusalem*, id est, ut perficiantur fideles, quorum perfectione constructa erit Jerusalem, id est, civitas pacis, civitas illa quam nullus hostis intrabit, a qua nullus civis excludetur. Vel *ædificentur muri Jerusalem*, id est, immortalitas et impassibilitas. Qui muri destructi sunt in primo parente. *Tunc*, id est, ædificata Jerusalem, *acceptabis sacrificium justitiæ*, id est justum sacrificium, scilicet ipsos justos, nunc acceptas sacrificium pro peccato spiritum contribulatum, tunc laudis solius *acceptabis*, id est, frequenter et sine intermissione accipies. *Beati qui habitant in domo tua, Domine* [illegible] *laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). *Oblationes*, scilicet veras *et holocausta* vera, cum totum absumet flamma ignis divini, scilicet hæc holocausta. *Tunc imponent* seipsos *vitulos*, id est, puros et innovatos, *super altare tuum*, id est, super intimam mentis devotionem.

PSALMUS LI.

IN FINEM INTELLECTUS DAVID, CUM VENIT AD EUM DOEG IDUMÆUS, ET NUNTIAVIT SAULI : VENIT DAVID IN DOMUM ABIMELECH.

« Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate ? Tota die injustitiam cogitavit lingua tua : « sicut novacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam « loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. Propterea Deus destruet te « in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo « tuo, et radicem tuam de terra viventium. Videbunt « justi et timebunt, et super eum ridebunt et di- « cent : ecce homo qui non posuit Deum adjutorem « suum. Sed speravit in multitudine divitiarum sua- « rum, et prævaluit in vanitate sua. Ego autem sicut « oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericor- « dia Dei in æternum et in sæculum sæculi. Confi- « tebor tibi in sæculum quia fecisti, et exspectabo « nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu « sanctorum tuorum. »

ENARRATIO.

Nota historia (*I Reg.* XXI). David fugiens a facie Saul venit ad Abimelech sacerdotem, et accepit gladium in templo reconditum, quo Goliath fuerat occisus, et accepit ab eo panes propositionis, simulato negotio, recessit festinanter ab eo. Erat autem tunc ibi Doeg Idumæus, princeps pastorum Saul, quando David venit ad Abimelech. Iratus autem Saul, quæsivit quid causæ esset quod nullus ei proderet David; venit Doeg, et dixit : Vidi David in domo Abimelech ; ita commotus Saul præcepit servis suis, ut interficerent Abimelech et totum sacerdotale genus illius civitatis. Doeg vero adhuc in nequitia sua æstuans, irruit in eum, et interfecit Abimelech et omnes sacerdotes illos, cum nullus aliorum auderet manum extendere in sanctos Domini. Historialiter nihil tale agitur in hoc psalmo, unde ad mysterium trahimur. In David, Christum accipimus his de causis quibus sæpe est dictum ; in Saul, regnum terrenum. Saul interpretatur *appetitus*, et Judæi contra voluntatem Dei appetierunt sibi Saul in regem, et Dominus eum elegit non permansurum, sed ad populum illum corrigendum. Per appetitum accipimus mortem, de qua dictum est : *Deus non fecit mortem, nec lætatur in perditione* hominum (*Sap.* I) ; impii autem accersierunt sibi eam manibus et pedibus, et amplectentes defluxerunt per eam. Saul persequebatur David, et regnum terrenum persequitur filios regni cœlestis, vel mors. Ex eo enim omnis persecutio, quod mortales sumus ; nisi mortales essemus, non esset quod nobis faceret inimicus. Abimelech inter- [illegible] Idumæus *terrenus.* Venit David in domum Abimelech et Chri-

stus in terram Judæorum, quæ regnum David patris sui fuit secundum carnem; venit per incarnationem: quem videns *motus terrenus*, id est illi qui movebantur propter terrena, quæ Christus contemnenda dicebat, accusaverunt eum apud terrenos principes. Misit Saul qui persequerentur David, sed David evasit eorum manus, non tamen sine sanguine, quia interfecti sunt sacerdotes. Ita et in persecutione Christi evasit Verbum, sed caro ejus occisa est. Potest hæc persecutio generaliter referri ad corpus Christi, id est ad omnes illos qui in David volunt esse David, id est in Christo Christiani, quos terrena amantes, apud hujus sæculi principes accusare non cessant. Vel ad persecutionem Antichristi, quæ maxima erit. Unde dictum est : Veniet tempus quale non fuit ex eo quo gentes esse cœperunt, quo tempore omnes sacerdotes interficientur, id est omnes Christiani, in quorum domo, id est, in quorum pectore David, id est, Christus erit quem Antichristus persequetur, sed occidere non poterit; non enim poterit Christianis Christum auferre. Constructio tituli. Hæc verba hujus psalmi referuntur *in finem* temporum, id est, plenitudinem, ut intelligas hæc facta historialiter, et sunt *intellectus*, quia intelligimus in his prius tribulandum, postea gaudendum, attribuendus *David* prophetæ, id est, dignioribus membris, vel propositus ab ipso capite aliis, ut intelligant quod omnibus impiis propositum est devorare pios. *Intellectus* dico, significatus in illo historiali negotio, *cum Doeg Idumæus* id est, cum Judas et Judæi moti pro terrenis, id est, loco et gente, *venerunt ad Saulem*, id est, ad principes, ad Pilatum et alios, dicentes : *Venit David in domum Abimelech.* Ecce conversatur inter nos, *si dimittimus eum sic, venient Romani et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Vel *cum venit Doeg Idumæus*, id est, quique persecutores moti pro terrenis, *venerunt ad Saulem*, id est, ad sæculares potestates, accusare illos in quorum corda venit Christus per conformationem. Et est intentio Prophetæ in hoc psalmo ostendere, prius oportere tribulari, postea clarificari : prius sedendum, postea surgendum, quemadmodum David post multas persecutiones ad regnum pervenit, et Christus, martyrum caput, prius passus, postea clarificatus est.

Tu qui es potens in iniquitate, id est cui Deus permittit posse exercere crudelitatem et odium in sanctos suos, quod iniquum est, vel in divitiis et potentia sæculari : quia omnis dives aut est iniquus, aut hæres iniqui, quæ potentia non est potentia, sed impotentia ; non est gloria, sed ignominia : *quid gloriaris in malitia* ? Quandoquidem malitia est quam exerces, *quid gloriaris* in ea ? Sic *gloriaris* tanquam si insano permitteretur potestas se perimendi, occidis sanctorum corpus, hoc et scorpius, hoc et una febris, hoc et vermiculus valet ; sed occidis animam tuam ; illorum animam conservas. *Quid* ergo in his *gloriaris ? Qui gloriatur*, potius *in Domino glorietur* (I *Cor.* I). Ostendit illam malitiam : *Tota die*, id est assidue, sine lassitudine, sine intervallo, quando enim non facis, cogitas, *injustitiam cogitavit lingua tua.* Non est officium linguæ cogitare, sed loqui, sed perversus pervertit, quia *in ore stultorum cor eorum* (*Eccli.* XXI), scilicet qui non ante cogitant quam loquantur. *Sicut novacula acuta fecisti dolum*, id est fraudulentam persecutionem tuam sic fecisti expeditam ad nocendum, ut est *novacula acuta* ad incidendum. Vel *sicut novacula*, etsi multum sit *acuta*, tamen non valet secare nisi infirma, ita et dolus tuus in corpus valet, et non in animam. Vel, ut dicatur de Judæis, *Novacula* ad hoc acuitur, ut præparet nitorem vultus, eodem modo Deus præparaverat Judæos per legem, ut nitorem vultus sui per eam in aliis pararent. Sed *sicut novacula acuta* quæ nitorem debet facere, facit *dolum*, vertendo se ad occidendam carnem : ita et Judæi verterunt se ad occidendum, non solum servos, sed etiam filium. Et hoc iniquitas. *Dilexisti malitiam super benignitatem;* quod naturaliter superius est, habuisti inferius : et quod naturaliter inferius, habuisti dignius. Nullus liquor magis petit superiora quam oleum, cui assimilantur opera misericordiæ, quæ sicut desuper sunt, ita et semper desuper haberi deberent ; sed tu cum utrumque esset ante oculos tuos, *magis dilexisti malitiam* quæ postponenda foret, *quam benignitatem* quæ foret præponenda. Et non solum in corde hanc perversionem fecisti, sed etiam dilexisti *loqui iniquitatem magis quam æquitatem* ad proximum. Nihil iniquius quam contraire Deo suo, quam denegare Deo jus suum in se et in aliis. *Dilexisti omnia verba præcipitationis*, susurrationes, detractiones, rixas, adulationes. Hæc omnia ab aliis libenter audisti, cibos amaritudinis non das ventri, et cibos iniquitatis das animæ? Miser, naufragium fugis, et plumbum amplecteris? verba dico, entia *in lingua dolosa*, in lingua fraudulenta. *Quid gloriaris* in talibus. Non est in his gloriandum, si vis considerare non priora tuæ nequitiæ, sed posteriora, scilicet ad quam malum finem te deducet, quia *Deus propterea destruet te* multimoda destructione eunte *in finem*, scilicet semper quærente finem, et nunquam inveniente. *Et* hic *evellet* te ut infructuosam arborem *de tabernaculo tuo*, id est, de Ecclesia ; non hic militabis, non hic hostem cavebis in tabernaculo, ut tandem gaudeas in palatio ? In *tabernaculo* Dei est quisque, quantum ad naturalem intentionem, quia naturalis intentio ad bonum nos omnes ducit, sed devius error abducit quosdam. *Et emigrabit te*, id est, emigrare te faciet *de tabernaculo tuo*, id est, non eris hic in tabernaculo, non habebis partem in resurrectione prima. Si ad Judæos, de legalibus institutis. *Et evellet radicem tuam de terra viventium.* Radix nostra est charitas, fructus, bona opera, opus est ut opera tua de charitate procedant, et tunc est radix tua, et ideo nec viriditatem habent, quia non manent in radice charitatis. *Videbunt justi.* Hic est *intellectus*, de quo titulus. Quasi dicat : Et hæc eorum perditio non erit sine magno fructu bonorum. Nam *videbunt justi*, id est, attendent non tantum priora eorum, quæ modo

florent, sed posteriora impiorum, quæ arida erunt. *Et timebunt* ne talia posteriora incurrant, cavebunt sibi hic a gloriatione impiorum. Unde alibi: *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Intelligent hanc eorum gloriationem esse eorum destructionem, quia inimici Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient (*Psal.* xxxvi). *Et super eum ridebunt.* Quasi dicat: *Et* hoc intelligendo facti *super eum*, in eo quod non ponent spem in caducis, sed erigunt ad superna, corpore quidem infra eum, sed mente *super eum ridebunt*, id est, gaudebunt, *et* ridendo *dicent*: *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum*, hic est qui maluit conformari Adæ quam Christo, ideo Deus destruet eum. Vel tandem in novissimis gaudebunt, facti superiores istis, judicando illos a quibus hic judicati fuerunt, et tunc irridendo eos, *dicent*: *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum*, despective dictum, ut illud: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (*Gen.* III). Ecce apparet quod homo est, quod fragilis, qui maluit sibi Deus esse, ut miser Adam, quam ponere Deum adjutorem suum; sarcasmos figura, id est, hostilis irrisio. *Sed* potius *speravit in multitudine divitiarum suarum.* Nota: Non dicit, habuit divitias, sed speravit in eis. Joseph habuit divitias, sed non speravit in eis, ad utilitatem aliorum habuit. Non sibi hic applaudat pauper pannosus qui non habet divitias. Multi enim pauperes sunt in arca corporis, qui divites sunt in arca cordis, et econverso: unde dicitur in Evangelio: *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v). *Et prævaluit*, scilicet nobis; majorem se nobis fecit, *in vanitate sua.* Nihil vanius quam pluris facere nummum quam Deum. Ille quia *in multitudine divitiarum* (divitias vocat, opes, potentias, honores, voluptates, et cætera talium) *speravit*, ideo tandem destruetur. *Ego autem, sicut oliva fructifera.* Quasi dicat: *Ille in multitudine divitiarum suarum speravit*, ideo radix ejus evelletur: *ego autem sicut oliva* cujus radix nutritur, non eradicatur, tandem *fructifera in domo Dei*, plena fructus, plena omni jucunditate; cum Deus erit omnia in omnibus (*I Cor.* xv), et si modo *arida. Ego* inquam, *ut oliva, confitebor tibi in sæculum* in domo Dei, constitutus in palatio, qui hic militavi in tabernaculo, veram confessionem faciam, tunc vere te laudabo, cum nihil erit in me quod tibi displiceat. Et merito, *quia tu fecisti* illam confessionem, vel me olivam fructiferam. Et ideo tandem *confitebor*, quia hic *speravi in misericordia Dei* perducente *in æternum et in sæculum sæculi*, non in divitiis. *Et exspectabo nomen tuum.* Interim dum in tabernaculo sum, cum patientia sustinebo, non properanter agam sicut Adam volens ante tempus fieri Deus; omnes quidem sancti, dii erunt; sed hoc nomen non prius vere accipient, quam cum Deus erit omnia in omnibus. Prius satagendum fuerat circa obedientiam sicut creaturæ, ut tandem fieret Deus promotus in angelicam claritatem. Adam, quia præparavit se sibi Deum facere, morte mulctatus est. Non propter

A aliud exspectando nisi *quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum*, etsi non in conspectu malorum; vel *exspectabo nomen tuum in conspectu sanctorum tuorum*, vel in communi resurrectione et ideo, quoniam bonum est exspectare vel illud nomen. Aliter: Illis damnatis, ego autem hic *in domo Dei*, id est, in Ecclesia præsenti, *sicut oliva fructifera* tarde florens, quia bonorum est arere in hoc sæculo, et hoc ideo, quia *speravi in misericordia Dei*, non in divitiis, *in misericordia* dico, perducente in æternitatem, id est, *in sæculum sæculi* tandem *confitebor*, cum Deus erit omnia in omnibus. Cætera non mutantur.

PSALMUS LII.

IN FINEM PRO MAHALETH INTELLECTUS DAVID.

B « Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum. Deus de « cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si « est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui « faciat bonum, non est usque ad unum. Nonne « scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis? Deum non « invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non « fuit timor. Quoniam Deus, dissipavit ossa eorum « qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam « Deus sprevit eos. Quis dabit ex Sion salutare « Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis « suæ, exsultabit Jacob et lætabitur Israel. »

ENARRATIO.

C Nota est historia (*I Reg.* xxvi). David fugiens Saulem, veniat ad Achis regem Geth, et sub eo militavit, accepta ab eo Sicelech parva civitate, et ibi locata uxore et filiis et tota substantia sua, David misso ad prælium, venerunt Amalechitæ latrunculi; et, rapuerunt uxorem David et filios, et civitatem combusserunt. Rediens autem David insecutus est eos, et comprehendit, et occidit, et spolia reduxit. Amalech interpretatur *lingens terram*, Sicelech, *conversio*. Per uxorem David accipimus sanctas animas; per filios, bona opera; per David, Christum. In Sicelech locavit David uxorem et filios, et Christus sanctas animas et bona opera in conversis locat, id est, fidelibus, quas sanctas animas simul cum bonis operibus Amalechitæ, id est, terram lin-D gentes, sæculi terrena amantes, per multas tribulationes sæpe captivas ducunt, cum devocant et conformant, sed Christus liberat Ecclesiam suam ab Amalechitis, persequens eos cum exercitu suo, id est, cum prædicatoribus suis, et occidens illos, alios in bonum, alios in malum. Titulus ita construitur: Verba hujus psalmi referuntur *in finem*, id est, finalem David, qui psalmus est *intellectus* David prophetæ, vel cujusque perfecti fidelis; *intellectus* dico, significatus vel habitus, *pro Amalech*, id est, in ea historia quæ habet quomodo David persecutus est Amalech, vel secundum Hebraicam veritatem, *pro maeleth*, id est, pro parturiente vel gemente, scilicet pro

oppressione Ecclesiæ quæ est comparabilis parturienti. Nam sicut mulier parturiens est in dolore, ita et Ecclesia in hoc sæculo Et in hunc modum legitur tantum in persona Ecclesiæ, secundum alium potest et in voce capitis legi. Hic psalmus et si in v[illegible]m videtur: differt tamen in hoc, quia ille Christo, hic omnibus fidelibus attribuitur: ille in primo adventu, hic accipitur in secundo. Et est intentio Prophetæ ostendere prius pressuram Ecclesiæ, deinde consolationem, ut illud, cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob et lætabitur Israel. Potest et sic dici, quod prior psalmus factus sit ante istud gestum negotium, et quia Propheta intellexit per hoc quod historialiter ibi egit, significari ere-[illegible] hanc prius repetitionem fecit. Introducit Propheta Christum loquentem de persecutoribus fidelium, tam gentibus quam Judæis, et ostendentem qui sit finis persecutorum et eorum qui tribulantur.

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Insipiens populus, qui Filium et sapientiam Dei recipere nolu[illegible] adinvenit, non ex auctoritate librorum. Dominus *non est Deus* quia *Judæis scandalum, gentibus* stultitia videbatur (*I Cor.* I), illum credere Deum, qui sic ignominiose tractabatur, vel qui putat Deo placere facta mala non esse putat Deum. Si enim Deus est, justus est; si justus est, displicet ei injustitia. Qui autem putat ei placere iniquitatem, negat Deum esse judicem in rebus. Cassiodorus: Vox capitis pro reparatione eorum de quibus Apostolus: *Scimus quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc* (*Rom.* VIII), et confusionem eorum qui eos tribulant, ita ut ipsi inexcusabiles sint, et auctor inexcusabiles. Verbum dicere, proprie est linguæ, non cordis; sed quia cogitationes nostras potentia divinitatis intelligit, recte dictum est insipientis cor dicere, quod ad aures Domini potest venire, non ad ignoscendum, sed ad judicandum. Quasi dicat: et unde illis tanta insipientia? *Corrupti sunt*, a bona natura in primo parente, et intantum quod *abominabiles*, id est, exhæredati *facti sunt in iniquitatibus* suis, a se inventis, et intantum corrupti, quod *non est qui faciat bonum Dominus de cœlo prospexit super filios hominum*. Hic oritur una quæstio: Si respicit Deus de cœlo ut videat si est intelligens, non omnia novit Deus. Altera: si non est qui faciat bonum, quis est *maeleth*, id est, qui hic parturit inter malos? Prior sic solvitur. Plerumque ita loquitur divina Scriptura, ut quod dono Dei creatura facit Deus facere dicatur. Inde est, *tentat vos Dominus Deus vester*, (*Deut.* XIII) ut sciat si diligitis eum, id est, ut scire vos faciat. Iterum: Quare de cœlo, si hoc homines faciunt? Audi Apostolum: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III), corde vides, sed non vides nisi sursum habeas. Aliter sic: Fecit Deus filios hominum Dei quia ex Filio Dei fecit filium hominis. Donavit Deus hominibus benefacere ex se, non ex illis. Filii hominum sunt, quando male faciunt; filii Dei, quando bene. Ergo tolle quod homines filii Dei sunt, remanet quod filii hominum sunt, et sic non est qui faciat bonum; quasi dicat: Quod illi tales sint, plane advertant qui filii Dei sunt, vel, *insipiens dixit non est Deus*, sed falso. Nam revera est, quia Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, id est, per humanitatem Verbi misericordiam suam disposuit super filios hominum tam Judæos quam gentiles, vel *de cœlo*, id est, de prædicatoribus suis, quorum conversatio in cœlis est; per illos enim misericordiam suam omnibus notificavit, tam Judæis quam gentibus, unde ipsi inexcusabiles. Ad hoc *de cœlo prospexit, ut videat*, id est, videre faciat, *si est intelligens*, scilicet *Deum* per fidem, *aut requirens* per operationem. Cum enim humana infirmitas Deum capere non valeret, in forma humana Filium suum misit, qui verbo et opere ad cultum Dei homines revocare instituit, qui apud mortales fecit divina, patiens humana: misit etiam prædicatores suos, qui hominibus hoc notificarent, sed nullum invenit intelligentem Deum in eo quod erant filii hominum, aut Deum requirentem: quia *omnes declinaverunt* a via veritatis, *simul inutiles*, scilicet Deo, *facti sunt* tam Judæi quam gentes, intantum quod *non est qui faciat bonum* per se, *non est usque ad unum*, vel nullus; vel adeo non attendunt Deum esse judicem in rebus qui Deum intelligere noluerunt de cœlo super se misericorditer prospicientem. *Nonne* cognoscent tandem der supplicia hunc esse Deum, quem tantum esse hominem putaverunt, vel judicem esse in rebus, *omnes* illi *qui operantur iniquitatem* in me, et *qui devorant*, scilicet devorando, *plebem meam*, vel bona eorum subtrahendo, cujus caput ego sum, *ut cibum panis*, id est, assidue? Cognoscent utique *quoniam Deus sprevit*, id est, excæcavit eos, ideo quia *Deum non invocaverunt*, id est, in se non invocaverunt. Ille Deum invocat in se, qui se facit possessionem Deo. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, sicut Judæi qui timuerunt perdere locum et gentem vel gentes quæ timebant idola quæ ipsæ sibi fabricaverant. Quasi dicat: Unde illis tanta excæcatio, ut ibi timerent ubi non erat timor? *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent*, id est student placere hominibus potius quam Deo, et quia ad humanum favorem effusi sunt, *confusi sunt* et interius, *Quoniam Deus sprevit*, id est, excæcavit eos. Quasi dicat: Illi dicunt, ***Non est Deus. Quis*** ergo alius *dabit salutare Israel*, id est, quis veniens *ex Sion* dabit illis quos faciet Israel, id est, Deum videntes et cognoscentes, *salutare*, id est, salvationem æternam nisi ipse? Quis separabit grana a paleis? Revera Dominus, *cum converterit*, id est, simul verterit interius et exterius *captivitatem plebis suæ*. Hic notatur secundus adventus. Tunc *exsultabit Jacob*, qui hic fuit proficiscens, *et lætabitur Israel*, factus perveniens.

PSALMUS LIII.

IN FINEM IN CARMINIBUS, INTELLECTUS DAVID, CUM VENISSENT ZIPHEI, ET NUNTIASSENT SAULI : NONNE DAVID ABSCONDITUS EST APUD NOS ?

« Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in vir- « tute tua judica me. Deus, exaudi orationem « meam ; auribus percipe verba oris mei. Quoniam « alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæ- « sierunt animam meam, et non proposuerunt Deum « ante conspectum suum. Ecce enim Deus adjuvat « me, et Dominus susceptor est animæ meæ. Averte « mala inimicis meis, in veritate tua disperde illos. « Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini « tuo, Domine, quoniam bonum est. Quoniam ex « omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos « meos despexit oculus meus. »

ENARRATIO.

Hic titulus ex historia est sumptus (*I Reg.* XXVI) David fugiens Saulem, latuit in Hebron. Quam rem scientes Ziphei, dicti a vico Ziph, accusaverunt eum apud Saulem, dicentes : *Ecce David absconditus est apud nos.* Saul persequebatur David, et regnum terrenum persequitur filios regni cœlestis. Ziph vicus est, et interpretatur *flos*, inde Ziphei, *florentes*, quod in isto mundo peccatoribus datum est ; *vita* nostra, inquit Apostolus, *abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III), latet Christus hic, quantum ad majestatem, in qua judicaturus est : latet quantum ad laborem piorum et florem impiorum, quia malunt sancti in hoc mundo arescere et pauperes esse et obscuri, quantum ad gloriam temporalem, quam hic florere. Non autem latet Christus quantum ad nomen suum, quod etiam illi prædicant, qui eum factis negant. Ziphei, id est, amantes florem hujus vitæ, accusant David latentem, scilicet Christianos volentes in hac vita latere contemnentes hujus mundi vanam gloriam, et hoc faciunt maxime apud sæculares potestates, quarum potentias et honores isti contemnunt. Hæc referuntur *in finem*, id est, in consummationes temporum, ubi in spiritu Deo servitur, et sunt *intellectus David*, id est, fidelis animæ, cupientis in David esse David vel Christi, et ab eo propositus aliis, *intellectus* dico, habendus *in carnimibus*, id est exsultatione. Hoc enim habent sancti intelligere, hic esse gaudendum in tribulatione, quia tandem hæc tristitia vertetur in gaudium : *intellectus* dico significatus tunc *cum venerunt Ziphei et dixerunt ad Saul* : Judæi de Christo ad suos principes (*Joan.* XVI), et alii infideles de corpore Christi ad terrenos principes : et est vox Ecclesiæ intelligentis florem hujus vitæ caducum et cito transeuntem : quia *omnis caro fenum et omnis gloria ejus quasi flos agri* (*Isa.* XL.) atque ideo in hac vita florere contemnit ; sed elegit potius hic arere dum biems est, et florem suum in radice occultare, ut tandem suo tempore floreat. Et propterea ab amatoribus mundi multas pressuras patitur, in quibus pressuris quid agendum sit ostendit, scilicet orandum et bono proposito perseverandum.

Deus in nomine tuo salvum me fac, vel me missum in nomine tuo, glorificando, si ad caput, vel me gloriantem in nomine tuo, si ad membra. Alii quærunt salutem in suo nomine, in divitiis, in honoribus, in potenttis : sed tu *salvum me fac*, *me* dico, intelligentem alibi non esse salutem nisi *in nomine tuo*, illo scilicet quod apud sæculi florentes probrosum et ignominiosum ducitur, id est, crucifixum : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI). Illo nomine salvantur, qui Christi crucem non erubescunt, quibus mundus crucifixus est, et ipsi mundo (*Ibid.*). *Qui* enim *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V). Unde Apostolus ad Timotheum : *Noli erubescere* Christum crucifixum, et *me vinctum ejus* (*II Tim.* I). Malo suo gloriatus est Adam in suo
B nomine, qui sibi voluit fieri Deus, *Et in virtute tua* libera me. Ipsi volunt me in infirmitate perdere, qui in suo nomine gloriantur, sed tu libera me *in virtute*, id est, in divinitate mihi unita, si ad caput : si ad membra, *judica me*, cum veneris *in virtute*, qui modo apparuisti despectus. Modo concreti snnt Ziphei ad David, id est, amatores hujus sæculi et amatores Dei, sed tu, Deus, *judica*, id est, discerne grana a paleis, florem illorum a nostro. Præsumptuosa nimis foret hæc petitio a tanto judice petere judicium, in cujus conspectu nec cœli mundi sunt (*Job.* XV), si non præcederet misericordia. Quasi dicat : Postea non timebo judicium tuum, si me in nomine tuo salvum feceris, quod judicium mihi erit non ad pœnam sed ad discretionem. *Deus exaudi orationem meam* factam pro perseverantia meorum, si
C caput : si membra, *exaudi orationem* cordis : *auribus percipe verba oris mei*, quæ in ore profero, id est, in evidentia rei ostende te percepisse ; si caput, *verba* facta pro meis. Et opus est ut salvum facias, *quoniam alieni*, non cognatione, sed flore, et si illis sonet oratio mea, non audiunt, quia non intelligunt ; temporalibus enim gaudentes, non noverunt æterna : si caput, alicui facti, qui filii esse debuerunt. *Insurrexerunt* non ad me defendendum, sed *adversum me* : *et fortes*, quantum ad suam reputationem, vel de se præsumentes, *quæsierunt animam meam*, id est, vitam ut perderent, si caput : si membra, *animam meam* ad subvertendum. *Et* hoc ideo, quia *non proposuerunt Deum ante conspectum suum*, non intellexerunt super egenum et pauperem, si caput : si
D membra, *non proposuerunt Deum ante conspectum suum*, quia sæculum illud habuerunt *ante conspectum* cordis, *magis dilexerunt tenebras quam lucem* (*Joan.* III). Ipsi insurrexerunt, sed quæ cura ? *Ecce enim Deus adjuvat me.* Hoc modo : vel et si non apparet foris, tamen intus adjuvat : *et Dominus susceptor est animæ meæ* resuscitando, si caput : si membra, suscepit animam meam, ut non devocaretur, vel suscepit Christus causam meam agendam. *Averte mala inimicis meis. Averte* a me, et converte in illos : quia timebant interlicia Romanis, et amittere locum et gentem propter me, cogitaverunt me interficere ; sed interficiantur a Romanis, et amit-

tant locum et gentem : non optatio, sed prophetatio. A *In veritate tua*, id est, in vero judicio *disperde illos*, id est, dissipa et divide per totum mundum, qui in falsitate sua me perdere voluerunt ; si membra, ipsi mihi mortem paraverunt temporalem, incurrant æternam : et hoc non ex crudelitate, sed ex vero judicio ; vel in bonum compatiendo dictum. O Deus, *mala* quæ ipsi putant esse bona, scilicet florem præsentis vitæ, *averte* a corde eorum : et in virtute tua, id est, *in veritate* præceptorum tuorum *disperde illos. Verte impios et non erunt* (Prov. XII) : quanquam non meruerint, tu tamen ex bonitate tua hoc fac : vel *averte mala inimicis meis.* Modo florent, sed igni servantur. *Et in veritate tua disperde illos*, quos in infirmitate tua tolerasti. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Si caput, ipsi *quæsierunt animam meam* quasi nolen- B tem, sed ego sponte obtuli tibi illud sacrificium : si membra, merito *Dominus susceptor est animæ meæ* : quia, o Domine, *voluntarie*, id est gratis, sine præmio temporali, *sacrificabo tibi*, crucifigendo carnem cum vitiis et concupiscentiis. *Et* hoc non mihi attribuam, sed *confitebor nomini tuo*, totum tibi attribuam quod boni agam ideo *nomini tuo*, et non alii, *quoniam bonum est*, quia nihil invenio bonum per se. Et vere præter illud tibi tandem post sacrificium laudabo te, cum eris omnia in omnibus. Et hoc quod bonum sit, mihi experto credendum est : *quoniam ex omni tribulatione eripuisti me*, me caput resuscitando exterius, membra interius in re, exterius in spe. *Et super inimicos meos despexit oculus meus*, tandem in judicio, cum judex positus ero super eos. Ideo *despexit*, quia certum est quasi jam fa- C ctum tibi. Hic altitudine cordis ad te perveniens : inde super illos despexi, et vidi quod omnis caro fenum, Unde alibi : *Transivi, et ecce non erat* (*Psal.* 36).

PSALMUS LIV.

IN FINEM IN CARMINIBUS INTELLECTUS DAVID.

« Exaudi, Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam : intende mihi, et exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris. Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi. Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me et contexerunt me tenebræ. Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et re- D quiescam? Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine. Exspectabam eum qui salvum me fecit, a pusillanimitate spiritus et tempestate. Præcipita, Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdadit eam super muros ejus iniquitas et labor in medio ejus et injustitia. Et non defecit de plateis ejus usura et dolus. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos in domo Dei ambulavimus cum consensu. Veniat mors super illos ; et descendant in infernum viventes. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me. Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum. Exaudiet Deus et humiliabit illos, qui est ante sæcula. Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum : extendit manum suam in retribuendo. Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius. Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula. Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet ; non dabit in æternum fluctuationem justo. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos, ego autem sperabo in te, Domine. »

EXARRATIO.

In finem, id est, in Christum. *Finis legis. Christus. In hymnis*, id est, in laudibus. Sive enim tribulemur, sive lætemur, ille laudandus est qui in tribulationibus erudit et in lætitia consolatur. Nos cum Christo in cœlo per spem, ipse nobiscum in terra per charitatem. Ergo cum audimus *intellectus* ipsi *David*, admoneamur et intelligat Ecclesia in quo malo nunc sumus, et de quo ut liberemur optamus. Intelligere debemus ad imaginem Dei nos esse factos, intelligere debemus honorem nostrum. Si hoc intelligimus, videmus istam regionem non esse gaudii, sed mœroris. Dominus noster Jesus Christus caput nostrum qui non est dedignatus formam nostram, id est, formam servi suscipere, dignatur nobis servis suis et formam orandi et exemplum vivendi dare, ut nobis iste psalmus declarat.

Exaudi, Deus orationem meam factam pro perseverantia meorum qui jam initiati sunt sacramentis fidei. *Et ne despexeris deprecationem meam :* Potest enim fieri ut exaudiatur quis et postmodum despiciatur, quod evenit eis qui mundi istius bona desperantes accipiunt et post despiciuntur, quia nequaquam æterna appetierunt. *Exaudi deprecationem* factam pro his qui prædestinati ad fidem nondum venerunt, ut convertantur ab errore suo, vel pro iisdem fidelibus *orationem*, ut perseverent in bono proposito, *deprecationem*, ut auferatur sæculi amor ; hoc modo *exaudi* : *Intende mihi et exaudi me;* ad similitudinem : Cum enim tranquillum quis accommodat vultum benignum præbet auditum. Quia me irremissum facio in oratione, et te irremissum fac in auditione. Et opus est exauditione, quia *contristatus sum in exercitatione mea.* Exercitatio est honesti laboris continuatio. Hic Dominici hominis vitæ cursus breviter describitur. Exercitatio enim ejus fuit insignis in miraculis, in doctrina. Quam exercitationem quia vidit non proficere contristatus est non pro se, sed, pro salute illorum quos perire

videbat, ad similitudinem boni medici qui in his quos curare vult videt artem suam parum proficere. Et ne hæc tristitia intelligatur manens, subjungit : *Conturbatus sum a voce inimici :* Qui amicus debuit esse factus est inimicus cujus vox in omnibus mihi contradicit. *Dæmonium habes* (*Joan.* VIII). *Hic homo non est a Deo* (*Joan.* IX). *Nolumus hunc regnare super nos* (*Luc.* XIX). *Et a tribulatione peccatoris*: cum peccator sit et indigeat mea salute, tribulant me verberando, colaphizando, *peccatoris*, id est, transgressoris. Quæ tribulatio potius dicenda est *peccatoris* quam mea, quia cum me parat tribulare exterius tribulatur interius. Quare voco suam? *Quoniam declinaverunt in me iniquitates*, quia declinare voluerunt mortem, et amissionem loci et gentis per meam mortem, quam potius per mortem meam incurrerunt : vel, suas iniquitates imposuerunt mihi facientes me hostiam pro peccatis suis, ut Numantini qui captivum prius bene tractabant, et postea extra civitatem ducentes et imponentes ipsi omnia peccata sua lapidabant, putantes per hoc purgari. Putaverunt enim Judæi quod in morte Christi purgaretur locus et gens. *Et in ira* quam habuerunt pro amissione loci et gentis *molesti erant mihi*. Irati mihi unde sibi irasci debuerunt : suo enim peccato, non meo captivati sunt, putaverunt enim, quia regem se nominavit, iram Romanorum principum incurrere cum Judæus esset, et ideo illi irati erant. Unde, quia *molesti erant* quia *declinaverunt in me iniquitates*, *cor meum conturbatum est in me. Conturbatum est* ad horam, sed in me, non extra me. Hoc voluntate mea, quia voluntarie, non coactus, transtuli in me conturbationem meorum. *Et* quia voluntate veni ad passionem, non necessitate, *formido mortis*, id est, mors aliis formidabilis *cecidit*, id est, mortua est, *super me* scilicet etiam veniens. Id enim juris quod in aliis habebat perdidit veniens ad illum in quem nihil juris habuit. *O mors, ero mors tua, morsus ero inferne* (*Ose.* VIII). Ostensio quomodo super eum venit mors. *Timor* scilicet animi *et tremor* corporis *venerunt super me*. Vera mortis descriptio. *Et* post mortem et tremorem *contexerunt me tenebræ*, quia mortuus nihil lucis habet : vel *tenebræ*, id est tenebrosi, cæci et ignorantes quid facerent, *contexerunt me* undique *me* lumen mundi tegere putaverunt ponentes in crucem, de cruce in sepulcro, claudentes etiam sepulcrum. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et mundus eum non cognovit. In propria venit et sui eum non receperunt* (*Joan.* I). Augustinus : « Est autem quædam civitas omnibus confusa gentibus nihil habens non dignum confusione. Civitas autem, quia qui in ea sunt hoc quo confundi debuerant munimentum sibi ducunt, contradicentes Christo tam non credendo quam male vivendo : muri confusionis humanæ, sublimiores factu impietatis, de quibus sæpe dicitur : Si hic fieret Christianus, quid remaneret paganus? Casuri sunt hi muri septimo arcæ circuitu (*Jos.* VI), id est, opere, septiformis

A Spiritus : plateæ, impii : in quibus compita omnium concupiscentiarum, et forum tumultuum omnium rerum : et quasi occurret. Si ita est in civitate quæ est extra Christum, requiesce tu intus in his qui in Christo, ne quære solitudinem. Quod queror, inquit, attingit scilicet falsos fratres in quibus intus laboro quoniam exteriores tolerarem. » Possunt et ad membra Christi hæc referri, ut Christus pro membris suis sic dicat? *Contristatus sum in exercitatione mea*, id est, contristantur mei multum laborantes in doctrina me imitando, et nihil proficientes vel parum : vel, *in exercitatione mea*, quia mali cum mali sint exercent bonos : si bonus es, non habes inimicum nisi malum. Porro tibi ea bonitatis regula præfixa est ut imiteris bonitatem Patris tui, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. B Sed talis cum extendit dilectionem ut etiam diligat inimicos, multorum rabie circumvallatus quadam humana infirmitate succubuit, vidit se penetrari mala persuasione diabolica, ut odium induat adversum inimicos : reluctans odio ut perficeret dilectionem in ipsa lucta turbatus est, hoc modo *contristatus. Conturbatus sum* interius, dum hac pugnat charitas, hac odium. *A voce*, id est, a contradictione, et non solum a contradictione, sed etiam a *tribulatione peccatoris*. Duo sunt genera inimicorum : unus occultus, et alter apertus; unus interior, alter exterior : uterque auferre conatur a nobis id unde superari potest. Exterior nititur auferre facultatem, interior vero charitatem. Cum enim ille interior hostis adversum nos excitat exteriorem non tam C facit ut auferat facultatem quam ut interius in nobis feriat charitatem. Amandus est ergo hostis exterior, ut sic vindicatur interior. Ideo turbatus sum timens amittere charitatem et verti in odium. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates*, id est, proprias iniquitates mihi imposuerunt; cum ipsi essent impii et blasphemi, dixerunt me impium et blasphemum. *Et in ira*, id est, in injusto furore, non in justa causa *molesti erant mihi :* et ideo *cor meum conturbatum est in me*, id est, intus æstuavi. Qua de causa, subjungit : *Et formido mortis cecidit super me*, id est, timui ne ex eorum nimia perversione a charitate verterer in odium. Quod odium est mors animæ, sicut e contrario dilectio vita. Exponit quomodo formido mortis venit super eum. *Timor* D *et tremor venerunt super me*, ut supra. Et non mirum, quia *contexerunt me tenebræ*, id est, timui ut tenebræ undique me involverunt. *Qui enim odit fratrem suum in tenebris est* (I *Joan.* II). *Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Quasi dicat : Contristatus et conturbatus arguendo illum populum, obsecrando, increpando, et parum proficiendo dixi : *Quis dabit mihi pennas*, scilicet resurrectionem et impassibilitatem *mihi* dico, *sicut columbæ*, in simplicitate et innocentia vel in hoc simili, quia sicut illa turbata aliqua molestia avolat a nido, non tamen longe recedens, sed circumvolans ita ego, etsi corpus eis subtraham, non tamen affectionem;

vel *sicut columbæ*, ut sim similis illi columbæ quæ emissa de arca noluit morari in lutosis locis, sed rediit ad arcam (*Gen.* III) ubi quietem invenit, ita ego nolens manere in lutosis cordibus Judæorum transibo ad gentes in quibus requiescam, quia ibi inveniam humilitatem et mansuetudinem. *Super quem requiescam, nisi super humilem et mansuetum et trementem verba mea* (*Isa.* LXVI). Pennæ dicuntur *a pendendo*, columba, quasi *cellæ alumna*, id est domestica, secundum Isidorum. Et assumptis pennis *volabo et requiescam*. Vel, in cœlum ascendam, et ibi sedebo ad dextram Patris, vel, recedam a Judæis per prædicatores meos, et reqniescam in gentibus, quia immortalis et impassibilis factus melius potuit venire in notitiam gentium quam mortalis. Quis mihi hoc dabit scilicet præter me? Nullus. Et quia infirmus sum ex humanitate, sed sum potens ex divinitate, *Ecce*. Quasi dicat : In hoc apparet, quia ex mea virtute pennas sumpsi non aliena, quia *elongavi*, longe recessi, *fugiens* lutulenta corda Judæorum, *et mansi in solitudine*, id est, in cordibus gentilium qui infructuosi erant et inculti lege, et prophetarum scriptis et patriarcharum exemplis ; vel *ecce* feci quod volebam. Et merito hoc potui facere, quia *exspectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate* : quia cum patientia obedientiam implens ego Dominicus homo non properanter egi, sed exspectabam eum, scilicet Verbum mihi personaliter unitum, qui tandem salvum me fecit ideo, quia eum expectavi *a pusillaminitate spiritus*, id est, imbecillitate, ut in Petro et in aliis discipulis qui, prius pusilli animi, fuerunt post Christi avolationem firmati. Et a tempestate mea, id est, a sævissima persecutione. Et in hoc exemplum vitæ prebet Christus caput membris suis quod illis sit agendum, cum multum laborent in subditis et parum proficiant, scilicet confugiendum vel corpore in aliquem secretum locum, vel intus ad tranquillam mentis sedem : ut quia laborando et prædicando proficere non possunt, prosint eis vel orando, ne cum talibus versando odium incidant, quod illis et prohibitum, quid dictum est, *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* V). Et tu, *Domine*, qui salvum me fecisti a tempestate Judæorum, quia iniquitates suas in me declinaverunt, *Præcipita* eos *et divide linguas eorum*. Tres historias hic tangit submersionem factam sub Noe (*Gen.* VII), divisionem linguarum factam in ædificatione turris (*Num.* XVI), absorbitionem Dathan et Abiron, qui duo spreverunt Aaron constitutum a Domino sacerdotem per manum Moysi fratris sui et accepto thuribulo cœperunt sacrificare in tabernaculo ; sed aperta est terra, et deglutivit Dathan et Abiron duces impietatis illius. Cæteram multitudinem consentientem istis, consumpsit de cœlo veniens (*Num.* XVI). Non hoc dicit optando, sed prophetando et aggratulando divinæ sententiæ. O Domine, quia se erexerunt contra te, *præcipita* eos de dignitate et altitudine regni et sacerdotii, dimergantur in profundum miseriæ, ducantur in captivitatem et in servitutem gentium. *Et divide linguas eorum*, id est, in varias linguas gentium dissipentur, ut cum modo sint unius linguæ, fiant multarum : vel *divide linguas eorum*, excæcati sint intus et divisi. Dicant alii *quia bonus est : alii non, sed seducit turbas* (*Joan.* VII). Hoc modo *divide*, ut in promissis salvari credentes, id est, in carnalibus observationibus, non teneant complentia : credentes solum sacerdotium secundum ordinem Aaron recipiant sacerdotium permanens secundum ordinem Melchisedech, et sic tandem neutrum habeant. Nihil enim de his modo secundum legem agunt, et non mirum, quia non potest vetus absque novo impleri, quia in illo sunt promittentia, in isto complentia : et in hoc non est refundenda culpa in auctorem. *Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.* Digni sunt hac pœna, quoniam cives sunt et non civiliter vivunt, et ideo gravius debent perire. Civitas enim est congregatio hominum ad jure vivendum. Et Judæi ad comparationem gentium cives erant, quia legem acceperent quæ eos congregare debuit ad jure vivendum. In hac civitate iniquitas erat in opere, ad hoc quod dixit, *præcipita* : omnia eorum opera erant contra Dominum, contradictio in verbis, ad hoc quod dixit, *divide*. Et non solum hæc sunt in illa civitate, sed in omnibus majoribus et minoribus : et non ad tempus, sed dicta *nocte*, id est, assidue *circumdabit eam* civitatem *iniquitas* omnis *super muros ejus*, circumdabit, id est, amplectetur multitudinem populi illius, quæ est sibi munimento quasi murus, intantum ut iniquitas sit super illos muros, ut superet caput, id est mentem eorum. Sic cæci sunt ut nihil agant ratione vel lege quod alibi. *Et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet* (*Psal.* VII). *Et in medio ejus*, id est, in majoribus qui sunt quasi ossa in medio posita, *labor*, id est, oppressio subditorum, *et justitia*, id est, injusta judicia. De quibus dicitur : *Væ* vobis *qui justificatis impium pro muneribus et justitiam justi aufertis ab eo* (*Isa.* V), vel *super muros ejus iniquitas*, id est, super prælatos qui eam muniunt, *labor*, id est bellum, seditio, et hoc ideo, quia ibi *injustitia*, vel *super muros ejus iniquitas*, id est, super custodiam angelorum, ut major sit iniquitas quam angelorum custodia. O, boni habent angelos custodes, sed mali quamcumque custodiam a se repellant: *et in medio ejus*, id est, in communi tam apud principes quam apud plebem, *labor et injustitia*, id est, laboriosa injustitia. Vel ipsi modum in ædificandis muris excedunt, et ipsos muros studio pravitatis superant. Ostendit ex parte quæ injustitia. *Et non defecit de plateis ejus usura*, id est, in manifesto habent usuram, quod perditissimum est. Omne enim malum exsecrabilius redditur, cum publica præsumptione tractatur. *Et dolus* id est, circumventio et fraus, vel, *de plateis ejus*, id est prælatis, ad similitudinem, quia sicut per plateas incedimus, sic prælatorem vita moribus ad imitandum est exemplar. De illis plateis *non defecit usura* illa pes-

sima, quam qui exercet frustra Dominicam orationem cantat, cum gravius sumitur vindicta quam sit offensa ut pro colapho homicidium. Et si publice id non audent dolose faciunt: et ideo, *Domine, præcipita, divide linguas eorum*, quia injuste vivunt, a quibus maxime cavendum. Nulla enim pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus. *Quoniam si inimicus* scilicet apertus *maledixisset mihi, sustinuissem utique.* Tolerabilius enim videtur quod probatur suscipi non inopinatum: *si inimicus* ille qui civis non est, qui idola colit, *maledixisset mihi*, denegando in se jus suum Creatori suo, *sustinuissem* utique, id est, ab hac præsenti pœna parcerem ei, eo quod non fui prænuntiatus illi populo ferendum videretur. *Et si is qui oderat me* scilicet aperte, qui se civem non simulabat, *super me magna locutus fuisset*, mihi contradicendo, *absondissem me forsitan ab eo, forsitan*, id est, vere subtraherem me ei, ut sic eum placarem vel *abscondissem me* a pœna, dissimulando ejus peccatum. *Tu vero*, Judæe *homo*, id est, rationalis, quantum ad gentiles, qui se denominaverunt, *unanimis* secundum similitudinem, vel, qui esse debuisti *unanimis. Dux meus*, quem ego ad hoc institui ut esses dux et magister aliorum instructus per legem. *Et notus meus* secundum consanguinitatem, *qui mecum capiebas dulces cibos*, id est, qui præcepta Dei dulcia mecum cupiebas in Synagoga, quia et ipse Christus legitur in Synagoga librum accepisse et in eo legisse (*Luc.* IV), *simul*, id est, eodem tempore. *Et in domo Dei ambulavimus cum consensu*, id est, in domo Dei concordes sacrificiis interfuimus. Quo me perducis tuo scelere? Utique ut hoc dicam, *Veniat mors super illos.* Hic tangit illam tertiam historiam. Sicut incendium mortificavit consentientes majoribus Dathan et Abiron (*Num.* XVI), sic incentiva vitiorum devastent istorum minores. *Et descendant* eorum prælati *in infernum viventes*, id est, scientes descendant in profunditatem vitiorum. De quibus dictum est, *Væ vobis qui habetis claves sapientiæ, neque ipsi intratis, nec alios intrare permittitis* (*Luc.* XI). Sicut Dathan et Abiron, quos vivos deglutivit terra, et merito *quoniam nequitiæ in habitaculis eorum*, id est, in corpore quod contaminaverunt de opere iniquitatis. Et *in medio eorum*, id est, in corde. Aliter in bonum: O Domine, quia cives sunt, quia populus ille est dux meus et notus meus, *veniat mors super illos*: *Verte impios, et non erunt* (*Prov.* XII). *Et descendant in infernum viventes*, id est, recognoscant peccata sua, et resculpant ea ut sint viventes. Et opus est, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum et in medio eorum, id est, quoniam de opere iniquitatis contaminaverunt carnem et cor suum. Ubique hic commendatur nobis exemplum vivendi in capite nostro, et ostendit quid prælati debeant agere super subditorum incorrectione. Illi qui taliter vivunt triplici damnatione peribunt: vel, illi mihi contradicunt, illi gratis me odio habent: *ego autem* illis non restiti, illos non maledixi, sed *ad Deum clamavi*, id est, totam intentionem ad Deum

A direxi pro perseverantia. Quasi dicat: ita et vos facite in hujusmodi negotio. *Et me* clamantem *salvavit vespere, mane et meridie*, id est, in passione quæ vesperi incepit salvavit dando patientiam, *mane* salvavit dando resurrectionem. Quæ mane facta est cum adhuc tenebræ essent, et *meridie* salvavit per ascensionem quæ eo tempore facta est. Et ego in membris meis *narrabo vespere* patientiam meam *et annuntiabo mane* vitam resurrectionis. *Et meridie exaudiet vocem meam.* Sicut *meridie* me clarificavit, ita et meos *meridie*, id est, in communi resurrectione, cum maxima claritudo veri solis erit, *exaudi et* me clarificando, illos, vel *vespere et mane* id est, in prosperitate, quia tunc est aer temperatus: *narrabo et annuntiabo*, scilicet clamandum ad Dominum, B *et meridie*, id est, in adversitate, quia tunc est aer ferventissimus: hoc modo *exaudiet.* Augustinus: « Et tu annuntia *vespere* patientiam morientis, *mane* gloriam resurgentis, *meridie* æternitatem cum Patre residentis, ubi interpellans pro suis, *exaudiet vocem meam* hanc: » *Redimet in pace animam meam, in pace*, ut det mihi dilectionem, et in eos qui intus, et in eos qui foris. *Redimet in pace animam meam*, vitam meam *redimet* a mortalitate et passibilitate: *in pace* nunquam valente oppositum, *meam* in re, nunc meorum in spe, vel in tanta pace, ut etiam diligam inimicos. *Ab his qui appropinquant mihi.* Et quia appropinquare et in bonum potest accipi, determinat quomodo appropinquabunt, vel, ideo separabit me ab illis, *quoniam inter multos erant mecum*, C id est, quoniam hic cum meis fuerunt concreti, ut palea cum grano, quæ multa est ad comparationem grani, vel secundum aliam translationem: In multis *erant mecum*, et hoc modo propinquant: nam mecum erant in baptismo, in Evangelio, in solemnitatibus, in paucis non mecum, sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum. Hoc dicit ne aliquis desperet. Si enim commutari, id est, converti vellent, utique salvarentur. Multa hæc sunt Apostoli: *Si linguis hominum loquar et angelorum*, et cætera: usque, *charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII). Illa numero plura, hæc pondere majora. Ergo in his omnibus sacramentis mecum, in charitate non mecum. Revera *redimet animam meam* ab illis, quia me exaltabit, illos dejiciet. *Exaudiet Deus*, scilicet me humiliatum D exaltando, *et humiliabit* tandem *illos* hic elatos, et poterit, quia *est ante sæcula*, Verbum scilicet mihi unitum, quem illi mortalem putaverunt. Ideo tandem humiliabuntur, quia *non est illis* hic *commutatio.* Nolunt commutari de morte ad vitam, quia conculcant sanguinem justi in quo facta est illa mutatio. Vel ideo humiliabuntur, quia non erit illis tunc commutatio. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* XV): quia impii immortales quidem erunt, sed passibiles. *Et* merito hoc illis eveniet, quia *non timuerunt Deum* quem quasi hominem damnaverunt, id est, me. Et ideo *extendit manum suam in retribuendo*, id est, multum illis retribuet,

quia et hic et in futuro, et hoc ostendit. *Contaminaverunt testamentum ejus*, id est, permisit illos contaminare legem, attendentes tantum promissa, et non attendentes complentia, accipientes vetus, non recipientes novum, id est, recipientes sacrificium Aaron, et Melchisedech respuentes: hoc de Judæis. Si autem de hæreticis, contaminaverunt testamentum Dei, id est, sacras Scripturas pravo intellectu, vel hoc modo: *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus.* Non dicit, *et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, et semini* tuo, *qui est Christus* (*Gal.* III), In hoc ergo Christo promissum est testamentum. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Tu qui dimisisti unitatem omnium gentium, o hæretice, et in parte remansisti, contaminasti testamentum ejus. Et hoc modo contaminaverunt Judæi legem Dei, quia *divisi sunt* in illo testamento, separantes vetus a novo, illud recipientes, istud respuentes, sacrificium secundum ordinem Aaron recipientes, et sacrificium secundum ordinem Melchisedech respuentes. Vel, hæretici *divisi sunt* ab unitate Ecclesiæ, in qua una fides, unum baptisma: vel, *divisi sunt*, id est, dividentur a non contaminantibus testamentum, ut palea a grano, sive Judæi, sive falsi Christiani: *ab ira vultus ejus*, id est, ab ira justi judicii ejus, quæ in vultu, id est, præsentia Dei manifestabitur. Vel, dividentur, id est, separabuntur *ab ira vultus ejus*, id est, ab irato vultu. *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI), vel divisi sunt, ut dictum est, Judæi in testamento, vec hæretici in sacra Scriptura. *Ab ira vultus ejus*, id est, excæcati sunt interius ab occulta ira Dei quæ est in illius vultu, etsi non sit in vultu hominum. *Et appropinquavit cor illius.* Cæcitate facta in Israel, appropinquavit *cor illius*, id est, voluntas Dei ut plenitudo gentium intraret, vel hæreticis divisis a sano intellectu, vel Judæis non recipientibus Novum Testamentum, et dicentibus, *Durus est hic sermo: et quis* poterit servare? (*Joan.* VI). Putantibus carnem Christi frustatim debere incidi, et sacrilego more comedi, cum Christus diceret: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem* (*Ibid.*) Illis retrorsum abeuntibus, *appropinquavit cor illius*, id est, voluntas illius, quæ erat, spiritualiter intelligenda in illis sacris verbis, *appropinquavit*, scilicet non contaminantibus testamentum ejus. Et hoc modo *appropinquavit. Molliti sunt sermones ejus super oleum.* id est, penetrabiles facti et molles a duritia illa, quam ipsi intellexerunt qui dixerunt, *Durus est hic sermo* (*Ibid.*), quemadmodum Petro qui pro aliis discipulis dixit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ habes* (*Ibid.*): *spiritus* est qui vivificat, *caro autem infirma* est (*Matth.* XXVI), id est, verba tua spiritualiter intellecta vivificant; carnaliter vero intellecta mortificant. *Super oleum*, id est, magis quam oleum penetrat usque ad ossa sermones autem Dei usque ad medullas cordium: vel, hæreticis contaminantibus testamentum Dei, et dividentibus se ab unitate catholicæ fidei, *appropinquavit cor illius*, quia voluntates divinæ quæ latebant in Scripturis indiscussæ apparuernnt, quia excitati sunt multi ad investigandas sacras Scripturas, juxta Apostolum: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt inter vos manifesti fiant* (*I Cor.* XI). *Molliti sunt sermones ejus*, id est, intellecti, *et ipsi sunt jacula.* Quasi dicat: Etsi sint molles, tamen sunt jacula ad convincendos falso fratres contra hæreticam pravitatem, corda inimicorum transfigentia, ignem divini amoris in eis excitantia, interficientia persecutorem et excitantia, discipulum. Ergo quia Dominus me exaudivit, meo exemplo *jacta super Domiuum* cogitatum tuum, omnem sollicitudinem tuam in eum projice, noli contaminare testamentum ejus, *et ipse te enutriet* in sermonibus suis, ut proficias de virtute in virtutem, *et* tibi *justo non dabit fluctuationem in æternum*: etsi ad tempus det tibi commotionem mentis, non dabit ut maneat *in æternum*, ut in Petro non mansit. Aliter: *Jacta super Dominum curam tuam.* Quasi dicat, *molliti sunt sermones ejus*, et, o Christiane, si adhuc duri sunt tibi, noli despicere, noli ad infidelitatem divertere. Ideo tibi durus est, quia adhuc lacte es nutriendus. *Jacta super Dominum curam tuam*, et *non dabit in æternum fluctuationem justo*, quia erit tibi portus salutis. *Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus.* Quasi dicat, illos autem qui nolunt jactare curam in te, Tu, quasi dicat, quem necesse est esse judicem, quia Deus de tenebris somniorum duces in tenebras tormentorum. *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos*, si hoc ad Judæos refertur, sic jungitur cum superiori. Diceret aliquis: Nonne proderunt eis legalia instituta? non, *quia* illi *viri sanguinum*, id est, interfectores Christi, non solum facientes, sed consentientes pravo intellectu legis Dei se et alios perdentes, *non dimidiabunt dies suos*, id est, non separabunt tempora sua, id est, Vetus Testamentum a Novo. Sicut credunt illud esse servandum, istud non, quia juncta sunt, illa sunt promittentia, ista complentia: et qui unum sine altero vult sequi, neutrum habet: vel de omnibus tam Judæis quam gentibus. quasi dicat, revera deduces eos in puteum interitus, quia *viri sanguinum* fundentes sanguinem animarum et corporum, et *dolosi*, id est, circumvenientes fratres in negotio, *non dimidiabunt dies suos*, id est, non separabunt dies istos a diebus æternis, putantes nullam esse vitam nisi istam. Vel hoc modo *non dimidiabunt*, ut simul serviant nunc Deo, nunc Mammonæ vicissim. Quia *non potestis duobus Dominis servire* (*Matth.* VI), dicit sermo divinus, non potest hoc simul esse. Gregorius: « *Dies suos nequaquam* dimidiabunt, quia perversam mentem suam nec in extremis mutabunt. » Cassiodorus: Hos tales dicit non implere dies suos, quando cum sibi longam vitam promittunt, repentinus eis superveniet interitus. Nam omnium dies in prædestinatione noscuntur esse definiti. *Ego autem* caput et membra scilicet dimidiabo. Et causa, quare? Nam *sperabo in te, Domine*, super te jactabo curam meam, et ideo illi deducentur in puteum interitus

PSALMUS LV.

IN FINEM PRO POPULO, QUI A SANCTIS LONGE FACTUS EST IN TITULI INSCRIPTIONE IPSI DAVID, CUM TENERENT EUM ALLOPHYLI IN GETH.

« Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me « homo : tota die impugnans tribulavit me. Concul- « caverunt me inimici mei tota die, quoniam multi « bellantes adversum me. Ab altitudine diei timebo, « ego vero in te sperabo. In Deo laudabo sermones « meos, in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi « caro tota die verba mea exsecrabantur, adver- « sum me omnes cogitationes eorum in malum. In- « habitabunt et abscondent ipsi, calcaneum meum « observabunt. Sicut sustinuerunt animam meam, « pro nihilo salvos facies illos, in ira populos con- « fringes. Deus, vitam meam annuntiavi tibi, po- « suisti lacrymas meas in conspectu tuo. Sicut et in « promissione tua, tunc convertentur inimici mei « retrorsum. In quacunque die invocavero te, ecce « cognovi quoniam Deus meus es. In Deo laudabo « verbum, in Domino laudabo sermonem : in Deo « speravi, non timebo quid faciat mihi homo. In me « sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes « tibi. Quoniam eripuisti animam meam de morte, « et pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in « lumine viventium. »

ENARRATIO.

Constructio *tituli*. Hæc quæ aguntur in hoc psalmo referuntur in finem temporum, ut non ad historiam accipiantur, id est, in plenitudinem temporum attribuenda David, capiti et corpori, id est, Christo vero David. Tunc *cum allophyli*, id est, alienigenæ vel potione cadentes Judæi et eorum similes, scilicet increduli, inebriati dulci fortuna hujus vitæ, *tenuerunt in Geth*, id est in torculari, scilicet in pressura, ne mundus abiret post eum, facta tunc pro populo, id est, pro eruditione populi, ut Deus eruat eum ab illo *populo qui a sanctis longe factus est inscriptione tituli*, id est, remotus ab his qui inscriptionem tituli receperunt, qui scriptus est a Pilato super caput Jesu, tribus linguis scriptus, quasi tribus testibus confirmatus : *Jesus Nazarenus rex Judæorum*. Omnes qui Jesum regem humiliter recipiunt, et sub illo rege vivunt, hunc titulum recipiunt ; qui autem Christum regem habere nolunt *inscriptione* hujus *tituli longe* fiunt *a sanctis* qui dixerunt Pilato : *Noli dicere, rex Judæorum, sed quia ipse dixit* regem se *Judæorum* (*Joan.* XIX). Quibus ille ignoranter præbuit testimonium veritatis, dicens : *Quod scripsi, scripsi.* Quasi dicat : Quid mihi suggeritis falsitatem ? Non commuto veritatem, *populus longe factus a sanctis*, Judaicus principaliter qui se dicit regem non habere nisi Cæsarem : secundo, omnis populus qui pro regno terreno Deum in se regnare non permittit. Est autem rex ad terrena terrenus, ad cœlestia cœlestis, nec in hoc peccaverunt, quod regem appellaverunt Cæsarem, sed in eo quod respuerunt Christum regem quem habere regem nolunt,

A corpus ejus, id est, Ecclesiam persequuntur. Nos cum Christo in cœlo per spem, ipse nobiscum in terra per charitatem qui in membris suis quotidie paritur usque ad consummationem sæculi. In cœlo jam sedebat cum in terra diceret : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX) ? Quos persecutores in hoc psalmo tolerare jubemur et ad orationem confugere : proprie autem longe fiunt a sanctis qui corde, non corpore. Legitur autem David, cum fugeret Saul, apud Allophylos peregrinatus, non tentus: nec legitur de inscriptione aliqua tituli illius David, quod nos ad mysterium ab historia revocat, ut in David Christum intelligamus, quem non solum tenuerunt, sed adhuc tenent Allophyli in Geth. Corpus enim Christi, quandiu est in hac vita, ab his qui
B longe sunt a Christo tenetur in Geth, id est, in torculari, scilicet in pressuris. In torculari autem utilis fit pressura, quidquid pressurarum patiuntur sancti a diversis utile est, operatur enim probationem. Attendant ergo hunc psalmum qui in pressuris sunt, non tamen astringitur vox illis qui extra passionem. Est autem vox Christi, maxime in persona membrorum. Attende, o Christiane, psalmum, qui cum premeris, noli recusare pressuram, sed ut tibi utilis fiat, confuge ad orationem, una sis, et manabis vinum dignum poculo regis.

Miserere mei, Deus, oppressi in Geth, capitis et membrorum ut hæc pressura ad probationem fiat, non ad perditionem. Et opus est, *quoniam conculcavit me homo*, omnis *longe factus a sanctis*. Quam
C gravissima et ignominiosa pressura me premit, quia etiam sub pedibus calcat. Alludit ad titulum, ubi dictum est, *in torculari*. Mei, membra mea, et hoc non ad tempus, sed *tota die*, id est, tota hac vita *impugnans* male vivendo, doctrinam respuendo, *tribulavit me*. Sed o Christiane, ne deficе in conculcatione, attende quem invoces. Quasi enim primus in torculari botrus fuit in tribulatione Christus, a quo botro calix ille inebrians profluxit. *Tota die*, id est, toto tempore : Nemo ergo dicat, fuit prius tribulatio, nunc non est. Si non tribularis, non es Christianus. *Conculcaverunt me inimici mei tota die*, quia dixit, *homo*, ne quis de uno accipiat tantum, determinat quid per hominem velit accipi, scilicet omnes illos qui sunt membra hominis, id est, diaboli, de quo dictum est : *Inimicus homo hoc fecit*
D (*Matth.* XIII). Quæ membra diaboli, semper nituntur conculcare membra Christi. *Tota die*, id est, tota hac præsenti vita. Et possunt conculcare, *quoniam multi bellantes adversum me.* Ideo *bellantes*, quia *ab altitudine diei*, subaudis deficiunt, id est, a cognitione majestatis illius *diei* cujus duodecim horæ sunt duodecim apostoli (*Joan.* XI). Qui dies in alto latens non est cognitus a *populo, qui a sanctis longe factus est*. Sed nunquid ab hac *altitudine timebo*, ut ab ea judicer ? Non, potius illi timebunt, secundum quamdam translationem et non ego, quia *in te sperabo*, scilicet in *altitudine* illius *diei* vel *ab altitudine diei* tuæ ? Quasi dicat : *inimici mei* et multi sunt et alti

id est, potentes, sed nunquid eos *timebo* propter multitudinem vel propter altitudinem, cum illa potentia sit *diei*, id est, temporalis et cito transitoria, quasi unius diei ? Subauditur, non. Et supponit causam. *Ego vero* quasi justus, mansuetus et pius spero in te justo, mansueto et pio. Vel, *timebo ego ab altitudine diei*, ut deficiam sub onere in meridie, sicut illi qui mane portant, et postea deficiunt. Ego, non, sed potius illi timebunt *ab altitudine diei*, id est, a vero sole veniente ad judicium. Et ut ego possim sperare, *in Deo laudabo* Verbum, id est, Filium Patri coæternum. *Laudabo*, non ero illis similis, qui eum regem habere nolunt, sed quasi hominem contemnunt. In Domino *laudabo sermones*, id est, prædicationem de eo factam, vel omnes sermones. Sermones enim tuos aut mendaces habebis, et ideo tuos, aut si veraces erunt, et si eos a Deo, non a te putabis habere; veraces erunt, sed tu mendax. Aliter : Timebunt autem quandoque qui modo superbiunt, qui modo alti sunt. *Ego vero* interim timere præeligo, ut non desperare tibi cogar. Et in illa spe non ero otiosus, sed faciam officium sperantis, quia *in Deo* scilicet existens, *laudabo sermones meos*, id est laudabiles faciam, tum dignitate bonæ vitæ, tum veritate. Ille laudabiles facit sermones qui prius bene operatur, deinde prædicat, juxta illud : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Et ideo non dico tantum, sperabo sed *speravi* semper *in Deo*, et ideo *non timebo quid faciat mihi caro*, id est carnalis, cito transiens, cito interiturus. Qui antea dixerat : *Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo*, quomodo nunc dicit, *non timebo quid faciat mihi caro* ? Ibi respexit ad culturam, hic autem prospicit ad vinum quod inde manat. Et ideo : *Non timebo quid faciat mihi caro*, quia caro nihil potest nisi in carnem. Et quid facit caro ? *Tota die*, id est, assidue *verba mea exsecrabantur*. Hic apparet quod unus loquitur. *Verba mea* in te laudabilia blasphemant : quæ dico *mea*, ita tamen, ut a te data, Augustinus : « Roga, et non eris vacuus ; confitere tuum, et non eris ingratus. » *Adversum me omnes cogitationes eorum ;* quasi dicat : non solum voces sunt *adversum me*, sed etiam *omnes cogitationes*. Sed quia adversum eum possent esse, et tamen in bonum, ideo dicit, *in malum*. Ostendit quomodo *omnes eorum cogitationes in malum*, quoniam *inhabitabunt*. Aliqui illorum inhabitare se mecum simulabunt, in Ecclesia suscipiendo baptisma, suscipiendo nomen Christianum, velut Judas qui falsus frater erat, qui in numero discipulorum erat, *et abscondent*, id est corde dolos tegent, insidias parabunt tanquam falsi fratres qui introierunt explorare libertatem nostram : ostendit quomodo *abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt*, id est, lapsum in lingua vel opere, ut habeant quod accusent, ita *observabunt : Sicut sustinerunt animam meam*, id est, quemadmodum illi quibus anima, id est vita mea gravis fuit et molesta ad videndum. *Qui enim amat tenebras, odit lucem* (*Joan.* III). Cassiodorus : « Revera in malum, quia malum intestinum, vulnus insanabile, quia quando plus tegitur tanto amplius incurabili putredine sauciatur. » Vel, secundum aliam translationem, *Sustinuit anima mea*, et est sensus : *Sustinuit* illos *anima mea* etiam falsos fratres, ita mihi dicens : Suffer illos, ora pro illis. *Pro nihilo salvos facies illos*, id est sine labore vel gratis, et in hoc docet tales esse tolerandos : undecim enim discipulos elegit Deus ad probationem, ut illos imitando ad perfectionem ducamur, undecim ad tentationem quæ fidelibus utilis est, *pro nihilo*, id est, sine præcedentibus meritis suis *salvos* faciet, ut latronem qui de latrocinio ad judicium, de judicio ad crucem, de cruce in paradisum ivit. Aliter : *Sicut sustinuerunt animam meam*. Sed et ego orabam pro illis, hoc sciens quia *pro nihilo*, id est, facile *salvos facies illos*, vel, illis gravis erat vita mea, et hoc sine eorum damno, quia, o Deus, *tu salvos facies illos*, id, est resuscitabis a morte, sed *pro nihilo*, id est pro nulla eorum utilitate. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* XV). Et revera pro nulla eorum utilitate, quia in ira quam meruerunt confringes eos duplici contritione. Vel in bonum. Hoc modo salvos facies : *In ira populos confringes*, evacuando nequitiam, donando gratiam, quia erunt in ira territi, tribulationibus vexati, fide firmati, gratia salvati. Hoc modo *confringes*, hoc modo salvabis : quia ego *nuntiavi* illis *vitam meam*, quam fœda, quam prava olim fuit : nunc vero quam pulcra, quam sancta per gratiam tuam, et hoc tibi attribuens non mihi, ut sim illis in exemplum respiciendi, juxta Apostolum, *qui prius fui persecutor, blasphemus : nunc autem misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet* divitias misericordiæ suæ (*I Tim.* I). Non ideo annuntiamus vitam nostram Deo, ut ipse cognoscat, sed humilitatem nostram attendens ignoscat. Ego *nuntiavi* illis *vitam meam*, quam vitam prius *tibi nuntiavi*. Et tu *posuisti lacrymas meas*, id est lacrymosas preces *in conspectu tuo*, id est exaudisti eas. Sicut et in promissione tua : tu enim promisisti, In quacunque die peccator conversus ingemuerit, salvus erit (*Ezech.* XXXIII). Si autem illud in malum accipitur, *In ira populos confringes*, tunc, *Deus vitam meam*, sic ad superiora jungitur : *Ipsi inhabitabunt et abscondent*. Ego tamen *annuntiavi vitam meam*, id est, proposui me illis exemplum bonæ vitæ. Si autem in persona capitis legimus dictum, *Deus vitam meam*, sicut et cætera hucusque, etsi quædam pro membris, eodem modo dicemus : *Illi inhabitabunt et abscondent. Ego autem, o Deus, vitam meam illis nuntiavi*, id est, proposui illis ad imitandum *tibi*, id est, ad honorem tuum. *Et tu posuisti lacrymas meas*, id est, lacrymosas preces factas pro meis, *in conspectu tuo, sicut et in promissione tua*. Tu enim dixisti, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). *Tunc*, id est, narrata illis vita mea, *convertentur inimici mei retrorsum*, ut imitentur qui prius procedere volebant. Et *ecce* in illa conversione *cognovi quoniam Deus meus es tu*, omnium Deus per naturam, meus

per gratiam, fecisti te possessorem meum, fecisti me A possessionem tuam : et non solum nunc, sed *in quacunque die invocavero te.* Et quia fecisti me possessionem tuam, *in Deo laudabo Verbum:* non ero illis similis, qui Filium Dei regem habere nolunt, *laudabo,* id est, fide et opere ostendam laudabilem Filium, in Deo, id est, in majestate Dei Patris. *In Domino laudabo sermonem* meum, qui si est verax ex illo est, *in Deo speravi,* et ideo *non timebo quid faciat mihi homo.* Nihil enim potest homo nisi quod homo in corpus potest, in animam vero nihil ille qui tantum est homo ; potius illum *timebo qui potest et animam et corpus* mittere *in gehennam* (*Matth.* x). Et in his omnibus persolvam *vota,* non ero ingratus. Sed illa *vota* tua sunt : quia *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est* (*Jac.* I). Et illa *vota,* B illa sacrificia non extra me accipiam, sed ubi nullus hostis auferre potest ; *In me sunt, Deus, vota tua, quæ tibi reddam,* scilicet *laudationes.* Si volumus Deo sacrificare, non extra petamus quod offerre volumus. In nobis est laudis incensum, fidei sacrificium : quidquid offerimus, accendatur charitate. *Quoniam eripuisti animam meam de morte.* Hæc est illa vita quam anduntiavit illi. Mortuus eram, per te vivo. *In me sunt vota laudis quæ tibi reddam.* Amo Deum meum, nemo mihi illum aufert. *Animam meam eripuisti de morte* infidelitatis, vel *de morte* vitiorum. *Et pedes meos,* id est omnes affectiones meas *de lapsu,* vel, *pedes,* id est opera. *Ut placeam coram* Domino *in lumine viventium,* ut ambulans coram Deo placeam et *in lumine,* in est in Christo, qui est lumen quod *illuminat omnem hominem venientem in* C *hunc modum* (*Joan.* I) : vel, *in lumine viventium,* lumen *viventium* fidelium est ut gratis Deum colant, vel, lumen *viventium* prudentia, sicut tenebræ insipientium stultitia. Si quis in voce capitis vult totum psalmum legere, ita dicet : Ita exsecrabunt verba mea et calcaneum meum omnes, utpote qui sustinentes erant animam meam, id est, quibus vita mea gravis erat ad vivendum. Et quoniam vita mea fuit illis oneri, et propterea mala supradicta mihi intulerunt, *pro nihilo salvos facies illos,* id est, nullo merito illorum præcedente. Sola misericordia salvabit eos, remittendo peccata ; vel quemadmodum *pro nihilo,* id est, immerito gravedini vitam meam habuerunt, ita *pro nihilo,* id est, sine merito *salvos facies illos,* in quo maxima Dei percipitur misericordia ; et D ita ad hoc perveniens, *ut salvos facias, confringens populos,* id est, vitia populorum *in ira* tua, id est, in consideratione iræ tuæ futuræ, hoc scilicet ordine : *Deus, vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo,* id est, illi qui mei futuri sunt annuntiabunt tibi vitam suam actam, et tu *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo,* id est, illos pro quibus fudi lacrymas, quemadmodum ad monumentum Lazari lacrymatus est (*Joan.* XI), non pro Lazaro, sed pro significatis morte Lazari. *In conspectu tuo,* id est, in beneplacito præsentiæ tuæ. *Sicut in promissione tua,* id est, sicut tu promisisti et ego promisi, uod notatur et per, etc. *Tunc,* id est, in illa annuntiatione vitæ suæ. Qui erant *inimici convertentur retrorsum,* ut fiant sequaces. *In quacunque die invocavero te.* Ne dicat aliquis conversionem istam tantum ad eos pertinere qui in primitiva Ecclesia, statim post resurrectionem sunt conversi. *In quacunque die,* sive in primitiva, sive in subsecutiva Ecclesia, invocabunt te mei. Ecce cuncti statim in experientia percipient, quia Deus illorum es, id est, misericorditer agens cum eis. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem.* Postquam cognoverint te propitium sibi Deum, laudabilia facient scripta sua quæ mittent Ecclesiis, vel prædicationem in conventu fidelium, et sermonem suum quem ad aliquem dirigent, vel Verbum, id est, Filium tuum, ut supra. Potest hic Trinitas notari, in Deo, in Domino in Deo : cætera ut supra.

PSALMUS LVI.

IN FINEM NE DISPERDAS DAVID, IN TITULI INSCRIPTIONE, CUM FUGERET A FACIE SAUL IN SPELUNCAM.

« Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in « te confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarum « sperabo, donec transeat iniquitas. Clamabo ad « Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. Misit « de cœlo, et liberavit me: dedit in opprobrium con« culcantes me. Misit Deus misericordiam suam et « veritatem suam, et eripuit animam meam de medio « catulorum leonum, dormivi conturbatus. Filii ho« minum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua « eorum gladius acutus. Exaltare super cœlos Deus « et in omni terra gloria tua. Laqueum paraverunt « pedibus meis, et incurvaverunt animam meam. « Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt « in eam. Paratum cor meum, Deus, paratum cor « meum, cantabo, et psalmum dicam *Domino.* Ex« surge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara, « exsurgam diluculo. Contebor tibi in populis, Do« mine, et psalmum dicam tibi in gentibus. Quoniam « magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, « et usque ad nubes veritas tua. Exaltare super cœ« los, Deus, et super omnem terram gloria tua.

ENARRATIO.

Caput nostrum Christus, sicut passus est ut suos doceret in hac vita pati, et resurrexit ut spem resurgendi daret, ita et oravit ut eos orare doceret, quemadmodum in hoc psalmo in quo mensuram charitatis insinuat. Concordat enim verbis Evangelii quibus dicitur: *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam quis ponat pro amicis suis* (*Joan.* XV), quoniam si deficis sub præcepto, confirmat te suo exemplo. Si autem exemplum tibi difficile videtur, incipe, et juvabit te qui dedit et auxilium. Titulus hic est. Hæc verba referuntur *in finem,* id est, in illum ad quem omnes justi tendunt, quo adepto, nihil ultra desideratur, id est, in Christum ; instituta ad hoc ut quisque fidelis ne corrumpas inscriptionem tituli David, subtrahendo te dominio illius et denegando illi regnum in te, quod tamen habet, velis, nolis quemadmodum Judæi qui dixerunt : *Volumus*

hunc regnare super nos (*Luc.* xix) : et *regem non habemus nisi Cæsarem* (*Ibid.*), cum scriptus esset ille titulus tribus linguis quasi tribus testibus confirmatus, dixerunt ad Pilatum : *Noli scribere rex Judæorum, sed quia ipse dixit, rex sum Judæorum* : quibus ille respondit : *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* xix). Quasi diceret : Ut quid mihi suggeritis falsitatem? non corrumpo veritatem, quia a sæculis sic est dispositum non potest mutari. Revera rex est : si homines eum nolunt regem, angeli tamen habent. *Inscriptionem* dico factam tunc *cum fugeret David* spiritualiter *in speluncam*. David fugiens Saul, latuit *in* spelunca, humilis, mansuetus et pius, fugiens superbum, immansuetum et impium : in qua etiam spelunca partem chlamydis ejus abscidit, in testimonium quod eum occidere potuisset (*I Reg.* xxiv). Ita et Christus, quem superbia Judæorum persequebatur et impietas justum, humilem et pium, latuit a cognitione Judæorum in humana natura quasi in spelunca. Voluit videri, ut non cognosceretur, non cognosci, ut contemneretur ; occulte inter homines ambulavit, faciens divina, patiens humana, donec in ligno suspenderetur, vel, cum latuit in sepulcro. Ibi enim qui eum persecutus? quia nulla historia legitur de titulo David qui hic est appositus, hoc trahit nos ad mysterium.

Miserere mei, Deus, miserere mei. Augustinus : Qui cum Patre miseretur tui in te clamat, *miserere mei*. Vox Christi capitis. *Miserere mei*, Christi latentis in spelunca, resuscitando et educendo in notitiam gentium, *miserere* meorum in me, Deus scilicet qui potes. Et debes, *quoniam in te confidit anima mea*, et meorum, quod per *con* notatur. *Confidit*, dico, et semper confidam. *Et in umbra alarum tuarum sperabo*, id est sub protectione duorum Testamentorum, vel in gemina charitate, vel, sub protectione misericordiarum tuarum protege me a frigore abundantis iniquitatis, et est metaphora ab avibus. *Donec transeat iniquitas*, id est tota hac præsenti vita, quia, sicut decedentibus justis semper succedunt alii, ita in hac vita decedentibus iniqui succedunt alii. Et merito *sperabo*, quia *clamabo* in me et in eis ut clamandum est, quia fervor charitatis clamor est cordis : hæc semper æstuabit cor meum *Ad Deum altissimum*, qui non exaudit nisi clamantem. Quia altissimus est, non dissolutis manibus, non genibus debilibus intendendum est mecum. Altissimus est et proximus : Deus de longe, Deus de prope. Exhibitio præteritorum spem præbet futurorum : *longe a peccatoribus salus* (*Psal.* cxviii). *Juxta est Dominus* his *qui tribulato sunt corde* (*Psal.* xxxiii), Et hoc magna spe, quia *clamabo* ad *Deum qui* jam *bene fecit mihi. Si enim cum inimici essemus* (*Rom.* v), *bene fecit*, multo magis nunc. *Misit de cælo et liberavit me.* Hic Christus loquitur in humana natura, Deus Pater *misit de cælo*, id est de sede majestatis suæ, non angelum, non archangelum, non quamlibet subjectam creaturam, quasi misericordiam indigenti, sed Filium misit, misit servientem omni petenti. Misit itaque Verbum suum, de quo dictum est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* i). *Et liberavi me* de mortalitate et passibilitate, de conculcatione Judæorum, et in mea liberatione liberavit et meos in spe. *Dedit* autem *in opprobrium conculcantes me*, Judæos scilicet conculcantes sanguinem justi et contemptui habentes, magnum opprobrium, quia regnum et sacerdotium in quo maxime gloriabantur amiserunt, de civitate illa maxima in qua Dominum occiderunt ejecti sunt : et, in eadem paschali solemnitate captivati, diversi per mundum capsarii Christianorum facti sunt, quia servant libros legis et prophetarum quibus gentiles convincantur et fideles ædificentur, similes facti sunt cæco habenti speculum et se ipsum in eo non videnti, sed prebenti aliis ad videndum : et tandem dabit in æternum opprobrium similes cum illis qui conculcant Christum in membris suis. Quod autem misit, subjungit : *Misit Deus misericordiam suam*, id est, verbum suum infirmitati humanæ compatientem. *Et veritatem suam*, et per illum misit veram cognitionem sui qua in cœlestibus, ut et homines eum agnoscerent. *Et eripuit animam meam*, id est vitam meam et meorum in me : *de medio catulorum leonum*, id est, de communi sententia, *leonum*, id est, principum Judæorum et *catulorum leonum*, id est, Judaicæ plebis quæ, consentiendo crudelitati principum, facta est quasi catulus leonum. Et opus fuit ut eriperet, quia *dormivi*, id est, animam posui. Sed quia dormire ambiguum est, quod de dormitione mortis hoc velit intelligi hoc modo determinat, *conturbatus*. Descriptio mortis : *Dormivi conturbatus*. Qui te conturbaverunt? *filii hominum*, id est, filii patriarcharum et prophetarum secundum carnem ; non secundum imitationem. Quibus armis? Noli attendere cessantes manus, sed attende armatum os quia *dentes eorum arma*. *Reus est mortis* (*Matth.* xxvi). *Dentes*, id est mordacia verba. *Et sagittæ*, id est occulta consilia. Occidamus eum, ne forte mundus post eum abeat (*Joan.* xii). *Et lingua eorum*, id est mortis sententia, *gladius acutus. Crucifige, crucifige* (*Joan.* xix). Sed quæ cura quid illi in me machinentur? *Exaltare super cælos, Deus*. Exalta me hominem super angelos et archangelos, vel super patriarchas et prophetas, ut per me Filium tuum exaltatum exalteris tu. Deus altus et gloriosus. *Et gloria tua*, gloria resurrectionis, unde tu eris gloriosus, exaltetur *super omnem terram*. Judæi noluerunt tibi gloriam dare in Judæa : sed tu, gloriam tuam manifesta per totum mundum, etsi non super paleas, tamen super grana. Istud fuit exsultanter interpositum, nunc redit ad illud. *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ* : *laqueum paraverunt pedibus meis*, id est, impedimenta affectioni et intentioni meæ paraverunt, quæ fuit ut resurgerem, et mundus post me abiret ; illi autem occiderunt, in sepulcro posuerunt, munierunt sepulcrum cum custodibus : vel, secundum Cassiodorum,

« *pedibus meis*, id est, increpationi et promissioni meæ, quia per hos pedes per mundum gradior in notitiam hominum. Increpatio de præteritis vel præsentibus, promissio de futuris. » Vel, *pedibus meis*, id est, apostolis. ***Et incurvaverunt animam***, id est, humiliaverunt quantum ad illorum opinionem, vel, morte presserunt et de cœlo deponere voluerunt. ***Foderunt ante faciem meam foveam***, ne ego proficerem ; mortem mihi occulte et quasi ignoranti paraverunt. Sed *ante faciem meam*, id est, me sciente, me non ignorante eorum consilia. ***Et*** ipsi *inciderunt in eam* non ego, quia mors mea fuit eorum excæcatio : vel, inciderunt in mortem æternam. Confirmat nos his verbis, quasi dicens : Quid mihi facere potuerunt qui me persecuti sunt ? Se ipsos potius damnaverunt, ita et vobis nihil possunt facere. Quasi dicat, ipsi mihi parant foveam, quasi ignoranti et quasi invito : sed, *paratum cor meum Deus*, ad mortis experientiam voluntarie obediens sum ; *paratum* etiam *cor meum*, id est, meorum ad offerendum tibi sacrificium, et ideo *cantabo* corde, *et psalmum dicam* opere Domino, id est, honorem Domini : vel, ideo *paratum cor meum*, quia hoc modo, ero tibi canticum, id est delectatio. Et, ut ego cantem *exurge, gloria mea*. O corpus meum, nunc ignominia mea, factum gloria mea per immortalitatem et inpassibilitatem, *exsurge* de sepulcro. Tu, dico, *psalterium et cithara*, faciens divina, patiens humana : faciens divina, psalterium ; patiens humana cithara. In uno instrumento duo organa. Et quia hoc exsultanter dictum est, non dubitative, ideo subjungit : *Exsurgam*, et hoc, *diluculo*. Exsurgam, dico, et ad magnam utilitatem, quia *confitebor tibi in populis, Domine*, id est, in Judæis faciam tibi fieri confessionem laudis, *et* non solum in Judæis, sed etiam *psalmum dicam tibi in gentibus*, id est, in gentili populo, id est, bene operando faciam te laudari in gentibus. Merito te laudabunt Judaicus populus et gentilis, *quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua· et usque ad nubes veritas tua* Videtur ordo præposterus, quia *veritas* in cælis, id est, in angelis qua præpollent ubi pure et simpliciter paretur voluntati divinæ : *ad nubes* vero, id est, prædicatores contituendos, opus fuit *misericordia*. Potest tamen et in ordine sic legi : *Domine, in cœlo misericordia tua*, quia homines miseros tu miseraris, et præbendo illis misericordiam, commutatione resurrectoinis angelis associas, qui cœli dicuntur propter eminentiam virtutum, et sic *in cœlo misericordia*. ***Et veritas tua***, id est, vera cognitio qua angeli præpollent, *descendit usque ad nubes*, id est, usque ad homines tectos nube carnis, quia dedisti illam veram cognitionem et hominibus. Vel, *misericordia tua*, id est, misericors tuus magnificatus est usque ad cœlos constituendos. *Et veritas tua*, in qua impletæ sunt omnes promissiones, est valens usque ad nubes constituendas, ut non solum faciat *cœlos*, id est, virtutibus sublimes, sed etiam

A *nubes*, id est, prædicatores pluentes doctrinis, tonantes minis, coruscantes miraculis. Quod ut fiat, *exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram, gloria tua*, Exaltare, non quod Deus in se exaltari possit, sed exaltare apud notitiam hominum, assumptum hominem exaltando, ut, te exaltato, exaltetur super omnem terram gloria tua.

PSALMUS LVII.

IN FINEM NE DISPERDAS DAVID IN TITULI INSCRIPTIONE.

« Si vere utique justitiam loquimini, recte judicate « filii hominum. Etenim in corde iniquitates opera« mini in terra, injustitias manus vestræ concinnant « Alienati sunt peccatores a vulva erraverunt ab « utero, locuti sunt falsa. Furor illis secundum simi« litudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obtu-
B « rantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem in« cantantium, et venefici incantantis sapientem. « Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas « leonum confringet Dominus. Ad nihilum devenient « tanquam aqua decurrens, intendit arcum suum « donec infirmentur. Sicut cera quæ fluit, auferen« tur : super cecidit ignis, et non viderunt solem « Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum ; « sicut viventes, sic in ira absorbet eos. Lætabitur « justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit « in sanguine peccatoris. Et dicet homo; si utique est « fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra. »

ENARRATIO.

Hæc verba hujus psalmi referuntur *in finem*, id est in Christum, ad quem *finem* omnes justi tendunt, ad
C hoc proposita, ut tu, populus Judaicus, non disperdas David, id est, Christum *in inscriptione tituli*, id est, in mutatione regni sibi ascripti et acquisiti sanguine suo. Præcipue Judæi ad hoc monentur, deinde totum humanum genus, ut redempti per Christum non alium sibi regem constituant. Prævidit Propheta Christum apud Judæos nasciturum in carne ad reparationem generis humani, et futurum ut Judæi, etsi ex multis præconiis cum intelligentes nasciturum, tamen in eum non credentes, veritatem de eo in ore dicerent, sed malitiam in corde gestarent ; Horum duritiam increpat sermo divinus, et omnium tam Judæorum quam gentium qui hoc modo David, id est, Christum disperdere, id est, a se removere conantur, loquentes veritatem in solis labiis. Dictum
D est de Judæis : *Populus* hic *labiis me* honorat, *cor autem ejus longe est a me* (*Isa.* XXIX). Monet ergo Propheta ut sint verba in vita et labia in factis.

Si vere utique justitiam homines loqui volunt, si Christum regem a se repellere nolunt, nemo est qui inquisitus de veritate, non respondeat id quod verum est, id est, quod facile est, quia manus Psalmator in cordibus hominum naturaliter legem vitæ inscripsit Quod tibi non vis, alii ne feceris (*Tob.* IV). Hic omnis justititia et omnis lex continetur, non solum quod vitandum, sed quod sit sequendum. Hoc omnes intelligunt, id est, habet omnis homo quod ei displicet furtum, homicidium, adulterium, et quod non vult

sibi fieri. Si qui autem putant aliquid deesse, scripsit Deus legem et posuit ante oculos hominum, ut justitiæ inexcusabiles essent, ut alterutra ateram confirmet. Unde dictum est : *Prævaricatores legis, redite ad cor* (*Isa*, XLVI). Sed quia non sufficit veritatem scire, nisi etiam facere quis studeat, sic omnes hortatur sermo divinus et præcipue Judæos utraque lege eruditos, quasi ita proponens : Scio quia veritatem de Christo loquimini dicentes : *Magister, scimus quia verax es* (*Matth.* XXII) : Et, *Magister bone quid faciendo vitam æternam possidebo?* (*Matth.* XIX). Sed *si justitiam*, id est, veritatem *loquimini*, et illam vere, id est, sine dolo, scilicet ut alium non sit in ore quam in corde. *Utique* et *si* eam *loquimini* uti decet, *recte judicate*, id est, recte discernite quid sit veritatem loqui, *non est* enim *speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV), sint verba cordi consona, *filii hominum*, id est, filii patriarcharum et prophetarum qui in hac veritate perstiterunt, vel filii hominum, id est, mortales. Quasi dicat : Ideo vos ista moneo, quia in corde aliter agendum quam ratio monstrat et disponitis et actu expletis. *Etenim in corde iniquitates operamini.* Quasi dicat: non solum cogitatis mala *in corde*, sed etiam *in corde* operamini ea. Augustinus: « Quidquid cogitatur et in actum non ducitur, non ideo quod quis non vult, sed quia non potest, pro facto, Deus reputat. » Si quis *viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Quasi dicat : In corde peccatis et delectatione et consensu, quæ jam est secunda mors. Et hoc facitis *in terra*, quæ ad hoc vobis data est, ut æquitatem servetis, vel, *in terra*, id est, in terrenis affectionibus, in ira, odio, invidia, vel terrenis dediti, et non sufficit vobis mala operari *corde*, sed præbetis membra vestra arma iniquitatis *Injustitias manus vestræ concinnant*, id est, mala opera continuant. Non enim resipiscitis a peccatis. Hæc est concinnatio peccati. Fecit quis adulterium? timens propalari interfecit hujus rei suspectum. Forte hujus cædis quis conscius fuit? illum quoque perimere cogitavit et non cogitavit ut se redimeret a laqueis inimici. Unde Isaias: Væ illis qui trahunt iniquitates suas ut restim longam (*Isa.* V). Quasi dicat : Et unde illis miseris tanta excæcatio? *Alienati sunt peccatores a vulva. Peccatores*, id est, legis Dei transgressores non solum scriptæ et naturalis, *Alienati sunt a vulva* id est, reprobati sunt a Deo in ipsa conceptione secundum præscientiam Dei juxta illud : *Jacob dilexi Esau autem odio habui* (*Mal.* I). *Erraverunt ab utero*, id est, postquam nati sunt, semper in errore et perfidia perseveraverunt ; *locuti sunt falsa*, id est, ipsam perfidiam ore manifestaverunt, si de Judæis. *Non est hic homo a Deo qui Sabbatum non custodit.* Et, *dæmonium habes* (*Joan*, IX, VII *et* VIII). Vel, *alienati sunt a vulva* catholicæ matris, id est, in ipsis initiamentis Ecclesiæ, in quibus quasi in ea ad vitam concipi debuerunt, *alienati sunt*, non recte illa sacramenta suscipientes Judæi legalia instituta, hæretici ecclesiastica sacramenta. Et *ab utero*, id est, a parturitione illius matris *erraverunt*. Si Judæi, ab Ecclesiæ utero in quo debuerunt informari et instrui: vel hæretici, antequam in utero illius matris formati et eruditi essent, exeuntes ab ea, et prædicare præsumentes quod non didicerunt, abortivum fecerunt. Quam paturitionem Ecclesiæ si patienter feras, formaris, si impatienter, excuteris dolore quidem matris, sed malo tuo. *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* Quasi dicat : Et hic talis furor ideo est, quia prædicatores veritatis audire nolunt, quomodo legitur de Stephano quod clauserunt aures et ierunt in lapides. *Furor illis secundum similitudinem serpentis*, cujus *serpentis* naturam subjungit: *Sicut aspidis surdæ* non naturaliter, sed *obturantis aures suas.* Componitur obturo, ex *ob* et *ture*. Sacerdotes jacentes in templo, et soliti audire divinas voces, ture implebant aures famulorum, ut non audirent: Non omne quod ad similitudinem ducitur, re ipsa probatur. Non ideo incantator hic ducitur ad similitudinem ut hortetur fieri incantatos. Aspis enim ab incantatore de tenebrosa caverna in lucem evocatur, recusans audire voces quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, et de cauda obturat alteram. Et prædicator tenebrosis mentibus incantat, ut eas in lucem veritatis educat. Si præsens vita te delectat, aurem terræ affixisti. Si tuis præteritis delectaris, quo jam tergum ponere oportet, ut ea quæ nobis promittuntur indamus, aurem de cauda obturasti. Sapienter Stephanus incantabat, quia Judæi non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur Sed ut aspides surdi erant Judæi, quia obturaverunt *aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum* (*Act.* 7). Quamvis obturent aures, quanquam veritatem in dolo loquantur, tamen *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum*, id est, maledica verba, quibus lacerare nituntur caput et membra, destruet propriis sermonibus et propriis verbis eorum: ut cum dixerunt : *In qua potestate hæc facis?* et Dominus : Et vos respondete mihi, Joannis baptisma de cœlo est, an ex hominibus (*Matth.* XXI) Si dicerent, ex hominibus, timebant lapidari, quia Joannes summus propheta habebatur. Si de cœlo, posset eis dici : Quare ergo mihi non creditis quem Joannes prædicat? et ita confusi abierunt. Et illud : *Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio*, et lex jubet *hujusmodi lapidare* (*Joan* VII). Si diceret Dominus debere lapidari. minueret tantam famam pietatis: si negaret lapidandam, judicaretur legis prævaricator. Inclinavit autem se Jesus, et scripsit in terra : Si quis sine peccato vestrum, primus mittat in eam lapidem. Quasi diceret : Lex data est et servanda, sed videte si vos ipsi eam custodiatis. Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Et illud : *Si licet censum dari Cæsari an non* ? Si diceret debere dari, arguerent eum quod tributarios eos vellet facere : si negaret, dicerent eum velle ut iram Romanorum principum incurrerent. Sed ait Dominus: *Afferte mihi numisma census :* quo allato, quæsivit: *Cujus est imago hæc, et superscriptio* ? Dicunt :

Cæsaris. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXII) : id est, nummus Cæsaris reddatur Cæsari, nummus Dei, qui in vobis est reddatur Deo : et sic propriis eorum sermonibus convicti sunt. *Et molas leonum*, id est, violentas et apertas damnationes, ut, *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX). *Confringet Dominus* quando resurrexit, et mors illi ultra non dominata est. Et, Domino contringente, *ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens*, comparabiles sunt hiemalibus aquis quæ ad tempus tument, mox defuturæ. Ideo cessabunt, quia Deus *intendit arcum suum*, id est, comminationes per bellatores suos, illud facit. minas facit, et nondum ferit. Ad hoc autem minatur, ut infirmos se sentiant quibus minatur, juxta illud : *Domine, quid me vis facere* (*Act.* IX)? Et hoc est quod dicit, *donec infirmentur*. Quod si se erigant, si infirmari noluerint, ne time, quia hæc est eorum præsens damnatio. *Sicut cera* enim *quæ fluit, auferentur* ab essentia sua, quæ est adhærere Deo. Quomodo *auferentur*, et a quo igne ? *Supercecidit ignis* superbiæ, concupiscentiæ et iræ, *et non viderunt solem*. Magna ira Dei, quod impii traduntur desideriis suis pravis, ut non valeant resistere concupiscentiis. Hic est ille ignis a quo absumuntur penitus, et deficiunt ab essentia sua, devastantibus eos concupiscentiis suis. Inde dicuntur fluxi et soluti : inde ? nisi ab igne concupiscentiæ, etsi hanc pœnam esse pauci attendant. Quid autem ait, *Propterea tradidit illos Deus in* concupiscentiis (*Rom.* I). Quod aperte pro pœna posuit, ut est : Si quis enim fecerit furtum, lumen oculorum amisit. Age ergo, si amitteret lumen corporis, planum omnes haberent non parcere Deum illi ; et, cui pereat lumen cordis, illi parcit ? *Supercecidit ignis*, id est, magno pondere eos pressit. Vel *supercecidit ignis*, a potentia et a vindicta Dei venit ille, animum consumens et obtenebrans. Et illo igne devastati et excæcati *non viderunt solem* justitiæ, Dominum Christum non cognoverunt, a quo illuminari debuerunt. Unde dicitur : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Eph.* V). Unde dicturi sunt in judicio : *Sol non ortus est nobis, et justitiæ lumen non luxit nobis* (*Sap.* V). Ignis ille est incentiva vitiorum. Et ille ignis *absorbet eos sicut viventes*, sicut *in ira*. Quasi dicat : non solum post mortem sensuri sunt iram Dei, sed et nunc iræ est Dei quod adhuc viventes ignis eos concupiscentiæ absumit. Propterea autem *sicut viventes*, quia non est hæc vera vita, vel, quia vivere videntur, cum vere mortui sint. Non enim in anima eorum per quem vivit anima, id est Deus, sicut *in ira*, quia post mortem præfixa et vera ira, vel quia scriptum est : *Tu autem*, Domine virtutum *cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII). Non enim Deus irascitur, sed videtur iratus quibus infert. Et quia hoc de temporali eorum pœna dictum vult intelligi, ideo increpative convertens se ad eos, dicit : *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum*. Quasi dicat : Talibus pœnis jam traditi estis vos impii antequam manifestis tormentis appareat quorsum vestra voluptas temporalis vergat. Rhamnus genus spinarum dicitur esse quod primo quasi herba est, post in spinas surgit, id est, antequam ista voluptas, quæ spinosa est, id est, plena multis sollicitudinibus, evadat in pœnam, supercadit ignis concupiscentiarum qui prohibet eos videre solem justitiæ. Et merito, quia nolunt medicinam compunctionis, cadit super eos ignis pœnalis. Quantus ignis super quem cadit solem justitiæ non videt, quia datus in concupiscentias a Deo recedit : *Lætabitur justus cum viderit vindictam*. Quasi dicat : et hoc non videbit, id est, non intelliget scilicet pœnam esse impunitatem scelerum, non misericordiam. Et ille *lætabitur cum viderit* hanc esse *vindictam* Dei, cum mali traduntur in desideria cordis sui. Non *lætabitur* de vindicta, sed quia *manus suas lavabit in sanguine peccatoris*, id est, opera sua mundabit in perditione peccatoris, non gaudebit de impunitate scelerum ut ille. Sed per compunctionem et pœnitentiam emundabit opera sua a peccatis. Lapsus enim præcedentis corrigit sequentem. Unde Salomon : Stulto pereunte, sapiens astutior fit (*Prov.* XIX). Si justus est, quid habet quod lavetur ? Sed justus ex fide : fidelis enim jam incipit vocari justus. Hic cum videt vindictam quæ fit impiis in hac vita pensat eam, et in alterius proficit pœna. *Et* lavando manus, *dicet homo*, id est, ratione utens : *Si utique est fructus justo in terra*, id est, in hac vita, sicuti est : justus enim non solum in futura vita habet justitiæ præmium, sed etiam in præsenti, quia gaudet in spe. Vel hunc fructum habet quod non permittitur gaudere de impunitate peccati, vel hunc, ut *qui justus est justificetur adhuc* (*Apoc.* XXII) : sicut impius hunc fructum habet suæ injustitiæ et in hac vita, ut cum *in sordibus* sit *sordescat adhuc* (*Ibid.*). Quasi dicat : Si hic fructus est justo in hac vita, ut justificetur adhuc, ergo necessarium est ut qui in sordibus est sordescat adhuc.

PSALMUS LVIII.

IN FINEM NE DISPERDAS DAVID, IN TITULI INSCRIPTIONE QUANDO MISIT SAUL ET CUSTODIVIT DOMUM EJUS, UT INTERFICERET EUM.

« Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me. Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine : sine iniquitate cucurri et direxi. Exsurge in occursum meum, et vide, et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel, intende ad visitandas omes gentes, non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit ? Et tu, Domine, deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia, Deus, susceptor meus es : Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Deus ostendit mihi super

« inimicos meos, ne occidas eos, nequando oblivi- « scantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, « et depone eos, protector meus, Domine. Delictum « oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et com- « prehendantur in superbia sua. Et de exsecratione « et mendacio annuntiabuntur in consummatione, « in ira consummationis, et non erunt. Et scient « quia Deus dominabitur Jacob et finium terræ. « Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut « canes, et circuibunt civitatem. Ipsi dispergentur « ad manducandum : si vero non fuerint saturati, et « murmurabunt. Ego autem cantabo fortitudinem « tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam. « Quia factus es susceptor meus et refugium meum « in die tribulationis meæ. Adjutor meus, tibi psal- « lam, quia, Deus, susceptor meus es, Deus meus « misericordia mea. »

ENARRATIO.

Dominus noster Jesus Christus, caput nostrum, orat in hoc psalmo, et orando docet nos orare. Docet etiam nos de peccatis non desperare, imo pro his sollicitos esse, cum Judæi, tanta phrenesi arrepti, ut medicum et salvatorem suum occiderent, pœnitentiam agentes, multi salvandi sunt; et gentes penitus Deum oblitæ, manufacta adorantes, non penitus sunt rejectæ. Quomodo nobis non sit desperandum, ostendit titulus hoc modo : Hæc referentur *in finem*, ut sæpe jam dictum est, ad hoc proposita, ne tu quisque qui salvari cupis, *ne disperdas inscriptionem tituli David*, id est Christi, denegando ei regnum in te, non credendo in eum, et prave vivendo : inscriptione dico, facta *quando misit Saul*, et cætera. Legitur in historia (*I Reg.* XIX), quod Saul misit ad domum David, qui comprehenderent noctu et occiderent, sed Michol filia Saul, uxor David, liberavit eum, ponens idolum pro eo, et cooperiens in lecto. Inscriptus est titulus Rex Judæorum, quod nos ab historia ad mysterium trahit. Non est autem corruptus, quia Christus moriendo Rex est constitutus; quod dicit, quando misit Saul ad custodiendam domum, ad corpus Christi refertus. Mortuus autem Christus in sepultura est positus, ad quam quasi domum Saul, id est regnum Judæorum, custodes adhibuit ut interficeretur, non quantum ad caput quod jam mortuum erat, sed quantum ad corpus Hoc enim erat Christum maxime occidere, gloriam resurrectionis auferre, in quo vocanda erat Ecclesia corpus Christi.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Vox capitis *Deus* omnium per naturam, *meus* per singularem gratiam, qua sum immunis a peccato, vel per singularem obedientiam. *Eripe me* caput *de inimicis meis* Judæis, qui mihi præcipue inimicantur, ut cum me morti tradant, non ibi detinear ; vel a diabolo et ministri ejus libera, non ut tribulentur, sed ut illi non incorporentur. *Et ab insurgentibus in me libera me*, omnibus tam Judæis quam gentibus persequentibus membra mea. *Et de viris sanguinum salva me*, quasi non solum insurgentibus, sed etiam interficientibus. Judæis præcipue, qui quasi jus hæreditarium

A posteris suis meum sanguinem reliquerunt (*Matth.* XXVII), ipsi me caput interfecerunt, illi membra occiderunt. Et opus est ut eripias *quia ecce ceperunt animam meam*, id est vitam meam, quantum ad illorum opinionem : quod in hoc apparet, quia *irruerunt in me fortes*, id est, membra illius qui fortis, id est, de se præsumens dictus est. Unde dictum est, Fortis alligavit fortem (*Matth.* XII), bene, *irruerunt* et non prævaluerunt : quia *venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV) ; vel de temporalibus præsumentes, vel, quod pejus est, suam justitiam constituentes, de meritis nimium præsumentes. *Irruerunt in me*, id est, me velut hœdum, id est peccatorem, deputantes occiderunt, ideo ab Agno redimi non meruerunt. Illi *irruerunt*, sed in me nul-

B lum peccatum invenerunt. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine. Iniquitas* in alios *peccatum* in me, non sum transgressus legem tuam. *Non* enim *veni solvere legem, sed implere* (*Matth.* V). Ergo gratis *irruerunt*. Nam *sine iniquitate cucurri, et direxi*. Nulla illecebra hujus vitæ detinuit ad currendam virtutum viam, et meo exemplo alios *direxi* : factus est Christus particeps nostræ infirmitatis et nostræ iniquitatis, ut per hoc quod communicavit nostram infirmitatem, solveret nostram iniquitatem : et hoc est quod dicit, *direxi*. Sed tu, Domine, *exsurge in occursum meum*, id est, occurrat auxilium tuum proposito meo. *Et vide*, id est, da videri quid curram, quid dirigam, juxta quod dicitur Abraham ; *Nunc cognovi quod times Dominum* (*Gen.* XXII). Fac illos cognoscere et credere, non esse distortum quod

C regula inconcussæ veritatis est directum ; vel *exsurge in occursum meum*, id est, da intelligi excellentiam tuam per resurrectionem meam, ut ei intelligatur occurrere, id est, convenire æqualitas mea. *Et* post resurrectionem *intende ad visitandas omnes gentes*, qui visitasti Judaicam gentem per me. *Intende* per prædicatores tuos, ut visites *omnes gentes*, quasi infirmas et non valentes se erigere, nisi aliena ope. *Tu*, dico, *intende*, qui potes, qui es *Deus virtutum*, id est, supernorum civium. Idem *Deus Israel*, id est, hominum videntium te. Vel *Deus virtutum*, gubernando eas ne ruat : factus *Deus Israel*, redimendo a peccatis. Et hoc modo *visita omnes gentes*, miserere omnibus operantibus æquitatem. Hoc est æquitas, ut qui peccatum et vult ut Deus non puniat, ipsemet

D puniat, ipse judicet. Si quid boni facit, non sibi, sed Deo attribuat ; si quid mali, sibi imputet, et non refundat culpam in auctorem. Quod Deus odit, ipse odiat : quod Deo displicet, et illi displiceat, si ei placere desiderat. *Non* autem *miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Hoc da intelligi, quod duobus modis accipitur. Uno, ita : Nulli omnino iniquitati parcit Deus quam admittit homo. Iniquitatem admittis ? prorsus impunita non erit, si tu non punis, punit Deus. Vis ut Deus non puniat ? punias tu. Altero, ita : Est quædam maxima iniquitas, quam qui operatur, Deus illi non miseretur, cum defenduntur peccata non quod dicatur peccatum non esse pec-

catum : nemo enim est adeo exors ab humana natura ut dicat furtum vel homicidium et cætera hujusmodi, non esse crimen ; sed bonum faciens, sibi imputat, malum Deo: cum facit quis perjurium, furtum, adulterium et talia multa, judicat malum esse, sed imputat Deo, dicens : Si Deus nollet, non hoc facerem. Aliter : *Intende ad visitandas omnes gentes*, et si non paleas, tamen grana. *Non* autem *miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*, scilicet illam spiritalem, et maxime scilicet qui Dominum vitæ auctorem interfecerunt. Non solum occiderunt servos, sed et filium. Et revera visitabis omnes gentes, quia *convertentur* ad te ab idolis suis, et si *ad vesperam*, id est sero, scilicet in sexta ætate, vel ad vesperam, id est, post ascensionem, et post missionem Verbi Dei. *Et famem patientur*, famem verbi Dei, juxta illud : *Ecce* inducam *famem* super *terram, non famem panis neque sitim aquæ, sed* famem *audiendi verbum Dei* (*Amos* VIII). *Ut canes*, id est, similes canibus qui recurrunt ad vomitum, vel *ut canes*, id est avide, vel cognoscentes et confitentes se peccatores et immundos. Vel non solum *convertetur*, sed etiam esurient alios sibi incorporare, ipsi existentes *ut canes*, id est, comparabiles canibus, vel *ut canes*, id est, vigilantes et latrantes, id est, docentes. Canes summa sagacitate et velocitate lupos et latrones a præsepibus arcent suis latratibus : ita fideles de gentibus, de quibus hic agitur, facti prædicatores, ut Ambrosius, Augustinus, Hieronymus et alii multi, et infideles, hæreticos, falsos Christianos ab Ecclesia repellunt. *Et circuibunt civitatem*, id est, Ecclesiam gentium, prædicando, muniendo ab occursu hæreticorum et falsorum Christianorum. *Ut canes*, crapulam malam eructabat, qui dicebat :*Jejuno bis in Sabbatho* (*Luc.* XVIII) ; famem bonam patiebatur, qui dicebat : *Deus, propitius esto mihi peccatori* (*ibid.*). *Ecce*, subaudis quomodo circuibunt scilicet prædicando. Nam *loquentur in ore suo*, id est, convenienti, non erubescente coram regibus sermones Dei. *Et* hoc cum magna fiducia, quia *gladius in labiis eorum. Gladius* bis acutus, id est, verbum Dei : bis acutus, vel quia utroque Testamento percutit, ve quia prius resecat propria auctoris vitia, deinde aliena. Unde Apostolus : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX), scilicet hic gladius, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* X). *Quoniam quis audivit?* Hoc enim dicere, hoc stomachari. Domine, *quis credidit auditui nostro* (*Isa.* LIII)? Est niti gladio. Vix est cui reveletur brachium Domini, quantum ad desiderium et famem prædicantium. *Et tu* tamen, *Domine, deridebis eos*, id est, quanquam illis difficile videatur, tibi tamen facile erit conversionem facere de omnibus gentibus ;et hoc modo ostendens prædicatores tuos quasi dignos risu, quia *omnes gentes ad nihilum deduces*, in eo quod gentiliter vivunt, omnes, scilicet illos, qui inter gentes sunt grana. Vel revera *loquentur* in aperto verbum Dei, et illud erit quasi *gladius in ore* eorum, nullius vitia palpans, sed omnia resecans putrida : et ideo cum tanta fiducia agent. *Quoniam quis audivit*, subaudis, talia? virginem parere, mortuum vitam dare. Non sunt hæc humana, sed divina : et ideo cum magna fiducia. *Et tu, Domine, deridebis eos.* Quasi dicat : Cum gentibus sic facies ; et tu quem ipsi contempserunt, *deridebis eos*, scilicet operantes iniquitatem Judæos, ostendes in futuro dignos risu. *Omnes* autem *gentes* quantum ad grana *deduces ad nihilum* in eo quod *gentes*, id est gentiliter viventes. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Quasi dicat : Et illa gentium conversio fiet per *fortitudinem meam* et meorum, quia mea fortitudo et meorum accusabit infirmitatem eorum. Quam *fortitudinem* ego custodiam, si ad te referam, si nihil de me præsumam. Et mei similiter suam perseverantiam ad te custodient. Fortitudo animæ est sapientia et virtus :sed neque per se sapit, neque per se valet. Est autem quædam regio certa incommutabilis veritatis : ad quam accedens, illuminatur; recedens, tenebratur. Merito ad te, *quia* tu *Deus susceptor meus es : Deus* omnium per naturam, *susceptor* meorum per gratiam : *Deus* omnium creatione, meorum *susceptor* recreatione, vel susceptor causæ meorum contra impugnatores. Et ideo est *Deus meus*, id est, illum mihi Deum facio, id est illum præcipuum habeo. Et in hoc apparet quod *meus*, quia *misericordia ejus me præveniet : præveniet*, jam ut incipiam illi hærere· *Præveniet*, ut perseverem, quia dedit velle, dabit et perficere. Vel ad caput, *præveniet me*, quia immunem a peccato creavit. *Præveniet* etiam ante clarificationem, ut cognoscat Deus, sicut per vocem Centurionis dixit : *Vere Filius Dei erat iste* (*Matth.* XXVII). Vel ante clarificationem *præveniet*, quia constantem in passione faciet. Et hoc scilicet quod *ejus misericordia me prævenict*, *Deus ostendit mihi super inimicos meos*, in his quibus misertus non est, *ostendit Deus* quantum sit quod misertus est mei. Non enim cognoscuntur bona virtutum, nisi ex comparatione vitiorum. Corpus enim Christi transgressorum inimicos suos ex illa supereminentia Dei quam habet, videt manifeste quantum acceperit, quantum illi amiserint. Sicut in consideratione plumbi vel ferri ostenditur quanti sit aurum, ita *ostendit Deus* quantam circa meos habuerit misericordiam, in illis erga quos exercuit justitiam suam, ut faceret eos vasa in contumeliam. Et tamen, o Domine, quanquam sint inimici, quanquam meruerint, *ne occidas eos* interius, jam occisos eos exterius, ne deleas eos de terra. *Ne quando obliviscantur populi mei*, id est, ne populi gratia aliquando obliviscantur illius populi qui fuit meus, semper habeant in exemplo ne superbiant : quia si ego non peperci naturalibus ramis, id est Judæis, multo minus parcam inserto oleastro (*Rom.* XI), id est, gentili populo si superbiat. Multæ sunt causæ, pro quibus Judæi non sunt statim de terra deleti. Ad custodiendam domum ejus, id est sepulcrum. Nullum poterunt habere refugium, quin convicti eum resurrexisse

confiteantur. Prophetias et libros veteris legis aut non haberemus ex toto, vel si haberemus, correcti non essent. Cum B. Hieronymus secundum Hebraicam veritatem fere omnia scripta septuaginta Interpretum correxisset, et nos etiam adhuc si dubitamus in aliqua littera, ad eos recurrimus. Prophetia etiam non impleretur, quæ dicit: *Reliquiæ Israel salvæ fient* (*Isa.* x; *Rom.* ix). Et ideo *ne* interim *occidas eos*, quod inutile esset: quod autem necessarium est, hoc age, *disperge illos* per mundum *in virtute tua*, qui præsumentes de sua, tuæ justitiæ subjecti esse noluerunt. *Et depone eos* a sacerdotio, a regno, a superbia sua. Tu dico, *Domine protector meus*, ne deficiam sub onere tribulationis, *protector* contra impugnatores. Noli illos occidere, sed occide *delictum oris eorum*, hoc scilicet, *Regem non habemus nisi Cæsarem* (*Joan.* xix). *Sermonem labiorum ipsorum. Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* xxvii). *Et comprehendantur*, id est convincantur, *in superbia sua.* Ostendatur illis a te quanta fuerit eorum superbia, cum talia dicerent, et talia facerent in vitæ auctorem. Da illum vivere, quem omnino exstinguere quæsierunt, et sic comprehendas. Advertent enim se frustra et de sola superbia vitam voluisse occidere, sicque sentiant factum suum irritum cessisse, facinus de superbia remansisse, et per hoc convertentur. *Et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione*, id est, per annuntiationem et prædicationem erunt *in consummatione*, id est, perfectione reparationis suæ. Quidam ex ipsis non de merito suo, sed de *exsecratione*, id est maledicto, quia quasi maledictum eum crucifixerunt. *Maledictus* autem omnis *qui pendet in ligno* (*Deut.* xxi), id est homo. Non enim poterat crucifigi ex divinitate, et *de mendacio* corruptorum testium reparabuntur ad vitam, qui occiderunt vitam. Et hoc ex divitiis bonitatis divinæ, scilicet *in ira consummationis*. Vel *annuntiabuntur in consummatione*, ut prius *de exsecratione*, id est, de eo quod prius exsecrantes erant. *Tu discipulus illius sis* (*Joan.* ix). *Et mendacio*, id est, de eo quod prius mendaces, quia corrumpunt custodes, ut dicerent falsum testimonium, quod venissent discipuli ejus, et illis dormientibus furati essent Jesum (*Matth.* xxvii). De his omnibus *annuntiabantur*, id est docebuntur, ut discant Christi nomen non exsecrari, discant de eo non mentiri, ad hoc, ut sint *in consummatione*, id est, in numero consummatorum, id est bonorum. *In ira*, quam illis demonstravit interius imminere sibi, et qua consumeretur in futuro, nisi consummarentur in præsenti. Et hoc *in ira consummationis*, id est, in demonstratione futuræ iræ imminentis quæ sequitur non conversos, iræ dico, consummantis eos. *Et non erunt*, scilicet impii et blasphemi, ut antea. *Et tunc scient, quia Deus, dominabitur Jacob et finium terræ*. De qua ira Apostolus: *Ubi abundavit* peccatum, id est, postquam cognoverunt se peccatores et infirmos, et ideo egere medico, qui suum meritum prius constituebant, et hanc cognitionem habuerunt ex eo, quod sibi imminere iram Dei intellexerunt: *superabundavit gratia* (*Rom.* v), id est, remissio peccatorum gratis data. Tunc, inquam, *scient quia Deus* cujus potentiam non inteellexerunt cum dicerent, *Regem non habemus nisi Cæsarem* (*Joan.* xix), *dominabitur Jacob*, id est, Judaici populi, et non solum Jacob, sed *et finium terræ*, id est, gentium. Et hoc illis ostendetur, quia *convertentur*, subaudis ad fidem Christi, a quo prius erant aversi, licet *ad vesperam*, id est, tarde post interfectionem Christi. Antea enim debuerunt converti cum illis prædicaret, vel *ad vesperam*, id est in finem mundi, cum reliquiæ salvæ fient (*Rom.* ix.) *Et famem patientur ut canes*, id est, humiliabunt se, cognoscent se peccatores et egere misericordia Dei ut gentes, quas prius canes, id est immundos, judicabant, cum de sua justitia præsumerent, vel patientur famem lucrandi alios, et sibi incorporandi. Meliores tunc canes erunt, quam modo homines, cum legem in qua modo delinquunt, fideliter defensare contendent, et ferocem belluam religiosis latratibns insequentur; vel *convertentur ad vesperam*, id est, ad auditionem mortis vespertinæ. *Et circuibunt civitatem.* Ut canes *circuibunt civitatem*, scilicet vigilantes et latrantes, id est docentes populum Judæorum. Vocatur autem hæc civitas *circumstantiæ*, quia ista una gens circumdata est tota mundo. Prædicando ergo per totum mundum *circuibunt* illam *civitatem*, *ipsi*, scilicet qui primi impugnabant nomen Christi, *dispergentur* per totum mundum *ad manducandum*, id est, ad lucrandum alios. *Si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.* Hæc est illa fames, id est, si non poterunt tot lucrari quot volent. *Murmurabunt* contra Dominum, dicentes? Domine, *quis credidit auditui nostro* (*Isa.* liii)? Quasi dicant: Nullus. Quasi dicat: Et totum hoc non erit per illos. *Ego autem*, scilicet caput in membris meis ex utraque pariete conjunctis, *cantabo fortitudinem tuam*, id est, frequenter et assidue prædicabo resurrectionis triumphum, arguendo, obsecrando, increpando. *Et exaltabo*, id est, exsultando proferam meis *misericordiam tuam*, qua vocas, qua justificas, *mane*, id est, cum jam te videbunt, remotis tenebris incredulitatis. Ideo *tuam misericordiam*, *quia factus est susceptor meus*, in passione dando constantiam et meorum in me. *Et refugium meum*, resuscitando, vel *refugium* mearum, ad quem confugiant interius, cum tribulantur exterius. *In die tribulationis meæ* capitis et membrorum, vel *susceptor meus* redditur ad hoc quod dixit, *misericordiam meam*; *refugium meum*, ad hoc quod dixit *fortitudinem tuam*; *Adjutor meus*, dando perseverantiam in obedientiam, *tibi psallam*, id est, ad honorem nominis tui bene operabor. Et merito tibi, *quia tu Deus* creatione, *susceptor meus es*, de massa perditorum separans. *Deus* autem *meus*, in eo quod es *misericordia mea* factus creatione secunda. *Deus*, quia creasti: *misericordia*, quia bonum recreasti. Potest et sic legi: *Intende ad visitandas omnes gentes*; *non* autem *miserearis omnibus qui operatur iniquitatem*,

id est, Judæis singularem iniquitatem operantibus, auctorem vitæ eorum occidentibus. Et tamen illi, id est Judæi, *convertentur*, etsi *ad vesperam*, id est, tarde, scilicet post ascensionem Domini. Multi enim ad prædicationem apostolorum sunt conversi. *Et famem patientur ut canes*, id est, cognoscent se peccatores et egere misericordia Dei, *ut canes*, id est ut gentiles, quos ipsi prius de justitia et lege præsumentes, *canes*, id est, immundos vocabant. Prius enim isti non crediderunt, ut delictum istorum esset salus gentibus, ut postea salus gentium esset horum salvatio. *Et circuibunt civitatem*, ut prius dictum de gentibus. *Et gladius in labiis eorum*, id est, verbum Dei in ore eorum, verbum dico, *gladius* subaudis ad interficiendum, juxta illud, *Aliis sumus odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Ideo *gladius* et non medicina, quoniam *quis audivit?* subaudis illos: vix aliquis. Et quia verbum Dei audire noluerunt, *tu, Domine, deriberis eos*, tandem ultimo judicio eos examinans, ostendes eos dignos risu, quod se erexerunt contra te, quia *ad nihilum*, id est ad perditionem æternam, *deduces omnes gentes*, id est, in gentilitate permanentes. Ego autem *fortitudinem meam ad te custodiam*, illi vero ad se, et ideo cadent. *Ne tamen occidas eos*, scilicet exterius, ne deleas eos de terra. *Ne quando populi* illi *obliviscantur mei*, id est legis meæ, non enim omnes digni sunt morte. Potius occide eos interius, hoc modo, duc eos in confusionem. *Disperge eos in virtute tua*, occide *delictum oris eorum*. Cognoscant se deliquisse, *et comprehendantur*, id est, convincantur *in superbia sua*, cognoscant se superbe egisse contra te et sine ratione. Et non solum *comprehendantur in superbia sua*, sed *de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione*, id est, cognoscentes exsecrationem fuisse quod fecerunt et mendacium, *annuntiabuntur* a doctoribus *in consummatione*, id est, in perfectione, et hoc *in ira consummationis*, non consumptionis, ostensa illa ira imminente eis. Et tunc *scient quia Deus* quem tantum hominem putaverunt, *dominabitur Jacob et finium terræ*, id est, super Judæos et super gentes. Et revera *finium terræ*, id est gentium, quia *convertentur ad vesperam*, id est, in ultima ætate illæ *gentes*. Secundum hanc lectionem et cætera in hunc modum, ut supra.

PSALMUS LIX.

IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR IN TITULI INSCRIPTIONE IPSI DAVID IN DOCTRINAM, CUM SUCCENDIT MESOPOTAMIAM SYRIÆ ET SYRIAM SOBAL, ET CONVERTIT JOAB, ET PERCUSSIT EDOM IN VALLE SALINARUM DUODECIM MILLIA.

« Deus, repulisti nos et destruxisti nos: iratus es, « et misertus es nobis. Commovisti terram, et con- « turbasti eam: sana contritiones ejus, quia com- « mota est. Ostendisti populo tuo dura, potasti nos « vino compunctionis. Dedisti metuentibus te signi- « ficationem, ut fugiant a facie arcus. Ut liberentur « dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me. « Deus locutus est in sancto suo, lætabor et partibor « Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor. A Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephraim « fortitudo capitis mei. Juda rex meus, Moab olla « spei meæ. In Idumæam extendam calceamentum « meum, mihi alienigenæ subditi sunt. Quis deducet « me in civitatem munitam: quis deducet me usque « in Idumæam? Nonne tu, Deus, qui repulisti nos, et « non egredieris, Deus, in virtutibus nostris? Da nobis « auxilium de tribulatione, et vana salus hominis. « In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum de- « ducet tribulantes nos.

ENARRATIO.

Legitur in libro Regnorum David omnes istos superasse, quos in titulo legimus; sed non ibi invenitur eum aliquid succendisse. Hoc ergo additum trahit nos ad mysterium. *In finem* ergo, hoc est, in Christum, B referenda sunt hæc, qui multis modis finis dicuntur, et dicuntur *pro his*, id est, in persona illorum, *qui* commutantur, id est, qui de tenebris fiunt lux *in tituli inscriptione*. Scriptus est titulus super crucem Domini. *Hic est rex Judæorum* (*Matth.* XXVII). Mutantur *in hujus tituli inscriptione*, qui in regnum Christi transeunt a regno diaboli: qui deserunt mundum, et sequuntur Deum. Sequitur: *ipsi David in doctrina*. Mutantur, non ut sibi vivant, sed ipsi. *In doctrina*, hoc est, qui regnum terrenum nec terrena appetunt, ut ipse ait: *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII). Fecit autem Christus hanc mutationem, ignem mittendo in terram, non ignem materialem, sed carnalem. Et percussit ea non materiali gladio, sed verbo divino. *Succendit* illo igne C *Syriæ Mesopotamiam*, id est, illam Mesopotamiam quæ erat in Syria. Mesopotamia interpretatur *elevata vocatio*: Syria, *sublimis*. *Succendit* ergo Judæos vocatos ad fidem, elevatos per legem, sublimes tamen, id est, de se præsumentes, hoc in eis combustum est. *Sobal* interpretatur *vana vetustas*. Percussit ergo Syriam *Sobal*, id est, gentiles morantes in vana vetustate, id est, in divitiis, in potentia hujus sæculi, et in doctrina sæculari, et in his omnibus sublimes, id est, majores Judæis, quia *elegit Deus infirma, ut confundat fortia, et quæ stulta sunt, ut confunderet hujus sæculi sapientes* (*I Cor.* I). *Et convertit Joab*: Joab, id est, inimicus, *convertit* inimicum, id est diabolum retro, quia principem mundi ejecit foras. Vel *convertit* inimicum, faciendo de injusto justum. Vel Joab interpretatur *pater*, quia con- D versos quosdam patres fecit, id est prædicatores. Ideo terrenus imperator *percussit* verbi divini gladio terræ adhærentes ut adhærerent Deo. Et omnes hos *percussit in valle Salinarum*. Per vallem humilitas: per salinas, sapor est intelligendus; quia conversi ad Christum, humiliantur sapienter, id est pro æternis, non fatue, id est pro temporalibus. Non enim pro his patiuntur. Salinæ sunt foveæ juxta mare, ubi aqua marina colligitur ad sal conficiendum. Et *percussit* hæc gladio divini verbi, administrante illum gladium septiformi gratia sancti Spiritus. Cujus septenarii partes sunt tres et quatuor, quæ ad se invicem multiplicata, reddunt *duodecim*. Per quatuor, accipimus

quatuor mundi partes: per tria, idem sanctæ Trinitatis, qua totus mundus a quatuor partibus convocatus est gladio verbi Dei et administratione septiformis gratiæ sancti Spiritus. Et *percussit* hæc *millia*, id est, ad perfectionem et unitatem, quia mille tertia unitas est. Fideles Christi taliter communicati, ut dictum est, referunt gratiarum actiones Deo de sibi collatis beneficiis: et eo majores, quo majorem commeruerant dejectionem, a qua sunt liberati, orantes pro commutatione futura, ostendentes etiam qua confidentia illam orare præsumant.

Deus, repulisti nos et destruxisti nos. Quasi dicat, creasti nos perfectos, tecum commanere fecisti, sed indignos commanere tecum, quia transgressores, repulisti nos ab interiori paradiso, et ideo ab exteriori, quia *in Adam omnes moriuntur* (I *Cor.* xv), sed in Christo omnes vivificabuntur. *Et destruxisti nos*, subaudis male ædificatos, vel nos immortales et impassibiles creatos conditione, culpa præveniente fecisti mortales et passibiles, et hoc faciendo, *iratus es* vitiis nostris: *et misertus es nobis: iratus es*, factis nostris, *misertus es*, facturæ nostræ. *Nihil enim odisti eorum quæ fecisti* (*Sap.* xi). *Iratus es*, vetustatem destruendo. *Misertus es* innovando, hoc modo misertus es. *Commovisti terram*, per fossores tuos terrenitatem, id est, carnales delectationes, vocando nos. *Et conturbasti eam* in conscientia peccati, scilicet *commovisti* terrenos, vocando ad quærendam misericordiam. *Conturbasti eos*, quia fecisti recognoscere suam malam conscientiam. *Sana* ergo *contritiones ejus*, mortalitatem et passibilitatem, vel *contritiones* conscientiæ malæ. *Quia commota est*, scilicet ad pœnitentiam, non digna sanari, si non esset mota. *Ostendisti populo tuo dura*. Quasi dicat: Ideo etiam debes misereri, quia cum tu passus sis pro nobis, reliquisti nobis exemplum, ut sequamur vestigia tua, et hoc est quod sequitur: *Ostendisti*, in propria persona tua, *dura* et multum difficilia ad imitandum *populo tuo*. Ad similitudinem: sicut David historialiter populis suis devictis duram legem imposuit, et multis laboribus subjugavit; ita et tu tuis, ut amplius non erigant cervicem suam contra te. Unde Salomon in libro Sapientiæ: *Fili* mi, accede *ad servitutem* Domini, et *sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* ii). Et beatus Petrus: Tempus est ut exeat, flagellum a domo Dei (I *Petr.* iv): Si ejus initium a nobis est, quis erit finis in illis qui non recipiunt Evangelium Dei? Si justus vix salvabitur, injustus et impius ubi parebunt? Vel *ostendisti populo tuo dura*, quæ prius videbantur delectabilia Primus enim labor est, ut displiceas tibi; secundus, pro eo qui mutatus est, ferre tribulationes. *Potasti nos vino compunctionis*. Hoc modo ostendisti. *Potasti nos vino compunctionis*, non peremptionis. Ipsa tribulatio nobis est refectio, quia non est perditio perdens, sed medicina urens. Sicut delectatio in terrenis prius nobis fuit, ita ipsa compunctio est nobis vinum. Revera *potasti nos vino compunctionis* in temporali tribulatione, et non peremptionis: quia *dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, id est, per tribulationes temporales significasti tuis fugere a ventura ira, quæ quo magis differtur, eo gravior veniet: sicut arcus quanto magis retro contrahitur, tanto magis ante se sagittas emittit. Uris tuos igne temporali, ut non reserves æterno. Vel, *ut fugiant a facie arcus*, id est, a manifestatione illius iræ quam *arcus tuus*, id est, Scriptura sacra minatur illis, qui tribulationes quas meruerunt, patienter tolerare nolunt. Ad hoc *fugiant*, ut *liberentur* electi *tui* tandem ab illa ira, ab ira, id est, extrema damnatione *fugiant*, facti tui electi. Cognoscunt enim se hic pro parvis tantum affligi ideo ut sibi a majoribus caveant, quibus æterna pœna reservatur. Et quia hoc mihi *ostendisti*, quia hæc *dedisti*, et si exterius flagelles, *salvum me fac* interius a conformatione malorum, *dextera tua* eousque salvum fac, ut tandem colloces ad dexteram tuam. *Et* ut salvum facias, *exaudi me*, subaudis orantem pro perseverantia; orantem, ut hic succensos et destructos tandem consoletur dextera tua. Et revera salvum faciet, quia *Deus locutus est in sancto suo*, id est, in Christo sancto sanctorum, quia novissime diebus istis locutus est nobis in filio (*Hebr.* i), in quo promisit hanc salvationem, juxta illud: Et mittam vobis salvatorem qui vos præcedat et introducat in terram pro qua juravi patribus vestris (*Exod.* xxiii). Ergo quia in illo loco locutus est hanc salvationem qui non fallit, *lætabor* ego Ecclesia, *et* merito, quia dividam *Sichimam*. Sichima *humerus* interpretatur. Ergo dividam portantes onus, ut alios premat pondus præceptorum, alios jugum meum quod levat, non deprimit. Alios premit jugum diaboli, alios jugum Christi. Illos dividam, quia hos assumam; illos rejiciam, secundum historiam, Jacob rediens a Laban socero suo, moratus est in Sichimis (*Gen.* xxxi). Ibi Rachel idola patris, quæ secum abduxerat, occultavit sub fasce herbæ, cum pater persequeretur et ea exquireret a Jacob. Per idola possumus gentes accipere colentes idola, quas gentes dividet Ecclesia, quia alios assumet, alios in malitia et in errore suo deseret: secundum nominis interpretationem, per Sichimam Judaicum populum, sub jugo legis positum, ut dictum est. *Et convallem tabernaculorum metibor*. Jacob pergens inde, scilicet a Sichima, tabernaculatus est in quadam valle, in qua magna pascua erant, et ibi diu moratus est, pascens armenta sua et oves, et recreans se et familiam suam. Per hoc possumus accipere Judaicum populum, qui erat quasi oves pascuæ, quos Deus pavit pabulo verbi sui in lege. Hoc *metibor* ego Ecclesia, quia alios ad spirituale pabulum assumam, alios in carnali relinquam. *Meus est Galaad*, quod interpretatur *acervus testimonii*, id est, mei sunt martyres, qui interpretantur *testes*, qui testimonium Dei in se coacervant, testimonium veritatis conservantes usque ad sanguinis effusionem. *Meus est Manasses*: Manasses et Ephraim, filii Joseph. Manasses *oblitus*, id est, omnis ille est meus, qui jam non meminit illius confusio-

nis, quando ignominia erat esse Christianum, scilicet omnes confessores mei sunt. *Et Ephraim fortitudo capitis mei.* Ephraim, *fructificans.* Caput Ecclesiæ Christus, cujus capitis fortitudo est multiplicatio fidelium. Cecidit Christus in passione, et secuta est fructificatio in resurrectione, quia granum, nisi cadens in terram mortuum fuerit, non multiplicabitur (*Joan.* XII). *Juda rex meus*, id est Christus, qui de tribu Juda, ille est horum omnium caput et rector. *Moab olla spei meæ.* Hucusque videtur enumerasse suos de Judaico populo, nunc de gentibus. *Moab*, id est, sine lege viventes, gentiles scilicet. *Olla spei meæ*, id est, olla fervens, populus tribulatione affligens me. Est *olla spei meæ*, id est, fervens ad meam spem : quia *tribulatio patientiam operatur, patientia, autem probationem, probatio vero spem* (*Rom.* v). In *Moab* intelliguntur abutentes naturali lege, scilicet gentilis populus. *Moab* natus est de filia Loth, mala utente patris concubitu (*Gen.* XIX), unde Moabitæ, contracti de peccato. Præfigurat autem illos qui mala utuntur lege, qui generant Moabitas, id est opera mala, unde tribulatio bonis. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Hoc modo tribulatio est *olla spei*, quia *extendam calceamentum meum*, id est prædicatores meos qui me muniunt ut calceamentum : vel fide, quæ munit Ecclesiam a luto hujus sæculi et spinis. Vel *calceamentum* Evangelium *extendam in Idumæam*, id est, innocentiam Idumææ, id est, gentilitatis terrenis deditæ, quia Idumea *terrena* interpretatur. *Mihi alienigenæ*, id est allophyli *subditi sunt*, qui interpretantur *potione cadentes*, scilicet ebrii dulci fortuna hujus vitæ. Etiam illi jugum meum recipient : vel *Moab olla spei meæ :* ad similitudinem. Quasi dicat : Etiam perditissimi sunt mihi facti spes saturitatis, ut *olla* solet esse *spes* cibi et refectionis : vel Idumæa *sanguinea*. Quasi dicat : Et hæc omnia faciam non mea ope : nam *quis deducet me*, de angustia Judaici populi, *in civitatem munitam*, id est, ut fiam civitas magna, frequentia totius orbis munita : quæ etiam dicitur civitas *circumstantiæ*, quia circumdat Judaicam terram tanquam in medio positam ? *Quis deducet me usque in Idumæam*, id est sanguineam, scilicet gentilitatem fundentem sanguinem corporis et animæ ? Hæc inquisitio non dubitando fit, sed gratulando. Potest et sic dici : *Quis deducet me in* Idumæam, ut tam ampla fiam, quod etiam in terrenis regnem, ut etiam illi me venerentur, qui nolunt a me proficere : quia, ut dictum est, Idumæa interpretatur *terrena.* *Nonne tu*, *Deus*, subaudis deduces, *qui repulisti nos* ? subaudis in Adam, et nunc etiam repellere videris *:* quia *non* exibis *in virtutibus nostris*, id est, quia aperte non agis nobiscum, ut cum patribus nostris egisti, quando unus persequebatur mille, et duo fugabant decem millia ; sed potius pateris non affligi exterius, ut liberes interius. *Et* quia *non egredieris in virtutibus nostris*, quia foris non liberas, *da nobis*, interius, subaudis, *auxilium, de tribulatione*, subaudis exteriori, id est, fac ut per patientiam nostram et consolationem tuam, ipsa tribulatio fiat nobis ad probationem. Ideo rogo interiorem salvationem et non exteriorem, quia *vana* est *salus hominis*, id est, quia exterior nulla est. Et quia *vana* est *salus hominis, in Deo faciemus virtutem*, id est, fortes erimus patiendo, perseverando hic ; et tandem *ipse ad nihilum deducet tribulantes nos* convertendo, vel tandem inefficaces reddendo. Vel *salvum fac* non in sinistra tua, id est, in his temporalibus, sed in *dextera tua*, id est, in beatitudine æterna. *Et* quia illa rogo quæ roganda sunt, *exaudi me.* Quod revera faciet *Deus* Pater, quia *locutus est* hoc, id est promisit se sic petentes exauditurum *in sancto suo*, id est, in Filio suo. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XVI). Potest et sic dici : Revera salvum faciet, quia *Deus* Pater *locutus est in Sancto*, id est, loquentur in Filio suo, sic dicens : *Lætabor*, id est, lætanter complebo obedientiam, et *partibor Sichimam*, eodem modo ut supra. *Et convallem tabernaculorum*, id est, humiliter mihi militantes, vel Judæos habentes pastorem assumam. *Et Manasses* : id est, populus obliviscens quæ retro sunt, et in anteriora se extendens, *meus est. Ephraim fortitudo capitis mei*, id est, caput meum forte, per hoc quod est fructificans post mortem. *Juda*, id est, omnis confitens, *rex meus*, contituo regem. *Moab olla spei meæ*, id est, refectio mea. *Extendam* etiam *in Idumeam*, id est in sanguineos, *calceamentum meum*, id est, incarnationem vel apostolos meos, et sic *subditi* erunt *mihi alienigenæ*. Quo duce hoc fiet ? Me duce, non in quantum homo, sed in eo quod Deus. Nam *quis deducet me*, et cætera. *Nonne tu, Deus, qui repulisti nos* in Adam, vel videris nunc repulisse quantum ad exterius ? Revera videris repulisse, quia non das illis exteriorem salvationem, et cætera ut supra.

PSALMUS LX.

IN FINEM IN HYMNIS PSALMUS DAVID.

« Exaudi, Deus, deprecationem meam ; intende
« orationi meæ. A finibus terræ ad te clamavi ; dum
« anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. De-
« duxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitu-
« dinis a facie inimici. Inhabitabo in tabernaculo tuo
« in sæcula ; protegar in velamento alarum tuarum.
« Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem
« meam, dedisti hæreditatem timentibus nomen
« tuum. Dies super dies regis adjicies, annos ejus
« usque in diem generationis et generationis. Per-
« manet in æternum in conspectu Dei, et miseri-
« cordam et veritatem ejus quis requiret ? Sic psal-
« mum dicam nomini tuo in sæculum sæculi ; red-
« dam vota mea de die in diem. »

ENARRATIO.

Verba hujus psalmi referenda sunt *in finem*, id est, in illum qui finis est, non in historialem David attribuenda ipsi *David*, id est, dignioribus membris : habenda *in hymnis*, id est in laudibus. Agit ergo Ecclesia in perfectioribus membris gratias Deo, quod fecit eos fines terræ, quod in petra exaltavit, quod

deduxit, quod hæreditatem dabit. Potest etiam legi in voce capitis, sed pro membris.

Exaudi, Deus, deprecationem meam, id est orationem factam pro peccatis meis, quæ contraxi et quotidie contraho necessitate viæ ; vel pro peccatis commembrorum, quæ infirmiora sunt : quæ mea reputo, quia in uno corpore si patitur unum membrum, compatiuntur et alia membra (*I Cor.* XII). *Intende orationi meæ*, factæ pro perseverantia bonæ vitæ. Et merito exaudies : quia *a finibus terræ ad te clamavi* : ideo devotione et opere omnem intentionem meam ad te promerendum direxi *a finibus terræ*, id est, omnes terrenas concupiscentias in me finiens, a medio terræ, procul me amovens : *dum anxiaretur cor meum*, id est, dum nolui hic esse absque labore et tentatione. Scio enim quia nemo non tentatus, sibi est agnitus. Nemo coronabitur nisi qui vicerit (*II Tim.* II) ; nemo victor erit nisi qui certaverit ; nemo autem certabit nisi hostem habuerit. *Dum anxiaretur cor meum*, id est, dum augeretur timens non solum in his quæ hic amara, sed etiam in illis quæ videntur dulcia : *anxiaretur* dico, non tamen superaretur : ideo autem non vinceretur, quia *in petro exaltasti me*, vel exemplo humilitatis et patientiæ Christi Filii tui conformando solidasti, ut sicut ille tentatus est et passus, et non est motus, ita et ego illius vestigia sequens. *Exaltasti* dico a turbine hujus procellosæ et ærumnosæ vitæ. Et exaltavit *in petra : deduxisti me* per semitam justitiæ, ut per eas ad patriam redirem. Tu *deduxisti*, quia dux in teipso prius tentatus, prius passus. Et in te duxisti, quia tu via ; juxta illud : *Quæ cepit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Hoc modo docuit, per quam viam sit eundam, scilicet prius faciendum et postea docendum : et ad se ducit, quia ipse patria est. Nemo enim extra illum ad patriam perveniet : ideo tu es ductor mihi tendenti ad patriam, *quia factus es spes mea*. Desperarem illuc pervenire, nisi tu præcederes per dura, per aspera, moriendo et resurgendo : ostendit moriendo laborem, resurgendo præmium. Duæ sunt vitæ : una quam habemus, alia quam speramus. Nullam prius scivimus, nisi hanc mortalem et transitoriam ; nec desiderare nisi hæc temporalia bona : lle duas vitas esse docuit, unam laboris, alteram præmii ; unam habemus in re, alteram in spe. Toleremus ergo illam in qua sumus, exemplo illius, ut tandem perveniamus ad illam quam speremus ; et non solum spes, sed et *turris fortitudinis*, id est, firma munitio, *a facie*, id est, a terrore et persecutione *inimici*, ut non lædere possint. Hoc modo est ipse firma turris. Patiuntur quidem martyres Christi, sed non deficiunt in certamine, quia intrant munitam turrim. Cogitant quomodo Dominus eorum hic tentatus sit, passus, mortuus, et tandem resurrexit in gloria, et quare hæc omnia pertulit : et talem finem sperando, non vincuntur ullis terroribus, nec eos possunt lædere jacula inimicorum, imo habent unde jacula in eos spargant. Et quia tu mihi spes, tu turris, *Quis me seperabit a charitate Christi? an*

A *fames? an nuditas? an persecutio? an gladius?* (*Rom.* VIII.) ergo *inhabitabo in tabernaculo tuo*, id est, militabo in Ecclesia tua, non inde dimovebor *in sæcula* usque dum ad æternitatem perveniam : vel *in sæcula*, id est, per omnia hæc tempora : sæviat aperte leo, sæviat occulte draco, veniant perturbationes, veniant scandala, *Ego tamen inhabitabo in tabernaculo tuo*, in fide, spe et charitate. Hoc tamen non ope mea, sed *protegar* ab inimicis : *in velamento alarum tuarum*, gemina charitate amplectar, qua non solum te, sed et inimicum diligam propter te. Et revera protegar, *quoniam tu, Deus meus*, quem solum diligo, ad quem clamo, *exaudisti orationem meum*, id est exaudies factam pro perseverantia : quod in hoc certum erit, quia B *dedisti*, id est, dabis vel jam *dedisti* Christo in re, nobis in spe, *hæreditatem*, id est, immortalitatem et impassibilitatem, non omnibus, sed *timentibus nomen tuum*, non solum te, sed etiam *nomen tuum* timore casto : scilicet timentibus separari a te, qui es timor, quia Græce δέος, unde et Deus Latine, timor. Solent mortales filii mortuis parentibus in hæreditatem succedere, sed viventes filii tibi viventi et in æternum regnanti succedunt. Hæc est illa hæreditas, scilicet æternitas, quam tuis dabis. *Dies super dies regis adjicies*. Ad *dies* hujus regni finiendos, *adjicies* regi nostro *dies* æternos : ad *dies* qui nocte clauduntur, adjicies dies qui nulla nocte claudentur. Etsi rex in æternum regnabit, et regni ejus non erit finis, qui sunt illi qui timent nomen Dei. Et quia minus videtur dictum, *dies*, ideo auC get : *annos ejus*, subaudis adjiciet, *usque in diem generationis et generationis*, id est, usque in tempus generationis quæ nunc est, et futuræ. Sed sive *dies* dicantur, sive *anni*, minus dicitur quam est. Ostendit quæ sit illa futura generatio : *permanet in æternum in conspectu Dei* talis et tantus, ut dignus sit conspectu Dei. Et quia tantus est rex ille, et regni ejus non erit finis, omnes quærant *ejus misericordiam et veritatem*. Sed *quis* est qui *requiret misericordiam ejus*, id est, diligenter inquiret, ita ut inveniat *misericordiam*, quam non considerat merita, sed donat peccata : *veritatem*, qua veraciter et immutate solvit promissa ; quis ille erit qui diligenter quæret hæc ? Qui misericordiam facit indigenti, veritatem servabit in promissis : vel in præceptis Dei D ambulabit quæ vera sunt. Multi enim quærunt ejus misericordiam scriptis, non factis : ut sciant ad lucrum temporale, non ut faciant ; tales non requirunt, id est, non diligenter et ut quærenda sunt, quærunt : ideo nec inveniunt. Nec requirunt ea secundum quamdam translationem, quia non quærunt ad honorem Dei, sed ad suum commodum. Quasi dicat : Ego dixi : *quis requiret*, ille scilicet, qui *psalmum* dicet *nomini tuo*, id est, qui sciet, et quod sciet, bene operabitur ad hoc, ut nomen tuum inde glorificetur, non suum. Sic psalmum dicet, ut reddat, *vota* sua, id est, seipsum quem Deo vovit, *de die in diem*, id est, de hac vita tendens in futu-

ram. Quasi dicat : Quidquid alii faciant, ego *sic psalmum dicam*. Aliter : *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum*, id est, prædicatoribus tuis dedisti fidelium multitudinem, quam colerent vomere doctrinæ : hanc scilicet *hæreditatem* : *Dies super dies regis adjicies*, id est, ad præcedentes fideles Christi claros luce fidei,addes alios fideles illuminatos verbi fidei. Ego dixi *dies*, imo *annos ejus*, id est, multitudinem et successores ejus. *Adjicies usque in diem generationis* generationum, id est, semper crescet numerus fidelium *usque in diem*,id est tempus illius generationis, quæ est generatio generationum. *Rex* autem quid ? *Permanet* in illis, id est, regnat in eis *in æternum in conspectu Dei*, id est, in gloria Dei Patris. Ergo *quis requiret ejus misericordiam*, ut postea veritatem inveniat, ut ubi rex est, illic et minister ejus sit? Cætera ut supra.

PSALMUS LXI.

IN FINEM PRO IDITHUN PSALMUS DAVID.

« Nonne Deo subjecta erit anima mea : ab ipso « enim salutare meum. Nam et ipse Deus meus, et « salutaris meus, susceptor meus, non movebor am- « plius. Quo usque irruitis in hominem? interficitis « universi vos, tanquam parieti inclinato et mace- « riæ depulsæ. Verumtamen pretium meum cogita- « verunt repellere, cucurri in siti : ore suo bene- « dicebant,et corde suo maledicebant.Verumtamen « Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso « patientia mea. Quia ipse Deus meus et salvator « meus, adjutor meus, non emigrabo. In Deo salu- « tare meum, et gloria mea : Deus auxilii mei, et « spes mea in Deo est. Sperate in eo, omnis con- « gregatio populi, effundite coram illo corda ve- « stra, Deus adjutor noster in æternum. Verum- « tamen veni filii hominum,mendaces filii hominum « in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. « Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite « concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor ap- « ponere. Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, « quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericor- « dia, quia tu reddis unicuique juxta opera sua.

ENARRATIO.

Hæc quæ aguntur in hoc psalmo, referuntur *in finem*, id est, in Christum, et est *psalmus* ipsi *David* attribuendus, id est, dignioribus membris *pro Idithun*, id est,in persona Idithum. Idithum interpretatur *transiliens* eos scilicet in inimis positos, torrena amantes. Hic miles Christi qui in hoc psalmo inducitur, contempta mundi felicitate, omnes mundum amantes transivit, omnes suos devocatores contempsit : et in quemdam sublimem locum se contulit, unde illos despiceret quasi in infinis positos, sed in hoc uno milita Christi, multi intelliguntur. Videndum est ergo quousque ascenderit, quos etiam transilierit, ubi positus sit : sed videtur ascendisse in quemdam spiritualem et tutum locum, de quo loco infra positos respiciat non ut lapsum timeat, sed ut alios excitet in inferioribus positos ad imitationem sui, et eos pigritiæ arguat : et laudat locum non ut inde superbiat dum se ostendit sic esse elatum, ut tamen sub Domino Deo suo sit, sed ut alios ascenderet hortetur. Transivit autem omnes mundi amatores, contemnens omnium quos transilivit impedimenta, scilicet hæreticorum blanditias et deceptiones falsorum Christianorum insultationes et insidias, infidelium apertas persecutiones : quos sic alloquitur, quasi dicens : Ut quid mihi blanditias intenditis ? cur insultatis ? cur minas infertis? cur mortem paratis? Nunquid me devorare et iter meum impedire putatis? quidquid machinemini, quidquid in me operemini.

Nonne Deo subjecta erit anima mea? Et illi subjecta, nunquid casum timet?Minime.Quantumcunque enim ascendam, non timeo lapsum, dum sub illo sim positus.Securus transcendam,dum ad illum conscendam. Revera illi semper subjecta erit anima mea,quia sibi mundum subjecit. Non enim se subjecit Deo, qui subjacet mundo.Et merito Deo subjecta erit, nam *ab ipso salutare meum*, id est Christus Dominus in quo est salus mea, in quo salutari est mihi exemplum patientiæ. Et revera ipse salvare potest, quia cum sit homo, non est solum homo. Homo enim potest sibi homini esse damnatio, non autem potest sibi homini esse salvatio. Nam et ipse, ut Pater qui misit illum, est *Deus meus*. Et quia Deus, ideo *et salutaris meus*. Hoc modo est Deus meus,quia est *susceptor* causæ meæ ad defendendum. Et ideo *non movebor* a Deo meo *amplius*. Movit me prius manus peccatoris, cum sub eo esse nolui,dum me in superbiam erexi.Sed nunc sub illo positus non timebo lapsum. Quod alibi, *Non veniat mihi pes superbiæ* (*Psal.* XXXV) : hoc modo, *Nonne Deo subjecta erit anima mea*. Quod ibi, *Et manus peccatoris non moveat me* (*Ibid.*) hic, *non movebor amplius*. Et quia Deo immittitur anima mea,et amplius *non movebor* : ergo *quousque irruitis in* me *hominem*, attendentes humanitatem meam,et non attendentes divinum præsidium? *Quousque*, id est, usque ad quem finem, *irruitis* exsecrando, insultando, insidiando, persequendo, occidendo? Nunquam militi Christi bella desunt, quia duæ sunt civitates nunc simul mistæ : una Jerusalem, altera Babylonia ; una hæc, una illa. Unus hic rex, unus ibi ; unus hic populus, unus ibi ;isti pugnant pro justitia,illi pro injustitia; isti pro veritate, illi pro falsitate. Isti ut destructa construant, illi ut constructa destruant, et tamen hæc civitas ex illa congregatur.Non enim prius spirituale, sed quod carnale : illa prior tempore, hæc autem prior dignitate. Quod autem hæc ex illa procedat, præfiguravit Jerusalem quæ constructa est secunda civitas, destructa priori, cum tamen prima civitas quam Cain ædificavit, per se sit constructa. Frustra *irruitis in hominem*,quia perfert homo quod potest homo, tamen ejus auxilio qui pro homine factus est homo. Revera *irruitis*, quia *interficitis vos universi*, scilicet et qui intus estis et extra misti et separati, nunc tolerandi, quandoque separandi. *Irruitis*, incumbitis mihi *tanquam parieti inclinato*, id

est, tanquam si paries qui cito dejici possit quasi inclinatus ad ruinam : quia vobis humilior, vestræ saluti me inclino, *et* tanquam *maceriæ depulsæ*. Maceria est siccus murus sine cemento, qui impulsus facile dejicitur. Aliter : Nolite irruere, nolite interficere, si non attenditis injustitiam, saltem vestram attendite damnationem: quia nos foris interficiendo, universi interficitis vos interius. Interficiendo corpus nostrum, interficitis animam vestram : dum incumbitis mihi *tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ* : quia cadit pius ad damnationem impii, sicut paries super illos qui incaute dejiciunt. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere.* Quasi dicat : Ego illas de innocentia conveni, ego illos sic monui, et tamen cum non possent me apertis impugnationibus movere ab incepto cursu, invidentes mihi, quia honor bonorum torquet cor impiorum, cogitaverunt per insidias pretium meum, id est, coronam meam, bravium meum avertere, dum cursum meum parabant impedire, ne consummarem hanc meam vitam, exprobrando difficilem, et nulli possibilem dicendo. Hic notantur falsorum Christianorum impedimenta, qui blanditiis et malis persuasionibus militibus Christi, occulte impedimenta parant, erubescentes aperte impugnare. Ipsi impedimenta parabant : sed ego cucurri nulla hujus vitæ illecebra detentus, nullius minis vel terroribus retractus. Et *in siti cucurri*, id est in desiderio transformandi mihi eos, et trajiciendi in corpus Christi : quæ *sitis* præfigurata est in capite illius vituli, quod Moyses descendens de monte, accepta lege, in ignem misit et diminuit, et in aqua miscuit et dedit populo bibere (*Exod.* XXXII). Caput vituli quod fuit caput idoli, significat populum Babyloniæ, qui populus in ignem tribulationum mittitur, et per Moysen, id est, doctorem, eruditis comminuitur, id est, humiliatur ad pœnitentiam et post mittitur in aquam, id est, baptizatur, et sic transfertur in corpus fidelium. Et opus erat ut illos mihi conformarem, quia *ore suo* scilicet doloso *benedicebant, et corde suo maledicebant* : ore prætendentes veritatem, ut sic facilius et occultius ducerent ad mendacium, et corde tegentes falsitatem. Hoc notatur hæreticorum pravitas. *Verumtamen*, id est, quanquam tot impedimenta et tot insidiæ mihi parentur, o *anima mea*, sustine omnia : et ut sustinere valeas, *subjecta esto Deo*, qui dat tolerantiam. Et merito Deo, *quoniam ab ipso patientia mea.* Venit dolor meus, veniet requies mea, ponitur nunc aurum in fornace, ut purgatum veniat ad lucem : fornax, mundus ; palea, iniqui ; aurum, justi ; ignis, tribulatio ; aurifex, Deus. Quod vult ergo artifex, facio ; ubi me ponit, tolero ; jubeor ego tolerare, novit in purgere, licet palea ardeat ad incendendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo : quare? quia *Deo* subjicitur *anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*, quæ necessaria hic est, ut reportemus promissionem. Et ideo etiam illi *subjecta esto, quia ipse Deus* omnium per naturam, est *Deus meus* per gratiam vocando, *et salvator meus* gratis justificando, *adjutor meus* con-

A servando ; vel *adjutor* glorificando, et ideo *non emigrabo.* Migrabo de tabernaculo, sed *non emigrabo* de palatio ; quia *in Deo* erit tunc *salutare meum*, id est, interior salvatio ; *et gloria mea*, id est, honor immortalitatis : ipse enim erit omnia in omnibus. Interim autem dum in via sum, dum nondum perveni, est *Deus auxilii mei*, ut non deficiam , et ideo *spes mea in Deo est*, ut perveniam ad coronam. Ergo meo exemplo *sperate in eo*, et non in mundo, *congregatio omnis populi* : sive infra positi, sive extra, aperti inimici vel occulti, quia ipse vos salvabit, et ipse glorificabit. Et ut in eum possitis sperare, *effundite*, id est evacuate, *corda vestra coram illo*, non coram hominibus ; vel *effundite coram illo*, consideratione illius, vel dum ille suscipiat : vel exite, trancendite corda vestra, ut de illo cogitare sufficiatis.
B Transit, quidquid corde concipis præter ipsum. Ipse manet, in eum effunde quidquid sollicitudinis concipit cor tuum. Tunc ipse videt, cum veram confessionem peccatorum facimus ; *effundite* dico, lacrymabiliter deprecando, humiliter confitendo, veraciter pœnitendo, non fallaciter credendo. Ideo coram illo *effundite*, quia quod per vos non potestis, ipse faciet. *Deus adjutor noster* hic perducendo *in æternum*. Adjutor est vocando, justificando, conservando. Sed licet eos moneam in Deo sperare, et non in sæculo, *Verumtamen vani filii hominum*, id est, vanis dediti, scilicet temporalibus commodis ; *mendaces*, decipientes alios ; *filii hominum*, id est, imitatores primorum, subaudis entes *in stateris*, vel simulantes æquitatem, ad hoc *ut decipiant ipsi de vanitate*, subaudis
C temporali, id est, de hac falsitate *in idipsum*, subaudis tendentes, id est, in æternam vanitatem et in æternam damnationem, scilicet de tenebris temporalibus in æternas. *Ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum*, quamvis diversi et multiplices sint errores, *de vanitate* tamen omnes idipsum sentiunt, qui ejus sunt civitatis, qui regem habent diabolum. Ergo miserandi, semper monendi ; unde dicit : *Nolite sperare.* Sicut hic fefellerunt alios, ita et ibi fallentur : non quod ibi falsa sint tormenta, sed quantum ad boni reputationem, nullius pretii sunt ; vel *mendaces* sunt *filii hominum in stateris*, id est, in commerciis suis, a parte totum ; quia *pondus et pondus, mensura et mensura, abominatio apud Deum* (*Prov.* XX). Augustinus : « Attendis cui libras, et non
D attendis quo libraris. » Ipsi *de vanitate in idipsum*, id est, omnes in vanitate concordes. *Nolite sperare in iniquitate.* Quasi dicat : Ego dixi, sperate in eo. Si autem in eo sperare vultis, *nolite sperare in iniquitate*, id est in divitiis, quæ sunt mammona iniquitatis, quia omnis dives aut iniquus, aut hæres iniqui. *Verumtamen vani filii hominum*, ex quadam compassione interposuit Idithu : hoc ad divites. Vos autem pauperes, *rapinas nolite concupiscere.* Rapis tu quisque aliena, et nescias a quo rapiaris. Rapis pecuniam, perdis innocentiam : et sic interius rapit te leo ille, qui *rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V). O iniquum commercium, o damnosum

lucrum, acquirere pecuniam, ut amittas justitiam! Noli ergo rapere, noli de paupertate timere; quia qui pascit latronem, pascit innocentem: quia pascit damnandum, pascet salvandum. Vel nolite putare ut divitiæ ex iniquitate acquisitæ vobis prosint, cum inde benefacitis. Quasi dicat: Dives, noli aliena rapere, quia non cogit necessitas. Audi. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere,* id est, non eas ametis, non in eis speretis, non ibi cor figatis, ne simul effluatis. Quod enim affluit, potest et effluere: vana iniquitas, florere ad tempus. Miles Christi Idithun; qui huc usque locutus est eos quos infra se vidit, invitans eos ad cursum, hortans omnes spem ponere in Domino, et dehortans sperare in sæculo, supponit utriusque rei rationem, et convertit se ad Deum, quasi familiarius sic loquens, quasi sic dicens: Sperandum est in te, o Domine, et non est sperandum in vanitatibus hujus sæculi: *quia,* o Deus, *tu reddes unicuique juxta opera sua:* injustis pœnam, justis coronam. Et hoc facies ex potestate et ex misericordia, *quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia: potestas* qua malos damnas; *misericordia,* qua bonos remuneras. *Potestas,* id est, justitia est in eo, ne præsumas de misericordia, ne autem desperes de justitia, misericors est. Potestate superbos humilias, misericordia humiles exaltas. In his duobus omnia scripta vel dicta patriarcharum, prophetarum et apostolorum, continentur. Amemus ergo misericordiam, timeamus potestatem, et sic amemus misericordiam, ut non contemnamus potestatem; sic timeamus potestatem, ut de misericordia tamen non desperemus. Timeamus ego ejus supremam potentiam: quidquid vult facere, potest, et tamen nihil facit nisi juste, etsi interdum occulte. Potestatem habet diabolus, sed sub illo. Nihil enim potest nisi permissus, et quantum permissus, et quando permissus. Et potestate Deus permittit suos tribulari: ex misericordia facit proventum, ut possint sustinere (*I Cor.* x). Et hoc quasi dicat: Ex me non habeo quod vobis dico, sed *audivi hæc duo* de potestate Dei et de misericordia, a Deo scilicet cui subjecta est anima mea. Quasi sic dicat: Transiliendo omnia mundana, multa audivi, multa cognovi, inter quæ et hæc duo humano generi necessaria, scilicet ut misericors sit Deus et potens. Et non mirum, quia ascendi etiam usque ac hoc, ut intelligerem, quod *semel locutus est Deus,* id est, genuit ex se Verbum, vel omnia fecit in Verbo antequam fierent, sine initio et sine fine. Quæstio: Quomodo *semel,* si *duo* audivit? Per multos quidem et multa locutus est, sed id totum ab eo qui *semel locutus est,* quia solum genuit verbum. Ad quod iste transilierat, et semel omnia fecit in Verbo antequam fierent. Ante enim fuerunt simul in dispositione consilii, quam in species producerentur. Et quia *hæc duo audivi* et a Deo accepi, nolite ergo contemnere me hæc utilia vobis persuadentem. Aliter in voce capitis: Docet caput nostrum membra sua quomodo mundus iste sit transiliendus, proponens se suis exemplum. Anima primi Adam non fuit subjecta Deo, et ideo a manu peccatoris mota humanitas Christi. Nonne Deo *subjecta* erit *anima mea*? Erit utique, quia *non mihi* veniet *pes superbiæ.* Ab ipso enim, scilicet Verbo mihi unito, salutare meum, non a me homine: a se enim sibi homini damnatio, a Deo autem salvatio. Nam et ipse, scilicet Verbum, et Deus meus creatione prima, *salutaris meus,* id est, meorum creatione secunda, *susceptor meus* de massa perditorum vel de sepulcro, et ideo *non movebor amplius.* Motus sum prius in massa, sed non amplius moriar. Et quia *Deus salvator meus,* ergo *quousque irruitis in hominem,* o Judæi, ad interficiendum? et quasi illi dicant: Nos non quærimus te interficere: Certe, inquit, universi vos interficitis, etsi in gladiis, tamen in linguis vos *irruitis* mihi, qui sum tanquam *paries inclinatus et maceria depulsa* opprimens vos per mortem meam: verumtamen quanquam admonui *pretium meum,* ne in nomine meo omne genu flectatur, ore suo benedicebant, *Viam Dei in veritate doces* (*Matth.* XXII): et corde suo maledicebant, *Non est hic homo a Deo* (*Joan.* IX). Si de falsis Christianis, confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *Deus auxilii.* Non ego mihi ipse auxilium, non ego gloria, sed gloria mea Deus auxilium dans. *Sperate in eo,* habentes me exemplum, *effundite coram illo corda vestra,* evacuate vitiis, ut impleantur virtutibus. *Adjutor* noster, quantum ad massam hoc dicit, secundum illud Apostoli: *Si nosipsos judicaremus non utique judicaremur* (*I Cor.* XI).

PSALMUS LXII.

PSALMUS DAVID, CUM ESSET IN DESERTO IDUMÆÆ.

« Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in « te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. « In terra deserta, invia et inaquosa, sic in sancto « apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam « tuam. Quoniam melior est misericordia tua super « vitas, labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in « vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas. « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et « labiis exsultationis laudabit os meum. Si me« mor fui tui super stratum meum, in matutinis « meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. Et in « velamento alarum tuarum exsultabo, adhæsit anima « mea post te, me suscepit dextera tua. Ipsi vero in « vanum quæsierunt animam meam, introibunt in « inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes « vulpium erunt. Rex vero lætabitur in Deo lauda« buntur omnes qui jurant in eo, qua obstructum « est os loquentium iniqua. »

ENARRATIO.

Idumæa interpretatur *terrena,* et significat vitam humanam. Desertum Idumææ est sæculum præsens, ubi multis et magnis miseriis subjacetur. Quod enim desertum majus, quod periculosius, quam illud, quod dum quis peregrinus ingreditur, non invenit habitatores, et ideo nullam consolationem? Exire non potest, quia viam ignorat. Manere difficile, quia

no... venit [illegible]. A Tale fuit hoc sæculum et adhuc est, quantum ad se quousque Deus misertus nostri, misit Filium suum in hoc desertum, qui et ipse inhabitavit, et suos inhabitare fecit, et viam aperuit qua exeundum esset, et aquam dedit, id est verbum doctrinæ suæ, qua reficeremur, qua cum Deo loquentes, consolationem haberemus. Instruit ergo nos caput nostrum, verus David, in voce sua et membrorum qui in hoc deserto positi agere debeamus. In quo *beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* v), qui sentiet in sitiendo, sentiet in reficiendo. Sitiendi locus hic, non reficiendi; macrescendi, non saginandi.

Deus, scilicet omnium per naturam, *Deus meus* per gratiam, *ad te vigilo*, non ad desertum istud : te [illegible] vigilat, qui [illegible] B dormit. Duæ sunt dormitiones, sicut duæ vigiliæ : una corporis, altera animæ. Dormitio corporis interdum est necessaria, ut per quietem recreetur quo sufficiat motibus semper agentis animæ. Dormitio animæ est, oblivisci Creatoris sui : unde dicitur : [illegible] *te Christus* (*Eph.* v). Vigiliæ animæ est, Deum suum semper in memoria habere, illum sitire, illum desiderare, bona conversione et vita ad illum tendere. De qua vigilia hic dicit, *vigilo*, id est, bona operatione et omni studio cor meum ad te promerendum se extendit. *De luce*, id est, de tua illuminatione ; tu dedisti mihi hanc lucem, id est, hunc intellectum ; juxta Apostolum : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ibid.*). Vel *vigilo*, id est studiosa et assidua operatione sollicitor. *Ad te*, id est, ad C mandata tua exsequenda. De luce ad similitudinem, id est, studiose, sicut boni operarii, qui summo diluculo surgunt ad opus, Cassiodorus : Ipsa repetitio venerandi nominis, affectum piæ deprecationis ostendit, *Deus. Deus meus*. Ideo *ad te vigilo*, quia *sitivit in te anima mea*. Nemo enim ad Deum vigilat, nisi eum prius sitiat. Sitis animæ desiderium est ; *sitivit anima mea in te*, id est, desideravit non ea bona quæ sunt in hoc deserto, sed ea quæ sunt *in te*, scilicet æternam requiem, æternam beatitudinem, quæ nusquam est nisi *in te*. Subjacet enim multis passionibus, cupit, metuit, dolet, gaudet : hinc ira turbat, odium, invidia, et innumera hujusmodi. Et ideo *sitivit anima mea in te multipliciter*, id est, propter multiplicem passionem, multipli- D cem desiderat curationem. Et non solum *anima*, sed et *caro mea sitivit in te*, exspectans resurrectionem, ut anima beatitudinem : sed et illa *quam multipliciter*, id est multo plus quam anima; quia *anima* impassibilis, *caro* autem mortalis et passibilis. Non *caro sitivit*, sed *anima*, considerans multiplicem defectum carnis : quia *vigilat*, et in hoc lassatur ; dormit, et in hoc lassatur ; stat, sedet, comedit, esurit : et in his omnibus lassitudo et satietas, et ideo nulla requies. Et hanc sitim habeo in hac vita ubi sitiendum est : quia est plena indigentiis, scilicet *in terra deserta et invia et inaquosa*. Deserta est [illegible] quia quantum ad se, nullus eam excolit, nullus inhabitat. *Invia* est, quia quantum ad se, nullam habet viam quæ ad vitam ducat, imo plena est multis erroribus. *Inaquosa* est, quantum ad se : quia non habet aquam vivam qua reficitur anima, scilicet spiritualem gratiam vel doctrinam verbi Dei ; sed veniens Filius Dei in hanc desertam terram, coluit eam virtutibus, opere et doctrina per sé et per suos : et viam ostendit qua exiremus, et ad patriam rediremus, scilicet exemplum vitæ suæ nobis proposuit, ut tandem de hac corruptione transiremus ad incorruptionem, sicut ipse mortuus est et resurrexit, et aquam dedit qua hic interim reficeremur, id est doctrinam Verbi sui, præcepta sua, quibus familiariter cum eo loqueremur. *Sic*, id est sitiendo in te, [illegible] *sancto* subaudis desiderio. *apparui tibi*, id est complacui, dignus fui ut me videres : quod non fit nisi per humilitatem. Sicut per superbiam a Deo recedimus, ita in humilitate Deo apparemus, confitendo et infirmitatem nostram, sitim nostram. Ad hoc *apparui, ut viderem*, id est ut me cognoscere faceres *virtutem tuam* ; *virtutem*, quam habeo quod anima mea non recedit a te sitiens, te desiderans : *tuam* esse, non meam. *Et gloriam tuam*, id est immortalitatem et incorruptionem, quam nunc habeo in spe, quandoque habiturus in re : *tuam* esse, non meam : vel omnem meam *virtutem* et omnem *gloriam*, a te esse. *Quid enim habes quod non accepisti* (*I Cor.* IV)? Aliter sic : id est ut prius hic sitiret *anima mea et caro, apparui tibi*, quia novit Dominus qui sunt sui (*II Tim.* II). Vidisti me, *ut viderem* te : ita *apparui*, ut hoc attribuam. Appareamus ergo ei in sanctitate, ut *virtutem* ejus videamus *et gloriam*, id est Christum. *Ut viderem virtutem tuam*, et infirmitatem meam : *et gloriam, tuam* meam autem ignominiam. Et sicut in te gloriandum est, non in me, ideo *tuam virtutem et gloriam tuam. Quoniam melior est misericordia tua super vitas*. Vita illa animæ et corporis, quam mihi dedisti per misericordiam tuam, sine præcedentibus meritis meis, gratis vocando, gratis peccata condonando, gratis justificando, *melior est super vitas* illas omnes, qua suppetunt sibi mortales in diversis studiis. Et quia vita illa sancta quam dedisti mihi per misericordiam tuam, melior est omni vita quam ego mihi possem appetere, *labia mea* (Christus meorum) *laudabunt te*, non me. Exteriora labia non erubescant te confiteri coram hominibus. *Sic*, id est laudando exterius, *benedicam te in vita mea*, id est laudabiliter vivendo multiplicabo laudes tuas, et non solum ego laudabo te verbis et opere, sed ad exemplum aliorum *levabo manus meas*, id est bonam operationem meam aliis proponam ad imitandum. Gregorius : sic fiant opera vestra in aperto, quatenus intentio sit in occulto ; quod sequitur : Et alios *levabo in nomine tuo* glorificando, non meo ; *ut videntes opera vestra bona glorificent Patrem vestrum* (*Matth.* v), hoc petens a te, *sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*. Adeps est

pinguedo illa quæ interiora amplectitur: pinguedo, obesitas et crassitudo circa cutem. *Repleatur* ergo *anima mea*, non caro mea non adipe nec pinguedine, quia vile esset quod peterem. quod etiam brutis animalibus prestas; sed *sicut adipe*, id est, sapientia, qua carens anima, sicca est et macra: et sic *pinguedine repleatur*, id est operatione sanctarum virtutum, per quam operationem foris eniteat sapientia animæ; ut sic saginata, tandem fiam tibi acceptabilis hostia, offerens tibi vitulum labiorum, quod et sequitur: *Et labiis exultationis laudabit os meum.* Modo labia orationis dum sum in terra deserta, sitio. Quandiu enim sitis, durat oratio; sed cum cessabit sitis, cessabit oratio et sequetur laudatio. Omnis fortitudo animæ in his duobus consistit, sapientia et virtute. Aliter: *Labia mea laudabunt te* hoc modo, vel *benedicam te in vita mea:* quod viro et quod tibi adhæreo, tibi attribuam, non mihi, totum misericordiæ tuæ: *et in nomine tuo levabo manus meas*, id est, orabo levatis manibus ad te, imitando illum qui pro me orando extendit manus in cruce. Per *manus*, opera accipimus, quia manibus operamur. Orantes levamus manus, ut si opera ab oratione discrepant, fiant orationi consona. *In nomine tuo*, id est principaliter te petam in levando *manus*; vel, *levabo in nomine tuo:* si bonum facio, in te mihi bonum erit, non in me. Sic, subaudis hæc faciam, hac intentione, hoc desiderio, ut anima mea quæ modo sitit, modo amara est, *repleatur sicut adipe et pinguedine*, id est, virtutum abundantia et æterno gaudio. Et tunc *labiis exsultationis laudabit os meum*, ut supra. Et revera laudabo te, tandem exsultando, quia nunc interim *in matutinis meditabor in te* in studio operum meorum: quia qui studiosi sunt, in matutinis surgunt ad opera. *Meditabor in te*, assiduus ero in illis operibus, in meditatione tui, quia ad honorem tuum faciam omnia. Ideo *in te, quia tu fuisti adjutor meus*, ut perficerem ea. *In matutinis meditabor*, id est in labore. *Si memor fui tui super stratum meum:* a majori, id est, si te quieti præposui. Qui dum quietus est super Christum meditatur: dum ad opus venitur, memor est Christi. Si quietem quam habere potui, propter te interrupi: vel ut in persona capitis dicatur, et tunc repleta *anima mea*, id est meorum, *sicut adipe et pinguedine labiis exsultationis laudabit os meum*, id est meorum. In quo illa laus, ostendit. Laudabunt te *in matutinis*, id est in suis resurrectionibus: quia qnot justi, tot matutini. *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII). Tunc meditabuntur *in te*, id est, omnis eorum cogitatio erit in laude tua, quia jam non erit aliud amplius unde solliciti sint: Amplius enim *non erit neque luctus, neque clamor, neque* ullus *dolor* (*Apoc.* XXI). Ideo te laudabunt, *quia tu fuisti adjutor meus*, id est meorum, ut ad illam beatitudinem pervenirent. Ego tunc laudabo te *in matutinis*, si hic *memor fui tui super stratum meum.* Nemo est qui non sit memor strati sui, scilicet qui non consentiat carni. Sed

A si *memor* est Dei *super stratum*, id est, magis Deum diligit quam carnalia desideria, in matutino suo laudabit eum et tunc exsultabo ego et mei *in velamento alarum tuarum*, id est in protectione tua, vel in dilectione Dei et proximi. Ideo ibi in tua protectione *exsultabo*, quia *adhæsit anima mea*, id est, glutino charitatis firmiter tibi vincta fuit hic: sed tamen *post te*, non ut te vellet præcedere vel tecum ire, ut Petrus, qui dicebat Domino: *Propitius esto, Domine, tibi, et ne facias hoc*: cui a Domino dictum est: *Vade retro, Satanas* (*Matth.* XVI). Quasi dicat: Non te oportet præcedere, sed sequi. Qui dispositione sua in Christo vult vivere, præcedere vult, non sequi: tene autem charitatem sic, ut in omnibus Christum sequaris interim in permistione, ut B suscipiaris postmodum ad dexteram ejus in separatione. Et ut anima mea tibi adhæreret, *me suscepit dextera tua*, id est, propitiatio tua de massa perditorum: vel, si caput, divinitas me hominem suscepit de sepulcro. Vel ego ad dexteram; ipsi autem Idumæi qui me occiderunt, quid? *Introibunt in inferiora terræ*, id est, disponent pro terrenis occidere Christum. Qui enim contra salutem suam quæ sunt terrena sequitur dum inferiorem se terra facit, sub terra est; et quid de illis? amiserunt locum et gentem, quod ut non amitterent, Christum occiderunt (*Joan.* XI). Quomodo dati sunt in gladium Romanorum? quia rejecerunt Agnum Dei, dicentes: *Regem non habemus nisi Cæsarem?* (*Joan.* XIX). Et quid *rex? lætabitur in Domino*; non occidet in eo quod Deus, sed gloriantur. Et quid sui? gloriosi commorant in eo C vivere: confusi autem sunt et dispersi, qui conjurarunt contra eum, dicentes: Oportet unum mori; *ipsi vero* qui non adhæserunt, quibus fuit propositum exemplar bene vivendi, si vellent, *quæsierunt animam meam*, id est, vitam meam, non ad imitandum, sed ad prodendum: sed *in vanum*. Tria fuerunt quibus maxime quæsierunt vitam Domini ad perdendum, sed frustra: ut nomen illius deleretur de terra, ut mundus post eum non abiret, quod ex magna fuit invidia, ut non amitterent locum et gentem. Sed crevit nomen ejus, quia mortuis resurrexit: et crevit fama ejus per totum mundum. Jam mundus post eum abiit, et ipsi amiserunt locum et gentem, et ideo *in vanum quæsierunt animam meam.* Ideo quærent animam meam ad perdendum, quia D pluris facient terrena quam se, scilicet *introibunt in inferiora terræ.* Ille intrat terram, qui terræ, id est, carni suæ, consentit. Ille autem intrat *in inferiora terræ*, qui quæ infra sunt pluris facit quam se. Et quia quæsierunt perdere animam meam, *tradentur in manus gladii*, id est, in potestatem gladiatorum Titi et Vespasiani. Et *erunt partes vulpium*, id est, præda Romanorum principum; qui principes vulpes dicuntur propter dolositatem. Vulpes inter alias bestias animal est omnino subdolum, quod et fraudibus cibum quærit, et salutem suam callida illusione custodit. His merito callidi homines comparantur, qui simulata versutia iniquitates suas effi-

cere moliuntur. Quod bene ad Herodem refertur, A de quo Dominus dixit : *Ite et dicite vulpi illi, non* apprehendat *prophetam extra Jerusalem* (*Luc.* XIII). Et in Canticis canticorum : *Capite nobis vulpes quæ demoliuntur vineas* (*Cant.* II). Vel *partes vulpium* fuerunt Judæi,quando dixerunt : *Regem non habemus nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Tunc enim vulpem sibi regem elegerunt.Vel introierunt Judæi *in inferiora terræ*, id est, absconderunt se in foraminibus terræ ad tuendam temporalem vitam,quando ut Christum occiderent præposuerunt terrena, dicentes. Ne forte veniant *Romani, et* tollant *nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Et in hoc fuerunt *partes vulpium*, id est dolosi ut vulpes, quæ in cavernis terræ se abscondunt : vel *partes vulpium* prophetia de Josepho et aliis principibus Judæorum, qui post B incendium civitatis et interfectionem suorum extracti sunt de cavernis terræ in quibus latebant. *Rex vero* Christus, quem ipsi interfecerunt, constitutus Rex in eo quod occisus, *lætabitur in Deo*, id est, in vita data a Deo. Et non solum *rex*, sed laudabunt *omnes qui jurant in eo* : causa pro effectu,id est, vivent in æternum, ut Christus caput eorum, prius laudabiliter viventes omnes qui firmiter eis vitam suam promittunt. Ideo isti laudabunt, *quia obstructum est os loquentium iniqua* : locuti sunt Judæi iniqua,quando Creatorem suum spreverunt, et vulpem regem elegerunt : quando dixerunt, *Regem non habemus nisi Cæsarem.* Vulpes in agnum valuerunt,sed victi sunt a leone. *Ecce* resurrexit, *vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V) : et sic clausum est os dicentium.*Reus est mortis* (*Matth.* XXVI).Quia et rex resur- C rexit:et mundus jam post eum abiit. Vel sic, revera *rex lætabitur*,quod omnibus erit patentissimum,quia *obstructum est os loquentium iniqua*. Non habent quod dicant qui dixerunt.*Regem non habemus nisi Cæsarem.* Majus est quod dicit *rex*,quam si diceret:Ego rex, quia ille solus absolute rex autonomastice dicitur.

PSALMUS LXIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor; a timore inimici eripe animam meam. Protexisti me a conventu malignantium,a multitudine operantium iniquitatem. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram,ut sagittent in occultis immaculatam.Subito sagittabunt eum, et non timebunt : firmaverunt D sibi sermonem nequam. Narraverunt ut absconderent laqueos ; dixerunt, Quis videbit eos? Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo ad cor altum,et exaltabitur Deus. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum,et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Conturbati sunt omnes qui videbant eos,et timuit omnis homo.Et annuntiaverunt opera Dei,et facta ejus intellexerunt.Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo,et laudabuntur omnes recti corde. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo Christus caput nostrum proponit nobis tolerantiam passionis suæ, et gloriam resurrectionis,ut exemplo illius non terreantur sancti martyres membra sua : nec deficiant in tribulatione, sed fortiter certent, ut post certamen perveniant ad clarificationem : quia ubi caput, illic et membra sequentur.

Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor.Deus Pater *exaudi orationem* quia sanguis meus fusus in ara crucis orat pro membris meis. Amoris hæc vis est, ut his quos amamus, etiamsi absentes sint, hæreamus,dum affectum insitum nequaquam aut locus divellit, aut tempus. *Cum deprecor*, non ut non occidantur, sed ut occisi non superentur. Scilicet *a timore inimici eripe animam meam*,id est, animam meorum eripe a timore inimici, et subde timori tuo : liberi ab illorum timore, subdantur servituti tuæ.Multi enim martyrum Christi occisi sunt, sed non superati : quia in fide et testimonio Christi perstiterunt : alii mortui absorpti,alii vivi absorpti. Illi mortui sunt absorpti qui increduli conculcant sanguinem justi : illi autem vivi absorpti qui in Christum credentes, in tribulatione defecerunt, translati in corpus inimicorum. Illi, quia mortui erant, absorpti : isti, quia absorpti, mortui. Ergo a timore inimici eripe animam meam qui jubes : *Nolite timere eos qui occidunt corpus* (*Matth.* X). Et revera eripies animam meorum a timore inimici,quia *me* caput eorum *protexisti a conventu malignantium.* Hoc quasi certum pignus inde habeo, quia collegerunt pontifices Judæorum et Pharisæi concilium, dicentes : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (*Joan.* XI). Magna invidia.Cogitaverunt ergo ut interficerent eum ; sed frustra,quia resurrexit : et mundus post eum abiit.*A multitudine operantium iniquitatem,* scilicet illam maximam : visis tot tantisque miraculis, quod cæcos eorum illuminavit, leprosos mundavit, infirmos curavit,mortuos resuscitavit,increduli eum occiderunt : hæc est illa iniquitas, *Quia* et si non interfecerunt gladio, *exacuerunt ut gladium linguas suas.* Quod alii gladio, hoc illi fecerunt lingua. Hoc fuit maximum acumen Judæorum, cum dicerent : *Nobis non licet occidere quemquam* (*Joan.* XVIII). Quasi dicerent: Occidamus, et non occidamus. Sic occidamus, ut non ipsi occidisse judicemur. Magna stultitia : non licet occidere, et licet occidendum tradere.Hinc illud solvi potest,quod unus evangelista Dominum crucifixum hora tertia alter dicit hora sexta. Cum enim Judæi clamarent, *Crucifige, crucifige*, hora tertia : quod apparitores potestatis fecerunt manibus hora sexta, hoc trangressores legis fecerunt lingua hora tertia (*Matth.* XV ; *Luc.* XXIII ; *Joan.* XVI). *Intenderunt arcum*, id est, insidias paraverunt, dicentes : Sic occidamus,ut non occidisse videamur. Simulaverunt æquitatem : sed simulata æquitas duplex est iniquitas. Et in hoc simulaverunt æquitatem, quando dixerunt : *Non licet eos mittere in corbonam,quia pretium sanguinis est* (*Matth.* XXVII). Quanta vesania, non licet pretium sanguinis ponere in arcam, et licet ipsum san-

guinem ponere inconscientiam? *Intenderunt arcum*, insidias paraverunt: et intenderunt *rem amaram*, hanc scilicet: subverterunt pecunia discipulum collegam Christi, ut per eum traderetur. Ad hoc intenderunt arcum *ut sagittent*, id est, occidant *in occultis* id est, latenter eum quem nihil latet, *immaculatum*, illum scilicet qui maculas peccatorum auferre venerat. *Subito sagittabunt eum*, id est incaute et inconsiderate, attendentes hominem, et non attendentes Deum. *Et non timebunt.* Durum cor, quod non timuit judicem illum injuste damnare, quem nullus judicum potest fallere. Durum cor, quod non timuit illum ligatum tradere, qui venerat mundum a peccatis solvere. Durum cor, quod non timuit illum occidere, qui venerat mundum a morte liberare. Timuit potestas, quia Pilatus verberatum eum illis tradidit, non inveniens in eum causam mortis, non ut eum damnaret, sed ut eorum crudelitati satisfaceret. Timuit potestas et non contremiscit Judæorum immanitas: lavit manus potestas, et ipsi sanguine polluerunt conscientias. Revera non timuerunt, quia *firmaverunt sibi sermonem nequam.* Hic fuit ille nequam sermo, *Reus est mortis* (*Matth.* XXVI). Quod firmaverunt quando dixerunt, *Crucifige, crucifige*; et potestas: *Regem vestrum crucifigam*? Et illi, *Regem non habemus nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). et tertio confirmaverunt, quando potestas dixit: *Nullam invenio in eum causam*: et illi: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII). Sed *sibi firmaverunt*, id est, ad suam damnationem, non Dei: ipse mortem occidit, illi occisi sunt quia in se iniquitatem occidere noluerunt. In Domino mors occisa est, in illis iniquitas vixit, in qua mortui sunt. Aut enim tu occidis iniquitatem, aut ipsa te. Si vis eam occidere, noli hostem quærere extra te, intus eum habes. Duæ enim sunt partes animæ: una quæ adhæret carnalitati, illa vocatur spiritalis, ista sensualis (*a*). Hæc est Eva nostra, quæ adhuc extendit manum ad illicita, et ad peccatum nos trahit, si non sit subjugata viro suo, id est, spiritali patri, qui et caput ejus est, quia *caput mulieris vir* (*I Cor.* XI). *Narraverunt ut absconderent laqueos*, id est, inierunt consilium quomodo occulte quantum ad se eum occiderent, vel in sermone caperent, juxta illud: *Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio* (*Joan.* VIII). Et illud: *Licet censum dare Cæsari annon*? (*Matt.* XXII.) *Dixerunt*, non in voce, sed in corde: *Quis videbit eos*? Sed hoc dicebant, hoc machinati sunt in eum quem nihil latet. O Judæe, dicis, quis videbit? sed videt qui facit te. Qui enim fecit hominem, scit quid est in homine, et non opus est ut quis ei testimonium perhibeat de homine: hi sunt illi laque. *Scrutati sunt*, id est, diligenter investigaverunt iniqua consilia, quibus viderentur eum juste damnasse: hæc *scrutati sunt*. Tradatur non

A per nos, sed per discipulum occidatur, sed a judice; totum faciamus et nil fecisse videamur: sed *defecerunt scrutantes* scrutinia, id est acuta consilia, ideo *defecerunt*, quia simulata innocentia hæc erat. Subdebant enim, *Crucifige*. Anima enim avertens se a luce justitiæ, quanto magis quærit quid inveniat contra justitiam, tanto plus a luce repellitur, et in tenebrosa demergitur. Merito ergo isti recedentes a justitia defecerunt. Ideo *defecerunt*, quia *accedet homo*, id est, sponte sua humanitas mea accedet *ad cor altum*, id est, ad eorum profunda consilia, et in homine Deus. *Et exaltabitur Deus*, illuc ascendet exaltatus, unde non descendit humiliatus: vel *accedet homo*, id est humanitas: *ad cor altum*, id est, ad inscrutabile B consilium Dei, quia noluit videri, ut non cognosceretur; non cognosci, ut contemneretur; contemni, ut crucifigeretur: vel ideo *defecerunt*, quia ad eorum consilia *accedet homo*. Non enim teneretur nisi homo et non solum homo, quia et *cor altum*, id est Deus: *Ego enim et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Occidit homo et exaltatur Deus: non apud homines, qui in homine humiliatus est, in homine quoque exaltato est exaltatus. *Accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*: ille idem qui verus homo comprobatus et esse in passione, verus Deus apparuit in resurrectione. Ideo *Deus exaltabitur*, id est, potentia divina manifestabitur, quia *sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Omnia eis in contrarium versa sunt; plagæ eorum comparabiles sunt saC gittis parvulorum, quia inefficaces et invalidæ fuerunt: vel in caput eorum revertentes, sicut sagittæ parvulorum incaute in altum jactæ. Ideo *sagittæ parvulorum*, quia *infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*, id est, verba quæ ipsi putaverunt commoda ad causam suam, contra causam suam fuerunt: quia ad eam confirmandam maxime valuerunt. Surrexit enim Christus: corrupti sunt vigiles, quia eadem avaritia quæ captivavit discipulum comitem Christi, captivavit militem custodem sepulcri. *Dicite: Dormientibus nobis discipuli eum* tulerunt (*Matth.* XXVIII): infirmum hoc fuit: quid enim? Si dormiebant, quomodo Judæi testes? Testis enim non est confirmare, nisi quod vidit, vel audivit. Si autem non dormieD runt, cur non prohibuerunt? Hos illos dicere constituerunt, unde magis teneantur: vel unde se sua magis confirmare putaverunt, inde magis infirmaverunt. Amiserunt enim et locum et gentem. Infirmatis linguis eorum, *conturbati sunt omnes qui videbant* id est, cum timore suam salutem operati sunt illi *qui videbant*, id est, intelligebant *eos* infirmatos et inefficaces, vel apostoli et cæteri discipuli qui intelligebant eos male agere, contristati sunt. *Et omnis homo*, id est, ratione vigens, *timuit* eorum consortium, vel timuit illis. Et conversi vel discipuli post

(*a*) Deest aliquid.

A timorem *annuntuaverunt opera Dei,* quæ Deus Pater operatus est per Filium ad reparationem generis humani. *Et facta ejus,* id est, hæc *intellexerunt*. quia decebat eum qui multos filios adducturus erat in gloriam Patris, auctorem salutis eorum, per passionem consummari(*Hebr*.II), juxta illud, *Oportebat pati Christum* (*Luc*. XXIV). Portavit in cruce insultantes, in sepulcro vigiles. Cur ? Moriendum erat propter morituros, et resurgendum propter resurrecturos. Hæc prius intellecta non sunt : *Lætabitur justus in Domino,* qui justus erat in morte Domini sicut apostoli et alii multi lætabuntur in ejus resurrectione. *Et speravit in eo,* non in se, non in mundo, sed in illo sperabit resurgere, qui mortuus est et resurrexit : et non solum justus qui eum vidit sperabit resurgere : sed *laudabuntur*, id est, laudabiliter vivent ut et ipsi possint sperare, *omnes recti corde* : illi regunt suum cor, quibus Dei dispositio et voluntas in omnibus placet, non sua. Aliter : Postquam facta Dei intellexerunt eo resurgente, qui prius non intellexerunt eo moriente dixerunt : *Quid faciemus viri fratres* ? Et illi, *Pœnitentiam agite* (*Act*.II), accedentes ad unitatem fidei: et qui tunc fuerunt, et qui nunc sunt, facti unus ex fide *; lætabitur in Domino* id est, in resurrectione Domini, sperans et ipse in eo resurgere. *Et sperabit in eo,* quia apertum jam cur voluit mori et resurgere et sic *laudabuntur* tandem, *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth*. XXV), *omnes recti corde*: cum illi damnabuntur qui sunt distorti corde quibus placet suum consilium et displicet consilium Dei.

PSALMUS LXIV.

IN FINEM PSALMUS CANTICI DAVID CANTICUM JEREMIÆ ET EZECHIELIS DE POPULO TRANSMIGRATIONIS, CUM INCIPERENT PROFICISCI.

« Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem. Exaudi orationem meam « ad te omnis caro veniet. Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu « propitiaberis. Beatus quem elegisti et assumpsisti, « inhabitabit in atriis tuis. Replebimur bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in « æquitate. Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes « omnium finium terræ et in mari longe. Præparans « montes in virtute tua, accinctus potentia, qui « conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus. « Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis : exitus matutini, et vespere « delectabis. Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum « est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est « præparatio ejus. Rivos ejus inebria, multiplica « genimina ejus, in stillicidiis ejus lætabitur germinans. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, « et campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent « speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur. « Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt « frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent. »

ENARRATIO.

Res gesta memoratur in titulo. Notum est quomodo populus Dei, Israel scilicet ductus est captivus in Babylonem (*IV Reg*. XXV). Et cum essent illi captivi, Jeremias, qui erat de eodem populo, prædixit illis reditum in Jerusalem post septuaginta annos, et restaurationem templi(*Jer*.XXV, XXIX). Aggæus autem in reditu, sua auctoritate et consilio adjuvit templum reædificare (*Agg*, I, II). *Hæc autem in figura contingebant illis* (I *Cor*. X), ideo nostram in his attendamus peregrinationem. Duæ illæ civitates umbra fuerunt duarum civitatum, quæ in hac vita simul mistæ sunt. Babylonia civitas fuit in ultimis finibus Persidis opulentissima et potentissima. Jerusalem civitas fuit in partibus Syriæ, quam Jebusei ædificaverunt,
B et appellata est Jebus : illa destructa, ædificata est Jerusalem. Sicut Babylonia major et potentior fuit, ita et nunc major est numerus infidelium: quia *multi vocati, pauci vero electi* (*Matth*. XX) *:* et sicut illa afflixit populum Israeliticum, ita infidelis populus nunc affligit populum Dei ; quia nunc misti sunt, quandoque autem separandi : sed et nunc separati sunt, etsi non corpore, affectione tamen ; quia duo amores faciunt has duas civitates, amor Dei et amor sæculi. Interroget ergo quisque conscientiam suam, et videat quem amet. Si amat mundum, civis est Babyloniæ. Exstirpet ergo cupiditatem, et plantet in se charitatem, ut de populo Babyloniæ transeat in populum Dei, quia de illo populo colligitur iste : prior enim ille est tempore, iste prior dignitate :
C prius animale, deinde spirituale. Si autem amat Deum, civem cœlestis Jerusalem se cognoscit, peregrinum se hic esse intelligit. Toleret ergo captivitatem, et sic speret reditum in patriam suam. Hanc reversionem prædicit nobis Jeremias qui interpretatur *excelsus*, scilicet Ecclesiæ doctores, mente ad superna erecti, terrena despicientes, docent nos exire mundum non passibus corporis, sed passibus animæ, id est, amorem a mundi confusione subtrahere, quia Babylonia interpretatur *confusio :* et ad visionem pacis suspirare, quia Jerusalem *visio pacis* interpretatur, et sic incipiamus proficisci : quia mundi omnia paulatim deserere et cœlestia amare, hoc est incipere exire de captivitate : et credendo incipiamus templum Dei reædificare, id est nosipsos. *Templum Dei* vivi *estis* vos (I *Cor*. III). Hoc tem-
D plum modo ædificatur, cum incipimus proficisci : et quandoque perficietur, cum pervenerimus, cum mortale hoc induet immortalitatem (I *Cor*. XV). Per Aggeum qui interpretatur *festivus,* Christum intelligimus verum sacerdotem, in quo vere sabbatizamus: in quo verum festum facimus, vacantes a vitiis: qui nos juvat in redeundo, qui facit nos vivos lapides, aptos in ædificium illius templi, in se angulari lapide utrumque populum unum faciens. Hæc captivitas incepit in Adam et in Christo quodam modo finita est : *spe enim salvi facti sumus* (*Rom*. VIII), et tandem finietur, cum mortale hoc induet immortalitatem Reditus filiorum Israel post septuaginta annos, signi-

ficat hanc nostram peregrinationem finiendam transacto hoc sæculo volubili, quod volvitur in septenario, id est, numero septem dierum : vel hoc modo septenario, quia in septenario accipitur vita cujusque unius diei, in qua operari concessum est. Septimum est illud spatium temporis, in quo post hujus vitæ transitum exspectatur resurrectio ; octavum, ipsa resurrectio : vel quia septenarius constat ex ternario et quaternario, in quaternario accipimus carnalem generationem ; quia corpus quatuor elementis constat, scilicet illos qui carnaliter vixerunt ante adventum Domini. Per ternarium accipimus spiritales, qui fuerunt post adventum Domini propter triplicem animæ potestatem quia est rationabilis, irascibilis et concupiscibilis, quibus adduntur duo, doctrina et virtus. Transacto ergo hoc septenario, id est, completo numero fidelium, qui de utraque generatione est assumendus, finietur ista captivitas. Tituli constructio : Verba hujus psalmi referuntur *in finem*, scilicet temporum, scilicet intelligenda fieri postquam venit plenitudo temporum. *Psalmus David*, id est, bona operatio cujusque fidelis. Unus fuit David, sed non semper unus intelligitur : quæ operatio est *canticum*, id est, exsultatio de verbo peregrinationis, id est, de cognitione peregrinationis, quæ cognitio fit *cum* incipiunt *proficisci*, vel quod *canticum* fit *cum* incipiunt *proficisci*. Vox est ergo in hoc psalmo omnium fidelium, attendentium quod quandiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. De qua peregrinatione jam exit, qui radice charitatis in cœlestibus jam fixit cor suum, et sic hymnizat Deo :

Te decet hymnus, Deus, te decet laus vera cordis et operis, non Jovem, non Apollonem, non sæculum istud : tibi soli decenter hymnitur, non in Babylonia, sed *in Sion*, id est, in populo illo qui speculator est, id est, qui hic se non habere manentem civitatem (*Hebr.* XIII) attendit, sed futuram inquirit, a longe eam salutans. Duæ civitates sunt : una confusionis, altera divinæ visionis. Qui inter cives confusionis, adhuc peregrinaris suspira ad patriam tuam, canta ex re, non solum voce. *Te decet hymnus, Deus, in Sion*, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV), ideo *in Sion*, et non in Babylonia. *Et tibi reddetur votum in Jerusalem.* Si innovaris, jam non in Babylonia cantas : vota reddis, si in finem perseveras. Hic vovendum, ibi reddendum, ubi erit vera pax, verum gaudium. Si quis bene cogitat quid voveat Deo, voveat et reddat seipsum, et ut me innovatum tibi tandem offeram in Jerusalem *exaudi orationem meam*, factam pro perseverantia ut illuc perveniam, non detinear captivus in Babylonia : ideo *exaudi*, ut perveniam : quia *ad te*, in quo est visio pacis, *omnis caro veniet*, id est, de omni genere hominum, sive masculus sive femina, sive liber, sive servus, dives vel pauper, veniet ad te et hic resurrectione prima, et postmodum resurrectione secunda, quia *rapiemur obviam Christo in aera*

A (*II Thess.* IV) : vel ideo tu *exaudi*, quia ad te convertetur omnis homo, quia tu solus Redemptor : vel quia dixit *in Sion* et in Jerusalem, ne videatur solummodo de Judaico populo dictum, determinat quos velit accipere : vel si in persona Judæorum, notus in Judæa tantum premitur, per hoc captivamur a gentibus ; sed futurum est quando ad notitiam *veniet omnis caro* per Verbum caro factum. *In te benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XII) : vel acturi sunt ante tribunal tuum tam boni quam mali. Et opus est ut exaudias, quia *verba iniquorum prævaluerunt super nos :* verba serpentis et Evæ nimis iniqua, *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Nimis dominati sunt nobis, quia captivaverunt, quia ejecerunt nos
B de paradiso : vel quia quisque in qua patria natus est illius et linguam et mores discit, dicit iste jam de Babylonia in qua natus est, redire cupiens in Jerusalem : Vere mendacium coluerunt patres nostri (*Jer.* XVI), prava nos docuerunt, scilicet dimittere Creatorem, qui nos fecit, et adorare ea quæ fecimus : dimittere Creatorem et adorare creaturam, vel dogmata philosorum et fatuitas gentilium : *prævaluerunt* dico, sed non demerserunt ; quia *iniquitatibus nostris tu propitiaberis :* loquitur ad Christum quasi ad pontificem. Propitiatio est miseratio exhibita post sacrificium : ita et Christus volens propitiari populo suo, factus est sacerdos, orans ad Patrem elevatis in cruce manibus : ut possis dicere, *Diri-*
C *gatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Ps.* CXL). Hostiam obtulit, quia in ara crucis se ipsum immolavit, ipse pontifex, ipse hostia : ipse propitiator, ipse propitiatio : et quibus tu propitiaberis, beati erunt ; sed quia unitatem elegit non multiplicitatem, non hæreticos, non schismaticos, ideo convenienter dicit : *Beatus quem elegisti* per gratiam, *et assumpsisti* per æquitatis regulam : quia quos vocas per gratiam, illos postea assumis per justitiam : vel quem tu, Pater, elegisti vocando, et assumpsisti de massa perditorum per Verbum tuum. Et revera *beatus*, quia *inhabitabit in atriis tuis*, id est, non dimovebitur ullis adversitatibus ab hac temporali Ecclesia ; qui inhabitabit in atrio, non excludetur a palatio. *Inhabitabit* ideo dicit, quia multi
D habitant hanc temporalem Ecclesiam, sed non inhabitant ; quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Atrium est habilis locus ante domum, ita et in ornamento virtutum hæc temporalis Ecclesia præcedit illam quæ mansura est in æternum. *Inhabitabit in atriis tuis*, id est, perseverabit in hac temporali Ecclesia, et tandem *replebimur in bonis domus tuæ*, ut intelligamus in illo beato multos : ideo dicit *replebimur*, quia etsi sit in charitate unitas, in personis tamen est distinctio : prius pleni sumus *bonis domus* Dei, id est, angelicis virtutibus, sed illa bona evacuavimus : sed tandem *replebimur* in illis bonis,

quibus plena est *domus* tua, id est, angelica creatura quam inhabitas : vel illis *bonis*, quibus *plena* est *domus* tua, id est, Christus scilicet immortalitate et impassibilitate, vel virtutibus Christi tui : vel in illis *bonis*, quibus illi sunt pleni in quibus habitas. Et ne quis bona ista putet aurum, argentum, vestes pretiosas, quibus domus mortalium ornantur, subjungit : *Sanctum est templum tuum*, id est, qui sunt domus tua, sunt templum tuum : quod templum *mirabile* est, id est desiderabile et amabile non in divitiis, scilicet non in auro, non in argento, sed *in æquitate*, id est justitia. Si enim æquitas in illis mirabilis non esset, multi sancti pannosi, senes decrepiti, despicabiles viderentur, qui tamen propter æquitatis decorem in honore habentur. Vel *replebimur in bonis domus tuæ*, id est Ecclesiæ, quæ diversis munerum spiritualium excubat bonis, si præsentia bona volumus accipere *Sanctum est templum tuum*. Si Christum accipimus, *sanctum est templum in* quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis* (*Col.* II), ut domus sit Ecclesia, templum Christus. Et ut illis bonis repleamur, vel quia *beatus est quem tu assumpsisti, exaudi nos, Deus salutaris noster* : *mitte quem missurus es* (*Exod.* IV), salutaris noster, assumendo naturam nostram. Tu *exaudi*, qui es *spes* non solum Judææ, sed *omnium finium terræ*, id est, in quo omnes gentes *omnium finium terræ*, id est, qui habitant in finibus gentium, id est, in insulis marinis : ad illos enim usque pervenit notitia tua. Vel *omnium finium terræ*, id est, gentilium, ambientium nos cultam terram. Vel *omnium finium terræ*, id est, omnium illorum qui se a terrenis contraxerunt, non corpore, sed affectione. *Et* spes *in mari longe*, id est, etiam illi in te sperabunt qui sunt *mare*, id est amari, et in profundo hujus sæculi versantes, et ideo *longe* a te : vel *in mari*, expositivum est illius, *omnium finium terræ* : ut dicat non solum *finium terræ*, id est, *in mari*, scilicet in insulis, sed etiam in longo mari : id est, in remotis insulis. Quomodo spes gentium futurus sit ostendit, scilicet mittendo doctores suos usque ad fines terræ, qui eum ducent in notitiam omnium gentium. Hoc modo factus est *Deus spes omnium finium terræ* : *Præparans montes*, id est, apostolos prius a te illuminatos, deinde alios transfundentes lumen tuum : *in virtute tua*, non sua : quia in se infirmi, in te fortes : infirma mundi elegit Deus ut confunderet fortia (*I Cor.* I) : tua dico, *accinctus potentia*, id est, illis potentibus ministris. Aliter : *Præparans montes in virtute tua*, id est, in Christo eminuit *virtus tua*, qui Christus erat *accinctus potentia*, id est, potenti carne immuni a peccato, *qui* per illos montes virtutibus et miraculis *conturbas profundum maris* ab bonum, etiam profunda corda impiorum amaricantium profunditate peccatorum et secundum hanc sententiam qui conturbas *sonum fluctuum ejus*, id est, timere facis contradicentes et persequentes. Vel *conturbas profundum maris*, id est diabolum : *sonum fluctuum ejus*, id est, vatum et philosophorum murmura et inconditos fremitus. Inde *turbabuntur*, quia videbunt sanctos suos et vates

A impotentes et multos : vel *sonum fluctuum ejus*, id est visiones principum. Et quia hæc videbunt in majoribus, *turbabuntur gentes*, id est minores. *Et timebunt qui habitant terminos*, id est, qui neque carnales sunt, nec omnino justi : vel in malum : Qui *conturbas* per illos montes *profundum maris*, id est, profunda corda impiorum, ut commoveantur contra montes. Revera conturbata erunt, nam *sonum fluctuum ejus*, subaudis quis per se sustinebit, ubi magnum quid incurrit? Solet defectio verborum fieri. *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum insurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent* (*Ps.* CXXIII). *Sonum fluctuum*, id est, minas et terrores persecutorum ejus maris. Exponit quid per mare velit intelligi. *Turbantur gentes* : sed quæ cura? Tandem
B timebunt non solum alii viciniores, sed etiam illi *qui habitant terminos* terræ, id est remotissimi : vel *timebunt* prius, qui post timorem se inhabitando facient terminos. *Timebunt* dico, *a signis*, id est miraculis, non montium, sed *tuis*, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Quid inde quod timebunt et credent? *Exitus matutini et* exitus *vespere delectabis*, id est, facies eos exire prosperitatem, quæ significatur per matutinum ; et adversitatem, quæ significatur per vesperam : ut neque extollantur prosperitate, nec frangantur adversitate. Si non delectat te exitus, non laborabis exire. Quid lucreris et ipse damneris? Ecce verbum Domini quod te delectet, quo traheris ad non consentiendum ei, qui tibi aliquid promittit ut justitiam deseras, ut fraudem facias, mane tibi est : quod tibi lucrum
C blanditur, et laqueus est : habes qua exeas, qua evadas : recurre ad verbum Dei. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI). Quod si minus tecum agitur ut committas aliquid, vespere tibi est, quod turbaris, quod quasi irruente nocte gravaris, sed habes et hic qua evadas, verbum Dei. *Nolite*, inquit, *timere eos qui occidunt corpus* (*Matth.* X), et sic delectabit te *exitus matutini et* exitus *vespere*, quia utrumque contemnere faciet : hoc modo delectabis : *Visitasti terram* qui prius erant mane, factos ad terram, aptos ad cultum : visitabis justificando, et præparando corda eorum ad sulcationem verbi tui. *Et inebriasti eam ; multiplicasti locupletare eam*, id est, spirituali gratia et multiplicibus donis ditasti. Per
D quos autem ministros visitabit? *Flumen Dei repletum est aquis*. Quasi dicat : Aranda est terra illa, et prius irriganda : sed prius *flumen Dei*, id est primitiva Ecclesia Judæorum, a qua rivi emanaverunt, totam terram irrigantes. Illud *flumen repletum est aquis*, id est, spiritualibus donis et prædicatione veritatis, et sic terra illa irrigavit, et per illud flumen irrigando terram, *parasti cibum illorum*, scilicet panem vitæ et intellectus illis dedisti : qui prius fuerant mare, nunc sunt facti culta terra. Cibus iste non dentibus manditur, sed animi aviditate devoratur, de quo dictum est : *Panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII). Tu *parasti*, *quoniam ita est præparatio ejus*, scilicet, cibi per gratiam, non per

A meritum. Et qhia ex te habent totum, o Domine, ut flumen illud repleatur aquis, tu *inebria rivos ejus*, id est apostolos, ex quibus ipsum flumen magis et magis augeatur, et per illos *rivos* inebria *genimina ejus*, id est, *multiplica* successores in eodem populo, et sic postea gentilis populus *germinans in stillicidiis* ejusdem fluminis, id est, in levioribus doctrinis; juxta illud : *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). *Lætabitur*, id est, cum lætitia succedet Ecclesiæ de Judæis. Aliter : *Multiplicasti locupletare eam*, id est, multiplicibus donis ditare disposuisti illam terram. Quasi aliquis dicat : Et unde illa multiplicia dona? *Flumen Dei*, id est, Spiritus sanctus a Patre et Filio emanans, *repletus*, id est, multipliciter *est* plenus *aquis*, id est, spiritualibus donis, non ab alio, sed a se plenus. Et tu, B Deus, per illud flumen mittendo Spiritum et inebriando corda, *parasti cibum illorum* qui facti sunt terra tua, dando dona singulis convenientia pro modo cujusque. Tu hoc facis : *quoniam ita est præparatio ejus* terræ : nisi a te, parari non posset. *Rivos ejus inebria*, quod alibi sulcos, id est, corda illius terræ vomere prædicationis proscissa repleas gratiarum ejusdem fluminis. Et *multiplica genimina ejus*, id est, multiplica in Christo generatos ubique terrarum. Et tunc *germinans*, id est, rudis ad fidem accedens, *lætabitur in stillicidiis ejus* fluminis, videns mundum jam plenum credentibus ex omni parte. Et hoc modo reparando, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Annus benignitatis, tempus reparationis. *Anni* fuerunt, anni sterilitatis. *Coronæ anni*, gloriosi victores, triumphantes cum Christo de diabolo. Illi C *coronæ*, id est, illis victoribus, qui erunt in anno *benignitatis*, id est, tempore reparationis. *Benedices*, id est, multiplicare facies numerum fidelium tuorum. *Et campi tui*, id est, qui corona, id est, humilis populus, quem tu tuum fecisti per gratiam, *replebuntur ubertate*, abundantia virtutum. Per hos accipimus Judæos jam humiliatos. *Pinguescent* etiam *speciosa deserti*, id est gentiles, qui prius erant inculti, facti speciosi timore verbi Dei, exstirpatis inde sentibus vitiorum, *pinguescent* virtutibus et adipe bonorum operum. *Et colles* tui, id est, eminentes inter alios, scilicet eorum doctores, *exsultatione accingentur*, id est, undique stipabuntur exsultanti turba fidelium. Exponit quod dixit : *Colles exsultatione accingentur. Induti sunt*, subaudis multo D vellere, *arietes ovium*, id est, prædicatores, duces gregum Christi, undique erunt fidelium multitudine velut lana cooperti. *Et valles abundabunt frumento*, id est, virtutibus et bonis operibus, *frumento abundabunt* non hordeo quod foris tegitur, et intus latet, id est, opera bona in aperto facient, ut videntes alii glorificent Dominum eorum. Et tunc omnes *colles et campi clamabunt*, et hoc probat. *Etenim hymnum dicent*, id est, corde et opere Deum laudabunt. Aliter : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Hucusque dixit populum Dei rediturum de Babylonia in Sion : dehinc de remuneratione quam recepturi sunt, qui in captivitate detenti non sunt : o Domine, quia tu propitiaberis hic iniquitatibus nostris, *benedices*, incrementum dabis, *coronæ*, multitudini fidelium te ambientium : vel victoribus qui hic inter mundanas illecebras victores exstiterunt : *coronæ* dico *anni benignitatis tuæ*, id est, tibi præparatæ in tempore plenitudinis, cum benignitatem tuam humano generi exhibuisti. *Et campi tui*, Judæi culti vomere verbi tui, omnimoda *ubertate replebuntur*, cum Deus erit omnia in omnibus. *Pinguescent speciosa deserti*, id est, qui de gentili populo facti erunt speciosi, id est fideles prius sine humore verbi Dei, omni lætitia replebuntur : et tunc *colles*, id est, prælati in utroque populo *exsultatione accingentur*, id est, magna lætitia, portantes manipulos suos. Inde exsultabunt, quod non frustra laboraverunt. *Induti sunt*, subaudis exsultatione, *cum mortale hoc* induet *immortalitatem* (*I Cor.* XV). *Arietes ovium*, id est, duces gregum Christi; *et valles*, id est, eorum subjecti, *abundabunt frumento*, id est, pane angelorum. Et cum viderint illum quem diu esurierunt, facie ad faciem, tunc *clamabunt*. Quid clamabunt, subjungit : *Etenim hymnum dicent*, id est, votum reddent in Jerusalem. *Beati qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII).

PSALMUS LXV.

IN FINEM CANTICUM PSALMI RESURRECTIONIS.

« Jubilate Deo, omnis terra; psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. Dicite Deo : « Quam terribilia sunt opera tua, Domine : in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. « Omnis terra adoret te, et psallat tibi, psalmum « dicat nomini tuo. Venite et videte opera Dei ; « terribilis in conciliis super filios hominum. Qui « convertit mare in aridam : in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso. Qui dominatur « in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes « respiciunt : qui exasperant, non exaltentur in « semetipsis. Benedicite, gentes, Deum nostrum, et « auditam facite vocem laudis ejus. Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos. Quoniam probasti nos, Deus, « igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. « Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes « in dorso nostro, imposuisti homines super capita « nostra. Transivimus per ignem et aquam, et « eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum « tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea quæ « distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum « in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram « tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum « hircis. Venite et audite, et narrabo, omnes qui « timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum « ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea. « Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet « Dominus. Propterea exaudivit Deus et attendit « voci deprecationis meæ. Benedictus Deus, qui non « amovit orationem meam et misericordiam suam « a me. »

ENARRATIO.

Canticum psalmi, id est, exsultatio et lætitia operationis bonæ, scilicet resurrectionis Domini nostri. Canticum psalmi, est hymnus spiritualis scientiæ ex operibus adeptæ. Psalmus cantici, est prædicatio boni operis existentis per scientiæ et cognotionis doctrinam. Hanc exsultationem continet hic psalmus, scilicet gaudium victoriosissimæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, quæ præcessit in capite, et sequetur in corpore, hic in spe et tandem in re. Hanc resurrectionis spem Judæi sibi soli attribuebant, præsumentes de justitia meritorum, præsumentes etiam quod de genere patriarcharum et prophetarum erant: et ad illos solos specialiter prophetica dicta directa erant. Horum contumaciam propheta in hoc psalmo contundit, agens pro fide gentium vocatarum ad eamdem spem.

Jubilate Deo, omnis terra, vocata ad gloriam resurrectionis. Jubilus est tanta lætitia cordis, quanta verbis exprimi non possit. *Omnis terra*, id est catholica Ecclesia: quisquis partem facit, abscissus de toto, ululare vult, non jubilare. *Jubilate*, id est, erumpite in vocem gaudiorum, si non potestis verborum, non sola Judæa, sed *omnis terra* posita in spe resurrectionis gloriæ filiorum Dei, in capite præmissa, prius de morte tristis *Psalmum dicite nomini ejus*, id est, bene operamini non ad humanam laudem, sed ad honorem Dei. Psallere, est musico instrumento pulsu manuum voci concordare: psalmus est melos redditum ex illo instrumento quod vocatur psalterium. *Jubilate* in vobis, *psalmum dicite* ad alios.

Qui intus jubilat ad audientiam Dei, psallat ad audientiam hominum: non autem sibi, sed nomini ejus: ut alii videntes *opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum* (*Matth.* V). Et jubilando, *Date gloriam laudi ejus. Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I). Vos, gentes, nolite imitari superbientes Judæos, qui de justitia meritorum præsumentes, invident gentibus gratiam Evangelii, quod eis peccata condonentur, quasi non habeant quod eis condonetur, cum tamen scriptum sit: *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei* (*Rom.* III); et tanquam justi operarii ipsam resurrectionis gloriam præmium sibi promittunt, putant se esse sanos cum sint ægrotantes: atque ideo periculosius ægrotant, qui si mitius ægrotarent, nunquam phrenetici medium occiderent. Sed *date gloriam laudi ejus*, id est, de justitia nolite nobis gloriam dare, sed Deo. Jubilantes et gaudentes, nolite vobis gaudere, ne per superbiam amittatis quod per humilitatem accepistis, sed potius terreamini, videntes alios per superbiam abjectos: *dicite*, non in ore, sed in corde *Deo*, id est, ad laudem Dei: *Quam terribilia sunt opera tua, Domine*, id est, cum timore et tremore vestram salutem operamini.

Abscissa est olea, et tu oleaster insertus, *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI), noli extolli super ramos præcisos. Non enim tu radicem portas, sed radix te. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit*, multo minus tibi parcet (*Ibid.*): qui cum sterilis esses per naturam, insertus es in pinguedinem oleæ. Augustinus: « Fratres mei, sicut non est insultandum veteri fracturæ, ita nec novæ, id est hæreticis, sed pro eis orandum. *Potens est enim Deus iterum inserere illos* (*Ibid.*). Fusus sanguis Christi donatus est homicidis, non dicam deicidis: et quem fuderunt per insaniam, jam bibunt per misericordiam. Revera timenda sunt opera tua, quia *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Alii inimici ad hoc de sibi contrariis mentientur, ut eorum potentiam et gloriam minuant: sed tui inimici ad hoc mentiuntur, ut emineat virtus tua. *In multitudine virtutis tuæ*, id est, ut multa ostendatur virtus, id est potentia tua: *mentientur tibi*, id est ad gloriam tuam: *inimici tui*, Judæi: in nullo tanta et tam manifesta apparuit virtus Dei, quam in resurrectione. Majus fuit a morte resurgere, quam non mori. Hanc virtutem ipse Dominus prius commendavit cum diceret: *Generatio prava et perversa signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII; *Joan.* II). Sicut illum vivum cetus evomuit, ita et Christum terra: et interim eamdem virtutem resurrectionis commendavit, cum Judæi quærerent, *In qua potestate hæc facis?* (*Matth.* XXI.). Et ille: *Solvite templum hoc, et post triduum* reædificabo *illud* (*Joan.* II). Increduli Judæi visis multis virtutibus multisque miraculis, cum causas mortis in eum quærerent et non invenirent, adducerunt multos falsos testes, ad ultimum adduxerunt illos qui dicerent: *Possum destruere templum istud, et post triduum reædificare illud* (*Matth.* XXVI). Augustinus: Mentiris, o Judææ false testis: dixit enim, *Solvite:* voluntarie moritur, non necessitate: *ponit animam, nemo tollit.* Mentiti sunt ergo, ut crucifigereris: ideo crucifixus, ut moreretis; ideo mortuus, ut resurgeres: resurrexisti, ut credentes salvarentur. Iterum te moriente et a morte resurgente, mentiti sunt non sibi, sed tibi. Inimici tui positi sunt custodes ad sepulcrum. Videntes eum resurgere, dixerunt veritatem; sed eadem avaritia quæ captivavit discipulum comitem Christi, captivavit militem custodem sepulcri. Auctus est numerus mentientium ut augeretur numerus credentium: contra mendaces apparuisti veracibus, sed quos tu fecisti. Augustinus: « Age, false testis. Si vigilabas, quare non prohibebas? Si dormiebas, unde scis quod factum sit? » Mentiris tibi et Christo. Mentiris, sed me de vera potentia certum facis. Dubitaturus fortassse fueram: sed non sinit manifesta falsitas tua, nec possum a tanta falsitate non dissentire. Ergo pro ablata Judæa *omnis terra adoret te*, id est, te veneretur ut Deum, non contemnat ut hominem, quia pars terræ adhæsit mendacio, generalitas admonetur ad veritatem: tibi se humiliet, quia paulo ante fuisti humillimus inter manus mentientium, altissimus super verticem laudantium angelorum.

Adoret ore, *et psallat* opere, *tibi*, non sibi : ut videntes bona opera, glorificent te. Et quod te adorat, tibi psallit, quia gratiæ tuæ est, inde *psalmum dicat nomini tuo. Venite* ab omni terra credendo, relinquite mentientes Judæos : *et videte*, id est, intelligite *opera Domini*, hæc scilicet : *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Ne attendatis formam qua homo inter homines, sed consilium terribile quo super homines. Filii hominum crucifigentes, excæcati ; crucifixus, est exaltatus ; quæ illi moliti sunt in mortem unius, iste convertit in salutem multorum ; quæ eorum callida consilia machinata sunt ad perditionem, iste justo judicio exercuit aliis ad salvationem ; aliis ad cæcitatem, ut tandem excæcati humiliarentur, humiliati confiterentur, confessi illuminarentur. Et in hoc terribilis, quia *convertit mare in aridam*, id est, mundum amaricantem curis perniciosis, sævientem fluctibus persecutionum, *convertit in aridam*, id est, in terram, ut sitiat dulcem aquam, scilicet gratiam sancti Spiritus et doctrinam Verbi Dei. Et conversos eousque promovit, quod *in flumine pertransibunt pede*, id est, ex facili. Flumen est mundus totus : quia dum hoc decedit, illud succedit: vel ipse ordo, ipsa in rebus habendi necessitas, quoddam flumen est. In hoc flumine *pede*, id est, ex facili transitur, si qui in eo sunt, in aridam convertantur, non illigentur, credant in Christum. Sic non erit quærendus equus, quia ejus humilitas transportabit : ut quod mortale est et fluxum, tandem fiat immortale et incorruptibile : vel *pede*, id est, Christo duce, credendo in eum, qui *pede*, id est humilitate, non equo, id est, elatus superbia, transivit hunc mundum, *pertransibunt flumen*, id est, sperabunt sæculum istud. *Ibi*, id est, in illa transitione sive in præsenti, sive in futura, *lætabimur* hic in spe, in illa re : non in meritis nostris, sed *in ipso qui dominatur in virtute sua* resurgendo : qui prius servivit in infirmitate : *in* propria *virtute dominatur*, non in aliena, ut homo qui in multitudine militum regnat. *Ibi lætabimur* non solum Judæi, sed et gentes ; quia *oculi ejus super gentes respiciunt*, id est, vocat gentes ad misericordiam, non solum Judæos, sicut scriptum est : *Gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* xv). Et ideo quia omnes egent misericordia, tam Judæi quam gentiles, *qui exasperant*, id est, qui litigant indignantes de vocatione gentium, et sic Deum sibi *exasperant*, id est, iratum reddunt, *non exaltentur in semetipsis*, id est, non glorientur in meritis suis, imo humilientur in se, confitentes se peccatores et egere misericordia, ut in Deo exaltentur. Unde quia *oculi ejus super gentes respiciunt*, *benedicite, gentes, Deum nostrum*, id est, communem Judæorum et gentium. Judæi agant de justitia sua ; sed vos, *gentes, benedicite Deum* de misericordia vobis collata, *et auditam facite vocem laudis ejus*, id est facite ut audiatur : quia *omnes peccaverunt et egent gloria Dei* (*Rom.* iii), *non sua. Benedicite*, id est, *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet* (*I Petr.* v). Ab omnibus gentibus jure est benedicendus, id est laudandus, in quo omnes gentes benedictionem accipiunt, sicut in primo maledictionem acceperunt, cui dictum est : *In quocunque die comederitis ex eo, morte* moriemini (*Gen.* iii). *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* xv). Vel *benedicite* in vobis, *auditam facite*, aliis. Ideo *benedicite Deum nostrum*, id est, illum quem nos Judæi benedicimus, quia non solum vobis præstitit misericordiam, sed et nobis, illum *benedicite*, quem ego David benedico : *Qui posuit animam meam ad vitam*, id est humiliavit animam meam, fecit intelligere peccatum meum, ut hoc modo viveret ; juxta illud : *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereretur* (*Rom.* xi). Vel positam in morte in Adam, posuit ad vitam in se : vel humiliavit animam meam multis angustiis, per quas deducat eam ad vitam æternam. *Et non dedit in commotionem pedes meos*, id est, in tribulationibus fecit me ita perseverantem, ut affectiones meæ nullo modo commoverentur. *Nemo* enim *mittens manum in aratrum, retro* debet respicere (*Luc.* ix). *Non dedit in commotionem*, sed potius in probationem, *quoniam probasti nos, Deus :* vel hoc modo continuatur. Quasi dicat : Unde erant movendi pedes ? Quia *per multas tribulationes introitur in regnum Dei. Quoniam probasti nos, Deus*, id est in experimentum duxisti, ut cor nostrum probaremus, quod nobis ante laborem incognitum erat. Toleranda sunt flagella corripientis, ut non sit tandem sententia punientis. Hoc modo *probasti : igne nos examinasti*, igne tribulationis, non ut absumeres, sed ut sordes auferres. *sicut examinatur argentum.* Non incinerasti ut paleam, sed puros reddidisti ut argentum. Hoc modo examinasti. *Induxisti nos in laqueum*, corporis non mentis : qui corpus quidem necteret, sed animæ vincula solveret : non ut absumeremur, sed ut liberationes tuas experiremur. *Posuisti tribulationes in dorso nostro* male prius erecto : id est fecisti nos incudem tuam. Erecti eramus superbiendo incurvasti nos ut humiliaremur. Hoc modo posuisti tribulationes : *Imposuisti homines super capita nostra.* Vidimus superiores, qui nobis erant pejores ; sed nos illæsi *transivimus per ignem et aquam.* Similitudo ab olla, quæ si sit bene cocta igne, non dissolvitur aqua : ita et nos fuimus solidati in passione, ut blanditiæ non possent nos dissolvere : et tandem postquam nos *probasti, induxisti nos in refrigerium* ; subjungit : *Introibo in domum tuam.* Vel hic *eduxisti nos in refrigerium* mentis, postquam transivimus *per ignem et aquam*, non ut frigescamus, sed ut quieti magis ferveamus. *Introibo in domum tuam* super cœlestem Jerusalem, supernorum civium societatem, *in holocaustis*, ubi me offeram totum absumptum igne divino, cum corruptibile hoc induet incorruptionem (*I Cor.* xv), et anima erit sine offensa, tunc *reddam tibi vota mea*, id est, meipsum quem tibi hic vovi. Quisquis bene cogitat quid voveat Deo, voveat seipsum et reddat totum. *Quæ* vota prius in tribulationibus *distinxerunt labia mea*, id est,

distincte separaverunt a non vovendis. Hæc distinctio, ut te accuses, illum laudes ; a te tibi nihil boni, ab illo nihil mali ; te egentem, illum sufficientem : te peccatorem, illum misericordem ; te mendacem, illum veracem. *Et* offeram tibi ea quæ *locutum est os meum*, scilicet os cordis voci consonum. *In tribulatione mea*, id est quam tribulationem cognovi meam, id est mihi utilem, quia *tribulatio patientiam operatur* (*Rom*. v). Hæc vovi, hæc *locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi*, id est sacrificia illa quæ plena erunt interiori charitate, non exteriori, desiderando non transitoria, sed æterna. Quasi dicat : Hic ignis tribulationis talem hostiam parat. *Offeram tibi boves*, id est contumaciam legis retractantes et leni jugo Christi colla submittentes. *Cum hircis*, id est cum illis qui prius fetidi peccatis, postmodum pœnitentia et eleemosynis ea mundantes, in bonis operibus perseverant. Hæc in voce Ecclesiæ. Si autem in persona unius fidelis, *offeram tibi holocausta medullata*, id est pinguia et acceptabilia : *cum incenso arietum*, id est lasciviam in me mactando, *offeram tibi boves*, superbiam mactando, *cum hircis* damnando fetorem vitiorum. Vel holocaustum damus Deo spiritum contribulatum : sed tunc medullatum, cum intus gerimus fidem et operationem. His duabus rebus diligenter completis, perfectus efficitur Christianus. Et hæc *holocausta offeram cum incenso arietum*, id est cum oratione prælatorum. Imitando eos, *offeram tibi boves cum hircis : boves*, prædicatores vomere verbi Dei corda hominum sulcantes : *hirci*, hirsuti spinis vitiorum. Sed et hos offert Ecclesia postquam convertuntur. Hircus fuit latro, qui confessus est Domino in cruce (*Luc*. xxi) : respexit eum Dominus, et factus est bos ejus, prædicator ejus. Et quia mihi Dominus tantam misericordiam contulit, ergo *venite* passibus fidei, *audite* aure interiori, id est diligenter intelligite, non de sola Judæa, sed *omnes qui timetis Deum*. Non enim datur audire, id est intelligere quæ intelligenda sunt, nisi timentibus Deum timore casto, id est : diligentibus timor Dei aperiat aures, ut si qua intret quæ narraturus sum. *Quanta fecit animæ meæ*. ideo audite, ut et vestræ animæ eadem faciat. Hæc sunt illa bona quæ mihi fecit. Prius ad alium clamabam, et ore alieno, non meo : sed ipse me docuit ad quem clamarem, et quomodo. *Ad ipsum clamavi*, id est non propter aliud : quod clamare non est paternæ vetustatis, sed gratuitæ novitatis : *ore meo*, non alieno, juxta illud, *prout ducebamini, euntes* (*I Cor*. xii). Prius enim ad creaturam ibam more paternæ traditionis : vel *ore meo*, id est voce corde consona : et ideo *meo*, quia exsultavi *sub lingua mea*, id est in corde. Si aliud clamas ore, aliud affectas corde, non ad ipsum clamas tuo ore. In *ore* ergo ita clamandum, ut nulla exsultatio sit *sub lingua*, id est in corde, nisi in his qui bene sonant in ore : et quantum donat divina gratia animæ Christianæ, si illum solum prædicet, in illo exsultet. O summum bonum, super omnem enim gloriam protectio : ideo

A *exaltavi sub lingua mea*. Nam *si aspexi iniquitatem in corde meo*, cum esset æquitas in ore, *non exaudiet Dominus*. Proprium hoc est corporis Christi. Deprehensus forsan est aliquis ? Male, inquies, fecit, perverse fecit : et quod in alio clamas, forsan ipse affectas : nec quia fecit, sed quia deprehensus est, clamas, id est facere disponebas, nisi lex contrairet : Dilectio autem *foras mittit timorem* (*I Joan*. iv). Non est aspicienda iniquitas, sed despicienda. Digna est despici ut calcetur, non aspici ut ametur. Intus tibi omne perversum displiceat, si placere vis illi qui intus videt. *Propterea*, id est, quia clamavi ut clamandum fuit, *exaudivit Deus*. Ita et vos exaudiet, si recte ad eum clamaveritis. Revera exaudivit, quia *attendit*, id est, quia attentum se ostendit fuisse, B *voci deprecationis meæ* : factæ pro peccatis. Unde *benedictus Deus*, id est, multiplicetur in suis, *qui non amovit orationem meam* factam pro perseverantia, id est, non distulit dare quod oravi. *Et* non amovit *misericordiam suam a me*, qua vocat, qua justificat.

PSALMUS LXV.

IN FINEM IN HYMNIS PSALMUS CANTICI DAVID.

« Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur « nostri. Ut cognoscamus in terra viam tuam, in « omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur « tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes. « Lætentur et exsultent gentes, quoniam judicas « populos in æquitate, et gentes in terra dirigis. « Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi C « populi omnes : terra dedit fructum suum. Bene« dicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, « et metuant eum omnes fines terræ. »

ENARRATIO.

Hic sequens psalmus potest jungi cum superiori : quia priores illi, David et alii, videbant Domini resurrectionem futuram et gentium concorporationem, orant ut adducantur illæ : aliæ oves. Hic titulus est secundum Augustinum, secundum Hieronymum ita: Unus fuit David, sed non semper unus in hoc nomine intelligitur, sicut in hoc psalmo vox est omnium fidelium. Inquit Dominus : *Ego sum vitis vera, vos palmites, et Pater meus agricola est* (*Joan*. xv). Quia ergo corpus Christi vinea Dei est, rogat Dominum vineæ, ut eam colat et benedicat, ut fructum pluri- D mum afferat. Orant etiam primitivi, ut concorporentur multi. Hic psalmus refertur *in finem*, id est in perfectionem, ut perficiatur corpus Christi : et est accipiendus *in hymnis*, id est, laudibus : quia magna laus Dei est, multiplicatio fidelium : et est *psalmus cantici*, id est, operatio exsultationis : quia hæc operari et hoc optare, magnum gaudium. Ecclesia supplicationem suam dirigens, ad necessarii nominis currit auxilium, dicens :

Deus misereatur nostri. Bene enim prius misereri petit, qui de meritis non præsumit. Prius enim fuit ut misereretur errantibus, et postea benedictionis suæ dona præstaret. Cantemus ergo ista, oremus

ista, deprecemur ista, non voce inani, sed corde veraci : non voce sterili, sed corde feraci. *Deus misereatur nostri*, id est, justificet nos per gratiam suam *Et benedicat nobis*, id est, multiplicet virtutibus, vel multiplicet nos : hac benedictione benedicat : *illuminet vultum suum super nos*. Quamdam singularem benedictionem petit, quam soli boni optant, non in istis temporibus, quæ voluit Deus esse communia bonis et malis : quia si bonis ea tantum daret putarent mali propterea tantum Deum colendum. Si tantum malis daret, timerent boni infirmi converti ne forte illis ista deessent: rursus, si solis bonis ista auferrentur ipsa sola putaretur pœna qua mali punirentur. Quod ergo Deus dat ea bonis, consolatur timentes: quod malis, admonet bonos ut alia desiderent. Et quia hanc benedictionem non petit, audiamus. *Illuminet vultum suum super nos*, non quantum ad se illuminet, quia non potest illuminari lumen omnia illuminans ; sed *vultum suum*, id est, voluntatem super nos illuminet, dando nobis notitiam suæ voluntatis. Vel impressisti nobis *vultum* tuum, id est, fecisti nos ad imaginem tuam quam obscuravimus Mitte radium sapientiæ tuæ, expelle tenebras nostras ut fulgeat in nobis imago tua, id est ratio. *Et* post illuminationem vultus sui *misereatur nostri* hac miseratione : *Ut cognoscamus in terra viam tuam*, non in una parte tantum, sed *in omnibus gentibus salutare tuum*, id est, Christum. Quod supra terra, hoc hic in omnibus gentibus : quod ibi via, hoc hic salutare. In hac terra morientium ostende nobis viam, quæ ducet ad terram viventium : viam illam quæ non fallit, scilicet Christum tuum qui dixit: *Ego sum via et veritas et vita* (*Joan.* XIV). Via est, quia in se ducit : veritas, quia per se ne erremus: vita quia ad se ducit, ut in ipso requiescamus. Et ut illum cognoscant, *cpnfiteantur tibi populi, Deus*, confiteantur iniquitatem suam, confiteantur gratiam tuam, se accusent, te laudent, se reprehendant, te glorificent. Confiteantur tibi populi Judaici, *confiteantur tibi omnes populi. Omnes enim peccaverunt* (*Rom.* III). Et hanc confessionem faciam non in tristitia, sed *lætentur et exsultent gentes*. Si plorant ante judicem confessi latrones, merito exsultabunt ante Deum confessi fideles, et hoc ideo, quia misericors est. Exigit confessionem, ut liberet humilem. inveniat te punitorem tuum, ut mittat tibi salvatorem suum. Damnat non confitentem, quia merito punit superbientem. Ileo confitentes tibi et se punientes exsultent, quia tunc confitentur qui *judicas populos in æquitate*, humiles salvando, superbos damnando. Quasi aliquis dicat : Nôn est inde lætandum quia judicat populos in æquitate. Ad hoc *et gentes in terra* diriges, diriges in terra morientium, ut non timeant cum judicabuntur in terra viventium. Corrigantur itaque in terra morientium, judicati, non damnentur in terra viventium. Ergo quia per misericordiam prius *dirigis* quam judices, *confiteantur tibi populi*, *Deus*, confessione laudabili, non soli Judæi, sed *confiteantur tibi populi omnes*. Ideo te laudent, quia *terra dedit*

A *fructum suum. Terra* prius sterilis ante confessionem, nunc culta per dexteram tuam, id est, Christum, *dedit fructum* boni operis. Hæc dextera et tonat et pluit. Timeamus tonantem, excipiamus compluentem. Et quia jam compluta est terra ad fructum, non eam deserat cultor suus in fructu, sed *benedicat* id est, multiplicet *nos Deus* Pater, benedicat nos *Deus noster* Filius, *benedicat nos Deus* Spiritus sanctus, et sic multiplicet, ut tandem *metuant eum omnes fines terræ*, ut tota terra Creatorem colat, non creaturam. Sicut bonæ terræ est fructum facere, ita boni servi Dominum metuere. Potest et sic dici : *Terra dedit fructum suum*. Prior *terra*, id est, primus homo non dedit fructum suum: id est, non exhibuit obedientiam quam debebat : *secundus homo de cælo cœlestis, non rapinam arbitratus est esse se æqualem*

B *Deo ; factus est obsediens usque ad mortem ; dedit fructum suum* (*Phil.* II). Vel *terra dedit fructum suum* quia innovati bonum operantur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ.

PSALMUS LXVII.

IN FINEM PSALMUS CANTICI DAVID.

« Exsurgat Déus, et dissipentur inimici ejus : et « fugiant qui oderunt eum, a facie ejus. Sicut deficiet fumus, deficiant : sicut cera a facie ignis, sic « pereant peccatores a facie Dei. Et justi epulentur « et exsultent in conspectu Dei et delectentur in lætitia. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : « iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus « nomen illi. Exsultate in conspectu ejus, turbabun-

C « tur a facie ejus patris orphanorum et judicis viduarum. Deus in loco sancto suo : Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo. Qui educit vinctos « in fortitudine : similiter eos qui exasperant, qui « habitant in sepulcris. Deus cum egredereris in conspectu populi tui cum pertransires in deserto, « terra mota est : etenim cœli distillaverunt a facie « Dei Sinai, a facie Dei Israel. Pluviam voluntariam « segregabis, Deus, hæreditati tuæ, et infirmata est, « tu vero perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in « ea, parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Dominus « dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Rex « virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere « spolia. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ co- « lumbæ deargentatæ et posteriora dorsi ejus in pal- « lore auri. Dum discernit cœlestis reges super eam

D « nive dealbabuntur in Selmon : mons Dei, mons « pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis : ut quid « suspicamini montes coagulatos ? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. Currus Dei decem millibus « multiplex, millia lætantium : Dominus in eis, in « Sinai, in sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus. Etenim non « credentes inhabitare Dominum Deum. Benedictus « Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Deus noster, Deus « salvos faciendi et Domini Domini exitus mortis. « Verumtamen Deus confringet capita inimicorum

« suorum, verticem capilli perambulantium in de-« lictis suis. Dixit Dominus, Ex Basan convertam, « convertam in profundum maris. Ut intingatur pes « tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis « ab ipso. Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus « Dei mei, regis mei, qui est sancto. Pervenerunt « principes conjuncti psallentibus, in medio juvencu-« larum tympanistriarum. In ecclesiis benedicite Deo « Domino de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescen « tulus in mentis excessu. Principes Juda duces eo-« rum, principes Zabulon et principes Nephtalim. « Manda, Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod « operatus es in nobis. A templo tuo in Jerusalem « tibi offerent reges munera. Increpa feras arundinis, « congregatio taurorum in vaccis, populorum, ut ex-« cludant eos qui probati sunt argento. Dissipa gen-« tes quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto « Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ « cantate Deo, psallite Domino. Psallite Deo, qui « ascendit super cœlum cœli ad orientem. Ecce dabit « voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super « Israel, magnificentia ejus et virtus ejus in nubi-« bus. Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israel « ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, be-« nedictus Deus. »

ENNARRATIO.

Propheta in Spiritu sancto prævidens præmium quod habituri sunt amici Dei, et pœnam quam habituri sunt inimici et in hac vita, et in futura, præmonstrat nobis utrumque præmium et pœnam: ut per pœnam deterreat malos, et per præmium invitet bonos. Dicit autem sic :

Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus. Quasi dicat : Moriatur, sepeliatur, resurgat, in cœlum ascendat, Spiritum sanctum mittat, et sic exsurgat Deus in notitiam hominum. *Et dissipentur inimici ejus*, id est, excæcentur sibi inimicantes interius ; vel *dissipentur* exterius, ut Judæi, qui amisso regno undique dissipati sunt: vel *dissipentur* bona dissipatione ut ex inimicis fiant amici. *Et fugiant qui oderunt eum a facie* ejus ; hæretici videlicet, habentes eum odio, fugiant a facie ejus, id est, a sanctis in quibus apparet facies sua: quam per eos sic operatur quasi præsens adsit, a quibus fugiant inimici ejus timendo, licet non latendo. Hoc tamen in multis vidimus, qualiter non ausi essent in conspectu sanctorum apparere; vel fugiant ab irato ad placatum, juxta illud : *Quid faciemus, viri fratres?* (*Act.* I,) *Sicut deficit fumus, deficiant.* Nota quia fumus ab igne datus, quanto plus in altum extenditur, tanto citius evanescit. Isti quoque ab igne odiorum in altum elati, ponentes in cœlum os suum, magno defectu defecerunt : quia capto insultaverunt, pendentem irriserunt : unde victores tumuerunt, mox victi evanuerunt. Vel *deficiant* in interiori suo, id est, recognoscant se esse defectos, per superbiam suam, *sicut deficit fumus ;* et sic assumendo humilitatem, deponant superbiam. *Peccatores* autem permanentes in superbia sua, *sic pereant a facie Dei*, subaudis remoti, *sicut fluit cera a facie ignis*, quia sicut cera igni apposita non potest durare, sic peccator ante faciem Dei non potest permanere : quia dictum est : Tollatur impius ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI). Et alibi : *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui* (*Psal.* XX). *Et justi epulentur et exsultent in conspectu Dei. Peccatores pereant a facie Dei, justi* autem *epulentur et exultent* id est, tanto gaudio *exsultent in conspectu Dei*, id est, in interiori suo ubi ipse tantum conspicit, quanto gaudio solent exsultare epulantes, licet in conspectu hominum adversa patiantur; et sic tandem *delectentur in lætitia*, ubi interius et exterius spirituali jucunditate replebuntur. Ut autem delectemini, *cantate Deo* interius, *psalmum dicite nomini ejus*, id est, exterius sic operamini, ut nomen ejus laudabiliter per vos divulgetur. *Iter facite ei*, ut per speciosos pedes Judæorum evangelizantium, pervia fiant corda credentium. Unde Isaias : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri* (*Isa.* XL), *iter facite ei* : ei dico: *qui ascendit super occasum*, id est, cujus ascensus est in illis, in quibus occubuit vetustas, et refulsit novitas. Ipse enim ascendendo corda hominum per notitiam suam, destruit in eis veterem hominem, et vivificavit novum: vel *qui ascendit super occasum*, id est, mundum, quem ipse fecit in occasum devicta morte; vel *qui ascendit super occasum*, id est, super illos qui desperatissimi fuerunt, et semper in occasu; quia sol justitiæ eis non refulsit. Et ei merito paratur iter, quia *Dominus* est *nomen illi*; non illud quod Judæi dederunt ei, *Dæmonium habes* (*Joan.* VII). *In Beelbebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Luc.* XI.). *Iter facite ei :* et in faciendo itinere, licet in conspectu hominum multa patiamini adversa; nolite tamen deficere nec contristari: sed semper *exsultate in conspectu ejus*, id est, in interiori vestro: Illi autem qui vobis resistunt *turbabuntur* remoti, *a facie ejus*; ejus dico, *patris orphanorum*, illorum videlicet, qui per gladium Spiritus præcisi sunt spe carnalis patris, et tantum spem in Deo posuerunt ; *et judicis viduarum.* Viduæ sunt illi, qui per verbum Dei a spe sæcularis copulationis sunt præcisi, et tantum amplexum veri sponsi desiderant, quorum judex est Dominus, defendens eos ab omni impugnatione diabolica. Et qualiter sit pater et judex subjungitur : Nam ipse *Deus est in loco sancto suo*, id est, in viduis et orphanis, faciendo eos locum sanctum suum et ipse *Deus facit inhabitare* illos, in quibus et ipse habitat, *in domo*, id est, in Ecclesia sua ita ut sint *unius moris*, id est, unanimes et idem consentientes; juxta illud : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV) *: qui educit vinctos in fortitudine.* Ecce qualiter facit eos inhabitare in domo, educendo eos Judæos a vinculis peccatorum, quibus impediti erant ne ambularent in viis præceptorum et hoc in fortitudine sua non eorum meritis, vel fortitudinem dando eis quam prius non habebant : et non tantum *victos educit*, sed *similiter eos* educit *qui*

exasperant, id est, Deum amarificant defendendo peccata sua. *Qui* tales *habitant in sepulcris*, id est, jam interius mortui vivunt. De quibus dictum est : Peccator *cum in profundum venerit, contemnit* (*Prov.* XVIII). Nota per *vinctos*, illos qui jam habent voluntatem respiciendi, sed impediunt eos vincula peccatorum ne resurgant : *quos educit* Dominus *in fortitudine*, et facit eos inhabitare in domo sua. *Educit* etiam eos qui sunt *in sepulcris*, id est, illos qui in peccatis versantur, nullam habentes voluntatem resurgendi. Hæc duo genera peccatorum significantur per mulierem decem et octo annis diabolo ligatam, et tandem a Domino solutam (*Luc.* XIII), per Lazarum quatriduanum, et a Domino de sepulcro resuscitatum (*Joan.* XI). Hic idem Dominus qui hæc mirabilia operatus est in corporibus, mirabilius operatur quotidie in moribus. Mirabilius enim est, mortuam animam vivificare, quam Lazarum de sepulcro vocare, et in vitam carnis restaurare : *Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto terra mota est.* Ecce qualiter educit vinctos et in sepulcro habitantes : nam *terra mota est*, id est, terreni movebuntur, cum tu, o Deus, egredieris *in conspectu populi tui* id est, cum per bona opera intelligeris esse in notitia populi tui. Tunc enim Deus egredietur in conspectu populi, quando ipse populus sic operatur, ut Deus inde glorificetur. *Cum* pertransieris *in deserto*, id est, cum undique in notitiam gentium deduceris. Et hoc quomodo fiet? Nam *cœli distillaverunt*, id est, apostoli distillabunt *a facie Dei Sinai*, id est, a cognitione Dei dantis legem in Sinai ; et *facie Dei Israel*, non Israel secundum carnem, sed veri Israel, recipientis gratiam et non præsumentis de carnali observantia, quia scriptum est : *Benedictionem dabit*, qui legem dedit (*Psal.* LXXXIII.) Qui dedit legem quæ terreat de se præsumentem, dabit benedictionem quæ liberet in se sperantem. *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ.* Hoc *distillaverunt cœli : pluviam voluntariam*, id est, imbrem verbi Dei, voluntarie et non per merita hominum attributam, quam pluviam *segregabis hæreditati tuæ* ; id est, tuis electis tantum illam pluviam commendabis, quia non est omnium fides. *Et infirmata est*, hæreditas scilicet recognoscens peccata sua, et nihil sibi tribuendum sentiens ipsa infirmata est*; tu vero*, hoc est, in rei veritate, *eam* perfectam fecisti. Unde Apostolus : *Qui fui*, inquit, *persecutor et blasphemus, sed misericordiam consecutus sum* (*I Tim.* I). Vel sic *infirmata est hæreditas* in se tolerando tribulationes, *tu vero* confirmasti *eam*, et sic perfectam reddidisti : nam *virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII). *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ*: *in* qua hæreditate *habitabunt animalia tua*, non amplius sua : tibi subdita, non sibi libera. Et hoc quomodo? Nam tu *Deus, parasti* illam, subaudis hæreditatem, *pauperi*, et non diviti ; egenti, non sibi sufficienti : et hoc *in dulcedine*, id est, in tua gratia, et nullius merito. Nota

A per hæreditatem apostolos, primos videlicet prædicatores, quibus specialiter saluberrima pluvia fuit divisa, ut alios complueret saluberrimo imbre divini eloquii, in quibus habitabunt animalia Domini, fideles videlicet per eos conversi, et in eis semper habentes unde reficiant se. Dictum est istud ad similitudinem alicujus præordinantis locum aptum in curia sua, ubi ponat annonam suam, et ubi postea ponat animalia nutrienda : hæc præordinavit Dominus in Ecclesia. Præmisit apostolos salubri cibo repletos, ex quibus animalia sua sumerent cibaria. Dicimus aliter superius. *Qui educit vinctos in fortitudine similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulcris.* Et hoc quomodo? *Terra mota est*, id est, terreni movebuntur :

B et hoc ideo, quia *cœli* distillabunt *a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.* Et quid distillabunt? *Pluviam voluntariam*, quam tu, *Deus, segregabis hæreditati tuæ* : et hæc omnia non esse repentina, sed olim præfigurata. Nam tu, Deus, hæc omnia præfigurasti, *cum egredereris in conspectu populi tui*, Judaici videlicet, educendo ipsum populum de Ægypto, præcedens ipsum in die in columna nubis, et in nocte in columna ignis (*Exod.* XIII, XIV) *:* significans per columnam nubis, quæ in die præcessit, te mitem adventurum in judicio illis qui sunt in die, id est, illis quibus refulsit sol justitiæ : per columnam ignis, quæ in nocte præcessit, significatur horribilis adventus Domini ad illos, qui plus amant tenebras quam lucem. Quod deductus est populus per desertum, significabat Ecclesiam in hoc mundo, quasi in deserto

C habitam ; tunc *terra mota est* materialis, præfigurans terram spiritualem pro peccato suo esse commovendam. *Cœli* exteriores tunc *distillaverunt* manna omnis saporis cibum, et cœli post interiores *distillaverunt* verbum divinum, notificando Christum incarnatum, omnis saporis cibum saluberrimum, de quo ipse testatur. *Sanguis meus verus est potus, et caro mea vere est cibus* (*Joan.* VI). *Stillaverunt* etiam *cœli* Moyses et alii *pluviam voluntariam*, legem videlicet in tua gratuita voluntate datam. Quam legem segregasti *hæreditati tuæ*, Judaico videlicet populo ; *et infirmata est* pluvia, id est, lex ipsa, sed tu *perfecisti eam :* lex infirmabatur, quando intellexerunt homines impossibile esse aliquem salvari per legem carnaliter intellectam. Quam perfectam fecit Dominus,

D mutando eam ex carnali intellectu in spiritualem : et sic quod carnalis observantia non potuit, hoc gratia supplevit. *Perfecisti eam*, subaudis pluviam ; et *in ea* perfecta *habitabunt animalia tua.* Et merito *in ea habitabunt.* Nam tu, Deus, *parasti*, id est, perfectam fecisti ipsam pluviam *pauperi*, id est, ad opus pauperis tui *:* et hoc *in dulcedine tua*, non in pauperis merito. Et hoc modo *parasti. Dominus*, Pater, dabit *verbum evangelizantibus virtute multa*, id est, multa constantia, multis signis ; juxta illud : *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Nota quia Dominus promisit verbum evangelizantibus, cum dixit : Dum steteritis ante re-

ges (*Marc.* XXIII), etc. *Dominus dabit verbum evangelizantibus* : Dominus dico, *rex virtutum dilecti dilecti.* Quid sit iste dilectus innotuit paterna vox, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III) ; virtutes istius dilecti sunt apostoli cæterique prædicatores, alios virtuosos in fide facientes. Repetitio nominis, magnam fidem et devotionem erga dilectum ostendit prophetantis. *Rex virtutum dilecti*, et electi subaudis, *dividere spolia*, id est genus humanum a fortis armati captivitate liberatum. Et cui divisit ? *Speciei domus*, id est, ad decorem Ecclesiæ suæ. *Quosdam* enim fecit *apostolos, quosdam prophetas, alios vero ,evangelistas* (*Eph.* IV), ex illis in quibus fortis armatus confidebat. *Si dormiatis inter medios cleros.* Convertit se ad auditores, ut incitet eos ad evangelizandum. Quasi dicat : *Dominus dabit verbum evangelizantibus*, prioribus videlicet in Ecclesia : et non tantum illis, sed etiam vobis, *si dormiatis inter medios cleros*, id est, si quiescatis inter duo testamenta, non recedentes ab auctoritate illorum ; sed quidquid ortum fuerit, auctoritate illorum duorum testamentorum confirmetur, ut sic omnis contentio tranquilla pace finiatur. Nota effectum hic poni pro causa. Testamenta enim sunt causa dandæ hæreditatis, quæ hæreditas hic intelligitur per cleros. *Cleronomia* enim Græce, Latine *hæreditas* : inde cleronomos, hæres. Hæreditas autem quia nulla datur, nisi quem testamenta notant, ideo per cleros testamenta intelliguntur: quod efficit et quod efficitur; quod dicit : *Si dormiatis inter medios cleros* : vos dico existentes *pennæ columbæ*, id est, Ecclesiæ quæ est columba, quia innocua et sine felle amaritudinis : *columbæ* dico, *deargentatæ*, propter nitorem divini eloquii, vel ita puræ, ut non crepet sub malleis tribulationum : *et ejus etiam columbæ posteriora dorsi*, id est, humeri ejus sunt, idonei ad ferendum onus Domini : quod volentibus est suave, nolentibus difficile ; et hoc *in pallore auri*, id est, in charitate et sapientia perfecti vel operatione bona designatur. Pallor auri est quasi viror : quia cum rubicundum aliquid pallet, quasi viride apparet. Et quia omnia in charitate debent virescere, merito per virorem charitas designatur. Nota Græcam positionem, *inter medios cleros.* Nam ipsi ubi nos solemus ponere, inter me et te : ponunt, medium meum et tuum. Hæc positio maxime habet vim, ubi extrema aliquam habent inter se affinitatem, quemadmodum Vetus et Novum Testamentum ; vel aliter ; *Dominus dabit verbum evangelizantibus, si* vos evangelizantes *dormiatis inter medios cleros* id est, inter duas hæreditates, carnalem videlicet quam promisit Vetus Testamentum ad litteram acceptum : et spiritualem, quam per gratiam in spe jam exspectamus. Sic quiescatis, ut carnalem non ardenter assumatis, nec illam impatienter exspectetis. Hæc enim dormitio bona est, ut istam contemnamus in qua sumus hæreditatem, et aliam certam teneamus jam in spe, licet nondum in re. Ab illo autem abest somnus, qui hanc terrenam hæreditatem ardenter et cupide assumit. Hic enim talis rapitur in fluctus et in flagitia quæque desiderando, ut acquirat ; vel timendo, ut amittat : et ideo quiescendum est vobis inter duas hæreditates, quia si sic *dormiatis*, eritis *pennæ columbæ*, eam multum videlicet exaltantes, et sublimiter prædicantes. *Et posteriora dorsi ejus* id est, posteriores subeuntes illud idem onus Domini, quod priores subierunt, erunt *in pallore auri*, id est, charitate perfecta et conversatione bona : quia dum posteri incitantur bona fama priorum, semper Ecclesiæ adduntur pennæ quibus volet in altum, et quibus sublimiter exaltetur, et gloriose prædicetur, vel sic : *Rex virtutum dilecti, dilecti, et speciei domus dividere spolia* ; in qua domo eritis vos, *si dormiatis inter medios cleros*, id est, si quietem reputetis inter duas hæreditates sic consistere a cohibitione cupiditatum, a terrenis, et in spe æternæ felicitatis usque in finem perseverando, ultimum diem vitæ vestræ claudatis, ut sic per dormire, mortem carnis accipiamus. Illi enim bene moriuntur, qui præsentem hæreditatem contemptui habent, dum tamen æternam mondum teneant re, sed in spe. Qui autem sic moriuntur erunt *pennæ columbæ*, id est, Ecclesiæ *deargentatæ*, id est, nitore divini eloquii eruditæ. Quod autem per has pennas designantur fides manifestat Apostolus, dicens : *Simul rapiemur obviam Christo in aera* (*I Thess.* IV), et sic semper cum Domino erimus. Quod dicit, *pennæ columbæ deargentatæ*, velociter se deportantes obviam Christo in aera, et posteriora illorum qui hic fuerunt dorsum Ecclesiæ, onus ejus portantes, erunt in splendore *auri*, id est, in regia potestate : regnum est enim auro adornari. *Si dormiatis inter medios cleros, dum discernit cœlestis reges* , id est, quandiu ordinati et disponit *cœlestis* homo secundus, qui de cœlo cœlestis : *discernit* dico, vos *reges super eam*, subaudis regendam, refrenantes in vobis et in aliis legem carnis et confortantes legem mentis ; unde illud : Carnem macerant, spiritum roborant. *Nive dealbabuntur in Selmon.* Ne aliquis putaret hos reges in se ipsos posse purgari, dicit, *dealbabuntur in Selmon*, id est, in umbra Christi. Ipse enim eos obumbrabit et proteget ab incentivis vitiorum : faciens eos nive candidiores, vel nivi comparabiles ; ipse dico, *mons Dei.* Unde Isaias : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Isa.* II), etc. *Mons* iste est *mons pinguis*, habens videlicet omnem pinguedinem unde qui adulti sunt reficiantur. Nam in eo invenit quisque perfectus unde se reficiat. Ipse etiam *mons coagulatus*, aptus videlicet unde parvuli tanquam lacte nutriantur. Et ut eumdem intelligamus pinguem et coagulatum, repetit : *mons pinguis.* Et quandoquidem iste mons tantum est *mons pinguis et coagulatus, ut quid* ergo alios *suspicamini montes coagulatos* ? *Alii* enim dicunt *Joannem Baptistam alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis* (*Matth.* XVI); et hoc frustra : nam iste est *mons in quo beneplacitum est Deo habitare*, id est, in quo habitat Deus : et ut habeat inhabitationem superiorem aliis habitationibus, subjungit : *in eo*

A quia sic inhabitat, ut in eo sit omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ipsi enim soli sine mensura concessit Deus Spiritum suum : aliis autem in quibus habitat, ad mensuram dedit : quia non omnibus omnia, sed alii sunt data genera linguarum, alii interpretatio sermonum (*I Cor.* XII), etc. *Etenim Dominus habitabit in finem.* Quasi dicat : Merito excellentius in isto monte habitat Deus. Nam iste *mons* existens *Dominus, habitabit* in aliis montibus, reducendo eos in se, *finem :* et per eum inhabitat Pater alios montes quos inhabitat, qui montes sunt *currus Dei*, quia a Deo velut sapienti auriga reguntur. Currus iste *multiplex* est *decem millibus :* et non tantum in decem millibus multiplicamur, sed etiam per *millia* millium *lætantium*, ideo quia *Dominus* est *in eis.* Et quomodo *in eis? in Sinai in sancto*, id B est, in completione sancti mandati. Et quomodo istud fiet? *Ascendisti in altum*, id est, ascendes in cœlum, et accipies *captivitatem ;* quia genus humanum a diabolo prius captivatum recaptivabis : *accepisti dona in hominibus*, id est, ipsos homines accipies in donis tuis. Nam *non credentes inhabitare Dominum Deum* in omnibus, eos vocando et justificando, fecisti dona tua. Vel *accepisti dona in hominibus*, id est, tales fecisti homines, ut donum illud quod acceperunt a Patre, et tu videaris accepisse. Nam cum ipsi acceperunt Spiritum sanctum, tu in eis recepisti : quia sine te nihil possunt. Nota Christum non immerito accipere dona in suis, quia ex affectione nimia in suis patitur adversa : dixit enim Petro : *Venio Romam iterum crucifigi*, ut per hoc C se ostenderet in Petro pati. Accepisti dona in hominibus, quia etiam in non credentibus inhabitabit Dominus Deus, id est, in desperatissimis qui tibi dixerunt : *Dæmonium habes* (*Joan.* VII). Unde : *Benedictus Dominus die* hac præsenti et *quotidie*, id est, omni die futura : vel diem quotidie numerando. *Prosperum iter faciet* nobis, ut eum portemus cujus currus sumus : vel prosperum faciet iter nobis, ut ad eum veniamus, reddens nos invincibiles ad omnes tribulationes : quia *Deus* est *salutarium nostrorum*, id est, nostræ salvationis : et *Deus noster*, id est, nostræ naturæ, quia et *Deus faciendi* nos *salvos :* sed tamen salus illa per mortem carnis ventura est, et inde non indigentur humana conditio, quod moritura est, exitus *Domini Domini*, id est, illius Domini, qui D antonomatice dicitur Dominus, de hoc mundo erit *exitus mortis.* Ipse enim ut potentiam suæ salutis ostenderet, mori voluit : sed quanquam ejus exitus sit exitus mortis, *tamen Deus* non minus est potens super inimicos suos. Nam *confringet capita inimicorum suorum*, id est, superbiam inimicorum suorum dissipabit, vel salubri subjectione, vel damnabili exsecratione : *confringet* etiam *verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Per *verticem capilli* adhuc majorem superbiam notat, quam per caput. Notat enim magnam sublimitatem superbiæ *perambulantium in delictis suis*, id est, illorum quibus delicta sunt delectatio ; vel aliter : *Confringet Deus capita inimicorum suorum : inimicorum dico, perambulantium verticem capilli*, et hoc *in delictis suis.* Inimici hic accipiuntur aeriæ potestates, quarum capita sunt illi, qui persuasionibus suis caput suum contra Deum male erexerunt. Hi tales inimici, quia nullo sensu corporis concipi possunt, perambulare dicuntur *verticem capilli*, ubi sensus corporis nullus est : ipsi enim tales inimici sic versantur circa hominem, ut non sentiantur ab eo, donec ab eis ad illicita trahantur Perambulant *in delictis suis*, suadendo videlicet hominibus delicta quæ sua sunt, quoniam tandem inde punientur cum dicturus est Dominus : *Ite, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). *Confringet* Dominus *capita inimicorum suorum.* Nam *dixit Dominus*, id est disposuit, istud videlicet, *convertam* aliquos *ex Basan*, id est, ex illis qui confusi sunt in siccitate sua. Interpretatur enim Basan *confusio* vel *siccitas. Convertam* gratiam meam etiam *in profundum maris*, id est, ad illos qui in profunditate sæculi istius male fluctuantis, et in amaritudinem omnia contrahentis conversantur. *Ut intingatur pes tuus in sanguine;* quasi dicat : Intantum, o Domine, convertes aliquos ex Basan et de profunditate maris, ut quisque conversus ex illis, *pes tuus* factus, *intingatur in sanguine;* id est, non dubitabit in testimonium effusi sanguinis tui, sanguinem suum fundere : vel *pes tuus intingatur in sanguine*, id est, tu ipse pro nimia affectione in passione illorum patieris ; unde illud : Venio Romam iterum crucifigi. Et *lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*, id est, prædicatores tui qui sunt canes, non illi canes de quibus dictum est, *Canes muti non valentes latrare* (*Isa.* LVI), sed canes fideles et circa domum *Domini sui fideliter latrantes.* Hi canes erunt conversi ex inimicis, et hoc non per se, sed ab ipso qui gratis omnia justificat. Et hoc quomodo fiet? *Viderunt ingressus tuos, Deus*, id est recognoscent ingressus tuos, qualiter per humanam naturam mundo innotuisti : et non tantum tuos ingressus sic recognoscent, sed etiam *ingressus*, id est, apostolos qui sunt gressus *Dei mei*, qui me creavit prima creatione. *Regis mei*, qui me regeneravit : *qui est in sancto*, id est, in unoquoque a se sanctificato : vel *in sancto*, in Christo; unde illud, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V); vel aliter : *Intingatur pes tuus in sanguine*, et hoc tuo exemplo. Nam videbunt gressus tuos, quibus de hoc mundo egressus es : mortem tuam videlicet, quam tu exemplum tuis reliquisti, ut non dubitarent sanguinem pro te effundere, saluberrime verbi tui præcepto monitu, sic : *Majorem* charitatem *nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV). *Ingressus Dei mei*, regis mei, *qui est in sancto :* et hoc modo videbunt tuos ingressus. *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus*, id est, prædicatores primi *conjuncti psallentibus*, id est, associati aliis bene operantibus, prævenient ut tuos gressus annuntient : et hoc *in medio juvencularum tympanistriarum.* Juvenculæ hic designant Ecclesias novas

nova gratia decoratas, in quibus Ecclesiis annuntiandi sunt gressus Domini. Tympanum fit ex corio sicco in ligno extenso: unde tympanizantes sunt illi, qui a carnalibus desideriis sunt exsiccati, et in virtutibus extensi; juxta illud: *Carnem macerant, spiritum roborant, in Ecclesiis benedicite Deo.* Ne per hoc quod nominavit juvenculas et tympanistrias, vellent conversi ex Basan in carnali delectatione Domino benedicendum intelligere, subjungit ubi *Domino* benedicendum sit. Quasi dicat: Vos conversi *ex Basan, in ecclesiis benedicite Deo, de fontibus Israel*, subaudis inebriati, vel *de fontibus* confirmati et instructi: ut nunquam doctrina vestra ab eis dissonet; unde alibi: *Narrate in turribus ejus* (*Ps.* XLVII). *Ibi Benjamin adolescentulus. Benedicite de fontibus Israel*, inter quos fontes erit *Benjamin*, id est, Paulus de tribu Benjamin natus: *adolescentulus*, quia novissime fuit electus: *in mentus excessu*. Excessus mentis fit in stupore vel in elatione. In stupore mentis fuit Paulus, quando adeo percussus, jacuit per tres dies sine visu et auditu (*Act.* IX). Fuit etiam in sublimitate mentis cum dixit: *Scio hominem ante annos quatuordecim* (*sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit*) *raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum* (*II Cor.* XII). In qua etiam Ecclesia erunt *principes Juda duces eorum, principes Zabulon et principes Nephthalim.* Volunt quidam in hoc versu omnes apostolos intelligi de tribu istorum esse natos quod non habemus unde confirmemus, sicut non habemus unde improbemus: quare quærendæ sunt nominum interpretationes. Judas interpretatur *confessio*: ubi martyres intelliguntur, qui præcipuam fidem in Ecclesia habent, et pro ea maxime certant. Et quoniam certantibus pro fide opus est corroboratione et fortitudine, ne deficiant in certamine, subjungitur. *Principes Zabulon.* Zabulon interpretatur *habitaculum fortitudinis*, ubi spes intelligitur, quæ maxime corroborat martyres pro fide certantes: quia dum sperant æterna, non gravat eos mutare temporalia. *Principes Nephthalim.* Nominis interpretatio est *dilatatio*, ubi intelligitur dilatatum præmium, quod recepturi sunt qui hic legitime certant in fide: nam *qui perseveraverit usque in finem, salvus erit* (*Matth.* X, XXIV). Vel aliter: *Ibi Benjamin adolescentulus.* Jacob benedicens filiis suis, dixit Benjamin: Fiat *Benjamin lupus rapax, mane comedens prædam, vespere dividens spolia* (*Gen.* XLIX). In hac benedictione non specialiter Paulus notari potest, sed omnes illi qui, mane expulsa infidelitatis tenebrositate, quadam aviditate quasi comedendo sumunt verbum Dei: et vespere, id est, illi qui nocte ignorantiæ adhuc offuscantur, dividunt *spolia*, id est, prædicatores bonos mittunt ad alios, ut convertantur, velut Paulus qui misit Timotheum et Titum in annuntiationem fidei. *Spolia* dicuntur fideles, quoniam diabolo ablati sunt, a quo captivi tenebantur. Nota per prædam verbum Dei, juxta illud: *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). *Principes Juda duces eorum*,

A id est, principes fidei erunt duces eorum qui sunt in Ecclesia: et *principes Zabulon*, id est, principes spei, et principes *Nephtalim*, id est, charitatis, quæ charitas dicitur dilatatio, quoniam in charitate sic quidam extenduntur, ut pro inimicis orent. Nota *Benjamin in excessu mentis*, id est, in sublimitate, scilicet de se impio in se pium, de se animali in se spiritualem de se homine in se Deum. *Manda, Deus*, virtutem tuam. Quasi dicat: Ut te benedicant conversi ex Basan in Ecclesiis, *manda, Deus*, Pater, id est, commenda *virtutem tuam*, id est, Verbum tuum incarnatum, quod virtus tua est. Unde Paulus, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (*I Cor.* I). Vel *manda virtutis tuæ* benedictionem illam, ut per virtutem omnis fiat benedictio; vel *manda* virtutem B tuam, id est, charitatem quam habuisti erga homines: quoniam *cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Rom.* V). *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis*, id est, gratiam illam quam nobis tribuisti, *confirma*, id est, similem nobis et gentibus firmam redde, incipiendo *a templo tuo quod est in Jerusalem;* ibi enim prius verbum Dei prædicatum est. Sed quia excæcati recipere noluerunt, conversi sunt prædicatores ad gentes. *Confirma hoc quod operatus es in nobis.* Nam si confirmaveris, *reges*, id est apostoli tui, *offerent tibi munera:* nam Petrus offeret tibi conversos ex circumcisione; Paulus ex præputio; Thomas Indos, et quisque suos quibus prædicavit: vel aliter, *confirma hoc quod operatus es in nobis.* Nam si confirmaveris, *offerent tibi reges munera*, incipientes *a templo tuo*, et usque C *in Jerusalem* supercœlestem pervenientes. Et ut tibi offerant, *increpa feras arundinis*, id est, homines irrationabiliter viventes, et ideo feris comparabiles. Sunt etiam arundo, quia circumferuntur omni vento doctrinæ. Vel *increpa feras* dissipatrices *arundinis*, id est, doctrinæ sacræ, quæ per arundinem intelligitur, quoniam arundo solebat esse apud antiquos causa scripturæ. Unde alibi, *lingua mea calamus scribæ* (*Psal.* XLIV). Vel arundini comparantur hæretici: quia sicut arundo in lutoso loco fixa est, sic hæreticus quisque in lutoso intellectu se submergit. *Congregatis taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento.* Quasi dicat: Ideo dico ut increpas feras arundinis. Nam futura est *congregatio taurorum*, id est, illorum qui sunt indo- D mitæ cervicis, et ideo tauris comparabilis. Et ubi hæc congregatio futura sit ostendit. *In vaccis populorum*, inter illos videlicet, qui inter populos vaccis sunt comparabiles. Nota vaccam taurum libere sequi. Unde animas seductibiles quæ leviter sententiis hæreticorum subvertuntur, intellige vaccis comparabiles, quas notat Apostolus ubi dicit: *Qui* intrantes *domos vestras, captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis* (*II Tim.* III). Ad quod autem futuri sint hæretici, subjungit: *Ut excludant eos*, id est, ut per eos manifesti fiant, *qui probati sunt argento*, id est, eruditi in divino eloquio. Unde Apostolus: *Oportet esse hæreses, ut qui probati sunt*,

manifesti fiant (*I Cor.* XI); vel aliter, *ut excludant eos qui probati sunt argento*, id est, ex toto segregent perfectos ab imperfectis, subtrahendo magistros discipulis, et sic eos sibi incorporent; et ideo *increpa feras arundinis* hoc modo : *Dissipa bella* interiora, quia dissipasti bella exteriora. *Dissipa gentes quæ bella volunt*, id est hæreticos qui student contentioni, et non correctioni; et destructioni, et non ædificationi. Unde Apostolus : *In novissimis*, inquit, *temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, loquentium mendacium in hypocrisi* (*I Tim.* IV); hos tales dissipa. Et vere dissipabis, quia *venient legati ex Ægypto*, per quos confundentur hæretici. Ægyptus interpretatur tenebræ, et significat homines in corde tenebrosos, ex quibus illuminatis et conversis de infidelitate ad fidem, facti sunt legati Domini, ut per eos notificaretur verbum ejus illis, qui adhuc versabantur in tenebris. Unde Apostolus : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* (*II Cor.* V). Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo. *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Per Æthiopes intelliguntur moribus denigrati, qui prævenient manus Domini, id est, vindictam suam, adhærentes Deo, confitentes peccata sua, et hic punientes, ne Dominus puniat in futuro, quia quorum peccata hic non puniuntur, a Domino tandem in futuro punienda sunt. Quare ne a Domino puniamur, *præoccupemus faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV). Habet alia translatio : *Æthiopia festinat manus suas dare Deo*, id est, talia opera facere quæ sunt Deo acceptabilia; vel aliter : *Æthiopia præveniet manus ejus*, id est, opera sua, *Deo*, subaudis adhærens. *Ejus* ad Æthiopiam referendum est, ut tantum valeat manus ejus, quantum si diceret manus suas. Nam, teste Augustino, in feminino genere positum est in Hebræo. Nota quomodo Æthiopia præveniet manus suas, id est, opera sua. Præcedet enim confessio, ut subsequantur opera, quia si prius bene operarentur, viderentur peccata per meritum condonari. *Regna terræ, cantate Deo.* Propheta visis omnibus quæ per Christum et prædicatores suos futura erant, exhortatur illos qui convertendi sunt, ut in ejus laudem prorumpant. Quasi dicat : Quia hæc omnia pro vobis futura sunt, vos ergo, *regna terræ*, id est, qui ex terra regnum Dei facti estis, gratis videlicet vocati, *cantate Deo* interius, *psallite Domino* exterius : *psallite Deo*, dico, *qui ascendit super cælum cæli*, id est, super omnem cœlestem rationabilem creaturam, quæ est cœlum cœli, id est, hujus inferioris rationabilis creaturæ, et usque *ad orientem*, id est, usque ad Patris æqualitatem, ubi ipse semper oritur, et ejus ortus non fuit initium, nec erit finis. Unde illud : *Visitavit nos oriens ex alto* (*Luc.* I). Et alibi : Oriens et splendor *lucis æternæ* (*Sap.* VII); vel ad litteram, *qui ascendit super cælum cæli*, juxta illud : *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo* (*Joan.* III). Ipse enim tantum per se ascendit in cœlum : alii autem omnes qui as-

A cendunt, per illum habent ascendere; vel aliter, *qui ascendit super cælum cæli*. Cœlum fuit humana natura, verbo Patris personaliter unita, quia Christus etiam in humana natura sua compluit alios cœlos, apostolos videlicet, imbre verbi Dei. Intonuit autem minis, coruscavit miraculis. Super hoc cœlum ascendit Deus Filius quando ipsam humanam naturam secum exaltavit, et in paterna confessione collocavit, quod dicit, *psallite Deo qui ascendit super cælum cæli*, id est, super seipsum cœlum, id est, humanam naturam suam, *ad orientem*; id est, ad Patris æqualitatem. In hac autem ascensione maxime intellexerunt discipuli sui illum esse verum Deum et verum hominem. *Ecce dabit vocem virtutis voci suæ, psallite Deo.* Nam opus est, quia qui prius

B dedit vocem humilitatis cum dixit, *tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI), dabit vocem virtutis, dicens : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Nam qui venit humilis judicandus, veniet in virtute judicaturus. Et ut non timeatis vocem virtutis, *date gloriam Deo*, nihil præsumentes de vobis in bonis operibus; et ideo dico, ut gloriam detis Deo, quia tunc cum dederit vocem virtutis, erit *magnificentia ejus super Israel*, id est, super omnes videntes Deum, *et virtus ejus in nubibus*. De nubibus istis dictum est a Domino : *Mandabo nubibus meis, ne pluant super* meretricem illam (*Isa.* V). Et illud : *Amen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli* (*Matth.* XXVI) : in istis nubibus erit virtus Domini. De qua virtute dixit Paulus : *Mortui resurgent incorrupti et*

C *nos immutabimur* (*I Cor.* XV); vel in hac vita dabit virtutem nubibus suis. Unde idem Paulus : *Habemus*, inquit, *thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV), ut sublimitas sit virtutis Dei, non ex vobis. Vel *virtus ejus in nubibus*, quia veniet cum senioribus populi in virtute magna. Et ne aliud putares quod præmisit, *in nubibus* sequitur : *Mirabilis Deus in sanctis suis*, dans videlicet æterna bona pro temporali labore. *Deus Israel ipse dabit virtutem*, id est, resurrectionem; vel hic *dabit* suis *virtutem*, ut omnia possint per eum. Unde Paulus : *Omnia*, inquit, *possum in eo qui me confortat Christus* (*Phil.* IV). Dabit *fortitudinem*, id est, carnis incorruptibilitatem. Et cui dabit? *Plebi suæ*, nunc fragili, nunc infirmæ, nunc dicenti : Quandiu sum *in corpore*, pe-

D regrino *a Domino* (*II Cor.* V). Unde *benedictus Deus* per quem hæc omnia futura sunt.

PSALMUS LXVIII.

IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR, PSALMUS IPSIUS DAVID.

« Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt « aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo « profundi, et non est substantia, veni in altitudi- « nem maris, et tempestas dimersit me. Laboravi « clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : defece- « runt oculi mei, dum spero in Deum meum. Multi- « plicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt « me gratis. Confortati sunt qui persecuti sunt me

« inimici mei injuste : quæ non rapui tunc exsolve- A
« bam. Deus, tu scis insipientiam meam et delicta
« mea a te non sunt abscondita. Non erubescant
« in me, qui exspectant te, Domine, Domine virtu-
« tum. Non confundantur super me, qui quærunt te,
« Deus Israel. Quoniam propter te sustinui oppro-
« brium, operuit confusio faciem meam. Extraneus
« factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris
« meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et
« opprobria exprobantium tibi ceciderunt super
« me. Et operui in jejunio animam meam, et factum
« est opprobrium mihi. Et posui vestimentum
« meum cicilium, et factus sum illis in parabolam.
« Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta :
« et in me psallebant, qui bibebant vinum. Ego vero
« orationem meam ad te, Domine, tempus bene- B
« placiti Deus. In multitudine misericordiæ tuæ
« exaudi me, in veritate salutis tuæ. Eripe me de
« luto ut non infigar, libera me ab his qui oderunt
« me, et de profundis aquarum. Non me demergat
« tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum,
« neque urgeat super me puteus os suum. Exaudi
« me, Domine, quoniam benigna est misericordia
« tua : secundum multitudinem miserationum tua-
« rum respice me. Et ne avertas faciem tuam a
« puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me.
« Intende animæ meæ et libera eam, propter inimicos
« meos eripe me. Tu scis improperium meum, et
« confusionem meam, et reverentiam meam. In
« conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me : im-
« properium exspectavit cor meum et miseriam.
« Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: C
« et qui consolaretur, et non inveni. Et dederunt in
« escam meam fel, et in siti mea potaverunt me
« aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum,
« et in retributiones, et in scandalum. Obscurentur
« oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper
« incurva. Effunde super eos iram tuam, et furor
« iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum
« deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui in-
« habitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti
« sunt, et super dolorem vulnerum meorum addi-
« derunt. Appone iniquitatem super iniquitatem
« eorum, et non intrent in justitiam tuam.
« Deleantur de libro viventium, et cum istis non
« scribantur. Ego sum pauper et dolens, salus tua
« Deus suscepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, D
» et magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super
« vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.
« Videant pauperes et lætentur : quærite Deum, et
« vivet anima vestra. Quoniam exaudivit pauperes
« Dominus, et vinctos suos non despexit. Laudent
« illum cœli et terra, mare et omnia reptilia in eis.
« Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur
« civitates Judæ. Et inhabitabunt ibi, et hæreditate
« acquirent eam. Et semen servorum ejus possidebit
« eam : et qui diligunt nomen ejus, habitabunt
« in ea. »

ENARRATIO.

Commutatio fit duobus modis : vel de bono in pejus, vel de bono in melius ; quarum unam ex se habet homo, aliam ex gratia. Ex se enim habet quisque de bono quod commutatur in pejus. Hoc enim tradux primus reliquit posteris, cum per inobedientiam a Deo recessit (*Gen.* III). Hanc talem commutationem notat idem Propheta alibi, dicens : *Spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII). Salomon etiam notat hanc eamdem commutationem taliter : Omnis homo qui ambulaverit in iniquitate, non revertetur (*Prov.* II ; *Sap.* XVI). Per se, intelligendum est. Nam ex se habet quisque ut cadat, a se non habet ut resurgat. Habet enim ex gratia resurgere tantum; ubi jam notatur commutatio de malo in melius. De cujus commutationis causa loquitur psalmus iste. Nam in hoc psalmo notatur vox Christi agentis de passione sua, quæ commutationis de malo in bonum fuit causa. Ipse enim Dominus per passionem transivit de temporali labore ad æterna bona, nos autem in eodem transitu in spe transivimus hæc temporalia, et exspectavimus æterna, quæ omnis secure potest exspectare, qui veterem hominem exuit et novum induit. Sic enim quisque debet commutari de malo in melius, ad quam commutationem admonemur voce dominica, commendante nobis passionem suam ad imitandum. Nota etiam hic quædam caput nostrum loqui, quæ suæ dignitati conveniunt, quædam, quæ nostræ infirmitati necessaria sunt. Dicit autem sic Caput nostrum :

Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. In hoc versu tam pro membris quam pro se ipso orat Caput nostrum, sic dicens *Deus* Pater, *salvum me fac* in me et in meis, ut mihi quidem resurrectionem concedas exteriorem, meis autem interiorem. Et opus est ut salves, *quoniam intraverunt aquæ*, id est, turba seditiosa furentis populi circumdedit me, et *usque ad animam meam*, subaudis auferendam. Nota hic populum nomine aquæ jure designari, qui nunquam in eodem statu permanet, sed more fluentis aquæ semper volvitur, cadens de vitio in vitium ; vel populus etiam Judæorum maxime in morte Domini similitudinem aquæ gerebat, quia sicut aqua circa hominem volvitur donec eum submergat, ita populus Judæorum volvebatur circa Dominum, quo usque eum morti tradidit. Volvebatur enim circa eum, insidias ei ponendo, eum capiendo, judicando tandem, occidendo. Quod hic notatur, *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Et quomodo intraverunt? *Infixus sum in limo profundi*, id est, inter illos detentus sum qui limum suum, id est, terrenitatem suam profundam, id est, porro a fundo, fecerunt. De quibus dicitur : *Peccator cum venerit in profundum, contemnit* (*Prov.* XVIII). Nota omnes homines esse in limo, quia omnes ex limo creati sunt, et aliquando necessitate viæ habent peccare ; qui autem spernentes novitatem, vetustati omnino consentiunt, in profundo limo reputantur sed qui in his non consentiunt, in alto limo

sunt, de terra quasi aurum facientes,cum veterem hominem exuunt, et novum induunt; et animalem vitam postponunt, et spiritualem attendunt.*Et non est substantia.*Causa supponitur quare in limo infixu sit, cum dixit : *Non est subtantia.*In substantia non sunt omnes qui a vero esse deviant.Substantia enim dicitur res permanens in creatione sua. Qui autem novum hominem inducere volunt,sed veteri in omnibus obediunt,in substantia non sunt quia verum esse amiserunt,velut isti a quibus Dominus detentus est in passione :quoniam si essent in substantia, id est, in plasmatione illa, in quam Deus illos creavit, non esset detentus ab eis quem Deus genuit ; vel aliter : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam ;* et hoc ideo, quia *infixus sum in limo profundi*, id est, in natura humana, quæ est quasi limus profundus, quia est mortalis et passibilis; *et* ideo *non est substantia*, id est, non appareo esse in vera essentia mea,in qua æqualis Patri sum omnipotenti.Nota quia nuquam æqualitatem Patris amisit in qua semper permansit.Sed quoniam formam pauperis visus est assumpsisse,a pluribus opinabatur non in divinitate regnare.*Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me*: Priori sententiæ sic continuatur : *Infixus sum in limo profundi*, id est, detentus sum in profunditate terrenorum, et hoc non ex potestate illorum a quibus detentus sum,sed ego voluntate mea *veni in altitudinem maris*,id est in profunditatem sæcularium more maris fluctuantium, et in amaritudine conversantium : *et* ideo *tempestas*, id est, furor seditiosi populi, *demersit me*, ut absorberer a ceto, et vivus evomer ; quod præfiguratum erat in Jona (*Jon.* II) re, non voce. Nota mare istud cum deberet esse rationabile,omnimoda depressum cæcitate. Nam mare rationabile se calcabile plantis Domini præbuit:ventis commotum, cessavit. Mare istud irrationabile non tantum ad saluberrimam vocem ejus non quievit,sed etiam demersit, quia morti eum tradidit. Aliter : *Infixus sum in limo* profundi, id est, mortalitate carnis : *et non est substantia*, id est, non apparui in divitiis meis, quia veni in altitudinem maris,in qua altitudine *laboravi clamans* istud videlicet : *Væ mundo a scandalis* (*Matth.* XVIII), et cætera quibus deterrerem homines ut cessarent a peccatis,et viam insisterent æternæ salutis, Et dum hoc clamarem, *raucæ factæ sunt fauces meæ*, id est, camparabilis factus sum homini raucam vocem emittenti, et ideo nulli ad audiendum delectabilem. Nam pene nullus fuit cui vox mea in imitatione mei placeret.Et tandem *defecerunt oculi mei*, id est, ad mortem se paraverunt *dum spero in Deum meum*, id est, dum aliam causam non haberent mortis meæ, nisi quia me a spe Dei mei cessare non viderunt.Aliter : *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Non legitur quod in passione Dominus laborasset in clamore, quia dicitur : *Sicut ovis ad occisionem* ductus est,*et* sicut *agnus coram tondente se* obmutescit, sic non aperuit *os suum* (*Isa.* LIII); quare intelligendum est

A ante passionem quod dicit, *laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, id est,ita sedulus fui in clamore salutis eorum,sicut ille qui pro suscepto suo tantum laborat in causa,ut raucus fiat:quod tamen non profuit, quia *oculi mei*, id est,apostoli mei,*defecerunt* in fide,*dum* ego tamen *spero in Deum meum* id est,dum spem meam in nullo minutam esse viderunt.Defecerunt illi in fide,quibus Dominus quasi peregrinus apparuit, et dicentibus : *Nos putabamus quod redempturus esset Israel* (*Luc.* XXIV). *Multiplicati sunt super cupillos capitis mei.* Quasi dicat : Defecerunt oculi mei : nam qui oderunt me gratis nulla præmissione culpæ meæ,*multiplicati sunt* facti *super capillos capitis mei*, id est, plures apparebant quam essent capilli capitis mei, quia in tantum

B augmentati sunt inimici,ut etiam discipulum meum in augmentationem numeri sui assumerent. Nota per capillos caput adornari, ubi intelliguntur illi, qui in tempore passionis a Domino non recesserun sed quia pauci fuerunt, qui tunc temporis adhærebant Domino,ideo dicit: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei*, quia plures erant decalvantium quam adornantium, *qui oderunt me gratis*,quia neminem læsi,qui pro salute omnium veni.Et ne tantum odium intelligeremus,subjungit:*Confortati sunt* ad effectum deducendo, videlicet quod in mente conceperunt,*inimici mei injuste.*Nihil enim injusius quam opprimere qui venit salutem dare. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Factus est hostia pro peccato, cum nullum unquam perpetrasset peccatum. Rapuit angelus a Deo apostatando, cum dixit: Ponam

C sedem meam ad Aquilonem,et *ero similis Altissimo* (*Isa.* XIX).Rapuit primus parens,cum consensit diabolo ex calice superbiæ sibi mortem propinanti Tendebat enim ut Deus esset et venit ad hoc ut bonus non esset;hoc peccatum solvit Dominus non manu armata, sed clavo in cruce fixa. *Deus,tu scis insipientiam meam* Ne quæres causam quare exsolvisset,cum non rapuisset,subjunxit quare solvisset ut mundus cognosceret eum ad hoc missum esse,ut Patri obediret: quod dicit,*Quæ non rapui,tunc exolverbum* : et *tu Deus* Pater *scis*, id est probas, *insipientiam meam*, quia ipsi insipientiæ reputant. Et quia tu probas, probatur non esse insipientia, quia quidquid a Deo probatur non est insipientia : *Quod stultum est Dei,sapientius est ho-*

D *minibus* (*I Cor.* I). Pro insipientia habebant Judæi Deum qui se omnia posse dicebat, pati, colaphizari conspui, occidi. Quam autem insipienter hæc omnia fiebant non latebat Deum Patrem, quia nihil commeruit pro quo pati voluit. Unde Petrus apostolus : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). *Et delicta mea*, quæ secundum eorum opinionem delicta fuerunt,*a te non sunt abscondita*, cum tamen omne delictum a te est absconditum, non quod non cognoscas, sed quia non probas. Nota delicta quæ imponebant Domino quia cum viderent eum Sabbato hominem curare, murmurabant dicentes : *Hic homo non est a Deo,qui*

Sabbatum non custodit (*Joan.* IX). Hæc et his similia pro delictis habebant Judæi, cum tamen essent facta bona, quod dicit: *Delicta mea a te non sunt abscondita*, et ideo *non erubescant in me*, subaudis non resuscitato, *qui te, Domine*, remuneratorem *exspectant*, te dico, qui es Dominus *virtutum*, id est cœlestium exercituum, quod minime opinantur stulti. *Non confundantur super me* non resuscitato *qui quærunt te, Deus Israel*, bonis operibus per me mediatorem, *quoniam propter te sustinui opprobrium*. Rogo ut non confundantur mei me non resuscitato. Et vere non confundentur, *quoniam ego propter te* tantum *sustinui opprobrium*, id est convicia mihi illata, ex culpa mea non sustinui, sed ut tibi tantum obedirem. Hoc nullus hominum de se potest dicere, quia etsi aliqui sit qui judicatur de furto, et non sit reus furti, perpetravit tamen aliud aliquid unde judicari promeruit: *Operuit confusio faciem meam*, confusio est, quam conscientia mordet interius; quæ confusio operuit faciem Domini, quantum ad Judæorum opinionem, quia eum totius delicti reum putabant, quod dicit: *Operuit confusio faciem meam*. Unde *extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ*. Fratres vocat, qui in fide firmiores fuerunt, ut apostoli, quibus extraneus factus est, quia relicto eo fugerunt. Filii matris fuerunt illi, ex quibus secundum carnem natus fuit: quibus factus est peregrinus, quia etsi aliquis fuit qui recepit eum non recepit eum ut fratrem, sed quasi peregrinum parum honoris videlicet sibi impendens; quod dicit *et peregrinus filiis matris meæ*; et hoc ideo; *Quoniam zelus domus tuæ comedit me*, id est, indignatio domus tuæ, videlicet quod non patienter tuli illos qui domum tuam dehonestabant, se videlicet faciendo domum luxuriæ totiusque turpitudinis, cum se deberent facere domum tuam, domum videlicet castitatis, mansuetudinis et pietatis. Et ob hoc *zelus*, id est, indignatio hæc tua domo *comedit me*, id est, interius momordit me, *et* propter hoc *opprobria exprobrantium tibi* per me; quia qui honorificat Filium honorificat Patrem, et qui improperia dicit Filio dicit et Patri (*Joan.* V): quod dicit, *exprobrantium tibi ceciderunt super me*. *Et* ego tamen licet mihi improperassent, sitiendo salutem illorum *operui in jejunio animam meam*, id est, multa macie affectus sum quia populus ille quem esuriebam me in mortem dedit, vel, *operui in jejunio animam meam*, id est, animositatem meam in ipso jejunio repressi, quia ad apertam vindictam non surrexi: et hoc *factum est mihi in opprobrium*, quia mihi dixerunt: *Nonne bene dicimus quia Samaritanus es tu et dæmonium habes?* (*Joan.* VIII.) Ego autem *posui vestimentum meum cilicium*, id est me in similitudine miseri ostendi, quia carnem meam, quæ pro peccato hominum mortalis facta est, in quam sævirent, illis opposuit occultata divinitate mea. Vel, ad similitudinem legatur, ut sicuti cilicium et perturbatorum vestis est, ita utilem exhibui illis carnem meam, vel ipsos qui cilicium fuerunt, quoniam et moribus omnino perversi fuerunt. Ad me conversos vestimentum posui, latronem videlicet et centurionem. *Et factus sum illis in parabolam*, id est, in similitudinem improperii, quam cum volebant aliis improperare, me in similitudinem induxerunt, dicentes: Sic moriaris tu, sicut ille mortuus est. *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum*, id est, non tantum *extraneus factus sum fratribus meis*, sed etiam illis *qui sedebant in porta*, judices videlicet quorum sedes fuit in porta ut juste judicarent, *adversum me*, subaudis opprimendum, *loquebantur*. *Et in me psallebant qui bibebant vinum*, id est, qui temporali jucunditate ebrii fuerunt, vel qui vino erroris potati fuerunt. *Ego vero orationem meam ad te, Domine*, subaudis direxi, dicens: *tempus* est *beneplaciti* tui, subaudis implendi, gratuitæ gratiæ humano generi faciendæ. Et ideo *exaudi me* orantem, subaudis, pro meis, *in multitudine misericordiæ tuæ*. Magna est enim eorum miseria, subveniat multitudo misericodiæ tuæ: *exaudi me et in veritate salutis tuæ*, verax videlicet apparendo in dando mihi salutem, id est, carnis incorruptibilitatem. *Eripe me de luto ut non infigar*. Hactenus pro se ipso caput nostrum oravit, deinceps pro membris suis sic orat: *Eripe me*, id est, meos *de luto*, id est, de his qui in luto permanserunt, *ut non infigar*, id est, ut non infigantur illi, subaudis, incorporati. Quasi dicat: Non rogo ut sic eripias, ut ab eis persecutionem non patiantur sed sic eripe, ut eis non incorporentur: et ut illud fiat, *libera me*, id est meos, *ab his qui oderunt* meos et me ipsum. *Et de profundis aquarum*, id est, de profunditate peccatorum, hoc modo: *non me demergat tempestas aquæ*. Tempestas aquæ accipitur vel pro minis aperte sævientium, vel pro blanditis adulantium, de qua tempestate rogat caput nostrum, suos liberari, sic *non me demergat tempestas aquæ*, ut consentiam vel blanditiis adulantium, vel minis aperte furentium: vel si quando consentiam, non *absorbeat me profundum*, id est, non perveniam ad actum cum his qui in profunditate peccatorum conversantur, vel si ad actum pervenero, non *urgeat super me puteus os suum*, id est, non claudatur super me profunditas iniquitatis. Clauditur in profunditate iniquitatis qui post perpetrationem non facit confessionem, sed parat peccati defensionem. Hi tales in futuro non liberantur, quoniam qui hic non est in confessione non erit ibi in liberatione. Nam qui hic est defensor peccati ejus non erit Dominus liberator. Ut autem ipse sit liberator, sit quisque hic accusator. De capite sic potest dici: *Non urgeat super me puteus os suum*, id est, non claudatur super me juxta illud: *non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Ps.* XV); quia si remanerem in morte, comparabilis essem cuique super quem clausisset puteus os suum, ita videlicet ut taceat confessionem et clamet defensionem. *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua*. Nota misericordiam tunc maxime benignam, quando quisque suam ex-

pertus est miseriam, sicut pluvia maxime acceptabilis est terræ, postquam ipsa terra diu est in siccitate. Quod hic dicit, *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Quasi dicat : Experti sunt mei suam miseriam, experiantur tuam misericordiam, id est, piam affectionem tuam, et sic *secundum multitudinem miserationem tuarum*, id est, secundum multam exhibitionem misericordiæ, *respice in me*, id est, in meos, qui despexisti eos secundum multitudinem iræ tuæ. Et ut respicias, *ne avertas faciem tuam a puero tuo,* id est, a meis qui jam facti sunt pueri, id est, humiles veri et pueri, cum prius essent superbi, et *velociter exaudi me*, id est, meos, *quoniam tribulor*, id est, mei tribulantur. Quasi dicat : Ne differas misericordiam, quoniam mei recognoscunt suam miseriam. Et ut velociter exaudias, *intende animæ meæ et libera eam*, occulte subaudis, et *eripe me*, id est, meos, *propter inimicos meos*, subaudis convertendos vel excæcandos. Nota duobus modis Deum liberare suos fideles, aperte et occulte. Occulte enim liberavit Machabæos, quos rex Antiochus tenuit captivos, in qua liberatione excæcatus est Antiochus (*II Mach.* VII), quia dum exterius potentiam suam exercuit, et sic eis prævalere putavit, Deus eum interius excæcavit, quia interius eos esse liberatos non intellexit in quos exterius sævivit. Aperte liberavit etiam tres pueros Dominus sub potestate regis Nabuchodonosor (*Dan.* III). Hæc talis liberatio fit pro confessione inimicorum ut, dum illi virtutem Domini aperte fieri viderant, ad fidem convertantur, ut Nabuchodonosor, qui conversus aliis virtutem Domini nuntiavit (*Dan.* IV). *Tu scis improperium meum et confusionem meam et reverentiam meam.* Quasi dicat : Justum est ut me eripias in meis, quia tu scis quanta passi sunt propter te improperia et tu scis confusiones et reverentias, quas passus sum in meis, non quantum ad te, sed quantum ad eorum opinionem. Improperium fuit quando dixerunt : *Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus.* (*Matth.* XXVI ?) Confusio fuit, quando clausis oculis suis eum colaphizabant, dicentes : *Prophetiza, quis est qui te percussit* (*Ibid.*). Est autem confusio, quando conscientia mordet hominem interius : quod maxime putabant Judæi, qui putabant eum ignorare quis eum percussisset, et sic in conscientia sua confusionem haberet qui prius se omnia scire dicebat. Reverentia, id est pudor, qui ingenuam frontem etiam de falsi criminis objectione facit rubere. Hæc omnia fuerunt in Christo, quantum ad Judæorum opinionem, non quantum ad rei veritatem, quia non potuit esse confusio in conscientia tam sancta, neque erubescentia in fronte tam libera. Aliter : *Eripe meos.* Et opus est, ut eripias, quia *tu scis improperium meum*, id est, meorum, *et confusionem meam*, id est, meorum. *Improperium* est, quod ab inimico infertur, licet cui inferatur in conscientia sua ex ipso improperio patiatur, velut sancti viri, cum eis improperabatur quod in Christum crucifixum et in latronem mortuum crederent, nihil erubescentiæ

A passi sunt in conscientia sua. Paulus enim non satis arbitrabatur non erubescere Christum crucifixum, sed in eo tantum gloriari voluit, cum dixit : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI). *Confusionem* passi sunt minus perfecti, quando interius erubescebant, et eos conscientia mordebat de hoc quod eis improperabatur, quia in mortuum crederent, apud quos plus valuit lingua humana quam promissio divina. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me.* Quasi dicat : *Tu scis improperium meum*, nam illi *qui me tribulant, in conspecto tuo sunt* et te non latent, me etiam non latent, quia *improperium exspectavit cor meum et miseriam* illorum ; subaudis ut recognoscerent videlicet se miseros, et conversi pœniterent : vel, sic ipsi

B *tribulant me*, quasi nescientem et nolentem subire tribulationes. *Cor autem meum exspectavit improperium*, id est, sponte recepi passionem, quia *nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam* (*Joan.* X), et iterum sumo eam. Et *exspectavit* etiam *cor meum miseriam* illorum delendam: *et sustinui* id, est, attendi *qui constristaretur*, id est, qui mecum doleret *simul*, id est, de eadem re de qua ego dolui, de errore videlicet eorum qui miseriam suam nolebant attendere: *et non fuit*, aliquis, subaudis qui de perditione Judæorum constristati vellet. Nota discipulos in morte Domini contristari, sed non tristabantur de perditione Judæorum, unde Dominus contristatus est. Sunt enim contristati de morte ejus tantum, quia etsi crederent quodam modo eum resurrecturum et amplius eum non moriturum, tamen dolebant quia vita, in qua

C tam sancte et tam pie eum vivere videbant, per mortem erat mutanda. *Qui consolaretur, et non* erat, Quasi dicat : Exspectavi etiam qui mecum consolaretur de salute Judæorum, si converterentur, et non *inveni*, sed potius illi, quorum miseriam delendam exspectavi, et de quorum salute consolari volui, *dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto*, quia, se ipsos quos esurivi ut sapidum cibum et suavem, dederunt mihi fellitam escam, et quos jucundum potum sitivi, se acidum exhibuerunt mihi potum. Eorum enim sitiebam ego novitatem, et ipsi propinabant mihi vetustatem. Propinant adhuc omnes vetustatem, et offerunt Deo fellitam escam ad comedendum qui, perverse vivendo, Evangelicæ veritati contradicunt, et Dominum non resurrexisse

D credunt. Hi tales a fidelibus sunt tolerandi, et non interficiendi, quod ipse Dominus notavit, cum gustasset et noluisset bibere. In hoc enim admonuit, quia impii essent gestandi, sed non incorporandi, tolerandi, sed non interficiendi. Ipse enim fel gustavit, sed non sibi incorporavit. Vel ad litteram potest legi *dederunt in escam meam fel.* Non legitur quod fel dedissent Domino comedere, sed notum est ante passionem Dominum cum discipulis suis sanctissimum Pascha comedisse, escam videlicet dulcem et suavem, in quam escam admiscebant fel Judæi, quando ei in cruce pendenti acetum cum felle mistum ad bibendum propinabant : quod dicit hic, *Et dederunt in*

escam meam fel, id est, super escam quam cum discipulis meis comederam, posuerunt fel, *et in siti mea potaverunt me aceto.* Quare, *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, id est, apparatus, quem mihi parabant, *fiat eis* in perditionem et *in retributiones*, id est recognoscant hoc eis esse in retributionem meritorum suorum, quia illud promeruerunt quod illaquearentur ubi me illaqueare putabant. *Et in scandalum fiat* eis *mensa eorum*, quia in me *lapidem offensionis, et petram scandali* offensi sunt. Vel aliter : *Fiat mensa eorum*, id est, Scriptura ex qua refici putabant, *fiat in laqueum*, et hoc *coram ipsis*, id est, eis scientibus, quia dum Scripturam haberent ex qua quid faciendum esset cognoscere poterant, quasi laqueus eis parabatur, dum Scripturam intelligere noluerunt ; vel si intellexerunt, fingebant se non intelligere, et hoc fiet eis *in retributiones et in scandalum.* Et hoc quomodo ? *Obscurentur oculi eorum*, interiores subaudis, *ne videant* quod videndum est. *Et dorsum eorum semper incurva*, ad terrena, subaudis, onera portanda. Nam justum est ut qui nolebant attendere sursum corda me tuendo, curvarentur ad terrena. *Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprendat eos* hoc modo : *Fiat habitatio eorum deserta*, id est, civitas illa in qua ipsi habitant, ab ipsis fiat deserta. Et quoniam dixit *habitatio*, ne quis intelligeret hic esse permanendum, subjungit : *et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet ;* ut sic ostenderet unde esset migrandum, quia tabernacula sunt tuguria in expeditione militantium, et non in eodem loco permanentium. Vel sic : *Fiat habitatio eorum deserta*, id est, domus eorum, qua assidue morabantur, fiat ab eis deserta. Nam justum est ut non permittantur ibi habitare ubi permissi sunt contra Dominum clamare. Amiserunt locum furoris. Utinam vel nunc recognoscerent locum quietis ! *et in tabernaculis eorum*, id est, in templo Salomonis et in templo Domini, in quibus quasi in tabernaculis habitabant, *non sit qui inhabitet* ex multitudine Judaici populi. Et cur ? *Quoniam quem tu percussisti*, id est, percussibilem mortalitate et passibilitate fecisti, *persecuti sunt*, inquantum eis licuit. Percussit Deus mortalitate et passibilitate primum hominem, ab eo per inobedientiam recedentem, in quo omnis posteritas in eodem vulnere vulnerata est. Christus autem, quia secundum hominem in ea natus est progenie, ex eo non fuit alienus vulnere, quia mortalis et passibilis factus est, quem Judæi persecuti sunt : quod hic dici, *quoniam quem percussisti, persecuti sunt, et super dolorem*, mortalitatis subaudis, *addiderunt* dolorem *vulnerum meorum*, quia mortem acceleraverunt : vel, *super dolorem vulnerum meorum*, id est, super mortem meam *addiderunt*, quia custodes pretio corrumpebant, ut me resurrexisse negarent, vel *super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, dolorem meum, subaudis, quia non satis fuit eis servos meos ad vineam missos occidisse, nisi me hæredem etiam occidissent : vel, *super dolorem vulnerum meorum addiderunt* dolorem vulnerum meo-

A rum, quia, me occiso, sæviebant in apostolis et in cæteris membris meis occidendis. Et ideo, *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*, ut ex iniquis patribus iniqui filii generentur, velut de peccato cadant in peccatum. Vel, *appone iniquitatem super iniquitatem eorum*, ut, me interfecto, dent pretium custodibus, qui me non resurrexisse dicant. *Et non intrent in justitiam tuam*, id est, non repetentur cum justis tuis, sed potius, *deleantur de libro viventium*, vel de divina prædestinatione in qua iniqua præsumptione se scriptos dicebant. *Et cum justis non scribantur*, quantum ad tuam æquitatem, et hoc ideo, quia *ego sum pauper et dolens* reputatione illorum, sed quæ cura ? Quia *salus tua*, id est, Verbum tuum mihi personaliter unitum, *suscepit me* in gloria re-

B surrectionis et immortalitate carnis vel sic, *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur :* ego autem et mei non deleamur, sed potius ascribamur, quia *sum pauper et dolens*, et hoc mihi et meis ad salutem, quia *salus tua*, o *Deus, suscepit me*, quæ neminem suscipit, nisi seipsum pauperem recognoscat. Et quia *salus tua me suscepit, laudabo nomen Dei cum cantico*, id est cum mentis hilaritate, *et magnificabo eum in laude*, nihil de me præsumendo. Unde alibi : *Date gloriam laudi ejus* (*Ps.* LXV). Et hæc laus *placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas*, id est, super omnia sacrificia legis. Præceptum fuit in lege ut vitellus novellus producens cornua et ungulas assumeretur in quodam sacrificio : per quem vitulum hic accipiuntur omnia

C legalia, quia super omnia legalia placet Deo, si nomen ejus cum cantico laudatur. Quare *videant pauperes* primitivos in Ecclesia laudantes, *et* imitando eos in laude *lætentur. Quærite Deum, et vivet anima vestra.* Apostropham facit ad auditores, ut incitentur ad laudem, dicens : *Quærite* Dominum non ut vivat corpus, quod faciunt et pecora, sed *quærite* Dominum, *et vivet anima vestra*, licet corpus non occidatur. Et merito quærendus est, *quoniam* jam ex longo tempore ipse *Dominus exaudivit pauperes et vinctos suos*, id est, præceptis suis astrictos *non despexit.* Unde *laudent illum cœli*, id est majores in Ecclesia, *et terra*, id est, minores, qui jam terra facti sunt ut coli possint : laudet eum *mare*, id est, fluctus gentium, *et omnia reptilia in eis*, id est, omnes illi laudent qui sustentantur per cœlum et terram et mare. Vel ali-

D ter, *vinctos suos non despexit.* Vinctus est omnis homo in primo parente vinculo mortalitatis et passibilitatis : omnes autem illos qui se vinctos attendunt *non despexit* Dominus, sed juvat eos potius sublevare compedes quibus vincti sunt : unde *laudent illum cœli et terra*, id est, hæc omnia sint materia laudandi Deum his qui vincti sunt. Laudant Dominum per cœlum et per terram et per mare, qui ex istis non quærunt nisi quantum necesse est eis, quandiu vinculis astricti sunt, quod est victus et vestitus, quia his sublevant compedes quibus gravati sunt, ne eos gravent. Si autem ultra necessitatem quidem quærunt, jam non sublevant vincula sua sed potius gra-

via faciunt, et multum ab eis gravantur. Nam quisque in ferro materiali vinctus, si vult sublevare ferrum ne nimis eum gravet, non multos apponit pannos quibus sublevet, quia si multum apponeret, jam non tantum non sublevaret, sed etiam gravius sibi ferrum faceret. Quare quisque vinctus laudet Dominum per cœlum et per terram, nihil ab eis assumendo unde compedes onerentur, quibus vinctus est. Et merito in his omnibus laudandus est Dominus. *Quoniam* ipse Dominus *salvam faciet Sion*, id est, constituet Ecclesiam primitivam. *Et ædificabuntur civitates Judæ:* ex confitentibus ædificabitur civitas, id est, Ecclesia. *Et inhabitabunt ibi*, id est, illi qui sunt in civitate Judæ, gentes videlicet humiliter confitentes, inhabitabunt Ecclesiam ex Sion factam. *Et hæreditate acquirent eam*, quia ex ipsa primitiva reficientur alii conversi, *et semen servorum ejus possidebit eam*, id est, quique imitatores prædicatorum suorum possidebunt eam, subaudis hæreditatem. Et ne quique usurparent sibi illam hæreditatem, dicentes : *Semen Abrahæ sumus* (*Joan.* VIII), et ideo hæreditatem illam possidebimus, subjungit: *Qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea*. Nam qui in fide Abraham imitantur, illi tantum possidebunt illam hæreditatem, non qui filii sunt Abrahæ secundum carnem.

PSALMUS LXIX.

IN FINEM PSALMUS DAVID IN REMEMORATIONE, EO QUOD SALVUM FECIT EUM DOMINUS.

« Deus in adjutorium meum intende : Domine, ad « adjuvandum me festina. Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam. Avertantur retrorsum et erubescant qui volunt mihi mala. Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi : Euge, euge. Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Ego vero egenus et pauper sum, Deus, adjuva me. Adjutor meus et liberator meus es tu, Domine, ne moreris. »

ENARRATIO.

Rememoratio fit duobus modis. Fit enim, quando quisque timens severitatem et judicium Domini, peccatorum suorum recordatur. Fit etiam, quando quisque recordatur se peccatorem fuisse, et per gratiam Dei se esse liberatum. De hac rememoratione intitulatur psalmus iste, quia eorum vox est in hoc psalmo qui recordantur salutis suæ per gratiam Domini sibi administratæ. Titulus sic construitur : *In finem* referuntur hæc verba : et est *psalmus, David* attribuendus, factus *in rememoratione*. Et quia rememoratio duobus dicitur modis, determinat de qua rememoratione dicat, *eo quod salvum* me *fecit Dominus*. Ingressus Augustino in hoc psalmo talis est : « Gratias grano tritici, quia mori voluit et multiplicari : gratias Domino et Salvatori nostro Jesu Christo, qui mortem nostram subire non dedignatus est, ut dignos nos vita faceret. Granum illud singulare fuit, sed fecunditatem multiplicationis in se habuit. In multis enim granis passionem suam imitantibus exsultamus,

A quando natalitia sanctorum martyrum celebramus, quorum vox est in hoc psalmo. »

Nam est vox contribulatorum et in passione periclitantium, sed de capite suo præsumentium. Audiamus martyres hic loquentes, et loquamur cum illis ex affectione cordis, licet non ex similitudine passionis. Ipsi enim jam sunt coronati, nos adhuc periclitamur. Nam fortasse tempora nostra pleniora sunt scandalis, quam sua essent, quia licet non patiamur aperte diabolum sævientem per leonem, patiamur eum occulte sævientem per draconem. Cessavit persecutio paganorum, sed non malevolentia male cogitantium et blasphemantium, a quibus persecutionem patiuntur fideles : quoniam etsi mala non exercent in corporibus sanctorum, tamen mala facta

B eorum arguunt sanctos. Nam sanctus Loth non persecutionem passus est in corpore suo, sed malefacta Sodomorum et Gomorrhæorum ei fuerunt passio. Patiuntur fideles male facta quorumdam in Ecclesia : in festivitatibus martyrum et cæterorum sanctorum ad Ecclesiam concurrunt, non ut ubi velint pacem habere, sed insanire, non orare, sed insultare. Quorum talium symphonias et modulationes patiuntur sancti, quia propositum est omnibus piis pati persecutionem ab impiis. Pro quibus talibus orandum est ut, dimissa insania, aliquando intra parietes Ecclesiæ percutiant pectus suum dicentes : *Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII), et sic nobiscum dicant :

Deus, in adjutorium meum intende, id est, intensum te fac ut me adjuves : *Domine, ad adjuvandum me festina*. Nota quod non ideo rogat Dominum ad

C adjuvandum festinare, quod ejus auxilium unquam sit tardum, quia semper adjutor est in opportunitatibus : quia cupienti animo nihil satis festinatur, et debilis humana natura cui nihil satis festinari videtur, dicit quod hic loquitur : *Domine, ad adjuvandum me festina. Confundantur*, id est, dignos se confusione recognoscant, *et reveantur* futurum judicium, *qui quærunt animam meam* ad oppressionem, non ad imitationem. *Avertantur retrorsum*, id est, inefficaces fiant qui præcedere volebant, et retrorsum ponantur, id est, nos imitari studeant : *et erubescant* non tantum qui mala fecerunt, sed *erubescant* etiam *qui mala mihi volunt*. Nota hic diversa tempora persecutionum : unum, quando impetus paganorum sævit in Christianos ; aliud quando mala voluntas Christianorum per-

D sequitur fideles ; quod adhuc durat in Ecclesia, quoniam et si baptizati sunt reges pagani et persecutores cæteri, non est tamen baptizatus diabolus, qui occulte sævit per occultos, id est, per malos Christianos. *Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi : Euge, euge*. Nota duo genera inimicorum, vituperantium et adulantium. Et quoniam sæpe magis devocat lingua adulatoris quam manus interfectoris, dicit : *Avertantur statim*, id est, indilate, et *erubescentes* de vita præterita, *qui dicunt mihi : Euge, euge*, id est, qui adulatorie laudant quod laudandum non est : illi *avertantur*. Ex opposito autem *exsultent et lætentur in te*, non in se, *omnes qui quærunt te* bonis

operibus, *et qui diligunt salutare tuum, dicant semper*, id est, in omni tempore, *magnificetur Dominus*, nunquam servus, *magnificetur* in prosperis, quia consolatur : *magnificetur* in adversis, quia corrigit. Peccator es? *magnificetur*, quia te vocat; confiteris? *magnificetur*, quia ignoscit; juste vivis? magnificetur, quia regit; perseverabis? *magnificetur*, quia te glorificabit. Dicant semper : *Magnificetur Dominus :* de se autem dicat unusquisque, *Ego vero egenus et pauper sum*, et ideo tu, *Deus, adjuva me* qui damnasti me rebellem adversum te. Et debes adjuvare, quia *tu es adjutor meus* in bonis, *et liberator meus* in malis : et ideo *tu, Domine, ne moreris*, id est, ne permittas ut mihi videaris morari, et ne mihi videatur tardum quod a te est prævisum et servatum mihi, cum opus est. Nam, cui videtur tardum quod a te est promissum, potest contingere ut deficiat sub onere, et quærat in itinere quod promissum est tantum in perventione. Quare timeamus Dominum dicentem : *Mementote uxoris Loth* (*Luc.* XVII). Notum est quia Loth juste vixit inter Sodomitas, et ideo a Domino admonitus est ut dimitteret Sodomam, et iret ad quasdam civitates ubi salvaretur a perditione quæ imminebat Sodomiti. Uxor autem ejus, quia longa videbatur via, volens habere in itinere quod promissum fuit in perventione, respexit et in statuam salis mutata est (*Gen.* XIX). Nec hoc frustra, quia nobis debet esse condimentum. Ne nobis videatur tardum quod divinitus est promissum, attendamus eam remanentem, et transeamus; attendamus eam respicientem, et extendamus nos in anteriora, obliviscentes ea quæ retro sunt, ut tandem cum Apostolo possimus dicere : *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (*II Tim.* IV).

PSALMUS LXX.

PSALMUS DAVID FILIORUM JONADAB ET PRIORUM CAPTIVORUM.

« In te, Domine, speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me et eripe me. Inclina « ad me aurem tuam, et salva me. Esto mihi in « Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias. Quoniam firmamentum meum et « refugium meum es tu. Deus meus, eripe me de « manu peccatoris, et de manu contra legem agentis « et iniqui. Quoniam tu es patientia mea, Domine : « Domine, spes mea a juventute mea. In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es « protector meus. In te cantatio mea semper, tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor « fortis. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Ne projicias me in tempore senectutis : cum defecerit « virtus mea, ne derelinquas me. Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam « consilium fecerunt in unum. Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, « quia non est qui eripiat. Deus, ne elongeris a me : « Deus meus, in auxilium meum respice. Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur « confusione et pudore qui quærunt mala mihi. Ego « autem semper sperabo, et adjiciam super omnem « laudem tuam. Os meum annuntiabit justitiam « tuam, tota die salutare tuum. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini : « Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Deus, docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua. Et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me. Donec annuntiem « brachium tuum generationi omni quæ ventura est. « Potentiam tuam et justitiam tuam, Deus, usque in « altissima quæ fecisti magnalia : Deus, quis similis « tibi? Quantas ostendisti mihi tribulationes multas « et malas! et conversus vivificasti me, et de abyssis « terræ iterum reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus, consolatus es me. « Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus, psallam tibi in cithara, sanctus « Israel. Exsultabunt labia mea cum cantavero tibi, « et anima mea quam redemisti. Sed et lingua mea « tota die meditabitur justitiam tuam, cum confusi « et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi. »

ENARRATIO.

Magnum Dei donum est et magna scientia hominis, attendere et intelligere quod quidquid sit ex gratia Dei sit, et nihil per se sit. Nam qui per se vult esse tendit ad non esse. Qui autem per gratiam Dei studet existere manet in vero esse. Gratia iste est, per quam cum non essemus facti sumus ex impiis pii, ex incestis casti, ex servis liberi, ex damnatis in regno assumpti. Hanc gratiam ubique commendat Apostolus, et ideo Judæos habuit inimicos, qui de littera præsumebant, et sic a gratia resiliebant : commendat etiam Apostolus in se ipso gratiam istam, ubi dicit: *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus*, quia *Ecclesiam Dei persecutus sum* (*I Cor.* XV) : *sed nunc misericordiam consecutus sum*, quoniam *ignorans in incredulitate* hoc *feci* (*I Tim.* I). Et paulo post eamdem commendat gratiam, sic : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus*, quia *Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* (*Ibid.*). Nota quia primus non tempore, sed peccati magnitudine : *sed misericordiam consecutus sum, ut in me primo* peccatore *ostenderet omnem* potentiam [*patientiam*] *suam, ad informationem eorum qui credituri sunt in vitam æternam* (*Ibid.*). Tanquam si diceret : Nulli est desperandum de peccatis suis, quia mihi qui tanta commisi condonata sunt peccata. Consideret ergo quisque mihi condonata esse peccata, et non desperet, licet multa eis sint peccata : sed potius conversus imploret Dei misericordiam, et speret peccatorum veniam. Ipse enim Dominus dicit in Evangelio, commendans gratiam suam sic : *Non veni vocare justos, sed peccatores*, neque *est opus* sanis *medicus, sed male habentibus* (*Matth.* IX). Hanc gratiam commendat ubique psalmus iste, cujus titulus talis est : *Psalmus David filiorum Jonadab et priorum captivorum.* Jonadab

interpretatur *spontaneus Domini.* Quis autem est *spontaneus*, nisi qui gratis colit Deum? Unde illud, *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII). Hunc Jonadab commendat nobis et Jeremias in prophetia sua. Dicit enim quia ipse Jonadab præcepisset filiis suis, ne vinum biberent et ne in domibus, sed in tabernaculis tantum habitarent. Filii, quia in præcepto patris perseveraverunt, ideo benedici a Domino meruerunt; non quod Domini præceptum esset ne vinum biberent, sed quia in præcepto patris permanebant (*Jer.* XXXV). Quod Scriptura præcipit sic : *Filii, obedite* patribus *vestris* (*Eph.* VI ; *Col.* III). Obediendum est semper patri, nisi contra preceptum Domini aliquid præcipiat. Istorum obedientia proponitur nobis in hoc psalmo, ut eam imitetur, et comparatur hæc obedientia inobedientiæ *priorum captivorum*, ut per obedientiam *filiorum Jonadab* culpetur inobedientia filiorum Israel, quibus prædixit Jeremias quia captivi ducendi essent in Babyloniam, nec in hoc divinæ voluntati resisterent, quia aliter non potuit quam ut captivi duceretur : prædixit etiam captivitatem, ut se corrigerent, sed quia corrigi noluerunt : ideo captivi duci meruerunt. Istorum inobedientia et *filiorum Jonadab* obedientia coloratus est psalmus iste : quorum videlicet obedientia commendatur nobis ut eam sectemur: inobedientia autem culpatur, ut eam fugiamus. Quod dicit, *priorum captivorum*, mittit non ad historiam, qua legitur quod in primo, et secundo et tertio ducti sunt in captivitatem filii Israel : sed quoniam de nulla illarum psalmus loquitur, intelligamus primam captivitatem, in qua captivati sumus per obendientiam primi parentis. Hanc captivitatem notat Apostolus sic : Venundati sumus sub peccato (*Rom.* VII). Et paulo post, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati* et mortis (*Ibid.*). In hac civitate juste omnes detenti sumus, quia dimisimus imperatorem, et secuti sumus desertorem, imperator Deus, desertor diabolus. Imperator dedit præceptionem, diabolus suggessit fraudem. Ubi ergo oculus tuus inter præceptionem et fraudem? Credidisti quod promisit desertor, et invenisti quod minatus est imperator. Vox est in hoc psalmo Prophetæ, commemorantis *filiorum Jonadab* et *priorum captivorum.* Nam filiorum obedientiam nobis commendat, et in commendatione obedientiæ filiorum culpatur inobedientia captivorum. Possunt etiam ipsi filii Jonadab iidem esse qui primi captivi, ut sic legamus psalmum, quatenus ipsi, captivitatem suam attendentes, cum Propheta dicant :

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Quasi dicat : *Speravi* in me, et confusus sum : *in te* spem meam rejeci, et ideo *non confundar in æternum*, id est æternaliter, licet ad tempus patiaris me confundi onere mortalitatis et passibilitatis. Et ut *non confundar libera me* hic interius *in tua justitia* me vocando et justificando : *et eripe me*, tandem exterius ut exuto onere mortalitatis induar, gloria A incorruptabilitatis. Ecce hic notantur filii Jonadab in obedientia perseverantes, gratiam quærentes, suam captivitatem attendentes. Si autem primos captivos accipimus, eos qui adhuc in captivitate remanentes, per gratiam Domini liberari non quærunt, intelligimus hic inculpari illorum inobedientiam, cum filiorum Jonadab proponitur nobis obedientia. Potest esse etiam in hoc psalmo vox capitis nostri, transferentis in se vocem membrorum, et sic pro eis dicentis : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me.* Et ut me eripias et liberes, *inclina ad me aurem tuam*, tu altus ad me humilem ; tu medicus ad me ægrotum : *et* inclinatu *salva me* taliter : *Esto mihi in Deum protectorem*, id est, Deus protector, ne opprimar ab inimicis, et in- B veniam te *locum munitum*, ut ex te habeam quod contra inimicorum tela jaciam. Nam munitiorem locum te non potest invenire qui ad te confugit. Legitur quia quidem habens habitaculum in firmissimo monte vidit regem transire cum multitudine magna bene armata, qui confidens ita ædificio forti, sprevit regem dicens : Non loquor de te. Cui respondit : Neque ego de te. Nota, si securus iste fuit ab hostibus pro munitione terreni loci, quanto securior potest esse qui confugerit ad Deum, qui fecit cœlum et terram? Quod hic dicit : *Esto mihi in locum munitum, ut salvum me facias.* Et tuum est me salvum facere, *quoniam* tu es *firmamentum meum*, id est, me firmum faciens in proposito, *et tu es refugium meum*, quia non invenio quo te fugiam iratum nisi refugiam ad te placatum. Et quia *tu es refugium*, tu, C *Deus meus, eripe me de manu*, id est, de potestate *peccatoris*, non mihi prævaleat. Et quos intelligat per peccatorem, subjungit : *De manu contra legem agentis*, id est, de potestate Judaici populi in lege prævaricantis, me eripe, *et iniqui* qui æquitatem legis non recipit. De quo dictum est : *Qui sine lege peccaverunt sine lege peribunt* (*Rom.* II). Ne quis opponeret : Quare rogas liberari de persecutione? patere, resiste, subjungit : *Quoniam tu es patientia mea, Domine.* Quasi dicat : Clamandum est mihi ad te : nam sine te non possum, quia *tu es patientia mea*, id est, patiens sum, et tu, *Domine, spes mea a juventute mea*, id est, ex tempore invocationis meæ, in qua invocatione factus sum juvenis, habilis videlicet ad pugnam computatus in procinctu exercitus tui, D armatus fide, spe et charitate, et non tantum *es spes mea a juventute mea*, sed etiam *confirmatus sum* in te *ex utero*, id est, ex eo tempore ex quo initiatus sum sacramento fidei. *De ventre matris meæ tu es protector meus*, id est, postquam exivi de ventre matris meæ, id est Ecclesiæ ; ut non tantum mihi prodessem, sed etiam aliis, *es tu protector meus*, et ideo *in te est cantatio mea semper.* Et quia in te spero, *tanquam prodigium factus sum multis*, similis stulto, videlicet quia postpono præsentia, et exspecto futura, et ne ego deficiam in spe, *tu* es mihi *adjutor* fortitudinis, quia fortitudinis exemplum dedisti in te ipso. Et quia tu es *fortis*, ergo *replcatur os meum laude*,

ut cantem gloriam tuam, meam ignominiam, et cantem *magnitudinem tuam*, et parvitatem meam: *tota die*, in prosperis et in adversis, in prosperis, quia consolaris, in adversis, quia corrigis. Et, *ut cantem gloriam tuam, ne projicias me in tempore senectutis*, subaudis, deponendæ, id est in tribulatione quando mihi maxime necessarium est ut deponam senectutem, et recipiam juventutem, vel, quandiu in mortalitate carnis conversamur, tempus est *senectutis*, quia facile labimur, et ideo opus est ut a Deo sustineamur, velut iste rogat, dicens : *Ne projicias me in tempore senectutis, et ne derelinquas me, cum* deficiat *virtus mea*, tunc cum nihil de me præsumo. Et opus ut non derelinquas, *quia dixerunt inimici mei mihi*, subaudis, improperando, *qui custodiebant animam meam*, subaudis, opprimendam, *consilium fecerunt in unum*, in eamdem voluntatem convenientes, et *dicentes : Persequimini et comprehendite eum*. Et potestis, *quia non est qui eripiat*, nam *Deus dereliquit eum*. Quod alibi dicitur. *Non est salus illi in Deo ejus* (*Psal*. III). Ipsi sic me persequi connatur, sed tu *Deus, ne elongeris a me*, sed *respice in auxilium meum*, quia *Deus meus* es. Et quomodo volo ut me eripias ? *Confundantur*, id est, dignos se confusione recognoscant, *et deficiant*, id est, invictoriosi existant : *detrahentes animæ meæ*, existimantes videlicet levitatem meam esse insaniam, vel *detrahentes animæ meæ* et etiam cujusque, subaudis, animæ, persuadent ut cum Domino rixetur, defendendo peccata sua : est etiam dictum ad similitudinem avium quibus detrahuntur pennæ, ne volare possint. Illi detractæ sunt pennæ qui est in peccati defensione. Caret enim ratione, per quam in auras libertatis quasi pennis deportari deberet. *Operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.* Confusio est, quando conscientia mordet hominem interius, pudor est, quando exterius erubescentiam demonstrat : quod dicit, operiantur confusione et pudore. Quasi dicat: interius et exterius *confundantur qui quærunt mala mihi: Ego autem semper sperabo, et super omnem laudem tuam*, id est super omnem laudem priorem, *adjiciam* laudem tuam posteriorem: laudandus erat Dominus in primo homine, quem de terra ad imaginem et similitudinem suam creavit, et eum in paradiso collocavit (*Gen*. II) : laudandus esset, si post inobedientiam totam massam, quæ a primo parente processit, justo judicio damnasset, tamen super omnem laudem adjicienda est laus, quia per gratiam a peccato traducis liberati sumus : vel, sic *adjiciam super omnem laudem tuam*, id est, attendam te excedere omnes laudationes virorum : vel, *adjiciam super omnem laudem tuam*, juxta Apostolum. *Ei*, inquit, *qui potens est facere superabundanter quam petimus aut intelligimus* (*Eph*. III) : quod hic dicit, adjiciam, id est, adjicere te intelligam super omnem laudem tuam a nobis factam, quia plura in nobis operaris quam nos intelligere possumus. In voce autem capitis sic dicemus : *Adjiciam super omnem laudem tuam :* laudandus est Dominus in dispositione et in gubernatione rerum tempora-

A lium, laudandus est in eminentia cœli, in fecunditate terræ, in circumcisione maris, in multiplicatione creaturæ ubique nascentis, in Israelitico populo ab Ægyptia servitute liberato, in lege data, in Evangelica gratia ubique divulgata : sed super omnem laudem istam adjiciet homo Dominicus laudem suam, quia carnem resuscitavit non amplius morituram quod ante eum nullus facere potuit. *Os meum annuntiabit justitiam tuam*, quia per fidem salvati sumus : *et os meum annuntiabit tota die salutare tuum*, id est, tuam salvationem et meam perditionem. Et unde mihi hoc ? *Quia non cognovi litteraturam*, id est, non sum de illis qui de littera præsumunt, et a gratia resiliunt: vel, *non cognovi litteraturam*, id est, perfunctorie aliquid agere improbavi. Nam qui dicit, et non facit

B voluntatem Dei comparabilis est illi qui potens est quidem legere, sed quod legit ore non capit corde, quod dicit : *Quoniam non cognovi litteraturam*, sed potius *introibo* in aulam, subaudis discernendam ut in eo tantum glorier qui me propter potentiam suam redemit. *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius*, meæ captivitatis, tuæ liberationis : et hoc non ex me, sed ex te, quia tu, *Deus, docuisti me ex juventute mea*, id est, ex tempore innovationis meæ, *et usque nunc*, subaudis, doces, et ideo *pronuntiabo mirabilia tua.* Quid mirabilius quam consilium reparationis humanæ gratiæ tuæ esse, et non ex alicujus merito ? *Docuistis me ex juventute et usque nunc*, et docebis etiam *usque in senectam et senium.* Senectus est, quando aliquis præ senectute gravis fieri incipit ; senium, quando est in decrepita ætate. *Per hæc* duo longitu-

C dinem temporis denotat. Quasi dicat : Docebis me memorem esse tuæ justitiæ omni tempore in juventute et senectute. Quod habet alia translatio : in presbyterum et gerontam, ubi sententia eadem est, quia presbyteros apud Græcos dicitur *senior*, geron senex gravis dicitur ; vel aliter, *Deus, docuisti me ex juventute mea.* Juventus fuit in Ecclesia in primo tempore, quando sancti martyres, armati fide, spe et charitate, usque ad sanguinis effusionem pro fide tenenda certabant. Quod dicit, *usque nunc docuisti*, nostrum tempus designat in quo jam non pro certamine fidei martyrizantur, quoniam ex abundantia iniquitatis refrixit charitas multorum. Quod dicit, *in senectam et senium*, per hoc notat ultimum tempus, quando pro persecutione Antichristi multi

D a fide discedent. *Deus, ne derelinquas me.* Quasi dicat : Tu qui *docuisti me ex juventute mea, ne derelinquas me, donec annuntiem* per me et per successores meos, *brachium tuum*, id est, potentiam tuum, *generationi* non tantum illi quæ post futura est, sed *omni quæ ventura est.* Nota fuisse quosdam hæreticos qui asserebant fidem catholicam usque ad tempus permansuram, et post, ex toto destruendam : quorum errorem ut destrueret, dicit quod *omni generationi* annuntianda sit potentia Domini: quod dicit. *Ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi quæ ventura est*, et donec annuntiem *potentiam tuam et justitiam tuam*, id est, gratiam

justificantem, eundo etiam *usque in altissima magna-* A *lia quæ* tu *fecisti*, considerabo, videlicet illa supercœlestia, principatus, virtutes, dominatus, potestates, ad tuam gratiam pertinere: quia, quod bene vivunt, ex te habent, non ex se. Et quando quidem tu, *Deus*, tantus es, *quis similis* est *tibi?* Nullus videlicet, quia mihi volenti in primo parente tibi esse similis, *quantas tribulationes*, id est, quam graves ad tolerandum, et *multas et* eas *malas mihi ostendisti:* voluit tibi esse similis qui dixit: Ponam sedem meam ad aquilonem, et *ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV), et discessit a te in regione dissimilitudinis. Voluit etiam miser Adam tibi esse similis, quando desertori credidit dicenti: *Comedite, et eritis sicut dii* (*Gen.* III). Credidit quod promisit diabolus, et invenit quod minatus est Dominus et plus valuit apud eum qui de- B fecit quam qui eum fecit, in quo *multas tribulationes mihi et malas ostendisti*, sed non irreparabiliter me damnasti, quia *conversus* ab ira ad misericordiam *vivificasti me*, id est, in vitam posuisti me. Et hoc, quomodo? *de abyssis terræ iterum reduxisti.* Nota quod dicit, *reduxisti*, quia non reducitur aliquis, nisi prius sit eductio. Eduxit Deus hominem de vilitate terræ, mirabiliter eum creando. In magnum enim quiddam promota est terra, quando homo de terra plasmatus est ad imaginem et similitudinem Dei in vilitatem suam. Terra recidit, quando homo per inobedientiam a Deo defecit, sed rursus ad summa terræ reducitur: quando Verbum ex terra assumpsit hominem a peccato immunem, sic reduxit, id est, *iterum* duxit hominem *de abyssis terræ*, C mirabiliter eum reformando in interiore quia *spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII). Ecce planum est quod dixi *reduxisti*: ostendamus iterum quod tunc erit, quando caro mortalis in immortalitatem resurget, quia sic iterum et iterum deducitur homo a Domino: quod dicit *de abyssis terræ iterum reduxisti*. Et unde hoc scio? Nam *multiplicasti magnificentiam tuam*, id est, justitiam tuam intantum multiplicasti, [*ut*] cum filiis tuis non parceres, *et* sic *conversus consolatus es me. Nam et ego* non tantum in capite meo, sed etiam in me ipso *confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israel*; vasa psalmi sunt psalterium. Nota inter psalterium et citharam, qui psalterium sonum reddit in superiori, per quod designat animam quæ superior pars est in homine, cithara reddit sonum in inferiori, et D notat carnem quæ inferior pars est in homine, per quam carnem citharizat homo, quando hæc inferiora indigentibus præbet: quod hic dicit, *psallam tibi in cithara sanctus Israel*, et sic tandem *exsultabant labia mea cum cantavero tibi* quia nunc aliquando canto mihi. Et qualiter exsultare debet in labiis, subjungit: *Anima mea quam redemisti*, subaudis exsultabit, et non tantum *anima, sed* etiam *lingua mea* exterior *tota die meditabitur justitiam tuam.* Bene dicit, *meditabitur:* quia non est ibi opus voce elementari. Et quando hoc erit? *Cum* ex opposito *confusi et reveriti fuerint*, in consideratione sua, *qui* hic *quærunt mala mihi* existimantes vitam meam esse insaniam.

PSALMUS LXXI.

PSALMUS DAVID IN SALOMONEM.

« Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam
« filio regis. Judicare populum tuum in justitia, et
« pauperes tuos in judicio. Suscipiant montes pa-
« cem populo, et colles justitiam. Judicabit pauperes
« populi, et salvos faciet filios pauperum, et humi-
« liabit calumniatorem. Et permanebit cum sole et
« ante lunam, in generatione et generationem. De-
« scendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia
« stillantia super terram. Orietur, in diebus ejus ju-
« stitia et abundantia pacis, donec auferatur luna.
« Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flu-
« mine usque ad terminos orbis terrarum. Coram
« illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lin-
« gent. Reges Tharsis et insulæ munera offerent,
« reges Arabum et Saba dona adducerent. Et adora-
« bunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.
« Quia liberabit pauperem a potente, et pauperem
« cui non erat adjutor. Parcet pauperi et inopi, et
« animas pauperum salvas faciet. Ex usuris et ini-
« quitate redimet animas eorum, et honorabile no-
« men eorum coram illo. Et vivet, et dabitur ei de
« auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper, tota die
« benedicent ei. Erit firmamentum in terra in sum-
« mis montium, superextolletur super Libanum fru-
« tus ejus, et florebunt de civitate sicut fenum ter-
« ræ. Sit nomen ejus benedictum in sæcula, ante
« solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in
« ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnifi-
« cabunt eum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui
« facit mirabilia solus. Et benedictum nomen maje-
« statis ejus in æternum, et replebitur majestate
« ejus omnis terra: fiat, fiat. »

ENARRATIO.

Salomon interpretatur *pacificus*. Quæ interpretatio nominis Christo capiti nostro convenit, quoniam ipse per mortem suam inimicitias nostras solvit, et Deo Patri nos reconciliavit: ipse etiam murum erectum inter nos et cœlestem rationabilem creaturam dissolvit, et mox cum illis in se angulari lapide univit; ipse etiam super pacem reconciliatonis addidit pacem immortalitatis in quem hujus psalmi verba referuntur. Propheta enim prævidens in spiritu prophetico eum in carne venturum, diligenter exponit ea quæ in diebus illis futura sunt, ut cum viderint increduli ea evenisse quæ de eo prophetata sunt, eum venisse non dubitent, sed humiliter adorent. Dicit autem sic Propheta.

Deus, judicium tuum regi da. Quasi dicat: *Deus* Pater, *mitte quem missurus es*, ut per ipsum judicatum tandem judices mundum, quia scriptum est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Ipse enim merita mundum judicat, qui in mundo conservatus, et a principibus mundi judicatus est. *Et justitiam tuam filio regis.* Repetitum est quod prius dixit. Nam quod prius

dixit, *judicium*, hoc sonat, hic, *justitiam*. Quid aliud est ipsum judicium, quam justitia? Quem prius vocavit regem, hic vocat filium : utrumque enim et pater et rex est. Istæ autem repetitiones multum eloquia divina commendant, sive per eadem, sive aliis verbis eadem sententia repetatur : et maxime tales repetitiones reperiuntur in psalmis, et in eo genere sermonis ubi animi movendus est affectus. Vel aliter, *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* : ipse quasi Filius justitiam prædicaret, opere videlicet et verbo. Unde illud : *Quæ cæpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Quod Deus Pater, rex vocatur, testatur Paulus, dicens : *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo* (*I Tim.* I), etc. Vel, filium regis possumus accipere Judaicum populum quem Dominus Pater assumpsit in adoptionem filiorum per legem datam. *Deus, judicium tuum regi da : judicare populum tuum*, id est, ad judicandum *populum tuum in justitia*, ut per justitiam discernat populum suum a non suo, *et* tandem videlicet *pauperes tuos*, id est, illos qui volunt esse pauperes tui, non divites sui, in te abundantes sibi egentes. Et ubi judicabitur? *in judicio*, subaudis futuro. Qui sint *pauperes* Domini, Paulus manifestat sic : *Si distribuero omnes facultates meas* pauperibus, *et si* dedero *corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII). Quasi dicat : Si omnia mea do pauperibus, et pauper Dei non fuero, nihil prodest. *Charitas* enim *non inflatur*, nec est vera charitas Dei in eo qui ingratus est sancto Spiritui ejus. In hac paupertate fuit sanctus Job, pauper antequam etiam illas magnas divitias amisisset. Dicat pauper iste cum aliis pauperibus : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (*I Cor.* II). Illi enim qui de meritis suis præsumunt non sunt pauperes Domini nec sibi volunt justitiam dari a Deo, sed ex semetipsis eam habere confidunt, *ignorantes Dei justitiam et* volentes *suam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X) : hi tales non sunt pauperes Dei, sed divites sui. Pauper autem Dei clamat : *Judica me, Deus, et discerne causam meam* (*Psal.* XLII). *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.* Quasi dicat : *Da regi* judicare populum tuum, et ut judicet *montes*, id est, illos qui in sæculo sunt eminentiores, florentes divitiis, sublimati honoribus, *suscipiant pacem populo* tuo Judaico in prædicando, *et colles justitiam. Colles* sunt iterum eminentiores in sæculo, sed ipsis montibus subditi : vel aliter, *Suscipiant montes pacem populo. Montes* sunt qui excellenti sanctitate eminentes sunt in Ecclesia, qui sunt idonei et alios docere sic loquendo, ut fideliter instruantur sic vivendo, ut salubriter imitentur : *colles* autem sunt illi qui obedientia sua, excellentiam sanctitatis eorum qui dicuntur montes, imitantur. Nota quod dixit, *suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.* Excellentes quippe in sancta Ecclesia vigilanti intentione paci debent consulere, ne propter

A suos honores superbe agendo, schismata faciant in Ecclesia, unitatis compage disrupta. *Colles* etiam accipere debent *justitiam*, id est, obedientiam, sic ut imitentur ipsos *montes* in hoc quo imitandi sunt, montem montium eis proponendo : non ut dicant, *ego sum Pauli, ego vero Cephæ*, sed omnes dicant, *Christi* (*I Cor.* I). Hæc est justitia, non apponere servos Domino nec æquare : sed dicat unusquisque : *Levavi oculos meos in montes : et unde auxilium* meum? *A Domino qui fecit cælum et terram* (*Psal.* CXX). Qualiter autem imitandi sunt *montes*, unus ex montibus ostendit, sic : *Estote imitatores mei, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV) : et alibi, *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos* (*I Cor.* V). Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Hi B *montes suscipiant pacem populo*, id est, verbum reconciliationis populo, subaudis, prædicandum. Et *colles justitiam*, id est, imitantes eorum eminentiam. Ut montes fiant, *suscipiant justitiam*, id est, eorum obedientiam, ut sic fiat quod de justitia et pace scriptum est : *Justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Quod per justitiam obedientia potest denotari, notat Apostolus ubi dicit : *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi : ita et per* obedientiam *unius justi constituentur multi* (*Rom.* V). *Judicabit pauperes populi.* Quasi dicat : Vere *suscipiant montes* verbum reconciliationis : quod notat Paulus : Deus inquit, *reconciliavit nos sibi per Christum, et* posuit in *nobis mysterium reconciliationis* (*II Cor.* V) : quod hic notatur, quia ipse C Deus *judicabit pauperes* meos *pauperes* populi, id est populum illum qui se pauperem reputat : *et* tandem *salvos faciet filios pauperum.* Si autem *montes* in sæculo elatos accipimus, sic continuabimus : *Deus, judicium tuum regi da*, et vere dabis quia ipse *judicabit*, id est, discernet *pauperes populi*, id est, apostolos, *et salvos faciet filios pauperum*, id est, imitatores apostolorum *judicabit* : iidem possunt esse *pauperes* et *filii pauperum*, quia eadem civitas est Sion et filia Sion. *Et humiliabit calumniatorem.* Calumniator est qui alienam innocentiam nititur ducere in culpam, exquisita aliqua dolositate, et machinata aliqua calliditate. Nullus ideo melius quam diabolus hic calumniator agnoscitur : calumnia enim ejus est : Nunquid gratis colit Job Deum (*Job.* I)? Si enim voluit innocentiam sanctissimi viri in culD pam ducere, si hoc posset efficere, ut pro terrenis diabolo serviret, sed humiliavit eum Dominus gratia sua, suos juvans ut gratis Deum colant, humiliavit etiam eum non in Judæis, quibus ipse calumniator usus est tanquam vasis suis, operans in filiis diffidentiæ. Humiliatus est enim quia ille, quem occiderant, resurrexit, *et* per mortem suam mortis imperium dextruxit : humiliavit etiam eum, quia multos de tenebris in lucem reduxit, quia cum diabolus extendit manum suam ad illicita, cum Christum videlicet rapere voluit, perdidit illos in quibus potestatem prius habuit : vel, nomine calumniatoris reprobus populus intelligitur, qui ex maxima parte, dum

peccata excusare contendit, calumniam ingerit Creatori : unde illud Salustii : Falso queritur de natura sua genus humanum. Hunc populum reprobum humiliat Dominus, quia sordescere facit. Unde illud, *Qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). *Et permanebit cum sole*, id est, quandiu volvitur tempus. Unde illud, *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi* (*Ps.* XLIV). Et, ne intelligeremus eum deinceps permansurum, *et* ante tempus non fuisse, subjungit, *ante lunam.* Quasi dicat, omne tempus præcessit. Qualiter autem velit *ante lunam* intelligere, subjungit generationes generationum, ut istud sit expositio prioris. Vel sic : *permanebit cum sole*, id est, cum paterna claritate vel æqualitate, et fuit *ante lunam*, id est, ante Ecclesiam dignitate, utpote qui immunis a peccato in humana natura conceptus est : vel *ante* B *lunam*, quia Ecclesia præcessit æternitate sua, *et permanebit in generatione* generationum. Nota Ecclesiam non incongrue per *lunam* designari, quia sicut luna a sole illuminatur, sic Ecclesia non habet lumen, nisi a vero sole, a Domino videlicet, illuminetur. *Descendet sicut pluvia in vellus.* Præscripsit Propheta qualiter Dominus venturus sit : quia sicut pluvia sine strepitu et sine sensu descendit in vellus, et ipsum vellus non corrumpit : ita verbum patris descendit in uterum virginis, sine sensu carnali, sine corruptione virginis, quia ipsa erat mater nesciens virum. *Et sicut stillicidia stillantia super terram:* quia sicut stillæ cadentes super terram, non submergunt, sed irrigant ipsam terram : ita Dominus in humano genere conversatus est, irrigando ipsum, non destruendo. Vel aliter : *Descendet sicut* C *pluvia in vellus.* Mittit nos ad historiam quæ narrat quid factum sit in tempore judicis Gedeon. Ipse enim admonitus a Domino, quatenus irrueret in Philistæos petiit signum futuræ victoriæ, hoc ut vellus in area positum complueretur et area sicca maneret, et rursum secundo petiit, ut area complueretur, et vellus siccum maneret (*Judic.* VI). Quod ita factum est : non autem sine mysterio. *Vellus* enim prius irrigatum significat populum Judaicum qui prius divino Verbo fuit complutus. Ibi enim Dominus matrem, in qua formam servi acciperet et hominibus appareret, elegit : ibi discipulos, quibus hoc idem præcepit, dicens : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne* introieritis (*Matth.* X). D Sed quia populus ille in duritia permanens, divinum non recipit eloquium, factum est quod significatur per vellus siccum et aream complutam. Nam ablatum est divinum eloquium a Judæis, et divulgatum est gentibus, et sic est area compluta, quia sicca gentium corda rore divini eloquii sunt irrigata : quod dicit, *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Et quid in diebus ejus futurum sit, dicit : *Orietur in diebus ejus justitia*, id est, fides quemque justificans, et *abundantia pacis* quia pax in illis diebus non protenditur ad amicos, sed etiam inimicos. Unde istud, *Audistis quia dictum est antiquis : Diliges* amicum *tuum, et odio habebis*

A *inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* V). Hæc *abundantia pacis donec auferatur luna*, id est, donec Ecclesia, devicta morte, assumatur immortalitate : vel secundum aliam translationem, donec extollatur luna per gloriam resurrectionis, in æternum regnatura cum illo qui in gloria resurrectionis eam præcessit. *Et dominabitur a mari*, orientalis subaudis, *usque ad mare* occidentale, incipiendo subaudis, *a flumine* Jordanis videlicet, procedens *usque ad terminos orbis terrarum.* Nota quod hic evidenter expressit, inde voluisse Christum potestatem suam jam commendare, unde et discipulos cœpit eligere a flumine, scilicet Jordane, ubi super baptizato Domino, cum descenderet Spiritus sanctus, sonuit vox de cœlo : *Hic est filius meus dilectus* (*Matth.* III). Hinc ergo doctrina ejus incipiens, et magisterii cœlestis auctoritas, dilatatur *usque ad terminos orbis terræ*, cum prædicatur *Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus* (*Matth.* XXIV). Vel aliter: *Dominabitur a mari*, subaudis Judæorum, *usque ad mare* gentilium. Nota quia Judæi, licet cognitionem legis receperant, tamen *mare* dici possunt, quia terrenis inhiantes, tempestatibus sæculi quasi fluctibus maris inquietabantur ; gentilis autem populus, quoniam nulla in cognitione Deum recepit, merito maris nomine designatur ; quod dicit, *dominabitur a mari usque ad mare*, incipiendo a flumine, *usque ad terminos orbis terrarum* perveniendo : et eo dominante, *Coram illo procident Æthiopes*, id est, humiliabuntur qui prius fuerunt teterrimi in moribus, *et inimici ejus terram lingent*, eum venerando subaudis. Vel *inimici ejus*, id est, hæretici, *lingent terram*, id est, delectabuntur in terrenis, assumendo sibi terrenorum auctoritatem ut sic confirment aliis quod perverse intelligendo in scripturis acceperunt. *Reges Tharsis et insulæ.* Ostendit qualiter coram illo *procident reges*, quoniam *reges Tharsis et insulæ munera offerent.* Tharsis interpretatur *exploratio gaudii*, ubi intelliguntur qui gaudium suum in terrenis exprobrabant, qui jam facti reges, se ipsos videlicet et alios bene regentes, *offerent munera*, seipsos videlicet, digna *munera* Deo : interpretatur etiam Tharsis, *contemplatio*, ubi significantur qui cœlestia contemplantur et terrena obliviscuntur. Contemplari enim pertinet ad futura, considerare, ad præsentia. *Insulæ* dicuntur terræ, eo quod in salo sunt positæ. Ubi intelliguntur homines, qui a fluctibus sæculi quasi motione maris quatiuntur. Hi tales facti stabiles, et in nullo periclitantes, *offerent munera* Domino. *Reges Arabum et Saba dona adducent.* Nota, quia nihil adducitur nisi quod ambulat : ubi jam intelligitur, quod in diebus ejus de immolandis victimis non dabitur præceptum, sed *dona* ista, quæ adducenda sunt, homines videntur significare quos in societatem Christi et Ecclesiæ regum adducit auctoritas. Arabum interpretatur *campestris* vel *humilis*, ubi intelliguntur gentiles qui humiliati inter *dona* Dei reputantur. Saba interpretatur *incensa*, ubi interpretantur illi, qui

igne divini amoris incenduntur, ut inter dona Dei computentur. quod dicit. *reges Arabum et Saba dona adducent. Et* ut breviter includatur, *adorabunt eum omnes reges terræ*, id est, omnes omnino reges, et *omnes gentes servient ei*. Et merito, *quia* liberavit *pauperem*, peccata videlicet humiliter confitentem, *a potente*, id est, a principe terrenæ potestatis. Et quem pauperem sit liberaturus, subjungit, et *pauperem cui non erat adjutor*, et illum qui non præsumit sibi salutem dari de meritis suis, vel de libero arbitrio, vel aliquo adjutore alio, excepto Domino. Et quomodo *liberabit*? Non secundum merita illorum, sed ipse *parcet pauperi et inopi*, id est, peccata pauperis et inopis non reputabit, *et sic animas pauperum salvas faciet*. Et hoc quomodo? Redimendo *animas eorum ex usuris et iniquitate*, de peccato veniant in peccatum. Usura enim est, quando ex peccato præcedenti aliquis promeretur ut iterum peccet; vel iniquitas est peccatum et usura pœna peccati. Et merito usura pœna peccati est appellata, quia plus mali invenitur in suppliciis quam commissum est in peccatis. Verbi gratia: Homicida corpus hominis tantum perimit, animæ autem nihil nocere potest: ipsius corpus et anima perditur in gehenna. *Redimet* ergo *ex usuris*, redimendo peccata quæ debebant ampliora supplicia. *Redimet* autem ab iniquitate adjuvando per gratiam, et etiam ad faciendam justitiam. *Et honorabile nomen eorum coram illo*, et sic contemptibile fit coram hominibus. Unde alibi: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*Psal.* XV). *Et vivet. et* ideo quia vivet, *dabitur ei de auro Arabiæ*, id est, de præcipuis sapientibus gentilitatis. Aurum enim sapientiam notat, et Arabia gentes. Unde scriptum est: Accipite prudentiam et sapientiam sicut aurum probatum (*Prov.* VIII *et* XVI): vel aurum dicitur quasi ab aura, unde [per] aurum Arabiæ splendidissimæ intentiones gentium denotantur. Nota non sine pondere esse quod dicit, *vivet*, quia si, de eo quod communiter vivent homines, diceretur, non esset magna causa quare ei aurum Arabiæ daretur, et ideo cum pondere intelligendum est, *vivet*, quasi dicat, resurgens a mortuis non amplius moriturus. Neque enim omnes vivimus, qui quandoque morituri sumus exterius, et quotidie per peccata morimur interius. Sequitur: *Et adorabunt de ipso semper*, id est, omni tempore, *de ipso*, id est, de ipsius corpore implendo, ut membra ejus videlicet multiplicentur, et sic *tota die benedicent ei*: vel orabunt *de ipso semper* accipientes quod orant vel propter ipsum promerendum. Et hoc merito, quia ipse *erit firmamentum in terra*, ubi nulla firmitudo fuit ante eum. Ipse autem veniens, stabilivit eos in doctrina stabili et nunquam mutanda. Unde Paulus: Si quis, ait, *vobis* evangelizavit *præter* id *quod* accepistis a nobis, *anathema sit* (*Gal.* I). Ipse etiam *erit firmamentum in summis montium*, quia in eo complebuntur omnia dicta et facta, quæ per *summos montes*, id est, per prophetas et patriarchas revelata sunt: *superextolletur super Libanum fructus ejus*, illi videlicet, quos eligit sibi *fructus*

A de mundo. Unde illud: *Ego vos elegi* de mundo, *ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (*Joan.* XV). *Super Libanum fructus ejus*, id est, super omnem candorem sæcularem. Libanus interpretatur *candidatio*, vel, *fructus ejus*, id est, charitas extolletur *super Libanum*. Unde illud Pauli: *Adhuc* supereminentiorem *viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII). Hoc enim in primo ponitur munerum divinorum, ubi ait: *Fructus autem spiritus est charitas* (*Gal.* V). *Et florebunt de civitate sicut fenum terræ*. Quoniam absolute positum est, *de civitate*, intelligamus civitatem Dei vel Jerusalem. Si autem civitatem Dei accipimus, fenum quasi triticum accipiemus. Unde in Genesi: Producat terra lignum et omne fenum suum (*Gen.* I). Non fenum siccum hic accipiendum est, sed fenum
B viride quasi frumentum fructificans. Vel aliter: *Florebunt de civitate sua*, subaudis sicut fenum terræ, quod hodie est et cras in clibanum mittitur (*Matth.* IX). Ex quibus omnibus quæ dicta sunt superius, sit *nomen ejus benedictum*, id est, multiplicatum *in sæcula*, id est, quandiu volvuntur tempora. Et merito, quia *ante solem*, id est, ante omnem temporalem dispositionem, *permanet nomen ejus*, et *in ipso*, subaudis nomine, *benedicentur omnes tribus terræ*, quia *omnes gentes magnificabunt eum*. Unde *benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus* per se et per suos, *et benedictum* sit *nomen majestatis ejus in æternum*, id est, divinitas ejus multiplicetur non in se, sed in cognitione hominum. Quod et futurum est, quia *replebitur majestate ejus omnis terra. Fiat* hæc multiplicatio in priori populo, *fiat* et in posteriori.

C

PSALMUS LXXII.

DEFECERUNT HYMNI DAVID FILII JESSE, PSALMUS ASAPH.

« Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!
« Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt
« gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem pec-
« catorum videns. Quia non est respectus morti eo-
« rum, et firmamentum in plaga eorum. In labore ho-
« minum non sunt, et cum hominibus non flagella-
« buntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniqui-
« tate et impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas
« eorum, transierunt in affectum cordis. Cogitave-
« runt et locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso
« locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum, et lin-
« gua eorum transivit in terra. Ideo convertetur
« populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis.
D « Et dixerunt: Quomodo scit Deus, et si est scientia
« in excelso? Ecce ipsi peccatores et abundantes in
« sæculo obtinuerunt divitias. Et dixi: Ergo sine
« causa justificavi cor meum, et lavi inter innocen-
« tes manus meas; et fui flagellatus tota die, et
« castigatio mea in matutinis. Si dicebam: Narrabo
« sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.
« Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante
« me: donec intrem in sanctuarium Dei, et intel-
« ligam in novissimis eorum. Verumtamen propter
« dolos posuisti eis; dejecisti eos dum allevarentur
« Quomodo facti sunt in desolationem, subito defe-
« cerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut

« somnium surgentium, Domine, in civitate tua « imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Quia in« flammatum est cor meum, et renes mei com« mutati sunt; et ego ad nihilum redactus sum, et « nescivi. Ut jumentum factus sum apud te, et ego « semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam; « et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria su« scepisti me. Quid enim mihi est in cœlo? et a te « quid volui super terram? Defecit caro mea et cor « meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in « æternum. Quia ecce qui elongant a te, peribunt: « perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi au« tem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino « Deo spem meam : ut annuntiem omnes prædica« tiones tuas in portis filiæ Sion. »

ENARRATIO.

Non frustra in hoc titulo David filius Jesse dicitur, cum superiores psalmi intitulati sint nomine David, sed sine commemoratione patris. Quod autem hic ponit Jesse, qui fuit pater David secundum carnem, in hoc videtur notare quosdam ex filiis Israel carnaliter sapientes et terrenis adhærentes. Nota est enim historia, qualiter filii Israel divina potentia per mare Rubrum ducti sunt, cum hostes insequentes submersi sunt (*Exod.* XIV). Notum est etiam qualiter per multos annos idem populus per desertum erraverit, Moyse existente duce et Aaron. Huic populo factæ sunt promissiones multæ : promissa est enim eis terra Chanaan, subjectio inimicorum, fecunditas uxorum, filiorum, honor sæcularis. Hæc omnia receperunt et pro magno habuerunt, et plurima pars eorum Deo serviendum esse pro terrenis intellexit; sed Dominus, qui hæc omnia eis concessit, non ut in istis remanerent, sed ut per hæc alia futura crederent, subtraxit eis bona temporalia, ut vel sic addiscerent æternis adhærere. Populus autem, magis optans terrena quam cœlestia, ea quæ viderentur, quam ea quæ non viderentur, cum vidisset quod sibi subtraherentur, et gentibus darentur, murmurabat contra Dominum, quoniam gentes Deum non colentes reciperent bona temporalia, et in omnibus prosperarentur : illi autem qui Deum colebant, in miseria et in labore fuerunt: pro istis omnibus sic secum in mente contendebant. Aut Deus scit omnia, aut nescit. Sed quoniam periculosum fuit confiteri creantem omnia ignorare aliqua dicebant : Si scit, aut curat, aut non curat. Ut non curet, repugnat Scriptura, quia scriptum est de eo: *Fortiter suaviter* que disponens *omnia* (*Sap.* VIII). Cum autem curat, quomodo patitur ut qui eum non colunt, floreant et ornentur; et qui eum colunt, laborent et destruantur? A taliter murmurantibus ex defectione rerum temporalium, defecerunt laudes quæ habendæ erant pro acquisitione bonorum cœlestium. Sed quia non defuerunt in populo illo, qui intellexerunt in radice promissa, videlicet in promittentibus, hæc omnia esse quasi umbra, et vera bona futura; quorum vox est in hoc psalmo exhortantium taliter murmurantes, quatenus cessent a murmuratione, et magis velint exspectare quæ non videntur quam his adhærere quæ videntur. Nam qui his adhærent, perituri sunt ad ultimum; et qui non adhærent, sunt coronandi. Et est *psalmus Asaph*, id est, operatio attribuenda cuidam congreganti : facta ideo quia *defecerunt* laudes *David*. David dico non spiritualis, sed carnalis ; quod notatur per *filii Jesse*. A spirituali enim David nunquam defecerunt laudes; dicit autem sic Asaph :

Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! Quasi dicat: Quam incomparabiliter est bonus Deus Israel, id est, *videntium Deum*, his qui recto sunt corde, id est, illis qui suam voluntatem dirigunt secundum voluntatem Dei, licet distortis corde parvus B et perversus videatur. Quod alibi dicitur: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* XVII); non quod Deus sit perversus, sed quia perverso videtur esse perversus; qui lippienti oculo claritas solis non resplendet, sed obscura videtur, quia claritatem recte intueri non potest. *Mei autem pene moti sunt pedes.* Assumit hic Asaph vocem illorum, a quibus defecerunt laudes. Quasi dicat : *Quam bonus Israel Deus!* ego autem hoc non attendi, quia pedes mei, id est, affectiones meæ, *pene moti sunt*, ad lapsum, subaudis; *pene effusi sunt gressus mei*, ad errandum, eos imitando qui non via recta incedebant. *Pene* dicit, qui tandem resipuit, ut in posterioribus psalmi denotari potest. Quare autem *moti sunt pedes*, subjungitur: *Quia zelavi*, id est, indignatus sum, vel invidentiam habui, *super iniquos*, con- C siderationem meam extendens, vel super illos esse volens. Et cur hoc? *Videns* videlicet *pacem peccatorum*, Deum vere non colentium. Et quam pacem? Pacem terrenam, pacem mutabilem, pacem non ex gratia, sed ex judicio. Hanc pacem dum desiderarem, et pro illa Deo servire vellem, pene moti sunt pedes mei; et ideo etiam moti sunt, *quia non est respectus morti eorum*; id est, mors quam ipsi promeruerunt, non respicit eos ; *et* non est *firmamentum in plaga eorum*, quoniam si aliquando plagas patiuntur et corriguntur, eorum plagæ non sunt firmæ, sed transitoriæ, quia *in labore hominum non sunt*, id est, non tantum laborant neque affliguntur in correctione quantum illi laborant qui homines sunt, ratione videlicet utentes, et non idola, sed D verum Deum adorantes. Vel aliter, *pacem peccatorum videns*. Et quare habent pacem? Ad eorum videlicet judicium, quoniam *non est respectus morti eorum*, id est, mors quam ipsi promeruerunt, non respicit eos, id est, non avertit se ab illis, sed semper eos exspectando intuetur; et *firmamentum in plaga eorum*, quoniam plagæ quæ eis servantur, non sunt transitoriæ, sed firmæ et nunquam mutandæ. Et quare hoc? Quia hic in hac vita non sunt in labore hominum, illorum videlicet qui secundum hominem vivunt. Quasi dicat : Ideo damnabuntur tandem cum servis, quia hic non sunt in labore cum filiis; *et cum* illis *non flagellabuntur*, *quia flagellat*

Deus omnem filium quem recipit (*Prov.* III); *ideo tenuit eos superbia*. Quasi dicat : quia Dominus pacem eis concedit, et cum filiis non corrigit, *ideo tenuit eos superbia*, id est, in sua potestate redegit, ne sobrie viverent, in seipsis *operti sunt iniquitate*, id est, ne juste viverent quantum ad proximum, impietate operti sunt, ne pie viverent quantum ad Deum, quibus frustra præceptum illud Pauli : *Sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II). Quod isti non attenderunt, et *ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua*. Quæ iniquitas non venit ex necessitate, quod dicit : *prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*. Quasi dicat : Inexcusabilis est iniquitas eorum, quia non processit ex macie, sed quasi ex adipe. Ex macie procedit iniquitas, quando aliquis pauper non habens necessaria, perpetrat iniquitatem, auferendo videlicet proximo bona sua ; cum tamen esset toleranda potius omnis necessitas, quam minima perpetranda iniquitas. Quasi ex adipe prodit iniquitas, quando a divitibus, quibus fluunt rerum divitiæ, res rapiuntur alienæ : ex adipe etiam procedit iniquitas, quando dedignatur correctionem suam audire. Vel iniquitas ex adipe procedit, quando quisque qui alios corrigere deberet, timens ne ei temporalia subtrahantur, divitibus etiam in malefactis adulatur. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum :* et *transierunt*, id est, excesserunt metas humani generis, quia se fragiles non recognoverunt, venientes *in affectum cordis*, id est, in omnem affectum carnalis delectationis tendebant. Et quomodo hoc? *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam*, id est, prius nequitias apud se deliberaverunt, et post locuti sunt, sic venientes de peccato in peccatum : quia culpam geminat, qui excogitatam nequitiam divulgat : et duplex peccatum est, malum excogitare, et hoc quasi in bonum propagare. *Iniquitatem in excelso locuti sunt*. Quasi dicat : Locuti sunt nequitiam, et hoc non qualicunque modo, sed *in excelso*, id est in publico, gloriati sunt de nequitia sua, et in cathedra pestilentiæ præsidentes, aliis nequitiæ dederunt auctoritates. Unde Paulus : Auferatur clamor de medio vestrum (*Ephes.* IV). Et sic *posuerunt in cœlum os suum*, id est, contra Deum male locuti sunt, in illum videlicet, quem nulla lingua sufficit laudare ; non timuerunt blasphemias jactare. *Et lingua eorum transivit in terra*, id est, humanam possibilitatem et metas humani generis, licet in terra esset posita, id est, in fragili vase et cito mutabili. Nota qualiter lingua eorum transivit. Non cogitant enim se subito posse mori, cum talia loquuntur : sed quasi semper victuri, grandia minantur. Hi tales quam fragili vase cooperti sunt, nesciunt quod scriptum est : *Exiet spiritus et revertetur in terram suam* (*Psal.* CXLV). Vel sic : *Lingua eorum transivit* omnes *in terra*, id est in stabilitate positos, contemnendo eos in affectione cordis sui, dum sibi bona temporalia attribuerentur, et aliis auferrentur. *Ideo convertetur populus meus hic*. Quasi dicat : Quoniam illi ex tempore florent, ut postmodum æternaliter pereant, ideo *convertetur populus meus hic;* id est, populus meæ nationis, cujus ego pars sum : *hic*, id est mihi similis ; et *in* illo converso *dies pleni invenientur*, quia in eorum consideratione erunt tantum dies æternitatis, qui pleni sunt affluentia bonorum : invenientur dies pleni, id est, vita plenitudinis temporum, in quibus temporibus prædicabant apostoli temporalia esse contemnenda et æterna exspectanda. Vel aliter : *Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra*. Quasi dicat : *Ideo convertetur populus meus hic*. Quorsum hæc descriptio pravorum ? ut convertatur populus meus hic a pravo intellectu suo ad meum intellectum habendum, ut contemnatur videlicet terrena felicitas. *Et* opus est ut convertantur, quia *dixerunt*, ab eo aversi : *Quomodo scit Deus* omnia, cum mali gaudent terrena felicitate, et boni laborant in afflictione? *Et si est scientia in excelso*, possumus dicere quia non curat gubernare hæc infirma ; et *ecce* quare, quia *ipsi peccatores*, Deo videlicet non servientes, sunt *abundantes in sæculo :* quia *obtinuerunt*, id est contra nos tenuerunt *divitias ; et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum*, confitendo peccata ; *et lavi inter innocentes manus meas?* id est, frustra pie et innocenter vixi, adjungendo alios innocentes? *et* frustra *fui flagellatus tota die*, id est, assidue ; *et castigatio mea* fuit *in matutinis*, id est, non differebatur ; sed comparabilis factus sum illi cujus pœna esset in foribus, ut interficeretur quam cito de domo egrederetur : et hoc totum frustra, quia illi qui tibi non serviunt, eorum differtur pœna, vel nulla est. Ipsi ornantur divitiis : qui tibi serviunt, premuntur miseriis et angustiis. Hæc omnia postquam consideravi, conversus ad meipsum *dicebam : Si narrabo sic*, me videlicet sine causa justificatum, frustra pie et innocenter vixisse, frustra castigatum et flagellatum, quia careo bonis temporalibus, quibus abundant bonorum persecutores. *Ecce nationem*, id est, auctoritatem, *filiorum tuorum*, Abraham videlicet et Isaac, *reprobavi*, id est, contempsi, quia nullus illorum mecum consentit in hoc, ut contemptis æternis, possideantur æterna : nec flagellandum esse pro temporalibus, sed pro æternis ; et sic omnibus visis, *existimabam* utile mihi, subaudis fore, *ut cognoscerem* illud, qualiter Deus humana disponat, et se colentibus temporalia subtrahat, et non se colentibus habere permittit, et *hoc* subaudis cognoscere et inquirere *est labor ante me*, id est, major me ; ut illud : Qui *post me venit, ante me factus est* (*Joan.* I). *Labor est* dico, *ante me, donec intrem*, videlicet consideratione, *in sanctuarium Dei*, in occultam dispositionem Domini ; *et intelligam in novissimis eorum*, id est, considerem novissima eorum, qui hic terrenis inhiant, et in spe cœlestium non laborant. Potest et sic distingui : *Existimabam ut cognoscerem hoc*, qualiter videlicet mali in hac vita florere permittuntur ; sed *labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum*, quando ipsi puniendi sunt. *Verumtamen propter do-*

los posuisti eis. Quasi dicat : Licet dixerim eos puniendos in novissimis eorum, tu tamen in præsenti jam damnasti eos, quia propter dolos, quibus videlicet convictores suos decipere solent, vel propter dolos in signis et non in significatis, in promittentibus et non in promissis, permanserunt, *posuisti eis*, subaudis dolum. Et hoc quomodo? *Dejecisti eos dum allevarentur;* quia in hoc ipso quo se putabant elevari, misera dejectione depressi sunt. *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt, propter iniquitatem suam?* Asaph, qui in hoc psalmo loquitur, prævidens futuram desolationem illorum, quorum hic in terrenis sunt solatia, quasi condolendo eis sic clamat : *Quomodo*, id est quam misere et irrecuperabiliter, *facti sunt in desolationem?* nam *subito defecerunt*, qui divinam vitam sibi ipsis promisernnt ; et sic *perierunt propter iniquitatem suam*, non propter examinantis Dei injustitiam. Et quomodo peribunt? *Velut somnium, surgentium*, id est, comparabiles erunt somniantibus se habere divitias, qui tamen nihil habent dum evigilent : ita isti felices sibi videntur dum manet ista nox ; sed dum somnis hujus carnalis vitæ excitati fuerint, recognoscent se esse pauperes, et se quasi in somnis possedisse temporales divitias attendent ; quod dicit : *Velut somnium surgentium.* Et tu, *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum*, id est, in comparatione tuorum fidelium, *ad nihilum rediges*, id est, ex toto destrues ; et magis *ipsorum* qui in sua civitate tuam imaginem destruxerunt, non rationabiliter vivendo et imaginem terreni hominis imitando ; et ideo *imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, meam autem reædificabis ; *quia inflammatum est* hic *cor meum*, desiderio tui subaudis; *renes mei*, carnales videlicet, *commutati sunt*, in spiritualem delectationem ; *et ad nihilum redactus sum*, ut te in me magnificarem, et *nescivi*, id est, si quandoque peccavi, ignoranter hoc feci post commutationem carnalis delectationis. Et iterum *ut jumentum factus sum apud te*, mansuetum videlicet animal et aptum ad portandum onus tuum leve, et sic ero *semper tecum:* et hoc non ex merito meo, sed tu *tenuisti manum dexteram meam*, id est, meam potentiam juvisti ad hoc, ut esset in dextera acquirens potiora, cœlestia videlicet, et non terrena : quia per dexteram cælestia, et per sinistram terrena intelliguntur. Unde illud in Canticis : *Læva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II). Habent quidam libri, manum dexteræ sententia tamen eadem. *Et in voluntate tua*, id est, in beneplacito tuo, non in merito meo, *deduxisti me*, de virtute in virtutem ; et *cum gloria suscepisti me*, qui gloriamur in spe resurrectionis, quæ in te præcessit capite. Aliter : *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Et merito, quia eorum exemplo inflammatum est cor meum, desiderio videlicet terrenorum : *et renes mei*, id est, spiritualis delectatio mea mutata est, et facta est carnalis ; *et ego ad nihilum redactus sum*, permanens videlicet in vetustate, *et nescivi* ea quæ scienda

A erant ; sed *ut jumentum factus sum apud te*, irrationabiliter videlicet vivens, et quæ ad usum corporis pertinebant tamtum quærens ; et licet sic aversus, tamen ego tecum semper fui, in hoc videlicet quod non consensi his qui dixerunt bona temporalia a te non esse quærenda, sed ab alio ; et ideo locum veniæ quodammodo promerui. Et tu tenuisti manum dexteræ meæ, ut non amplius quærerem ea quæ ad sinistram pertinent, sed quæ per dexteram intelliguntur. Potest et adhuc aliter legi: *Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam, velut somnium surgentium*; sed tu, *Domine, imaginem ipsorum*, imaginem videlicet terreni hominis, quam ipsi imitati sunt *ad nihilum*, tu reædificasti ponendo eos in civitate tua, id est. intra societatem tuorum fidelium. Et unde hoc scio?
B Quia in me ipso hoc expertus sum, quoniam imaginem terreni hominis in me destruxisti, et tuam reædificasti ; quod dicit, quia *inflammatum est cor meum* desiderio terrenorum, *et renes mei commutati* in carnalia desideria, *et ad nihilum redactus*, id est, ad ea quæ nihil sunt tendebam : et hoc ideo, quia nescivi ea quæ scienda erant ; sed *ut jumentum factus sum apud te*, irrationabiliter videlicet vivens ; sed tamen *ego semper tecum* fui, non credens alium datorem terrenorum nisi te : et ideo *tenuisti manum dexteram meam*, ut jam non amplius se extendat ad *terrena ; et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me*, et ecce gloria, quia *quid mihi est in cœlo?* id est, quantum est illud quod mihi a te paratur in cœlo. *Quia* illud *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.*
C II). Et quandoquidem tanta est gloria, ego miser *quid volui a te super terram?* Id est, quam nihil fuit in comparationem futuræ gloriæ, quod a te quæsivi in terra? Unde habui hoc quærere? Ex defectu carnis videlidet et cordis ; quod dicit, *defecit caro mea*, tam in me videlicet quam in Adam ; *et cor meum* defecit, id est, ratio mea obfuscata est, ut non quærerem quæ quærenda erant : sed amodo *Deus* erit *cordis* aggratulatio ; *et Deus* erat *pars mea* et hoc *in æternum*. Alii autem assumant sibi partem mundum, et ideo eorum pars est transitoria. Et opus est, o Deus, ut tu sis mihi pars ; nam qui non eligunt partem, ipsi peribunt. Quod dicit : *Pars mea Deus in æternum.* Et ecce quare te Deum partem assumam : *quia qui elongant se a te*, mundum vide-
D licet, et non te, sibi partem assumendo *peribunt.* Nam tu *perdidisti* omnem qui fornicatur *abs te*, subaudis recedendo. Fornicatur ille, qui Deum colit propter aliud quam propter seipsum, velut illi qui eum colunt pro terreno commodo. Neque enim uxor quælibet caste amat maritum suum, quæ plus amat eum pro divitiis quam pro seipso. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Quasi dicat : Illos qui fornicantur perdidisti, ego autem non fornicabor, quia *mihi adhærere Deo bonum est*, id est, delectabile mihi videtur, mundum contemnere et Deo adhærere. Et quomodo adhærere? Spe scilicet, non in re. *Spe enim salvi facti sumus* (*Rom.* VIII). Quasi dicat : Volo

ponere in Domino Deo spem meam, id est, sic volo adhærere ut in illo tantum spem meam ponam, in qua spe et in quo amore nolo solus esse, velut illi qui mundum amant,in incesto amore suo nolunt habere socios. Mihi antem sic delectabile est tibi Deo adhærere, *ut annuntiem omnes prædicationes tuas*, ut sic annuntiando mihi adjungam socios in amore tuo. Et quibus annuntiabo! *Sion*,id est illi qui sunt in contemplatione futurorum ; qui sunt etiam filia, quoniam eis tanta diligentia est adhibenda ut in casto amore Dei perseverent, quanta diligentia custodiendæ sunt filiæ ne ante tempus legalis conjugii fiant fornicariæ. Hæc annuntiatio facienda est *in portis*, id est in virtutibus, quæ portæ sunt ad supernam vitam; quia cavendum est prædicatori, ut id quod verbo prædicat, opere compleat: vel *in portis*, id est in manifesto,annuntiabo prædicationes tuas, et non occulte. Unde illud : *Qui me erubuerit coram hominibus, et ego* erubescam *eum coram* angelis Dei.*Et qui me* confessus fuerit *coram hominibus, et ego eum confitebor* etiam *coram Patre meo* (*Luc.* II ; *Matth.* X). Vel *in portis*, id est in apostolis tuis, eorum auctoritatibus videlicet confirmando quidquid in tua prædicatione annuntio.Unde alibi : *Narrate in turribus ejus* (*Psal.* XLVII).

PSALMUS LXXIII.

INTELLECTUS ASAPH.

« Utquid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ ? Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Redemisti virgam hæreditatis tuæ: mons Sion, in quo habitasti in eo. Leva manus tuas in superbias eorum in finem : quanta malignatus est inimicus in sancto! Et gloriati sunt qui oderunt te,in medio solemnitatis tuæ. Posuerunt signa sua,signa ; et non cognoverunt sicut in exitu super summum. Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum ; in securi et ascia dejecerunt eum.Incenderunt igni sanctuarium tuum;in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul:Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra. Signa nostra non vidimus,jam non est propheta,et nos non cognoscet amplius. Usquequo,Deus, improperabit inimicus; irritat adversarius nomen tuum in finem ? Utquid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem ? Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ. Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis.Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum. Tu dirupisti fontes et torrentes ; tu siccasti fluvios Ethan. Tuus est dies, et tua est nox : tu fabricatus es auroram et solem. Tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem et ver, tu plasmasti ea. Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino,et populus insipiens incitavit nomen tuum.Ne tradas bestiis animam confitentem tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum. Ne avertatur humilis factus confusus ; pauper et inops laudabunt nomen tuum. Exsurge, Deus, judica causam tuam : memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum ; superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. »

ENARRATIO.

Asaph. Istius nominis est Latina interpretatio, *congregans* vel *congregatio* : Græca voce, *synagoga*. Per congregationem autem potest accipi tam congregatio hominum quam animalium. Sed quoniam usus habet ut per Synagogam semper Judaicum populum accipiamus,et hic quoque per Asaph eumdem populum designemus ; et non qualescunque in populo illo accipiendi sunt hic,sed illi tantum qui in semine sunt reputandi,non inter paleas numerandi; non filli Abrahæ sunt secundum carnem, sed qui eum imitantur secundum fidem.Ut autem tales intelligamus, notat nobis hoc vocabulum *intellectus*, quod jungitur *Asaph*. Nam eorum vox est hoc psalmo, qui receperunt Vetus Testamentum,et qui per illud Novum Testamentum intelllexerunt esse futurum, In quibus duobus Testamentis præcepta sunt eadem ; quia hæc præcepta. *Non mæchaberis*, *Non furtum facies*, et cætera, utroque Testamento sunt eadem. Promissa autem duorum Testamentorum sunt diversa,quia promissa Veteris Testamenti sunt hæc : Terra Chanaan,terra copiosa, abundans lacte et melle ; regnum temporale, subjectio inimicorum,fecunditas uxorum et filiorum ; Novum autem Testamentum tibi promittit regnum cœleste, subjectionem vero inimicorum de quibus dictum est : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus potestates tenebrarum* (*Eph.* VI).Sic sunt promissa diversa duorum Testamentorum ; sed nota quia promissa Veteris Testamenti præcedebant,quia prius animale,deinde quod spiritale. *Primus enim homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis* (*I Cor.* XV),ad imaginem vero terreni pertinet Vetus Testamentum, ad imaginem cælestis Novum ; sed tamen utriusque Testamenti idem est auctor. Nam qui per Vetus Testamentum promisit regnum temporale, ipse etiam per Novum promisit regnum cœleste ; sed præcessit Vetus promittens temporalia,quia carnalis populus inducendus erat per temporalia,ut sic disceret amare cœlestia; quia ipsa temporalia quæ præcedebant, signa fuerunt cœlestium et ea promittentium. Regnum enim temporale significat regnum cœleste : subjectio inimicorum exteriorum, subjectionem inimicorum interiorum ; genus diversarum victimarum significat Christum pro salute hominum in cruce suspensum. Quare ? Quia impleta sunt omnia quæ significabantur per illa, debent cessare promittentia : venit enim Christus, a prophetis diu pronuntiatus. Signa enim eum venisse manifestant, quia

non sunt prophetæ, non est sacerdotium, non est A unctio ; mutata sunt etiam sacramenta, et facta feliciora, et magis salubriora, quia sacramenta Veteris Testamenti promittentia salutem, sacramenta Novi sant dantia salutem. Hæc omnia impleta videt miser populus Judaicus, et tamen adhuc Christum venisse dubitat. Recepit prius temporalia, et pro magno habuit ; Deus autem qui eis dedit, non pro magno habuit, quia etiam ea concessit malis; quod non fecisset, si ea pro magno habuisset: quia bona illa vera tantum recepturi sunt boni ; sed populus Judaicus, receptis bonis temporalibus, non præsumebat de eo qui dedit ea ; sed timens ea amittere, machinatus est eum occidere. Dixerunt enim : *Si dimittimus eum sic, venient Romani et tollent nostrum locum* (*Joan.* XI) ; et occiderunt eum, et amiserunt locum et gentem, et civitatem in qua eum B occiderunt, ipsi occisi amiserunt, et eo tempore quo Dominum occiderunt, ut ex tempore admonerentur quare talia paterentur. In paschali enim solemnitate, quando omnes convenerant festum celebrare, Dominum occiderunt, ipsi autem ad eamdem celebrationem convenientes obsessi sunt a Romanis principibus et multa millia hominum sunt occisa, civitas eorum est subversa Sic Deus justus, licet non per justos homines, licet non per bonos, juste ab interfectoribus suis se vindicavit. Hanc eversionem deplorat Asaph in hoc psalmo, et distinguit in hoc planctu vera bona a non veris ; ut tu quisque videas per quæ transeas et quæ exspectes, quæ relinquas et quibus inhæreas. Et quare videndum est quibus inhæreas. Quia si excusabiliter inhærebant C terrenis, quibus nondum revelata sunt divina promissa per Novum Testamentum, multo inexcusabilius eis inhæremus, quibus jam per Novum Testamentum revelata snt divina promissa. Dicit autem sic Asaph :

Utquid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus ? Nota quia magna est affectio lamentantis, et pia deprecatio deplorantis, ea quæ tam longe sunt futura deplorare quasi præsentia, ut sic ostendat quam piam affectionem erga illos habeat. Quasi dicat : Deus Pater, *ut*, id est quare nos repulisti? *utquid*, id est. ad quam utilitatem nostram fuit illa repulsio ? *Repulisti nos in finem*, id est, omnimoda repulsione; sel repulisti nos dirigendo, in te finem qui finis est totius bonitatis et justitiæ. Et *utquid* D *iratus est furor tuus*, id est, ad quid augmentata est ira tua. *super oves pascuæ tuæ*, quas fovisti et nutrivisti ? Hoc ideo quia terrenis adhærebamus, te pastorem non cognovimus. *Memor esto congregationis tuæ*. Quasi dicat : Si sic agendum fuit cum paleis, tamen reservanda sunt grana. Et ut reserves *memor esto congregationis tuæ*, quam tu, videlicet quasi grana inter paleas, conservasti : *quam possedisti ab initio*, id est a tempore primi justi, Abel videlicet, quia ex eo tempore non defuerunt in populo illo qui in semine essent reputandi ; vel *ab initio*, id est. a tempore illo quo Abraham fuit deductus de Ur Chaldæorum, vel a tempore Moysi et Aaron. *Memor esto congregationis tuæ*. Et debes memor ejus esse, quia tu *redemisti* ab Ægyptiaca servitute *virgam hæreditatis tuæ*, id est, ad hoc ut esset tibi hæreditas recte et quasi per virgam mensurata. Et quæ est illa hæreditas ? *Mon Sion*, id est populus Judaicus *in quo* hæreditaris, ita ut *in eo* esses, quia multoties talia signa in eis visa sunt, ut tu præsens adesse videaris. Vel sic, *redemisti virgam hæreditatis tuæ*, id est, ipsam hæreditatem redemisii signo virgæ tuæ; vel redemisti ipsam hæreditatem ad hoc ut per eam multa signa faceres, sicut per virgam Movsi operatus est: legitur enim (*Exod.* IV) quod Moyses petivit signum a Domino, ut crederet ei Pharao et Israeliticus populus ; cui Dominus præcepit ut virgam quam in manu tenebat in terram projiceret: projecta est virga et versa in serpentem ; Moyses autem aufugit timore perterritus : sed, Domino præcipiente, reversus, accepit caudam serpentis, et priorem formam recepit virga. Videamus mysterium hujus facti, Virga in serpente, Christus fuit in morte. Nam per serpentem proprie mors denotari potest, quia serpens primæ mortis causa fuit. Eo enim suadente cecidit Adam in mortem. Fuga Moysi timorem et dubitationem quam discipuli habuerunt in morte Domini, designat. Illi enim qui dixerunt, Nos putabamus quod redempturus esset Israel (*Luc.* XXIV), quodammodo in morte Domini desperabant et ab eo jam mente recedebant. Accepit Moyses serpentem per caudam, et restituta est virga. Quid per hoc voluit intelligi? Cauda serpentis, posteriora Christi, resurrectionem et ascensionem, denotat. Quæ duo cum discipuli mente attingerent et corde crederent, jam serpens mutatus est in virgam, quia de quo mortuo desperabant, eum vivum postea adorabant. Thomas enim, qui prius dubitavit, ponens manum in latus ejus, dixit : *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* XX). Potest etiam cauda serpentis posteriora Ecclesiæ denotare. Nam si quis ad posteriora Ecclesiæ respexerit, eam attingere non dubitatit, licet eam prius quasi serpentem et mortuam abominatus fuisset ; sic virga in serpente, Christum in morte et Ecclesiam periclitantem in tribulatione designat. Alibi etiam Christus per serpentem denotatur. Legitur quod Israeliticus populus multa in deserto passus sit a serpentibus, et ex illis multi mortui sunt ex percussionibus serpentum. Quæ plaga ut cessaret, præcepit Dominus Moysi ut serpentem æneum faceret, et eum in ligno alte poneret, ut si quis læsus esset a serpentibus, serpentem illum intueretur et sic sanaretur; et impletum est præceptum Domini, et sanati sunt multi (*Num.* XXI). In hoc serpente tria notantur, quod æneus fuit, et imaginem serpentis habuit, et mortuus fuit : per æs, quia durabilius est omni metallo, divinitas Christi denotatur ; imago serpentis significat Christum in similitudine carnis peccatricis, et non in carne peccatrice ; mortuus ille serpens mortem Christi designat, quam si quis intuetur fide et opere

videlicet eam imitando, sanatur ab omni percussione serpentum, id est ab omni impugnatione dæmonum *Leva manus tuas in superbias eorum in finem.* Quasi dicat: Memor esto congregationis tuæ; et ut memor sis, *leva manus tuas*, id est, exerce potentiam tuam *in superbias eorum*, id est, contra superbias Romanorum, dirigendo eas in te finem ; vel *in finem*, id est finali levatione, *leva manus tuas* contra eos. Et opus est, quia inimicus, id est populus Romanus multum maligne egit in sancto loco, subaudis tuo, destruendo. Quod dicit : *Quanta malignatus est inimicus in sancto ! et* in tantum *gloriati sunt* de victoria sua *qui oderunt te*, gentiles videlicet, qui maxime dicuntur te odisse, quia tui cognitionem nunquam receperunt. Et ubi gloriati sunt? *In medio solemnitatis tuæ*, id est in eo loco ubi tua solemnitas deberet fieri. Nota quia congregati Judæi ad paschalem solemnitatem, perierunt a Romanis ; et merito hoc tempore perierunt, quia in eadem solemnitate Christum occiderunt ; quod dicit : *Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ* et ecce quomodo, quia *posuerunt signa*, militaria subaudis, *signa* dico *sua signa.* Signa ista possumus dicere aquilas, dracones cæteraque quibus exercitus Romanorum uti solebat in prælio : vel *signa sua*, signa videlicet phantastica et deorum suorum, a quibus responsum forsitan acceperant se habituros victoriam ; quorum signa posuerunt *super summum*, id est super templi summitatem, *sicut in exitu* viarum, subaudis, solet fieri. Mos enim fuit antiquitus ut, facta victoria, in editibus viarum signa ponerentur, ut esset monimentum victoriæ. Hæc talia signa quæ solebant poni *in exitu*, posuerunt ipsi super templum ; *et cognoverunt*, non ex eorum voluntate, sed ex divino nutu hoc processisse: *non cognoverunt* se esse instrumentum irati, non regnum placati. Solet enim Deus facere quod frequenter faciunt homines, qui colligunt qualecunque sarmentum, et corrigunt inde filios ; quibus correctis, sarmentum mittunt in ignem et filiis servant hæreditatem : ita Deus per impios probat pios, et frequenter per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam salvandorum. Vel sic : *Posuerunt signa*, dico *sua*, id est suæ victoriæ ; et non cognoverunt sicut erat in exitu super summo, id est, non intellexerunt hoc de summo, id est, de paterna dispositione exisse, et non ex Deorum suorum responsione. Potest aliter legi superius : *Quanta malignatus est inimicus in sancto !* et hoc merito, quia *gloriati sunt qui oderunt te*, Judæi videlicet, *in medio solemnitatis tuæ ;* quia quando tuam solemnitatem debuerunt celebrare, non timuerunt occidere. *Quanta malignatus est imimicus in sancto* quia *posuerunt signa tua, signa et non cognoverunt sicut in exitu super summum* ; et non tantum hoc fecerunt, sed etiam *januas ejus*, subaudis templi *exiderunt securibus*, quasi fieret *in silva lignorum*, id est, ita irreverenter januas templi inciderunt sicut inciderent silvam lignorum. Silva lignorum est, ubi non reperiuntur arbores utiles ad ædificia, sed ligna igni tantum comburenda ; quo dicit: *quasi in silva lignorum securibus exiderunt januas ejus in idipsum*, id est, in eamdem voluntatem convenientes : *in securi et ascia dejecerunt eam*, ipsam civitatem videlicet. Per securim et asciam notantur omnia genera instrumentorum quibus ipsi Romani usi sunt in destructione civitatis. *Incenderunt igni sanctuarium tuum ; sanctuarium* dico, solum *in terra* illa factum. *Polluerunt tabernaculum nominis tui*, quia in tabernaculo quod nomine tuo fuit consecratum, fecerunt equorum stabulum ; et *dixerunt*, id est statuerunt, *in corde suo.* et omnes *cognatio eorum simul* cum illis consenserunt, istud dicentes : *Quiescere faciamus dies festos Dei a terra*, expellendo eos videlicet *omnes* qui in suo nomini sabbatizant ; et hoc merito patimur qui *signa nostra non vidimus.* Ostendit hic Asaph Judæos merito fuisse talia passos, quia signa quæ annuntiabant impleta esse quæ promittebantur cognoscere noluerunt ; quod sic dicit : *Signa nostra non vidimus.* Vidimus utique. Nam *jam non est propheta* ; quod nobis est signum eum venisse, quia prophetatum fuit : Cum venerit sanctus sanctorum, cessabit unctio (*Dan.* IX). *Et nos non cognoscet amplius.* Quasi dicat : Dicendum est quia non veniet amplius. Veniet utique, sed non veniet eo modo quod prius venit. Venit enim mitis, veniet terribilis. Venit judicandus, veniet judicaturus. Venit, et offendistis in eum jacentem; cavete eum desuper venientem. *Usquequo, Deus, improperabit inimicus*? Asaph, intelligens et videns sic deprimi Judæos a principibus Romanis, quasi eis condolendo dicit : *Deus* Pater, *usquequo*, id est quandiu, *improperabit inimicus* populo tuo? et usquequo irritabit *adversarius*, id est gentilis populus, *nomen tuum* hoc, quod est Deus? Erit hoc *in finem*: Et *utquid avertis manum tuam et dexteram tuam*, id est Judaicum populum, qui fuit manus tua; et non qualiscunque, sed dextera, quia per eum in fortitudine magna multa operatus es signa : quandiu avertis eum *de medio sinu tuo*, id est de firma societate tuorum, erit hoc *in finem*, id est, omnimoda aversione ? vel avertis eos, dirigendo in te finem. Nota hic historiam de Moyse (*Exod.* IV.), quando manum retraxit de sinu, et facta est lepra plena ; reposuit eam iterum jubente Domino, et recepit colorem cæteræ carni similem. Manus subtracta de sinu significat illos qui a societate fidelium separati sunt quasi leprosi, id est peccatorum maculis contaminati; sed cum jam revertuntur ad societatem fidelium, mundantur a peccatis : quod notat manus in sinum reducta. Quod hic dicit : *Utquid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem ?* Quasi dicat : Ne patiaris manum tuam de sinu tuo extrahi, sed permitte eam reponi, et recipiat colorem carni similem, et cognoscat Creatorem. Vel aliter, *incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui* ; et merito hoc passi sunt Judæi, quia *dixerunt*, id est statuerunt,

in corde suo cognatio eorum simul, id est, cum illis A consensit in hoc, *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*. Ac si dicat : Non sit inter nos deinceps qui festum faciat Deo, et Sabbatum custodiat : et hoc adeo quia *signa nostra non vidimus*, per quæ intelligamus se curare de nobis. *Jam non est propheta*, qui consoletur nos in afflictione ; *et* ideo *nos non cognoscet amplius*, quia non veniet amplius ad liberandum nos ; frustra enim sunt prophetica dicta, quæ eum pro nostra salute annuntiabant venturum. *Usquequo, Deus, improberabit inimicus?* Hos duos versus præcedentes dixit Asaph in voce Judæorum, nunc iterum vocem assumit propriam ; quasi dicat : Dicunt Judæi Christum non venisse ; sed tu, Deus, usquequo improperabit tibi inimicus, id est, usquequo non recogno- B scetur ab inimico, id est, Judaico populo? Cum constat eum Sanctum sanctorum venisse, usquequo irritat adversarius nomen tuum, id est, quandiu patieris Judaicum populum irritum habere nomen tuum, Christianum videlicet, et illud quasi vanum impugnare? Et *ut quid avertis manum tuam?* Ecce iterum dolet persecutionem Judæorum. Quasi dicat : Tu Deus, et si repellis de populo tuo paleas, *utquid avertis manum tuam et dexteram tuam*, id est, utquid repellis illos qui manus tua futuri sunt, grana videlicet qui inter paleas reservantur, *de medio sinu tuo*, id est de tua protectione? et hoc *in finem*, id est finali aversione? vel advertis eos in te finem subaudis dirigendo. *Deus autem rex noster ante sæcula*. Quasi dicat : Nos dubitabamus Christum venisse. *Deus autem rex noster ante sæcula*, subaudis ens, *operatus* C *est salutem*, firmam fidem sui, *in medio terræ*, id est in medio gentium, quæ usque modo quasi terra culta fuerunt et nos quasi cœlum ; nunc autem gentes cœlum sunt et nos terra : ipsi vigilant, quia salutem receperunt, credentes Christum venisse ; nos stetimus, quia eum venisse adhuc dubitamus. Vel sic : *Deus autem rex noster*, id est nostræ naturæ assumptor, operatus est salutem ante sæcula, a Patre prædestinatam. Et quomodo operatus est salutem? Quia *tu* Deus *confirmasti in virtute tua*, id est in tua constantia, *mare*, id est amaritudinem gentium, contra te semper existentium ; *contribulasti capita draconum in aquis*, id est, superbiam malignorum spirituum in aquis baptismatis contrivisti : quod præfiguratum fuit quando mare Rubrum stare D fecisti ut Israeliticum populum sicco vestigio transmigrare faceres, et principes in ipso mari submergeres (*Exod.* XXIII). Nota quia mare stabat, et populus Israeliticus in motu erat. In mare quod stabat, gentes intelligamus in fide stabiles : Judæi autem ambulabant, quia adhuc de fide dubitantes, terrenis motibus adhærent. *Tu confregisti capita draconis*, id est superbiam ipsius principis draconum, quod præfiguratum fuit in capite vituli confracto a Moyse (*Exod.* XXXII). *Dedisti eum*, id est ipsum draconem secundum corpus suum, *escam*, id est refectionem, *populis Æthiopum*, id est illis quibus dictum est, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V) ; qui aliquando fuerant Æthiopes, id est *denigrati*, nunc autem splendidissimi ; quia adeo confirmasti, ut sunt sancti apostoli, quibus membra draconis fuerunt refectio, quia os sibi secundum fidem incorporabant. Unde Petro dictum est : *Occide et manduca* (*Act.* X). Hæc talis esca fuit præfigurata, quando Moyses vitulum illum quem adorabat Israeliticus populus, in pulverem redegit, et positum in aqua eis ad bibendum dedit (*Exod.* XXXII). Vitulus ille redactus in pulverem significat infideles; qui igne divini amoris, elationes et superbias suas humiliter confitendo, incenduntur, et sic aqua baptimastis aspersi, fidelibus incorporantur. Vel aliter, *dedisti eum escam populis Æthiopum*, quia persecutiones infidelium quasi escas et refectio fuerunt fidelibus. *Tu dirupisti fontes et torrentes*. Quasi dicat : *Tu confirmasti mare, tu contribulasti capita*, et hoc taliter, quia *fontes*, id est apostolos tuos, in quibus erant fontes aquæ salientis in vitam æternam, dirupisti, id est, per diversos rivos duxisti. *Dirupisti etiam torrentes*. Torrentes sunt illi qui operibus Deo contradicunt, sed tamen aliis verbum prædicationis administrant; et hoc ad similitudinem, quia torrens est aqua de monte aliquo descendens cum impetu, et cito deficiens : ita et isti impetu oris fluunt : et in operibus tamen sicci sunt, per quos tamen Dominus salutem suorum operatur. Unde in Evangelio : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : quæ* autem *dixerint vobis, servate et facite : secundum opera eorum nolite facere;* (*Matth.* XXIII). *Tu siccasti fluvios Ethan*. Ethan interpretatur *fortis* vel *robustus;* ubi intelliguntur philosophi et elati sæculares de se præsumentes : quorum fluvios exsiccavit Dominus, quia eorum turgidam potestatem et vanam doctrinam ad nihilum redegit. Exsiccavit enim Dominus inflatam potestatem quasi turgidam vesicam Pilati, cum sibi dixit : *Non haberes* in *me potestatem, nisi tibi desuper datum* fuisset (*Joan.* XIX). Per suos etiam multas doctrinas hæreticorum et vanas elationes sæcularium destruxit. Unde Paulus : Elegit stultos et ignobiles, ut confunderet mundi sapientes et nobiles (*I Cor.* I).

Tuus est dies et tua est nox. Quasi dicat : Vere tu *dirupisti fontes*, quia *tuus est dies*, id est, qui perfecti sunt a te ipsam habent perfectionem. Dies sunt illi qui altioribus insistunt et ea aliis prædicant : nox, qui circa historiam et moralem sensum conversantur in intruendo alios. Unde illud : *Dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam* (*Psal.* XVIII). Potest esse etiam ille idem nox qui et dies est, velut Paulus fuit dies et nox : dies tunc quando dixit : *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II) ; nox fuit quando dixit : *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). *Tuus est dies, et tua est nox ;* et merito, quia *tu fabricatus es auroram et solem*. Aurora sunt incipientes jam lucere in virtutibus, sol, qui alios illuminant : vel aurora dicuntur carnaliter

sapientes : sol, spirituales. *Tu fecisti omnes terminos terræ.* Termini terræ sunt perfecti prædicatores, qui aliis terminant quid sit sectandum et quid fugiendum, vel termini terræ sunt illi qui per proprium donum Spiritus sancti terminati sunt ab aliis et distincti. Unde illud : *Unusquisque* enim *proprium donum habet* a *Deo* (*I Cor.* VII). *Æstatem et ver tu plasmasti.* Per æstatem intelliguntur spiritu ferventes, et per ver, virtutibus vernantes : vel per æstatem intelliguntur fructum colligentes; per ver, bene operari incipientes : quod dicit, *æstatem et ver tu plasmati ea,* non ipsa se. Unde illud : *Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur* (*Eph.* II). *Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino.* Asaph videns hæc omnia ad salutem gentium facta, et intelligens quia multa operatus esset Deus in oleastro inserto, rogat ut hæc eadem operetur in naturali oliva, cujus rami fracti sunt. Quasi dicat sic : Tu, Domine, plasmati æstatem et ver, id est, qui in gentibus spiritu ferventes et simplices in fide fecisti, tu *memor esto hujus,* subaudis tuæ plasmationis factæ in gentibus, ut idem facias in Judaico populo, in granis scilicet, non in paleis. Et quare dico, non in paleis? Quia *inimicus,* id est palea, de populo illo, *improperavit Domino,* dicens : *Nos scimus quia homo* iste *peccator est* (*Joan.* IX). *Et populus insipiens incitavit namen tuum,* sic : *Si Filius Dei es, descende de cruce* (*Matth.* XXVII) ; et illud : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job* XXI). *Memor esto hujus:* et ut memoris sis *ne tradas bestiis animas confitentes tibi,* id est, ne permittas conformari bestiis, id est bestialiter viventibus, animam illorum qui humiliter confitentur tibi, velut illi : *Quid faciemus, viri fratres* (*Act.* II)? *Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem* ; sed *respice in testamentum tuum,* id est in tuam promissionem, non amplius in nostram : in promissiones Novi, non in promissiones Veteris. Promittit enim Novum Testamentum istud : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII) ; et illud : *Et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV). In hoc Testamentum respice, ut illis qui acceperunt tabulas hæreditatem serves, granis videlicet non paleis. Et quare non paleis? *Quia repleti sunt iniquitatem qui obscurati sunt terræ* domus, id est, qui cor suum domus terræ fecerunt, ut terrena videlicet ibi tantum reponantur, et non spiritualia. Unde alibi : *Introibunt in inferiora terræ* (*Psal.* LXII). *Ne avertatur humilis,* id est humiliter peccata confitens, *factus confusus,* si avertitur. *Pauper et inops,* æterna sola videlicet desiderantes, *laudabunt nomen tuum.* Et ut laudent, *exsurge, Deus, judica causam tuam,* id est tuorum, ne frustra videatur videlicet causa illa propter quam contemnunt præsentia et exspectant futura. *Memor esto improperiorum tuorum, eorum* videlicet *quæ ab insipiente sunt tota die.* Insipientes sunt, nescientes sibi in posterum cavere, a quibus fit improperium fidelibus, quod exspectant futura et contemnunt præsentia ; hujus talis impro-

A perii memor esto sic : *Ne obliviscaris* in tuo judicio *voces inimicorum tuorum,* ut a te ipsi inimici recipiant quod inde promerentur ; *superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper,* id est contra te semper augmentatur eorum superbia. Ascendit eorum contra te superbia, ascendit contra eos tua vindicta.

PSALMUS LXXIV.

IN FINEM, NE CORRUMPAS, PSALMUS CANTICI ASAPH.

« Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua : cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea ; ego confirmavi columnas ejus. Dixi iniquis : Nolite
B inique agere ; et delinquentibus : Nolite exaltare cornu ; nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est. Hunc humiliat, et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Ego autem annuntiabo in sæculum, cantabo Deo Jacob. Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi. »

ENARRATIO.

Psalmus iste tumori superbiæ medicinam humilitatis apportat : hoc agens, ne quisque superbus de
C se præsumat, nec humilis de Deo desperet, quia promissio ejus certa est et rata et inconcussa, omni carens dubitatione, quæ consolatur afflictos. Et quare afflictos? Quia vita hominis super terram nihil est nisi afflictio. Unde Job : *Militia est vita hominis super terram* (*Job.* VII). Nec tamen prospera vita est tanta eligenda, et adversa vitanda, sed utraque cavenda : illa, ne frangat ; ista, ne corrumpat, ut unicuique homini, in quocunque statu rerum degit, non sit refrigerium nisi Deus, nec gaudium nisi in ejus promissis. Vita enim ista quemlibet fallit redundans felicitate. Deus autem fallit neminem, quia verax est in promissis ; et eum tenemus fidelissimum promissorem, qui se promittendo fecit debitorem. Sed quia homini ad Deum
D converso, mutandæ sunt divitiæ, et delectationes mutandæ sed non subtrahendæ : est enim tantum delectatio nostra non in re, sed in spe : hoc agit psalmus iste ut certam spem habamus, ut inducamur in id quod speramus. Nam cujus delectatio est tantum in spe non fallitur. Unde illud : *Delectare in Domino* (*Psal.* CXXXVI). Et ne cito videremur habere pro quo delectamur, subjungitur : *Et dabit tibi petitiones cordis tui* (*Ibid.*). Unde ergo delectaris, si non habes quod petis ; nisi quia habes eum fidelissimum debitorem, qui promittendo fecit ut deberet? Titulus exponitur, *ne corrumpas.* Quid est, non corrumpas? Exhibe videlicet quod promisisti,

fidem veram et spem, tendens *in finem*, id est in Christum, videlicet spe, et non in mundum re. Nam qui mundum in re tenent, et non Christum se, illi tandem neque erunt in re, neque in spe, cum illi quo modo sunt in spe, gloriabuntur in re. *Psalmus Asaph cantici*, id est a cantico habendus. Asaph iste videtur Christum notare, quia iste præcipue in populo illo alios congregavit et sibi conformes fecit ; cujus vox est in hoc psalmo, exhortantis nos ut humiliter Deo confiteamur, et non superbe de nobis præsumamus. Dicit autem sic :

Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum. Nota prius confitendum, et post invocandum, quia quem invocas in te vocas. In te autem non venit Deus vocatus, si tu fueris elatus, quia ad elatum non accedit, sed ad humiliter confitentem. Faciamus ergo confessionem, non ut eum delectet, sed ut nos mundet. Mundemus templum nostrum per confessionem, in quo veniet invocatus. Omnia alta ut attingamus, non extollimus et erigimus ; et si nos non sufficimus, machinamenta et scalas quærimus, ut ea attingamus : Deus altus est, sed ab alto non attingitur : ipse enim prope est his tantum, qui obtriverunt cor. Tritura autem cordis, pietas et humilitas est : qui autem obterit cor, sibi irascitur. Quare tu quisque te habeas iratum, ut sentias eum placatum : habeas te accusatorem, ut invenias illum defensorem ; fac confitendo tibi propitium, quem negando non facis nescium : confitere ut avertat faciem suam a peccatis tuis, et non a te ; avertatur ab eo quod tu fecisti, non ab eo quem fecit. Ipse enim fecit hominem, tu fecisti peccatorem ; ipse etiam potens est avertere faciem tuam a peccante, et non avertere ab humiliter confitente. Unde illud : *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit* (*Psal.* CXXXVII). Respicit humiles per peccatorum remissionem, elatos cognoscit per justam damnationem. Quare confiteamur, ut invocemus, quod dicit : *Confitebimur, tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum.* Nota hanc repetitionem non esse factam causa loquacitatis, sed causa confirmationis, ne te pœnitat esse confessum, quoniam bonus est cui confessus es. Unde alius psalmus : *Confitemini Domino, quoniam bonus* (*Psal.* CXXXV). Et quia bonus est, ne timeas confiteri : quoniam non confiteris insultatori nec punitori, sed peccata ignoscenti. Time confiteri homini judici, post confessionem peccata punit : secure confitearis Deo, qui post confessionem ignoscit. Et invocabis nomen tuum, ut ex te pleni simus, qui per confessionem evacuati sumus. Et unde sit impletus, subjungit : *Narrabimus mirabilia tua.* Quasi dicat : Ego et mei *narrabimus mirabilia tua*, quæ mirabiliter operaris in corporibus, et quæ mirabilius operaris in moribus. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*, quasi dicat : Notificatis mirabilius tuis, *ego* præcipue *justitias judicabo*, non parcendo contemnenti, qui nunc dono confitenti ; gratias illi qui prius voluit justitiam narrare et prædicare,

A quam judicare : quia si prius judicaret quam prædicaret, quis absolveretur ? et quis liberaretur ? Nullus utique. Quare amemus prædicantem, ut securi exspectemus eum judicantem. Ipse accepit tempus judicandi justitias, nos accipemus tempus faciendi. De eo dictum est : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C). Quare ut non timeamus peccatorum punitorem, amemus peccatorum donatorem. *Cum accepero tempus, justitias judicabo.* Quis accepit tempus judicandi ? Non Filius Dei per quem facti sumus, sed filius hominis per quem refecti sumus : non qui assumpsit, sed qui assumptus est. Ipse enim qui assumptus est, mutatus est in melius : qui assumpsit, non mutatus in pejus. Ipse enim exinanivit semetipsum (*Phil.* II), inferiorem naturam

B assumendo, non ab æquali degenerando, assumens quod non erat, manens quod erat, a nullo accipiens tempus illud judicandi, sed semper habens illud. *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea.* Quasi dicat : Merito *justitias judicabo*, quia *terra*, id est, populus Judaicus, qui deberet aliis esse terra, per quem reficerentur, *liquefacta* aliquo fluit, id est, a liquidis et veris præceptis per cupiditatem discessit ; quia quanto quisque per cupiditatem inferius delectatur, tanto plus a creatore recedit : et quanto superius delectatur, tanto propior intelligitur. *Et omnes qui habitant in ea*, id est, non tantum Judæa liquefacta est, sed omnes illi qui in ea habitare deberent, exemplum bonæ operationis ab ea assumendo. *Ego* autem *confirmavi columnas ejus*, id est, aspostolos in passione mea comitantes, *confirmavi* in resurre-

C ctione. *Columnæ dicuntur* apostoli quia per eos fulciti erant : et suppositi Judæi et cæteri, ne caderent. Potest sic continuari : *Ego* autem *cum accepero tempus justitias judicabo ;* et nunc interim quid ? *liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea ; ego* autem *confirmavi columnas ejus ;* et per ipsas columnas *dixi iniquis : Nolite inique agere.* Dixit quidem, sed nos non audivimus. Et quia non audivimus eum ut sani staremus, audiamus eum vel ut lapsi resurgamus : et quia sani non sumus audiamus medicum venientem ad languidum. *Et delinquentibus : Nolite exaltare cornu.* Quasi dicat : *Dixi* ne inique agerent, illis autem qui a delicto se non abstulerunt, dixi : *Nolite exaltare cornu.* Quasi dicat : Si peccastis per cupiditatem, nolite peccatum defendere

D per elationem. *Nolite extollere in altum cornu vestrum*, id est, nolite confirmare oppugnantiam vestram in Deum jugum Dei detrectantes : *nolite loqui adversus Deum iniquitatem*, ponendo videlicet eum injustum, et non curare res humanas. Ipse enim loquitur iniquitatem, cum videt malos florere, bonos laborare, dicit Deum non gubernare humana ; quod hic prohibet, *nolite loqui adversus Deum iniquitatem.* Unde alibi : *Non declines cor meum in verba malitiæ* (*Psal.* CXL) : *quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est.* Quasi dicat : *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem, quia judex* qui nos judicabit, non venturus est

tantum *ab oriente, neque ab occidente, neque a deser-* A
tis montibus : quoniam Deus est qui judicat, et ideo necessario ubique præsens : *et hunc*, videlicet Judaicum populum, se exaltantem et de se præsumentem, *humiliat, et hunc*, id est, gentilem populum, se humiliantem *exaltat*, quod notatum est per Publicanum et Pharisæum, quia Publicanus se humiliavit, et exaltatus est : Pharisæus se extulit, et humiliatus est (*Luc.* XVIII) : quod dicit : *hunc humiliat, et hunc exaltat.* Et quare ? *Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto*, id est, comparabilis est potenti pincernæ, qui ex calice propinaret amicis suis dulce vinum, et inimicis acidum ; quod dicit, *quia* calix, id est, renumeratio est *in manu Domini*, *calix* dico, *plenus vini meri*, justa videlicet retributione, quia multum juste judicabit ; sed uniquique reti tribuet B
juxta meritorum æqualitatem, sed etiam plenus misto, quia boni inde bibent vinum dulce, mali acidum : quod tamen merum est, quantum ad ipsum Dominum. *et inclinavit* ipsum calicem *ex hoc* potato *in hoc*, subaudis potandum, vel *ex hoc* vase bonorum, *in hoc* vas malorum. *Verumtamen* licet ipse calix inclinetur, *fæx ejus non est exinanita*, id est, non est inde effusa, quia nulla est ibi fæx, sed merum vinum, quantumcunque inclinetur. Et ne putaremus peccatores nihil habere ibi quod biberent, quia fæce caret, subjungit : *bibent omnes peccatores terræ*, pro sua videlicet competentia ; bibent enim acidum, licet merum. *Ego autem* et mei non sic bibemus, quia *annuntiabo in sæculum*, alios videlicet construendo : et *cantabo Deo Jacob*, sicuti videlicet cantandum est. Vel aliter : *Hunc humiliat et hunc exaltat.* Et C
quomodo hoc ? *Qui in manu Domini* est *calix*, lex quæ reficit et potat : *calix* dico *plenus meri vini*, id est, merorum præceptorum ; *plenus* etiam *misto*, id est, carnatibus sacraments, in quibus quasi in fæce latet Novum Testamentum. Et *inclinavit* ipsum calicem *ex hoc in hoc*, id est, ex notitia Judaici populi in notitiam gentium : sed tamen *fæx non est eximanita*, id est, non est inde effusa, sed resedit in fundum, quia carnalia sacramenta apud Judæos remanserunt. *Bibent omnes peccatores terræ*, ex hoc videlicet calice, quidam merum vinum, quidam fæcem. Judæi enim qui in carnalibus sacramentis permanserunt, fæcem bibunt. *Ego* autem *annuntiabo* vinum merum bibendum, et hoc *in sæculum* ; sic cantabo Deo Jacob, *et omnia cornua peccatorum con-* D
fringam : elationem videlicet de justitia sua præsumentium. *Et exaltabantur cornua justi.* Cornua justi sunt pietas, humilitas, cæteræque virtutes ; cornua peccatorum sunt elatio et superbia, quæ tandem a Domino confringentur. Confringamus ergo cornua nostra, ne a Domino confringantur. Si non dixit Deus : *Nolite inique agere*, paremus elationem et defensionem : si autem dixit, præoccupemus confessionem : quia tunc confessio erit sera, et defensio nulla.

PSALMUS LXXV.

IN FINEM IN CARMINIBUS. CANTICUM AD ASSYRIOS. PSALMUS ASAPH.

« Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen « ejus. Et factus est in pace locus ejus, et habitatio « ejus in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scu- « tum, et gladium, et bellum. Illuminans tu mirabi- « liter a montibus æternis : turbati sunt omnes insi- « pientes corde. Dormierunt somnum suum, et nihil « invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. « Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt « qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, et quis « resistet tibi ? extunc ira tua. De cœlo auditum fe- « cisti judicium, terra tremuit et quievit. Cum exsur- « geret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes « mansuetos terræ. Quoniam cogitatio hominis con- « fitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum « agent tibi. Vovete et reddite Domino Deo vestro, « omnes qui in circuitu ejus affertis munera, terri- « bili, et ei qui aufert spiritum principum, terribili « apud reges terræ. »

ENARRATIO

Assyrii interpretantur *dirigentes ;* quia in illo populo fuerunt plures qui se direxerunt secundum carnalia sacramenta, secundum litteram intelligentes, non secundum spiritum : contra tales loquitur Asaph in hoc psalmo, constituens pedes suos in viam salutis dirigere, humiliter videlicet confitendo, et sic se bonum pacis faciendo in quibus habitat Deus. Diciit autem sic :

Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Solent gloriari Judæi cum audierint hunc versum, quasi de solo Propheta diceret, *Notus in Judæa Deus.* Ut autem non de solis Judæis hoc accipiamus, adhæreamus interpretationi nominis, ut sic intelligamus de quibus agat psalmus. Interpretatur Judæa *confessio :* confiteri autem non solis convenit Judæis, sed etiam gentibus Dei : quibus omnibus dicit Propheta : *Notus in Judæa Deus, et magnum nomen ejus ;* non nomen ignominiosum : homo videlicet, quod ab humo dicitur : sed hoc nomen quod est *Deus*, notum *in Israel*, id est, videntibus Deum. Ipsi enim intelligunt super egenum et pauperem. Nota quod dicit, *Notus in Judæa Deus.* Non enim hic accipit, qui in manifesto Judæus est, sed qui in occulto : non qui circumciditur in præputio, sed qui circumcisus est in corde ; quod dicit : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Et* sic *factus est in pace locus ejus*, videlicet Dei : *in pace*, id est, in illis qui pacem in se fecerunt, habentes concordiam cum moribus sanctis, et litigium cum vitiis. Nam non potest esse quandiu homo in hoc tabernaculo ingemiscit, ut fomes peccati eum non inquietet : sed ei consentire non debet, sed si surrexerit, talem faciat ut in eo non inveniat arma iniquitatis, quibus extendat manum ad proximum : vel si surrexerint alii motus illiciti, non inveniant justrumenta iniquitatis. Unde Paulus : Est peccatum in mortali nostro corpore, sed non regnet (*Rom.* VI),

Nota hic ordinem bonum. Nam oportet ut quisquis A in Judæa, id est, per confessionem peccatorum recipiat remissionem, ut sic Deum videre mereatur nunc per fidem, postea secundum spem : et sic postquam est Judæus et Israel, restat ut sit Hierosolymitanus, ut sic pacem habeat cum Deo, quia quandiu quisque confiteri dedignatur, quasi cum Deo per elationem rixatur ; qui quandiu displicet Deo quod nobis placet,cum eo rixamur. Ipsi enim displicet ebrietas,nobis placet;ipsi displicet furtum, nos laudamus furem ipsi placet novitas, nobis vetustas : et sic ab ejus imagine in qua creati sumus, nosmetipsos exterminavimus.Sed si quandoque nobis placuerit quod ipsi placet,jam cessamus a rixis; et pacem cum eo facimus,reformando nos suæ imagini : quod dicit : *Et factus es in pace locus ejus ; et* B tandem *habitatio ejus in Sion*, id est, in veris contemplationibus,non contemplantibus ea quæ videntur,sed quæ non videntur. Et *ibi*, id est, in Sion et in vera Judæa,*confregit potentias arcuum*, id est,occultas insidias ; *scutum*, id est, protectionem vanæ præsumptionis, *et gladium*, id est, apertas impugnationes, *et bellum*, peccati videlicet defensionem : quia nullum bellum magis displicetDeo quam peccati defensio. *Ibi confregit potentias arcuum.* Et hoc quomodo ? Quia *tu* Deus *illuminans* eris *mirabiliter a montibus æternis*, id est, alios illuminabis per apostolos tuos,qui dicuntur montes,quoniam eis primum refulsit lux vera, et per eos descendit in valles : et hoc *mirabiliter*, sequentibus videlicet signis et prodigiis : et *conturbati sunt*, et turbabuntur, *omnes insipientes corde*, quia cum audierint,Nolite confidere in incerto divitiarum (*I Tim.* VI),turbabuntur, velut illi qui dixerunt : Qui est iste novorum dæmoniorum prædicator (*Act.* XVII) ? et unde habent quod turbatur : quia *dormierunt somnum suum*, id est, delectationem habuerunt in terrenis,quæ tamen quasi per somnium possidebant, quia temporalia nihil sunt. Si non cordis, dormis, evigilabis,nihil esse videbis : quod dicit *dormierunt somnum suum*, id est, terrenis obcæcati, facti sunt comparabiles dormientibus in stramine,et somniantibus se jacere super calcitras et pallio coopertos ; qui cum excitantur,vident nihil esse quod somniaverunt : ita qui in hac nocte carnis terrenis adhærent, tandem nihil esse terrena intelligent, et eis adhæsisse dolebunt; quod dicit : *Et nihil invenerunt*, id est, nihil tandem inventi sunt, *omnes viri divitiarum in manibus suis*,quia ex omnibus divitiis nihil invenerunt in manu retribuentis,nisi quod hic ponitur in manu pauperis, et ideo quia ibi vult habere manus plenas,hic attendat vacuas manus pauperis. *Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt, qui ascenderunt equos.* Quasi dicat : Ideo nihil invenient tandem quia cum deberent excitari ab *tua increpatione*, id est, a tua prædicatione,*Deus Jacob*, futura attendentes videlicet, *dormitaverunt*, id est,aures suas terrenis obturaverunt ; et sic clamor qui alios solet excitare, eos fecit obturare : quia quanto sæpius admonebantur terrena dimittere, tanto dulcius fuit eis adhærere : et hoc ideo, quia *ascenderunt equos* superbiæ, videlicet præsumentes de sæculari dignitate,de nobillitate parentum,et de cæteris ad mundum pertinentibus : et ideo *tu*, Domine, qui illuminas *a montibus æternis,Tu terribilis es*, subaudis futurus, cum veneris in majestate Patris,*terribilis* videlicet malis, blandus justis ; *et* tunc *quis resistet tibi* ? Nullus videlicet, quia *ex tunc*, id est ex eo tempore, erit *ira tua* perpetua, nunc autem et misericordia. Quare qui vult securus esse in tempore iræ, operetur bene in tempore misericordiæ. Et qualiter veniet ira tua? Quia *de cælo auditum fecisti judicium*, in tuba videlicet angelorum. Unde illud : *Canet enim tuba,et mortui resurgent incorrupti* (*I Cor* XV) : et sic *terra tremuit et quievit*, id est, terreni homines trement et quiescent, quia non habebunt locum postea infideles sævire, quia ipsi erunt in perpetuo igne. Et quando erit hoc? *Cum* exsurget *in judicium Deus*, id est, cum manifeste venerit ad judicandos malos : et non tantum exurget ad judicium, sed etiam exsurget ad hoc, *ut salvos* faciat *omnes mansuetos terræ*. De quibus dictum est : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V) : vel aliter : *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Et unde hoc? Quia primi parentes *qui ascenderunt equos* apostasiæ, scilicet ut a veritate recederent, *dormitaverunt*, id est excæcati sunt : et hoc *a tua increpatione*.O Deus, judica ascensores, justo judicio,quia juste obcæcati sunt,qui tuam obedientiam custodire dedignati sunt, C et *tu Deus illuminans, terribilis es, et quis resistet tibi* ? et nullus utique. Malo enim suo resistit tibi primus homo : quia *ex tunc ira tua*, subaudis tibi et major adhuc futura,quia *judicium tuum* facies *auditum* de *cælo*,id est, ex angelica tuba manifestabis judicium : et tunc *terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ*. Sententia eadem quæ prius : vel sic : *Ex tunc* fuit *ira tua*,major tamen adhuc futura, et unde hoc scimus? Quia *judicium*, id est, iram illam futuram, fecisti *auditum*, id est manifestum, *de cælo*, id est, de homine Dominico vel de unoquoque *cælo*,id est,de homine Dominico vel hoc judicio dicit Paulus : *In revelatione Domini Jesu de cælo cum angelis virtutis ejus,dantis vindictam in* D *flamma ignis iis qui* noluerunt audire *Deum,et qui non obediunt Evangelio* veritatis ipsius(*II Thess.* I). Hoc judicio manifestato,*terra tremuit*,id est,terreni homines tremuerunt, et quieverunt perverse agere. Unde illud : *Quiescite agere perverse, discite benefacere* (*Isa.* I). Et quando *tremuit terra* ? *Cum exsurgeret in judicium Deus*, id est, cum audissent a prædicatoribus Dominum resurrexisse,et ad judicium venturum.Ad hoc enim resurrexit,ut judicaturus veniret. Voluit judicari mitis, ut veniret judicare terribilis; quod dicit : *cum exsurgeret in judicium Deus*.Et non tantum notificatum est eis, ut *Deus exsurgeret in judicium*,sed etiam ut *salvos faceret omnes mansuetos*

terræ. Et merito, Domine, *salvos* facis *mansuetos* A *terræ*, quoniam ipsi operantur quod tibi placet : *quoniam cogitatio hominis*, rationabiliter videlicet viventis, *confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis*, id est, sollicitudo de præteritis, et cautela de futuris, *diem festum agent tibi :* quia non ex tristitia, sed cum hilaritate bene operantur : quod gaudium erit Deo. Nota quia prima cogitatio hominis debet esse in confessione fideli : postea *reliquiæ cogitationis*, ut semper sit sollicitus de præteritis, et cautus de futuris : quia quanto sollicitior est de præteritis, tanto cautior erit de futuris. Nam qui negligens est de præteritis, potest contingere ut iterum peccet. *Vovete Domino Deo vestro*. Quasi dicat: Ut *diem festum* agatis, *vovete* vos ipsos, *et reddite Domino Deo vestro*. Nam necesse est ut qui vovet etiam reddat, quia vovendo B se debitorem fecit et melius est non vovere quam post votum non solvere. Audi quid sit vovendum. Quisquis cogitat quid bene voveat, seipsum voveat et reddat : hoc debetur, hoc exigitur. Sunt etiam vota quædam hominibus, communia, quædam specialia communia, ut qui furabatur, jam non furetur: et a cæteris vitiis abstinere, quod profitetur omnis qui baptizatur. Specialia vota sunt, quando aliquis vovet monachum fieri, vel aliquid aliud ; quod dicit: *vovete et reddite Domino Deo vestro* ; et hoc ita fiet, quia *omnes quia* sunt *in circuitu ejus*, id est, qui cum in medio et communem omnibus putant, afferent *munera*, seipsos videlicet ; quod alibi dicitur : *Reges Arabum et Saba dona adducent* (*Ps.* LXXI). Nota quod dicit; *in circuitu ejus* afferent *munera* : illi enim qui communem eum esse non credunt, dicentes : Ecce C apud nos Christus, non afferent ei munera, sed illi tantum qui in circuitu ejus sunt, afferent munera. Et cui afferent? *Terribili et ei qui aufert spiritum principum*, id est, per cujus potestatem deprimitur elatio terrenorum principum : terribilis est etiam *apud* omnes *reges terræ:* apud illos qui terrenitatem suam bene regunt ; quia *initium sapientiæ, timor Domini* (*Psal.* CX).

PSALMUS LXXVI.

IN FINEM PRO IDITHUN, PSALMUS ASAPH.

« Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad « Deum, et intendit mihi. In die tribulationis meæ « Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, « et non sum deceptus. Renuit consolari anima mea, « memor fui Dei, et delectatus sum et exercitatus D « sum, et defecit spiritus meus. Anticipaverunt « vigilias oculi mei : turbatus sum, et non sum « locutus. Cogitavi dies antiquos, et annos æternos « in mente habui. Et meditatus sum nocte cum « corde meo, et exercitabar, et scopebam spiri« tum meum. Nunquid in æternum projicet Deus? « aut non apponet ut complacitior sit adhuc ? « Aut in finem misericordiam suam abscindet, a « generatione in generationem ? Aut obliviscetur « misereri Deus : aut continebit ira sua miseri« cordias suas : Et dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio « dexteræ Excelsi. Memor fui operum Domini, quia « memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et medi« tabor in omnibus operibus tuis, et in adinventio« nibus tuis exercebor. Deus in sancto via tua ; quis « Deus magnus sicut Deus noster ; tu es Deus qui « facis mirabilia. Notam fecisti in populis virtutem « tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum filios « Jacob et Joseph. Viderunt te aquæ, Deus, viderunt « te aquæ et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi. « Multitudo sonitus aquarum : vocem dederunt nu« bes. Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui « tui in rota. Illuxerunt coruscationes tuæ orbis « terræ, commodo est et contremuit terra. In mari « via tua, et semitæ in aquis multis, et vestigia « tua non cognoscentur. Deduxisti sicut oves popu« lum tuum manu Moysi et Aaron. »

ENARRATIO.

Loquitur in hoc psalmo Asaph transiliens, et transiliendo nos hortatur ad transilitionem, ut perveniamus ad Christum, videlicet qui finis est, ad quem iste transiliens Asaph jam transilivit. Quid autem transiliendum sit, ut ad illum finem perveniamus, docet nos textus ipsius psalmi. Etenim tandiu transiliendum est quidquid nos impedit, quidquid irretit, quidquid illaqueat, quidquid volatum nostrum onere aggravat, donec ad illud perveniamus, ultra quod nihil est, in quo omnia sunt et ex quo quod est, est : et ideo qui istius psalmi animam vult imitari, id est, intellectum ejus tenere, necesse est ut carnalia desideria transiliat, pompam sæculi et illecebram calcet; nihil proponat sibi in quo subsistat nisi illum a quo sunt omnia, in quibus omnibus iste transiliens laborat, ut ad eum finem perveniat, Christum videlicet, ultra quem nihil est infra quem omnia facta sunt et ex quo omnia quæ sunt esse habent. Titulus sic exponitur : *In finem* referunt hæc verba, et est *psalmus Asaph*, factus *pro Idithun*, id est, pro transilitione, et sic dicit :

Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi. Quasi exhortando alios sic dicat *Qui sitit veniat, et bibat* (*Joan.* VII) : et inde mihi experto credendum est, quia ego *clamavi ad Dominum voce mea voce* videlicet intenta, *voce* cordi consona : non ut populus ille cui dictum est, *Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longe a me* (*Isa* XXIX ; *Matth.* XV, *Marc.* III, 6). Et quia multum intente clamant ad Deum pro divitiis acquirendis, pro damnis devitandis, id est, pro salute, pro sospitate domus suæ, pro temporali felicitate, pro sæculari dignitate, et postremo pro sanitate corporis, quæ patrimonium est pauperis ; et sic vix aliquis clamat ad Dominum propter ipsum promerendum quasi suavius sit quod dat, quam ipse qui dat, ne istum arbitremur emisisse vocem propter aliud habendum, quam solum Deum, qui voluntate sacrificavit Deo, qui omnia transilivit, qui ultra se nihil vidit, nisi eum a quo creatus est ; ideo subsecutus ait : *Voce mea ad Deum* tantum promerendum, subaudis clamavi *et* ipse *intendit mihi*, id est, intensum adjutorium mihi fecit, ut non frustra clamarem, vel intensum fecit

clamorem meum et hoc ideo, quia ego *in die tribulationis meæ*, id est, in hac præsenti vita, quæ dicitur tentatio, et ideo tribulatio ; Unde illud : *Militia est vita hominis super terram* (*Job* VII) : *Deum exquisivi*, id est, extra omnia quæsivi, quia omnia alia quærere contempsi : et hoc *manibus meis*, id est operibus meis, operando videlicet quod bonum est. Nota quia multi, cum sint in tribulationibus, clamant ad Dominum non propter Dominum, sed ut per eum possint tribulationes evadere : velut cum quis incarceratur, clamat ad Dominum, ut per eum possit exire carcerem ; si famem patitur, ut habeat unde reficiatur ; si etiam febrim patitur, clamat ad eum ut sanetur : iste autem transiliens qui hic clamat non quærit tribulationes evadere, nisi ut securus possit Deo adhærere. Tribulationes autem fidelium B sunt mortalitas et passibilitas, a quibus cum liberantur, secure Deo adhærent, quia eum facie ad faciem vident ; quod hic optans dicit : *In die tribulationis*, *die* dico *tribulationis*, existente *nocte et contra eum*, id est, coram eo, et non ad effectum hominum bene operatus sum. Unde illud : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, *ut videamini ab eis*. *Cum facis eleemosynam*, *noli tuba canere ante te*, sed fac *in abscondito ; et Pater tuus qui videt in* abconso, *reddet tibi* (*Matth.* VI). Nota, quia vita fidelium et dies et nox potest dici : dies, quantum ad vitam fidelium ; Unde Paulus : *Abjiciamus opera tenebrarum*, *et induamur arma lucis ; sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII). Nox dicitur, quantum ad perfectionem claritatis, quæ est in angelica vita quod sic comprobat Petrus : C *Habemus* certiorem *propheticum sermonem*, *cui* vos *benefacitis* insistentes *quasi lucernæ in* obscuro *loco*, *donec dies elucescat*, *et* verus sol *oriatur in cordibus vestris* (*II Petr.* I) : quod dicitur, *In die tribulationis meæ Deum exquisixi*, *manibus meis nocte contra eum ; et non sum deceptus* quærendo Deum, juxta quod ipse ait : *Quærite et invenietis* (*Matth.* VII). Et quomodo non sit *deceptus* inquirendo Deum, subjungit : *Renuit consolari*, id est, consolationem habere, *anima mea* in terrenis, per quod scio me non esse deceptum inquirendo Deo. Vel sic continuatur : *In die tribulationibus meæ Deum exquisivi :* et ideo eum tantum exquisivi, quia *renuit consolari animamea* in his quæ retro sunt, omnino consolationem hominis respuens. Nota quod dicit, *renuit consolari anima mea*. Ipse enim transire volens omnia D consideravit, consortes suos in terrenis florentes : et ibi *defectio tenuit* eum *pro peccatoribus derelinquentibus legem* Domini (*Ps.* CXVIII). Vertit se in dexteram partem, nec ibi videbatur ei tutum laxare habenas gaudii sui : quia si ibi laxaret, et aliquid adversitatis contingeret, tanto major sequeretur tristitia, quanto major præcessit lætitia, et ideo anima ejus omnino reclusit se a terrena felicitate ; quod dicit : *renuit consolari anima mea* in his quæ retro sunt, extendens me ad ea quæ priora sunt (*Phil.* III) ; quia *memor fui Dei* tantum, *et delectatus sum* in hoc quod memor fui ejus : et quia *exercitatus*

A *sum* in instructione aliorum ; sed *defecit spiritus meus*, id est, virtus mea, videns hoc quia per me non potui invenire aliquid quod dignum erat dicere. Et unde *defecit spiritus ?* Quia *anticipaverunt vigilias oculi mei*, id est, comparabilis factus sum homini præ aliis vigilias capienti, et pro magna assiduitate vigiliarum caliginosos oculos habenti; quia oculi mei interiores obscurati sunt : et inde *turbatus sum*, insufficientem me videlicet inveniens, et *non sum locutus*, qui timui aliquid dicere unde calumniarer, et inde calumniatores haberent materiam peccandi ; et ideo tutius mihi videbatur silentium habere : et in ipso silentio *cogitavi dies antiquos*, id est, mihi proposui dies antiquorum parentum, ad quos per inobedientiam devenerunt : *et annos æternos in mente habui*, id est, dies æternitatis ad quos perventuri essent primi parentes, si in obedientia perstitissent, semper *in mente habui :* quia ex eorum inobedientia percepi defecisse spiritum meum, et illos æternos *meditatus sum nocte*, id est, interrupta quiete : vel *nocte*, id est, in ipsa tribulatione, et hoc *cum corde meo*, id est, tota intentione, et hoc non ad horam, sed *exercitabar* in assiduitate hujus meditationis, et *scopebam spiritum meum*, id est, rationabilitatem meam fodi et resculpi, evacuando eam a terrenis, ut sic invenirem quod investigare incepit, vel *scopebam*, id est planabam, *spiritum meum* a terrenis : vel *scopebam spiritum meum*, dicens : *Nunquid in æternum projiciet Deus* servos suos ? Non vel sic *scopebam spiritum meum*. Et quid invenisti ? Istud videlicet, quod Dominus non irascetur in æternum servis suis. Nunquid removebit servos, et dissolvet compeditos, et in æternum præcludet ira misericordiam ? Unde Isaias : Non in æternum ero vindex in vobis, nec per omne tempus ulciscar in vos : spiritus enim ex me processit, et omnem statum ejus ego feci : propter peccatum autem paululum quid contristavi eum, et percussi eum, et averti faciem meam ab eo, et abiit tristis, et ambulavit vias suas, et sanavi eum (*Isa.* LVII) ; quod dicit : *Nunquid in æternum projiciet Deus*, *et non apponet ut complacitior sit ?* id est, ut magis sibi placeat homo quam modo placeat : *aut in finem misericordiam suam abscidet a generatione* hac præsenti tendens *in generationem* futuram ? *aut obliviscetur misereri Deus ? aut continebit in ira sua misericordias suas*, id est, præcludet ira misericordiam ? Non. *Et dixi* potest hanc inquisitionem, *Nunc cœpi*, quod scopendo spiritum meum investigare incepi : et *hæc mutatio*, per quam ego mutatus sum de ignorantia in scientiam, est *dexteræ Excelsi*, id est, imputanda potentiæ divinæ, et non meo merito. Ut autem hanc mutationem assequi possem, *memor fui operum Domini*, dispositionis videlicet antiquæ, reparationis novæ, felicitatis æternæ. Et hujus operis memoriam duxi tua mirabilia, legalia videlicet instituta, ad hoc esse data, ut significarent opera Domini quæ futura erant, et sic intellexi significata per significantia, et non tantum *memor fui*, sed etiam *meditabor*, id est, frequenter cogitabo *in*

omnibus operibus tuis, quam potens sis et mirabilis, qui operaris velle et pro bona voluntate perficere : *et in adinventionibus tuis exercebor*, id est, in tuis præceptis, quæ tu invenisti ad salutem omnium exercendo laborabo. Unde illud : *Adinvenit omnem viam* scientiæ et *disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo* (*Baruch.* III). *Meditabor in omnibus operibus tuis* : et ecce opus tuum mirificum, quia *via tua, Deus, in sancto*, id est in Christo. Unde ipse : *Ego sum via et veritas et vita* (*Joan.* XIV). Et illud : *Nemo venit ad patrem nisi per me* (*Ibid*). *Via* iste est, qua venitur de servitute in libertatem, qua de incesto fit castus, de condemnato in regnum assumptus. *Quis* ergo *Deus* est *magnus sicut Deus noster?* Nullus utique, quia *tu es Deus qui facis mirabilia* : fecit Elias, et alii, mirabilia, sed non soli, quia tuo adjutorio fecerunt : tu autem nullius indiges adjutorio, sed solus facis mirabilia et in exteriori et in interiori : cæci vident, claudi ambulant, paralytici sunt sanati, mortui resuscitati : et interius operaris mirabilia, quia qui fuerunt ebriosi, facti sunt sobrii ; qui incesti, facti sunt casti ; qui fuerunt raptores, facti sunt donatores. Aliter superius legitur et *dixi*, *Nunc cœpi*, quod quæsivi scrutando spiritum, *et hæc mutatio*, quod Deus non *projiciet* nos *in æternum*, quod non oblitus est misereri, quod non præcludit ira misericordiam, est *dextera Excelsi*, id est, Filio Dei imputanda :quia ipse est qui nos reconciliavit Deo Patri. Et unde hoc scio ? Quia *memor fui* operum Domini, quæ significata fuerunt per legalia instituta : vel sic, *scopebam spiritum meum*, et inveni quod non *projiciet Deus in æternum*, quod non præcludet ira misericordiam : et bis omnibus consideratis, *dixi*, id est, apud me proposui, *nunc*, id est, omibus istis inventis, *cœpi*, id est, in initio tantum sum, quantum ad perfectionem scientiæ veræ. Unde illud : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet* (*Eccli.* XVIII). *Et hæc mutatio*, quod in his omnibus me imperfectum recognosco, quod modo incipere me considero, est *dexteræ Excelsi*, id est, potentiæ divinæ, quæ non impotens se vindicare in me, in primo videlicet parente. *Memor fui operum Domini*. Quasi dicat : Licet nunc bis omnibus consideratis, in initio tantum sum, tamen non desistam ab inquisitione : sed *memor ero* operum Domini et *mirabilium tuorum* o Deus, *ab initio* factorum. *Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor*. Et quantumcunque meditor, quantumcunque me exerceam, nihil per me possum, sed via tua quæ ducit me ad hoc ; investigem eam in Spiritu sancto, per quem habeo incipere et perficere. *Quis Deus magnus sicut Deus noster ? tu es Deus qui facis mirabilia*. Et quæ mirabilia ? *Notam fecisti in populis virtutem tuam*, Christum videlicet. Unde Paulus : *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I) : ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et sapientiam, *Redemisti in brachio tuo*, id est, potentia tua vel in Christo. Unde illud, *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isa.* LIII) ? *Redemisti in brachio tuo filios Jacob et Joseph*. Populum videlicet Judæorum et gentium, evangelizando pacem his qui prope erant et qui longe, creans duos populos in uno corpore. *Viderunt te aquæ, Deus*, id est, populus Judæorum intellige : *viderunt* videlicet *et timuerunt* præterita peccata, et timuit *sonitus aquarum*, id est, profunda corda gentilium : vel profundi intellectores eorum turbabuntur ad pœnitentiam, et sic audita est *multitudo sonitus aquarum*, sonus videlicet confitentis populi et pœnitentis. Et unde hoc ? Quia *nubes* de quibus dictum, *Mandabo nubibus* meis *ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* V), istam *dederunt vocem*, quia *in omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII). *Etenim sagittæ tuæ*, id est, verba apostolorum tuorum corda impugnantia *transeunt*, quia non in aure remanserunt, sed usque ad capacitem cordis penetraverunt et *vox tonitri tui*, id est, vox comminantis prædicationis, audita est *in rota*, id est, in orbe terræ, quæ pro rotunditate vel mobilitate, rotæ comparatur. *Illuxerunt coruscationes tuæ*, id est, tua signa apparuerunt *orbi terræ*. Unde illud, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Unde *commota est terra*, videlicet Judæorum, *et contremuit* se vixisse : inde facta est *in mari via tua*, id est, Christus innotuit gentibus, *et semitæ tuæ*, id est, ardua præcepta sunt notificata *in aquis multis*, et tamen *vestigia tua*, id est signa tua, *non cognoscentur* a multis Judæis, a quibus tamen maxime deberent cognosci : quia tu *deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron*. Nota quod dicit, *sicut oves* : quia non sunt veræ oves, quia pastorem suum verum non cognoverunt : vel aliter, *Commota est et contremuit terra*, populus Judaicus videlicet in malum : et ideo *in mari* facta est *via tua*. Unde Apostolus, Quia repulistis verbum Dei. ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII) : *et semitæ tuæ in aquis multis*. Et quomodo hoc ? Quia tu *deduxisti sicut oves populum tuum*, gentilem videlicet, *in manu Moysi* veri *et Aaron*. Christus est verus *Moyses*, quia verus assumptus : *et Aaron*, quia vere est montanus, quia ipse est mons montium. Unde illud : *Erit novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Isa.* II) : quod dicit, *deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron* : et tamen adhuc non cognoscuntur vestigia tua a Judæis.

PSALMUS LXXVII.

INTELLECTUS ASAPH.

« Attendite, popule meus, legem meam : inclinate « aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in pa- « rabolis os meum, loquar propositiones ab initio. « Quanta audivimus et cognovimus, ea et patres « nostri narraverunt nobis, non occultata a filiis eo- « rum in generatione altera. Narrantes laudes Domini « et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ fecit. Et sus- « citavit testimonium in Jacob, et legem posuit in « Israel. Quanta mandavit patribus nostris, nota fa- « cere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera « Filii qui nascentur, et exsurgent, et narrabunt

« filiis suis. Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant. Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans. Generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus, filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli. Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare. Et obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos. Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre. Et eduxit eos in nube, diei et tota nocte in illuminatione ignis. Interrupit petram in eremo et adaquavit eos velut in abysso multa. Et eduxit aquam de petra, et eduxit tanquam flumina aquas. Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt excelsum in inaquoso. Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. Et male locuti sunt de Deo : dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Ideo audivit Dominus, et distulit : et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel. Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus. Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis. Panem angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia. Transtulit Austrum de cœlo, et induxit in virtute sua Africum. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducaverunt, et saturati sunt nimis : et desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum. Et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit. In omnibus his peccaverunt adhuc, et non crediderunt in mirabilibus ejus. Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione. Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est. Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus. Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum, et non disperdet eos. Et abundavit ut averteret iram suam, et non accendit omnem iram suam. Et recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens. Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso. Et conversi sunt et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt. Non sunt recordati manus ejus die qua redemit eos de manu tribulantis. Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos. Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum ne biberent. Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos : et ranam, et disperdidit eos. Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina. Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem eorum igni. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem et iram et tribulationem, immissiones per angelos malos. Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animarum eorum, et jumenta eorum in morte conclusit. Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto. Et deduxit eos in spe, et non timuerunt, et inimicos eorum operuit mare. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisivit dextera ejus. Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram funiculo distributionis. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel. Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt. Et averterunt se, et non servaverunt pactum : quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum. In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt. Audivit Deus, et sprevit et ad nihilum redegit valde Israel. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici. Et conclusit in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit. Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduæ eorum non plorabantur. Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit. Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit. Et ædificavit sicut unicornis sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula. Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post fætantes accepit eum pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

ENNARRATIO.

In hoc psalmo continentur, quæ in veteri populo facta narrantur. Recentior autem et posterior populus admonetur, ut caveat ne sit ingratus beneficiis Dei, ejusque in se provocet iracundiam, cujus humiliter debet suscipere gratiam. Cum autem hic opera aperte videntur dici atque narrari, primitus nos monet atque attentos facit titulus psalmi : neque enim frustra scriptum est, *intellectus Asaph*, nisi forsitam non quod superficies litteræ sonat, scilicet interius

aliquid intelligentem quærunt ista lectorem. Narraturus autem ea quæ non videntur indigere expositore, sed tantum auditore : *Aperiam*, inquit, *in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Quis ergo audet parabolas et propositiones quasi manifestas transitorie percurrere, quæ suis nominibus indicant se altius investigari oportere? Parabolæ enim rerum similitudines præ se gerunt : et notum est quod in parabolis rerum similitudines quæ dicuntur, rebus de quibus agitur comparantur : ut in illa parabola, *Exiit qui seminat seminare* semen suum (*Matth.* XIII). Semen verbo Dei comparatur, quia ejus similitudinem gerit in illa parabola. Propositiones autem quas Græci προβλήματα vocant, quæstiones sunt, habentes aliquid in se magnum, quod disputatione sit solvendum. Quis ergo audeat parabolas et propositiones transtorie legere quasi manifestas, et non potius summa vigilantia intendat, ut ad earum fructus perveniat? Dicit autem sic Asaph :

Attendite, popule meus, legem meam. Asaph iste Christus intelligitur, quia ipse maxime in populo illo ad hoc laborabat, ut sibi alios aggregaret : et ad nos etiam pertinet admonitio quæ fit in hoc psalmo, quoniam de nobis dictum est etiam : *Salva nos, Deus salutaris noster, et congrega nos de nationibus* (*Psal.* CV) : quoniam si cavenda erant priori populo tormenta significantia, multo magis cavenda sunt nobis tormenta significata. Nos enim sumus in quos fines sæculorum devenerunt : et quæcunque illis in figuram contigerunt, ad nostram correctionem facta sunt (*I Cor.* X). Et ideo si eis fuerunt vitanda mala significantia, vitanda sunt nobis magis mala figurata : quia sicuti significata bona digniora sunt in nobis quam bona significantia, ita in malis sunt graviora mala, quæ significata sunt. *Attendite, popule meus, legem meam.* Quasi dicat : Qui attenditis legem servi, attendite legem Domini, videlicet non secundum litteram, sed secundum spiritum : quia *littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III). *Inclinate aurem vestram in verba oris mei*, id est, humiliter attendite. Nota idem esse legem et verba : sed repetit ad commendationem, sic : *Inclinate aurem vestram in verba oris mei.* Quid est *inclinare aurem*, nisi humiliter audire? Humiliter autem audit, cujus aurem inclinat charitas, non cujus cervicem erigit vetus animositas. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Quasi dicat : Ideo dico ut inclinetis aurem, quia ego *aperiam os meum in parabolis*, id est, in sermonibus rerum similitudinem præ se gerentibus. Et utinam qui hic dignatur os aperire in similitudinem rerum, dignaretur os aperire in expositionibus ipsarum rerum ; quia et si aliquid dignum ad audiendum exprimimus, in sudore tamen panem nostrum comedimus. Hæc verba in Augustino reperies, in expositione istius versus : *Loquar propositiones ab initio* istius congregationis factas. Initium fuit Vetus Testamentum, finis est Novum : vel initium istius congregationis fuit, quando per Moysen et Aaron congregati sunt ut educerentur de terra Ægypti. Nota

A quia propositiones sunt quæstiones aliquid habentes in se, quod de disputatione solvendum est : et in hoc differunt propositio et parabola. Parabola similitudinem exprimit, propositiones autem sine similitudine intelligi possunt; quod dicit : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio :* quia *quanta audivimus* in Veteri Testamento promissa, *et cognovimus ea* in Novo Testamento impleta, *et* hoc *patres nostri narraverunt nobis.* Nota quia licet Dominus in Evangelio præcipiendo dicat *Nolite vocare vobis patrem, super terram, unus est enim Pater vester qui in cœlis est* (*Matth.* XXIII) : tamen non præcipit auferri nomen hoc honoris ab usu loquendi, quod ætate vel similitudine curæ impositum est : sed ideo dicit, *Nolite vocare vobis patrem super terram*, ne alii attri- B bueretur gratia præter illum, cui specialiter attribuendum est, illi videlicet qui omnia parat. Nota quia hic caput nostrum se in numero populi illius ponit, ut piam affectionem suam erga illos ostendat : quod dicit : *Quanta audivimus et cognovimus ea et patres nostri narraverunt nobis :* et ideo *non sunt occultata a filiis* hominum, *filiis* dico, existentibus in cognatione sequente, videlicet per successionem prolis, ut altera fuit generatio filiorum, quia patres in littera sunt obcæcati, filii per spiritum illuminati. *Narrantes laudes Domini et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ fecit.* Quasi dicat : Patres nostri narraverunt nobis ; *patres* dico *narrantes laudes* Domini : et ideo *narrantes*, quia virtutes annuntiaverunt, et non qualescunque virtutes, sed mirabiles virtutes quas fecit, istas videlicet : *Et suscitavit testimonium in Jacob*, id C est, fidem sine lege datam suscitavit *in Jacob*, id est, in supplanatoribus et contra vitia luctantibus : *et legem posuit*, id est, firmiter stabilivit *in Israel :* non *in Israel* secundum carnem, sed secundum spiritum. Unde illud : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I). Nota quia fides dicitur *testimonium* ideo, quia lege et prophetis testificata est : vel idem potest intelligi per *testimonium* et per *legem :* lex enim male utentibus, testimonium quo convincantur puniendi legitime utentibus, est testimonium quo demonstretur ad quem confugiant liberandi. *Et legem posuit in Israel.* Illos qui Israel sunt secundum carnem, lege quasi onere gravi oneravit : quia veniente mandato, revixit peccatum (*Rom.* VII). Nec frustra positum est, *suscitavit :* quia nihil suscitatur quod prius so- D pitur, in illis vero lex naturalis est sopita, sed per legem scriptam est resuscitata : quod dicit, *et suscitavit testimonium in Jacob*, in quo testimonio *quanta mandavit patribus nostris*, Moysi videlicet et Aaron, vel aliis patribus carnaliter intelligentibus : *mandavit*, sed non intellectum dedit. Et quid *mandavit? nota facere ea filiis suis :* quia licet ipsi intellexissent, ab aliis tamen carnaliter intelligentibus perceperunt filii quod intelligendum erat : quia ipsi carnaliter observabant legem, donec filii per gratiam intellexerunt quid lex figuraret : quod dicit, *Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera*, subsequens videlicet vel

alterata in spiritu. Et quæ est *generatio? Filii qui nascentur* ex ipsis patribus, *et exurgent*, vel non cor suum cum patribus suis de lege carnaliter sapientes ponent, sed exsurgent animo. Cor cum Domino sursum erigant, mysterium videlicet in lege investigantes *et narrabunt filiis suis;* istud videlicet, *ut ponant in Deo spem suam*, satagentes circa mandata Domini quia non spem suam in Deo ponunt, qui non circa ejus mandata satagunt. *Et non obliviscantur operum Dei*, id est, non sint ingrati beneficiis Dei, qui operatur velle et pro bona voluntate perficere. *Et mandata ejus exquirant*, non tantum ut sciant, sed ut impleant et hoc ideo, *ne fiant sicut patres eorum, generatio* videlicet *prava*, id est distorta, *et exasperans* id est, Deum amarificans : *generatio*, dico, *quæ non direxit cor suum*. Nota : quicunque non habent cor directum, et si videantur esse directa, non habent opera : Deus autem rectus est, et quicunque vult rectum cor habere, necesse est ut complanetur incommutabili justitiæ Dei et rectitudini, cui hæc generatio non fuit complanata: et hoc ideo, quia *non est creditus cum Deo spiritus ejus*, id est, non habuit fidem quæ impetrat quod lex imperat. Quando enim cum operante spiritu Dei cooperatur spiritus hominis, tunc impletur quod Deus jubet. Hoc autem non potest fieri, nisi credendo in eum qui justificat impium. Et vere dicitur istud dictum, ad expressionem gratiæ divinæ, quæ non tantum operatur remissionem peccatorum, sed facit spiritum hominis operari cum spiritu Dei et ipse habet creditum spiritum cum Deo, qui credit se non posse facere justitiam sine Deo, et hoc est credere in Deum, quod majus est quam credere. Creditur enim homini, sed nullus credit in hominem. Credere autem in Deum est, credendo adhærere in bene cooperando bona operanti Deo. *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli*. Nota aperte totum hic intelligi per filios Ephraim, videlicet cæteros Judæos et ab ea parte a qua potissimum melius sperandum fuerat : quoniam cum Jacob caligassent oculi, præcepit Joseph filio suo, ut adduceret filios suos Ephraim et Manassen, ut ab eo acciperent benedictionem. Joseph adducens eos, statuit Manassen ad dexteram, quia major erat ætate et Ephraim ad sinistram. Jacob autem prophetico spiritu videns quia *primi erunt novissimi, et novissimi primi* (*Matth.* xx), varicatis manibus dedit benedictionem, dexteram ponens super Ephraim (*Gen.* XLVIII). Sic Abel junior fratri suo prælatus est, Isaac Ismaeli Jacob Esau, David majoribus fratribus cunctis prælatus est (*Gen.* IV, XXI et XXVII ; *I Reg.* XVI) ; in quibus omnibus significatur quia Judaico populo præferendus erat Christianus. Littera sic exponitur *Filii Epraim*, illi videlicet qui videbantur meliores *intendentes arcum*, jactantes videlicet bona opera *et mittentes* sagittas, id est, emittentes verba promittentia, quia dicebant : Quæcunque locutus est Dominus, audiemus et faciemus (*Exod.* XXIV), et tamen *conversi sunt in die belli*, id est, in die tentationis

A defecerunt, vel ad similitudinem legamus : *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli*, id est, comparabiles facti sunt illis, qui in die pacis armis præluderent, et *in die belli* fugam inirent: quia ipsi in die auditionis omnia promittebant, et die actionis nihil boni faciebant ; quod dicit, *conversi sunt in die belli:* et ecce qualiter quia *non custodierunt testamentum Dei*, id est, promissiones Domini in Novo Testamento factas. *Et in lege ejus noluerunt ambulare* : quia etsi exterius ostenderent secundum legem ambulare, tamen interius ei contradicebatur. *Et obliti sunt benefactorum ejus et mirabilium ejus qua ostendit eis:* quibus admonebantur a Deo non recedere ; et ecce mirabilia : *Coram patribus eorum*, Moyse et Aaron et aliis

B senioribus Israel, *fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos. Interrupit mare*, Rubrum videlicet, *et perduxit eos, et statuit aquas*, id est, statorias fecit *quasi in utre*, subaudis concluendas. Hæc in nobis mystice aliquid designant, quia ipsa *in terra Ægypti* intelliguntur. Multa operatus est *mirabilia* in interiori licet non in pluribus operatus sit in exteriori: et hoc *in campo Taneos*, id es, in illis qui custodientes mandata Domini, humiliati sunt. Tanis enim interpretatur *mandatum*: campus vero humiles designat : quia non salvabuntur per mandatum, nisi humiles. Quod mare interruptum est, significat baptismum, in quo omnes hostes nostri submerguntur, quia peccata originalia et actualia abluuntur : sed interrumpitur postea, quia etsi omnes æqualiter recipiunt in baptismate remissionem peccatorum.

C non tamen omnibus est ad salutem : quia his qui post resurrectionem baptismatis a Deo apostatant, est ad perditionem : quia melius est viam veritatis ignorare, quam post agnitam retrorsum abire (*II Petr.* II). Et statuit aquas quasi in utre, id est, fluida carnalia nostra desideria statoria fecit, quasi in utre concludenda : quia sic ea sub potestate nostra redegit, ut non amplius nos immergant, nisi eis consentire velimus. *Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis*, Hoc illis historialiter factum est, ut securi irent: nos autem deducti sumus *in nube diei*, id est, sub protectione splendidissimæ carnis Christi, quæ per nubem intelligitur. Unde illud, *Ascendet* Deus in *nubem levem et ingredietur Ægyptum*, et confringet omnia idola ejus

D (*Isa.* XIX). *Et tota nocte*, id est, in die tribulationis deducet nos Dominus *in nube diei, et tota nocte in luminatione ignis*, id est, in donis Spiritus sancti vel *in nube* præcessit in die, quoniam justis mitis apparebit quasi in nube levi. Et in nocte præcessit in igne, quia terribilis apparebit injustis : et hoc igne justi illuminabuntur, impii autem ardebunt : *interrupit petram in eremo, et adaquavit eos velut in abysso multa*. Nota quia prius ex aquis rupes fecit, hic de rupe aquas produxit. Percussit enim Moyses virga bis silicem, et manaverunt, inde aquæ largissimæ (*Num.* XX) Petra percussa, Christus est. Unde illud, *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X). Quod bis

percussa est petra, significat quia Christus in duplici ligno crucis extensus fuit et in illo extenso emanaverunt aquæ largissimæ : quia prophetica dicta in morte sua intelligibilia facta sunt quia vela templi scissa sunt, omnis obscuritas prophetici sermonis destructa est : ex quibus propheticis dictis multi divites potati sunt. Unde illud : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII) ; quod dicit : *Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos velut in abysso multa.* Et quomodo hoc ? Quia *eduxit aquam de petra, et deduxit tanquam flumina aquas.* Et licet hæc omnia his fecisset, tamen *adhuc apposuerunt peccare ei*, id est, contra eum : sic videlicet : *in* [illegible] *-verunt* eum *in inaquoso*, quia in arido loco aquam tentando petierunt, quasi impotens esset Deus aquam in arido loco dare, qui mare divisum fecit stare. *In inaquoso* provocant *Excelsum* ad iram, qui in mentis ariditate de terreno commodo invocant. *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.* Nota qualiter Deum tentabant : quia quod ore rogabant, Deum non posse facere in corde dubitabant. Sunt adhuc multi, qui *animabus suis*, id est, animalilati suæ escam petunt, velut illi qui Deum non propter se, sed propter terrena colunt, quasi suavius sit quod dat, quam ipse qui dat. *Et male locuti sunt de Deo ; dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto* ? Hic notantur illi, qui non credentes, dixerunt : Nunquid carnem suam et sanguinem suum dabit nobis per partes ad comedendum et ad bibendum (*Joan.* VI) ? *quoniam* jam *percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes*, id est, doctrinæ *inundaverunt.* Et quia istud fecit. *Nunquid et* ideo *poterit dare panem aut parare mensam* populo suo ? Hanc murmurationem talem *audivit Dominus, et distulit* eos videlicet in terram promissionis ducere, cum per paucos dies illuc possent pervenire, nisi essent a patria differendi et in eremo conterendi : vel *distulit* pœnam, ut infidelem satiaret eorum concupiscentiam : et prius fecit quod infidelis populus eum facere non posse credebat, deinde intulit quod eum pati oportebat, quod dicit, *audivit Dominus et distulit, et ignis accensus est in Jacob* : in moribus videlicet ; *et ira ascendit*, id est augmentata est, *in Israel.* Ignis iste incentiva vitiorum notat, quæ interius hominem devastant : quod dicit, *Et ignis accensus est in Jacob et ira Dei ascendit in Israel :* et hoc ideo, *quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus*, id est, salvari per Deum. *Et Dominus audivit*, qui ? *Mandavit nubibus desuper et januas cœli aperuit*, ut abundanter mitteret eis quod missurus erat. Ecce notat quare *distulit* pœnam, ut per hoc videlicet quæ sequuntur, eorum satiaret cupiditatem. *Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli*, non in terra elabaratum, *dedit illis;* et quis sit subjungit : *Panem angelorum manducavit homo. Panem angelorum* ideo dicit, quoniam panis ille quem comedebant, significat panem illum, Verbum videlicet Patris

A unde reficiuntur. Unde illud : *Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, eumdem potum spiritalem biberunt* (*I Cor.* X). *Cibaria misit eis in abundantia.* Et quomodo hoc ? *Transtulit Austrum de cœlo*, in terram subaudis, quia malam intemperiem aeris dextruxit, et temperiem bonam eis dedit *Et induxit in virtute sua Africum, et pluit super eos sicut pulverem carnes* ; et non qualescunque carnes sed *sicut* arenam *maris volatilia pennata* Non frustra dicit *pennata*, cum omnia volatilia sunt pennata : sed quia dicturus erat, *ceciderunt in medio castrorum eorum*, præmisit *volatilia pennata*, ut admirationi habeas volatilia cecidisse. *Et manducaverunt et saturati sunt nimis. et desiderium eorum attulit eis* : quia *non sunt fraudati a desiderio suo :* quia

B refectionem quam petebant, abundanter tribuit eis Dominus. Et *adhuc escæ eorum*, videlicet carnes, *erant in ore ipsorum :* et tamen ingrati beneficiis omnibus promeruerunt hoc quod *ira Dei ascendit super eos*, qui spem suam in Deo posuissent, ut non tantum mininistrasset eis carnalia, sed spiritualia, Nam qui *mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit, et cibaria misit eis in abundantia*, ut pasceret incredulos, non inefficax est nec impotens, credentibus verum panem de cœlo dare, quem significavit manna, qui verus cibus est angelorum : hoc est, Verbum Patris, quod incorruptibiliter pascit, *Et panem angelorum manducavit homo. Verbum caro factum est, habitavit in nobis* (*Joan.* I) : quod Verbum per angelicas nubes universo orbi

C pluitur, et aper prædicatorum cordibus, tanquam in vasis cœlestibus, non murmuranti nec tentanti synagogæ, sed Ecclesiæ credenti, et in Deo spem suam ponenti prædicatur. Et *qui transtulit Austrum de cœlo, et induxit in virtute sua Africum, et pluit super eos sicut pulverem carnes et sicut arena maris volatilia pennata*, potens est et non tunc tantum, sed credentium parvam fidem carne editis vocum signis et per aerem transcurrentibus, tanquam volatilibus pascere, non tamen ab aquilone venientibus : et ibi frigus et caligo prævalent, id est, eloquentia quæ huic mundo favet, sed transferendo *Austrum de cœlo* ad terram, ut qui parvuli sunt in fide, audiendo terrestria, nutriantur ad cupienda cœlestia. Unde Dominus in Evangelio : *Si terrena*

D *dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis* (*Joan.* III) ? Translatus fuit Paulus de cœlo, ubi mente Deo excessit, ut eis contemperans esset quibus dicebat : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Lac vobis potum dedi*, et *non escam* (*I Cor.* III). Ipse enim Paulus audierat in cœlo arcana, quæ non licet loqui in terra, personantia quasi per volatilia : *et qui transtulit Austrum, induxit Africum*, id est, per meridianos ventos lucescentes et prædicatorum ferventes spiritus, nobis ut eis conformaremur, insinuavit *Et ceciderunt in medio castrorum eorum*, quia ipsi de cœlo translati, ultro venientes ad homines, affere-

bant eis verba divinitus missa, ut unusquisque in suis fidelibus et *circa* sua *tabernacula* congregarent hujusmodi volatilia, ut sic omnes nationes gentium Deum adorarent. Non tantum missi sunt extranei prædicatores ; sed etiam multi suos cives habebunt prædicatores ;sed etiam sylvestrem et cæteros suos cives. Repetamus litteram : quod sparsim diximus, in orationibus litteræ convenire faciamus. *Et manbavit nubibus desuper* : venientes, quia a Deo non recedunt ut desuper sunt, quia aliis sunt superiores et digniores. Unde illud, *Narrate in turribus ejus* (*Psal.* XLVII). *Et januas cœli*, id est, corda prædicantium *aperuit*. Et merito apostoli janua cœli dicuntur, quoniam per eos cœlos intrarunt : et eorum linguæ claves cœli factæ sunt, et per illos apostolos pluit manna ad manducandum. Manna istud non manditur dentibus,sed æviditate animæ sumitur Nec frustra posuit *ab manducandum*, quia multis prædicatur verbum, qui ex non reficiuntur. Unde illud : *Et volucres cœli comederunt illud* (*Matth.* XIII). Et : Panem cœli dedit eis (*Joan.* VI). De hoc pane dictum est : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* VI) ; et ipse Dominus : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). *Panem angelorum manducavit homo.* Hunc panem ut comederet homo, rex angelorum factus est homo, quando quisque incarnatione Domini et morte reficitur. *Cibaria misit eis in abundantia*.Quæ sunt : in mysterio crucis resurrectionem habere. Neque enim frustra voluit sic extendi, nisi ut nos moneret extensam habere charitatem et immobiles esse ad cupiditatem. Et quomodo hæc omnia sint subjungitur : quia *transtulit Austrum de cœlo*, id est calidum ventum, apostolos videlicet calore fidei ferventes, et alios ad fidem impellentes, *transtulit de cœlo*, id est, de alta contuitione cœlestium, ut in terras flarent, humanæ capacitati condescenderent. Et *induxit in virtute sua Africum*, id est, spiritus prædicantium nobis vitam dando insinuavit, et *in virtute sua*, et non ex merito prædicantium hoc factum est : juxta illud, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis (*II Cor.* IV). *Et pluit snper eos sicut pulverem carnes.* Carnes sunt cibi delectabiles, quibus vescuntur adulti : ubi intelligimus prædicationem subtilem et solidam, qua reficiendi sunt perfecti ; ut : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I). De hac tali prædicatione dixit Paulus: *Sapientiam loquimur inter perfectos* (I *Cor.* II), quod dicit, *et pluit super eos sicut pulverem carnes.* Et quomodo hoc hic notat per *volatilia pennata*, signa videlicet vocum per aera volatilia pennata. Per *arenam maris*,notatur abundantia divini sermonis, quod prius notabatur *per pulverem* : vel sic, *et pluit super eos carnes sicut pulverem :* quia sicut pulvis vento rapitur et in aerem deducitur, ita a quibusdam vento elationis sermo divinus auferebatur. Unde illud : *Et exortæ spinæ suffocaverunt illud* (*Matth.* XIII). Et sic arenam maris volatilia pennata. Sicut in arena maris nullus exoritur fructus, ita in

A cordibus infidelium nullum habet divinus sermo provectum. *Et occiderunt in medio castrorum, eorum*, quia unusquisque in suo loco audivit fidei prædicatores. *Et manducaverunt*, id est, reficiebantur : et quidam eorum *saturati sunt* nimis hæretici videlicet,sinistra interpretatione interpretando Scripturas, *et desiderium eorum attulit eis*, quia permisit eos in perverso intellectu obcæcari : *et* sic *non sunt fraudati a desiderio suo*, quia intenderunt arcum suum, ut sagittent in occultis immaculatum.Et *adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum,* id est, carnalis intellectus erat eis semper in ore : quia, etsi bene intelligebant, tamen non ore hoc ostendebant. *Et ira Dei ascendit super eos.* Ostendit superius quare *distulit*, videlicet quæ *ascendit super eos. Et occidit*
B *pingues eorum*, id est, superbos et alta sapientes,*et electos Israel impedivit*,ne prodessent quibus paterno affectu cupiebant prodesse :quoniam non defuerunt in populo illo qui corrigerent alios : sed impediti sunt, quoniam non erat ibi aliquis qui corrigi vellet, Unde propheta: *Linguam tuam faciam adhærere palato tuo*, quoniam *domus exasperans est* (*Ezech.* III). Vel *electos Israel impedivit*, quia condoluerunt pereuntibus : unde, *confusio faciei meæ cooperuit me* (*Psal.* XLIII) : vel electi Israel sunt sacerdotes, qui impediuntur aliquando a Domino pro peccatis subditorum, quæ juste corrigenda essent : sed ex nimia compassione naturæ humanæ,nimium parcent peccantibus, non attendentes quia compassio debetur naturæ, et rectitudo culpæ. Debet enim judicium fieri de unoquoque peccante ; sed si postea viderit
C prælatus qui humiliter agit pœnitentiam,suo arbitrio relinquitur, ut sui misereatur : *in omnibus his,* subaudis correcti præmonitione, ut amplius peccarent, *peccaverunt adhuc, et* hoc ideo quia *non crediderunt in mirabilibus ejus* : *et defecerunt dies eorum in vanitate,* cum possent proficere in veritate : *et anni eorum cum festinatione :* quia semper ad mortem tendebant, de vitio ad vitium, cadentes desperando in peccatis : hoc ostendebat quod mortem interiorem optabant. *Cum occideret, quærebant eum, et revertebatur, et diluculo,* id est vigilanter et studiose, *veniebant ad eum, et* tunc tandem *rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum* in bonis, *et Deus excelsus redemptor eorum est* in malis. *Et dilexerunt eum in ore suo*, id est, ore ostendebant se
D Dominum diligere : et *lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem* ipsorum *non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus* : quoniam testamentum suum adhortatur,ut eum diligamus non pro terrenis, sed pro se tantum : huic autem *testamento non* erant *fideles*, quia non faciendo quæ docuit, fidem ei non habuerunt : et ideo *cor* ipsorum *non erat rectum cum eo,* quia rectum cor habere cum Domino, est quærere Deum propter Deum. Hæc historialiter apud illos facta sunt, fiunt etiam apud nos mystice ; quia cum occidit,id est, justo judicio aliqnem punit, vel nos ipsos flagellat, quærimus eum invocando ejus misericordiam ut parcat : et

revertimur ad eum sub specie humilitatis, quia ab eo discessimus per peccatum elationis : et non qualicunque ad eum reversione revertuntur, sed *diliculo*, id est, multum studiose ad eum venimus, et ad memoriam reducimus, quoniam ipse tantum est *adjutor* in bonis, *et redemptor* in malis : et sic ostendimus ore quod eum diligamus : et tamen mentimur, quia *cor* nostrum *non est rectum cum eo,* nec *fideles* sumus in ejus *testamento* : quoniam eum diligimus tantum pro devitandis malis temporalibus, vel pro acquirendis bonis, cum tantum diligendus sit propter seipsum : *ipse autem est misericors et propitius fiet peccatis eorum* in posteris, etsi non in patribus. *Et non disperdet eos*, quia *reliquiæ Israel salvæ fient* (*Rom.* IX). Solent [illegible] multi [illegible]tare ad impunitatem peccati, et si tales perseveraverint usque in finem, quales ipsi fuerunt : quod frustra tamen credunt quia quod dicit, *propitius fiet peccatis eorum*, ad posteros referendum est, qui in novissimis temporibus convertendi sunt : quod dicit *propitius fiet peccatis eorum et non disperdet eos* : *et abundavit* misericordia sua *ut averteret iram suam.* Necesse enim fuit ut subveniret abundans misericordia in posteris, quia prius multiplex præcessit ira in patribus, *et non* accendet in posteris *omnem iram suam* quam promeruerunt, quia *non repulit plebem suam quam præscivit* (*Rom.* XI). *Et recordatus est quia caro sunt*, id est, attendit eos mole carnis esse aggravatos, et reparatione mediatoris habere opus. Quia sunt *spiritus vadens et non rediens*, quia quisque ex se habet ut a Deo recedat, redire autem non habet nisi gratia Dei eum revocet. Unde in libro Sapientiæ : *Omnis qui ambulaverit per viam inignitatis, non revertetur* : per se intelligendum est. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto.* Repetit quod superius dixerat, ut ostendat eos merito in se provocasse iram Dei, cum sint ingrati tam beneficiis sibi a Deo illatis, quam plagis causa eorum Ægyptiacis illatis : et sic dicit, *Quoties exacerbaverunt eum*, id est, quam infinito numero eum sibi acerbum fecerunt *in deserto*, concitando *eum in iram in inaquoso*, subaudis loco, ubi aquam petierunt. *In inaquoso* Dominum in iram provocant, qui mentis ariditate permanent. *Et conversi sunt* ad Deum placandum, *et* iterum *tentaverunt* eum, *et sanctum Israel exacerbaverunt* : quia *non sunt recordati manus*, id est, potentiæ ejus ostensæ, illa subaudis *die qua redemit eos de manu tribulantis*, id est, de potestate Pharaonis et principum Ægyptiorum : non sunt etiam recordati *sicut*, id est qualiter, *posuit in Ægypto signa sua et prodigia sua in campo Taneos.* Est in hoc mysterium tale. Sunt enim multi qui in mentis ariditate Deum naturaliter dulcem, sibi acerbum reddunt, non recordantes potentiæ Domini, et diei qua mirabiliter sanguine suo eos redemit *de manu tribulantis*, id est, de potestate principis tenebrarum, cujus jugo tenebantur : nec etiam recordantur quanta signa et prodigia, minora videlicet et majora miracula, *in Egypto*, id est, in hoc mundo, ubi non sunt nisi

A tenebræ et afflictio : et hoc *in campo Taneos*, id est, in illis qui humiliati sunt per mandatum ejus. *Et convertit in sanguinem flumina eorum et imbres eorum, ne biberent. Imbres* sunt aquæ in cisternis collectæ, quibus admistus est sanguis, ut essent impotabiles Ægyptiis. In mysterio *flumina* convertuntur *in sanguinem* in his qui de causis rerum carnaliter sentiunt : vel, *flumina* sunt doctrinæ quæ *in sanguinem* convertuntur, quando pravo intellectu impotabiles redduntur : *imbres* sunt prædicatores proprii, quos *convertit* Dominus *in sanguinem*, quando quisque excæcatus eos abhorret audire quasi sanguinem bibere. Quod per *imbres* qui hic incisternis ponuntur, notantur prædicatores, ostendit auctoritas sic : *Bibe aquam de* cisternis tuis (*Prov.* V).

B *Misit in eos cynomyiam, et comedit eos* : *et ranam, et disperdidit eos.* Cynomyiæ sunt muscæ caninæ, quibus plagabantur Ægyptii : et quæ significant homines caninos mores habentes nullam reverentiam patribus suis impendentes, cum tamen dictum sit : *Obedite* patribus *vestris* tantum *in Domino* (*Eph.* VI) ; vel per caninas muscas carnalia desideria notari possunt, eo quod infestant hominem, quia lex corporis semper repugnat legi mentis (*Col.* I). Per ranas notatur loquacitas vana, qua disperduntur in ea delectantur. *Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ.* Ærugo est occulta aura sive vermiculus nocens in fructibus, quæ designat occultam superbiam, multum fructibus et bonis operibus contrariam : locusta, quia lædit ore, testimonium notat infidele, quo qui nituntur,

C omnem laborem boni operis perdunt : vel per locustam notantur instabiles in fide, quia et locusta instabile est animal. *Et occidit in grandine vineas eorum, et mores eorum in pruina.* Vineam populum significare notum est : ut illud : *Vinea enim Domini* Sabaoth *domus Israel est* (*Isa.* V). Populus autem tunc grandinatur, quando ex iniquitate auferendi aliena contendit. Moti sunt arbores, uberrime fructum reddentes, insimul habentes maturos fructus et seminaturos, et incipientes maturescere : ubi notatur charitas, in qua omnia bona opera habent radices : et sic per pruinam destruentem moros frigus designatur charitatis : quia ubi abundavit *iniquitas, refrigescet charitas* (*Matth.* XXIV). *Et tradidit grandini jumenta eorum et possessionem eorum igni.*

D *Jumenta* grandinata, damnum notant pudicitiæ : quia concupiscentia ex quo oritur, fructus est nobis communis cum pecoribus. Si autem refrenatur concupiscentia ut regaliter fiat, est virtus pudicitiæ Et nota quia per *jumenta* possunt accipi uxores, quia ipsæ sunt *jumenta*, id est, quasi adjuvamenta ad servandam pudicitiam : quæ scilicet occiduntur in grandine, quando quisque traditus in reprobum sensum, turpitudinem in masculos operatur Unde Paulus : Hujusmodi *tradidit Deus in reprobum sensum*, *ut* facerent *quæ non* decerent, in se et in alios *turpitudinem operantes* (*Rom.* I). *Et possessionem eorum igni.* Non habetur in Exodo, quod aliqua pos-

sessio eorum sit igni tradita : sed interposuit hic Propheta,ut sic admoneret lectorem quærere mysterium,et non tantum in superficie literæ remaneret. Per *possessionem* hic notatur patientia ; quia de ea dictum est : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.*xxi) : quia ipsa patientia facit possessores. Unde illud : *Patientia est nobis necessaria, ut* reportemus promissiones(*Heb.*x).Hæc patientia igni comburitur, quando unanimitate ira expellitur. *Et misit in eos iram indignationis suæ*,id est, suæ indignationi competentem : et ideo *indignationem et iram* : quæ ira fuit tribulatio immissa *per angelos malos*, non quia non mittat Deus etiam per bonos qualia vult,sed utitur malis sicut bonis ad reproborum ultionem.Bonis usus est in vindictam Sodomorum,quia legitur Abraham eos recepisse in hospitio per quos Dominus annuntiavit suam vindictam (*Gen.* xviii). Quod bonis autem inferat temporalem correctionem per bonos angelos,hoc non invenitur; sed utitur tantum malis in correctione bonorum, velut de Job legitur (*Job.* i). Immissio ista facta per angelos malos est obduratio cordis, quæ fit per angelos malos tantum, ut persistentes in peccato graviores pœnas mereantur, quanto graviora vel ulteriora committerent. *Viam fecit semitæ iræ suæ.* Semita iræ Dei est,quando permittit aliquem trahi funiculis peccatorum,ut committat criminalia pro quibus interius excæcatur, ut quandoque exterius puniatur. Et *non pepercit a morte* animabus *eorum, et jumenta eorum in morte conclusit. Jumenta in morte* conclusa,notant illos qui per concupiscentiam carnis quæ hominibus cum pecoribus est communis, relicta pudicitia, usque ad mortem ruunt.*Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti : primitias* laborum *eorum in tabernaculis Cham.* Per *primogenita* occisa notatur justitia,in qua humanum genus est associabile, quia nullus est qui non habeat aliquantulum justitiam, sed perit justitia, quando quisque juste vivere desinit ; vel, potest notari per *primogenita* percussa, amissio fidei, quæ prima est in fidelibus : quia locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam non est.Per primitias *omnis laboris* notantur bona opera,quæ in tabernaculis pereunt, id est,in illis qui quadam calliditate quasi sub specie religionis bene operantur.Cham enim interpretatur *callidus. Et abstulit sicut oves populum suum et perduxit eos tanquam gregem in deserto.* Ostensis plagis quas intulit Dominus Ægyptiis nolentibus dimittere populum,ostendit qualiter Dominus liberavit populum suum de potestate eorum, sic : *Et abstulit sicut oves populum suum* ; quod nunc etiam interius nobiscum agitur, quando efficimur secundum spiritualia pascua oves Dei.ambulantes in hoc sæculo tanquam in deserto. *Et eduxit eos in spe* terræ, videlicet promissæ, *non timuerunt* deduci quia *inimicos eorum* cooperuit *mare.* Nos etiam deducimur, *in spe* salvi sumus : *et inimicos* nostros id est, vitia nostra *operuit* mare, unda videlicet baptismatis : *et induxit eos* in posteris suis,*in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisivit dextra ejus.*Mons sanctificationis est Ecclesia,quam acquisivit Christus Dei dextra. *Et ejicit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis* ; in hoc notans quia ejiciendi sunt *a facie* fidelium suorum maligni spiritus gentilium errorum,ut inhabitet in eis unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult,quasi funiculo res ageretur. Sorte dividitur terra electis : quia quod eliguntur, non est ex meritis, sed ex gratia, quæ eis quasi per sortem evenit. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.* Tabernacula ista significant cœlestem Jerusalem,ubi angeli apostatæ quasi in tabernaculis ad horam fuerunt,unde expulsi sunt, ut quandoque *tribus Israel*, id est, collectio Deum videntium,in eorum loco assumatur.*Et tentaverunt et exacerbarunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt.* Quasi dicat : Licet hæc omnia fecisset Dominus causa populi illius,ipsi tamen his omnibus ingrati fuerunt,quia tentando eum acerbum fecerunt, non custodientes *ejus testimonia*, id est, ejus promissa,quoniam ejus promissa fuerunt cœlestia,quæ significabantur in terrenis ;quæ cœlestia non quæsierunt, sed tantum terrenis adhæserunt, sicut et nos eum tentando exacerbamus,quando id ab eo petimus quod petendum non est. Sunt enim ejus promissa : *Petite et accipietis* (*Joan.* xiv, xvi): quæ nos non servamus, quia in ejus nomine nihil petimus. *Et averterunt se et non servaverunt pactum quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.* Ecce ostendit qualiter *testimonia ejus non custodierunt*, quia avertendo se a Deo,pactum illud quod cum Domino pepigerunt,istud videlicet:*Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus* (*Exod.* xxiv), terrenis adhærendo, non servaverunt. Nos etiam quodam pacto cum Deo convenimus,quia in baptismate mundo et omnibus pompis ejus abrenuntiamus quod quia non custodimus, pactum infringimus. *Quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum*, id est, comparabiles facti pravo arcui:quia sicut *arcus* parvus cito remittitur,ita ipsi in pravam intentionem conversi,remissi facti sunt circa mandata Dei ; vel, pravus arcus est,qui cum tenditur in anteriora,retro percutit : ita mali cum intendunt aliis nocere,et quasi sagittæ iniquitatis percutere, revertitur ad eos sagitta :quia nemo non prius in se quam in alterum peccat ; vel arcus pravus est,quia ad jactatum unum deficit : *Hi sunt qui ad tempus credunt,et in tempore tentationis recedunt* (*Luc* viii): *in iram concitaverunt eum in collibus suis*,quia unusquisque excelsum locum sibi elegit ubi Deum offenderet, et hoc ostendit : quia *in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt*,id est, idolis vanis sacrificantes, Deum ad indignationem et invidentiam provocabant.Nos etiam *in collibus* eum in iram concitamus,quomodo in elatione mentis eum offendimus : et *sculptilibus* ad æmulationem provocamus quando idolis mentis satisfaciemus.Sunt enim plures qui colunt idolum avaritiæ et idolum luxuriæ : quasi

cervicosi tauri ruentes in venerem. *Audivit Deus et sprevit*, id est, hæc omnia consideravit : et ideo *sprevit* eos, quia *ad nihilum redegit valde Israel*, quando ab Allophylis et a cæteris victi sunt : nunc etiam spernit, quando quemque promerentibus peccatis suis hoc, ab interiori inimico vinci permittit. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus* : id est, inter homines, non quod in manufactis habitat Deus, secundum illud : *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est* : Non enim templum in eo, nisi quantum ad vos, cum quibus et in quibus *habitabo in loco isto, si benedixeritis vias vestras* (*Jer.* VII) : sed habitare in omnibus illis dicebatur, propter manifesta signa quæ per eos operatus est. Silo interpretatur *avulsus* vel *abrupus* ubi notantur illi, qui a mandatis Domini sunt abrupti, et, avulsi, quorum tabernaculum ad inhabitandum non elegit. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum et pulchritudinem eorum in manus inimici*. Virtus et pulchritudo eorum fuit arca Domini, quam ceperunt Allophyli, et cum idolis suis in templo posuerunt: sed cum insequenti die deus eorum in medio templi truncatis manibus jacens inveniretur, populusque magna plaga afficeretur, remiserunt eam tandem non sine muneribus in Israel (*I Reg.* IV, V). Nota mysterium in istis : Arca Dei, ecclesiastica significat instituta, quæ quisque ponit cum idolis, qui eis receptis adhuc terrenis adhæret nimium. Sed quia dictum est, Omnia transibunt, verbum autem Domini manet in æternum (*Isa.* XL), merito idolum inventum est truncatis manibus: quia et si aliquantulum floris videantur habere terreni, tamen ad ultimum videbuntur nihil esse: quia *omnis caro fenum et omnis gloria* sicut *flos agri* (*Isa.* XL). Virtus nostra et pulchritudo sunt baptismus et cætera, quæ in manus inimici traduntur quando quisque se salvari putat per fidem tantum, velut multi qui negligendo bene operari dicunt : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (*Marc.* XVI) : non attendentes, quia *fides sine operibus mortua est* (*Jacob.* II). *Et conclusit in gladio populum suum et hæreditatem suam sprevit*. Hoc fit et in Ecclesia, quia multi in gladio cadunt, quando aperte impugnantur ab hostibus et vincuntur : *juvenes* illorum, id est, illos qui deberent esse strenui ut resisterent inimicis, armati fide, spe, charitate, ut possint resistere adversus insidias diaboli, *comedit*, id est, consumpsit *ignis* tribulationis, vel ignis incentivorum. Vel aliter : *Juvenes eorum comedit ignis*, ut per juvenes accipiamus temerarios, et ad quodque malum paratos, quos tales tandem consumet ignis peccatorum. Hic iterum admonemur insistere allegorico sensui, quia ignis aliquos juvenes ibi consumpsisse non habetur in historia. *Et virgines eorum non sunt lamentatæ*, id est, nullus fuit qui lamentaretur virgines desolatas et corruptas. Nota per *virgines* Ecclesiæ sterilitatem in bono opere, quamvis aliquis lamentatur ; vel, nota per *virgines* illos qui in

A stitate boni operis deberent permanere; ut tandem secundo conjugio castissimi sponsi copula copularentur : sed non caste vivendo, ab eo fornicati sunt discedentes : quod vix aliquis deplorat. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt et viduæ eorum non plorabantur*. Sacerdotes isti fuerunt Ophni et Phinees filii Heli, qui mortui sunt in bello, ubi capta est arca Domini ; quod uxor alterius audiens, quæ jam erat in partu, præ tristitia abortiendo cecidit mortua (*I Reg.* IV). Sacerdotes sunt episcopi et cæteri prælati in Ecclesia, qui cadunt in gladio, quando per timorem cessant a sermone divino. Viduæ eorum sunt Ecclesiæ desolatæ, et a pastoribus viduatæ, de quorum consolatione pauci dolent. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus*. Ostensis malis quibus afflictus populus Domini, sequitur vin-
B dicta inimicorum ; quod dicit, *excitatus est tanquam dormiens Dominus*, videtur Dominus dormire, quando differt subvenire, sed *excitatus est tanquam potens crapulatus a vino*, subaudis excutitur, quia tales firmiter dormiunt et vix excitantur: ubi notatur, quia Dominus diu distulit subvenire suis. Sed tandem *excitatus est, et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis* : vel aliter, *Excitatus est tanquam dormiens tanquam potens crapulatus a vino*, quia licet firmiter et diu obdormivisset, tamen *excitatus potens* fuit inferre vindictam inimicis suis ; quod sequitur, *Et percussit inimicos eorum in posteriora*, legitur in historia, quod Allophyli, dum haberent arcam in captivitate in sedibus suis, magnas passi sunt plagas
C qua de plaga ut liberarentur, fecerunt anos aureos, et in arca posuerunt, ut sic remitterent illam filiis Israel (*I Reg.* V). Hoc etiam nunc agitur in Ecclesia in illis, qui in posteriora se extendunt, et quæ anteriora sunt dimittunt : quia malorum posteriora, in plagis et in miseriis tantum erunt. Et *opprobrium sempiternum* erit *eis*, quoniam æternali pœna torquebuntur, qui hic temporalibus prosperantur. *Et tabernaculum Joseph repulit et tribum Ephraim non elegit*. Per Joseph et Ephraim (qui majoris meriti videbantur in populo illo, quorum unus in Ægypto sublimiter fuit exaltatus, alter in accipienda benedictione fratri fuit præpositus,) notantur illi qui pro magno a Domino terrena petunt, et sic a Domino reprobantur. *Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem di-*
D *lexit*, id est, humiliter confitentes. *Tribus Juda* electa est propter David, id est, propter Christum, quia ex ejus progenie Christus secundum carnem natus est; quod dicit, *sed elegit tribum Juda*, humiliter videlicet confitentium, *montem Sion* quem dilexit, id est, eminentes in contemplatione futurorum : *et sic ædificavit in terra*, id est, in Ecclesia *sanctificium suum*, id est, sanctificationem suam : *sanctificium* dico, existens *sicut unicornium*, illorum videlicet qui in uno cornu: id est, singulari spe ad superna se erigunt. Unde illud : *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Ps.* XXVI). Terram istam *fundavit in sæcula* semper est mansura, licet alii discedant, et alii suc-

cedant; vel sic: *Ædificavit sanctificium suum*, id A est, populum suum *in* terram, *quam fundavit* in sæculo, id est, mittendo illum in similitudinem terræ, quantum ad id quod terra non movetur. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium*, quia de pastorali officio pecorum assumptus est in regnum: *de post fœtantes accepit eum*, id est, de illo qui erat *post fœtantes*, id est, fœtas oves, assumptus est, et in priori loco hominum positus est. David iste Christum significat, qui ablatus fuit de regno Judæorum, et ad regnum gentium translatus: sed tamen non sic est ablatus Judæis, ut nullos ibi haberet fructus, sed ablatus de illis, postquam quidam eorum fœtantes inventi sunt in fide et in bona operatione: quia ex illo populo erant apostoli, cæterique fideles fide pleni, et infi- B delitate vacui. *Pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.* Ecce quare *elegit David*, ut pasceret *Jacob* videlicet *servum suum*, id est, attendentes futura, et postponentes præsentia: *et Israel hæreditatem suam*, id est, illos qui contemplantur non ea quæ videntur, sed quæ non videntur, vel, per *Jacob*, notantur populi gentium, et per Israel populus Judæorum (*I Cor.* IV.)*: et pavit eos in innocentia cordis sui.* Quasi dicat: *Elegit David pascere*, id est, ad hoc ut pasceret *Jacob et Israel* David, et factum est quia *pavit*, id est refecit, eos *in innocentia cordis sui*, David videlicet, ut ejus cordis innocentiam imitando, reficerentur: et in *intellectibus manuum suarum deduxit eos*, id est, non tantum *in innocentia cordis* superavit eos, sed etiam *deduxit eos in intellectibus manuum* operum suorum: ut C sicut ipse videlicet prius fecit et docuit, ita et ipsi postea facerent: vel *in intellectibus manuum suarum deduxit eos*, in tali videlicet intellectu, quem suæ manus operatæ sunt in eis, quia eos fecit in imaginem et similitudinem suam: quia sic est, Deus, ut homo sit. Nota: videretur convenientius si sic dixisset, *et pavit eos in innocentia* manuum, *et in intellectu* cordis *deduxit eos:* sed quia multi sunt qui habent manus innocentes, et non habent cor innocens, ideo sic dicere noluit, ut innocentiam cordis commendaret.

PSALMUS LXXVIII.

PSALMUS ASAPH.

« Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, « polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Je- « rusalem in pomorum custodiam. Posuerunt mor- D « ticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, « carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effude- « runt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu « Jerusalem, et non erat qui sepeliret. Facti sumus « opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio « his qui in circuitu nostro sunt. Usquequo, Domine, « irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus? « Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, « et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt. « Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt. « Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, « cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes « facti sumus nimis. Adjuva nos, Deus salutaris no- « ster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera « nos, et propitius esto peccatis nostris propter no- « men tuum. Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus « eorum? et innotescat in nationibus coram oculis « nostris. Ultio sanguinis servorum tuorum qui effu- « sus est, introeat in conspectu tuo, gemitus compe- « ditorum. Secundum magnitudinem brachii tui, « posside filios mortificatorum. Et redde vicinis nos- « tris septuplum in sinu eorum, improperium ipso- « rum quod exprobraverunt tibi, Domine. Nos au- « tem populus tuus et oves pascuæ tuæ, confitebimur « tibi in sæculum. In generatione et generationem « annuntiabimus laudem tuam. »

ENARRATIO.

Prophetiam istam quam hic videmus promissam manifeste novimus impletam; non tamen, cum hoc a David diceretur, legimus aliquid tale ex adversitate gentium contigisse civitati illi Jerusalem, quale hic dicitur, et templo Domini, quod jam tum adhuc non fuit ædificatum. Mortuo namque David, Salomon filius ejus templum ædificavit: dicit ergo David quasi præteritum, quod in spiritu vidit. Vidit futurum, nec est mirandum quod hoc ideo dicitur, quia non ignoranti dicitur, quod revelante patiuntur; sed amat fidelis anima ex affectu cordis cum Deo loqui quæ a Deo didicit: et ei dicere quæ novit, tanquam discipulus magistro non ignoranti, sed indicanti, ac per hoc videlicet probanti quod docuit, vel reprehendenti quod non docuit. Solent enim in orationibus Deo dici quæ vindicans fecit, et adjungit pia petitio, ut misereatur et parcat. Hoc enim modo ista Deo dicuntur, a quo dicuntur, tanquam ipsi quibus acciderunt talia loquerentur, et est hæc deploratio et deprecatio, prophetatio, quia Propheta prævidit in spiritu persecutionem illam quam passi sunt Judæi a Tito et Vespasiano post resurrectionem Domini Jesu Christi, et ideo deplorat eam in hoc psalmo. Sed potest alicui in mente occurrere, quod populus ille non esset hæreditas Christi eo tempore quo hæc facta sunt, quia cum morti tradidit et resurgenti non credidit, alios sanctos martyres suos interfecit. Sed quoniam non defuerunt in populo illi qui reputandi essent in semine, potest secundum illos populus hæreditas Domini dici. Hinc enim fuit Joseph nutritius Domini, hinc ipsa beatissima Virgo Maria, hinc ipse Dominus, hinc Simeon justus, et Anna vidua, hinc et alius Joseph, quia et ipse exspectavit redemptionem Israel: hinc beatus Joannes et parentes ejus, hinc turba præcedentium et subsequentium Dominum, hinc pueri illi qui in laudem Domini clamabant: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini* (*Joan.* XII), hinc tria millia hominum qui una die crediderunt (*Act.* II), hinc quinque millia qui alia die crediderunt (*Act.* IV), hinc multi cæteri fideles, secundum quos populus ille hæreditas Dei dicitur incongrue.

Potest etiam hæc prophetatio esse de persecutione

A illa quam passus est Israeliticus populus sub Antiocho rege, ubi septem Machabæi crudelissime sunt passi, sed gloriosissime sunt coronati (*II Machab.* VII); vel potest esse prophetatio ista de persecutione quam post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi passa est sancta Ecclesia, ex præputio et circumcisione collecta, et in angulari lapide in salvatore nostro Jesu Christo conjuncta, qui duos populos quasi duos parietes ex diverso venientes in se novum hominem univit, in cujus corpore clamamus: *Abba, Pater* (*Rom.* VIII): Abba, quantum ad ipsos, Pater quantum ad nos. Hæc hæreditas non tantum est Patris, sed etiam Filii, non quod Pater moriens sibi eam reliquit, sed quod eam moriendo redemit, et resurgendo eam majestative possedit, quam ex utroque populo collegit, quia, licet dixisset: *Non* B *sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV), ipse tamen alibi dixit: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili* (*Joan.* X), ubi gentes designavit. Paulus etiam hoc idem confirmat: *Dico autem Christum ministrum fuisse circumcisionis, gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XV), et utrosque conjungens, dixit: *Lætamini, gentes, cum plebe ejus.* Dixit autem sic Asaph:

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, id est, contra Judaicum populum, quia tua hæreditas dicitur. *Polluerunt templum sanctum tuum*, quia ubi deberet coli nomen tuum, ibi idola sua posuerunt. *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam*, id est, comparabilem fecerunt Jerusalem custodiæ pomorum, quia sicut tugurium factum ad custodiam pomorum, collectis pomis, deseritur, ita et Jerusa- C lem, quibusdam suis interfectis, facta est desolata et deserta. *Posuerunt morticina suorum tuorum, escas volatilibus cœli.* Ecce magnam notat occisionem, quia tanta erat quod volatilia, quæ per aera volabant, fetore corrumpebant, et attrahebant, ut ipsis corporibus pascerentur: *carnes sanctorum tuorum bestiis terræ*, id est, non tantum posuerunt corpora sanctorum tuorum *escas volatilibus cœli*, sed *bestiis terræ*, porcis videlicet immundis, tradiderunt corpora sanctorum tuorum devoranda. Et ecce quomodo, quia fuderunt *sanguinem* ipsorum *tanquam aquam*, id est, abundanter vel jugiter, et sine respectu peccati, quia non plus curabant in effusione sanguinis sanctorum quam si aqua effunderetur, ubi peccatum non timeretur: et hoc non solum in D Jerusalem, sed *in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret*, quia tot interficiebantur quot sepeliri non poterant; vel, non fuit aliquis qui curaret eos sepelire, ut sic notetur magna immanitas et crudelitas eorum, quia in sepelitione scilicet notatur pietas, in non sepelitione notatur immanitas et crudelitas. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris*, gentibus videlicet quæ nobis erant vicinæ. Et ut magnum ostendat opprobrium, subjungit: *Subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.* Taliter possunt hæc legi, si de persecutione Judæorum psalmus accipitur. Si autem de persecutione Ecclesiæ, psalmus legatur sic, dicens: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam*, id est, Ecclesiam, ad destruendam eam, non imitandam. *Polluerunt templum sanctum tuum.* Polluitur tunc templum Domini, quando aliquis, initiatus sacramento fidei, ab hac compellitur ut Christum neget. *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam*, id est, Ecclesiam suam desertam fecerunt, sicuti collectis pomis desertum fit tugurium in quo prius custodiebantur poma, quia persequentibus gentibus deserta est Ecclesia collecta, videlicet sanctorum martyrum spiritibus quasi dulcissimis pomis a Dominico horto in cœlestem mensam collatis. *Posuerunt morticina servorum tuorum*, quia receptis spiritibus sanctorum ab agricola, tradita sunt corpora *volatilibus cœli* devoranda, velut de Stephano legitur, qui post interfectionem ejectus est extra civitatem: vel sic, *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli*, id est, corpora sanctorum tuorum fuerant esca, id est, refectio volatilibus cœli mobilibus videlicet, et in te elatis qui in occisione sanctorum delectabantur quasi in esca, velut tortor ille Laurentii, cui dictum est: Jam versa et manduca, quia, licet istud aliter posset intelligi, potest tamen sic intelligi, quod tormentatio beati martyris sibi esset refectio. *Carnes sanctorum tuorum bestiis terræ*, id est, bestialiter viventibus et terrenis adhærentibus, data sunt *carnes sanctorum* ad refectionem. *Effuderunt sanguinem* ipsorum *tanquam aquam*, videlicet in littore, vel abundanter, vel ad lapsum, quia in effusione aquæ solet fieri lapsus, vel, *tanquam aquam*, id est, ad lavationem quibusdam, quia non defuerunt qui constantiam illorum imitarentur. Sed tamen licet quidam essent qui meorum interfectione alluerentur, tamen, ad comparationem persecutorum, *non erat qui sepeliret*, id est, qui in se reconderet interfectionem ipsorum, imitando eos. Nota per circuitum Jerusalem exaggerationem interfectionis, quia non in uno loco tantum hæc erat interfectio, sed ubique circuibat Ecclesiam interfectio gentium, et sic *facti sumus opprobrium vicinis nostris*, his videlicet qui prope nos erant, a quibus est tanto gravius, quanto fit crebrius, his qui patiuntur: et non tantum his qui prope nos erant, *facti sumus opprobrium*, sed etiam *subsannatio et illusio* sumus *his qui in circuitu nostro sunt*, quia et interius nos derident, et gestu corporis nos subsannant: quia *subsannatio* fit, quando in despectu alicujus nasus et frons in rugam contrahuntur. *Usquequo Domine, irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?* Ista et cætera quæ sequuntur indifferenter dicuntur de utraque lectione; quasi dicat: tu, *Domine*, in cujus præsentia hæc omnia fiunt, *usquequo*, id est, quandiu durabit ira tua *in finem*? Et *usquequo accendetur zelus tuus*, id est, indignatio tua, *velut ignis*? Quasi dicat: *Accendetur velut ignis* incinerans, et non purgans: potius accendatur ut purget quam ut incineret. Ita non est perturbatio divinæ mentis, sed vindicta iniquitatis; quia dictum est, *Tu*, Domine Sabaoth, qui omnia *cum*

tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis (*Sap.* XII). Zelus Domini est indignatio, vel exactio castitatis, quia constringitur fidelis anima, ne fornicando a Domino discedat: et hoc fit ad similitudinem viri viriliter habentis uxorem sub sua potestate, ne, si sui juris uxor fiat, aliquid turpe faciat contra maritum. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Quasi dicat: Contra tuos accendetur zelus tuus, ut ignis purgans et non incinerans: *in gentes* autem *quæ te non noverunt, effunde iram tuam*, id est, plenarie ostende eis te esse iratum. *Et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt*, plenarie *effunde iram tuam*, et merito effundes *iram tuam quia comederunt Jacob*, id est, sibi fideliter incorporabant quosdam interius, cogendo eos in suam sententiam transire, *et locum ejus*, id est, singula loca sanctorum tuorum *desolaverunt*, vel *locum ejus*, id est, ecclesiastica instituta, in quibus firmiter stare et locari deberent fideles, desolata reddiderunt, quia, interfectis sanctis, quasi ecclesiastica instituta desolata sunt. Nota exaggerationem iræ, ubi dicit, *in gentes quæ te non noverunt*, quia servus, qui novit dominum suum et committit *digna plagis, vapulabit paucis* (*Luc.* XII), quia quodammodo se recognoscit esse de familia domini, cum eum cognoscere non spernit, et sic minus in commissis castigari promeruit. Servus autem, qui voluntatem domini cognoscere dedignatur, *multis vapulabit* (*Ibid.*); velut hic de gentibus dicitur: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt, quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.*

Quasi dicat: Illis appareas iratus, nobis autem placatus non reducendo videlicet ad memoriam iniquitates antiquorum patrum, ut non punias videlicet, sed ignoscas pro quibus tamen potius deberemus damnari quam corrigi, *et cito anticipent*, id est, ante capiant *nos misericordiæ tuæ* quam ad lapsum perveniamus. Et opus est, *quia pauperes facti sumus nimis*, id est, nos ipsi non sufficimus ad salutem nostram, quia sumus infirmi, nimis imbecilles, sed adjuvet misericordia tua debilitatem nostram, imbecillitatem nostram intelligamus præcepta tua ne damnandi veniamus ad judicium. *Adjuva nos, Deus salutaris noster.* Nota, quia iste nec gratiæ ingratus, nec arbitrio libero contrarius. Nam qui adjuvari rogat, aliquam scintillulam liberi arbitrii in se retinet, ex quo habet ut incipiat. Sed quia non est hominis dirigere viam suam (*Prov.* XVI, et *Jer.* X.), rogat adjuvari per gratiam; quod dicit, *adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui*, id est, ut glorificetur nomen tuum, *libera nos* de malis *et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*, dando videlicet ut tribulationes quas patimur, nobis sint propitiatio peccatorum, nec peccatis exigentibus cedamus idololatris: *ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum*, negando Deum ex toto esse, vel nobis improperando dicunt: Ubi ille quem futurum promittebatis? Quasi dicat: Ecce apparet quia de vobis nullam curam habet. *Et* ne illud dicant, *innotescat in nationibus coram oculis nostris ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est*, id est, manifesta fiat *ultio sanguinis servorum tuorum*, facta in nationibus, id est, in gentibus *coram oculis nostris*, etsi ipsos lateat, quia non recognoscunt se esse interius excæcatos. Et *introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*, illorum videlicet qui compediti et aggravati sunt mortalitate carnis. Nam illi se compeditos dolent quibus vita mortalis est mœrori, et mors honori, juxta illud: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Phil.* II, 1); vel sic: *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*, id est, sapientiæ præceptis astrictorum. Hic quæritur, cum Dominus dicat: *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos* (*Matth.* V), qualiter sancti optent vindictam de inimicis, ut in Apocalypsi, Vindica sanguinem nostrum, Deus noster (*Apoc.* VI)? Et illud, *lætabitur justus cum viderit vindictam* (*Psal.* LVII). Sed dicendum est, quia licet boni quærant vindictam de inimicis, non tamen ad hoc quærunt, ut gaudeant de pœna inimici, sed ideo, quia volunt eum corrigi ad correctionem aliorum, ut illud: *Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (*Ibid.*). Etiamsi vindicta reservatur usque in finem, non gaudet bonus de pœna inimici, sed de justitia Domini, ut qui in hac vita volunt esse participes malorum, ibi non sint in præmio bonorum; mali autem e contrario optant vindicari ab inimicis suis, quia ad hoc quærunt non ut gaudeant de Dei justitia, sed de inimicorum pœna. *Secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum.* Quasi dicat: Sic *introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*, ut possideat magnitudo brachii tui *filios mortificatorum*, quia in te, non in se possunt, sicut Apostolus: *Omnia*, inquit, *possum in eo qui me confortat* (*Phil.* IV). Filii mortificatorum sunt imitatores martyrum, quia ipsi martyres interius mortificant se cum vitiis et concupiscentiis, et exterius a persecutoribus mortificantur. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* Quasi dicat: Possideat magnitudo potentiæ tuæ filios mortificatorum, *vicinis* autem *nostris retribue septuplum*, videlicet plenariam retributionem ut per septiformem gratiam Spiritus sancti se confusos recognoscant, et in sinu tuo gratiam quærant: et sic *redde improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine*, ut illud, videlicet, quod aliis improperabant, eis improperetur causa tui. Vel aliter: *Redde vicinis nostris septuplum*, id est, plenariam vindictam in corpore videlicet et anima, quæ per partes septenarii, quaternarium videlicet, et ternarium intelliguntur. Nam corpus, quo elementis quatuor constat, per quaternarium intelligitur anima vero per ternarium, propter tres virtutes suas, rationem videlicet, iram, concupiscentiam; quod dicit, *redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*, firmiter

videlicet, non cadat ab eis, et *redde eis improperium* ipsorum *quod exprobraverunt tibi, Domine*, ut ipsi videlicet perdantur in hoc quod putant nos perdere. *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum:* et tandem *annuntiabimus laudem tuam in generatione et generationem*, ibi videlicet ubi omnes gentes, quæ hic succedunt, quasi una generatio erunt.

PSALMUS LXXIX.

IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR, PSALMUS PRO ASSYRIIS, TESTIMONIUM ASAPH.

« Qui regis Israel, intende: qui deducis velut « ovem Joseph. Qui sedes super Cherubim, mani« festare coram Ephraim, Benjamin et Manasse. Ex« cita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. « Deus, converte nos et ostende faciem tuam, et « salvi erimus. Domine Deus virtutum, quousque « irasceris super orationem servi tui? Cibabis nos « pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis « in mensura. Posuisti nos in contradictionem vici« nis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos. « Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem « tuam, et salvi erimus. Vineam de Ægypto transtu« listi, ejecisti gentes, et plantasti eam. Dux itineris « fuisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, « et implevit terram. Operuit montes umbra ejus et « arbusta ejus cedros Dei. Extendit palmites suos « usque ad mare, et usque ad flumen propagines « ejus. Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vinde« miant eam omnes qui prætergrediuntur viam? « Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus « depastus est eam. Deus virtutum, convertere; « respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam. Et « perfice eam quam plantavit dextera tua, et super « filium hominis quem confirmasti tibi. Incensa igni « et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt. « Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super « filium hominis quem confirmasti tibi. Et non disce« dimus a te: vivificabis nos, et nomen tuum invo« cabimus. Domine Deus virtutum, converte nos, et « ostende faciem tuam, et salvi erimus. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo cantatur de adventu Domini nostri Jesu Christi, et de vinea ejus: et cantat eum *Asaph* correctus et illuminatus, plenus videlicet Spiritu sancto: et est *psalmus pro his qui commutabuntur*. Commutatio est vel in pejus, vel in melius. De hac autem commutatione quæ est in pejus, non loquitur hic *psalmus*, cum de adventu Domini loquitur, qui fuit causa commutationis in melius: quia *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV); et est *testimonium* quia testatur de rege et de plebe, de pastore, et sacerdote et de grege, de Christo et vinea ejus, totum videlicet mysterium divinarum Scripturarum, Christum videlicet et Ecclesiam, quia omnis scriptura vel de Christo vel de Ecclesia est: et *pro Assyriis*, id est, pro dirigentibus, ut, qui prius fuerunt generatio prava et exasperans, deinceps dirigant se secundum voluntatem Domini. Dicit autem sic:

Qui regis Israel, intende, id est, intensum te fac huic regimini, regendo videlicet Israel, id est, Judaicum populum. *Et qui deducis velut ovem Joseph*, populum videlicet gentium, qui per Joseph intelligitur, quia augmentatus est in priori populo, ut ex utroque fieret unum. Vel, potest alicui occurrere in mente qualiter Joseph a fratribus fuit venditus, et in Ægypto exaltatus, et sic ad memoriam ducamus sub quo sumus, et cum quibus, videlicet *Israel*, id est, cum Judaico populo prius credenti, *quia salus ex Judæis est* (*Joan.* IV): et ideo tu, oleaster, noli altum sapere, sed time, *non tu enim radicem portas, sed radix te* (*Rom.* XI). *Qui sedes super Cherubim, manifestare. Cherubim* est Ecclesia Dei, et interpretatur *plenitudo scientiæ*, sed tamen non desperet humana fragilitas, quia quisque fidelis est sedes Dei, sicut scriptum est: *Anima justi, sedes est sapientiæ*. Habeat etiam quisque charitatem et habet plenitudinem scientiæ quia *plenitudo legis est* charitas (*Rom.* XIII), *qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo* (*I Joan.* IV); quod dicit: *Qui sedes super Cherubim, manifestare*, id est, manifestus appareas *coram Ephraim*, id est, coram fructificantibus in bono opere, *et Benjamin*, id est, coram illis qui sunt filii dexteræ, non quærentes videlicet terrena quæ ad sinistram pertinent, sed cœlestia ad dexteram pertinentia: vel *coram Benjamin*, id est, coram illis qui bene operantur, non ad favorem, quod ad sinistram pertinet: *et Manasse*. Manasses interpretatur *oblivio*, ubi intelliguntur illi qui obliviscuntur ea quæ retro sunt, in ea se extendunt quæ anteriora sunt, et in istis omnibus intelliguntur illi qui reputandi sunt in semine. Quasi dicat: *Manifestare*, illis qui annumerandi sunt granis, licet non manifestes illis qui dimittendi sunt inter paleas. *Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.* Quasi dicat: Sopita fuit potentia tua, quando persecutor tibi prævaluit, non quod persecutor voluit, sed quia consensisti: quod etiam præfigurasti, quanto Jacob luctatus est cum angelo. Ipse enim Jacob prævaluit, non quod ipse voluit, sed quia angelus consentit, Jacob etiam a victo angelo benedictionem petiit, et angelus eumdem benedixit, et latitudinem femoris ejus tangens, claudum cum dimisit (*Gen.* XXXII): ita Dominus eumdem Judaicum populum benedixit, et claudum eum fecit: benedixit, quantum ad apostolos et cæteros fideles, claudum fecit quantum ad incredulos. Quod dicit, *excita potentiam tuam*, quasi dicat: Mortuus ex infirmitate, resurge ex majestate (II *Cor.* XIII), et veni in notitiam nostram, quem prius non novimus. Vidimus enim miracula te facientem, et tamen morientem, et ideo non putabaris ille esse quod eras. Unde illud, Vidimus eum non habentem speciem neque decorem (*Isa.* LIII). Sed

nunc videamus te resurgentem, et ascendentem et in dextra Dei sedentem. *Et veni ut salvos facias nos, Deus, converte nos.* Quasi dicat : Inimici tui quærunt avertere a te, sed tu, converte eos ab errore idololatriæ, *et ostende faciam tuam, et salvi erimus.* Quia prius obtegisti potentiam tuam nube carnis, et velamento infirmitatis, et ægrotavimus, nunc autem *ostende faciam tuam* ; ut intelligamus super egenum et pauperem, *et salvi erimus,* juxta illud, *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III). Et quia sicut oravi, facies, Filium tuum mittendo, videlicet ut nos convertat, tu, *Domine Deus,* non tantum hominum, sed etiam cœlestium *virtutum, quousque irasceris?* id est, quandiu remanebit ira tua *super orationem servi tui,* id est, super hoc quod orat servus tuus : vel, *irasceris* in *orationem servi tui super,* id est, desuper venientem. quia quod orat servus tuus, hoc non habet ex se, sed a te. Quasi dicat : Ecce jam non orant inimici tui, sed servi, et de carcere educti, et adhuc irasceris, non tamen ut vindex sæviens, sed ut Pater corrigens, quia scriptum est : *Fili mi, accedens* in *servitutem* Domini *sta in justitia et* tremore, et *præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II) : et illud, *flagellat Deus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII). Et ideo tu quisque si detractes flagellari, cur desideras recipi? quod dicit, *Domine, Deus virtutem, quousque irasceris super orationem servi tui?* quousque videlicet cibandi sumus? quod sequitur sic, *cibabis nos pane lacrymarum.* Quasi dicat. Licet tu nobis irasceris, tamen in ipsa ira *cibabis nos pane lacrymarum* id est, reficies nos lacrymis nostris tanquam pane. *Et potum dabis nobis in lacrymis in mensura,* quia, etsi patiaris nos tribulari, non tamen sine mensura. Unde illud, *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram* (*Eph.* IV). Et illud : *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (*I Cor.* X). *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris.* Ecce qualiter cibasti *nos pane lacrymarum,* quia *posuisti nos in contradictionem vicinis.* Ecce aperte novimus impletum quod hic est prophetatum, quia multi ex illo populo cœlesti sunt prædicatores, qui prædicabant Christum incarnatum, mortuum et redivivum, rem incredibilem, sed rei incredibili fidem signa fecerunt. Contradicebantur, sed contradictor vincebatur, quia qui prius persecutor erat, factus est postea humilis imitator. Sed quia præcessit flamma furoris et flamma persecutionis, quæ tamen ipsis prædicatoribus refectio fuit, ideo dicit : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et* in tantum quod *inimici nostri subsannaverunt nos,* sed tu, *Deus virtutum, converte nos,* ad te, quos ipse molitur avertere : *et ostende faciem tuam,* Filium tuum videlicet, *et salvi erimus.* Et debes salvos facere, quia jam cœpisti, quando *vineam,* id est, Judaicum populum *de Ægypto transtulisti ejecisti gentes, et plantasti eam,* videlicet in terram promissionis. Et

A hoc etiam referri potest ad Ecclesiam, quia ipsa est vinea *de Ægypto* translata, id est, de potestate tenebrarum in regnum lucis assumpta ; *ejecisti gentes* id est gentium errores, et *plantasti eam* in fide, videlicet catholica. Et *dux itineris fuisti in conspectu ejus ;* quia in die præcessisti in nube, et in nocte in igne, significans Filium tuum incarnatum, Ecclesiæ præcessurum de nube carnis et in donis Spiritus sancti. *Et plantasti radices ejus et implevit terram,* intantum quod *operuit montes umbra ejus.* Ut magna multitudo populi denotetur, comparavit populum ipsum vineæ plantatæ et intantum extensæ, quod umbra ejus montes operiret : vel sic, *plantasti radices ejus,* patriarchas videlicet, in quibus, quasi fructus in radice, prænotabatur Ecclesia, et *operuit*

B *montes umbra ejus : montes* sunt prophetæ, quos operuit umbra Ecclesiæ, quia ipsi umbratice et figuraliter Ecclesiam prædicabant. *Et arbusta ejus cedros Dei. Arbusta* sunt palmites, de viti vera procedentes, minores videlicet in Ecclesia : qui operiunt *cedros Dei,* supereminentes videlicet in virtutibus operiunt, id est, circumdant, quando ipsi, eminentes conscendendo illis qui sunt *arbusta,* dimittunt altam contuitionem mentis, et eis prædicant quæ capere possunt, instruendo eos per carnalia, quia non possunt capere spiritualia. Vel operuerunt *arbusta cedros Dei,* quia plures qui sunt *arbusta,* sustentantur ab unoquoque qui cedrus est, et est dictum ad similitudinem, quia sicut unus truncus sustentat plures palmites vitium, ita ab uno prædicatore sustentantur plures, quia circumcisio a Petro et

C præputium in Paulo. *Extendit palmites suos,* id est, generationes populi *usque ad mare, et usque ad flumen,* subaudis Jordanis, *propagines ejus,* quia ultra Jordanem non leguntur habitasse Judæi ; vel sic, *Extendit palmites,* id est, generationes Ecclesiæ *usque ad mare* gentium, *et usque ad flumen,* Judæorum videlicet, *extendit propagines ejus. Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur* viam? Asaph videns tanta fecisse Dominum, ut populus Judaicus exaltaretur, admiratur, et quasi admirando quærit : Ut quid, id est, ad quam utilitatem eorum, destruxisset Deus *maceriam ejus,* id est, munitionem ejus, regnum videlicet et sacerdotium unde muniti esse putabantur, *et vindemiant eam,* id est dissipant et decipiunt *omnes*

D *qui prætergrediuntur viam.* Christum videlicet, qui vera est via. Et ostendit qualiter vinea dissipata sit, quia *exterminavit eam aper de silva,* id est, Vespasianus de silva, id est de gentili populo missus, qui silvæ comparabatur, quoniam nullam receperunt divinæ prædicationis culturam. Nota quod dicit, *exterminavit,* quia extra terminum suum positi sunt, quia extra civitatem sunt ejecti et ubique dispersi. *Et singularis ferus,* Titus, videlicet singulariter sæviens, *depastus est eam.* Nota *depastus,* quia ipse exercuit adhuc in eis majorem sævitiam quam pater suus Vespasianus. Potest etiam ad Ecclesiam referri quod dicit : *Ut quid destruxisti maceriam ejus?* ut

maceriam intelligamus sanctos martyres, quibus A munitur Ecclesia, quos vindemiant et dissipant omnes qui per viam non incedunt, id est, Christum non imitantur, quos exterminat aper de silva, quisque videlicet immundus, et vomere prædicationis incultus, et nota hoc per *aper de silva*, quia porcus est animal immundum, et *silva* terra inculta. *Deus virtutum, convertere.* Quasi dicat : Sic destructa est maceria vineæ, sed ipsa vinea exterminata : sed tu, *Deus virtutum*, cœlestium subaudis, *converte* ab ira ad misericordiam, *respice de cælo*, id est, de Filio tuo, *et visita vineam istam, visita*, dico, eam perficiendo, non assumendo aliam, quod dicit, *et perfice eam quam plantavit dextera tua*, id est potentia tua : et *perfice* eam fundatam *super Filium hominis*, Christum videlicet, qui vere fundamentum est. Unde B illud : *Nemo potest fundamentum ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III), *quem confirmasti tibi*, id est, immunem a peccato fecisti. *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Quasi dicat : Dixi ut perficeres vineam, et ut perficies, ita ut neque altitudo, neque profundum separent ipsam vineam a te. Nam *ab increpatione vultus tui peribunt incensa igni*, id est, peccata malo amore commissa, quia amor malus inflammat opera mala, *et suffossa*, id est, timore malo commissa. quia timor [timet] malus humiliatur a bonis, et est dictum ad similitudinem, quia sicuti murus cum suffoditur casum minatur, ita quisque timore malo percussus est pronus ad lopsum, quia sicut esse bonum procedit a timore bono et amore, ita omne malum procedit ex malo timore et amore. Solent C enim aggredi devocatores quos devocare volunt blanditiis, promissionibus, et multi amore malo excæcati corrumpuntur, sed felix anima quæ contra promissiones illas proponit sibi medicinam salutis.

Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? (*Matth.* XVI.) Felix est etiam illa anima quæ nec minis corrumpitur, proponendo sibi hoc divinum præceptum : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X), attendens etiam diligenter, quia mundus nulli injusto plus promittit quam Deus justo. Nam quid majus hac promissione : *Venite, benedicti Patris mei?* (*Matth.* XXV.) Nec potest mundus justis tanta minari quanta minatur Deus injustis, quibus dicturus D est : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Ibid.*). *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ et super Filium hominis quem confirmasti tibi.* Quasi dicat : Da ei potestates omnis carnis, quia Filius hominis est, et *confirmasti tibi* quando vox tua paterna audita est, *in quo bene complacui* (*Matth.* III). *Et non discedemus a te*, quia tu *vivificabis nos*, hoc faciendo, ut gratis te colamus : mortui enim eramus, quando imaginem primi hominis portabamus, et Deum coluimus propter terrena, *et nomen tuum invocabimus.* Et ut invocemus, *Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

PSALMUS LXX

IN FINEM PRO TORCULARIBUS PSALMUS IPSI ASAPH, QUINTA SABBATI.

« Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob, sumite psalmum, et date tympanum : psalterium jucundum cum cithara. Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. Quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob. Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti : linguam quam non noverat, audivit. Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus cophino servierunt. In tribulatione invocasti me, et liberavi te : exaudi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis. Audi, populus meus, et contestabor te : Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : dilata os tuum, et implebo illud. Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi. Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset : pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam. Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula. Et cibavit illos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. »

ENARRATIO.

Psalmum istum cantat *Asaph* aliis qui sunt *Asaph*, et agit de rebus significatis per res factas *quinta* sabbati. Nam legitur quod in *quinta sabbati* Dominus dixisset : *Producant aquæ omne reptile* (*Gen.* I), ubi significantur illi qui per fontem baptismatis sunt regenerati, et est *pro torcularibus* : in torculari fit pressura et conculcatio, et discernuntur ibi duo, vinum quod eliquatur in cellarium, et vinacea quæ contemplanda prajiciuntur in trivium. Discernitur etiam oleum ab amurca : oleum in apothecis recondendum, et amurca in trivium ad conculcandum ; et est expositio tituli talis : *in finem* referuntur hæc verba : dicta *pro torcularibus*, id est, pro pressura, pressura dico, discernente res significatas per res creatas quinta sabbati, et est *Psalmus Asaph*, sic dicentis : Intremus, inspiciamus, timeamus, gaudeamus, appetamus, fugiamus, quia hæc omnia in psalmo invenire poterimus.

Exsultate Deo adjutori nostro. Quasi dicat. Vos qui usque modo exsultavistis in mundo deceptore vestro, et diabolo desertore vestro, et ventre seductore vestro, deinceps *exsultate Deo adjutori nostro.* Et si non sufficiant vobis voces, non tamen desinat exsultatio, sed *jubilate Deo Jacob.* Quasi dicat : Quod potestis proferre, *exsultate*, quod non potestis, *jubilate.* Jubilus enim est tanta lætitia mentis quanta non potest exprimi sono vocis. *Sumite psalmum et date tympanum. Psalmus* ponitur hic pro psalterio, effectus videlicet pro causa. *Psalterium* vero, quod superius sonat, spiritualia designat ; *tympanum* vero

A quod inferius sonum reddit carnalia opera designat: et hortatur nos hic Propheta, ut divinis verbis respondeamus carnalibus operibus, quod idem Apostolus exhortatur, condolens et reprehendens dicit quod nemo sibi communicaverit *in ratione dati et accepti.* (*Phil.* IV.) Quod idem manifestius alibi dicit : *Si vobis spiritualia seminamus magnum est si vestra metamus carnalia* (*I Cor.* IX)? Tanquam si diceret : Si avidi estis in spiritualibus sumendis, devoti sitis in carnalibus erogandis, et desideratis suscipere spiritualia, ne sitis pigri erogare carnalia, sumite voces nostras, et exhibete manus vestras, quod dicit, *Sumite psalterium*, id est, spiritualia ab ore prædicantis, et *date tympanum* exhibendo carnalia. Et quare hoc ? Quia *psalterium cum cithara* est *jucundum* Deo. Nam qui sumit spiritualia et præbet carB nalia dulce melos reddit Deo. *Buccinate in neomenia tuba.* In superioribus egit de dilectione Dei hic autem hortatur dilectioni Dei subinferre dilectionem proximi, ut qui diligit Deum, diligat et proximum. Quasi dicat : *Sumite psalmum, buccinate in neomenia*, id est, prædicate novam vitam aperte et cum fiducia. Nota per neomenia novam vitam. Neon enim *novum* dicitur, *mene luna* ; unde mensis dicitur, et sic insimul neomenia *novam vitam* designat. Tuba autem, quia grossam vocem habet, apertam fiduciam notat, quia nova vita aperte et confidenter debet prædicari, et hoc *in insigni die solemnitatis vestræ*, solemnitatis videlicet novæ reparationis, antiquæ dispositionis, æternæ felicitatis. In hac solemnitate buccinandum est cuique fideli, *quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob.* Nota C quia post *præceptum* necessarium sequitur *judicium* quia ipse dator præcepti dixit : *Ego in judicium veni in hunc mumdum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX). Et quid hoc, nisi ut elati humilientur, et humiles exaltentur ? *Testimonium in Joseph posuit illud*, id est, *præceptum* datum *Israel*, est *testimonium Joseph*, populi videlicet augmentati, id est, gentilis, *testimonium* dico salvationis, impletum, damnationis neglectum. Vel potest menti nostræ occurrere, qualiter Joseph venditus a fratribus sit exaltatus, ut Christum intelligamus a populo suo contemptum, et in gentibus post passiones sanctorum martyrum exaltatum, *cum exiret de terra Ægypti.* Convenit et populo multiD plicato quod dicit *cum exiret de terra Ægypti*, mystice non addidit terram quoniam et ipsi ad quintam Sabbati pertinent. Ipsi etiam de Ægypti exierunt quando de potestate diaboli et tenebrarum liberati sunt, quia nihil aliud populi Israelitici transitus per mare Rubrum in figura prætendebat, nisi transitum fidelium per baptismum. Unde testis est Apostolus *Nolo enim vos, fratres, ignorare*, quia *patres nostri omnes sub nube fuerunt et* per *mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt* (*I Cor.* X). Quid ergo aliud significabat transitus per mare Rubrum, nisi sacramentum baptizatorum ? Quid aliud insequentes Ægypti, nisi abundantiam peccatorum ? Premunt Ægypti, urgent usque ad mare : instant et peccata usque ad baptismum, sed desperas tu aliquis propter conscientiam malam tibi non remitti peccata, time ne remaneat aliquid peccatorum si vixit aliquis Ægyptiorum: *linguam quam non noverat audivit.* Quid audivit populus baptizatus, nisi mundum debere contemnere, et corda sursum erigere ? quia dictum est eis : *Transit mundus et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II). *Divertit ab oneribus dorsum ejus.* Quis divertit ab oneribus dorsum, nisi ille qui dixit ? *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Onera ista, sarcina sunt peccatorum. Unde alibi, *et sicut onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII). Quod dicit, *divertit ab oneribus dorsum ejus*, et quasi diceres, quibus oneribus ? *Manus ejus in cophino servierunt.* Per cophinum significantur opera servilia. Mundare enim stercorare, terram portare, cophino fit : illi autem quasi *in cophino* terram portant qui in corde suo sarcina peccatorum aggravantur. Nam, *omnis qui facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII). Divertit ab oneribus dorsum ejus, dicens : *in tribulatione invocasti me.* Quæ est major tribulatio quam peccatorum sarcina? Quod enim in eis fuit afflictio Ægyptiorum, hoc in nobis facit sarcina peccatorum, quod dicit, *in tribulatione invocasti me, et liberavi te.* Recognoscat unaquæque Christiana conscientia si devote transierit mare Rubrum ; si cum fide credendi et observandi *linguam quam non noverat audivit*, cognoscat se in tribulatione esse exauditam. Ipsa enim magna tribulatio erat, premi sarcinis peccatorum, sed relevata est inde conscientia, et gaudet, quia conscientia, quæ heri premebatur, hodie gratulatur. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te.* Et quomodo hoc ? Quia *exaudivi te in abscondito tempestatis*, non in tempestate magna, sed in augustia cordis, ubi tempestas peccatorum te opprimebat. Sed quia aliquis, postquam exauditus et baptizatus multos exaltare patitur hostes, subjungit : *Probavi te* ad aquas *contradictionis.* Aquæ *contradictionis* sunt, insultatores, detractores, dehortatores, minantes etiam ubi possunt ut quemque fidelem a fide devocent. Apud istos probatur quisque, quando non erubescit prædicare quod potest defendere, et inter blasphemias peccatorum, ore enuntiat quod corde credidit. Si enim exauditur *in abscondito tempestatis corde creditur ad justitiam* : quando autem *apud aquam contradictionis* probatur, *ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Quanta fuit contradictio *apud aquas* senserunt majores nostri, quando verbo Dei et ministerio Christi acriter resistebant gentes, quia *tunc fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* (*Psal.* II). Tunc leo ille forti viro Samsoni venienti ad deducendam sibi sponsam de Philisthæis, Christo videlicet descendenti ad habendam Ecclesiam de gentibus fremens ibat ei obviam. Sed quid egit? Accepit et tenuit, fregit et dissipavit leonem illum, et factus est in manibus ejus tanquam hædus caprarum (*Jud.* XIV) : Quid enim aliud fieret populus ille, nisi languidas

peccator? Occisa autem illa feritate, jam non sic fremit regia potestas, non sic fremit populus gentium, non vadit obviam leo : sed quod dignum est jam invenitur in ore ejus favus mellis, quia etiam a principibus gentium constructæ sunt leges pro Christiana religione defendenda, et sic aquæ *contradictionis* exsiccatæ sunt. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te* dicens : *Audi, populus meus, et contestabor te.* Quod ab initio psalmi usque ad hunc versum audivimus ad oleum pertinebat ; quod restat, ad amurcam torcularis pertinet, et magis est dolendum et cavendum, sed tamen audiendum, ut, qui oleum se recognoscit, gaudeat, et qui adhuc periclitatur timeat ne amurcam incurrat. Quod dicit, *audi, populus meus, et contestabor*, te, id est, te ipsum habeo testem, tibi et loquor. Non enim populo alieno loquor, non populo non pertinenti ad torcular. *Judicate*, inquit, *inter me et vineam meam* (*Isa.* v). Quod dicit, *audi, populus meus, et contestabor te* : istud videlicet, *Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens.* Quid recentius Deo illo, qui noviter allatus de officina in templum, noviter fusus, et ideo confusus? Hujusmodi deos faciunt sibi pagani; alii vero hæretici scilicet multi faciunt recentes deos, affirmantes Filium inæqualem Patri, convenientes in vanitate cum paganis. Manichæi etiam alio modo recentem Deum faciunt sibi, dicentes Deum pugnantem contra gentem tenebrarum, timentem ne invadatur, satagentem ne corrumpatur: hoc modo se sibi fictitio confundentes, etsi non in templis, tamen (quod pejus est) in corde suo idola posuerunt, et falsorum ridendorumque simulacrorum ipsi templa facta sunt. Hæc idola intus: est magnum opus, et locum Deo venienti, non recedenti, mundare. Omnes autem qui sic sibi deos faciunt, dissentientes secundum diversa simulacra, et fidem falsitate variantes, in uno ad ultimum convenient, quia a terrenis cogitationibus non recedunt: opinio eorum est diversa, vanitas tamen una, quia ad ea quæ posteriora sunt se extendunt, obliviscentes ea quæ anteriora sunt ; ideo Samson caudas vulpium colligavit, et ibi ignem alligavit, ut incenderet segetes Philistinorum (*Jud.* xv). Vulpes istæ hæreticos et dolosos significant qui in posterioribus convenientes, quasi cauda colligati ignem trahunt corrumpentem segetem Philistinorum alienigenarum videlicet, non filiorum, quia novit *Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II) et non permittit segetes, id est, bona opera suorum hæreticorum incendi. Istæ etiam vulpes significantur in Canticis canticorum, ubi dicitur : *Capite nobis vulpeculas* exterminantes *vineas*, latentes in cavernis tortuosis (*Cant.* II). Capiunt vulpem qui de falsitate convincunt hæreticum et dolosum. Vulpes autem solent habere foveas, ut ex una parte intrent, ex alia exeant, et ideo necesse est ut, qui vulpes capere desiderat, ad utrumque foramen retia ponat. Sic agendum est cum dolosis, qui in duplici intellectu quasi in cavernis morantur, velut illi qui quasi vulpes dolosæ ad Dominum accesserunt, dicentes : *In*

A *qua potestate hæc facis?* Sed quia novit eos esse vulpes et doloso quærentes, ad utrumque foramen velut rete eis tetendit, dicens: *Et vos, respondete mihi unum sermonem : Baptismum Joannis unde est? de cœlo an ex hominibus* ? Sed ipsi, ex utraque parte sentientes tetendisse unde caperet eos, dixerunt intra se : *Si dixerimus, de cœlo*, dicturus est : *Quare ergo non creditis* ? Ille enim Christo testimonium perhibuit. *Si dixerimus de terra*, lapidabit nos populus, quia ut prophetam eum habent. Sentientes ergo hac atque hac esse unde caperentur, responderunt : *Nescimus.* Et Dominus : *Neque ego dico vobis in qua postestate hæc facio*(*Matth.* XXI). Quasi dicat : Quia dicitis vos nescire quæ scitis, neque ego dico vobis quod quæritis, quia ex nulla parte B exire ausi estis, in vestris tenebris remansistis. Obtemperemus ergo et nos, si possumus, verbo Dei dicenti : *Capite nobis vulpes* illas exterminantes *vineas.* Videamus et nos si quasdam vulpeculas capere possumus, proponamus ad utrumque foramen rete, ut unde vulpes exire voluerit, capiatur. Verbi gratia : Manichæo facienti sibi Dominum recentem dicamus, et interrogemus eum : Substantia Dei corruptibilis est, an incorruptibilis ? Elige quod vis, o Manichæe, et exi qua vis, sed non effugies. Si respondes, corruptibilis, non ab Apostolo tantum, sed a te ipso merito lapidaris. Si autem incorruptibilem, quomodo ergo timuit gentem tenebrarum! Quid factura erit incorruptibili gens corruptionis ? Quid ergo restat, nisi dicamus, Nescimus ? Sed tamen, si hoc non dolo, sed ignorantia dicitur, non C remanet in tenebris, sed ex vulpe fit ovis. *Audi populus meus, et contestabor te*, id est, te ipsum testem faciam in hoc *: si audieris me, non erit in te Deus recens*, id est, in corde tuo, in imaginem phantasmatis tui, in deceptione erroris tui, *non erit Deus recens*, sed *Deus* sempiternus secundum deitatem Patris, *recens* secundum hominem, nullis egens bonis, nulla timens mala. Hic *Deus* antiquus novum facit hominem *recens* Deus facit vetustum. Non *adorabis Deum alienum*, quia si in mente non cogitas Deum falsum, *non adorabis Deum* fabricatum. Et quare *non adorabis Deum alienum* ? Quia *ego Dominus Deus tuus sum* tantum. Unde illud : *Ego sum qui sum.* Et : Qui est, *misit me ad vos* (*Exod.* III). *Qui eduxi te de terra Ægypti* : *dilata os tuum, et* D *implebo illud.* Quasi dicat: Angustias pateris in corde tuo propter recentem Deum : frange simulacrum vanum, dejice de conscientia tua idolum fictum, *dilata os tuum* confitendo et amando, *et implebo illud* lumine veritatis et amore Dei veri, non ficti, amore sempiterni Dei, non recentis : hoc dixi ego Dominus populo meo. *Et non audivit populus meus vocem meam et Israel non intendit mihi*, id est, non intensum se fecit mihi clamanti ad eos, ut dilatarent os, et adimplerem illud ; *et* ideo *dimisi eos secundum desideria cordis eorum* , id est, secundum terrena et carnalia, non secundum spiritualia, et ideo a me dimissi, *ibunt in adinventionibus suis*, id est secundum

affectionem cordis eorum. Ecce torcular, aperta sunt foramina, et exit etiam amurca. Unde illud dictum est: *ibunt in adinventionibus suis.* Et quare sic ibunt? Quia me audire noluerunt. Nam, *si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset*, id est, in præceptis meis non deviasset, ego *humiliassem inimicos eorum forsitan pro nihilo*, subaudis, habendos. *Forsitan* hic positum est objurgative, non dubitative. *Et super tribulantes eos misissem manum meam*, id est, potentiam exercuissem contra tribulationes eorum. Nota, licet Dominus dicat *super tribulantes misissem manum meam,* tamen nihil fieri potest, nisi quod ab eo permittitur tam in bonis quam in malis. Sed quia in filiis diffidentiæ inimicus diabolus licentius operatur quam in bonis, quia in illis quasi in proprio bove arat, in nullis tamen nisi permissus, ideo sic dicitur: *Si populus meus audisset me, et si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam: et non audivit populus meus.* Quia ipsi facti *inimici Domini, mentiti sunt ei*, id estad honorem ejus, *et erit tempus eorum*, id est, dies dominationis eorum erit in sæculo hoc præsenti, non in futuro: quia hic dominantur, ibi torquebuntur; vel, tempus animadversionis, pœnæ corvidelicet, erit *in sæcula*, quia hic incipiet, ibi nunquam finiet, hic excæcantur interius ut tandem ibi crucientur exterius, quod dicit: *Inimici Domini mentiti sunt ei: et* tamen, licet essent inimici, *cibavit eos ex adipe frumenti*, id est, ex sacramentis fidei, *et de petra melle saturavit eos.* Mel unde saturati sunt sapientia Christi fuit in qua multi delectantur, in cogitatione videlicet sacramentorum, et in solutione parabolarum ejus et clamant. Nihil melius, nihil dulcius intelligi vel dici potuit. Hoc mel non de quolibet homine, sed de petra confluxit, *petra autem erat Christus* (I *Cor.* x).

PSALMUS LXXXI.

PSALMUS ASAPH.

« Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem « deos dijudicat. Usquequo judicatis iniquitatem, et « facies peccatorum sumitis? Judicate egeno et pu-« pillo, humilem et pauperem justificate. Eripite pau-« perem, et egenum de manu peccatoris liberate. « Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambu-« lant: movebuntur omnia fundamenta terræ. Ego « dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem « sicut homines moriemini, et sicut unus de princi-« pibus cadetis. Surge, Deus, judica terram, quo-« niam tu hæreditabis in omnibus gentibus. »

ENARRATIO.

Propheta in hoc psalmo contra Judæos loquitur, minores et majores: exhortando majores, ut si injuste judicaverunt in servis ad vineam missis occidendis, et minores injuste consenserunt; saltem misso hærede, majores non injuste judicent, vel minores injuste eis consentiant. Et dicit sic Asaph:

Deus stetit in synagoga deorum in medio autem deos dijudicat. Quasi dicat: Vos laboratis ad hoc ut hæredem missum ad vineam interficiatis. Deus autem. Verbum videlicet caro factum, stabit in synagoga deorum, non idolorum, non falsorum deorum, sed illorum de quibus in sequentibus dicit: *Ego dixi: Dii estis.* Nam sic dii sunt omnes qui imitando eum participes facti sunt ejus divinitatis, sicut et ipse particeps factus est nostræ humanitatis. Nota quod dicit, *Deus stetit*, non quia est Dei stare, vel accubare, vel locale esse, sed quia qui stat, erectus esse videtur: ideo semper est incommutabilis rectitudo, et ideo quasi stare Deus describitur. *In medio autem deos dijudicat*, alios faciens apostolos, alios faciens prophetas; vel, *dijudicat deos*, ante deos faciendo alia vasa in honorem, alia in contumeliam. Nota quod dicit, nam qui est in medio æqualiter a circumstantibus videtur, et quia Deus communis est omnibus, recte *in medio* positus dicitur. Unde illud: *Medius vestrum stetit quem vos nescitis* (*Joan.* I). *Usquequo judicatis iniquitatem?* Quasi dicat: Si judicatis iniquitatem in servis occidendis missis ad vineam, tamen ne injuste judicetis missos hærede. Præmissi enim fuerunt prophetæ ut vineam colerent, quos vel contumeliis affecistis, vel omnino occidistis. Misso autem hærede, tandem cavete injuste judicare vos o majores. Vos autem minores, usquequo *facies peccatorum sumitis*, id est, usquequo patribus vestris conformamini, inique eis consentiendo? *Judicate egeno et pupillo.* Pupillus est qui patre caret, licet matrem habeat. Quod convenit Domino, quia sicut æternaliter voluit esse sine matre, ita temporaliter voluit esse sine patre: quod dicit, *judicate egeno et pupillo*, id est, ad honorem egeni et pupilli, et *humilem* in hoc judicio factum, *et pauperem*, cum dives esset, pro nobis factum, *justificate*, id est, justum aliis prædicate. *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Hoc dictum est ad minores, quia cum tot essent de minoribus ut principes eos timerent non debuissent consentire ut principes injuste Christum occidendum tradiderint, quia quoties aliquis injuste vindicatur a principibus, debet a populo liberari, si hoc videt populus quod sine rixa possit fieri. *Nescierunt neque intellexerunt.* Quasi dicat: Ego sic adorsus sum majores, ne injuste judicarent; et minores, ne injuste consentirent: ipsi tamen majores *nescierunt*, neque minores *intellexerunt*, quia *si* majores *cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*Cor.* II); vel, si intellexissent minores, nunquam Barrabam petiissent dimitti, et Jesum crucifigi, quod dicit, *nescierumt neque intellexerunt.* Et hoc quare? Quia *in tenebris ambulant*, repellentes a se veram lucem, quæ illuminat omnem hominem. Unde illud: *Lux in tenebris lucet et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I). *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Omnes in omni prælati terra moti sunt vel ad fidem vel ad perturbationem. Vel *movebuntur fundamenta terræ*, spes videlicet terrenorum, in quibus confidebant terreni principes. Unde illud: *Transit mundus et concupiscentia ejus* (I *Joan.* II). Vel ad litteram di-

camus, *movebuntur omnia fundamenta terræ*, quia Domino pendente in cruce, terræmotus factus est magnus. *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes.* Superius continuatur sic : *Deus stetit*, dicens : *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes.* Quasi dicat : Vos omnes, si imitati me essetis, deos facere proposui, assumendo vos mecum, ut mihi essetis cohæredes. Vos omnes vocavi filios Excelsi, filios non a substantia ejus genitos, sed per gratiam assumptos : *Vos autem sicut homines moriemini*, id est, in peccatis vestris permanentes, imitando primos parentes vestros, qui per inobedientiam a Deo apostataverunt. *Et sicut unus de principibus cadetis.* Unus fuit de principibus qui dixit : Ponam sedem meam ad aquilonem et *ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV), sed quia nimis se extollere voluit, ideo cadere meruit : cujus exemplo omnes cadunt qui per elationem se extollunt. *Surge, Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Ipsi, imitando primos parentes, moriuntur : tu autem surge, ut judices terram, id est, patere te judicari secundum humanitatem, resurge secundum divinitatem ; et sic judica terram, id est, gentem Judaicam, quæ statuit oculos suos declinare in terram ; quod facturus es, quia resurgens *hæreditabis in omnibus gentibus*, quoniam Deus Pater dabit tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ.

PSALMUS LXXXII.

CANTICUM PSALMI ASAPH.

« Deus, quis similis erit tibi ? ne taceas, neque « compescaris, Deus : quoniam ecce inimici tui so« nuerunt : et qui oderunt te, extulerunt caput. Su« per populum tuum malignaverunt consilium, « cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt : « Venite et disperdamus eos de gente, et non me« moretur nomen Israel ultra. Quoniam cogitave« runt unanimiter, simul adversum te testamentum « disposuerunt, tabernacula Idumæorum et Ismae« litæ : Moab et Agareni, Gebal, et Ammon, et Ama« lec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim « Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium fi« liis Lot. Fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut « Jabin in torrente Cisson. Disperierunt in Endor, « facti sunt ut stercus terræ. Pone principes eo« rum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana ; « omnes principes eorum, qui dixerunt : Hæredi« tate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus, « pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem « venti. Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut « flamma comburens montes, ita persequeris illos « in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos. Im« ple facies eorum ignominia, et quærent nomen « tuum, Domine. Erubescant et conturbentur in « sæculum sæculi ; et confundantur, et pereant. Et « cognoscant quia nomen tibi, Dominus, tu solus « Altissimus in omni terra. »

ENARRATIO

Propheta prævidens tantas oppressiones quas ab impiis passurus erat Christus in corpore suo, et maxime in ultimis temporibus, quando Antichristus sæviet contra fideles, prædicit eas, ne fideles cum viderint imminere tribulationes, admirando deterreantur, cum tanto tempore prædictum sit eis quod eos tribulari oportet, quia jacula prævisa minus nocent ; et sic dicit :

Deus, quis similis erit tibi ? ne taceas, neque compescaris, Deus. Quasi dicat : Deus, qui inter impios computari voluisti, cum latronibus crucifigi ; sed tamen quis priorum erit tibi similis, cum in gloria apparueris ? Nullus utique. Vel aliter : Miserum humanum genus tibi assimilari studet, dum eligit agi ex propria dispositione, quod fit tua prædestinatione et voluntate ; sed tamen quis tibi similis ? Nullus utique ; et tamen pateris similari tibi impios, non subjiciendo. Vel potest psalmus iste continuari sic : *Tu hæreditabis in omnibus gentibus*, sed prius in infirmitate cum impiis deputaberis, inter latrones crucifixus eris. Cum autem apparueris in gloria, quis priorum erit tibi similis ? *Ne taceas, neque compescaris, Deus.* Tacuit prius, quando sicut ovis ductus et ad occisionem, et non aparuit os suum (*Isa.* LIII) : tacuit a judicio, licet non a præcepto. Secundo autem veniens, *ne taceas* a judicio, licet taceas a præcepto, *neque compescaris, Deus.* Compescuisti te, quando dixisti te posse habere a Patre duodecim legiones angelorum, qui te defenderent : et tamen capi, conspui, flagellari, crucifigi te permisisti. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt.* Ecce cur dico, *ne taceas, quoniam inimici tui*, compressu omni metu, *sonuerunt* adversus tuos ; et ideo dico *ne compescaris, quoniam qui te oderunt extulerunt caput*, id est, potentiam suam exercuerunt contra tuos. Et quoniam *extulerunt*, subjungitur : *Super populum tuum malignaverunt consilium*, id est, deliberato consilio voluerunt se extollere super populum tuum, minores videlicet, et non tantum contra populum malignaverunt consilium, sed etiam *cogitaverunt adversus sanctos tuos*, dicentes unusquisque alii : *Venite et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israel ultra.* Et quare hoc ? *Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversus te testamentum disposuerunt*, id est pactum inierunt contra tuos : *tabernacula Idumæorum*, id est terrenorum ; *et Ismaelitæ*, id est sibi et non Deo obedientes. *Moab et Agareni, Gebal, et Ammon, et Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium filiis Lot.* Per Hebræa nomina intelliguntur omues inimici Christi, a quibus sui tribulantur ; et ut qui sint videamus, interpretationes horum nominum inquiramus. Moab interpretatur, *lege abutens* ; Agareni, *alienigenæ* ; Gebal, *vallis vana*, id est fallaciter humilis : ubi intelliguntur hypocritæ, qui se humiles ostendunt exterius cum tamen elatio mentis extollat eos interius ; Ammon, *populus turbidus* : *Amalec, lingens terram* : alienigenæ sunt Philisthæi, *potione* videlicet *cadentes*, quos inebriavit felicitas sæcularis ; et hi omnes venient cum habitantibus Tyrum. Tyrus interpretatur

angustia, ubi notantur terreni, angusti vel amore acquirendi vel timore perdendi. Quare omnes isti sic pactum inierunt? *Etenim Assur venit cum illis*; *facti sunt in adjutorium filiis Lot*. Assur interpretatur *elatus*. Quis iste elatus, nisi diabolus, qui operatur in vasis suis, ut oppugnent populum Dei? Et hi juvant filios Lot. Lot interpretatur *declinans*: per quem intelliguntur angeli apostatæ, qui declinaverunt a non esse (*sic*) in infirmam miseriam. Filii Lot sunt, qui, declinantes a vera discretione, in satellitium illud angeli apostatæ se contulerunt. Mali enim instrumenta sunt diaboli quibus impugnat sanctos. *Fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cisson. Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ. Pone principes eorum sicut Oreb, Zeb, et Zebee, et Salmana.* Istud non est maledictio, sed est confessio et congratulatio divinæ justitiæ: et hi omnes quorum nomina hic audivimus, ab Israelitio populo sunt dispersi et victi. Potest etiam hodie fieri hæc dispersio, si ad interpretationem nominum recurramus. Interpretatur enim Madian *declinans judicium*, ubi intelliguntur illi qui justitiam suam statuere volunt, ut justitiæ Dei non sint subjecti. Sisara est *exclusio gaudii*, quoniam ab impiis tandem omne excludetur gaudium. Jabin est *sapiens in generatione sua*; ubi designantur illi qui in mundanis sapientiis student, cum tamen sapientia hujus mundi stultitia sit apud Deum. Cisson interpretatur *duritia eorum*, ubi notantur illi qui in mentis ariditate permanent. Unde illud: *Tentaverunt Deum in inaquoso* (*Psal.* LXXVII), quod dicit, *fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cisson*. Et quoniam rogat et prophetat Moab et cæteris qui *malignaverunt consilium* Domini, id fieri quod factum est Madian et cæteris, subjungit quid passi sint, quia *disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ*. Unde illud: *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I) Endor interpretatur *fons carnalis generationis*. — *Pone principes eorum sicut Oreb, Zeb, Zebee et Salmana*. Oreb interpretatur *siccitas*; Zeb, *lupus*; Zebee, *victima lupi*; Salmana, *umbra commotionis*. Hi omnes victi sunt a filiis Israel. Ad quorum similitudinem prophetat hic Propheta interituros persecutores fidelium. Et ut breviter eos comprehendat, subjungit *Omnes principes eorum qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, tu, *Deus meus, pone illos ut rotam*, ut in circuitu videlicet ambulent. Rota in anterioribus deponitur et in posterioribus surgit: ubi intelliguntur illi qui, obliviscentes ea quæ anteriora sunt, in posterioribus se extollunt: vel *pone illos ut rotam*, id est, instabiles redde eos, dejiciendo eos in hoc quod putant elevari; *et sicut stipulam ante faciem venti*, id est, comparabiles fiant stipulæ quæ facile vento cedit, velut illi facile tentationi cedunt. Unde illud: *Et tanquam pulvis projiciet ventus a facie terræ* (*Psal.* I). *Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.* Quasi dicat: Dico ut ponas eos sicut rotam: et hoc fiet quia facile erit tibi persequi illos *in tempestate tua*, in tremendo tuo judicio, et in ira tua turbare, dicens: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Facile igni comburere silvam propter sterilitatem, et sicut facile est flammæ comburere montem, id est herbam siccam in montibus positam. Et quomodo hoc? Quia implebis *facies eorum ignominia*, qui hic neglexerunt faciem tuam decoram et gloriosam: *et* tunc *quærent nomen tuum, Domine*, sed tarde, quia inutilis erit eis ibi pœnitentia. *Erubescant* de conscientia mala, *et conturbentur* se segregari a consortio bonorum, quod erit *in sæculum* hujus *sæculi* subsecutivum: *et confundantur et pereant, et* sic tandem *cognoscant* datum *nomen tibi Dominus*, cum dicent: Nos insensati existimavimus vitam illorum esse insaniam, et reliqua (*Sap.* III); et cognoscant quia *tu solus Altissimus in omni terra*, quia boni et mali tibi subjecti sunt, utens etiam malis ad salutem tuorum, ut illud: *Virga furoris mei Assur*, ipse vero non cognovit (*Isa.* X). Vel aliter, *imple facies eorum ignominia;* et tamen aliqui ex illis *quærent nomen tuum*, quia erubescent de conscientia mala, et conturbabuntur ad pœnitentiam, et peribunt in hoc quod erant, quia ex impiis pii efficientur; *et sic* cognoscent *quia nomen* est *tibi Dominus:* quod tantum illi cognoscunt, quia se voluntarie facient servos: et cognoscent quia *tu solus Altissimus in omni terra*, tam infructifera quam non infructifera.

PSALMUS LXXXIII.

IN FINEM PRO TORCULARIBUS FILIIS CORE PSALMUS.

« Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ut ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob. Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui, quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus. Non privabit eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. »

ENARRATIO.

Psalmus iste, cujus titulus habet *in finem pro torcularibus*, nihil videtur agere de prelo, vel de fiximis [fiscinis], vel de lacu, vel de cæteris instrumentis quæ pertinent ad visibilia torcularia; sed admonet Spiritus sanctus quatenus ea intelligamus in hoc psalmo quæ mystice intelliguntur per hæc visibilia

torcularia : quapropter quid agatur in his visibilibus recordemur, et per hoc videamus qualiter illa mystice fiant in Ecclesia. Uva certe pendet in vitibus et oliva in arboribus, et libero aere, dum sic pendent, fruuntur. His duobus fructibus solent parari torcularia, quia uva non est vinum, nec oliva oleum, antequam in torculari premantur. Sic et homines quos prædestinavit Deus conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* VIII), qui magnus in passione expressus est botrus, antequam accedant ad servitutem, deliciosa fruuntur libertate. Sed quoniam scriptum est : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et* tremore, *et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II) : unusquisque accedens ad servitutem Dei, recognoscat se ad torcularia accessisse, quia ibi tribula- B bitur, ibi comprimetur et affligetur, non ut in hoc mundo pereat, sed ut in apothecas Dei diffluat. Et quoniam hoc non fit nisi per pressuram, merito Ecclesia hujus temporis comparatur torcularibus. Sequitur, *filiis Core.* Core interpretatur *clavus.* Clavus iste, Christus in Calvariæ loco crucifixus, et a quodam calvo præfiguratus, Eliseo videlicet propheta. Ut hujus calvi filii simus nos adhortatur Psalmus iste, ne insultemus ei velut pueri stulte garruli insultabant calvo illi calvi istius typum gerenti ; qui a bestiis devorati sunt (*IV Reg.* II). Quare cavendum est nobis ne insultantes a bestiis devoremur, principibus videlicet tenebrarum : quare simus ejus filii, id est imitatores, non mundi amatores. Neque enim frustra pecunia, quæ in hoc mundo amatur, rotunda C formatur : ut scilicet ostendat se mobilem et instabilem, et sic deterreat amatores suos. Dicit autem sic Asaph :

Quam dilecta tabernacula tua, Domine, non tantum hominum, sed etiam *virtutum* cœlestium, id est, castra tua in quibus recipies dilectos tuos, quam incomparabiliter sunt dilecta. Et quia dilecta sunt, *concupiscit anima mea in atria Domini,* cœlestem videlicet Jerusalem, quæ atriis comparatur, quoniam omni delectatione plena invenitur, sicut atria in quibus plantantur herbæ dulces, flores pulchri, ut homines ubi delectentur. *Concupiscit anima mea et* concupiscendo *deficit,* a terrenis videlicet, quomodo alibi *defecit spiritus meus* (*Psal.* LXXVI). Illa in se defecit, et ideo in D te proficit, quia nullus in te proficit, nisi qui defectum suum attendit. Nota quia tabernacula, licet alibi accipiantur domus militiæ, hic tamen non incongrue accipiuntur pro cœlesti habitatione ; quia ibi quisque tutus erit quasi forti castro munitus, ibi nulla erit sollicitudo, ibi *neque nubent neque nubentur* (*Marc.* XII). Vel sic : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ;* id est, domus tuæ militiæ, in quibus tuos quasi in tabernaculis affligis, Ecclesiæ videlicet istius temporis, quam dilectæ sunt tuis ! quia non solum tribulamur, sed et in tribulationibus gloriamur.

A *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Quasi dicat : Ideo dilecta sunt tabernacula tua, in quibus modo affligimur, quia anima mea in illis, subaudis posita, concupiscit conscendere in atria Domini, quia ex istis tabernaculis ad illa atria suspiramus : hic seminamus, ibi metemus, quia ubi ploratur, ibi seminatur. Unde illud : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV). Sed quod in fletu seminant, illud in exsultatione metent : unde illud : *Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Ibid.*) *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Quasi dicat : Ideo quia tabernacula tua dilecta sunt, *cor meum,* id est interior mens, *et caro mea,* id est exterior mens, *exsultaverunt in Deum vivum,* per quem vere vivitur, per quem est omne quod est. Et merito exsultaverunt caro mea et cor meum : *etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum ubi reponat pullos suos.* Passer est avis querula, significans fideles animas, quæ attendunt in hac peregrinatione omnia esse caduca et transitoria, ideo queruntur sibi prolongari exsilium et se differri a patria : quia in hoc desiderio ingemiscunt, ipsi quasi domum invenerunt, ubi jam in spe inhabitant, et ad quam quandoque perventuri sunt. Turtur est avis gemens, significans homines bene operantes, famelicos saturantes, nudos vestientes, infirmos visitantes ; et quoniam multi hoc faciunt, sed frustra, quia fide carent, ideo dicit, quia invenit nidum, id est fidem et ecclesiastica instituta, ubi reponat pullos suos, id est bona opera sua, quia veri sacrificii locus non est extra catholicam Ecclesiam. Nota quod bene dicit, quod *passer invenit sibi domum et turtur nidum,* quia fidelis anima quæ hic nunc est in amore supernæ habitationis, in qua jam per spem inhabitat, quandoque habitura est majorem cum illuc pervenerit ; ideo quasi domum invenisse dicitur, quia ejus amor nunquam deficiet ; quia cum pulchritudo sit insatiabilis, charitas erit indefectibilis ; quia cum *tria* sint, *fides, spes, charitas* (I *Cor.* XIII), fides et spes transibunt, charitas tantum remanebit : et quoniam fides est ad tempus permansura, ideo nido comparatur. Nota quia caro turturi comparatur, propter dolores plurimos quibus affligitur : quod dicit, *et turtur nidum ubi* reponat *pullos suos.* Et quid nidum vocet, subjungit : *Altaria tua, Domine virtutum, rex meus,* id est recreans, *Deus meus,* creans me. Per altaria fides et ecclesiastica instituta denotantur, quoniam sicut in altari fiunt oblationes, ita in fide bonorum operum confirmationes, quia impossibile est sine fide quemquam salvari.

Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Nota quod omnis beatus, vel habendo vel agendo beatus est. Ille autem qui habitat in domo Domini beatus est et habendo et agendo ;

habendo, quia Deum possidet qui est ei omnia in omnibus :agendo etiam est beatus,quia in æternum Deum laudabit.Laus ista non est ex necessitate,sed ex voluntate et summa voluptate. Omnis autem dispositio humanorum actuum fit ex necessitate : in domo autem Domini nulla est necessitas, sed pulchritudo insatiabilis, quam comitatur amor indefectibilis, et ideo laus indefectibilis. Potest sic continuari versus iste. *Quam dilecta tabernacula sunt tua, Domine!* ideo *beati qui habitant in domo tua, Domine*,nec tantum beati qui sunt in perventione, sed etiam qui sunt in itinere; quod dicit : *Beatus vir cujus est auxilium abs te*, hoc est, qui in hac peregrinatione a te habet auxilium, ut a peregrinatione suscipiatur ad patriam.Et unde sit beatus, subjungitur, *disposuit ascensiones in valle lacrymarum*,ubi difficile est ascendere; sed si vis ascendere,necesse est amare in hac lacrymabili valle. Vallis lacrymarum est vita ista misera, in quam decidimus per lapsum primi parentis. Eramus enim in ipso in monte gaudii, sed apostatavit primus parens, et ejectus est de summitate virtutum in profunditatem vitiorum et in vallem lacrymarum. In qua valle quis positus, si non vult submergi, necesse est ut disponat ascensiones, eundo in locum quem posuit Deus primo homini ad inhabitandum. Vel sic, *Disposuit ascensiones in valle lacrymarum*, positus *in loco quem* ipse homo sibi *posuit*, et ad quem culpa sua eum descendere coegit. Et quomodo disponit homo *in corde suo ascensiones*? Nam qui dedit legem deprimentem, dabit et gratiam sublevantem ; quod dicit: *Etenim legislator dabit benedictionem*, id est gratiam sublevantem, et quemque bonum multiplicantem, quod impossibile erat facere legi, quia lex neminem justificavit, sed omnia sub peccato conclusit.Venit *mandatum*,et *revixit peccatum* (*Rom.* VII).Nesciebatur enim concupiscentia esse peccatum donec lex diceret: Noli concupiscere.Unde Apostolus.*Lex subintravit ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum,superabundavit* et *gratia* (*Rom.* V);quia qui per legem fuerunt dejecti et ægrotati,per gratiam sunt erecti et sanati,quod auctoritate Evangelii comprobatur. Erat Hierosolymis Probatica piscina,quinque porticus habens,ubi jacebat multitudo infirmorum,etc. (*Joan.* V). Aqua illa habens quinque porticus notat Judaicum populum,quinque libris Moysi circumseptum:ubi jacebant ægroti,quia omnes qui carnaliter legem intellexerunt,per quinque libros Moysi administratam,jacuerunt ægroti.Sed,veniente angelo,movebatur aqua, et sanabatur unus. Angelus iste est Christus,magni videlicet consilii angelus (*Isa.* IX), quo veniente mota est aqua. id est turba Judaica in mortem ipsius:ad quam mortem quisquis credendo accessit,sanatus est videlicet a peccatis mundatus. Sed unus tantum sanatus est, quia multiplicitatem rejecit, unitatem elegit.Omnes enim electi unum debent esse in Christo quia *unus* Christus,*una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV). Ecce qualiter gratia sublevavit quos lex depressit; quod hic dicit, *etenim legislator dabit benedictionem* ; non recens Deus videlicet, sed priorum temporum, *dabit benedictionem*, id est gratiam sublevantem ; et sic *ibunt de virtute* ad *virtutem*, de virtute videlicet operationis in virtutem contemplationis.Virtutes operationis sunt fortitudo,temperantia, prudentia, justitia. Quæ cessabunt quando *videbitur Deus deorum in Sion*, id est in contemplatione, quia non erit ibi hostilis invasio contra quam necessaria sit fortitudo : nulla surgent ibi incentiva, quæ refrenanda sint temperantia ; nullus erit ibi egenus,cui per justitiam communicandæ sint res aliquæ præ inopia sua;nullum erit malum,quod per prudentiam a bono sit discernendum: quia ibi *videbitur Deus deorum in Sion*. Deus videlicet Christianorum,et per gratiam,ut dii sint,assumptorum. *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam.* Videns Asaph qui hic loquitur,quia adhuc gauderet in spe,nondum in re,rogat perseverantiam bonorum operum, ne a spe illa decidat. Quasi dicat : Ut videam Deum deorum, tu Domine Deus virtutum, *exaudi orationem meam*, factam pro incremento virtutum : et *auribus percipe, Deus Jacob*, ut sicut ex Jacob fecisti Israel,ita ex me facias Deum videntem, et tu, *protector noster, aspice* per gratiam, qui despexisti per iram ; et *respice in faciem Christi tui*, id est, innotescere fac nobis Christum tuum, ut per illum eamus de virtute in virtutem : vel, *respice in faciem Christi tui*, id est, in illos in quibus apparet facies et voluntas Christi tui : et ideo rogo ut exaudias et aspicias, *quia in atriis tuis*, id est in cœlesti Jerusalem, *est melior dies una*, id est continua quam nulla nox interpolat,quam non præcedit dies hesternus, quam non urget crastinus, quia dies est sine fine mansura; et hæc dies est melior *super millia* dierum nostrorum,secundum tempora dispositorum quia ibi pulchritudo insiatabilis, lux indefectibilis.In istis sunt omnia mobilia et cito transitoria: et ideo *elegi abjectus esse in domo Dei*, ubi nullus est tamen abjectus quia si posset esse ut illic aliquis vilis et abjectus haberetur, ego tamen mallem ibi esse vilis et abjectus, *quam habitare* cum Domino *in tabernaculis peccatorum:* vel sic quia *melior est dies una*, ideo elegi abjectus esse in domo Dei, id est in hac Ecclesia ubi despiciuntur fideles, *magis* quam cum domino versari in tabernaculis peccatorum, consentiendo pravis operibus eorum ; et hoc ideo quia scio quod non repellet Dominus humiliantes se:quia hic eos adjuvat, ibi remunerat : *quia diligit misericordiam*, qua vocat ad fidem, et justificat impium. Diligit et *veritatem*, quia remunerat operatorem per dilectionem : vel, *diligit veritatem*, quia verax in promissis. *Dabit gratiam*, id est perseverantiam bonorum operum, et *gloriam*, id est immortalitatem carnis. Et vere dabit gratiam et gloriam, quia *non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia*, id est, illos qui vivunt innocenter. Et quandoquidem non sunt privandi bonis qui ambulant in innocentia, *Domine virtutum*, ergo *beatus homo qui sperat in te.*

PSALMUS LXXXIV.

IN FINEM [illegible].

« Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti « captivitatem Jacob. Remisisti iniquitatem plebis « tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Mitigasti « omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis « tuæ. Converte nos, Deus salutaris noster, et averte « iram tuam a nobis. Numquid in æternum irasceris « nobis? aut extendens iram tuam a generatione in « generationem? Deus, tu conversus vivificabis nos, « et plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis, Do- « mine, misericordiam tuam, et salutare tuum da « nobis. Audiam quid loquatur in me Dominus « Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, « et super sanctos suos et in eos qui convertuntur « ad cor. Verumtamen prope timentes eum salutare « ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra. Mise- « ricordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax « osculatæ sunt. Veritas de terra orta est et justitia « de cœlo prospexit: etenim Dominus dabit be- « nignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. « Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via « gressus suos. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo loquitur quidam ex filiis Core aliis filiis Core, prophetando eis adventum Salvatoris nostri Jesu Christi, et exhortatur eos ut non tantum de adventu ejus congratulentur, sed etiam passionem ejus imitentur. Dicit autem sic:

Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob. Quasi præteritum dicit Propheta quod in spiritu prævidet futurum. Quasi dicat: ***Domine, Verbum tuum benedixisti***, id est, benedicens terram tuam: humanam videlicet naturam, personaliter eam tibi uniendo. Nota hanc terram esse benedictam, in omnibus videlicet virtutibus multiplicatam, quia in ea habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter et solide. *Avertisti captivitatem Jacob.* Captivitas ista non est in exteriori, sed in interiori. Non enim nos liberavit a barbaris nationibus, quas nondum incurrimus, sed a mortuis operibus. De hac captivitate dicit Paulus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, et captivum me ducentem in legem peccati et mortis (*Rom.* VII). Quis etiam liberator sit istius captivitatis, ipse Paulus sub hac captivitate clamans ostendit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* [illegible]. Vel sic, [illegible] ***terram tuam***, id est humanam naturam a te creatam, quæ maledicta fuit in primo parente, cui dictum est: *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III). ***Avertisti captivitatem Jacob.*** Et quomodo hoc? Quia *remisisti iniquitatem plebis tuæ*, quæ intensa fuit in primo parente, quia omnes involvit, et nulli remittitur nisi illi qui intensam eam intendit. Confiteris ergo te esse in captivitate, ut dignus sis liberari a captivitate. Nam qui hostem suum non intelligit, quomodo invocat liberatorem? *operuisti omnia peccata eorum*: *operuisti*, dico, ut non videres, id est, illa in plebe tua non vindicares. Et ecce qualiter *operuisti peccata eorum*, quia *mitigasti omnem iram tuam*, tam in originali peccato quam in actuali. Nota iram Domini mitigatam, non penitus ablatam, quia etsi condonata sunt peccata, tamen adhuc in nobis manet peccatorum pœna: etsi cessavit ira quantum ad damnationem, non desiit adhuc ad probationem. *Avertisti ab ira indignationis tuæ.* Quasi dicat: Nunc *mitigasti iram*, et quandoque avertes te *ab ira indignationis tuæ*, eam penitus auferendo et tuos gloria incorruptibilitatis coronando. *Converte nos, **Deus** salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.* Quoniam de futuro ista dicuntur, quamvis verba præterita sonant, sequitur et dicit: *Converte nos, **Deus**,* aversos a te; tu dico, *salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.* Ecce constat nondum factum esse quod dicebat esse factum: quia orat ut fiat. Nam cum prius dixit, *avertisti captivitatem, operuisti peccata* ut de futuro dicere se ostenderet, ad orationem se convertit, sic: *Converte nos, **Deus** salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.* Ex ira Dei mortales sumus: ira Dei in istam terram in egestate et labore vultus nostri manducavimus panem. Hoc enim audivit Adam, quando in illo omnes eramus, quia *in Adam omnes moriuntur* (*I Cor.* XV): quod ille audivit usque ad nos pervenit. Nondum enim nos eramus, sed in Adam eramus, et ideo quidquid in eo divina sententia sancitum est, hoc usque ad nos pervenit, ut moreremur. Ea autem peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes jam natis filiis. Jam enim filii nati ad se pertinent, et parentes ad se. Itaque illi qui nati sunt, si tenuerint vias parentum suorum malas, necesse est ut portent et merita illorum. Si autem mutaverint se, et non fuerint imitati parentes malos, incipiunt habere meritum suum, non meritum parentum. Usque adeo non obest tibi peccatum patris, si te immutaveris: ut nec patri tuo obsit, si se immutaverit. *Numquid in æternum irasceris nobis, aut extendes iram tuam a generatione in generationem?* Quasi dicat: Dico ut convertas *nos* adversos a te, et avertas *iram tuam a nobis*, conformando nos illi *quem missurus es* (*Exod.* IV), quod et tu facies, quoniam non permanebit ira tua in æternum; quod dicit, ***nunquid** in æternum irasceris nobis*; *aut extendes iram tuam a generatione* carnali *in generationem* spiritualem, ut sicut ira tua permansit in veteri populo, sic permaneat in populo gratiæ? Fuit enim prima generatio mortalis de ira tua, erit altera generatio immortalis de misericordia tua. ***Deus**, tu vivificabis nos.* Quoniam promisit iram Domini mitigandam et non in æternum mansuram, ne hoc sibi quisque putaret ex merito fieri, subjungit: ***Deus**,* tu convertis, id est, tu vocas nos ad versionem,

tu vivificabis nos, ut sic intelligamus quod non solum vivificatio nostra ex te sit, sed etiam justificatio ac conversio, ut vivificemur, *et plebs tua*, non amplius sua, *lætabitur in te*, et non in se. Malo enim suo *lætabitur* in se, bono autem suo *lætabitur* in te. Nam, quando voluit habere gaudia de se, invenit luctum in se. Nunc vero, quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult, secure in illo gaudeat qui non potest perire. Omnia enim terrena, in quibus homo gaudium sibi proponit, peritura sunt, et hominem ad perditionem secum trahunt. Gaude ergo in illa luce quam non præcedit hesternus dies, nec sequitur crastinus. Quæ sit illa lux ipsemet ostendit: *Ego sum*, inquit, *lux mundi* (*Joan.* VIII): *Ecce*, dicendo, *ego sum lux mundi*, vocat te ad se: cum vocat te, convertit te; cum convertit te, sanat te, cum sanaverit te, videbis conversorem tuum, cui dicitur: *et plebs tua lætabitur in te.* Et ut lætetur in te; *ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis*, id est, hominem ostende hominibus, et salutare tuum da nobis, Deum videlicet in majestate sua nobis diis factis contemplari. Ecce magna misericordia, quia ut panem angelorum manducaret homo, redemptor angelorum factus est homo. Ecce materna affectio, quia cum indigni eramus in soliditate majestatis suæ comedere, a se ipso nobis lac præbuit et effudit cum nobis invisibilis in humana natura apparuit, et fecit se talem, qualis possit ab hominibus capi. Deum enim Christum nullus hominum capere poterat, sed factus est hominibus homo, servavit se Deum diis, de quibus dictum est: Vos autem, *dii estis et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI. Isti dii videbunt ipsum sicuti est, si permanent in eo qui nunc in Domino Deo credunt: quia qui nunc gaudet in spe, quandoque gaudebit in re, quia videbit eum sicuti est. Hoc enim ipse promisit et *manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV). Quare ergo non videmus adhuc patrem nostrum? *Quia nondum apparuit quid erimus.* Et quid erimus, Joannes in Epitola sua manifestat: *Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Quasi dicat: Oravi Dominum ut ostenderet nobis misericordiam suam: quod revera faciet, quia intus audio *quid loquatur in me Dominus Deus.* Et quid audio? *Quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Unde Apostolus: *Veniens*, inquit, Dominus *evangelizavit pacem* his *qui prope* erant (*Eph.* II), *pacem* de qua dicitur, *In me pacem* habebitis, *in mundo autem pressuram* (*Joan.* XVI): vel illam qua erit *Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV); vel aliter: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, et ut ostendas, ego inquantum possum me idoneum faciam, quia cohibebo me ab omni strepitu mundi, et obturans aurem contra tumultuantem hujus vitæ inquietudinem vertam me ad interius meum, ut *audiam* non aure exteriori, sed aure interiori, aure videlicet audiendi *quid in me loquatur Dominus Deus.* Et merito *audiam, quoniam loquetur pacem in plebem suam* futuram. Pax quidem ubi nullum bellum est, ubi nulla contradictio, ubi nullus resistit, nulla adversitas est: hæc talis pax non est hic quærenda, quia nullus est sanctorum cui non sit conflictus cum diabolo, et qui non luctetur cum vitiis et concupiscentiis, refrenando videlicet illicitos motus. Et quia in hoc mundo non potest esse pax vera, amemus illam quæ futura est, et in illo mundo per spem reficiamus, quia, cum venerit, erit finis totius pugnæ, sine qua modo nec sanctus est Nam nullus justus est alienus a pœnis peccati, fame, siti, lassitudine, contra quæ pugnandum est, quia ab illis impugnamur. Pugnat enim, et quærimus cibo refici: iterum ipsa cibi defectio erit nobis refectio. Si ad superfluitatem cum capimus, fatigamur: sedere quærimus, et iterum deficimus, si in sessione diu perseveramus. Quare, cum non sit refectio vera, contemnamus ea quæ nos impugnant, et amemus ea quæ loquitur Dominus, veniens *in plebem suam.* Et, ne Judaicus populus sibi applaudens diceret: Nos sumus populus ejus, nobis tantum annuntiabitur pax illa, determinat super quos sit ventura pax illa, sic: *Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.* Non tantum sola Judæa erit plebs ejus, sed ex omnibus colligetur plebs sua, quia ex omnibus erunt aliqui sancti et ex omnibus convertentur aliquid *ad cor. Convertentur* autem *ad cor* qui attendunt se ad imaginem Dei esse creatos, et qui resculpunt cor suum ab illicitis et variis cogitationibus terrenorum quibus impediuntur ne cœlestia tantum contemplentur: quibus sæpe dicitur: *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isa.* XLVI). *Verumtamem prope timentes eum salutare ipsius.* Quod dicit: Licet omnibus convertentibus *ad cor* pax illa futura sit, tamen *prope timentes eum* id est, qui ei serviunt ex timore, non ex amore, prope Judæos videlicet, erit salus ipsius, quoniam *salus est ex Judæis* (*Joan.* IV). Et qualiter *salutare* sit *prope eum*, ipse exponit: *ut inhabitet gloria*, id est, *Verbum caro factum* (*Joan.* I), *in terra nostra*, Judæorum videlicet, quoniam ibi corporaliter habitavit, inde prædicare cœpit, inde apostoli et illuc prius missi, ibi templum, ibi sacrificabatur, inde videlicet Virgo Maria quæ Christum peperit, ibi mirabilia fecit, postremo tantum honorem illi genti detulit, ut, cum eum interpellaret quædam mulier Chananæa, salutem quærens filiæ suæ; diceret ei: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Hoc ergo Propheta in spiritu prævidens ait: *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius.* A Judæis enim tantum timebatur, quia ipsi ab eo carnalia petebant: timebatur ab eis ne daret illos in captivitatem, ne terram illis auferret, ne in grandine contunderet vites eorum, ne faceret steriles uxores eorum. Hæc enim carnalia promissa Dei tenebant, et ideo eum timebant. Gentes autem similiter terrena petebant, sed non a Deo, quia ab idolis suis omnia sibi dari crediderunt. *Ut inhabitet gloria in terra nostra*, in qua gloria omnia condonantur delicta. *Misericordia et veritas*, qua implentur promissa, *obviaverunt sibi*, quia hæc duo in Christo conveniun

[illegible] missus fuit, ibi divina eloquia fuerunt. *Misericordia* ubi? in illis qui dimiserant Deum suum et conver- [illegible] Non, quia per misericordiam eos vocavit. Quomodo si diceret, voca, et istos longe fugitivos qui multum a me recesserunt. *Voca, et invenient me quærentem se*, quia ipsi volebant quærere me. Ecce qualiter in Christo *misericordia et veritas obviaverunt sibi*. Sequitur, *Justitia et pax osculatæ sunt*. Hoc ad nos pertinet, quia, veniente Christo, *justitia et pax* per gratiam ejus in hominibus convenerunt. Nota quia si non amaveris pacem, non habebis. Amant enim se duo ista *justitia et pax*, et osculantur se, ut, qui fecerit justitiam, inveniat pacem. Oportet ergo ut præcedat *justitia*, et sequatur *pax*; *justitia* dicit: *Non furtum facies, non adulterabis* (*Exod.* xx); non facias alteri quod pati non vis (*Tob.* iv; *Matth.* xxvii). Hæc forsitan contemnis, et dicit tibi *pax*: Quid me quæris? Amica sum justitiæ, quemcunque invenero inimicum amicæ meæ, ad illum non accedo. Vis ergo venire ad pacem? fac justitiam. Unde alius psalmus dicit: *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* xxxvi). Hoc enim facere est justitiam, et sic *inquire pacem; et sequere eam* et justitiam, et justitia et pax se osculantur sic. Quod autem ut fiat, *Veritas de terra orta est*, id est, Christus qui de semetipso dicit: *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* xiv). De Virgine Maria nascetur, *et sic justitia*, id est fides, justificans, *de cœlo prospexit*, scilicet de homine Dominico nos prospiciet. Et unde hoc? *Etenim Do-* [illegible] tiam, *et* sic *terra nostra*, quæ prius germinavit spinas et tribulos, *dabit fructum suum*, fructum videlicet bonæ operationis: et hoc non ex merito, sed ex gratia Dei, quia *justitia*, Christus videlicet a quo processit omnis justitia, *ante eum ambulavit*: fungitur videlicet vice legati, reconciliationem faciens inter summa et ima, *et ponet gressus suos*, id est, affectiones suas, *in via*, id est, in hominibus jam via sua factis. Possunt superius quædam aliter legi, sic: *Et super sanctos suos*, id est, grana in Judaico populo, *et in eos qui convertuntur ad cor*. Hoc de gentibus dictum est, quæ aversæ erant a corde, quia vim rationis amiserant, Deum ignorabant, idola adorabant, creaturas Creatori præponebant; con- [illegible] -dam, quando se immundos et quasi porcos intellexerunt, peccata attenderunt, medicum sibi necessarium putaverunt. *Verumtamen prope timentes eum*. Quasi dicat: Licet pax Domini, sive pax futura, vita scilicet æterna, sive reconciliatio ipsa, per sapientiam Dei Patris humano generi exhibita, futura sit super *eos qui convertuntur ad cor*, tamen superest ut qui stat, videat ne, cadat (*I Cor.* xii), ut illi, videlicet qui conversi sunt ad cor suum, timeant ne iterum per prævaricationem suam a corde recedant, quia prope taliter *timentes est salutare ipsius*, ad hoc videlicet *ut inhabitet gloria*, Christus [illegible] *terra nostra*, id est, in corpore nostro sibi conformato. Unde Paulus: *Ut sciat unusquisque possidere vas suum in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum* (*I Thess.* iv). Vel sic, *ut inhabitet gloria* immortalitatis, relinquitur ut per inobedientiam quam servamus homini Dominico, revertatur gloria incorruptibilitatis ad terram nostram. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*. Quasi dicat: Sic *loquetur Dominus pacem super sanctos suos et in eos qui convertuntur ad cor*, quia *misericordia et veritas* convenient in ipso, *justitia et pax osculatæ sunt in nobis*, quia, justificati per ipsum, pacem cum Deo habebimus per ipsum (*Rom.* v). Et quomodo hoc? Quia *veritas de terra orta est*, id est, vera confessio orietur ex hominibus, quia nihil verius quam ut homo confiteatur se esse peccatorem. Quod attendens publicanus percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* xviii.) Ecce *veritas de terra orta est*, quia confessio peccatorum ab homine facta est. Sed quid sequitur? *Amen dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo* (*ibid.*). Ut autem cognoscamus quia *veritas* confessionem significat, audiamus Joannem dicentem: *Si dixerimus* quia *peccatum non habemus*, nosipsos *seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* i). Quoniam autem facta confessione, fides justificans de cœlo, id est, de divinitate nos prospiciat, ille idem Joannes subjungit, dicens: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus ut remittat nobis peccata, et* purget *nos ab omni iniquitate* (*ibid.*); tanquam si diceret divina scientia: Parcamus huic homini, quia ipse non parcit sibi: ignoscamus, quia ipse se agnoscit. Conversus est ad se puniendum, convertar ego ad eum liberandum. Ecce qualiter *justitia de cœlo prospexit*, hoc autem non ex merito, sed ex gratia. Etenim *Dominus dabit benignitatem*, id est, gratiam abundantem ut incipiat delectare justitia, quem primo delectabat iniquitas; et qui primo gaudebas ebrietate, gaudeas nunc sobrietate; quem primum delectabat aliena rapere, delectet nunc propria largiri: *et* sic *terra nostra dabit fructum suum*, et hoc ideo, quia justitia, id est confessio nostra quæ est hominem justificans. Unde illud: *Corde creditur ad justitiam* (*Rom.* x). *Ante eum ambulabit*, id est, Domino beneplacita erit, quia sic *ponet gressus suos in via*, id est, affectiones suas in hominibus.

PSALMUS LXXXV.

ORATIO DAVID.

« Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me,
« quoniam inops et pauper sum ego. Custodi ani-
« mam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac ser-
« vum tuum, Deus meus, sperantem in te. Miserere
« mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die:
« lætifica animam meam servi tui, quoniam ad te,
« Domine, animam meam levavi. Quoniam tu, Do-
« mine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omni-
« bus invocantibus te. Auribus percipe, Domine, ora-

« tionem meam, et intende voci deprecationis meæ, « In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exau- « disti me. Non est similis tui in diis, Domine, et non « est secundum opera tua. Omnes gentes, quascunque « fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine « et glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es « tu et faciens mirabilia, tu es Deus solus. Deduc me, « Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : « lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Confi- « tebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, « et glorificabo nomen tuum in æternum. Quia mi- « sericordia tua magna est super me, et eruisti ani- « mam meam ex inferno inferiori. Deus, iniqui in- « surrexerunt super me, et synagoga potentium quæ- « sierunt animam meam, et non proposuerunt te in « conspectu suo. Et tu, Domine Deus, miserator et « misericors, patiens et multæ misericordiæ, et ve- « rax. Respice in me et miserere mei : da imperium « tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ. « Fac mecum signum in bonum, ut videant qui ode- « runt me, et confundantur, quoniam tu, Domine, « adjuvisti me, et consolatus es me. »

ENARRATIO.

Nullum majus donum præstare posset hominibus Deus Pater quam quod Verbum suum, per quod omnia condidit, illis caput faceret, et ipsos homines tanquam membra ei coaptaret, et cum Patre Deus esset et cum hominibus homo : qui et orat pro nobis, et orat in nobis, et adoratur a nobis. Orat pro nobis, quia sacerdos et victima est, quotidie apud Deum Patrem interpellans pro nobis. Orat in nobis, quia caput nostrum est. Nec hoc mirum, si sunt in una voce Christus et Ecclesia sua, quia sunt in uno corpore. Oratur a nobis, ut Deus noster: oratur in forma Dei, orat in forma servi : hic Creator, ibi creatura : ejus oratione titulatur psalmus iste. Ipse enim orat in hoc psalmo, non ex necessitate, sed ut nos doceat orare, et formam orandi nobis instituat. Dicit autem sic:

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me. Caput nostrum ex forma servi sic dicit : *Domine*, Verbum, *inclina aurem tuam et exaudi me :* tu serve, in forma Domini tui, sic. *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me.* Ipse vere inclinat aurem, sed tu non erigis cervicem : humiliato enim appropinquat, et ab elato se elongat. Nota quia humano modo loquitur, cum dicit : *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me.* Quia solent homines, cum rogantur ab amicis, quamdam affectionem præmonstare, et sic amicos exaudire : quod dicit, *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me.* Quasi dicat : Æger sum, et non possum me erigere ad te, quia non est hominis dirigere viam suam (*Jer.* x), tu autem, more fidelis medici, *inclina ad me aurem tuam, et exaudi me.* Et debes me exaudire, *quoniam inops*, id est sine ope, nullum adjutiorum habens nisi in te, *et pauper sum ego*, id est in omnibus insufficiens. Nota quia inops et pauper, id est, humilis et confitens, tantum exaudiuntur, non enim ad saturatum et ad jactantem se quasi nihil sibi desit inclinatur auris Dei. Dives enim Pharisæus jactabat multa, inops publicanus confitebatur : hic exauditus est, ille damnatus (*Luc.* XVIII). Nec tamen dicendum quod nullo modo Deus exaudiat divites, quia si divites nati sunt, in amplo videlicet patrimonio et in magna familia, vel ad eum locum humanarum rerum ascenderunt ubi ditati sunt, possunt exaudiri, tantummodo de divitiis non præsumant sed abjiciant a se omnia quæ circumfluunt ad præsumptionem, attendentes Paulum dicentem: *Præcipe divitibus hujus sæculi, non* superbe *sapere*, nec *sperare in incerto divitiarum* (*I Tim.* VI). Hoc attendit Abraham, quem Scriptura plurimum auri et argenti habere, et divitem in terra esse annuntiat. Ipse enim intantum pro nihilo habebat divitias ut jussus a Domino, immolare filium non dubitaret (*Gen.* XXII) cui divitias servabat; hoc etiam attendit Job, qui in magnis divitiis innocenter vixit, et, amissis omnibus, Deo benedixit (*Job.* I) Imitentur ergo divites sæculi hos duos patres, et inclinabit eis Dominus aures velut inopibus et pauperibus : quia novi contribulatum cor eorum, et non oberunt eis divitiæ, nisi peccent in præsumptione ; sicut ad salutem non prodest paupertas, si desit humilitas ; quia Lazarus pauper et ulcerosus merito inopiæ suæ non est ab angelis susceptus, neque dives peccato divitiarum suarum ad tormenta missus (*Luc.* XVI), sed in paupere humilitas est glorificata, et in divite superbia damnata. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Fuerunt quidam qui dixerunt, Verbum Patris sumpsisse carnem et non animam : quorum errorem ut non imitemur, audiamus ipsum Deum orantem et dicentem : *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Hanc causam nullus potest prætendere ut exaudiatur, nisi ille qui sine peccato erat in hoc mundo, peccatorum non commissorum, sed omnium dimissorum. Ipse enim est sanctus, non ab aliis sanctificatus, sed omnes alios sanctificatos sanctificans, et ideo secure dicat : *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Si autem in voce membrorum dixerimus, dicemus : *Custodi animam meam*, id est meorum, *quoniam sanctus sum*, id est, sancti sunt mei, scilicet per gratiam sanctificati. Unde Paulus : *Et hoc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis* (*I Cor.* VI). Et hoc modo potest accipi *quoniam sanctus sum*, ut sit confessio non ingrati, nec superbia elati : quia si dixeris te sanctum esse ex te, mendax es et superbus. Hanc superbiam redarguit Apostolus : *Quid enim habes quod non accepisti?* (*I Cor.* IV). Rursus fidelis in Christo membrum Christi, si dixeris te non esse sanctum, ingratus es. Dicat ergo quisque non de se præsumat : *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te*, non præsumentem de se. Ecce hic apparet quia sanctus ille non est superbus quia in Domino se sperare dicit. *Miserere mei Domine, quoniam ad te* clamabo *tota die*, Clamabat corpus Christi *tota die*, id est omni tempore, quia usque in finem sæculi durabunt pressuræ, pro quibus clamandum est et gemendum unicuique in suis dic-

bus, ut nunc videlicet clamet, qui nunc vivit: quo A mortuo, succedit hæreditas: et clamet sic ut clamor sit *tota die*, id est, usque in finem sæculi extendatur; vel, *clamavi tota die*, id est, tota mentis claritate, abjiciendo omnes cogitationes tenebrarum: *lætifica animam servi tui*, qui contristasti animam servi tui vel potius liberti tui, Adam videlicet, qui ab egregia et gloriosa servitute tua descendit ad infimam et turpissimam libertatem suam quod dicit, *lætifica animam servi tui*. Et debes facere, quia *ad te, Domine, animam meam levavi*. Nota quia ut animam tuam leves ad Dominum, non indiges funibus vel machinis aliis, quibus leves animam tuam ad Dominum, sed affectiones bonæ sunt tibi gradus ad Dominum, iter tuum voluntas tua est: amando ascendis, negligendo descendis; stans in terra in B cœlo es si diligis Deum. Non enim sic levatur cor quomodo corpus: quia corpus ut levetur, locum mutat: cor autem ut levetur voluntatem mutat. *Quoniam ad te, Domine, animam meam levavi*, et merito ad te, quoniam in mundo nihil habet anima mea nisi pressuram et amaritudinem: et unde dulcescat non habet, nisi se ad te levet. *Quoniam tu, Domine*, es *suavis*, id est dulcis, *et mitis*, patienter tolerando nos donec perficias. Quomodo autem Deus nos patienter tolerat, leve est unicuique inspicere, si ad se ipsum velit descendere: quia vix est aliquis, qui beatissimam illam orationem, in qua Deo familiariter et attente loqui deberet, sic finire possit, ut phantasmata et illusiones vanæ non incurrant. Unde alibi: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*. Sed in his omnibus patitur nos Deus donec perficiat, et C donec cor nostrum inveniamus: ut digne eum oremus. Unde David: Inveni, Domine Deus, cor meum ut orarem ad te (*II Reg.* VII). Tolerat in nobis hoc Deus, quod nemo judicum vel amicorum pati vellet: quia non est amicus qui non indigne ferret, si collocutorem suum ad alium se vertere videret et velle confabulari alii, postquam secum loqui disposuit. Nullus est etiam judicum qui non indignaretur, si alicui locum secum loquendi constituit, et ille se subito ad alium verteret, et cum eo loqui inciperet. *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ*: quoniam gratis vocas, et vocatos gratis justificas; vel *multæ misericordiæ* quia in nobis tua dona remuneras, qui das bona velle, et pro bona voluntate bene operari: vel contra multas D iniquitates es tu multum misericors *omnibus invocantibus te*, id est, qui te vocant in se. Non repugnat illud Scripturæ alibi dicenti: *Invocabunt, et non exaudiam eos* (*Prov.* I); quia non exaudiuntur nisi Deum in se vocant, sed pecuniam et cætera quæ amant in se vocant. Illi autem qui Deum in se vocant, semper exaudiuntur. Unde in Evangelio: *Petite, et accipietis* (*Matth.* VII). Et illud: *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI). Pete ergo quid petendum est et accipies: ne petas mortem inimici tui, quia in hac petitione non es dignus ut exaudiaris, sed dices: Non petam mortem inimici, sed vitam filii. Quid ergo mali petam? Nihil mali petabas, sicut tu sentiebas. Nam quid ille raptus est, ne malitia mutaret intellectum? sed peccator iniquus erat, et ideo volebam eum vivere, ut corrigeretur: tu volebas eum vivere ut melior esset. Quid si Deus noverat pejorem futurum si viveret? Unde ergo nosti quod illi prodesset mori an vivere? Si ergo non nosti, redi ad cor tuum; dimitte Deo consilium tuum; invoca ergo Deum tanquam Deum; ama eum tanquam Deum; illo nihil melius est; in illo tantum gaudium et securitas, quia homini nullum est gaudium certum nec in seipso, nec in alio: quia omnes aut mali sunt, et necesse est eos pati; aut boni, sed timendum est ne mutentur in malitiam. Sic ergo nihil est ex quo sit certum gaudium nisi Deus. Ipse est enim perfecte bonus, et in bonitate permansurus semper, quod dicit: *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te*. Et quia tu es, Deus, *suavis et mitis*, et ideo, *Domine, auribus percipe*, id est, pia exauditione percipe *orationem meam*, id est, meorum factam, pro incremento virtutum, *et intende voci deprecationis meæ*, id est, intensum te fac meis deprecantibus pro dilecto suo Et ecce quare tu exaudire debes: qui *in die tribulationis meæ*, id est, in tempore peregrinationis meæ, in hac vita videlicet; quia quisque a Deo peregrinatur et affligitur, *clamavi ad te*, subaudis promerendum, quod effectus indicat, *quia tu exaudisti me*: quia non potest non exaudiri, qui ad te revera clamaverit. Et merito ad te clamatur, quia *non est similis tui in diis*. Fingant sibi deos quos volunt pagani, et conducant fabros argentarios, aurifices, expositores, sculptores, ut faciant sibi deos: in his omnibus non est similis tui, *Domine*, quia ipsi sunt oculos habentes, et non videntes, etc. Nota quia dixit, *Non est similis tui*: hoc quidem dici potest sed in quanto sit Deus similis, dici non potest, qui quod non sit Deus, intelligi potest, quia non angelus, vel creatura aliqua: quid autem sit Deus, explicari non potest: quia *non vidit oculus, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Ipse enim est ineffabilis et incircumscriptum lumen; quod dicit: *Non est similis tui in diis, Domine*, id est, in diis quos colunt pagani: vel *in diis*, id est, in illis qui non ex natura tua, sed ex gratia tua dii facti sunt: quia licet multi in humano genere admirandi sint, ut Abraham, Isaac et Jacob et cæteri patriarchæ et prophetæ, apostoli, sancti martyres plurimi et excellentissimi, tamen *non est similis tui in diis, Domine: et* hoc ideo, quia *non est* aliquis agens *secundum opera tua*, et ecce quæ opera, *quia omnes gentes quascunque fecisti*, id est, ex omnibus gentibus a te factis, *venient* aliqui *et adorabunt coram te, Domine*, id est, in interiori suo ubi tu vides, non tantum in templo Hierosolymitano: *et glorificabunt nomen tuum*, non amplius suum. Vel sic: *Non est similis tui, Domine, in diis* gentium: et hoc probat a majori, quia *non est* agens *secundum opera tua* tibi similis, *et* ideo *omnes gentes quascunque fecisti*,

venient et adorabunt coram te, Domine. Attendendum est quod dicit, *Domine* ; quia in eadem persona servus et Dominus : Dominus, in eo quod Verbum ; servus, in eo quod homo. Christus ergo ad se ipsum loquitur : quia homo ad Verbum sibi personaliter unitum. Et glorificabitur nomen tuum in æternum: et merito, quia *magnus es tu*, ita ut nullus magnus in humano genere tibi possit comparari, juxta illud: *Propheta magnus surr*[illegible] *faciens mirabilia* etsi alii facere videantur, et *tu es Deus solus* : et i[illegible] positum, et fac me perseverare in præceptis tuis : quia *non* veni *ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris* (*Joan.* VI) : *et ingrediar*, id est ingrediantur mei, id est vivant *in veritate tua*, id est, in præceptis tuis ; et *lætetur cor meum*, id est cor meorum, ita *ut* timeant etiam *nomen tuum:* quia qui stat, cavendum est ei ne cadat (I *Cor.* x). Vel sic *: Deduc me Domine, in via tua*, id est, meos jam positos in via tua, imitando Christum videlicet, qui sum *via tua, deduc me*, id est, perseverare fac me in mandato tuo: et sic ingrediantur *in veritate tua*, appetendo quod appetendum præcipis, non illud quod contradicis : vel ut Adam, quem posuisti *in via*, id est in mandato tuo : cui dixisti : *De ligno* illo non *comedas* (*Gen.* II) ; sed non deduxisti, quia in obedientia non perstitit : lætetur cor meum ut *timeat* nomen tuum. Quod revera fiet, quia futurum est quod *confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo*, id est, mei confitebuntur tibi laudantes te ex omni corde : *et glorificabo nomen tuum* cuncto [illegible] : et hoc ju[illegible] *cordia tua magna est super me*, id est super meos : et ecce quomodo, quia *eruisti animam meam*, id est, animam meorum *ex inferno inferiori*. Nota quia est infernus superior et inferior. Vita enim ista quantum ad dignitatem illam in qua sunt angeli, infernus dici potest ; sed infernus inferior, pœna quæ consequitur post hanc vitam, a qua eruuntur animæ sanctorum : quod hic dicit, *eruisti animam meam ex inferno inferiori* id est, ex pœna infernali, licet non eruisset animas eorum ex hac vita, in qua passi sunt multas tribulationes et miserias : vel *eruisti animam meam ex inferno inferiori*, id est, ex peccato criminali, licet non ex peccato veniali. Vel ad litteram dicamus : *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, id est a loco tormentorum, licet non a loco tenebrarum. Legitur enim quod omnes sancti ante resurrectionem Domini mortui, descenderunt ad inferos : ubi erant in tenebris, sed non in pœnis, non in illo loco unde dives respexit Lazarum in sinu Abrahæ repositum : quod dicit, *eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Et opus fuit ereptione, quia *iniqui, o Deus, insurrexerunt super me*, id est meos : *et synagoga*, id est, congregatio, *potentium quæsierunt animam meam* ad deprimendam : non ad imitandam. *et non proposuerunt Deum in conspectu suo.* Deum non proponit in conspectu suo, qui non cogitat, servum Dei quam iniquum sit ab obedientia revocare. Potest legi persona capitis quod dicit *eruisti animam meam ex inferno inferiori*, ex peccato videlicet, etsi non ex pœnis peccati : vel *eruisti animam meam ex inferno inferiori*, id est, ex corruptione, carnis in sepulcro. Unde alibi : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV). Ipse enim sicut nascendo venit in mundum, ita moriendo descendit in infernum ; sed non ibi remansit, quia, suis inde liberatis, cum potestate rediit. *Deus, iniqui insurrexerunt in me.* Istud continuatur ad superius, quasi dicat : *Deduc me, Domine, in via tua:* et opus est, quia iniqui insurrexerunt super me : vel, secundum aliam translationem, prætereuntes iniqui insurrexerunt super me. Si de capite hoc legimus, Judæos prætereuntes legem accipiemus : quia ipsi legem acceperunt, et prætereundo prævaricati sunt : pagani autem, qui legem non acceperunt, prætereuntes legem non sunt : nemo enim præterit quod non accipit. Si autem de corpore Christi versus legitur, accipiemus legem prætereuntes, malos Christianos, qui quotidie insurgunt in corpus Christi, de quibus quotidie tribulationem patitur. *Et synagoga potentium quæsierunt animam meam*, id est; congregatio principum, clamantium et dicentium : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX). *Quæsierunt animam meam.* De quibus alibi : *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LXV). Non percusserunt, sed clamaverunt, clamando crucifixerunt. Et non proposuerunt Deum in conspectu suo, quia non intellexerunt super egenum et pauperem: *et* ideo *tu, Domine Deus, miserator* in exhibitione, *et misericors in* [illegible], *patiens* quia portas donec superficias : *et multæ misericordiæ* prædestinando, *et verax* in actum ducendo : *respice in me et miserere mei*, dando *imperium tuum* mibi *puero tuo* : transeat videlicet patiendi tempus, et veniat tempus judicandi. *Pater enim* non *judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Ipse enim videbitur terribilis qui visus est contemptibilis : demonstrabit in judicio potentiam, qui ostendit in cruce patientiam: apparebit in judicio homo, sed in claritate : quia sicut vidistis eum ire, dixerunt angeli : *Sic veniet* (*Act.* I). Forma hominis veniet ad judicium, ideo videbunt illum et impii : sed non in forma Dei videbunt quem soli mundo corde videbunt. Apparens ergo in hominis forma, dicet. *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV), ut impleatur quod dixit Isaias : Tollatur impius ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI) : quia in forma qua æqualis est Patri, cum videbunt. Da imperium tuum puero, tuo, *et salvum fac filium ancillæ tuæ?* Virginis videlicet Mariæ, quæ se ancillam nominare non erubuit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I) ; vel sic : *Da imperium tuum puero tuo* id est pueris tuis, apostolis videlicet, quibus dictum [illegible] *sedebit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX); et *salvum fac filium ancillæ tuæ*, id est, Ecclesiæ

tuæ, quia licet ex paganis matribus nati sunt tamen inquantum regenerati sunt, sunt filii Ecclesiæ,quæ est ancilla Domini. *Fac mecum signum in bonum.* Quasi dicat : *Ut des imperium puero tuo, fac mecum signum in bonum* futurum, signum videlicet resurrectionis,quod ideo *in bonum* futurum est,quia multis erit ad salutem : quia *spe* jam *salvi facti sumus* (*Rom.* VIII), ut quandoque exterius resurgamus.Hoc signum promisit Dominus Judæis signum quærentibus, dicens :*Generatio prava et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonæ prophetæ* (*Matth.* XII) : hoc jam in capite factum est. Dicat enim unusquisque,*fac mecum, Domine, signum in bonum :* quod fiet in adventu Domini, quia tunc *canet tuba, et mortui resurgent incorrupti* (I *Cor.* XV). *Fac mecum, Domine, signum in bonum, ut videant qui me oderunt, quoniam tu, Domine, adjuvisti me* in certamine, *et consolatus es me* in tribulatione : vel, *adjuvisti me*, reducendo animam meam de inferno: *et consolatus es me*, corpus meum resuscitando de sepulcro : et ideo confundentur qui me oderunt,vel nunc salubriter, vel quandoque inutiliter. Salubris confusio est verecundiam habere de præteritis peccatis : et per pecuniam corrigere,quod fuit commissum per negligentiam. Præbet modo nobis Deus aditum salubris confusionis,si non contemnamus medicinam confusionis. Qui autem salubriter nolunt confundi,confundentur quandoque inutiliter,quandoque deducent eos ex transverso iniquitates eorum, et dicturi sunt :*Quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii, nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam,* etc. (*Sap.* v).

PSALMUS LXXXVI.

FILIIS CORE PSALMUS CANTICI.

« Fundamenta ejus in montibus sanctis diligit « Dominus portas Sion super omnia tabernacula Ja- « cob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.Memor « ero Rahab et Babylonis, scientium me. Ecce alie- « nigenæ et Tyrus et populus Æthyopum,hi fuerunt « illic. Nunquid Sion dicet : Homo, et homo natus « est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? Domi- « nus narrabit in scripturis populorum et princi- « pum, horum qui fuerunt in ea. Sicut lætantium « omnium habitatio est in te. »

ENARRATIO.

Quoniam qui sint filii *Core* et quid *psalmus cantici* satis audivimus et notavimus, ea quasi nota prætereamus, et quid intendat psalmus explicemus. Civitas quædam in hoc psalmo præponitur et commendatur, cujus cives sumus,et unde peregrinamur quandiu mortales sumus, ad quam tandem perveniemus, si viam ejus insistimus,quæ omnino quasi dumetis et sentibus interclusa non inveniebatur.Rex ipsius civitatis se viam fecit ut ad eam perveniremus : ambulantes ergo in Christo ; et adhuc peregrinantes donec perveniamus,toto desiderio suspiremus, eam amemus, optemus, nunquam lingua mentis de ejus amore taceamus : et quid de ea qui- A dam ejus civis plenus Spiritu sancto dicat audiamus cujus vox talis est :

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Nota quia nihil præmissum est in littera,ad quod possit referri id quod dicitur in principio psalmi,*fundamenta ejus in montibus sanctis :* sed quoniam fundamenta alicujus civitatis solent construi in montibus,non dubium est quin hic velit intelligi civitatem quamdam qui hic loquitur, cujus amore repletus Spiritu sancto captus, et multa de ejus pace, communione, de æterna quiete, indefectibili laude secum in mente volvens erumpit in hoc : *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, quasi jam de ipsa civitate aliquid dixisset, ut sic continuaretur verbis prolatis quæ interius acceperat : et quasi dicerent aliqui et quæ- B rerent, cujus civitatis fundamenta dixisset in montibus posita, subjungit : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Quasi dicat : Civitas ista cujus civitatis fundamenta in montibus sita prænotavi, est Sion, cujus portas diligit Dominus super omnia tabernacula Jacob. Quæ sint istius civitatis fundamenta, ostendit sic Paulus (*Ephes.* II): *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum*, et ne quis ipsos apostolos et prophetas, in quibus est fundamentum civitatis, putaret per se posse stare, ideo subsecutus ait : *Ipse summo existente lapide angulari Christo Jesu* ; quia in eo connectuntur duo populi, populus videlicet ex circumcisione et præputio, velut duo parietes ex diverso venientes, angulari lapide conjuncti, in C unam constructionem domus convenirent. In hujus civitatis constructione non est quærendum,quod in ædificiis nostris invenitur :quia ibi aliud est fundamentum quam porta : ibi quod est in imo non erit in summo ; quia corpora ex quibus construuntur ædificia nostra, non ubique esse possunt, nec semper. In hac autem civitate quam commendat nobis psalmus iste, angularis qui est in fundo, et in summo : quia divinitas nullas patiens angustias corporis ubique præsto est, et ideo ad eam undique similitudo duci potest : et totum potest esse similitudinibus, quia nihil horum est in proprietatibus. Ipsa enim divinitas est mons montium,fundamentum fundamentorum, porta portarum. Sunt etiam fundamenta apostoli et prophetæ hujus civitatis, D quia eorum auctoritas infirmitatem nostram sustentat; ipsi etiam sunt portæ,quia per ipsos intramus in regnum Dei : ipsi enim prædicant in nobis, ut viam nobis aperiant. Unde illud : Linguæ eorum claves cœli factæ sunt : ipsi etiam ex quibus ædificatur civitas, sunt lapides vivi, quadrati artificiosa manu Domini. Non enim frustra ex quadratis lignis ædificata est arca Noe, quia ipsa gessit figuram Ecclesiæ,cujus parietes debent esse quadrati homines. Quare quadrati ? Ut in omni tentatione sint stabiles et firmi : et si impellantur et quasi vertantur, non cadant. Quadratus enim lapis in quacunque parte vertitur. stat firmiter. *Diligit Dominus,*

portas Sion super omnia tabernacula Jacob, id est super omnia legalia instituta, quia alibi dicitur : *Et placebit Deo super vitulum novellum* (*Psal.* LXVIII). Notandum est tamen, quod iidem qui sunt in tabernaculis Jacob, erunt in Sion. Sed quia tabernacula figuram gerebant illius futuræ civitatis, præcessit enim civitas carnalis, ut sequeretur spiritualis, ideo dixit : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Prosequitur commendare civitatem istam, quasi dicat : O *civitas Dei*, quam *gloriosa*, id est, quam digna admiratione *sunt dicta de te* ab ipso conditore tuo, quia dixit : *Memor ero Rahab et Babylonis, scientium me*, id est, memores faciam scientes et intelligentes me Rahab, populi videlicet cum diabolo fornicantis, et Babylonis, id est confusi. Audiamus quomodo sit memoria Rahab et Babylonis. Dixit enim : Mando nubibus meis, ut pulant super meretricem istam (*Isa.* V) super Ecclesiam videlicet ex gentibus. Vel sic : *Memor ero Rahab et Babylonis* scientium me id est apud scientes me ; ducam in memoriam Rahab et Babyloniam, ut ipsi in ædificium hujus civitatis assumantur. Unde Paulus : Nobis, inquit, revelavit Deus per Spiritum sanctum, *ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (*I Cor.* II). Rahab fuit meretrix in Jericho, quæ suscepit exploratores filiorum Israel, et per fenestram submisit quando quærebantur ab inimicis suis : cui præceperunt, ut ingruente persecutione civitatis, suspenderet funem coccineum, ut hoc signo salvaretur et familia sua, quod factum est (*Jos.* II) : et in figura mysterii, qui vult sanari ab hostili persecutione, necesse est ut in fenestra, id est in fronte sua, funem coccineum suspendat, id est signum sanguinis Christi habeat, quo ipse quasi fune trahitur, et in charitate Domini ligatur. *Ecce alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Ostendit quæ gloriosa dicta sunt de civitate Dei : quia qui in Babylone fuerunt peregrini despectissimi, venientes intra ædificium hujus civitatis, facti sunt pulcherrimi et splendidissimi. *Ecce alienigenæ*, Philisthæi videlicet potione cadentes, *et Tyrus*, id est angustiati in terrenis : *et populus Æthiopum*, id est nigerrimi moribus *hi fuerunt illic*, id est in ædificio hujus civitatis. Et hoc quomodo ? Quia ut ipsi in hac civitate comprehendantur, *homo natus est in ea*, id est Christus nascetur homo factus : *et ipse* qui natus est in ea, *fundavit eam* ens *altissimus*. Nota quia idem qui nascitur in civitate, erit fundator civitatis : quia nascetur in ea secundum hominem fundavit eam secundum divinitatem. Et *nunquid, o Sion, dicet* hoc *homo*, id est nunquid humanus intellectus ea expediet ? non quia *quod stultum est Dei sapientius est hominibus* (*I Cor.* II). Qui ergo tunc dicet ? *Dominus narrabit in scripturis populorum*, id est in scripturis factis ad instruendos populos : et in scripturis *principum horum qui fuerunt in ea*, id est in scripturis quæ ab ipsis principibus nuntiandæ sunt aliis. Nota ænigma insolubile, si non eluxisset in tenebris lumen cordis : quia dixit, *nunquid Sion dicet homo ?* et tamen dicit. Dominus narrabit in scripturis populorum, non quas scripserunt populi, sed quæ populis succedentibus et discendentibus passim innatuerunt. Vel sic : *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* : et hoc, o *Sion, numquid dicet homo* ? id est audet homo hoc dicere ? Audet utique, quia Dominus narrabit et innotuit hoc *in scripturis populorum*, id est in scripturis quas scripserunt illi, qui potiores erant in significante *Sion*, id est, in temporali, in qua natus est Deus, in eo quod dicit, *homo. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quasi dicat : Merito *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, quia *habitatio* omnium habitantium *in te*, erit habitatio *sicut lætantium*, id est, vere lætantium. *Sed lætantium* dicit, ne se simpliciter diceretur, lætantium, occurreret talis jucunditas, qualem habere solent homines in poculis, in prandiis, in honoribus sæculi. Extolluntur enim homines et lætitia quadam insaniunt : in illa autem habitatione est quædam jucunditas quam nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II).

PSALMUS LXXXVII.

CANTICUM PSALMI FILIIS CORE IN FINEM PRO MAELETH AD RESPONDENDUM, INTELLECTUS HEMAN EZRAHITÆ.

« Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et « nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio « mea, inclina aurem tuam ad precem meam. Quia « repleta est malis anima mea, et vita mea inferno « appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adju« torio, inter mortuos liber. Sicut vulnerati dor« mientes in sepulcris, quorum non es memor am« plius, et ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt « me in lacu inferiori, in tenebrosis et in umbra « mortis. Super me confirmatus est furor tuus, et « omnes fluctus tuos induxisti super me. Longe fe« cisti notos meos a me : posuerunt me abomina« tionem sibi, Traditus sum, et non egrediebar : « oculi mei languerunt præ inopia. Clamavi ad te, « Domine, tota die expandi ad te manus meas. « Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici « suscitabunt et confitebuntur tibi ? Nunquid nar« rabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et « veritatem tuam in perditione ? Nunquid cognoscen« tur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in « terra oblivionis ? Et ego ad te, Domine, clamavi « et mane oratio mea præveniet te. Utquid, Domi« ne, repellis orationem meam, avertis faciem tuam « a me ? Pauper sum ego et in laboribus a juventute « mea : exaltatus autem, humiliatus sum et contur« batus. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui « conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut « aqua tota die : circumdederunt me simul. Elon« gasti a me amicum et proximum, et notos meos « a miseria. »

ENARRATIO.

Quoniam quid sit *canticum psalmi*, qui sint filii

Core, ex superioribus psalmis satis audivimus et scimus, in cæteris exponendis moremur: *pro Maeleth ad respondendum* Jezrahelitæ. Maeleth verbo Hebræo *chorus* significatur. Quid autem in choro fiat, attendendum est. Ibi enim maxime cavendum est, ut præcentori in choro canenti, succentores concorditer in choro respondeant. Chorus autem qui hic notatur Ecclesia est, in qua Christus præcentor est, et chorus martyrum succentores et respondentes concorditer præcentori. Quod ipse autem præcinit, Petrus ostendit, dicens: *Christus pro nobis passus est* (*I Petr.* II). Ecce præcentorem habemus. Notat etiam succentores: *Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*ibid*). Nam in hoc sibi respondetur. Unde Joannes: Sicut Christum *pro nobis animam suam posuit*, ita *et nos debemus animas pro fratribus ponere* (*I Joan.* III): hoc enim est sibi respondere. Cavendum etiam unicuique, ut si velit esse æmulator Dominicæ passionis, charitatem habeat: quia sine charitate non concorditer ei respondet. Unde Paulus: *Et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil prodest* (*I Cor.* XIII). *Intellectus Heman.* Heman interpretatur *frater ejus.* Eos enim fratres suos Christus facere dignatus est, qui sacramentum crucis intelligunt; et non solum de illa non erubescunt, verum etiam in illa fideliter gloriantur, ut unicuique dicatur: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I). Vel *intellectus* Iezraelitæ. Iezraelita interpretatur *orientalis advena.* Hæc enim quisque Heman debet attendere, quod ab Oriente splendidissima videlicet regione, per primum parentem depulsus sit, et in Occidentem missus, ubi sunt caduca et transitoria: et ideo studeat unusquisque concorditer respondere, ut illuc redeat per concordiam, unde decidit per inobedientiam. Constructio tituli, talis est: *Canticum psalmi* propositum *filiis Core* in finem perseverantibus *ad respondendum pro Maeleth*, id est pro choro: quia hoc cavendum est cuique respondenti, ut concordiam et charitatem respondeant: ut qui diligit Deum, diligat et proximum; ut sic exigant qui respondeant bonis eorum, juxta illud: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV, XI): et iste est *intellectus Heman*, id est, fratris: et Israelitæ, id est, vere videntis Deum: vel *Heman* Iezraelitæ, id est attendentis se esse orientalem advenam. Vox est in hoc psalmo Dominici hominis, commendantis nobis passionem suam et exhortantis fratres suos non sperare nisi in Deo, in quo solo est salus, ad quem solum clamandum est sine intermissione; et quæritur, cum psalmus iste idem habet negotium cum superioribus, quare sic sit intitulatus, *pro Maeleth ad respondendum*, cum ipse solus non hortatur concorditer respondere, quia plures alii de passione Domini tractant et forsitan huic psalmo diversus titulus appositus est, ne si omnes psalmi qui idem habent negotium, eisdem titulis intitularentur, fastidio caperetur lector. Dicit autem sic Christus:

A *Domine Deus* auctor *salutis meæ, clamavi* ad te *in die*, id est, in tempore prosperitatis: *et nocte*, id est, in ipso tempore passionis: et hoc *coram te*, id est, in beneplacito tuo et non in favorem hominum: et ideo *intret*, id est, non repellatur, *oratio mea* confusa *in conspectu tuo.* Sed introitus orationis est acceptio orationis: et est dictum ad similitudidem quia solent potentes legatos amicorum quos amant intromittere in conspectu suo: *inclina aurem tuam ad precem meam*, id est, meorum: et opus est ut intret oratio mea in conspectu tuo, *quia repleta est malis anima mea.* Animam Christi repletam vitiis non tantum dicere, sed etiam nefas est cogitare. Quibus ergo malis est repleta? Nisi malum forte accipiamus dolores carnis, B in quibus conpatiebatur anima corpori sibi juncto. Unde illud: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth*, XXVI). Hos autem humanæ infirmitatis affectus non suscepit Dominus ex conditione necessitatis, sed ex voluntate miserationis, ut transfiguraret se in corpus suum, quod est Ecclesia: cui caput esse dignatus est, id est, membra sua in sanctis et fidelibus suis, ut si alicui eorum inter humanas tentationes contristari et dolere contingeret, non ideo ab ejus gratia se putaret alienum: et non esse ista peccata, sed humanæ infirmitatis indicia. Vel aliter. *Repleta est malis anima mea*, malis videlicet Judæorum, pro quibus in passione dixi: *Pater*, ignosce *illis* quia nesciunt *quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Et alibi de iisdem malis dicitur: *Et sustinui qui simul contristaretur, et non inveni* (*Psal.* LXVIII). His talibus C malis Paulum apostolum, præcipuum membrum in corpore Christi, legimus et audivimus confitentem animam esse repletam, cum diceret tristitiam sibi esse magnam et continuum dolorem cordi suo pro fratribus suis secundum carnem, qui sunt Israelitæ, pro quibus dixit: *Optabam anathema esse pro fratribus meis* carnalibus (*Rom.* IX). *Et vita mea inferno appropinquavit*, id est, destructioni prope fuit, vel similis habita est vita mea vitæ illorum, qui inferno digni sunt: vel ipsis qui sunt infernus nihili habita est vita mea. Vel, de membris dicamus sic: *Inclina* ad preces meas, id est, meorum: et opus est *quia repleta est anima* meorum *malis* vitiis videlicet carnalibus; *et vita mea inferno appropinquavit:* et ego ipse *æstimatus sum* ab illis *cum descendentibus in* D *lacum*, id est, similem me putabant aliis hominibus *descendentibus in lacum*, id est, in hujus vitæ miseriam: et *factus sum* inquantum ipsi existimabant, *sicut homo sine adjutorio;* quia dixerunt: Comprehendite eum, quia non est qui liberet eum (*Psal.* LXX), cum ego tamen solus *inter mortuos*, id est, in societate videlicet mortuorum reputatus, *liber* essem, id est, sine peccato: quod summa libertas est: quia *omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII): *liber* dicitur Dominus inter mortales, quia in similitudine carnis peccatricis apparuit, sed non peccator. Ipse etiam non coactus, sed spontaneus mortem subiit. Unde illud: *Potestatem habeo*

ponendi amimam meam, et iterum sumendi eam (*Joan.* x) : quod dicit : *factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber* : et tamen æstimatus sum ab illis *sicut vulnerati*, id est, sicut cæteri qui vulnerati, sunt sagittis Domini, mortalitate videlicet et passibilitate. Unde illud : *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi* (*Psal.* xxxvii). Et æstimatus sum ab illis, sicut illi qui dormiunt *in sepulcris quorum* Deus *non* est *memor amplius*, quantum ad hanc vitam, quos videlicet in sepulcro positos exspectare oportet usque ad communem resurrectionem. *Et ipsi de manu tua repulsi sunt*, id est, illos qui me talem existimabant, ita a te rejecisti, ut amplius eos revocando, non supponas eis manum misericordiæ : quia ipsi existentes in profundo iniquitatis, contemnunt : vel *de manu tua*, id est, de potentia tua videntur esse repulsi, quia licite operantur quod volunt, ac si nullam potentiam super eos habes : vel, *dormientes* in sepulcris accipiuntur illi, qui *in sepulcris*, id est, in corpore illo et in desideriis corporalibus, quæ sunt quasi sepulcrum animæ, tantum habent delectationem, quantam haberent in dormitione : *quorum non* est *memor amplius* Deus, ut eos revocet, quia jam tradidit eos in reprobum sensum : vel *non* est *memor amplius* eorum, quantum ad existimationem: quia ita libere peccant quasi Dominus omnia peccata eorum esset oblitus, ut amplius non puniret eos. *Posuerunt* etiam *me* existimatione sua *in lacu inferiori*, id est, inter illos qui in profundum iniquitatis ceciderunt: et *in tenebrosis*, id est, non solum posuerunt me in lacu inferiori, sed etiam tenebrosis me comparaverunt, id est, in illis qui sunt in interiori homine mortui : *et in umbra mortis*, id est, in ignorantia veritatis, quæ mortem infert : et hoc non merente, sed te volente ; nec eorum voluntate, sed tua permissione; quia *super me confirmatus est furor tuus*, id est, ira tua non tantum est commota, sed etiam confirmata super me : quia firmiter quosdam opinari fecisti, me esse derelictum a te : *et omnes fluctus tuos*, id est omnia pericula quæ extra solent procedere, *induxisti super me*. Quod alibi dicitur, *omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt* (*Psal.* xli). Et ostendit qualiter induxit fluctus Dominus dicens: *Longe fecisti notos meos a me*, id est, parentes meos, a quibus natus sum, longe a me fuerunt affectione, licet non corpore. *Posuerunt me abominationem sibi*, quia abominando me dixerunt cæco a me illuminato : *Tu discipulus illius sis* (*Joan.* ix) : et tandem *traditus sum* a discipulo meo, *et non egrediebar*, id est non manifestavi divinitatem meam, sed patienter tuli eos in carne mea sævire. Quod alibi dicitur: *Induebar cilicio* (*Psal.* xxxiv). *Oculi mei* exteriores *languerunt*, id est, in morte claudebantur : et hoc *præ inopia*, id est, humana imbecillitate quæ est in me : vel, *oculi mei*, id est apostoli mei, qui præcipui fuerunt in corpore meo, *languerunt*, id est, debiles facti sunt : *præ inopia* subaudis spei, quia in spe defecerunt cum me mori in cruce viderunt. Nota quia solent exteriores oculi languere subtracto cibo: ita et apostoli languebant præ inopia quando eorum visui Dominus subtrahebatur, a quo assidue spiritualiter reficiebantur. Ipse enim de se dixit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* vi). *Oculi mei languerunt præ inopia* ego tamen inobedientia non destiti, sed semper *clamavi ad te* Deum promerendum : *tota die expandi ad te manus meas.* Si accipimus expansionem manuum in cruce, non potest dici quod tota die expandisset ; quia in sexta hora fuit crucifixus, et in vespere sepultus : unde videtur convenientius, ut per manus accipiamus bona opera, quæ ipse semper expandit, quia nunquam a bene operando cessavit, sed semper opus bonum opere bono continuavit ; quod dicit, *expandi ad te manus meas :* et hoc tamen non prodest omnibus, quia mortuis in anima non prodest ; quod dicit, *Nunquid mortuis facies mirabilia*, scilicet valere, *aut* nunquid *medici suscitabunt* illos, id est, doctores vel prædicatores mei, quorum doctrina sanantur vulnera mentis : *et confitebuntur tibi ?* Non, quia *a mortuo perit confessio* tanquam non sit (*Eccli.* xvii). *Nunquid narrabit aliquis in sepulcro*, id est, illis quos jam in se clausit profunditas peccatorum, *misericordiam tuam* per me mundo exhibitam ? *Et* nunquid narrabit aliquis *veritatem tuam, in perditione*, id est, illis qui jam iverunt in perditionem peccatorum ? Et quia possunt narrari mirabilia Domini inter peccatores, sed inutiliter eis, quia non aure audiendi audiunt, subjungit : *Numquid cognoscentur in tenebris*, id est, in tenebrosis hominibus luce sapientiæ carentibus *mirabilia tua* quæ per me facta sunt ; et nunquid cognoscetur *justitia tua* qua justificas impium, *in terra oblivionis*, id est, in illis qui jam terra sunt, et obliti sunt se fuisse rationabilem creaturam ? Non. *Et* quia video non prodesse talibus mirabilia tua, ideo averti me ab illis, et *ad te, Domine*, convertor pro reliquiis salvandis: *et* hoc non frustra, quia *oratio mea præveniet te*, vim exauditionis apud te obtinebit : quod apparebit *mane*, id est, in reliquiarum salvatione, vel in in communi salvatione, omnium resurrectione, quando omnis caligo noctis discedet, et verum mane orietur : quod dixit, *et mane oratio mea præveniet te.* Et quandoquidem ante te veniet oratio mea, *ut quid, Domine, repellis*, id est, repellere videaris, *orationem meam* id est meorum, et ut quid *avertis faciem tuam a me*, id est, a meis, quasi eis iratus ? Non ad eorum damnationem avertis, sed ad salvationem : quia per hoc *pauper sum ego*, id est, mei pauperes efficiuntur et humiliantur, *et in laboribus a juventute, mea*, id est, mei laborant a tempore innovationis eorum. *Exaltatus autem*, id est, mei exaltati sunt in prosperitatibus, ne deficiant in labore : et iterum *humiliatus sum*, id est, humiliati sunt mei per adversa ne superbirent in prosperitatibus : *et* sic *conturbatus* sum in membris meis, ad hoc videlicet, ut *in me*, id est, in meis transirent *iræ tuæ*, quæ manent in infidelibus et in illis qui nolunt se mihi incorporari : *et terrores tui*, id est,

terrores futuri judicii *conturbaverunt me*, id est, meos. *Circumdederunt me sicut aqua tota die.* Ad hoc continuatur quod dixit: *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus.* Et quomodo? Quia *circumdederunt me*, id est meos infideles, *sicut aqua* quæ undique involvit, et hoc *tota die*, id est, assidue: et *circumdederunt me simul* tam interiores inimici, quam exteriores, *et elongasti a me*, id est [illegible] *amicum*, id est, quemlibet qui deberet eis esse amicus *et proximum* quemlibet secundum carnem, *et notos meos*, id est, illos qui deberent noti esse meis, easdem videlicet fidem cum illis participantes, elongari permisisti a meis, et hoc *a miseria*, id est, propter miseriam quam ipsi passi sunt ab inimicis Ecclesiæ: leguntur hæc eadem in persona capitis quæ dicta sunt superius, sic: *Clamavi ad te, Domine, tota die: expandi ad te manus meas*; pro quo clamore et manuum expansione, de morte me resuscitabis: quia cum constat quod per me facturus es mirabilia, aut per me mortuum facies mirabilia mortuis, aut per me vivum vivis; sed per me mortuum non facies mirabilia, mortuis: quod dicit: *Nunquid mortuis* (subaudis in corpore) *facies mirabilia*, id est, reparationem humani generis? *Aut* nunquid *medici*, id est prædicatores mei, *suscitabunt* illos mortuos, si hoc est quod non resurrexero, *et confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis* eorum *misericordiam tuam* id est, reparationem humani generis, illis qui sunt clausi *in sepulcro, et veritatem tuam in perditione*, id est, illis qui, peccatis suis exigentibus, ad locum perditionis devenerunt? Vel sic: *Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam*, id est, in consideratione mei sepulti et non resuscitati? Et quis narrabit *veritatem tuam in perditione*, id est, præcepta tua vera, sive remunerationem tuam, si periero? *Et nunquid cognoscentur* me manente *in tenebris mirabilia tua et justitia*, id est, fides justificans, nunquid cognoscetur *in terra oblivionis*, id est, in corpore meo oblivioni tradito, si non resuscitatus fuero? Vel sic: *Nunquid cognoscentur in tenebris*, id est, in illis qui jam sunt in loco tenebrarum, *et justitia tua in terram oblivionis*, id est, in illis qui jam sunt in illo loco, ubi digne deberent tradi oblivioni? *et ego ad te, Domine, clamavi.* Quasi dicat: Ego videns quia per me mortuum nulla essent futura mirabilia, ideo clamavi ad te, Domine, ut me resuscitares. *et oratio mea præveniet te*, id est, præcedet, ut exauditio tua subsequatur: quod apparebit *mane*, id est, in resurrectione mea facta mane: vel, *oratio mea mane*, id est, in sedulitate facta *præveniet te*, id est, placebit tibi. Et quia *præveniet te oratio mea, ut quid repellis*, id est, repellere videris, *orationem meam*, qua in cruce ad te clamabo, dicens: Domine Deus meus, respice in me: et *utquid avertis faciem tuam a me*? Ideo videlicet, quia ego solus videor tibi idoneus ad reparationem humani generis; quod dicit, *Pauper sum ego*, id est, humilis appareo, ut per me humilem humana superbia recipiat medicinam et sum in laboribus a juventute mea, id est ex eo tempore quo quisque pronior est ad lapsum. *Exaltatus autem* sum apud te, *humiliatus* apud homines, *et conturbatus* eorum persecutione. Ad quid autem sit conturbatus subjungit: *In me transierunt iræ tuæ*, id est, ira tua quæ assensu fuit contracta in humanum genus propter peccatum primi hominis, juxta quod propheta dicit: *Propter* peccata *populi mei percussi eum* (Isa. LIII). Hæc ira in me posita transiit, quia per me placata est, *et terrores tui*, non a te facti, sed a te permissi, *conturbaverunt me*. Et quomodo? Quia *circumdederunt me sicut aqua*, quæ undique involvit *tota die* id est assidue, et *circumdederunt me simul*, minores videlicet et majores: minores, male consentiendo; majores, male judicando: et ideo *elongasti a me amicum*, id est, quemlibet qui deberet esse amicus meus. *et proximum* secundum carnem, *et notos meos* secundum fidem: et hoc *a miseria*, id est, propter miseriam a Judæis mihi illatam.

PSALMUS LXXXVIII.

INTELLECTUS ETHAN EZRAHITÆ.

« Misericordias Domini in æternum cantabo. In « generatione et generationem annuntiabo veritatem « tuam in ore meo. Quoniam dixisti: In æternum « misericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur « veritas tua in eis. Disposui testamentum electis « meis, juravi David servo meo: Usque in æternum « præparabo semen tuum. Et ædificabo in generatione et generationem sedem tuam. Confitebuntur « cœli mirabilia tua, Domine, etenim veritatem tuam « in Ecclesia sanctorum. Quoniam quis in nubibus « æquabitur Domino: similis erit Domino in filiis « Dei? Deus qui glorificatur in consilio sanctorum, « magnus et terribilis super omnes qui in circuitu « ejus sunt. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? « potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo. « Tu dominaris potestati maris, motum autem « fluctuum ejus tu mitigas, Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cœli, et tua est terra: » orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem et mare tu creasti. Thabor et Hermon in « nomine tuo exsultabunt: tuum brachium cum potentia. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera « tua: justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Misericordia et veritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui scit jubilationem, Domine, in lumine vultus tui ambulabunt et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito « tuo exaltabitur cornu nostrum. Quia Domini est « assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri. Tunc « locutus es in visione sanctis tuis: et dixisti: Posui « adjutorium in potente, et exaltavi electum de « plebe mea. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur « ei, et brachium meum confirmabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non appo-

« net nocere ei. Et concidam a facie ipsius inimicos A
« ejus, et odientes eum in fugam convertam. Et
« veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in
« nomine meo exaltabitur cornu ejus. Et ponam in
« mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus
« Ipse invocabit me, Pater meus es tu : Deus meus,
« et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum
« ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æter-
« num servabo illi misericordiam meam et testa-
« mentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum
« sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.
« Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in
« judiciis meis non ambulaverint : si justitias meas
« profanaverint, et mandata mea non custodierint :
« visitabo in virga iniquitates eorum, et in verbe-
« ribus peccata eorum. Misericordiam autem meam
« non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate B
« mea. Neque profanabo testamentum meum, et quæ
« procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel
« juravi in sancto meo, si David mentiar. Semen
« ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut
« sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æter-
« num, et testis in cœlo fidelis. Tu vero repulisti et
« despexisti, distulisti Christum tuum. Avertisti
« testamentum servi tui, profanasti in terra sanctua-
« rium ejus. Destruxisti omnes sepes ejus, posuisti
« firmamentum ejus formidinem. Diripuerunt eum
« omnes transeuntes viam ; factus est opprobrium
« vicinis suis. Exaltasti dexteram deprimentium
« eum, lætificasti omnes inimicos ejus. Avertisti
« adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in
« bello. Destruxisti eum ab emundatione, et sedem C
« ejus in terra collisisti. Minorasti dies temporis
« ejus : perfudisti eum confusione. Usquequo, Do-
« mine, avertis in finem, exardescet sicut ignis ira
« tua? Memorare quæ mea substantia: nunquid enim
« vane constituisti omnes filios hominum ? Quis et
« homo qui vivet, et non videbit mortem ? eruet
« animam suam de manu inferi. Ubi sunt miseri-
« cordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David
« in veritate tua ? Memor esto, Domine, opprobrii
« servorum tuorum (quod continui in sinu meo) mul-
« tarum gentium. Quod exprobraverunt inimici tui,
« Domine, quod exprobraverunt commutationem
« Christi tui. Benedictus Dominus in æternum :
« fiat, fiat.

ENARRATIO D

Ethan interpretatur *robustus*. Iezraelita, *orientalis advena*. Qui autem vult esse robustus, necesse est ut robur suum et fortitudinem suam non sibi ipsi, sed Deo tribuat. Nam qui sibi attribuit quod fortis sit, ipse amissa fortitudine debilis efficitur. Quod attendebat ille qui dixit : *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal.* LVIII). Hic taliter robustus loquitur in hoc psalmo commendans nobis misericordiam Domini Dei, quæ in suis fidelibus in æternum mansura est. Dicit autem sic :

Misericordias Domini in æternum cantabo. Quasi dicat : Audite, attendite, patienter exspectate : quia *cantabo misericordias Domini, in æternum* vos ducturas, vel *in æternum* mansuras. Quasi dicat : ita in Adam temporalis, misericordia autem Domini quæ præcludet iram, erit æternalis. Nota quia pluraliter dicit, *misericordias* : quia cum multæ præcedant iniquitates nostræ, necesse est ut subsequantur ejus multæ misericordiæ ; quod dicit, *miericordias Domini*, id est, reparationem humani generis, *in æternum cantabo :* et non tantum cantabo misericordias, sed etiam *annuntiabo veritatem tuam*, id est, completionem misericordiæ promissæ, duraturam *in generatione et generationem :* et hoc annuntiabo *in ore meo*, id est, in ore cordi consono : quia non dissimulabo ore quod concipio corde. Nota quod dicit, *annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Quasi dicat, Duo sunt : unum tuum, aliud meum. Tua est veritas, meum est os : et ideo *annuntiabo veritatem tuam*, quia, nisi annuntiavero, servus non ero ; si autem ex meo annuntiavero, mendax ero, quia omne bonum a te processit : quod dicit, *annuntiabo veritatem tuam in ore meo* ; et hoc secure faciam, *quoniam tu dixisti : Misericordia*, id est, reparatio humani generis, ædificabitur in æternum mansura. Et hoc ita fiet, quia *in cœlis præparabitur veritas tua in eis*, id est, veritas præceptorum meorum præparabitur *in cœlis*, id est, in apostolis tuis, in quibus promissio tua complebitur, ita ut in eis sit : quia non erit eis erubescentia prædicare veritatem tuam, quam poterunt signis et rationibus defendere, *Disposui testamentum electis meis juravi David servo meo. Usque in æternum præparabo semen tuum.* Non tantum *misericordia ædificabitur in æternum*, sed etiam dixisti *: Disposui testamentum*, novum videlicet per gratiam datum *electis meis*, id est filiis meis, qui proposui vetus testamentum servis. Unde istud : *Quos prædestinavit, hos et vocavit* (*Rom.* VIII) ; quod dicit : *Disposui testamentum electis meis* : *et* dixisti *etiam Juravi David.* Fuit certus David quando dixit, et certior fuit quando juravit quia juratio Deitatis est firmatio promissionis. Ædificabo in generatione et generationem sedem tuam, id est, in æternum. Nota semen David præparatum in æternum : quia imitatores Christi, qui nasciturus erat de semine David, in æternum manebunt, et ejus sedes ædificata est in generatione et generationem : et sic quod David carnali fuit promissum, in David spirituali, qui ex semine ejus fuit, est completum. *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine.* Quasi dicat *: Veritas tua præparabitur in cœlis*, et ideo *cœli confitebuntur mirabilia tua*, id est, laudabunt mirabilia tua. Quid mirabilius, quam qui heri fuit ebrius hodie est sobrius; qui heri fuit incestus, nunc castus; qui heri fuit damnatus, nunc in regnum assumptus ? In his mirabilibus tu quisque lauda Deum; lauda eum, quia mortui sunt resuscitati : plus lauda eum, quia perditi sunt redempti : quod dicit, *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine.* Quasi dicat : Quid mirabilius quam quod *Deus sic dilexit mundum, ut Filium*

suum unigenitum daret? Joan. III). hoc promisit, et non est mentitus. Nihil mirabilius effectu hoc de hoc facto. *Etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.* Quasi dicat : Vere *confitebuntur cœli mirabilia tua*, quoniam annuntiant veritatem tuam *in Ecclesia sanctorum*, id est in congregatione fidelium. Et merito tuam annuntiant veritatem,et non suam: quoniam nullus tibi comparari potest ex omnibus quos tu fecisti sanctos:quod dicit, *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino* nubium ? Nota quia eos Deus vocat nubes,qui prius appellati sunt cœli. Cœli dicti sunt,quia splendore suæ sanctitatis nos irradiant : nubes dicuntur,quia sanctitas eorum carne quasi nube tegitur, ne nos videamus eorum interiora.Quod enim a nube descendit, videmus ; quod autem fit in nube, non videmus : ita imbrem sanctæ prædicationis ad apostolis manantem videmus : quod autem intra eos contineatur nisi eis nobis revelantibus,scire non possumus,quoniam non est hominis scire occulta alterius cordis, et quis *similis erit Domino*, Filio *Dei* videlicet, *in filiis hominum*? Nullus utique, quia ipse est natus, cæteri adoptivi. Ipse est filius per naturam, alii per gratiam : ipse est *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum.*Consilium sanctorum est,non quærere quæ sua sunt, sed quæ Dei ; non terrenis inhiare, sed cœlestia desiderare. In hoc consilio glorificatur merito ipse solus, quia ipse solus est *magnus*, alii parvi :ipse *terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.*Hic quæritur,cum Deus sit incircumscriptum lumen, et nullo loco comprehendi potest,quomodo aliquid circa se habeat. Sed quia ex gente Judaica matrem unde carnem assumeret, habuit : ibi habitare corporaliter voluit,ibi etiam prædicare voluit : non incongrue quantum ad gentem illam, dicitur habere circa se aliquid :quia gens Judaica a gentibus circumdabatur,et eorum persecutione opprimebatur,quia gentibus videlicet Dominus fuit terribilis quia in ejus nomine plura eorum idola, in quibus confidebant,sunt confracta : ipsæ gentes ejus timore cogebantur sectam suam dimittere.Vel aliter: *Terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt*, id est super eos qui circumeunt ut ejus imitatores fiant. Et quando quidem tu solus es magnus,tu solus terribilis, *o Domine Deus*, non tantum hominum, sed etiam *virtutum* cœlestium,*quis similis* est *tibi*?Nullus utique, quia tu *potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo*,id est circuit te semper, quia a te ipso habes veritatem, cæteri habent non a se,sed a te. Unde illud : *Oratio mea in sinum meum convertetur* (*Psal.*XXXIV).Vel *veritas*,id est completores veritatis tuæ,sunt *in circuitu tuo*,id est in tuo asseclatu,et te circumdant ut imitatores tui existant. *Tu dominaris potestati maris.*Quasi dicat :Vere tibi in nubibus nullus æquabitur : nullus tibi similis,quia *tu dominaris postestati maris*,id est amaritudini gentium.*Motum autem fluctuum ejus tu mitigas*,id est comminationes principum, qui cum quodam impetu quasi fluctus sæviunt, mitigabis, non ex toto dissipabis, quia etsi

A aperte non sæviat leo,sævit tamen occulte draco. *Potens es, Domine,et veritas tua*,id est præcepta tua vera erunt in circuitu tuo : quia licet in gente Judaica nasci voluisti,non tamen in gentibus quæ sunt in circuitu tuo,notificari renuisti : et tunc, videlicet quando veritas tua annuntiabitur in circuitu tuo,fiet quod dictum est:Venit leo obviam Samsoni,ad desponsandam sibi uxorem de Philisthæis venienti(*Judic.*XIV).Tunc fremet leo,id est mare amaritudo gentium :sed quæ cura ?*Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas* : et tu humiliatus, humiliabis *superbum sicut vulneratum*,id est, sicut quemlibet qui pro gravi vulnere cederet inimico.Nam quis,dato tanto humilitatis exemplo, non deponeret superbiam ?nullus utique:levabis manum B brachii *virtutis tuæ*, id est, in forti virtute tua disperdes *inimicos tuos*, ut fiant tibi amici,qui cessabunt colere creaturam,et adorabunt verum Creatorem. *Tui sunt cœli et tua est terra.* Quasi dicat : Merito dico eos disperdi in brachio virtutis tuæ : quia *cœli* per quos fiet dispersio,*tui sunt: et tua est terra* quam colunt,id est,ipsi qui dispergentur per cœlos,tui erunt:quia *orbem terræ*,id est terram orbiculatam,infra perfectos videlicet in virtute; *et plenitudinem ejus* terræ,id est adhuc perfectiores quam illi qui sunt orbis,*tu fundasti*,id est,super fundamentum Christum videlicet, qui verum est fundamentum, *aquilonem et mare tu creasti*,id est desperatissimos in quibus refrixit charitas,qui per aquilonem intelliguntur,*et mare*, id est amarificantes se ipsos et alios,tu confirmasti ad hoc,ut fierent orbis terræ et C plenitudo.Et ipsi autem quid ? *Thabor et Hermon exsultabunt in nomine tuo*, id est, illi qui aliquando fuerunt tenebræ, nunc autem lux in Domino, abnegantes impietatem et sæcularia desideria, exsultabunt in nomine tuo glorificando.Thabor et Hermon sunt montes duo,significantes Judæam et gentilitatem.Thabor, quia interpretatur *veniens lumen*, non incongrue Judæos designat, ex quibus processit Christus lumen verum illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Hermon interpretatur *anathematizatio*,ubi intelliguntur gentes, se ipsa anathematizando, a cultura idolorum recedentes,et Christum imitantes : quod dicit *Thabor et Hermon*, id est Judæi et gentes, *exsultabunt in nomine tuo.* Et merito, quia *tuum brachium*, id est, D tuum robur, erit *cum potentia*, id est, potentia tua erit potens potentia,quia in æternum mansura:aliorum vero infirma,quia ad tempus mansura.*Firmetur manus tua,et exaltetur dextera tua.* Quasi dicat: *Thabor et Hermon exsultabunt in nomine tuo :* quod ut fiat *firmetur*,id est,consolidetur in eis,*manus tua*, id est,potestas tua : quæ faciat eos hic in nomine tuo exsultare ; et tandem exaltetur dextera tua, quando videlicet agni sperandi sunt ab hædis.Nota quia hic firmatur manus ut ibi exaltetur dextera : quia hic fideles innocenter vivunt cum nocentibus merito dicitur manus simpliciter firma esse : ibi autem quia separandi sunt boni a malis, merito

exaltabitur dextera: quia nunc venit mitis, tunc veniet terribilis. *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* Quasi dicat: Vere exaltabitur dextera tua, quia justum judicium præparabit tibi sedem. Interim autem quid? *Misericordia*, id est, remissio peccatorum: *et veritas*, id est, completio promissionis, *præcedent faciem tuam*, qui tu videlicet venturus es in majestate Patris. Et quando quidem tu tantus es, *beatus* ergo *populus qui scit jubilationem*, id est, qui probat tibi esse jubilandum ineffabili affectione cordis, per quam digne sit jubilus; quia jubilare est tantam lætitiam mentis habere, quantam nullus potest verbis exprimere. Alia continuatio: *Misericordia et veritas præcedent:* et quia præcedent, ergo beatus ille qui attendendo misericordiam ipsam et veritatem, scit jubilare, sicut et prius. *Domine, in lumine vultus tui ambulabant.* Quasi dicat: Vere sunt beati qui sciunt jubilare, quia ipsi *ambulabunt*, id est, delectabunt, *in lumine vultus tui*, id est, tua cognitione illuminati: *et in nomine tuo exsultabunt tota die*, id est continue: *et justitia tua exsultabuntur*, non quærentes suam statuere justitiam, sed tuam: et merito tuam, quia virtus *eorum tu es:* et ideo attendum se esse virtuosos non a se, sed a te: et ideo non in se, sed in te gloriabuntur: *et in beneplacito tuo*, id est, in bona voluntate tua, non in meritis nostris, *exaltabitur cornu nostrum*, id est, sublimitas nostra vel defensio nostra, *Quia Domini est assumptio nostra* Quasi dicat: Vere *in tuo beneplacito exaltabitur cornu nostrum*, quia assumptio nostra qua assumpti sumus de massa perditorum, est Domini: quia ipse nos assumpsit, et non ipsi nos: et est ipsa assumptio *regis nostri*, id est, hominis Dominici in omni honitate nos regentis. *Tunc locutus est in visione sanctis suis.* Quasi dicat. Vere *assumptio nostra* erit *Domini*, quia hominis videlicet Verbo Patris assumpti: quia tu Deus Pater *locutus es in visione*, id est, manifeste vel multiplici revelatione sanctis *tuis:* tunc videlicet quando dixisti, *Misericordia ædificabitur in æternum: locutus es* dico, *et dixisti* per facta patriarcharum et dicta prophetarum. Et quid dixisti? *Posui adjutorium*, illorum videlicet qui salvandi sunt, *in* quodam *potente*, id est, in Filio meo qui omnia potenter aget, spolians principatus et potestates, confidenter transduxit eos triumphans in semetipso*: et exaltavi electum*, id est, Filium meum super omnia mihi dilectum nasciturum, *de plebe mea*, id est de gente Judaica, quia salus ex Judæis est. *Inveni David servum meum.* Quasi dicat: Dixisti, *posui adjutorium in potente:* et dixisti etiam, *Inveni David servum meum*, David videlicet spiritualem non carnalem. Unde alibi: *Inveni David virum secundum cor meum*: et unxi eum oleo sancto meo (*I Reg.* XV; *Act.* XIII), spirituali videlicet jucunditate. Unde alibi: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Ps.* XLIV)*:* quod et hic dicit, *Oleo sancto meo unxi eum.* Quod inde apparet, quia *manus mea*, id est potentia, *auxiliabitur ei* in suis, *et brachium meum*, id est, robur meum *confirmabit eum* intantum, quod mihi erit coæqualis; *et nihil proficiet in eo*, id est, ad nullum effectum veniet, et si incipiat: *inimicus*, id est persecutor: *et filius* videlicet *iniquitatis*, id est, serpens malignus, *non apponet nocere ei.* Nocuit vero primo homini, sed non addet nocere huic. Tentabit eum, sed non apponet hoc ut noceat: quia eum tentando non superabit. *Et concidam*, id est concidi faciam, *inimicos ejus a facie*, id est a cogitatione ejus, quia qui prius erant inimici ejus, a sanctis prædicatoribus præcidentur a corpore infidelium, et coaptabuntur corpori fidelium: et hoc totum erit *a facie ipsius*, id est, præcogitatione ipsius. Hoc enim præfigurabatur, quando Moyses caput vituli in pulverem redegit, et Judæis ad bibendum dedit (*Exod.* XXXIII). Caput vero vituli infideles significabat, et qui in humilitate per cognitionem Domini contriti, fidelibus erant concorporandi: quod dicit, *Et concidam a facie ipsius inimicos ejus, et odientes eum in fugam convertam:* quia qui nunc sunt inimici, ad eum confugiendo fient amici, *et veritas mea*, id est, impletio promissionis. Unde Apostolus: *Per ipsum*, inquit, *amen Deo* (*II Cor.* I). *Et misericordia mea*, id est, reparatio humani generis, erit *cum ipso et in nomine meo*, subaudis glorificando, *exaltabitur cornu ejus*, id est sublimitas ejus. *Et ponam in mari manum ejus*, id est, in gentibus erit ejus potestas, *et in fluminibus ponam dextram ejus;* quia principes majori potentia subdi debent Deo, quam subditi, quia major vis Domini apparuit in conversione regum, quam in conversione pauperum. Quod dicit, *Ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.* Et merito, quia *ipse* et non alius *invocabit me*, dicens: *Pater meus es tu* secundum Divinitatem, *Deus meus* secundum humilitatem, *susceptor salutis meæ*, quia Verbum tuum me hominem in homine a peccato suscepit. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* Quasi dicat: Ipse invocabit me, et hoc non frustra: quia *ego ponam eum primogenitum*, id est, digniorem omni creatura. Unde Paulus*: Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII). Solebant antiquitus primogeniti filii esse majoris dignitatis in domibus patrum cæteris filiis, secundum quod homo Dominicus merito dicitur primogenitus, quia super omnem creaturam exaltatus, et per eum omnis qui est exaltatus est elevatus. *Excelsum præ regibus terræ.* Ut illud *Adorabunt eum omnes reges* (*Psal.* LXXI). *In æternum servabo illi misericordiam meam* in suis. Quod alibi: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XVIII). *Et testamentum meum*, id est, pactum meum, quod promisi hæreditatem meam fidelibus dandam, erit *fidele*, id est, probabile *ipsi*, videlicet in suis, quia nullus credet promissionibus meis, nisi huic capiti quasi membrum adaptetur. *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus*, id est, firmiter statuam imitatores ejus, subaudis duraturos: *et thronum ejus*, illos videlicet qui sunt ejus sedes, ponam *sicut dies cœli*, id est, in claritate eos perma-

nere faciam, detersa omni noctis caligine : vel, ponam illos *sicut dies cœli*, id est, æternaliter mansuros. Nota eos dies accipi per sedem et per thronum, quia qui imitantur eum ipsi ejus semen sunt, et thronus, quia in eis ejus sedes est. Sed quia fastidium generaret idem verbum bis repetitum, ideo diversis verbis idem ostendit : vel possunt accipi per thronum majores, per sedem minus perfecti. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam.* Quasi dicat : Ego promis me positurum semen in sæculum sæculi : sed *si dereliquerint filii ejus legem meam* hoc modo, quod *in judiciis meis non ambulaverint*, id est, si non delectantur in judicio meo, id est, in discretione mea vera, ut multi monachi sunt, quos prius gravat servitium Domini, licet perfecti sint filii futuri, de quibus hic dicitur : *Si in judiciis meis non ambulaverint*, et *si justitias meas profanaverint*, porro a fano, id est a sanctitate fecerint, *et mandata mea non custodierint*, id est dilectionem Dei et proximi non habuerint : *visitabo* [illegible] *tates eorum, et in verberibus* paternis, non servilibus, *peccata eorum.* His verberibus non dedignetur quisque flagellari : quia melius est corrigi flagello patris, quam perire blandimento prædonis. Unde Paulus : *Si extra disciplinam*, ait, *estis*, *cujus omnes participes sunt, ergo non filii*, sed *adulteri estis* (*Hebr.* XII). *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Quasi dicat : Quanquam filios David visitaturus sim in virga, si deliquerint, tamen *misericordiam meam*, id est promissiones meas, *non dispergam ab eo*, id est non auferam ab ipso David ; *neque nocebo ei :* et hoc *in veritate mea*, subaudis dico : vel *non nocebo ei in veritate mea*, id est, in vero judicio meo, quo in virga correptionis visito iniquitates eorum. Unde alibi : *Omnia quæcunque faciet prosperabuntur* (*Psal.* I). Exerceat ergo disciplinam Domini, non auferat misericordiam : cædat contumacem, dum tamen filio servet hæreditatem. *Neque nocebo in veritate mea, neque profanabo testamentum*, id est pactum, *meum* : *et quæ procedunt de labiis meis*, id est quæ promissa sunt per labia præconum meorum, *non faciam irrita.* Nota quia profanaret testamentum, si non adimpleret promissum. *Semel juravi in sancto meo.* Quasi dicat : Ideo non faciam irrita quæ procedunt de labiis meis, quia *semel juravi in sancto meo*, subaudis constituendo, sancto videlicet sanctorum : vel *in sancto meo*, id est in sanctitate mea secundum quod juramentum impossibile est mentiri. Unde illud : *Per memetipsum juravi, dicit Dominus* (*Gen.* XXII). Et quid juravit ? *Semen ejus in æternum manebit et thronus ejus sicut sol in conspectu meo*, id est, sedes illius erit in *conspectu meo*, id est, in interiori suo, id est, anima, ubi ego solus conspicio : ibi erit *sicut sol*, fulgens videlicet in virtutibus, et hoc quantum ad animam, quæ hic resurget in resurrectione prima, ut tandem refulgeat in conspectu Dei. Quantum autem ad corpus, erit thronus ejus *sicut luna*, non luna quæ suscipit crementum et detrimentum, sed luna quæ *perfecta* est *in æternum*, id est quæ perfectionem suam æternaliter habebit. Unde Paulus : *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XV). Nota quod dicit, *Sicut luna perfecta in æternum*, quia etsi hoc sit quod luna non sit duratura in æternum, non minus valet ad similitudinem, quia solet ab impossibili similitudo trahi ; ut illud : Colatis culicem, et sorbetis camelum (*Matth.* XXIII) ; quod dicit sicut luna perfecta in æternum, et hujus rei est *testis in cœlo fidelis*, Christus videlicet : quia nec fallit, nec falli potest. *Ipse enim*, inquit Apostolus, suscitavit *nos per virtutem suam* (*I Cor.* VI). *Hoc juravi David in sancto meo :* si autem *David mentiar*, nunquid alicui verum dicam quantum ad Verbum suum, cum quo omnia disposuit. Neque enim opus est ut secundo juret : quia semel jurando omnia stabilivit, nec aliquem unquam fefellit. *Tu vero repulisti et despexisti.* Usque huc verba fuerunt Domini, promittentis David mirabilia, quæ superius sunt notata ; hic vero jam redit Propheta ad verba sua, quasi sic dicat : Tu, Domine Deus promisisti mihi quod non auferres misericordiam tuam a me, neque profanares testamentum meum et cætera multa : et tamen non exhibes quod promisisti mihi, quod non auferres misericordiam tuam a me, quia tu vero, id est revera repulisti. Præteritum dicit pro futuro, quasi repellere videberis : et despicere, id est, deserere videberis populum tuum cui præsum. Repulsus fuit David carnalis, quando per Absalonem filium suum multas passus est tribulationes : despectus etiam fuit populus cui præfuit, quando in captivitate detentus fuit. Sequitur : *Distulisti Christum tuum*, id est, me unctum tum differes a promissionibus tuis, quia quæ mihi promisisse videris, complebis in David filio tuo, cujus typum gero. Ecce nota David cum dicit, *repulisti et despexisti* eumdem esse ad alium David, ut in eo videamus completa quæ hic videntur esse promissa : sed etiam faciendum est in aliis, ut prophetia vera sit. Prophetatum fuit duobus fratribus filiis Rebeccæ, *Major serviet minori* (*Gen.* XXV) : cum tamen nunquam legitur quod major frater Esau servisset Jacob, sed potius legitur quod Jacob reversus cum uxoribus suis de Mesopotamia, præmissis muneribus, cecidisset in faciem Esau ut adoraret eum (*Gen.* XXXIII). Sed quoniam hi duo fratres significabant populum priorem et posteriorem, eumdem est ad ipsos populos, in quibus est completum quod de duobus fratribus fuit prophetatum. Major enim populus, Judaicus videlicet, servit minori gentili populo videlicet : quia hoc portat Judæus, unde convincatur paganus. Vel aliter, *distulisti Christum tuum*, id est, me unctum tuum, cum me, videlicet passis tot persecutionibus, tandem super cunctum populum regem constituisti. In hac vero dilatione notabatur, quia Christus in corpore suo differendus erat a promissionibus, et multa passurus antequam impleretur corpus ejus. Evertisti *testamentum servi tui*, id est, pactum tuum quod pepigisti cum servo tuo, evertes :

A *et profanasti in terra sanctuarium ejus*, id est, templum tuum,quod solum erat in terra Judaica,profanabis, idest, agentibus pollui permittes.*Destruxisti*, id est, destrues *omnes sepes ejus*, regnum videlicet et sacerdotium,quibus muniti erant Judæi: *firmamentum ejus formidinem*,id est, majores qui deberent aliis esse *firmamentum*, id est,alios defendere, illos *posuisti formidinem*, id est, terrore conturbari permisisti : quia nullus erat ex majoribus,qui auderet surgere in defensionem minorum:et sic *diripuerunt eum omnes transeuntes viam*, pagani videlicet, qui transeunt viam veram Christum,non credentes.Vel qui transeunt viam temporalem,id est, sola transitoria attendentes : et *factus est opprobrium vicinis suis*, id est gentibus;et *exaltasti dexteram deprimentium eum, et lætificasti*, id est, lætificabis *omnes inimicos ejus*,in eorum victoria ; et *avertistiadjutorium* B *gladii ejus*, id est, nulla spes defensionis erat eis in gladio : *et* hoc ideo,quia tu *non es auxiliatus ei in bello* ; et *destruxtsti eum ab emundatione*, id est, a fide vera, quæ mundat interius corda; *et sedem ejus* judiciariam *collisisti in terra*,subaudis dejectam, et *minorasti dies temporis ejus*, quoniam regnum et sacerdotium abstulistis, quæ æternaliter habere putabantur ; et*perfudisti eum confusione*,id est,undique confundes eum.Vel aliter possumus dicere. *Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum* ; ut non tantum de Judæis quæ sequuntur,sed communiter de corpore Christi cui factæ sunt promissiones Quasi dicat Propheta : Tu, Pater,dixisti, *Misericordia ædificabitur in æternum* :tu jurasti David servo C tuo Christo videlicet,Præparabo in æternum semen tuum,et ædificabo in generatione et generationem sedem tuam ;hæc et cætera te facturum Christo tuo permisisti,et tamen *repulisti*;id est, repellere videberis eum in suis: et despicies suos,id est despectabiles fieri permittes ; et *distulisti*, id est, differes Christum tuum,id est,corpus Christi tui implere : quia non statim facies omnes credere in eum:totus enim Christus est corpus et caput, salvator et Ecclesia. Sed differebatur impletio Christi quia fides cum magno labore crevit, per quam sibi membra digna coaptata sunt ; quod dicit,*distulisti Christum tuum, et evertisti testamentum* tuum,id est, pactum servi tui : *et profanasti*,id est, pollui permittes, *sanctuarium ejus*, id est, sanctos suos in terram dejectos,id est,terrenis confirmatos. Profanatur san- D ctuarium tunc, quando hi qui receperunt fidem, timore compulsi, cedunt his qui in terra sunt et cunctis idolis sacrificant. Quod alibi : *Polluerunt templum sanctum tuum* (*Psal.* LXXIII). Vel *profanasti in terra sanctuarium ejus*, id est, vitam sanctorum ejus insaniam existimari facies ab his qui terra sunt *Destruxisti omnes sepes ejus*, id est, munitionem suorum auferes ab illis. Et quomodo hoc ? Quia pones *firmamentum ejus formidem*, id est, illos qui excellentes erunt in sanctitate, quorum exemplo minores confirmandi essent, pones in formidine : quia ipsi formidabunt confortare minores : vel ipsos qui sunt *firmamentum* pones *formidinem*, id est, causam formidabunt confortare minores. Vel ipsos qui sunt *firmamentum* pones *formidinem*. id est, causam formidinis ;quia interficiuntur majores,traduntur in formidinem minores : et sic diripient *eum* in suis *omnes transeuntes viam*,gentiles videlicet, qui Christum sibi viam non faciunt : et *factus est opprobrium vicinis suis*, et *exaltasti dexteram*,id est, potestatem deprimentium eum, et lætificabis omnes inimicos ejus in victoria,quam habituri sunt in sanctis suis,quando in corpora sanctorum sævire permittuntnr ; et *avertisti adjutorium gladii*,id est,similem facies eum in suis homini, cui non sit adjutorium gladius suus in bello.Vel gladius sanctorum potest esse verbum prædicationis quo succincti tuti debent esse :sed adjutorium ejus gladii avertitur ab illis,quando pro ipsa prædicatione persecutionem patiuntur ; quod hic dicit : *Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello*,id est, non videberis auxiliari suis in bello persecutionis et tribulationis, et *destruxisti*,id est, destruere permittes suos *ab emundatione*, id est,ab omni munditia elongatos quantum ad existimationem malorum.Unde Paulus :*Facti sumus peripsema omnium* (*I Cor.* IV). *Et sedem ejus in terra collisisti*,id est,sanctos ejus in quibus sedes sua esse deberet,in terra dejectos : id est, terrenis conformatos *collisisti*, id est,collidi permisisti : vel *sedem ejus in terra collisisti*, id est,sanctos ejus in corpore affligi permisisti. *Minorasti dies temporis ejus*, id est,vitam filiorum suorum abbreviasti,non quantum ad te,sed quantum ad illos qui diuturnam vitam desiderabant :ut eorum solatio et auctoritate sustentarentur, velut de beato Martino legitur : Cur nos,pater,deseris ? aut cui nos desolatos relinquis? *Perfudisti eum confusione*, id est, undique patieris suos confundi, interius, videlicet et exterius, sed tu,*Domine,usquequo avertis* faciem tuam ab illis ? Avertes *te in finem*,id est,in finali aversione ?Quasi dicat:Si sic agi voluisti cum paleis,mitius constitue agendum cum granis ut,separata palea, grana recondantur in horrea.*Exardescet sicut ignis in ira tua* sicut ignis incinerans et non purgans ?Nequaquam Domine :sed *memorare quæ mea substantia*, id est, quam sancta et quantæ dignitatis sit substantia, Christus videlicet,qui ex carne mea nasciturus est, cui velut capiti adaptandi sunt homines velut membra ejus,sicut ignis comsumptionis, sed potius sicut ignis consummationis.Nota Christum proprie dici substantiam,quia ab eo sustentatur quisque qui in fide fideliter operatur ;quod dicit : *Memorare quæ mea substantia* : quod revera facies, quia non vane constituti filios hominum. Vani enim essent constituti, si non ipsi capiti membra coaptarentur : quod dicit sub interrogatione,*Nunquid vane constituisti omnes filios hominum* ? Non. Sed memorare potius in illis, *quis est homo*,id est, qualis et quam sanctus sit homo,*qui vivet et* ita, quod *non videbit* interiorem *mortem*, et *eruet animam suam de manu*

inferi, id est, de potestate tenebrarum, quia morietur in carne, sed resurget in majestate. *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine*, id est, in eo replebuntur tuæ misericordiæ, id est, ante mundi constitutionem dispositæ a te : *sicut jurasti David in veritate tua*. Nam firmiter promisisti te redempturum per eum humanum genus. *Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, opprobrii dico multarum gentium, quod continui in sinu meo :* quia illud occulte per spiritum prophetiæ prævidi futurum in servis tuis ; vel sic : *Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum*, id est, illorum qui patiuntur opprobrium quod *continui in sinu meo*, id est, illud opprobrium video futurum in illis, qui *in sinu meo* sunt, id est, in illis qui adhuc ex carne mea nascituri sunt. Vel sic : *Memor esto, Domine opprobrii servorum tuorum opprobrii* dico *multarum gentium*, id est, quod multæ gentes improperant; illius *opprobrii memor esto*, ut ipsæ gentes illud opprobrium patiantur pro te : quod opprobrium *continui in sinu meo*, id est, in occulto cordis mei, ubi video gentes adhuc incorporandas fidelibus, ut impleatur corpus Christi; vel sic : *Memor esto servorum tuorum*, id est illorum qui patiuntur opprobrium quod opprobrium, id est, quos patiuntur opprobrium *continui in sinu meo*, id est, significari video per manum reductam in sinum; vel *continui in sinu meo*, id est, quod mihi placitum intus apud me reposui: quia video in spiritu quod non reputabitur illis qui passuri sunt opprobrium illud pro opprobrio, sed pro magna gloria. *Memor esto opprobrii quod exprobraverunt inimici tui*, Judæi videlicet : *quod exprobraverunt commutationem*, id est mortem, *Christi tui*. Mors enim dicitur commutatio, quia per mortem commutatus est de morte in vitam, de corruptione in incorruptionem: ex qua commutatione sit *benedictus Dominus in æternum*. *Fiat* ei benedicto in priori populo, *fiat* et in posteriori.

PSALMUS LXXXIX.

ORATIO MOYSI HOMINIS DEI.

« Domine, refugium factus es nobis a generatione « in generationem. Prisquam montes fierent aut « formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæ« culum tu es Deus. Ne avertas hominem in humi« litatem, et dixisti : Convertimini, filii hominum. « Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies « hesterna quæ præteriit. Et custodia in nocte, quæ « pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Mane « sicut herba transeat, mare floreat et transeat : « vespere decidat, induret et arescat. Quia defeci« mus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus. Po« suisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæcu« lum nostrum in illuminatione vultus tui. Quoniam « omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defeci« mus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies « annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni. Si « autem in potentatibus, octoginta anni: et amplius « eorum labor et dolor. Quoniam supervenit man« suetudo, et corripiemur. Quis novit potestatem « iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinume« rare. Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos « corde in sapientia. Convertere, Domine, usque« quo, et deprecabilis esto super servos tuos. Re« pleti sumus mane misericordia tua : et exsultavi« mus, et delectati sumus in omnibus diebus nostris « Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti « annis quibus vidimus mala. Respice in servos tuos « et in opera tua, et dirige filios eorum. Et sit « splendor Domini Dei nostri super nos, et opera « manum nostrarum dirige super nos, et opus ma« num nostrarum dirige, »

ENARRATIO.

Distinguitur nobis in hoc psalmo vita veteris hominis et novi, vita mortalis et vita vitalis, pœna videlicet veteris hominis, et gloria novi hominis; et intitulatur psalmus iste nomine Moysi, non quod Moyses fecisset eum, sed quia ipse ens minister Veteris Testamenti et Propheta Novi, in ipso ministerio discrevit nobis vitam veterem et vitam novam. Vitam enim novam insinuavit mysterio suo, si spiritualiter intelligitur. Ad veterem autem pertinet vitam: si carnaliter intelligatur : et dicitur *oratio Moysi*, quia homo ille Dei amabat ad Deum orare, et frequenter cum Deo familiariter confabulari. Dicitur etiam *oratio hominis Dei*, non servi Dei : quia quos vocat ad vitam æternam Dominus, non jam duriter vocat eos ut servos, sed admonet ut filios et amicos Unde illud : *Jam non dicam vos servos*, sed *amicos* Dei. (*Joan*. XI). Audiamus ergo quid in hoc psalmo distinguatur. *Fugiamus, appetamus :* fugiamus pœnam veteris hominis, et appetamus gloriam novi hominis. Dicit autem propheta sic :

Domine, refugium factus es nobis a generatione in generationem. Quasi dicat : Domine Verbum, factor omnium, tu factus es nobis refugium : quia, assumendo hominem, certum dedisti nobis ad te refugium ; et hoc a generatione carnali, in generationem spiritualem, quia æternale nobis es rufugium: et ad te confugientibus sustentaculum. *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a sæculo et in sæculum tu es Deus*. Quasi dicat : Merito dico, ad te confugiendum, non ad hominem, quia ante omnem creaturam *tu es Deus* ; non dicit, Tu fuisti, sed tu es Deus, quia non convenit fuisse, cui omnia sunt præsentia. Unde ipsemet : *Ego sum qui sum* *Exod*. III. Vel sic : Dixi, *tu factus es refugium*, et tamen licet te factum nominavi, *tu es Deus priusquam montes fierent*, id est, priusquam rationabilis supercœlestis creatura a te fieret, id est *priusquam formaretur* terra, id est homo, et priusquam formaretur *orbis*, id est, priusquam ipsa terra orbiculata fieret, id est, antequam homo in abundantia virtutum positus esset : quia *a sæculo et usque in sæculum*, id est ab æterno et usque in æternum *tu es Deus*. Nota, quia in creatione angelorum nulla præcessit materia, bene eum dixisse, *priusquam montes fierent* ; in creatione autem hominis, quia terra materia præcessit, bene dixit, *formaretur terra*, quia tunc terra quasi formo-

sitatem recepit, quando ad esse hominis deductæ fuit *Ne avertas hominem in humilitatem. Factus es nobis refugium* : et ideo *ne avertas*, id est, ne averti permittas, *hominem*, in hoc subaudis positum. Avertisti sum, permisisti usurpantem sibi nomen quasi futurus Deus esset, *ne avertas* eum in necessitate dejectionis suæ, quia *in humilitatem*, id est, humilem se erga te fecit. Cæssavit enim a culpa, et ideo tu cessas ab ira. Avertisti elatum, ne avertas eum humiliatum; vel sic : *Ne avertas hominem*, id est, ne permittas averti a sublimitate tua *in humilitatem*, id est, in hæc infima, ut, relictis cœlestibus, terrena concupiscat, et ideo dico, *ne avertas*,, quoniam tu *dixisti: Convertimini* ad me, *filii hominum* ; et opus est ut ad te convertantur, quia quantumcunque vitam longævam duxerint, quantumcunque opus prolixum extenditur, tamen æternitati tuæ comparatum nihil reperitur : quod dicit, *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit.* Quasi dicat: ideo dico quod convertendum sit filiis hominum ad te, quoniam anni isti temporales, etsi *mille, ante oculos*, id est comparati annis illis qui sunt ante *oculos tuos*, id est, qui tibi placent, sunt *tanquam dies hesterna quæ præteriit*, id est, quæ jam non est, quia omnia temporalia sunt tanquam non sunt : *custodia in nocte quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.* Quasi dicat : Comparavi annos istius vitæ diei hesternæ, ut autem adhuc magis transituros ostendam, dico quia anni isti sunt sicut *custodia in nocte*, id est, tanquam quarta pars noctis : et adhuc minus dicam, *anni* isti *erunt eorum*, id est, computati inter illa *quæ pro nihilo habentur*. Ecce magnam ostendit dejectionem, cum ostendit nos agere dies finiendos, et annos pro nihilo habendos. *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat.* Ecce Propheta jam aggratulatur divinæ justitiæ, quæ vindicat se juste in hominem. Quasi dicat : Luat homo quod commisit, qui perventurus erat ad æternitatem completa obedientia, experiatur corruptionem, qui cecidit per ignorantiam: *transeat mane*, id est, infamia cujusque, quæ est sicut herba quæ nunc videlicet viret, et cras arescet : *mane floreat*, et infantia in adolescentiam vel juventutem veniat, *et transeat* ibi considerando quia nihil sunt dies vitæ istius, *et vespere decidat*, et in senectutem cadat, *et induret* in senio, *et arescat* in decrepita ætate, quoniam eum fatigat tussis indesinenter. Vel sic : *Mane floreat et transeat vespere decidat*, id est, in senectutem moriendo cadat, *et induret* in cadavere, ubi membra uniuscujusque rigida fiunt, *et arescat* in pulvere, Vel sic : *Mane sicut herba transeat*, id est, voluntas cujusque bona transeat sicut herba, et non perveniat ad actum bonum. Voluntas mane cooperatur, quia in voluntate primum refulget lux justitiæ. *Mane floreat*, id est, bona voluntas ad actum deducatur. et transeat, non habendo perseverantiam in bono opere : sed *vespere decidat*, id est, in peccatis cadat, non relucente ei sole justitiæ : quia tunc quisque quasi vespere cadit, quando declinat a bonis,

[A] et incurrit mala. Induret in peccatis suis, jam in reprobum sensum traditus : *et arescat*, id est inutilis fiat, sicuti pulvis quem præ nimia ariditate, projicit ventus a facie terræ. *Quia defecimus in ira tua.* Quasi dicat : Quare hoc dicat ut transeat mane sicut herba ? *quia defecimus in ira*, id est talem defectum exigebat in ira tua. Quam commeruimus, quia hæc omnia ex pœna peccati habemus, quia propter peccatum *in ira tua defecimus*, et infirmi facti sumus : *et in furore tuo turbati sumus*, in tantum quod infirmitatem nostram morte finire trepidamus. Et quia defecimus, ex hoc constat, quia *posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, id est quod non est oblitus peccatorum nostrorum, quæ commisimus in primo parente, et *sæculum nostrum*, id est illud [B] sæculum quod nosipsi nobis fecimus, *posuisti in illuminatione vultus tui*, id est in claritate tuæ præsentiæ, ubi semper conspiceres et nos quasi pro illo corrigeres. Quod effectus indicat, *quoniam omnes dies* gentium *defecerunt* : et ideo apparet quod *in ira tua defecimus*, id est quod propter iram tuam in defectum venimus. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur* : *dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.* Nota quia, sicut aranea inutiliter laborat in tela perficienda, in qua tandem ipsa interficitur, huic comparantur anni nostri, in quibus inutiliter meditamur quomodo terrena acquiramus, in quibus acquisitis irretimur et ad mortem trahimur. Unde illud : *Quid superbit terra et cinis ?* (*Eccli.* x.) *Quoniam in vita sua projicit intima sua Dies annorum nostrorum.* Quasi dicat : Non tantum anni nostri, [C] id est diutinus labor noster erit inutilis, sed et dies nostri, id est quisque labor noster erit inutilis, brevis est et comparatur araneæ et inutili. *In ipsis septuaginta anni.* Quasi dicat : Quia dies nostri et anni sunt sicut aranea, id est meditantur sicut aranea, ideo abbreviata est vita nostra, quod in ipsis diebus in quibus robur crescit, inveniuntur tantum *septuaginta anni*, cum in vita antecessorum nostrorum fuerint anni plures. Mathusalem enim vixit nongentis et sexaginta quinque annis (*Gen.* v). Nota quia licet præcessores nostri eamdem pœnam peccati in primo parente commeruerint quam nos commeruimus, tamen non ita dominabantur in eis sicut in nobis, quia non tantum dediti fuerunt terrenis sicut nos sumus. *Si autem in potentatibus, octoginta* [D] *anni* : dicitur quia robur hominis crescat usque ad septuaginta annos, et sic stat usque ad octoginta annos, et postea decrescit : quod dicit. *Si in potentatibus* considerantur anni, ita videlicet, ut robur non decrescat, erunt *octoginta anni*, et quasi *amplius* est, id est quod superest ultra octaginta annos, est *labor et dolor eorum* qui agunt, transitorios annos, et hoc unde processit ? Quia *supervenit mansuetudo, et corripiemus*, id est manifesta correptio : et sic *carripientur* mansuete, ne tandem corripiatur severe. Vel aliter, *in ipsis septuaginta anni. Septuaginta* qui constat ex secunda unitate, denario videlicet per septenarium multiplicato, per-

tinet ad veterem vitam, quæ volvitur circulo septenarii numeri : et sic possumus accipere per *septuaginta* studium terrenorum, quod dicit, quia *anni nostri sicut aranea meditabuntur*, ideo *in ipsis* sunt *septuaginta*, id est appetitus temporalium quæ septem dierum circulo notantur. Nota quia idem accipitur per septuaginta et septem, hac vicinitate, quia septenarius multiplicatus per denarium septuaginta facit, et hoc iterum conveniunt, quia sicut in septenario sunt septem primæ unitates, ita et in septuaginta sunt septem unitates. Vel per septenarium potest accipi male sabbatizantium studium, ideo quia Judæi, litteræ insistentes, septimam diem, Sabbati videlicet, celebrarunt. Vel potest accipi, per 70 luctus et mæror in captivitate conversantium, quoniam Judæi per septem decades, id est per 80 annos in civitate detenti fuerunt, ubi præfigurabatur luctus et mœror noster, quos patimur quandiu vitam in hoc septinario ducimus, et hoc est quod dicit, *in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus* agamus annos nostros, id est si regno cœlorum vim faciamus, erunt septuaginta anni. Regno Dei vim facimus, quando carnalibus desideriis resistimus, cœlestibus adhæremus. Unde illud, *A tempore Joannis regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth*. XI.). Nota per *octoginta* studium æternorum, quæ octavo die ventura sunt, in fine videlicet mundi, quando septenarius numerus finietur : vel, quia octava die Dominus resurrexit, quam octavam diem celebramus in signo venturæ celebrationis, quæ ventura est post communem resurrectionem, potest accipi per *octoginta* studium vere sabbatizantium. Nota idem accipi per *octoginta*, quod per octo ideo quoniam ex octo decies multiplicato constituitur *octoginta*, et sicut octo in se habet octo primas unitates, ita *octoginta* in se habet octo secundas unitates. Potest etiam accipi per *octoginta* felicitas ad patriam redeuntium, quoniam Judæi, qui detenti fuerunt in captivitate, per septem decades (id est, per septuaginta annos) detenti sunt in captivitate, et in octava decade reversi in patriam, ubi nostra reversio præfigurabatur, quando, induta immortalitatis tunica, ad patriam revertemur : quod dicit. *Si in potentatibus* annos nostros agamus, erunt *anni* nostri *octoginta*, id est, agentur tunc anni nostri in studio æternorum, vel in studio vere sabbatizantium, vel in felicilate ad patriam redeuntium, quoniam quicunque regno Dei vim facit, hoc attendit, et quod est amplius eorum annorum, id est, quod amplius consideratur in istis annis, est sanctis *labor et dolor*. Amplius consideratur in istis annis a sanctis, quando sollicitudinem gerunt pro his quæ necessaria sunt victui et vestitui, quibus nullus sanctus carere potest; sed eis *labor* pro talibus sollicitudinem gerere, et dolent, quia eos oportet pro talibus esse sollicitos. Vel aliter : Quod *amplius* est annorum eorum, id est, quod amplius attendit quisque in annis istis, quam quod hæc temporalia quæ ad septenarium pertinent, sunt transitoria, et illa quæ futura sunt æterna : et quod *amplius* iterum quisque attendit in istis terrenis, quam quod ipsa fuerunt data ad hoc ut futura in istis intelligantur, illud *labor* hic, *et dolor* in futuro. Nam qui hic adhæret terrenis bonis quasi veris, laborat pro eis acquirendis, et cum de hac vita migraverit, erit ei *dolor* perpetuus. Et quomodo hoc ? Quia *corripiemur* gravi correptione quando *supervenit mansuetudo*, id est, quando apparebit in majestate, videlicet terribilis, qui nunc omnibus mitis. *Quis novit potestatem iræ tuæ?* Quasi dicat : Quandoquidem ira tua qua nos corripis, tanta est, o Domine, quis est ille qui novit digne iram tuam potentem, qua tu parcendo punis, et puniendo parcis ? Parcendo parcit Dominus, quia quos exterius ditat, interius excæcat : flagellando parcit, quia quos exterius tribulari permittit, interius invincibiles custodit, quod dicit, *Quis novit potestatem iræ tuæ? et quis dinumerare iram tuam præ timore tuo*, ad hoc videlicet, ut te timeat : vel *iram tuam præ timore tuo dinumerare*, id est, copiam prosperitatum quam in ira tua quibusdam concedis, quis digne dinumerat *præ timore tuo*, ut comparet videlicet copiam prosperitatum numero pœnarum ? Nam ad hoc exaltat Deus quosdam, ut dejiciat : et ad hoc quosdam prosperat, ut capiantur. *Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia.* Quasi dicat : Ut dignoscamus *iram tuam*, *notam fac* nobis *dexteram tuam*, id est, Filium tuum, hic videlicet, ut eum imitando, dinumeremus *iram tuam præ timore tuo*, et notos *fac* nobis *eruditos corde in sapientia*, id est, illos quos tu exterius sapientia tua erudisti, ut eorum exemplo dinumeremus quæ dinumeranda sunt inter copiam prosperitatum et numerum pœnarum. Quod ut fiat, *convertere, Domine, usquequo*, id est, quousque opus est conversione tua : *et deprecabilis esto super servos tuos*, qui fuisti exorabilis super liberos tuos. Quod revera facies, quia *repleti sumus*, id est, replebimur *mane*, id est, transacta nocte hujus vitæ, *tua misericordia, et exultavimus* exterius, *et delectati sumus*, id est, delectabimur in interiori nostro *in omnibus diebus nostris*, diebus videlicet sempiternis, quando te videbimus facie ad faciem (I *Cor*. XIII.) Et unde hoc nobis ? Quia *lætati sumus*, id est, lætabimur *pro diebus quibus nos humiliasti*, id est, in quibus nos tribulari permisisti, et pro *annis quique vidimus mala*, quia nullus ibi lætatur, nisi qui hic tribulatur : nulli patria est dulcis, nisi cui peregrinatio est gravis. *Respice in servos tuos et in opera tua, et dirige filios eorum.* Quasi dicat : Ut ibi lætemur, hic interim respice in servos tuos ; respice, dico in opera tua, quia quod tui servi facti sunt, hoc est tuum opus, non eorum, et ideo, *dirige filios eorum*, id est, bona opera eorum, vel *filios*, id est, imitatores eorum in bonis operibus, et ut hoc fiat, *sit splendor*, id est imago *Domini Dei nostri*, ratio nostra videlicet, per quam eum imaginari debemus, illa sit *super nos*, id est, dominetur nobis, non deprimatur a sensualitate. *Et opera manuum nostrarum dirige super nos*, ut ad superna videlicet tendant, et non pro mercede terrenorum fiant. Et quia omnia

opera bona unum debent esse in radice charitatis, ideo et singulariter dicit : *Et opus manuum nostrarum dirige.* Quasi dicat : Sic dirigas opera nostra, sint unum opus, id est, ad unum finem charitatis tendant.

PSALMUS XC.

LAUS CANTICI IPSI DAVID.

« Qui habitabit in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, et a verbo aspero. Scapulis suis obumrabit tibi, et sub pennis ejus, sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, et decem milia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis. Quoniam tu es, Domine, spes mea, altissimum posuisti refugium tuum. Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. Longitudine, dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum. »

ENARRATIO.

Canticum ponitur pro exsultatione. Sed quia neque in hoc psalmo aliquis vellet exsultare de humana infirmitate, appositum est *laus cantici*, ut laudabile canticum intelligatis, canticum videlicet quod pertinet ad divinam virtutem, et non ad humanam infirmitatem. Nam Propheta, sicut incarnationem Domini, mortem et resurrectionem prævidens, ad instructionem omnium dixit, ita etiam prævidens ejus tentationem, aperuit eam ad nostram utilitatem, ut, per ejus tentationem instructi, non cedamus tentatori, nihil tamen de nobis præsumentes, sed totum gratiæ suæ attribuentes. Hoc enim exemplum humilitatis reliquit nobis, quia, licet esset homo immunis a peccato, licet Verbum Patris personaliter esset unitum, non tamen ad vindictam contra tentatores insurrexit. Sed, cum dictum est sibi : *Dæmonium habes*, humiliter respondit : *Dæmonium non habeo* (*Joan.* VIII). Ipse etiam tentatus est, idque ideo ne a tentatore vinceretur Christianus ; non fuit sibi tentatio necessaria, sed fuit nostra doctrina. Ambulemus ergo in illo qui se pro nobis viam fecit, quia, si in illo ambulamus, ducet nos ad se vitam per viam. Dicit autem sic Propheta :

Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Quasi dicat : Præcessit quidam in humano genere, positus in abundantia virtutum ; sed in se confidens, non permansit : homo autem secundus, qui venturus est, habitabit, id est, in obedientia perseverabit, non in suo adjutorio confidens ut Adam, sed *in adjutorio Altissimi* et ideo *in protectione Dei*, non qualiscunque, sed *cœli commorabitur*, id est, simul morabitur interius videlicet et exterius, quia nec cogitatione a Domino Deo suo apostatabit ; hic talis *dicet Domino : Susceptor meus es tu*, id est, defensor meus, *et refugium meum Deus meus*, non ego mihi Deus, ut Adam, qui sibi voluit esse Deus, hoc dicet Domino, dicet ad exhortationem proximi : *sperabo in eum*, et hoc ideo *quoniam ipse* liberavit *me* in meis *de laqueo venantium et a verbo aspero.* Venatores isti sunt diabolus et angeli ejus qui semper, quasi venando, hominem insequuntur ut capiant ; tendunt etiam sibi laqueos quibus capiantur. Nam snggerit ei amorem et cupiditatem rerum temporalium, sed Dominus ab his laqueis suos liberat, dando eis ut claudant ostium cordis contra suggestionem cupiditatis. Nota quia solent laquei et retia tendi non in via, sed juxta viam, ita diabolus illis qui sunt in via, id est qui perfecte Christo adhærent, non tendit laqueum, quia Christus illos ducit per se viam ad se vitam ; illis vero qui sunt juxta viam, id est minus in fide perfectis, tenditur recte ut capiantur, quos tamen Dominus liberat, ducendo eos ad perfectionem, quod dicit, quantum ipse liberavit *me de laqueo venantium.* Verbum asperum est omne verbum detractionis vel insultationis male viventium, etiam si sibi blandiendo loquantur, dummodo ut seducant ; asperum verbum dicitur, a quo verbo aspero liberat Deus suos, dans eis fortitudinem, ut neque blanditiis cedant, neque minis. Nota, quia sicut, tensis laqueis vel retibus, solent lapides in sepes mitti ut sic deterreantur aves, ut ad laqueum veniant, sic solet proponi fidelibus verbum asperum in minis et blanditiis, ut, vel timore perterriti, cadant ut laqueos, vel amore eorum quæ sibi blandis verbis proponuntur, pedem vinciant laqueis. *Scapulis suis* obumbravit *tibi, et sub pennis ejus sperabis*, quasi dicat : *Dicet Domino,* dicet proximo, dicet etiam sibi aggratulando. Merito sperabis in eum, quoniam *obumbravit tibi*, id est proteget te interius *scapulis suis*, in præsentia sua te custodiens scilicet, et dictum est ad similitudinem, quia, qui inter speculas tenet aliquem pectori suo conjunctum, quasi præsentem habet, sic Dominus quasi *scapulis* obumbravit quem sibi præsentem facit, quod dicit, *scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis*, protectus tam in te quam in tuis. Hæc dicuntur de similitudine, non de proprietate, quia solent aves, et maxime gallinæ pullos suos sub alis protegere, et ibi fovere. Gallina etiam pro nimia affectione quam habet erga pullos suos se hispidam et debilem facit, ita Dominus suos quasi sub pennis fovet, quos nimia affectione sua custodit ne fiant præda diaboli.

Vel aliter: *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Solent aves quædam, ut aquila, pullos suos scapulis portare et sic circumducere, donec discant volare, ne, cum primitus volare incœperint, casum patiantur, ita Dominus, dum infirmi sumus, portat nos donec nos perficiat, ne si nos dimiserit, causam pro imperfectione patiamur, quod dicit. *Scapulis suis obumbrabit tibi*, id est defendet te in tuis et *sub pennis ejus*, id est sub charitate Dei et proximi obumbratus sperabit in tuis. Vel aliter: *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Solet fortitudo notari in scapulis. Fortitudo autem Domini notatur in eis miraculis quibus ipse obumbrat suos et sustentat, quia, cum verbis eorum signa fidem subministrant, ipsi prædicatores per miracula quasi fortitudine quadam sustentantur, quia ferventiores fiunt in fide, quando per miracula veri prædicatores comprobantur; *et sub pennis ejus sperabis*, id est in præceptis mandatorum tuorum, quibus fideles in auram libertatis quasi per pennas deportantur. *Scuto circumdabit te veritas ejus*, et ideo non timebunt qui tuti erunt a timore. *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tinebris, ab incursu et dæmonio meridiano.* Hic proponit duo et illa geminat, ut fiant quatuor quibus impugnantur fideles quos circumdat veritas Domini. Impugnantur enim levi persecutione et gravi, quibus cedunt illi qui adhuc sunt quasi nox, nescientes reddere Christianismi sui rationem: et impugnantur etiam levi et gravi persecutione, quibus iterum cedunt quidam, qui quasi dies sunt, scientes videlicet reddere rationem Christianismi sui. Sed quia veritate quasi *scuto* sunt circumdati, hic omnibus tentati permanent illæsi: quod dicit, *Non timebis* interius *a timore nocturno*, id est, a persecutione levi quæ fit ignorantibus, qui quasi nox sunt adhuc propter ignorantiam rationis, quam deberent reddere pro fide sua. In timore notatur persecutio levis, quoniam timor solet præcedere factum. *Non timebis* etiam *a sagitta volante in die.* Per sagittam notatur persecutio levis, quia sagitta levius vulnerat quam gladius: quod dicit *volante in die* notat eam fieri in illis qui sunt quasi dies, scientes rationem reddere fidei suæ; quod dicit, non timebunt tui *a sagitta volante in die*, id est, a persecutione levi quæ fit scientibus. *Non timebis* etiam in tuis *a negotio perambulante in tenebris*, id est, a persecutione vehementi quæ, pro magnitudine, negotium quasi *negans otium* dicitur; quæ perambulat *in tenebris*, nescientes temporalia esse contemnenda, et æterna tantum speranda, *non timebis* etiam *ab incursu et dæmonio meridiano*, id est, ab instantia vehementis persecutionis quæ fit scientibus [illegible] vocales, cedunt tamen nimiis molestiis. Per dæmonium notatur tribulatio, per incursum instantia tribulationis: per meridianum duo notantur, et fervor tribulationis, et illi quibus fit ipsa tribulatio, quoniam et ipsi quodammodo fervere videbantur ideo quia sciebant reddere rationem Christianismi. *Cadent a latere tuo mille, et* A *decem millia a dextris tuis.* Quasi dicat Propheta: Merito dicis tibi aggratulando, *non timebis a dæmonio meridiano*, quia multi per dæmonium meridianum victi sunt. Nam illi etiam qui quantum ad opinionem suam tecum in judiciaria sede sessuri erant ut alios judicarent, veniente fervore tribulationis, perdiderunt id quod præsumptuose sibi promittebant. Nota quia, Petro interrogante et dicente, *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondit Dominus: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Hoc attendentes plurimi sua reliquerunt, et se sessuros cum Domino ad judicandum sperabant. Sed, quia in bono quod faciebant, non de Deo, sed de se B præsumebant, ceciderunt a latere Domini, a judiciaria sede, non quod ibi fuerunt, sed quia sibi præsumptuose promittebant, quod dicit: *Cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis.* Sunt etiam multi, qui, attendentes Deum præcipientem, *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Ibid.*), vendunt omnia quæ habent, et largissimas eleemosynas faciunt, sed quia hoc non in conspectu Dei, sed ad favorem hominum faciunt, ideo cadent a dextris Domini, non quod ibi fuerunt, sed quia se venturos putabant. Nota, quia plures sunt qui in dextris judicandi sunt quam illi qui in latere sessuri sunt judicantes, ideo dixit, *cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, ad te autem*, id est, ad tuos *non appropinquabit* casus ille, quia etsi appropinquat tormentum carni, tamen non lædit C locum fidei. *Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.* Illi *cadent a latere tuo* propter injustitiam persecutionis persequentium te, sed tamen illi persecutores, licet floreant, non impune persecuti sunt eos. Quoniam *oculis tuis*, id est, tua discretione *considerabis* hoc nón impune factum esse, *et videbis*, id est videri facies hoc esse ad tribulationem peccatorum quod alios persequi permittuntur. Vel sic, ilii videntur cadere *a latere, tuo et dextris tuis, verumtamen oculis tuis considerabis*, id est, tua discretio hoc attendet illos non fuisse a dextris tuis, neque ad latus tuum, et *videbis*, id est, alios videre facies, hoc esse eis *retributionem peccatorum* quod cadunt, quia non in te, sen in se, in benefactis suis gloriati sunt. Vel aliter: *cadent a* D *latere tuo mille* quasi dicat Propheta: Merito aggratulando dicis tibi, in tuis *non timebis*, quia *cadent a latere tuo*, id est, ab bis qui vere sunt *in latere tuo mille*, scilicet pericula, vel, *mille* tentationes et *decem millia* tentationum vel periculorum *cadent a dextris tuis*, quia quatumcunque geminentur pericula sive tentationes, non nocebunt tuis. Hoc autem ideo, quia *tibi*, id est, tuis *non appropinquabit* periculum aliquod, quia etsi persecutores tormentum inferant carni, tamen non lædunt locum fidei. Frustra ergo tribulantur? Non, quia licet ipsi non vincuntur a tribulatione, tu tamen *oculis tuis considerabis* eos non frustra tribulari, quo-

niam est eis tribulatio ad probationem, et tu *videbis* A hoc esse ad *retributionem peccatorum* eis qui inferant tribulationem aliis. Quasi dicat : In tua discretione est quia non frustra infertur tribulatio, quia infertur ad probationem patientium, et ad damnationem inferentium. *Quoniam tu es, Domine, spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.* Hic iterum vox capitis est. Quasi dicat : Merito mihi aggratulor in meis, et merito non timeo in illis, quoniam *tu, Domine,* factus *es spes mea,* id est, spes meorum, dando eis per me quid sperare debeant, quia resurrectio quæ præcessit in me capite, subsequetur et in membris, et ita factus es spes meorum. Noverat enim humanum genus mori posse, sed non noverat resurgere posset et sic habebat quod timeret, nan habebat quod speraret. Ut autem spes eis adderetur, ille, B qui dedit propter disciplinam timorem mortis, dedit propter præmium spem resurrectionis : quod dicit, *Tu es, Domine, spes mea,* et *posuisti* me *refugium tuum,* quia, quod humanum genus ad me veniens certum habet refugium, hoc ex tuo est, quia altissimum me fecisti. Quid altius unam de carne mortali facere carnem immortalem, et de corruptibili incorruptibilem ? Vel sic : *Posuisti altissimum refugium tuum,* quia per me deleta sunt peccata hominum, juxta illud Pauli : Quem posuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ut ipse sit verax, justificans eum qui ex fide est Jesu (*Rom.* x). vel sic : *Altissimum posuisti refugium* juxta illud : *Dedit illi nomen quod est super omne nomen* (*Phil.* II). *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Vox prophetæ quasi sic dicentis : C Vere Dominus factus es spes in tuis, *quoniam non accedet ad te,* id est, ad tuos *malum,* quia licet exterius sæviat persecutor, interius factus est Deus adjutor, *flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Tabernaculum istud est corpus Christi, in quo ipse secundum carnem militavit, in quo multa passus est flagella, quia capiebatur, flagellabatur, conspuebatur et ad ultimum in cruce suspendebatur. Sed, quoniam resurrexit, et incorruptibile corpus assumpsit, huic tabernaculo non amplius appropinquabunt flagella : quod dicit, *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam angelis suis mandavit de te* Deus Pater, id est, propter te, ut tibi subministrarent obsequium servitutis. Unde illud : Et *apparuit angelus confortans eum* (*Luc.* XXII). Hæc confortatio non D fuit ad necessitatem, sed ad servitutis exhibitionem, fuit etiam ad nostram doctrinam, quia unusquisque fidelium habet angelum confortantem se in bonis operibus. Unde illud : *angeli eorum semper vident faciem Patris* (*Matth.* XVIII) : quod dicit, *quoniam angelis suis mandavit de te,* istud videlicet, *ut custodiant te in omnibus viis tuis,* et ideo quia mandavit, *in manibus portabunt te,* id est, exhibitionem servitutis tibi impendent, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* id est, ne pedes tui, id est, apostoli et cæteri quibus ingressurus es quasi pedibus in notitiam gentium, offendant ad lapidem, id est, ad legis duritiam, ut illud videlicet quod deberent facere ex amore faciant ex timore, velut Judæi qui Deo servierunt ex timore, non ex amore, et ideo legem in tabulis lapideis scriptam receperunt, quia dura corda eorum ad amorem non erexerunt, sed in timorem depresserunt. Ut autem charitas Dei diffunderetur in cordibus fidelium, ab angelorum manibus deportatus est in cœlum Dominus, ut sic ad discipulos mitteretur Spiritus sanctus, qui auferret timorem et præstaret amoris plenitudinem, ut illud videlicet quod prius fuit difficile timentibus facile fieret amantibus. Unde Apostolus : *Non accepisti,* inquit, *spiritum servitutis iterum in timore, sed* libertatis *spiritum* in amorem (*Rom.* VIII) quod dicit : *In manibus portabunt te a conspectu hominum in cœlum.* Et quis fructus inde ? *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* id est, ne prædicatores tui similes efficiantur illis qui offendunt ad lapidem offensionis, velut Judæi qui in legem tabulis lapideis conscriptam offendebant, facientes bona quæ faciebant non ex amore, sed ex timore. Nota quia non erat Dominus ab angelis deportatus, quod necesse erat ei reportari ab eis, sed ipsa deportatio fuit servitutis exhibitio. *Super aspidem et basiliscum ambulabis.* Basiliscos interpretatur *regalis,* unde basiliscus rex serpentium dicitur, et sic per *basiliscum* diabolus intelligitur qui caput est totius serpentinæ malitiæ: per *aspidem* intelliguntur quique hæretici et cæteri venenosi qui veneno suo fidelium animas mortificant super quos tamen Dominus ambulabit in suis; *et conculcabis leonem et draconem,* id est, tui conculcabunt aperte sævientes et occulte insidiantes. *Quoniam in me sperabit, liberabo eum.* Quasi dicat : *Deus* Pater *mandavit de te angelis suis,* dicens : *liberabo eum,* id est, anchoram spei suæ in me fixit, *protegam eam* in suis ab æstu vitiorum : et hoc, ideo *quoniam cognovit nomen meum,* hoc scilicet quod est Dominus, quod cognoscunt illi qui bonis operibus profitentur se esse servos Domini. *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum* tam in se quam in suis. *Cum ipso sum in tribulatione,* suorum. Unde illud, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII); *eripiam eum* a persecutione temporali, *et glorificabo eum* gloria æterna; aliter *eripiam eum* non ut audiat verba aspera, sed ne, erubescendo ea, cadat in muscipulam diaboli, *et* tandem *glorificabo eum,* quia *longitudine dierum* æternalium *replebo eum, et ostendam illi salutare meum,* ut illud, ostendam illi *meipsum* (*Joan.* XIV).

PSALMUS XCI.

PSALMUS CANTICI IN DIE SABBATI.

« Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini « tuo, Altissime. Ad annuntiandum mane misericor« diam tuam, et veritatem tuam per noctem. In « decachordo, psalterio, cum cantico, in cithara. « Quia delectasti me, Domine, in factura tua, et in « operibus manuum tuarum exsultabo. Quam ma« gnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ « factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non

« cognoscet, et stultus non intelliget hæc. Cum A « exorti fuerint peccatores sicut fenum, et appareu« rint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant « in sæculum sæculi : tu autem Altissimus in æter« num, Domine. Quoniam ecce inimici tui, Domine, « quoniam ecce inimici tui peribunt, et dispergentur « omnes qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur « sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in « misericordia uberi. Et despexit oculus meus ini« micos meos, et ab insurgentibus in me malignan« tibus audiet auris mea. Justus ut palma florebit, « sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in « domo Domini, in atriis domus Dei nostri flore« bunt. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et « bene patientes erunt, ut annuntient. Quoniam « rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas B « in eo. »

ENARRATIO.

Propheta, videns Judæos litteram attendentes, et non spiritum, Sabbatum grossum celebrare, et non delicatum, hortatur nos in hoc psalmo Sabbatum delicatum celebrare. Quod Sabbatum delicatum est serenitas conscientiæ, tranquillitas mentis, requies cordis, cessatio ab operibus malis, quia non prodest manus abstinere ab opere, nisi mens etiam cesset a crimine, quia melius est arare quam saltare, et fodere quam usque ad crapulam bibere. Judæi vero, Sabbatum grossum celebrantes, hoc non attendebant, sed manus eorum feriabatur ab opere, mens eorum promptior erat in perpetrando celere. Non attendebant quia illud Sabbatum signum erat futuræ requiei, ad quam nullus perveniet, nisi quem con- C scientia liberum esse defendit. Quod autem Sabbatum illud, quod Judæis fuit injunctum ad celebrandum, sit signum futuræ requiei, nota liber Geneseos, qui, cum præcedentes dies per mane et vespere determinet, septimam illam diem videlicet Sabbatum, in quo Dominus ab opere requievit, per vesperum non determinavit, quia requies illa, quæ per hoc Sabbatum futura designatur, nullis tenebris offuscatur, sed in purissima charitate æternaliter agitur. Quod dicitur Dominus ab operibus requievisse, non ideo dicitur quod laborem aliquem passus sit in opere, sed præfigurabat quid futurum, videlicet in fidelium congregatione, quia ad requiem veram quæ per Sabbatum futura denotatur, a nullo fidelium sine labore pervenitur, ut hoc figu- D raret quasi ab opere septima die requievit. Titulus sic exponitur : Psalmus, id est, hæc operatio est, *cantici*, id est, exultationis : *cantici* dico, habendi *in die sabbati*, id est, in consideratione veræ requiei quæ est in serenitate conscientiæ : et quoniam serenitas conscientiæ procedit ex confessione, ideo in confessione habet psalmus initium. Confessio autem est duplex, vel quando Dominum laudamus ex benefactis nostris, vel quando nosipsos accusamus in confitendo quod male fecimus. Dicit autem sic :

Bonum est confiteri Domino. Confitere ergo Domino, accusando te ipsum in maledictis tuis, laudando eum in benefactis suis, quod dicit, *bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo*, scilicet glorificando. O *Altissime*, in hoc videlicet psallendum est nomini tuo, ut annuntiet unusquisque esse misericordiæ tuæ quod consolaris in prosperis, et esse tuæ justitiæ quod corrigis in adversis. Quod dicit, *bonum est psallere nomini tuo ad annuntiandum misericordiam tuam* esse *in mane*, id est, in prosperis ne deficiant tui, *et veritatem tuam*, id est justitiam esse *per noctem*, id est, in adversis; ne impune peccetur a tuis. *In decachordo psalterio.* Quasi dicat : *Bonum est psallere nomini tuo*. Psallendum autem est *in decachordo psalterio*, ita videlicet ut, in anima nostra quæ in superiori nostra admodum psalterii sonum rediit, decem præcepta legis observemus, et hoc non ex tristitia, sed *cum cantico*, id est, cum mentis hilaritate, quia coactum servitium non est Deo placitum. Unde illud : *Hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Psallendum est etiam *in cithara*, id est, in carnis mortificatione, quia necesse est quemque, ut bene psallat, crucifigere carnem cum vitiis et concupiscentiis : vel *in cithara*, id est, in officio corporis, in exhibitione videlicet eleemosynarum et cœterarum virtutum quæ corpore administrantur. *Quia delectasti me, Domine, in factura tua.* Quasi dicat : Merito tibi psallendum est, quia cum in mea factura essem contristatus, *delectasti me, Domine, in factura tua*, cum per te videlicet regnaturus sum. Unde Appstolus : *Ipsius*, inquit, *factura sumus, creati in operibus bonis* (*Eph.* II). *Et* quia *delectasti me in factura tua*, ideo *in operibus manuum tuarum* exercebor, id est, tibi attribuam quod boni operor, quia non ego operor, sed manus tuæ, id est, potentiæ tuæ, in me operantur si quid boni operor. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Delectasti me, Domine, in factura tua*, et hæc opera tua quod me delectari facis in factura tua, quam magnificata sunt, id est, quam magna habenda sunt. *Et nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*, id est, exaltando alium dejicis, et alium humiliando exaltas, non est humanæ mentis investigare. Vel sic : *Psallendum est nomini tuo in cithara.* Quod autem psallentes *in cithara* permittis laborare, et non psallentes florere, bona *opera tua*, Domine, *quam magnificata sunt, et nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*, in quibus hæc omnia apud teipsum disponis : quod enim *vir insipiens*, id est, ille qui nescit sibi cavere in posterum, solam vitam temporalem existimans, *non cognoscet, et stultus non intelliget hæc. Stultus* est ille qui, cum sit in summa miseria, putat se esse in maxima felicitate, velut plures qui ad hoc exaltantur, ut dejiciantur. Quod dicit, *stultus non intelliget hæc*, et dicit quæ. *Cum exorti fuerint peccatores*, id est, extra, alios orti *sicut fenum, quod hodie viret et cras in clibanum mittitur* (*Matth.* VI), et *non intelliget* quod cum *apparuerint omnes qui operantur iniquitatem*, *ut*, id est, qualiter *intereant in sæculum sæculi*, id est, æternaliter. Hoc autem ex hoc proce-

det,quia *tu, Domine,in æternum*,scilicet regnaturus A veniens *Altissimus* ut fenum sicces,id est, ut exsicces eos velut sol,qui ab Alto veniens cum fervore fenum exsiccat.Vel sic simpliciter, Ipsi interibunt æternaliter : tu *autem, Domine*, quem hic humilem contemnunt, eris *Altissimus*, et hoc *in æternum. Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt*. Quasi dicat : Non attendunt,ut intereant,cum tamen revera *peribunt. Quoniam ecce inimici tui peribunt.* Et ecce futurum est,quia tempus breve est,et ut confirmet eos perituros, repetit, *ecce peribunt*, et hoc ideo, *quoniam inimici tui* sunt,et *dispergentur omnes qui operantur iniquitatem*,quia separabuntur agni ab hædis,et,illis dispersis, *exaltabitur cornu meum*,id est sublimitas mea *sicut unicornis*.Unicornes sunt illi qui una spe, B quasi uno cornu,se erigunt ad cœlestia. Unde illud : *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI). *Et senèctus mea in misericordia uberi.* Per senectutem notantur novissima fidelium,quæ erunt in misericordia uberi,id est abundanti, quia, cum nunc misericordia in vocatione et justificatione, tunc erit abundans quando temporali labore æterna dabitur requies.Merito novissima fidelium senectus dicuntur,quia,sicuti in senectute,capilli qui prius fuerunt nigri fiunt albi,ita et ibi,qui prius laboraverunt temporali certamine, gaudebunt æterna requie,ubi nulla nigritudo erit morum perversorum, *Et despexit oculus meus inimicos meos*. Quasi dicat: Quia *senectus mea* erit *in misericordia uberi*, ideo oculus meus, interior videlicet, despicit *inimicos meos*.Et insurgentes *in me* malignantes,id est quan- C do malignantes insurgunt, ut in me forma eorum appareat, ut me sibi conforment, audiat *auris mea* a veritate intus sibi præsidente,quod non sit fidelis ex tempore florere : sed *justus ut palma florebit*, tarde videlicet,quia necesse est post multas tribulationes quemque fidelem intrare in requiem(*Act.*XIV). notatur etiam in *palma*,quia inferius circa radicem sit hispida, et superius floribus adornanda sit. Et *sicut cedrus Libani multiplicabitur*, quia *plantati in domo Domini*, in Ecclesia,videlicet *in charitate fundati* (*Ephes.*III), *florebunt in atriis domus Dei nostri* id est in cœlesti Jerusalem,ubi recondita sunt quæque delectabilia : et hoc *adhuc* exspectandum est, et sic *multiplicabuntur in senecta uberi*, et interim *erunt* hic *bene patientes*,quia patientia necessaria est D ut reportemus repromissiones (*Hebr.* x).Quod dicit, *Et erunt bene patientes ut, annuntient quoniam rectus* est *Dominus Deus noster* in correctione filiorum suorum, *et non est iniquitas in eo*, cum parcit servis fugitivis.

PSALMUS XCII.

LAUS CANTICI DAVID, IN DIE ANTE SABBATUM QUANDO FUNDATA EST TERRA.

« Dominus regnavit, decorem indutus est : in-
« dutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se
« Etenim firmavit orbem terræ, qui non commove-
« bitur. Parata sedes tua ex tunc,a sæculo tu es.
« Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumi-
« na vocem suam.Elevaverunt flumina fluctus suos
« a vocibus aquarum multarum.Mirabiles elationes
« maris,mirabilis in altis Dominus.Testimonia tua
« credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet
« sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.»

ENARRATIO.

Terra,quæ dicitur fundata, significat genus humanum quod in die ante Sabbatum, id est in sexta mundi ætate,in fide a Domino est stabilitum et fundatum.Dies ante Sabbatum sexta feria dicitur, in qua hominem creavit, quem etiam per inobedientiam a se diffluxum in sexta mundi ætate per fidem regeneravit,et in sexta hora diei sanguine suo redemit.Ut autem sciamus quæ ætas hic ante Sabbatum per fidem designatur,ab initio ipsa tempora mundi distinguamus. Est autem prima ætas,quasi prima dies,ab Adam usque ad Noe. Secunda ætas, quasi secunda dies,a Noe usque ad Abraham. Tertia ætas,quasi tertia dies,ab Abraham usque ad David. Quarta ætas,quasi quarta dies,a David usque ad transmigrationem Babylonis.Quinta,a transmigratione Babylonis usque ad prædicationem Joannis. Sexta, a prædicatione Joannis usque ad finem mundi. Septima erit dormientium,octava resurgentium. In sexta vero ætate fundata est terra, quia genus humanum per prædicationem Joannis et cæterorum in fide est fundatum,quod diffluxit per inobedientiam primorum parentum. De hac fundatione loquitur Propheta in hoc psalmo, exhortans tam suos contemporaneos quam præteritos, ut in fide fundari a Domino et a suis non renuant. Dicit sic Propheta :

Dominus regnavit. Quasi dicat : Qui ante sæcula regnavit in divinitate, nunc regnat in carnis humilitate. Et quomodo regnavit? *Decorem indutus est*,id est,sobrietatem et decorositatem induit,*indutus est fortitudinem, et præcinxit se* ad firmandum *orbem terræ*.Nota quia ad diversos refertur quod dicitur, *indutus est decorem et fortitudinem. Decorem* inquit, quantum ad illos qui dixerunt,*quia bonus est* (*Joan.* VII). Quantum ad illos qui dixerunt : *non, sed seducit turbas* (*Ibid.*), indutus est *fortitudinem*, quia patienter eos tulit.Nos etiam induamus *decorem* et *fortitudinem*.Si aliquis est, cui placent bona opera nostra, induamus *decorem*, gratias Deo referendo quod a nobis exemplum bonæ operationis capi possunt. Si autem aliquis est, cui displicent bona opera,induamus contra illum *fortitudinem*, patienter eum tolerando. Vel sic, *Dominus regnavit*, id est,sibi regnum obtinuit et ideo regnum more ornatus est,quia induit *decorem* et *fortitudinem*, id est decoros et fortes ; *et* sic *præcinxit se* in suis, ut expeditus esset ad operandum : quod alibi, et *præcinxit* se *virtute ad bellum* (*Psal.* XVII), vel indutus est sobrietatem et patientiam. *Etenim firmavit orbem terræ*. Quasi dicat : *Indutus est Dominus fortitudinem.et præcinxit se*,et hoc effectus indicat, quia

per illos virtuosos *firmavit orbem terræ*, id est, in fide stabilivit, faciendo quosdam orbes rotundos, videlicet virtutibus, *qui* orbis *non commovebitur*, id est, non amplius patietur instabilitatem et recessum a Deo, quia in eo orbe *parata est sedes tua*, o Deus, *ex tunc*, id est, ex tempore Joannis Baptistæ, ex quo homines in fide cœperunt fundari. Sed nunquam sedem tuam dicam a tempore illo præparari, tamen *tu es* Deus *a sæculo*, id est, ab æterno in æternum. *Elevaverunt flumina, Domine.* Ostendit qualiter sit *parata sedes* Domini, quia *flumina*, id est, prædicatores sæculi, de quibus dictum est : *Qui biberit* aquam *quam ego* do *ei*, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* IV *et* VII). Hæc flumina elevaverunt se in sublimitate mentis. *Elevaverunt* eadem *flumina vocem suam*, ad exhortationem aliorum *elevaverunt flumina* illa et *fluctus suos*, id est, comminationes, dicentes : *Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis* (*Luc.* XIII). Et hi fluctus processerunt *a vocibus aquarum multarum*, quia alii prædicatores multi consonabant apostolis prius prædicantibus, et sic factæ *elationes maris mirabiles*, quia elati inter gentes intumuerunt contra prædicationem sedis Domini et fluctus prædicatorum. Quod tamen non fuit curandum, quia *Dominus* fuit *mirabilis in altis* fluctibus maris deprimendis, et hoc modo per *elationes maris, testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, quia hoc quod tu testatus es, *in mundo pressuram habebitis*, in me vero pacem (*Joan.* XVI), in se ipsis experti sunt prædicatores tui ; et non hoc conturbet aliquem, quia *sanctitudo* talis, id est, quæ per tribulationem talis efficitur, *decet domum tuam*, Ecclesiam videlicet tendentem *in* longitudinem *dierum*, id est, in æternitatem. Vel aliter : *Parata sedes tua ex tunc, a sæculo tu es*, et tunc quando sedes tua, o Deus, præparabatur, *elevaverunt flumina*, id est, mundani philosophi exaltati sunt in elatione mentis, *elevaverunt* etiam *vocem suam* ut disputationibus vanis contrairent prædicatoribus tuis : *Elevaverunt et flumina*, id est, principes gentium *fluctus suos*, id est, verba comminata, et hoc processit *a vocibus aquarum multarum*, id est, a consonantia multorum populorum, et factæ sunt *mirabiles elationes maris* : et e contra *Dominus mirabilis* factus est *in altis* illis elationibus deprimendis, et sic, quasi illis depressis, *testimonia tua*, id est, miracula tua quæ testabantur tui, *nimis facta sunt credibilia. Nimis*, ideo quia signa confirmabant dicta eorum. Unde illud : *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Et hæc talis *sanctitudo decet domum tuam*, id est, Ecclesiam tuam tendentem *in longitudinem dierum.*

PSALMUS XCIII.

PSALMUS DAVID QUARTA SABBATI.

« Deus, ultitionum Dominus, Deus ultionum libere
« egit. Exaltare, qui judicas terram, redde retribu-
« tionem superbis. Usquequo peccatores, Domine,
« usquequo peccatores gloriabuntur ? Effabuntur et
A « loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui ope-
« rantur injustitiam. Populum tuum, Domine, hu-
« miliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt. Vi-
« duam et advenam interfecerunt, et pupillos occi-
« derunt. Et dixerunt : Non videbit Dominus, nec
« intelliget Deus Jacob. Intelligite, insipientes in
« populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit
« aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum, non
« considerat ? Qui corripit gentes, non arguet, qui
« docet hominem scientiam ? Dominus scit cogita-
« tiones hominum, quoniam vanæ sunt. Beatus ho-
« mo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua
« docueris eum. Ut mitiges ei a diebus malis, donec
« fodiatur peccatori fovea. Quia non repellet Domi-
« nus plebem suam, et hæreditatem suam non de-
B « relinquet. Quoadusque justitia convertatur in ju-
« dicium, et qui juxta illam omnes qui recto sunt
« corde. Quis consurget mihi adversus malignantes
« aut quis stabit mecum adversus operantes iniqui-
« tatem ? Nisi quia Dominus adjuvit me paulominus
« habitasset in inferno anima mea. Si dicebam :
« Motus est pes meus, misericordia tua, Domine
« adjuvabit me. Secundum multitudinem dolorum
« meorum in corde meo, consolationes tuæ lætifi-
« caverunt animam meam. Nunquid adhæret tibi
« sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto ?
« Captabunt in animam justi et sanguinem innocen-
« tem condemnabunt. Et factus est mihi Dominus
« in refugium, et Deus meus in adjutorium spei
« meæ. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in
« malitia eorum disperdet eos, disperdet illos Do-
C « minus Deus noster. »

ENARRATIO.

Solent minus eruditi, id est, minus perfecti in corpore Christi, quod est Ecclesia, perverse cogitare, tacite dolere, in vocem etiam aliquando murmurando prorumpere, videntes florem malorum et laborem bonorum ; illos regnare, istos servire ; illos exaltari, istos deprimi ; illos abundare, istos egere ; et dicunt se frustra credidisse et sic incitantur ad malitiam eorum, vel, si non audent propter infirmitatem, quia timent humanum judicium, licet servent manus innoxias, mentem tamen coinquinant et inter cæteras iniquas cogitationes habent caput iniquarum cogitationum, dicentes quod Deus averterit
D oculos suos a fidelibus, et dicunt quod Deus non curet gubernare hæc infima ; vel dicunt eum æqualiter diligere bonos et malos, vel, quod pejus est, bonos insectari, malis favere, et cum sic murmurant, nulli damnum faciunt, sibi tantum maximum malum inferunt, quia non habent veram innocentiam. Vera enim innocentia est quæ nec sibi nec alteri obest. Hanc innocentiam illi observabant de quibus dictum est : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus*, et *facere* malum, *et non fecit* (*Eccli.* XXXI). Hos dolores et iniquas cogitationes procurat psalmus iste, exhortando ipsos murmurantes ne contra florem malorum habeant invidiam, et in la-

bore bonorum habeant patientiam. Nam unusquisque qui vere est Christianus, cum videt taliter murmurantes, dolet et irridet, et dicit : Non est hominis investigare cur Deus patiatur bonos laborare et malos florere, sufficit mihi scire laborem bonorum esse temporalem, et florem malorum. Et hæc dicendo, proponit sibi patientiam contra felicitatem malorum et miseriam bonorum. Quam patientiam docet psalmus iste, cui talis præponitur titulus: *Psalmus David quarta Sabbati*. In *quarta Sabbati* legitur Deus fecisse luminaria in firmamento (*Gen.* I), *solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis* (*Psal.* CXXXV). Hæc luminaria quantumcunque homines mentiuntur de eis, quantæcunque cadant grandines, quantacunque fiant pericula, a statu suo non moventur, sed cursum suum qui sibi est a Deo dispositus peragunt. Per hæc talia luminaria significantur illi de quibus dicit Apostolus: *Omnia facite sine* disceptatione *et* murmuratione, *ut sitis* irreprehensibiles et sinceri, immaculati *filii Dei, in medio nationis pravæ et perversæ*, ubi *lucetis velut luminaria* fixa *in* firmamento, *verbum vitæ continentes* (*Phil.* II). Lucent illi, velut luminare in firmamento, qui in Scripturis sacris promissiones Domini attendunt. Nam qui eas attendunt, ipsi quasi in firmamento cursum suum peragunt, habentes undique patientiam et in hoc, videlicet quod vident malos florere, bonos laborare. Qui vero hoc impatienter ferunt, ipsi quasi in firmamento cadunt, non recte statum cursus sui perficientes. Et quoniam psalmus iste patientiam proponit, merito intitulatus est *quarta Sabbati*, non quod psalmus agat de rebus creatis *quarta Sabbati*, sed de rebus significatis per res creatas *quarta Sabbati*. Nam vox eorum est in hoc psalmo, qui significantur per luminaria *quarta Sabbati* in firmamento posita, et dicunt:

Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Quasi dicat : nullus invideat malis in flore suo nec doleat si boni laborant, sed cor sursum semper habeat, quia *Deus* est *Dominus ultionum* scilicet agendarum, a quo non erit impunitum omne malum. *Deus* est *ultionum* dico, quia *libere egit* in Verbo, et ideo *libere* aget in judicio. *Libere egit* in Verbo, ut scriptum est : Et *erat* loquens tanquam vir *potestatem habens, non* tanquam *Scribæ et Pharisæi eorum* (*Matth.* VII). *Libere egit*, passurus ; et ideo neminem timebit. cum veniet judicaturus. Ut autem *libere* agas in judicio, nascere, morere et exsurge, et sic, *exaltare, qui judicas terram* id est *qui judicas* eos qui terra sunt, et *redde retributionem superbis*. Superbi sunt, et qui nolunt peccata sua confiteri ; quibus reddet Dominus secundum opera sua. Vel si continuatur. *Libere egit* in Verbo, et ideo libere agit in judicio. Populus vero malignus non intellexit cum *libere egit* in Verbo. Ut autem intelligat populus te *libere* acturum in judicio, *exaltare qui judicas terram : redde retributionem superbis*, qui te noluerunt hic humilem cognoscere : vel *libere* agit in judicio, quia *apud eum non erit personarum acceptio, sed unicuique reddet secundum opera sua. Usquequo peccatores, Domine, usquequo gloriabuntur*? Artificiose agitur in hoc psalmo contra minus eruditos et murmurantes contra Dominum, quia qui hic loquitur ut competentius ad gaudium et ad patientiam secum ducat, prius vocem eorum in se transfert, et sic eis quasi condolendo repræsentat vocem illorum, ut et ipsi postea assumant vocem istorum. Qui consolatur amicum, non competentius hoc faciet quam si cum amico se dolere ostendat, quoniam sic levius secum dolentem ad gaudium ducere potest. Quod si dicit : *Usquequo peccatores, Domine, gloriabuntur?* id est quousque patieris peccatores agere quæ volunt? et quousque *gloriabuntur* in felicitate sua? Et ecce apparet in quo gloriantur. *Effabuntur et loquentur iniquitatem*. Ordo est præposteratus, quia prius apud se loquentur, et postea aliis extra loquentur. Quid *loquentur?* Cogitant apud se quod Deo non displiceat mala vita eorum : quia displiceret, vel penitus eos e vita auferret vel sic eos florere non permitteret, et, hæc cogitando, surgunt contra alios in defensionem peccatorum. Quod dicit, *effabuntur et loquentur iniquitatem* : *loquentur*, dico, *omnes qui operantur injustitiam*, quia operando *loquentur*. Et ecce iniquitas quam loquuntur. Quia *populum tuum, Domine, humiliaverunt* in fide, sibi conformando humiliandos reddiderunt, *et hæreditatem tuam*, perfectos videlicet, quia a te usque ad perfectionem culti sunt, quos non potuerunt humiliare, *vexarunt*, id est multis tribulationibus affixerunt. Et quæ sit hæreditas quam *vexaverunt*, subjungit : *Viduam et advenam interfecerunt et pupillos occiderunt*. Vidui sunt omnes illi qui se a copulatione diaboli separant cui quisque copulatur, quando in peccatum cadit. Advenæ sunt illi qui intelligunt se non habere hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt (*Hebr.* XIII). Pupilli sunt qui relinquunt parentes mundanæ civitatis. Hi tales sæpius vexati sunt ab impiis, *et dixerunt* in ipsa vexatione contra Dominum murmurantes : *non videbit Dominus* suos sic plagari ab impiis, quia si videt, cur patitur ? et si patitur, non est justus ; et sic possent ad hoc venire ut non esset Deus, quia qui aufert justitiam aufert et deitatem. Quod dicit, *Non videbit Dominus, nec* etiam *intelliget Deus Jacob*, quod adhuc majus est. *Intelligite, insipientes in populo* : Propheta, prævidens eos sic injuste contra Dominum murmurare, redarguit eos de murmuratione sua, quasi dicat : Vos, qui estis insipientes populi, attendentes florem malorum temporalem, non pœnam æternalem, et laborem bonorum temporalem non gloriam sempiternam, *intelligite insipientes*, id est, intelligenter agite, oculos videlicet ad futura levate, et intelligetis quia videt Dominus et intelliget. Quod dicit, *intelligite, sapientes in populo*, et vos *stulti, aliquando sapite* : qui hic floretis et qui vobis bene putatis esse. Cum male est, *aliquando sapite*, id est, tandem recognoscite florem vestrum ex tempore esse, ut futura bona inquiratis quæ æterna sunt, *Qui plan-*

tavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Quasi dicat : *Intelligite vos insipientes* istud : *Qui plantavit aurem in aliis, non audiet ipse? aut qui finxit oculum, non considerat omnia? Qui corripit gentes* per prophetas, per apostolos, martyres quoque zelum Dei habentes, *non arguet* ipse in futuro? Vel, *qui corripit gentes* in parte, *non arguet* in toto? Et *qui docet hominem scientiam*, id est, qui facit hominem scientem non nescit omnia? Sicut utique. Quia *Dominus* non tantum *scit* opera, sed etiam *cogitationes hominum*, scit dico, non ut probet, sed ut vanas eas attendat. Quod dicit, *quoniam vanæ sunt*, et si scit, consequitur ut animadvertat, alioquin justus non esset. *Beatus homo quem tu erudieris, Domine :* Quasi dicat : *Dominus scit cogitationes hominum :* homo autem nescit cogitationes Dei, et ideo relinquat homo cogitationes suas vanas, et perscrutetur cogitationes Dei veras. Nam *homo* ille, *quem tu erudieris Domine*, ut attendat quod vis attendi, *beatus* est, *et de lege tua docueris eum*. Lex Domini docet hic pati quemque tribulationes et pressuras in hoc mundo, ut in se veram pacem inveniat, regnum suum venale habeat, pro quo laborare præcepit. Et esset laborandum æternaliter pro regno illo, sed quia, si labor esset æternalis, nulla esset gloria quam habituri essent laborantes, ideo ex tempore laborare præcepit quibus æternam gloriam promisit, nec etiam pro magna gloria et æterna magno tempore laborare præcepit. Non enim dixit : Labora per mille annos, per centum, sed labora quandiu vixeris : quod tamen potest contingere ut post tres dies non vivas, ut post æternam gloriam recipias. Vel sic : *Dominus scit cogitationes hominum :* et tamen permittit bonos laborare, malos florere. Quem autem, o *Domine*, tu laborem erudiri permittis, *et de lege tua docueris eum*, ad quid doces? *Ut mitiges ei a diebus malis*, id est, mitigationem facias ei, pœnitentiam ei reddendo, *donec fodiatur peccatori fovea*, id est, perficiatur iniquitas peccatorum ; quæ ipsi peccatori erit fovea, quia ipse peccator qui non vult attendere Deum ad pœnitentiam vocantem, thezaurizat sibi iram in die iræ justi judicii Dei (*Rom.* II). *Quia non repellet Dominus plebem suam.* Quasi dicat : Vere mitigabitur Dominus in se credenti a diebus malis, *quia non repellet Dominus plebem suam.* Quid videtur malis dum sæviunt in ea : et quia *flagellat Dominus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII), *et hæreditatem suam non derelinquet*, conservando ab impugnantibus eam, quoadusque justitia, id est, justus et perfectus quisque convertatur ad hoc, ut ad judicium veniat cum Domino, vel judicandus, vel judicaturus. Judicaturus, secundum hoc : Sedebitis *super thronos judicantes* (*Luc.* XXII), etc. Vel sic : *quoadusque justitia*, Christus videlicet, qui nunc est absconditus, *convertatur in judicium*, id est, in manifesto veniet ut judicet alios. *Et qui juxta illam*, id est, qui erunt illi qui in judicio suo sessuri sunt in latere Christi qui hic nobis est justitia. *Omnes* videlicet *qui recto sunt corde*, id est, omnes illi quorum cor hic complanatur incommutabili re-

A gulæ justitiæ ejus. Vel sic : Quandoquidem *justitia convertetur in judicium*, qui sunt hic *juxta illam*, id est, qui sunt illi qui juste vivunt? *Omnes qui recto sunt corde. Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* Ecce ille qui in hoc psalmo loquitur, cum superius se posuisset in vocem murmurantium, jam ipsos murmurantes in voce secum assumit sua, ut nunc secum gaudeant quibus ipse superius condoluit. Quasi dicat sic unusquisque : Intelligo ita esse faciendum, malos tolerandos : sed hoc per me non possum, et quis mihi erit auxilio interim? Quod dicit, *quis consurget mihi*, id est qui consurgere me faciet adversus malignantes? *Aut quis stabit mecum*, id est quis me immobilem facit, ut non cadam adversus omnes qui operantur iniquitatem? *Dominus*

B qui *adjuvit me*. Et quomodo *adjuvit?* Nam *anima mea*, habitavit *in inferno*, consentiendo illis quibus florem temporalem Deus permisit habere, et *paulo minus habitasset*, id est multum parum distabat quod non ibi perseverasset, non *quia Dominus adjuvit me*. Et quomodo *adjuvit?* Dixi, *motus est pes meus*, id est afflictio mea mota est ab optatione floris malorum, et ipse audivit me, et non tantum audivit me post confessionem, sed etiam si *dicebam, motus est pes meus*, id est, mox ut fragilitatis meæ mobilitatem recognoscebam, *tua misericordia, Domine, adjuvabat me*, quia similis erat tua misericordia cum mea confessione. Ecce habes, quia si tu agnoscis quod Deus ignoscit, et catenus ignoscit quatenus tu agnoscas. Quod subsequens versus demonstrabit.

C *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam.* Quasi dicat : *Misericordia tua adjuvabat me*, et hoc non modicum, quia multi fuerunt mei dolores et secutæ sunt multæ tuæ miserationes vel consolationes. Præcesserunt vulnera mea amarissima, secuta sunt medicamenta tua suavissima, et sic *lætificaverunt animam meam* in hoc videlicet quod intelligo quia nullus impius erit tibi sedes. Quod interrogando dicit : *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis?* id est nunquid tandem eliges tibi sedes illos qui operantur iniquitatem? Tu dico, *qui fingis laborem in præcepto*, id est, qui facis laborare in præcepto tuo manentes. Unde Petrus : *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. Et si initium a vobis, quia finis erit in*

D *illis qui non obediunt Evangelio? Si justus vix salvabitur ; impius ubi parebit* (*I Petr.* IV)? Vel aliter : *Qui fingis laborem in præcepto*, id est ipsum laborem quem patiuntur, tu facis esse præceptum tuum, quia in labore eorum præceptum tuum intelligitur. Et ecce qualiter *in præcepto fingis laborem.* Quia *captabant in animam justi* id est insidianter egerunt contra animam *justi*, Christi videlicet, et ideo *captabant in animam justi* cujusque membri, videlicet Christi, *et sanguinem innocentem condemnabant*, id est *sanguinem* Christi, quantum in se fuit, *condemnabant* et ideo *condemnabant sanguinem* cujusque *justi* ex corpore Christi : sed inde non est curandum, quia *factus*

Dominus, mihi in refugium tandem et interim donec superatus ab inimicis ad eum refugiam, est *Deus meus in adjutorium spei meæ*, adjuvans me videlicet ut non deficiam in spe mea et tunc quando ad eum refugiam, *reddet illis iniquitatem ipsorum*, non secundum hoc quod mihi est præstitum a malitia ipsorum, sed secundum quod ipsi intendebant, quia licet ex iniquitate Judæ magna gratia sit nobis præstita, ipse tamen pretium suæ recepit malitiæ ; quia non intendebat facere ad nostram salutem, sed ad Domini sui perditionem, *et* ideo illi et complicibus ejus *reddet* Dominus *iniquitatem ipsorum*. Et quomodo reddet ? *In malitia eorum disperdet eos, disperdet illos*, dico, *Dominus Deus noster*.

PSALMUS XCIV.

LAUS CANTICI IPSI DAVID.

« Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos. Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ et altitudines montium ipsius sunt. Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus, ejus formaverunt. Venite, adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. Et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sicut in irritatione, secundum diem tentationis in deserto. Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi : Semper hi errent corde. Et isti non cognoverunt vias meas, et juravi in ira mea : Si intoibunt in requiem meam. »

ENARRATIO.

Canticum, sicuti scitis, ponitur pro exsultatione. Ne autem de humana virtute in hoc psalmo exsultare vellet aliquis, appositum est *laus cantici*, ut per hæc dua intelligamus de divina virtute in hoc psalmo exsultandum esse. Est vox capitis nostri in hoc psalmo revocantis dispersas Israel filium videlicet illum qui, accepta parte substantiæ suæ, abiit in regionem dissimilitudinis, ubi luxuriose vivendo dissipavit bona sua, et ad ultimum tanta necessitate coactus est ut porcos pasceret (*Luc.* xv). Filius iste qui, accepta portione sua, a patre discessit, genus humanum significat quod, accepta portione; id est ratione, in qua illud Deus ad imaginem suam formavit, discessit a Deo in regionem dissimilitudinis, id est in dissimilem vitam, quia non potuit ab eo discedere corpore, qui ubique præsens fuit divinite, sed discessit ab eo affectione, et dissimiliter studuit vivere a Deo, et, coactus necessitate, porcos pavit et dæmonia coluit quæ per porcos designantur : quoniam nullum animal immundius porco reperitur. Humanum genus, sic a Deo apostatum revocavit homo Dominicus in hoc psalmo, sic :

Venite, exsultemus Domino. Quasi dicat : Qui

A usquemodo exultavisti diabolo, mundo deceptori vestro, deinceps exultate Deo qui per me mundum sibi reconciliari voluit (*II Cor*, v) et a me moneri, ut qui Dei sunt jungantur mihi, et *venite*, non incessu pedum, sed affectionum. *Exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro*, meo videlicet et vestro ; meo, per naturam ; vestro, per gratiam ; et *præoccupemus*, id est præveniamus *faciem ejus*, scilicet venturi ad judicium, et hoc *in confessione*, id est in laude ejus. Confessio est duplex, quia est confessio, vel gementis, vel laudantis: quæ utraque ad laudem Domini pertinet. Nam laudabilem confessionem ad laudem Domini pertinere non dubium est. Confessio etiam gementis fit ad laudem Domini, quia quanto major est exaggeratio in peccato confitentis, tanto

B major est laus ignoscentis. Qud dicit, *præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus*, id est in bonis operibus. Jubilat in psalmis qui in bonis operibus majorem habet voluntatem quam possit ostendere per actionem. *Quoniam Deus magnus Dominus.* Quasi dicat : Huic jubilandum est, quoniam, cum alii falso magni dicuntur, *ipse est Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos.* Non deos gentium quibus præferri nihil est, sed super illos qui per gratiam suam dii facti sunt, quibus præferri magnum est. Et vere ipse est rex magnus super omnes deos, *quia in manu ejus*, id est in potestate ejus *sunt omnes fines terræ*, id est Judæi qui terrenitati suæ finem posuerunt, *et altitudines* maris, id est quique eminentes in illo populo virtutibus, *ipsius sunt*, quoniam, quidquid boni operantur, ex

C ipso habent. Unde. Apostolus. *Deus*, inquit, *operatur in vobis et velle et perficere* (*Phil.* II). Ecce jam ædificatus est paries unus in domo Domini, populus videlicet ex circumcisione. Notatur etiam ille alius paries, id est populus ex præputio, sic ; *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud.* Quasi dicat : Vere est rex magnus, quoniam ipsius est mare, id est gentilis populus, sale amaritudinis plenus, *et ipse fecit illud*, non ut mare remaneret, sed ut arabilis terra fieret. *Et siccam manus ejus formaverunt* id est, ex ejus potentia factum est hoc quod *mare* illud fieret terra sicca, semper sitiens imbrem salutis super se venientem. Ecce collecti sunt duo parietes, adjungatur ergo lapis angularis, et ex illis fiat unum ædificium. *Venite, adoremus.* Quasi dicat : Quando-

D quidem magnus est Dominus, ergo *venite* passibus fidei, *adoremus*, id est, veneremur eum, *et procidamus* humiliando nosmetipsos, ut eum digne adoremus, et si aliquem conscientia prava gravat, ploret coram Domino pro peccato perpetrato. Quod dicit, *procidamus et ploremus ante Dominum qui fecit nos*, me quidem, id est, humanam naturam Verbo personaliter unitam, ipse caput, vos membra. Vel, *qui fecit nos*, id est, qui nos recreavit in operibus bonis. Unde Apostolus, *ipsius* inquit, *factura sumus, creati in operibus bonis* (*Eph.* II)· Et merito ploramus ante eum, *quia ipse est Dominus Deus noster et nos populus pascuæ ejus, et oves manus*

ejus. Convenientius videretur dixisse, *populus ejus* et *oves pascuæ ejus.* Sed ut ostenderet populum ab eo pasci velut oves, dixit : *et nos populus pascuæ ejus et oves* non quas ipse emit vel furto accepit, sed *manus ejus*, quas videlicet fecit, et quia *populus* et *oves* estis, ergo *si audieritis vocem ejus* per me, videlicet missum hæredem, vel per apostolos meos, *nolite obdurare corda vestra*, et hoc dico, *hodie*, id est, quandiu hoc tempus agitur adhortor vos non obdurare corda vestra. Unde Apostolus ; *Videte*, inquit, *fratres, ne sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a* Domino *Deo* vero *viro, sed adhortamini vos per singulos dies donec hodie cognominantur, ut non* obduret *quis* cor *ex vobis fallacia peccati* (*Hebr.* III). *Nolite abducare corda vestra, sicut* scilicet factum est *in irritatione*, id est, in provocatione Dei facta, sed non tantum in ipsa die, sed *secundum diem tentationis* factæ *in deserto : secundum diem*, id est post *diem ubi tentaverunt patres vestri me*, videlicet *Verbum* quod *in principio erat apud Deum* (*Joan.* I), *probaverunt et* tamen *viderunt opera mea*, per quæ poterant intelligere quod non eram probandus. *Quadraginta annis offensus fui generationi huic.* Quadraginta anni significant omnem cursum vitæ nostræ, in qua in hoc mundo quasi in deserto erramus et sæpius Deum offendimus. *Et dixi : Semper hi errant corde, et isti non cognoverunt vias meas*, id est, præcepta mea quibus innocenter gradi debent, quibus *juravi in ira mea ; Si introibunt in requiem meam.* Tunc nulli scilicet introibunt. Vel, *si introibunt*, id est, non introibunt. Vel, *non cognoverunt vias meas*, et ideo non intrabunt *in requiem meam ut juravi in ira mea.*

PSALMUS XCV.

PSALMUS DAVID, QUANDO DOMUS ÆDIFICABATUR POST CAPTIVITATEM.

« Cantate Domino canticum novum, cantate Do-
« mino, omnis terra. Cantate Domino, et benedicite
« nomini ejus, annuntiate de die in diem salutare
« ejus. Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in om-
« nibus populis mirabilia ejus. Quoniam magnus Do-
« minus et laudabilis nimis, terribilis est super om-
« nes deos. Quoniam omnes dii gentium dæmonia
« Dominus autem cœlos fecit. Confessio et pulchri-
« tudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnifi-
« centia in sanctificatione ejus. Afferte Domino, pa-
« triæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem.
« afferte Domino gloriam nomini ejus. Tollite ho-
« stias, et introite in atria ejus, adorate Dominum
« in atrio sancto ejus. Commoveatur a facie ejus
« universa terra, dicite in gentibus : Quia Dominus
« regnavit. Etenim correxit orbem terræ qui non
« commovebitur, judicabit populos in æquitate. Læ-
« tentur cœli et exultet terra, commoveatur mare
« et plenitudo ejus, gaudebunt campi et omia quæ
« in eis sunt. Tunc exsultabunt omnia ligna silva-
« rum a facie Domini, quia venit, quoniam venit
« judicare terram. Judicabit orbem terræ in æqui-
« tate et populos in veritate sua. »

ENARRATIO.

Legitur (*IV Reg.* XXV, *I Esdr.* V) templum Domini, quod a Salomone ædificatum est, a Chaldæis fuisse destructum, et iterum ab Jesu magno sacerdote reædificatum. Domus ista humanam naturam significat quæ in primo parente a vero Salomone est ædificata, id est, in abundantia virtutum posita, sed postea destructa est, etiam a Chaldæis captivata, quando primus homo serpenti male persuadenti succubuit : quia comedit vetitum, amisit abundantiam virtutum, expertus est quod minatus est Dominus, et non invenit quod promisit diabolus. Minatus est Dominus, si comederit, mortem : diabolus, promisit divinitatem ; sed homo concedens serpenti, comedit : et non tantum non effectus est Deus, sed etiam miser factus est et captivus. Restituta est domus ista, id est, humana natura quoniam *Verbum* quod *in principio erat apud Deum* (*Joan.* I), humanam assumpsit formam, ut hominem revocaret ad gloriam Ut autem in hoc ædificio simus adhortatur nos Propheta in hoc psalmo, laudando illum qui nos fecit hujus domus ædificium, et dicit sic :

Vos, qui usquemodo imitando veterem hominem, vetus canticum ululastis, vos, deinceps *cantate Domino* Patri *canticum novum*, novam gratiam, novam humilitatem. *Cantate Domino* Filio, *omnis terra*. non solum Judæa, non solum Africa, sed etiam *omnis terra. Cantate Domino* Spiritui sancto, *et benedicite*, non nomini vestro, sed *nomini ejus* glorificando. Nota quod tres personæ deitatis sunt in essentia unitatis, ideo cum dixisset illis tribus personis cantandum esse æqualiter, subjunxit : *Benedicite nomini ejus ; annuntiate de die in diem salutare ejus.* Quasi dicat : *Cantate Domino, omnis terra.* Nos autem ex Judæis, *annuntiate de die in diem*, id est, omni tempore, *salutare ejus*, Christum videlicet per quem restituta est captivitas hominis. Vel sic, *annuntiate de die in diem salutare*, id est, de virtute in virtutem prædicate *salutare ejus*, vel, sic *annuntiate* eundo de die Filio in diem Patrem, ut per opera videlicet Filii notificetis opera Patris, cum idem Pater sit et Filius. unde illud, *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV). Vel *annuntiate de die* Patrem in diem Fillium. Unde illud, Credite *in Deum, et in me credite* (*Ibid.*). *Annuntiate inter gentes* opera *ejus.* Dixit : *annuntiate de die in diem salutare ejus.* Et quasi diceret : Ubi vis ut annuntiemus ? determinat eis ubi annuntiare debeant, quasi ædificator alicujus ædificii, congregatis artificibus, deponeret unicuique opus suum, et diceret : Tuum sit operari in angulo illo, et tuum in illo. Quod dicit, *annuntiate in gentes* opera ejus, resurrectionem videlicet et ascensionem dicit ; et *annuntiate in omibus populis mirabilia ejus*, hoc videlicet, quod Dominus qui parvus nasci voluit parvus inter homines habitavit, parvus prædica-

vit, parvus mortuus est, ipse resurgendo factus est *magnus et laudabilis nimis* ascendendo, *terribilis* venturus *super omnes deos*, quos per gratiam suam deificavit, id est, qui participationem deitatis veri Dei dii dici possunt, quia sunt quidam qui dicuntur dii et non sunt veri dii, sicut dii gentium qui non sunt dii, sed dæmonia. Quod dicit, *quoniam omnes dii gentium dæmonia*, est quasi dicat : Quod dixi *deos*, non retuli ad *deos* gentium, quoniam ipsi sunt *dæmonia*, et sic parum esset Dominum præferri illis. *Dominus autem fecit* illos *cœlos*, quos prius deos nominavi, et quibus magnum est Dominum præferri. *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus.* Quasi dicat : Hoc modo factus est terribilis et laudabilis, quia confessio et pulchritudo sunt in conspectu ejus, id est in interiori homine ubi suus conspectus est. Vis esse pulcher? confitere fæditatem tuam, *et Dominus dabit* tibi *benignitatem* (*Psal.* LXXXIV). *Sanctimonia*, id est, sanctitas *et magnificentia* sunt *in sanctificatione ejus*, id est, in illis quos sanctificat. Nota quod prædixit, *sanctimonia*, post *magnificentia* : quia prius justificat quam magnificet. Nam nihil est quod de te magnum exspectes, si justitiam non ames. *Afferte Domino*, *patriæ gentium*, *afferte Domino gloriam et honorem*, *afferte Domino gloriam nomini ejus*, quasi dicat : Quando quidem Dominus a Judæis annuntiatus est *magnus et laudabilis*, et hoc inter vos, o gentes, ergo *patriæ gentium*, non regio una, sed omnes *patriæ gentium*, *afferte Domino patriæ gloriam*, et hoc afferte *Domino* Filio *gloriam*, et hæc videlicet operantes, ut per vos glorificetur Dominus, *afferte Domino* Spiritui sancto *gloriam nomini* ejus: *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*: *Tollite hostias*, bona opera videlicet, quæ sunt hostia laudis, vobiscum assumite, quia non debet servus apparere in conspectu Domini vacuus : *et introite in atria ejus*, id est, bene vivite in Ecclesia sua, quia non prosunt hostiæ nisi cum fide, quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam non est locus. *Adorate Dominum in atrio sancto ejus*, id est, omnibus communem credite : et sic etiam vobis prædicantibus alius *commoveatur* motu pœnitentiæ *a facie ejus*, id est, a cogitatione ejus, quæ per vos in gentibus crescit in *universa terra; et dicite in gentibus*, *Dominus* regnabit in adventu secundo, quia jam *regnavit* in adventu primo : et hoc effectus indicat, quia *correxit orbem terræ*, *qui non commovebitur* a fide sua, et tandem *judicabit populos in æquitate*, unicuique reddens secundum opera sua. Et tunc lætentur cœli, id est, quique fideles, qui pro nitore veritatis cœli dicuntur : *et exsultet terra* vomere prædicationis bene culta; et tunc *commoveatur mare et plenitudo ejus*, id est, sæviat gentilis populus et complices sui, tamen *gaudebunt campi*, id est, humiles et bene fructificantes : *et omnia quæ in eis sunt*, id est, omnia opera eorum gaudebunt, id est, eos gaudere facient, quoniam nullum bonum opus eorum rema-

A nebit irremuneratum ; et *tunc* in illo gaudio *exsultabunt omnia ligna silvarum*, in ædificium domus Domini assumpta. Ligna silvarum sunt gentiles, qui prius quasi silva fuerunt, a nullo videlicet culti, sed præcisi sunt de oleastro, et inserti in olivam bonam; et ideo exsultabunt tandem *a facie Domini quia venit* primo adventu dans misericordiam; et exsultabunt, quando in secundo adventu veniet *judicare terram*, et tunc *judicabit orbem terræ*, id est, perfectiores quos assumpsit de terra, *in equitate* sua eos recipiendo, id est, justis suis eos associando; *et populos*, incredulos videlicet judicabit in *veritate sua*, justo eos judicio damnando.

PSALMUS XCVI.

PSALMUS IPSI DAVID, QUANDO TERRA EI RESTITUTA EST.

B « Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur in-
« sulæ multæ. Nubes et caligo in circuitu ejus, ju-
« stitia et judicium correctio sedis ejus. Ignis ante
« ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimi-
« cos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit,
« et commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt
« a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Annun-
« tiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes
« populi gloriam ejus. Confundantur omnes qui
« adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris
« suis. Adorate eum, omnes angeli ejus. Audivit et
« lætata est Sion. Et exsultaverunt filiæ Judæ pro-
« pter judicia tua, Domine. Quoniam tu, Dominus
« altissimus super omnem terram, nimis exaltatus
« es super omnes deos. Qui diligitis Dominum, odite
C « malum, custodit Dominus animas sanctorum suo-
« rum, de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta
« est justo, et rectis corde lætitia. Lætamini, justi,
« in Domino, et confitemini memoriæ sanctifica-
« tionis ejus. »

ENARRATIO.

Terra defluxit, quando humanum genus per inobedientiam a Deo recessit. Restituta est in parte, quando populo Judaico lex data est. Sed quia populus ille legis prævaricator factus est, iterum terra defluxit. Defluxit etiam, quando Petrus apostolus, qui prius constantiam promisit, ad vocem ancillæ Dominum negavit; sed *restituta est* in eo *terra*, quando, interrogante Domino, *Petre*, *amas me?* respondit : *Amo, Domine :* sed, cum hoc tertio quæsivisset, con-
D tristatus Petrus dixit : *Tu scis*, *Domine*, *quia amo te* (*Joan.* XXI), et sic deleta est culpa ex trina confessione, quæ crevit ex trina negatione. *Restituta est terra*, quando multi conversi ex prædicatione Petri dixerunt inter se: *Quid faciemus, viri fratres?* Et Petrus : *Baptizetur unusquisque in nomine* Patris, et Filii, et Spiritus sancti, *et baptizati sunt* plurimi (*Act.* II). *Restituta est* ad plenum *terra*, quando, misso Spiritu sancto, ab apostolis Verbum vitæ prædicatum est in gentibus. Expositio tituli talis est. *Psalmus* huic *David*, id est, vero David attribuendus est, factus quando *restituta est terra*. Et nota, licet vox sit Prophetæ in hoc psalmo, tamen negotium

illud, unde tractat psalmus, Christo attribuendum est, quia quod *terra restituta est*, hoc per eum fuit. Potest etiam accipi de resurrectione Domini quod dicit, *restituta est terra*, quia tunc caro Christi quam assumpsit de virgine restituta est, quando gloria immortalitatis induta est. Quæ terra, id est, caro Christi quasi defluxit, quando immortalitate et impassibilitate tegebatur. Dicit autem Propheta sic: *Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ.* Quasi dicat. *Dominus* Verbum carnem assumpsit, in qua plurima passus, mortuus est et resurrexit, ascendit, misit Spiritum sanctum inter discipulos, et sic *regnavit*, id est, regnum ubique terrarum sibi obtinuit, quia prædicantibus apostolis fides ubique crevit, et sic *Dominus regnavit*. Unde *exsultet terra* jam vomere prædicationis bene culta, et non tantum exsultent illi qui in solida terra habitant, sed etiam *lætentur insulæ multæ* ad fidem vocatæ. Vel, *lætentur insulæ multæ*, id est, Ecclesiæ plures jam factæ, quæ insulis comparari possunt, quantum sicut insulæ circumdatæ sunt mari, et alliduntur fluctibus maris, ita Ecclesia circumdata est fluctibus hujus sæculi, et ab eis impellitur. Sed quid facit? Frangit ipsos fluctus, et non frangitur ab illis, velut scopuli maris cum impelluntur ad littus, non frangunt littus, si firmum fuerit, sed potius ab ipso littore franguntur. *Nubes et caligo in circuitu ejus.* Quasi dicat: *Dominus regnavit* taliter, quia *nubes et caligo in circuitu ejus. Nubes* sunt apostoli, *caligo* prophetæ, quoniam quæ apostoli expresserunt, eadem prophetæ occulte quasi quadam caligine tecta prædixerunt. Hi prophetæ et apostoli in circuitu ejus sunt, præcinentes videlicet gloriam Domini, ut regnum ejus in fide cresceret. *Justitia et judicium correctio sedis ejus.* Præposteratum est, quia oportet ut prius sit judicium, discretio videlicet boni et mali, ut subsequatur justitia: quia nemo justificatur, nisi qui hoc judicium attendit. Hæc duo sunt *correctio sedis ejus*, quia per hæc duo corriguntur illi qui sedes ejus sunt futura. Et quomodo: quia *ignis*, id est, amor bonus qui inflammat, *ante ipsum præcedet, et* ignis iste *inflammabit inimicos ejus*, comburendo in eis nociva, *in circuitu* eos ponendo, ut eum videlicet circumeant imitatione bonorum operum. De hoc igne dictum est: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* (*Luc.* XII.) Quod dicit, *et inflammabit in circuitu inimicos ejus*, et quo ordine hoc factum est? Quia *illuxerant fulgura ejus*, id est, splendores miraculorum ejus *orbi terræ*, id est, illis qui recipiendo culturam bonam, orbis futuri erant in virtutibus, videlicet perfecti. Hæc *fulgura vidit terra, et commota est* motu pœnitentiæ, et non quælibet *terra commota est*, sed *montes sicut cera fluxerunt*, id est, elati in sæculo, recepto igne charitatis, omissa duritia sua, dissoluti sunt per lacrymas pœnitentiæ. Quod dicit, *montes sicut cera fluxerunt a facie Domini*, id est propter cognitionem Domini, *a facie Domini* mota est *omnis terra*, quia non soli Judæi fidem receperunt. Vel aliter dicamus

A superius: *Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ*, et tamen licet ipse *regnavit, nubes et caligo in circuitu ejus:* quia quibusdam obumbratus et ne eum viderent, et tamen licet *nubes* et *caligo* erant *in circuitu ejus*, quantum ad quosdam, *justitia et judicum* fuerunt *correctio sedis ejus*, id est, in correctione illorum qui futuri erant sedes ejus. *Ignis ante ipsum præcedet.* Causam reddit quare *nubes et caligo in circuitu ejus.* Quia *ignis* invidiæ *ante ipsum præcedet*, non quod ab eo veniat *ignis* ille, sed quia ipsi ponunt ignem ipsum inter se et Deum, et ideo obumbratus est eis Dominus, ne eum videant: et *ignis* iste *inflammabit inimicos ejus* illicitis desideriis, et hoc *in circuitu*, id est, usquequaque. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ.* Ostendit qualiter *justitia et* B *judicium* sunt *correctio sedis ejus*, quia illucent *fulgura orbi terræ*. Quæ *fulgura*? Videlicet *terra commota* ad pœnitentiam. Nam etiam *montes sicut cera fluxerunt*, id est, duritia superborum in mollitiem versa est, sicut cera quæ apponitur igni. Et hoc quod *montes fluxerunt*, est *a facie Domini*, a qua *commota est* omnis *terra*, et quomodo hoc? Quia *annuntiaverunt cœli*, id est, apostoli *justitiam ejus*, et sic *viderunt*, id est, intellexerunt *omnes populi*, non solum Judæi. Et quia *omnes populi viderunt gloriam ejus*, *confundantur* ergo in consideratione sua *omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis*, quia non sunt adoranda simulacra, nec etiam angelus adorandus est, quia legitur in Apocalypsi, cum quidam voluisset adorare angelum pro miraculis C quæ fecit, quod ipse prohibuisset ne adoraretur, dicens: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum et fratrum tuorum* (*Apoc.* XIX *et* XXII). *Adorate* Dominum, *omnes angeli ejus.* Quasi dicat: *Viderunt omnes populi gloriam ejus*, unde *adorate eum, omnes angeli ejus. Audivit* hoc *Sion* quod *populi viderunt gloriam ejus, et lætata est.* Quod alibi dicitur: *Audierunt qui erant in Judæa*, quia *gentes receperunt verbum Dei*, et benedicebant Deum (*Act.* XI). *Et exsultaverunt filiæ Judæ*, id est, Ecclesia ex Judæis, *propter judicia tua, Domine*, quia recognoverunt gentes esse dignas ut concorporarentur Judæis, unde Petrus: *In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus* (*Act.* X). Ipse enim Petrus dubitans utrum Cornelius bapti- D zandus esset, certificatus est quoniam Spiritum sanctum vidit eum recepisse: quod nulli contigit ex Judæis quod ante baptismum Spiritum sanctum recepisset. Exsultaverunt filiæ Judæ merito, *quoniam tu Dominus es Altissimus super omnem terram;* quia non tantum Judæorum, sed etiam gentium Deus. Et *exaltatus es super omnes deos* ante factos, *nimis* exaltatus es usque ad æqualitatem Patris ascendens; et ne quis desperaret, cum dicit eum Altissimum, quasi præ altitudine attingere eum non posset, dat præceptum quod attingendus sit, et dicit: *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Quasi dicat: Dominus est Altissi-

mus, vos autem qui altitudinem ejus attingere vultis, odite malum; et si persecutio impiorum vobis supervenerit, nolite timere, quia licet sæviant contra carnem, non possunt tamen impedire resurrectionem. Quia *custodit Dominus animas sanctorum suorum*, et *de manu* peccatorum *liberabit eos* tandem, et ut tandem liberet eos, *lux orta est justo*, id est, lux interior lucebit unicuique justo, *et rectis corde lætitia*, id est, ut non solum in spe gaudeant, sed etiam in tribulatione. Unde *lætamini, justi, in Domino*, quorum tantum est gaudere, quia impiis non est gaudere. *Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, id est, lauda eum in hoc, quod memor fuit vestri ut vos sanctificaret, cum immemores essetis in damnatione vestra.

PSALMUS XCVII.

PSALMUS DAVID.

« Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus. Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Jubilate Deo, omnis terra, cantate, et exsultate, et psallite. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi, in tubis ductilibus et voce tubæ corneæ. Jubilate in conspectu regis Domini, moveatur mare et plenitudo ejus: orbis terrarum et qui habitant in eo. Flumina plaudent manu simul, montes exsultabunt a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate. »

ENARRATIO.

Vox est in hoc psalmo Prophetæ exhortantis nos, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus (*II. Cor.* VI), ne sanguinem justi conculcemus (*Hebr.*X), sed in magna affectione tempus visitationis recognoscamus (*Luc.* I), Christum imitando vetus canticum postponamus, et novum canticum cum eo cantemus. Quod dicit:

Cantate Domino canticum novum. Novum canticum nova charitas, nova humilitas, quod vetus homo nescit cantare. *Quia mirabilia fecit*, tunc videlicet, quando filium viduæ resuscitavit (*Luc.* VII), sed mirabilius fecit, quando perditos a morte redemit. *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.* Ostendit qualiter *mirabilia fecit.* Nam *dextera ejus et brachium ejus*, Christus videlicet, potentia et fortitudine sua *salvavit*, id est, salvationem humano generi attulit et hoc *sibi* a Domino, Patri videlicet, *ut qui vivunt, jam non* amplius *sibi vivant* (*II Cor.* V), sed Domino. Salvantur sibi qui interius, salvantur, non amplius redeuntes ad vomitum. Et quomodo *salvavit* ? *Notum fecit Dominus salutare suam*, id est, Christum suum. *In conspectu gentium revelavit justitiam suam*, id est, fidem justi- A ficantem notificavit gentibus. Et quare hoc? Quia *recordatus est misericordiæ suæ*, id est, reparationis humano generi faciendæ, *recordatus est veritatis suæ* promissæ *domui Israel*, quia illis promissio fuit ibi facta de restauratione humani generis. Et sic *viderunt omnes termini terræ*, id est, omnes illi qui terrenitati suæ terminum posuerunt, *viderunt salutare Dei nostri*, et ideo *jubilate* Domino, *omnis terra*, id est, tantum licentiam in vobis concipite, quantam non sufficitis in voce exprimere. *Cantate* etiam interius, *et exsultate* exterius, et sic *psallite*, id est, bona opera cum mentis hilaritate perficite, quia hilarem operatorem diligit Deus. *Psallite Domino*, dico, *in cithara*, id est, in carnis mortificatione. Unde Apostolus: *Mortificate membra vestra quæ sunt super* B *terram* (*Col.* III). Psallite etiam *in tubis ductilibus.* Tubæ ductiles sunt tubæ æreæ quæ, cum tunduntur malleis, in longitudinem et latitudinem crescunt. Mallei nostri sunt diaboli et vasa eorum, tunsio est eorum tribulatio et persecutio quibus malleis quisquis tunsus, crescat in perseverantiam boni operis, crescat etiam in latitudinem, id est, in charitatis extensionem, quæ charitas non ultra extendi potest, quam ut ad inimicos quisque habat charitatem, velut ille qui dixit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII), quia nesciunt *quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Psallite etiam vocem *tubæ corneæ*, id est, sic operamini ut in carne existentes, omnes carnales affectiones excedatis, et hoc ad similitudinem cornu quod, adhærendo carni, in aliam indurescit naturam. Unde Paulus: Et ei adhuc in carne militamus, C jam non tamen secundum carnem vivimus (*II Cor.* X). *Jubilate in conspectu regis Domini.* Quasi dicat: His omnibus modis psallentes, *jubilate* in interiori vestro ubi conspicit rex vester, et vobis jubilantibus, *moveatur mare*, id est, gentilitas motu pœnitentiæ vel motu iræ, et non in parte *moveatur mare*, sed *plenitudo ejus*, id est, ubique *moveatur: orbis terrarum* etiam moveatur, id est, perfecti quodammodo adhuc moveantur ad incrementum virtutum et omnes *qui habitant in eo* orbe, id est, omnes qui imitantur perfectos jubilent *in conspectu regis Domini, jubilate*, quia *flumina*, id est, prædicatores sancti, *de* quorum *ventre fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII), *plaudent manu simul*, id est, bona operatione vobiscum. *Plaudent* et *montes*, id est, elati in sæculo *exsultabunt a con-* D *spectu Domini, quoniam venit* Dominus *judicare terram*, nunc occulto judicio, et tandem *judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.*

PSALMUS XCVIII.

PSALMUS DAVID.

« Dominus regnavit, irascantur populi: qui sedet super Cherubim, moveatur terra. Dominus in Sion magnus. et excelsus super omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est, et honor regis judicium diligit. Tu parasti directiones, judicium et justitiam in Jacob tu fecisti. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum

« est. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nobis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis. Domine Deus noster, tu exaudiebas eos : Deus, propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster. »

EXARRATIO.

Psalmus David. Omnes sancti patriarchæ et prophetæ et prædicatores consuluerunt nobis in scripturis suis, velut filius Ecclesiæ, non ut deesset nobis, sed ex ipsis haberemus, unde ædificati essemus. Hoc etiam sanctus propheta David in hoc B psalmo attendebat, proponens nobis ut ubique quæramus Dominum, quæramus eum hic misericordem, ne tandem experiamur cum sævissimum judicem. Ipse enim non deserit desiderantem se qui redemit negligentem se. Unde sic dicit :

Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet super Cherubim, moveatur terra. Quasi dicat : Quærite Dominum qui *regnavit*, id. est, regnum in gentibus sibi obtinuit, principem mundi foras ejecit: et eo regnante, irascantur populi. Prophetatio est spiritus prædicentis, non præceptum jubentis. Prædicit enim Propheta, quæ in spiritu vidit futura: quia postquam Dominus ascendit, missus est Spiritus sanctus inter discipulos : ut per eum instructi, non timerent mortem quam sciebant destructam per resurgentem. A quibus cum Dominus cœpit C prædicari, irati sunt populi multi : irati sunt cum cœpit prædicari qui eos fecit, qui adoraverunt quod fecerunt : irati sunt Domino suo pro idolo suo, cum deberent irasci servo : quia dignior est servus eorum, quam idolum suum. Servum enim fecit Dominus, eorum, idolum vero faber eorum. *Qui sedet super Cherubim*, id est, qui sibi elegit sedem plenos dilectione. Cherubim namque interpretatur *plenitudo scientiæ*. Quoniam autem charitas plenitudo est præceptorum, non incongrue qui in charitate perfectus est, Cherubim est appellatus. Quod dicit. *Qui sedes super Cherubim*, regna ; sed unde *moveatur terra*, id est, quis in terra cor positum habens. *Dominus* tamen in *Sion magnus*, id est, in speculantibus ea quæ non videntur, non ea quæ videntur. D Magnus apparet Dominus, licet his qui in terra sunt, videatur parvus : *et excelsus super omnes populos*, non tantum Judæos, sed etiam super gentiles. Et quandoquidem tu Dominus magnus es in Sion, ergo *confiteantur* omnes *nomini tuo magno* glorificando, qui noluerunt confiteri nomini tuo parvo : et merito nomini tuo confitendum est, *quoniam terribile est*, non amantibus, *sanctum* amantibus, quibus dicitur: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Lev.* XI, XIX). Vel terribile erit in futuro, cum nunc sit sanctum : *et honor, regis*, id est, rex honorabilis diliget *judicium*, ut quisque videlicet habeat discretionem inter A bonum et malum, ut declinet a malo et faciat bonum. Vel qui vult esse *honor regis*, id est, talis ut per eum honorificetur rex, diligat judicium : attendat quia judex suus nullum peccatum dimittat impunitum, et hoc attendendo, judex suus fiat: quod non potest, nisi peccare desistat. *Tu parasti directiones, judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.* Quasi dicat : *Confiteantur nomini tuo*, et bene possunt : quia *tu parasti eis directiones*, id est, quosdam directores, quorum exemplo dirigerentur ad confessionem : et sic *judicium :* id est, discretionem parasti, et postea *justitiam : et* hoc *in Jacob*, id est, in illis qui mutant præsentia pro futuris. *Exaltate Dominum Deum nostrum.* Quasi dicat : Quandoquidem ut confiteremini, vobis paratæ sunt directiones, exaltate Dominum Deum nostrum bene operando, *ut videntes opera vestra bona*, etc. *Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Nota quid scabellum debeat vocari. Ipse enim, Dominus dixit : *Cœlum* est mihi *sedes*, et *terra scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI). Quid igitur faciemus ? Adorabimus terram ? Timeo adorare terram, ne damner ab eo qui fecit cœlum et terram. Ipse enim tentatori suo dixit : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV). Sed quia Spiritus dixit, *Adorate scabellum pedum ejus*, videndum est qualiter terra adoranda sit, quam ipse dixit esse scabellum pedum suorum. Ipse enim terram sumpsit de terra, carnem scilicet de Virgine Maria. Hanc terram nullus adorando peccat. Quod dicat : *Adorate scabellum pedum ejus*, id est, veneramini inferiorem naturam ejus, quoniam sanctus est. *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Quasi dicat : *Exaltate Dominum nostrum :* et debetis, quia Moyses et Aaron quos tanti habetis, et quorum filii vos estis, in sacerdotibus ejus computati sunt. *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus : invocabant Dominum* ut servi, *et ipse exaudiebat eos* ut Dominus : *in columna nubis*, id est, in mysterio quasi nube facta *loquebatur*, et ipsi *custodiebant testimonia ejus :* unde ipse major eis probatur, quia ipsi ab eo quasi a Domino testimonia acceperunt. Et custodiebant *præceptum quod dedit illis :* et tu, *Domine Deus noster, exaudiebas eos*, ut Dominus ; *propitius fuisti eis* in hoc quod propitiandum erat eis : *et ulciscens in omnes adinventiones eorum :* quia si aliquando peccabant. disciplina tua correxit eos ut filios. In Moyse et Aaron possumus videre inventiones suas quæ corrigendæ erant. Moyses enim cum videret rixari Ægyptium cum Hebræo, ira commotus, interfecit Ægyptium, et sabulo eum cooperuit, ne si discoopertum eum dimisisset, reus homicidii inveniretur. Iterum cum insequenti die rixari videret duos Hebræos inter se, redarguit eos de commistione rixæ. Quorum unus respondit ei, indignando dicens : *Nunquid et me vis interficere sicut heri interfecisti Ægyptium* ? Timens Moyses ne manifestaretur culpa sua, aufugiens dimisit fratres suos, quibus necessarius esse potuit, si remansisset

(*Exod*, II). Ecce pro his duabus inventionibus, pro ira videlicet qua commotus perpetravit homicidium, et pro timore quo perterritus fratres in periculo dimisit, promeruit ut Dominus ab eo vindictam sumeret. Aaron etiam corrigendus erat in adinventionibus suis, quia in infirmitate carnis victus concessit populo illi cui præerat ut vitulum conflatilem ad adorandum facerent (*Exod.* XXXII). Has inventiones Moysi et Aaron Dominus vindicavit quia in terram promissionis non perduxit (*Num*). XX). Sed quia hoc in figura contingebat, convenientius accipiamus, tribulationes et contradictiones plurimas quas passi sunt in populo illo, esse vindictas Domini, quia gravis est multum sanctis iniquitas infidelium. In Samuele quantum ad humanum oculum nihil fuit, quod ulciscendum esset : quia a pueritia in templo instructus, in templo Domini fuit in veritate (*I Reg.* III). Sed quoniam unicuique artifici in ædificio suo quod etiam aliis bene factum videtur, esse malum apparet, possumus dicere quod Dominus cujus oculis omnia præsunt, etiam in Samuele aliquid corrigendum videbat : quia nullus est ita sanctus, ut omnino careat peccato. *Exaltate Dominum Deum nostrum.* Quasi dicat. Quandoquidem omnibus propitiator est Dominus, ergo *exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate* eum *in monte sanato ejus*, in Christo videlicet, qui mons præcisus est de monte sine manibus concidentium. Unde in Daniele : Vide lapidem præcisum *de monte sine manibus*, et crevit in montem magnum, ut impleret faciem terræ (*Dan.* II). In hoc monte adorandus est Dominus, *quoniam* ipse est *Dominus Deus noster.*

PSALMUS XCIX.

PSALMUS IN CONFESSIONE.

« Jubilate Deo, omnis terra, servite Domino in « lætitia. Introite in conspectu ejus in exsultatione. « Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit « nos, et non ipsi nos. Populus ejus et oves pascuæ « ejus, introite portas ejus in confessione : atria « ejus in hymnis confitemini illi. Laudate nomen « ejus quoniam suavis est Dominus : in æternum « misericordia ejus, et usque in generationem et « generationem veritas ejus. »

ENARRATIO.

Psalmus in confessione. In hoc psalmo est vox Prophetæ hortantis ad laudem Deo referendam pro beneficiis pristinis humano generi exhibitis, et dicit :

Jubilate Deo, omnis terra. Potest continuari superiori, ubi dictum est. *Quoniam sanctus Dominus Deus noster.* Quare *Jubilate Deo, omnis terra.* Quasi dicat : Ad laudem Dei verba non sufficiunt, sed jubilatione opus est ut tantum in Domino gaudeatis quantum verbis explicare non potestis. Nota quod dicit, *omnis terra:* quia qui ubique seminavit benedictionem, undique quærit jubilationem, ut necesse fuit ut undique seminaret benedictionem, quia Adam ubique seminaverat confusionem. Seminat enim in quatuor partibus mundi confusionem, quod notatur in nomine suo, sumpto a principalibus litteris quatuor nominum, quatuor principalium plagarum mundi. *A*, prima littera ejus nominis, ab ἀνατολή, quod Græce significat orientem sumpta est. *D* littera, quæ secunda reperitur in nomine ipso, sumpta est a δύσις, quod Græce notat occidentem. *A*, quod tertium locum obtinet, sumitur ab ἄρκτος, quod significat septentrionalem plagam. *M*, quartum locum obtinens, sumitur a μεσημβρία, quod significat meridianam plagam. *Servite Domino* non in tristitia, sed *in lætitia* id est, in mentis hilaritate. Et merito ei serviendum est in lætitia, quia servitus Dei est libera, cui non servit necessitas, sed charitas. *Introite in conspectu ejus in exsultatione.* Dictum est ad similitudinem principum, quia principes ante conspectum suum ponere illos solent, qui eis serviunt ad placitum suum. Vel sic : *Introite in conspectu ejus*, id est conscientiam vestram ubi ipse conspicit, mundate : ut eam sordibus evacuetis, et virtutum moribus adornetis. Et *scitote quoniam ipse est Dominus Deus* noster, faciens vos servire in lætitia, id est, sibi jubilare. Et *ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Quod nos ipsi in nobis fecimus, hoc damnandum est : quod autem ipse fecit, hoc vere salutis est : et ideo *populus et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione* gemebunda : quia qui vult ad eum intrare, necesse est ut confitendo gemat peccata sua. Hoc enim debet esse initium introeuntis ad eum : quod dicit, *Introite portas ejus in confessione* : et *atria ejus*, id est, Ecclesiam ejus ingressi, jam *confitemini illi in hymnis*, id est, in laudabili confessione confitemini illi, et tandem in futuro *laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus*, id est, reparatio antiqui lapsus, facta per misericordiam, est *in æternum* durabilis : *et veritas*, id est, completio misericordiæ promissæ, est *in generationem et generationem.*

PSALMUS C.

PSALMUS IPSI DAVID.

« Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine « Psallam et intelligam in via immaculata, quando « venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis « mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante « oculos meos rem injustam, facientes prævarica- « tiones odivi. Non adhæsit mihi cor pravum, de- « clinantem a me malignum non cognoscebam. De- « trahentem secreto proximo suo, hunc perseque- « bar. Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc « non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant « mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi mi- « nistrabat. Non habitabit in medio domus meæ qui « facit superbiam : qui loquitur iniqua, non direxit « in conspectu oculorum meorum. In matutino « interficiebam omnes peccatores terræ, ut disper- « derem de civitate Domini omnes operantes ini- « quitatem. »

ENARRATIO.

Psalmus David. Vox est capitis nostri in hoc psalmo, docentis ne quis propter misericordiam præsumat de impunitate peccatorum, quia sequitur

judicium: nec quisquam in melius mutatus, exhorrescit judicium; quoniam præcedit misericordia. Hæc duo, misericordia et judicium, solent in hominibus esse mutabilia; quia multi misericordia victi perdunt severitatem judicii: et cum aliquando rigidum volunt tenere judicium, amittunt misericordiam. Christus vero nec propter misericordiæ bonitatem perdidit judicii severitatem, nec propter severe judicandum postponi misericordiæ bonitatem, sed utrumque custodit sine commutatione. Nunc enim est tempus misericordiæ, quandoque veniet tempus exercendi judicii, et dicit:

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Quasi dicat; *Domine* Pater, *misericordiam* quam per me mundo exhibuisti, *et judicium* B quod per me facturus es quandoque, *cantabo*, id est, meis notificabo: et hoc *tibi*, id est, gratiæ tuæ, et non meritis attribuam. *Psallam et intelligam*, id est, intelligenter agam, *in via immaculata*, id est, positus, et hoc non per me, sed ideo, quia tu *venies ad me*, id est, Verbum tuum mihi homini personaliter uniendo: *perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Quasi dicat: Vere ad me venisti, quia ex hoc quod ad me venisti, *perambulabam in innocentia cordis mei*, id est, in corpe innocenti: et hoc *in medio*, id est, in firma conscientia mea, quæ *domus* dicitur, firmum videlicet receptaculum. In hac domo si quis male habet, nusquam bene habebit. Si quis autem purgatam habet conscientiam suam, etsi exterius undique male habet, tamen si ingreditur ad conscientiam suam, invenit sibi requiem. Nota quod C dicit, *perambulabam.* Perambulabat in innocentia cordis, quia tam ad inimicos quam ad amicos extendit latitudinem charitatis. Non est enim vera innocentia, nisi talis sit quæ nec sibi nec alteri noceat. Nocet sibi, si contra inimicum odio accensus fuerit, etsi nullum damnum inimico intulerit. Quod dicit, *Perambulabam*, id est, ubique ambulabam: et hoc *in innocentia* non manus tamen, sed et *cordis mei*: et hoc *in medio domus meæ*, id est, in conscientia mea, licet hominibus aliter visum sit. Potest etiam de membris dici, *perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*, id est, in illis qui dicuntur medii et firmiores in domo mea id est, in Ecclesia mea. Vel potest etiam referri superior versus ad membra, sic: *Misericordiam et* D *judicium*, id est, piam affectionem quam habuisti erga humanum genus: et judicium verum, ut creatura videlicet serviat suo Creatori. *Cantabo*, id est cantabunt *tibi* mei, o Domine, id est, gratiæ tuæ hoc attribuent, non meritis suis. Vel tibi cantabunt quia de misericordia tua præsument: ita tamen, ut de judicio tuo satagant, ita ut parati illud exspectent *et psallam*, id est, psallent mei et intelligent: quia non labiis tantum, sed et fine et vita psallent, habentes spiritum sapientiæ et intellectus, *in via immaculata* scilicet positi: et hoc tunc quando *Tu venies ad me*, id est quando mundo per me innotesces. Cantabunt, psallent et intelligent, et hoc ex populo meo. Quia ego prius *perambulabam in innocentia cordis meæ in medio domus meæ*, *non proponobam ante oculos meos*, id est, bleneplacitum habui *rem injustam*, id est, injuste factum quod libet: *facientes* prævaricationem *odivi*, id est, prævaricatores tam scriptæ legis quam naturalis odio habui, in hoc quod odio habendi erant. *Non adhæsit mihi cor pravum*, id est, cor a via recta distortum, non placuit mihi, licet aliquando conversatus essem cum hominibus perverse agentibus. *Declinantem* autem *a me*, id est, a mandatis meis *non cognoscebam* dignatione, licet eum cognoscerem animadversione iræ: *detrahentem* etiam *secreto proximo suo hunc persequebar* in hoc quod persequendus erat, ut cui prius erat detractor, fieret amator; juxta illud: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum* (*Matth.* XVIII). *Superbo oculo et insatiabili corde cum hoc non edebam.* Duo notantur hic, superbus et avarus. Avaro enim semper est cor insatiabile, sicuti superbo oculus est elatus, et non humiliter inclinatus: quorum, videlicet superbi et avari, est cibus, impietas et injustitia. Hoc cibo non vescuntur illi, qui pium cor habent in Domino, quia cibus eorum est justitia. Unde illud: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuutur* (*Matth.* V). Vel ad litteram possumus legere, si ad membra volumus referre quod dicit, *Superbo oculo et insatiabili corde*, id est cum hoc non edebant mei. Unde Paulus: *Si quis non* obedierit sermonibus nostris, *hunc per epistolam* nobis *notate, et cum* eo non *commisceamini*: non ut *inimicum* eum habeatis, *sed ut fratrem* eum corripiatis (*II Thess.* III). Et alibi: *Cum ejusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* V). Vel sic: Cum hoc cibum edebam voluntate, licet actione. Recepit Dominus peccatores, et manducavit cum illis, sed in voluntate non consensit: ipse enim tantum cum eis comedit ad correctionem illorum. In hoc enim se magistrum ostendit, cum ad eorum correctionem cum illis comedit. *Occuli mei ad fideles terræ.* Quasi dicat: Superbos et avaros contempsi: *oculi* autem *mei*, id est, respectus misericordiæ meæ, est *ad fideles terræ*, id est, ad illos qui fideliter terrenitatem suam colunt. Et quid hoc illis? Ut tandem *sedeant* mecum in regno meo. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Sed *qui facit superbiam non habitabit in medio domus meæ*, id est, non placebit cordi meo, vel non habitabit in Ecclesia mea. *Qui loquitur iniqua, non direxit se in conspectu oculorum meorum.* Et qui tandem de illis? *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Nox est quandiu agimus vitam istam transitoriam, in qua permittuntur impii cum impiis vivere: sed veniente *matutino*, id est, omnium resurrectione, in qua terminabitur omnis tenebrositas noctis; interficientur omnes peccatores: et qua interfectione sint interficiendi, subjungit: *Ut disperderem de civitate Domini omnes operantes*

iniquitatem. Nam interfectio peccatorum erit separatio a congregatione fidelium: quod tunc erit, quando agni separabuntur ab hædis. Vel aliter: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Matutinum est principium diei. In principio autem interficiendi sunt omnes peccatores terræ, quia surgente illicito motu ex suggestione diaboli, interficiendi sunt *peccatores terræ*, id est, diabolus et angeli ejus removendi sunt a nobis: ne usque ad actum iniquitatis nos perducant, a quorum suggestione illiciti motus surrexerunt in nobis. Quod dicit, *In matutino interficiebam*, id est, interficiendos esse putabam *omnes peccatores terræ*, ut sic *disperderem*, id est, mei disperderent *de civitate Domini*, id est, de anima sua justa *omnes operantes iniquitatem.* Unde serpenti dicitur: Mulier *conteret caput tuum* (*Gen.* III). Caput serpentis conteritur, quando illiciti motus ne ad actum perveniant, interficiuntur. Unde illud: *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram* (*Ps.* CXXVI).

PSALMUS CI.

ORATIO PAUPERIS CUM ANXIATUS FUERIT, ET CORAM DOMINO EFFUDERIT PRECEM SUAM.

« Domine, exaudi orationem meam, et clamor « meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me: « in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem « tuam. In quacunque die invocavero te, velociter « exaudi me. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, « et ossa mea sicut cremium aruerunt. Percussus sum « ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum « comedere panem meum. A voce gemitus mei ad« hæsit os meum carni meæ. Similis factus sum « pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax « in domicilio: Vigilavi, et factus sum sicut passer « solitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi « inimici mei: et qui laudabant me, adversum me « jurabant. Quia cinerem tanquam panem mandu« cabam, et poculum meum cum fletu miscebam. A « facie iræ et indignationis tuæ, quia elevans allisisti « me. Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut « fenum arui. Tu autem, Domine, in æternum per« manes, et memoriale tuum in generationem et « generationem. Tu exsurgens misereberis Sion, « quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. « Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et « terræ ejus miserebuntur. Et timebunt gentes « nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ glo« riam tuam. Quia ædificavit Dominus Sion, et vi« debitur in gloria sua. Respexit in orationem humi« lium, et non sprevit precem eorum. Scribantur « hæc in generatione altera, et populus qui creabi« tur, laudabit Dominum. Quia prospexit de excelso « sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit. « Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios « interemptorum. Ut annuntient in Sion nomen « Domini, et laudem ejus in Jerusalem. In conve« niendo populos in unum et reges, ut serviant Do« mino. Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem « dierum meorum nuntia mihi. Ne revoces me in « dimidio dierum meorum, in generationem et gene-

A « rationem anni tui. Initio tu, Domine, terram fun« dasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi « peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut « vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mu« tabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, « et anni tui non deficient. Filii servorum tuorum « habitabunt, et semen eorum in sæculum diri« getur. »

ENARRATIO.

Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, et effuderit preces et orationes suas *Domino.* Pauper iste cujus oratio in hoc psalmo notatur, est ille de quo dicitur: Qui *cum dives esset*, pro nobis *factus est* pauper (*II Cor.* VIII), Dives in æqualitate Patris regnans:

B sed pauper factus est, quando verbum, quod in principio erat apud Deum (*Joan.* I) formam servi accepit (*Phil.* II), in qua nos a peccatis redemit. Ex hoc paupere sunt omnes divitiæ nostræ, tam interiores quam exteriores. Ab eo enim habemus aurum, argentum cæterasque possessiones. Ab eo etiam habemus interiores divitias: castitatem cæterasque virtutes quibus divites fiunt fideles. Quod dicitur pauper iste anxiatus esse, non ex se habuit anxiari, sed ex nobis, pro quibus carnem assumpsit, crucifigique voluit: pro quibus etiam in hoc psalmo orat, ut illuc ducantur per gratiam, unde cecidimus per primi parentis inobedientiam. Hunc anxiatum pro nobis quisque attendat, et anxietur, considerando in quanta gloria in Adam creatus esset, et ad quantam per eum cecidit miseriam: et hoc attendendo,

C coram Domino, non coram hominibus, ostendat precem suam.

Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. In hac oratione capitis nostri quædam attribuuntur suæ personæ, quædam nostræ infirmitati conveniunt. Et dicit sic: Domine pater, exaudi orationem meam, id est, meorum, factam pro perseverantia virtutum: et clamor meus, id est, irremissa operatio meorum, ad te veniat. Clamor accipitur et in bono et in malo: in bono, ut dictum est Moysi: *Quid clamas?* (*Exod.* XIV.) In malo, ut illud *Clamor Sodomorum venit ad me* (*Gen.* XVIII). Et Paulus: Auferatur *clamor* de medio vestri (*Eph.* IV). Quasi dicat: Video esse non posse, ut omnino auferatur iniquitas a vobis; sed cavete vobis, ne clamor sit in

D vobis, id est, ne exemplum sitis aliis peccandi. Unde alius: Etsi non caste, tamen caute. *Ne avertas faciem tuam a me* humiliato, quia avertisti ab Adam elato. *In quacunque die tribulor* in meis, *inclina ad me aurem tuam.* Ecce jam est caput nostrum superius, et dicit se tribulari. Ubi ergo tribulator, nisi in corpore? Quod in corpore tribuletur, manifeste ipsemet ostendit, dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX.) Et Petro dicit: Venio Romam iterum crucifigi. Quod dicit. *In quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*, id est, vim exauditionis apud te obtineat oratio mea. Cum ego humilio me, quasi me extollo: tu longe non sis a me, si me humilio, tu *inclina ad me aurem tuam. In quacunque*

dic invocavero te in meis, *velociter* id est, indilate, *exaudi me.* Velociter ideo, quia quæ tu vis, desidero : quia non jam terrenus terrena desidero, sed a prima captivitate liberatus, cœlestia desidero : de quo desiderio tu ipse dicebas : *Apud te loquentem ecce adsum.* Tu ergo pauper qui jaces ante januam divitis Dei, dic : Qua egestate mendicas, qua indigentia pulsas ? Dic ut aperiatur tibi ostium. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei.* Quasi dicat : Opus est ut velociter exaudias me in meis, quia *dies mei,* id est meorum, *defecerunt,* id est, ad defectum venerunt, sicut *fumus* in altum ascendens, et cito evanescens. Sic superbi homines ascendunt, id est tumescunt : *et* ideo *ossa mea* ut *cremium aruerunt.* Ossa dicuntur fortiores in Ecclesia, quia sicut caro quæ mollis est, sustentatur ossibus quibus adhæret : ita infirmiores in Ecclesia adhærent perfectioribus, et ab eis sustentantur ; et quoniam *multitudinis credentium cor* debet esse *unum et anima una* (*Act.* IV), sæpe contingit ut fortiores in Ecclesia, condolendo imperfectis quos vident incurrere scandalum, quasi aridi appareant, sicut *cremium* quod siccum remanet in sartagine, expresso sagimine. Nam magnus est dolor perfectis in Ecclesia, quando vident minus eruditos scandalum incurrere. Vel aliter quod dicit, *et ossa mea sicut cremium aruerunt* et hoc unde : *Percussus sum* in primo parente, *et aruit cor meum,* id est, robur rationis meorum sicut *fenum* quod hodie est, et cras in clibanum mittitur (*Matth.* VI) : et quare in primo parente percussus sum ? *Quia oblitus sum comedere panem meum,* id est, divinis præceptis quibus homo refici debet, me reficere renui. Quod divina præcepta homini debent esse refectio, ipse Dominus in Evangelio dicit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Hunc panem oblitus est primus homo comedere, qui, diabolo suggerente, muliere prævaricante et suadente, tetigit vetitum cibum, et oblitus est præceptum (*Gen.* III) ; sed sequitur post oblivionem commemoratio. Manducemus panem illum, qui de se ipso dixit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). Manducemus panem illum, ut vivamus : non manducemus sicut manducaverunt patres nostri manna, et mortui sunt (*Ibid.*). *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Sunt quidam qui non gemendo quod gemere deberent, vel gemendo quod non gemere deberent, se gemendos faciunt. Gemunt enim amissam pecuniam, sed non gemunt amissam justitiam ; gemunt nummum amissum, non cœleste regnum eis ablatum ; fraudem faciunt, et gaudent. Sed quoniam perfectiores in fide non possunt dimittere quin eis ex charitate condoleant, ideo *adhæsit os meum,* id est, fortiores in membris meis, adhæserunt *carni meæ,* minus videlicet eruditis : fortes adhæserunt debilibus, validi invalidis : et hoc *a voce gemitus mei,* id est, meorum gementium illos qui se gemendos faciunt, quoniam eis condolendo adhærent : et ideo opus est ut velociter eos exaudias. Vel aliter, *oblitus sum* manducare : quia *a voce gemitus mei,* voce videlicet serpentis, de qua semper est gemendum meis, hanc scilicet, Comedite *et eritis sicut dii* (*Gen.* III) : ex hac *adhæsit os meum,* id est, interior homo meus, consensit *carni meæ.* Adam enim meus consensit Evæ, quia robur rationalitatis meæ sensualite mea depressum est. Et pro hac voce gemitus, *similis factus sum* in meis *pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Pelicanus est avis quæ nascitur in ripis Nili, amans solitudinem : ubi intelliguntur sancti prædicatores volentes de talento sibi commisso lucrum Domino quærere, attendentes sententiam Domini dicenti : *Serve nequam, quare pecuniam meam non dedisti nummulariis, ut ego veniens cum usura* reciperem *illam* ? (*Matth.* XXV ; *Luc.* XIX.) Et hoc attendentes, conservat se *in solitudine,* id est, in locum gentium, ut ibi lucrum Domino quærant : inter quos quasi *in solitudine* morantur, quia neminem suæ sectæ inveniunt ibi. *Et factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Nycticorax est avis alio nomine dicta bubo, quæ exercet cantum suum in nocte, et amat esse *in domicilio,* id est, in domibus desertis. Domicilium est enim domus deserta et destructa, ubi ablato tecto remanent tantum parietes. Et hic notantur prædicatores iidem qui notati sunt per pelicanum, vel alii iterum Domino lucrantes *in domicilio,* id est, in illis qui receptione fidei jam quasi domus constructa fuerunt, sed quia per infidelitatis culpam postea a fide discesserunt, quasi domicilium facti sunt, tecto carentes fidei. Habet alia translatio, in parietinis et in dirutis. *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Quasi dicat : *Similis factus sum pelicano* in quibusdam membris meis, et ejusdem vel in aliis *vigilavi,* id est, in inquietudine perseveravi, *et factus sum sicut passer,* avis videlicet querula, *et solitarius* fui *in tecto.* Hic notantur filii, qui fidem adhuc habent, sed nimis secundum carnem vivunt, inter quos prædicator quisque passer est, quærens eos nimis consentire carni suæ : et est *solitarius in tecto,* quia cum cæteri sub carne sua quasi sub tecto conversantur, ipse carnem suam domando ut spiritum roberet quasi subjecto non est, sed in tecto, jam lege mentis superans legem carnis. Aliter posset hoc notari in membris Domini quod dicit, *similis factus sum pelicano solitudinis.* Per pelicanum solitudinem amantem, notantur illi qui omne onus sæculi postponunt, et ad solitudines se conferunt, ut ibi contemplationi Dei solummodo vacent. Sunt et alii qui similiter pompam sæculi postponunt ; sed et ab his qui in sæculo sunt, quodammodo pendent, victum et vestitum ab eis quærentes : et hi tales notantur, ubi dicitur, *factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Sunt etiam alii qui inter homines vigilant, id est, in inquietudine laborant, ut alios in fide ædificent : et hi tales notantur per hoc quod dicitur : *Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Possunt etiam hæc tria genera avium et locorum in capite

nostro notari, ut de seipso caput hoc dicat sic : *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Pro quo *gemitu* dolendo *sum factus similis pelicano* solitario. Dicitur quia pelicanus pullos suos statim de calido ovo eductos rostro suo interficit : quibus interfectis, nimio dolore se affligit per tres dies continuos ; et in tertia die seipsum præ maximo dolore dilacerando, sanguinem sum fundit : quo sanguine conspersi pulli reviviscunt : ubi Christus intelligitur, qui humanum genus occidit in hoc quod occidendum erat. Idololatras enim ad colendum Deum revocavit. Ipse enim sanguinem suum, ut nos revivificaret, effudit. Unde illud : *Ego occidam, ego vivere faciam : percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII). Fuit etiam pelicanus Christus solitarius, qui solitaria nativitate natus fuit. Nullus enim unquam præter illum sine peccato natus fuit. *Vel similis factus pelicano solitudinis.* Juxta illud : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* (*Luc.* IX). *Factus sum sicut nycticorax in domicilio.* In domicilio conversatus est, quando inter dirutos, id est, legis prævaricatores conversari voluit, ipse enim dilexit tenebras eorum, non ut in tenebris remanerent, sed adhuc converterentur. De eis enim dixit : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Ibi prædicavit, ibi miracula fecit, ibi ad ultimum mori voluit. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilavi* tandem, id est, a mortuis resurrexi : *et factus sum sicut passer solitarius in tecto*, quia ego singularis in cœlum ascendi. Unde illud : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III). Vel sic : *Vigilavi*, id est, inquietudini datus sum : vel, *vigilavi*, id est vigilanter egi. Unde illud : Justus *cor suum* tradit *ad vigilandum diliculo ad Dominum qui fecit illum* (*Eccli.* XXXIX). *Et factus sum sicut passer solitarius in tecto*, id est, habitus sum ab illis comparabilis avi illi, quæ excluditur de domo, et in tecto solitaris moratur. Unde quia *factus sum sicut passer, tota die exprobrabant* me *inimici mei;* vel sic : Licet ego ad hoc natus sim, ut auferam vocem gemitus meorum, tamen *tota die*, id est, continue exprobrabant *mihi* inimici mei, dicentes : *Dæmonium habes* (*Joan.* VIII) : et his similia : *et qui laudabant me* ore, *adversum me jurabant* corde : ore enim dicebant : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces* (*Matth.* XXII) : et tamen apparuit postea, quod adversabantur mihi in corde, quasi conjurati essent adversum me. Et quare hoc ? *Quia cinerem tanquam panem* manducavi, id est, peccatores pro inutilitate cineri comparabiles, in corpus meum trajiciebam tanquam panem, id est, tanquam justos qui pro soliditate boni operis panes dicuntur : *et poculum meum*, id est, fortes in corpore meo *miscebam cum fletu*, id est, cum illis qui pro multitudine peccatorum fletus dicuntur et illos pro se flere cogunt : et ideo *adversum me jurabant* Judæi, quia ad corpus meum perficiendum tam impios quam pios elegi. Unde illud : *Quare magister vester cum publicanis*

A *et peccatoribus manducat?* (*Matth.* IX.) Adhuc etiam improperatur a paganis, prædicatoribus in Ecclesia, quod ipsi pervertant mores et disciplinas hominum, quia dicunt prædicatores dare libertatem peccandi cum promittunt locum pœnitentiæ et spem veniæ, non attendentes quia Dominus ne desperatione pejus viverent, promisit indulgentiæ portum : et ne iterum pro spe veniæ pejus viverent, diem mortis fecit incertum : prudentissime utrumque constituens, et revertentes quo reciperentur, et differentes quo terreantur. *A facie iræ et indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.* Quasi dicat : Quod ego cinerem manducabam, hoc fuit *a facie indignationis tuæ*, id est, a cognitione iræ tuæ, *quia elevans allisisti me*, id est, meos elevatos allidi permisisti.

B Elevatus fuit homo, quia omnia animalia vivacitate rationis excellebat. Ipse enim in libero arbitrio positus fuit, sic creatus ut non moreretur, si peccare destitisset. Sed quia ab obedientia cecidit, et liberum arbitrium suum quasi non haberet vim discretionis, in malum convertit, ideo allisus fuit. Neque enim juste plus ab eo quam ab aliis animalibus obedientiam Dominus exegisset, si cæteris animalibus in vivacitate non præesset. *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Quasi dicat : Quia *elevans allisisti me*, ideo *dies mei*, id est dies meorum, *sicut umbra declinaverunt, et ego* in meis, *sicut fenum arui.* Nota quia merito agunt dies declinantes, qui in stabilitate et æternitate noluerunt permanere. *Tu autem, Domine*, qui æternus es, et cujus nomen vivet in sæcula, *permanes in æternum, et memoriale tuum*, id

C est, misericordia tua quæ digna est memoria, permanet *in generationem et generationem.* Et quomodo hoc ? Quia *tu exsurgens* per me, *misereberis Sion*, id est, Judaici populi. Et vere *misereberis, quia tempus* est *miserendi ejus*, juxta illud : Quando *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* (*Gal.* IV). Et vere misereberis, *quia venit tempus ;* juxta illud : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*I Cor.* VI). *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus.* Quasi dicat : Hoc modo *misereberis Sion*, quoniam *lapides ejus*, id est, prophetæ qui sunt fundamentum ejus Sion *placuerunt servis*, id est, apostololis tuis intelligibiles erant prophetæ : *et* ipsi apostoli exponendo dicta prophetarum, *miserebuntur terræ*, id est,

D illos qui adhuc terra sunt, faciunt dignos tua miseratione, ut sic de terra fiant lapides vivi in ædificium Sion : quia potens est Deus, qui pulverem ex nihilo plasmavit, ex ipso pulvere lapides facere. *Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam.* Ecce jam constructus est paries unus civitatis Sion, paries videlicet ex circumcisione, ut et veniat paries de præputio : ut illi duo parietes juncti in unum angularem lapidem, construant civitatem. *Et timebunt*, quasi dicat : Non tantum *misereberis Sion*, sed etiam *gentes timebunt* timore filiali, non servili, *nomen tuum, Domine ;* juxta illud : *Dico Jesum ministrum fuisse circumci-*

sionis, gentes autem super misericordia Deum honorare (*Rom.* XV). Et non quælibet gens timebit *nomen tuum, Domine,* sed *omnes reges terræ timebunt gloriam tuam,* id est, resurrectionem tuam valde gloriosam. Et vere vocato pariete ex circumcisione veniet paries ex præputio. *Quia* illis duobus conjunctis, *ædificavit Dominus Sion* spiritalem, non carnalem, a qua tandem *videbitur in gloria sua,* non in infirmitate sua, in qua visus est ab illis qui crucifixerunt eum, sed in majestate Patris, et in multitudine angelorum. Et ut tandem videatur in gloria sua: *Respexit,* id est, respiciet hic *in orationem humilium, et non sprevit precem eorum* pro delictis factam. *Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum.* Quasi dicat : Non solum respiciet Dominus illos qui erant in primitiva Ecclesia, sed etiam illos qui post futuri sunt : quia hæc quæ impleta sunt in primitiva Ecclesia, scribentur, id est, notabuntur, esse scilicet futura *in generatione altera,* id est, in generatione posteriori ; et sic *populus qui creabitur, laudabit Dominum,* non erubescens confiteri Domino coram hominibus. Vel sic : *Quia gentes timebunt nomen tuum, Domine,* ideo hoc quod Dominus videt, ædificabit Sion, promissa scilicet in generatione prima, *scribantur,* id est, notificentur, *in generatione altera* esse completa : quoniam quod videbatur Judæis esse promissum, hoc in gentibus est adimpletum, *et populus qui creabitur* in bonis operibus, *laudabit Dominum. Quia* ut laudaret eum, *prospexit de excelso sancto suo,* id est, de me homine assumpto. *Dominus de cælo in terram aspexit,* ut de terra cœlum faceret. Ad quid aspexit ? *Ut audiret gemitum,* id est, dolorem mortalitatis et passibilitatis, *compeditorum,* id est, astrictorum vinculis disciplinæ suæ. Unde dictum est : *Injice pedem tuum in compedes* ejus, *et collum in torques* ejus (*Eccli.* VI). Nullus ergo subterfugiat disciplinam. Hic blanditur corrigendis, ne tandem experiantur judicium judicis sævientis. Toleremus compedes, quia tandem compedes solventur, et in coronam vertentur. Quod dicit : *Ut audiret gemitum compeditorum, et solveret filios interemptorum,* id est, imitatores martyrum qui exterius interempti sunt ab inimicis, et ipsi interius seipsos mortificaverunt. *Ut annuntient in Sion nomen Domini et laudem ejus in Jerusalem.* Solvet filios interemptorum a vinculis peccatorum, ut soluti annuntient *in Sion,* id est, in Ecclesia nomen Domini : *et laudem ejus in Jerusalem.* Quæ major laus sua, quam ut fidelis pastor animam suam daret pro ovibus suis ? *Annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem : in conveniendo populos in unum,* id est ad hoc ut populi conveniant *in unum;* id est, in unam charitatem et fidem, ut non sit schisma inter eos : quia qui salvari volunt, oportet ut *in unum* conveniant. *Movebatur aqua, et* sanabatur unus (*Joan.* V). Unde et illud : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV) ; quod dicit : *In conveniendo populos in unum : et* non tantum populi quilibet in unum convenient, sed *reges*

A convenient ad hoc, *ut serviant Domino. Respondit ei in via virtutis suæ.* Quasi dicat : Annuntiabunt laudem ejus in Jerusalem, et ipsa laus respondet eis invocatis. Ipsi enim invocati respondent Domino : respondet ei in vita sua, non lingua sua. Non enim respondent Domino illi qui vocati perverse vivunt, qui post seminationem spinas et tribulos proferunt, sed illi respondent Domino, qui post vocationem bonis operibus respondent, Deo gratias agendo : quod dicit, *Respondit ei,* id est, gratias agit quisque vocatus in viam virtutum, scilicet in illo qui de seipso dicebat : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Nota quod dicit, *In via virtutum.* Virtus Domini est gloria resurrectionis ejus. Non enim apparuit ante resurrectionem populis, sed maxime latuit

B ex infirmitate crucifixionis : quia postea ubique prædicatus est ex virtute resurrectionis, quia post resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti missionem, ubique auditum est verbum Domini: et sic vocati respondent bene operando *in via virtutis suæ,* id est, in gloria resurrectionis suæ : quia non est laus Ecclesiæ, credere tantum in Christum crucifixum, mortuum ; sed laus ejus est, credere in Christum crucifixum, mortuum et redivivum ; vel sic : *Respondit ei* Jerusalem, non Jerusalem quæ servit cum filiis, non illa de qua dictum est : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!* (*Matth.* XXIII.) Hæc vocata non respondit in laude, Jerusalem autem cui dictum est : *Lætare, sterilis quæ non paris, erumpe et clama, quæ non parturis :*

C *quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV ; *Gal.* IV). Hæc vocata, *respondet* Domino *in via virtutis suæ,* non in sua infirmitate : quia nihil in se invenit quod de se loqueretur, nisi vocem infirmitatis, hanc videlicet: *Ego dixi, Domine, miserere mei : sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL) : et ideo *respondit in via virtutis suæ,* id est credendo resurrectioni. Unde illud : *Si credideris quod Deus* Pater *suscitavit* eum *a mortuis, salvus eris* (*Rom.* X). Respondit dicens : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi,* id est, fac attendere meos *paucitatem dierum meorum,* dies paucos in quibus Ecclesia perseveratura est usque ad consummationem sæculi, ne consentiant illis qui dicturi sunt Ecclesiam non esse generalem, et in brevi

D finiendam. Propheta vel Christus, qui hic loquitur, prævidens quosdam esse futuros qui post receptionem fidei, Ecclesiam essent impugnaturi, dicentes Ecclesiam non esse generalem, sed in partibus Donati tantum eam esse, et ibi in brevi finiendam, contra quos dicit : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Quasi dicat : Constat quia multiplicitas dierum æternaliter perseveratura est : sed *paucitatem dierum meorum nuntia mihi,* id est, mihi sub terminatione pone, ut attendam Ecclesiam perseveraturam usque in finem. Unde illud : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Et ne illud intelligeretur in partibus Donati

tantum,ideo subsecutus ait : *Prædicabitur Evangelium hoc in* toto orbe terrarum *in testimonium* omnium gentium, *et tunc* finis erit (*Matth.* XXIV). *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, ad hoc videlicet, *ne revoces me in dimidio dierum meorum*, id est, ne me revocari permittas *in dimidio dierum meorum*, id est inperfectione dierum temporalium. Nota quia tunc permitteret eum revocari *in dimidio dierum*,si ad hoc deduceretur,ut sententiæ faveret inimicorum hæreticorum dicentium, Ecclesiam usque ad consummationem sæculi non durare ; quod dicit ? *Ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generationem et generationem anni tui*. Quasi dicat : Ideo rogo ut nunties paucitatem dierum meorum,et non multiplicitatem : quia *anni tui* ; id est multiplicitas dierum, quando tu eris B omnia in omnibus,erit *in generationem et generationem*,id est æternaliter : tunc videlicet,quando omnes generationes quæ hic succedunt et decedunt, coram te erunt generatio una in qua generatione erunt *anni tui*, id est,æternitas tua. Et non tantum tunc erit æternitas tua, sed etiam fuit ante omnia, quia, *tu Domine*, *in initio*, id est, in æternitate tua, vel in Filio tuo *fundasti terram*, id est Ecclesiam,*et opera manuum tuarum sunt cœli*, id est, si aliqui sunt *cœli*, id est, sedes Dei, hoc non est per se,sed per *opera manuum tuarum :* quia tu in illis operatus es quidquid in eis boni est. Et tamen licet sint cœli et opus manuum tuarum, tamen *ipsi peribunt, tu autem* permanebis. Nota quod dicit, *peribunt :* quia si perituri sunt secundum corpus peribunt : et si secundum corpus,ubi resurrectio, quam negare nefas est ? C Constat ergo quia non sic peribunt,ut non resurgant.*Peribunt* in ipsa resurrectione : quia cum assumpserit corruptio incorruptionem,peribit in eis corruptio quæ præcessit : peribit in eis quod fuit animale, et remanebit quod fuit spirituale. Quod dicit,*ipsi peribunt*,*tu autem* permanebis. Et vere *peribunt* quia *omnes veterascent :* et hoc ideo, quia sunt *vestimentum :* corpus enim quasi *vestimentum* est animæ, et ideo necessaria *veterascent. Et sicut opertorium* quod pro vetustate mutabitur *mutabis eos*. Et vere mutabis, quoniam ipsi *mutabuntur* de corruptione in incorruptionem. *Tu autem*, id est, qui fuisti ab initio, *idem ipse es* permansurus, incommutabilis videlicet : *et anni tui* æternales *non deficient*,in quibus annis *filii servorum tuorum habitabunt*. D Nota quod dicit filios habitare, et non servos : quia si apostoli qui servi fuerunt,non habitabunt ibi, quomodo *filii* eorum, id est, imitatores eorum habitabunt ? Non sic intelligendum est, ut servi non inhabitent, sed per hoc quod dicit : *filii servorum*, notat nullum in vetustate permanentem illuc pervenire : sed oportet ut qui illuc pervenire desiderant, novitatem induant. Quod notabatur in filiis Israel,quando nullus illorum qui mare Rubrum transierunt, terram promissionis intravit, nisi Caleb scilicet et Josue (*Num.* XIV), in quibus duobus notabantur duo qui intraturi sunt veram terram, caput videlicet et corpus, id est, Christus et Ecclesia. Quod dicit : *Filii servorum tuorum habitabunt*, id est, bona opera servorum tuorum *habitabunt*, id est, erunt causa quare servi tui habitabunt in illis annis, quia tales filios quales præmittimus ibi inveniemus : quia ad hoc præmittuntur *filii nostri*, id est, opera nostra, ut ibi parent nobis necessaria. Quod notabatur per Joseph,quia ad hoc præmissus fuit, ut patri provideret necessaria.*Filii servorum tuorum habitabunt*, *et semen eorum in sæculum dirigetur*.Potest et aliter legi superius ubi dicitur,*Respondit ei in via virtutis suæ*, quasi dicat:*Populus qui creabitur*, *laudabit Dominum* hoc modo, quia *respondet ei in via virtutis suæ* in imitatione ejus, ut sicut ipse dedit animam pro ovibus, ita et ipse populus animam pro fratribus dare non dubitavit : et sic *respondit ei*, dicens : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, id est,fac me attendere quam pauci sunt dies mei. *Ne revoces me*, id est, ne me revocari permittas *in dimidio*,id est,imperfectione dierum meorum, ut attendam videlicet hos dies imperfectos et non æternos.Vel sic : *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*,id est, a cursu hujus vitæ, donec satagam de adipiscendis æternis. Et quare hoc ? Quia anni tui futuri sunt in generatione generationum. Cætera non mutantur.

PSALMUS CII.

PSALMUS IPSI DAVID.

« Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ « intra me sunt,nomini sancto ejus. Benedic, anima « mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.Qui propitiatur omnibus iniquitatibus « tuis,qui sanat omnes infirmitates tuas.Qui redimit « de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juventus « tua. Faciens misericordias Dominus, et judicium « omnibus injuriam patientibus. Notas fecit vias « suas Moysi,filiis Israel voluntates suas.Miserator « et misericors Dominus, longaminis et multum « misericors. Non in perpetuum irascetur,neque in « æternum comminabitur. Non secundum peccata « nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates « nostras retribuit nobis.Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam « suam super timentes se.Quantum distat ortus ab « occidente,longe fecit a nobis iniquitates nostras. « Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est « Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit « figmentum nostrum.Recordatus est quoniam pulvis sumus,homo sicut fenum dies ejus : tanquam « flos agri sic efflorebit.Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet « amplius locum suum.Misericordia autem Domini « ab æterno et usque in æternum super timentes « eum. Et justitia illius in filios filiorum, his qui « servant testamentum ejus.Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Dominus in cœlo « paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus

« dominabitur. Benedicite Domino, omnes angeli « ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad « audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Do« mino, omnes virtutes ejus, ministri ejus qui facitis « voluntatem ejus. Benedicite Domino, omnia opera « ejus : in omni loco dominationis ejus, benedic, « anima mea, Domino. »

ENARRATIO.

Vox est in hoc psalmo perfectorum in corpore Christi exhortantium animas suas, id est animalitates suas, quatenus cum orationibus suis concordent et benedicant Dominum. Vel potest esse perfectorum ad minus perfectos : quia ipsi propter infirmitatem carnis, cui se objiciunt, animalis nomine designantur. Hos tales secum trahunt ad benedicendum Dominum in hoc psalmo. Quasi dicat unusquisque : In omni munere Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, in omni consolatione, in omni correptione, in gratia illa qua condonavit peccata, et non retribuit secundum merita.

Benedic, anima mea, Domino : Benedic, dico non tantum lingua, sed etiam vita. Ipse enim non ad hoc quærit benedictionem nostram, ut sibi proficiat, sed ut nos proficiamus in eo. Non enim hoc quærit, quo recepto, se a nobis avertat ; sed quod nos ad eum pervenire faciat. *Et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Non loquitur hic ad intestina, jecur videlicet et cætera, ut benedicant Dominum ; sed quod prius intellexit per animam, hoc iterum pro nimia affectione quam habet in hac exhortatione, aliis verbis expressit. Vel possumus virtutes animæ, rationem, intellectum, cæterasque virtutes quæ infra animam sunt, intelligere : quas licet vox oris sileat, tamen non debent silere interiora a benedictione Domini. Alternet pro tempore sonus vocum perpetua sit vox interior. Cum convenis ad Ecclesiam, hymnum dic : sonat vox tua laudes Dei. Dilexisti quantum potuisti : discessisti ? sonat anima tua laudes Dei. Negotium agis ? benedicat anima tua Domino. Cibum capis? vide quid ait Apostolus : *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite* (*I Cor.* x). Audeo dicere, cum dormis, benedicat anima tua Dominum. Non te excogitatio flagitii excitet. Si te excitet dispositio furti, innocentia tua, etiam te dormiente, est vox animæ tuæ. *Benedic, anima mea, Domino.* Repetitio ista ad exhortationem valet. Ut autem semper benedicat Dominum, *noli oblivisci omnes retributiones ejus :* quia si oblivisceris, tacebis. *Retributiones ejus* non potes ante oculos habere, nisi ante oculos tuos omnia tua habeas peccata. Non sit ante oculos tuos dilectio præteriti peccati, sed damnatio : quia si a te est damnatio, a Deo erit remissio. Nota quia dixit *retributiones,* non tributiones : quia aliud debebatur nobis, et aliud redditum est nobis. Ipse enim prius tribuit tibi ut viveres ; ut cunctis animalibus vi rationis præesses, ad ejus imaginem et similitudinem te formavit (*Gen.* I) ; sed tu pro tantis bonis quid retribuisti ? Prævaricationem, blasphemias, contradictiones, injurias multas, pro quibus promeruisti judicium, non misericordiam : sed ipse Dominus bona pro malis retribuit, quia dixit : Confitere, et ignosco. Hoc quærit Dominus pro omnibus malis quæ fecisti, similitudinem suam in qua te creavit : ad quam tu per confessionem peccatorum redis. Non plus quærit quam nummum suum (*Matth.* XXII), id est, animam suam, in qua vim rationis per monetam suam impressit. Non quærit ut de tua tribuas, sed de suo. De tuo enim nihil nisi peccatum habes, quod sibi non vult tribui. Retribue ei ergo de suo, lauda eum in veritate ; quia si de tuo volueris, mentiris. Nam qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Qui vero veritatem, de Deo loquitur : quia ab eo habemus quidquid boni loquimur vel facimus. Quare *noli oblivisci omnes retributiones ejus,* has videlicet. Quia *propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,* remittendo tibi peccata tua. Et quia post resurrectionem peccatorum adhuc carnem mortalem, in qua titillationes multas pateris, portas : ideo subsecutus ait : *Qui sanat omnes infirmitates tuas,* id est, infirmas cogitationes carnis quodam medicinali dolore sonat. Toleremus enim medicinalem, dolorem, attendentes futuram sanitatem ; quasi toleremus medicum graviter secantem et urentem, non tamen certi de futura sanitate, multo magis toleranda est medicinalis manus Domini, quæ nec fallitur. Ipse dedit præceptum quid tangeres, et quid non tangeres ad retinendam sanitatem, et noluisti eum audire : saltem nunc audi ad recipiendum. Quod dicit : *Qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui* etiam tandem *redimit de virtute viam tuam,* quando hoc mortale induet immortalitatem (*I Cor.* XV), *qui coronat te,* qui hic dat tibi legitime certare, unde postea coroneris. Vel *coronat te in* futuro *misericordia,* id est, in promissione sua, *et miserationibus,* id est, in promissionum exhibitionibus. Nota quod dicit, *In misericordia.* Ipse enim in misericordia nos coronat, qui sua dona in nobis remunerat. *Qui replet in bonis desiderium tuum :* qui dat tibi perficere, quod bene desideras. Vel in futuro replebit desiderium tuum in bonis, quando eum facie, faciem videbis. Et ne quis hanc repletionem desiderii hic exspectare vellet, subjungit: *Renovabitur ut aquilæ juventus tua :* hic notatur resurrectio, in qua omnia vetera renovantur ut juventus aquilæ. Dicitur aquila, cum senectute pressa fuerit, ex immoderatione crescentis rostri cibum capere non posse. Pars enim superior rostri supereminet inferiorem partem : et incurvata pars superior circa inferiorem, non sinit aquilam os aperire, ut sit intervallum aliquod inter inferiorem partem et superiorem : quia superior pars aduncata, impedit eam ne os aperiat, et sic gravatur languore senectutis et inopia comedendi. Quam cum diu patitur, tandem accedit ad petram, et ibi collidit et percutit superiorem partem : qua crescente, nimis edenti aditus claudebatur : et hoc diu faciens, caret nostro onere quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, et omnia reparantur. Et post senectutem

tanquam juventus aquilæ redit vigor omnium membrorum, pennarum nitor; volat ad excelsa sicut aquila: fit in ea quasi quædam resurrectio. Videamus ergo et nos, si quid sit quod impediat nos ad comedendum panem nostrum et percutiamus vetustatem ad petram: *petra autem est Christus* (*I Cor.* x), in qua renovabitur tandem juventus nostra sicut aquilæ. Et interim donec ad renovationem illam veniamus, consolatur nos in hoc deserto, donec veniamus ad patriam. Quod dicit: *Faciens misericordias Dominus*. Quibus faciat misericordiam, Evangelium declarat, dicens: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v). Quæ sit mensura misericordiæ, iterum Evangelium declarat dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*ibid.*). Et Paulus: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi* (*Rom.* XII). Et illud: *Omni petenti da* (*Luc.* VI). Attendat ergo quisque qui vult misericordiam, et nulli sit immisericors: omni petenti se det, ut a Domino tandem plene recipiat. Hoc præceptum videtur repugnare illi quod alibi dicitur: Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui tradas eam. Quid ergo dicemus? Dictum est: *Ne suscipias peccatorem* (*Eccli.* XII): et tamen dicitur, *omni petenti te da*. Da peccatori, non ut peccatori, sed ut justo. Homo peccator occurrit tibi? Cum dico: Homo peccator occurrit tibi, duo nomina ponam non superflua. Unum enim nomen quod est homo, opus Dei significat: peccator vero, opus hominis. Noli ergo dare operi hominis, sed operi Dei. Operi hominis das, quando in quo peccator est, hoc tibi placet ut des. Nam qui venatori vel joculatori dat pro ipsa arte quam exercet, non dat operi Dei, sed operi hominis. Quia si homo tantum esset, et venator non esset, non dares: et ideo honoras in eo non naturam, sed artem vel vitium: et iterum, si justos des, si des discipulo Christi aliquid cujus indiget, et non ibi cogites quia discipulus Christi, quia minister Dei est, quia dispensator Dei est, sed cogites aliquod commodum temporale, ut fortasse causæ tuæ sit necessarius; vel ideo ei das, ut mitior sit tibi, si sic dederis, justo non das: sicut non dedit homini quando dedit venatori. Ut autem nullus attendat, cum dederit justo, sibi postea ex ipsa datione futurum temporale commodum, audiat quisque Dominum dicentem in Evangelio: *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* x). Non sufficit enim justum recipere, nisi in nomine justi recipiatur. In nomine autem justi justum recipit, qui in eo quod justus est tantum attendit in ipsa receptione, et non attendit aliquod commodum inde habere. Illis autem qui sic exhibent misericordiam, in aliis facit misericordiam. Et ne quis diceret, Si omnibus misericordiam fecero, si tam inimicos quam amicos dilexero, ecce impune feram omnia, ecce perit correctio disciplinæ morum, subjungitur: *et judicium omnibus injuriam patientibus*. Quasi dicat: Non timendum est alicui injuriam patienti,

A quasi impunitum maneat in illo quod fert, licet ipse qui patitur propter misericordiam servandam non ulciscatur injuriam illatam: quia Dominus *omnibus* hic in nomine suo *injuriam patientibus*, faciet judicium ab illis qui inferunt eis injuriam; juxta illud: Mihi vindictam, *ego retribuam* (*Deut.* XXXII), dicit Dominus. Non prohibet Dominus quin correctio fiat a prælatis in subditos: tantummodo cavendum est, ne ipsa correctio animo ultionis, sed animo dilectionis fiat. Debet enim quisque corrigere servum suum malum et filium luxuriosum, sed caveat unusquisque ut id quod in alio corrigit in seipso incorrectum non permittat. Neque enim mulier adultera ante Dominum adducta, lapidanda non erat; sed ut deprimeret superbiam illorum, qui volunt alterius

B vindicare peccata, non attendentes quia in seipsis vindicanda sunt plura. Dixit enim: *Qui sine peccato est vestrum mittat in eam lapidem* (*Joan.* VIII). Quasi dicat: Lex sancta est, et nihil injuste præcipit, ideo necesse est ut sancti sint ministri legis: et qui volunt corrigere alterius facinora, prius in seipsis damnent propria. Lapidet ergo adulteram conscientiam suam, qui mulierem vult lapidare adulteram. Vel sic dicamus: *Faciens misericordias Dominus*, quemque sum justificans: *et judicium omnibus injuriam patientibus*, hoc videlicet ut qui justus est, justificetur adhuc (*Apoc.* XXII). *Notas fecit vias suas Moysi*. Quasi dicat: *Dominus* facit *misericordias et judicium*, et has *vias suas notas Moysi*. Per Moysen quisque electus accipiendus est; et ideo mavult ponere Moysen quam alium electum, quia ipse minister

C legis fuit, et illi *notas* fecit Dominus *vias suas*, has videlicet quia facturus est misericordiam in illis qui sunt erga illos misericordes, et judicium omnibus injuriam patientibus. Hoc notum fecit etiam Moysi, ne quisque superbe judicaret de peccatis alterius, antequam satisfaciat Deo de propriis. Quod dicit, *notas* fecit *vias suas Moysi*, et per Moysen notificavit *filiis Israel voluntates suas*, quia per Moysen data est lex, quæ omnes sub peccato comprehendit: quia *veniente mandato, revixit peccatum*. Nesciebatur concupiscentia esse peccatum, *nisi lex diceret: Non concupisces* (*Rom.* VII). *Misericors Dominus* in promissis, *et miserator* in exhibitionibus, *longanimis*, quia portat nos donec perficiat, *et multum misericors*, in hoc quia peccatur, et tamen vivitur. Accedunt peccata,

D et prolongatur vita: vocat nos minis, vocat nos blandimentis: et Dominus hæc faciens, *non in perpetuum irascetur* nobis, *neque in æternum comminabitur*. Quod jam experti sumus, quia cum peccatores essemus, justificati sumus: cum mala promeruimus, ipse bona retribuit. Quod dicit: *Non secundum peccata nostra* facias *nobis*, *neque secundum iniquitates nostras* retribuas *nobis*. *Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se:* quia sicuti terra undique a cœlo protegitur, et ab eo lumen habet, et ab eo rore irrigatur et pluvia imbrificatur, ita quos protegit misericordia Dei undique protegit, et

A ab ea illuminantur, et sapientia veritatis imbrificantur. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.* Alia similitudo qualiter misericordiam faciat Dominus : quia quantum distat ortus solis ab occasu, tantum distat ortus gratiæ a casu culpæ ; quia sicut casus culpæ est æternalis, ita et ortus gloriæ. Alia iterum similitudine ostendit, qualiter corroborata sit misericordia Domini super timentes se. Quia *quomodo miseretur pater filiorum,* ita *misertus est Dominus timentibus se.* Et hoc ideo, *quoniam ipse cognovit figmentum nostrum,* id est fragilitatem nostram. *Et recordatus est* quia *pulvis sumus :* et quod *homo, sicut fenum* sicut arescit : *dies ejus tanquam flos* feni *sic efflorebit :* quia cum modo floreat, cras arescet. Et hoc unde? *Quoniam spiritus pertransibit in illo.* Transire, est de bono ad bonum ; B pertransire, est ultra terminos ire, bonum dimittere, malo inhærere. Unde illud : *Spiritus vadens*, quia *non rediens Psal.* LXXVII ; quod dicit : *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet* in vivacitate rationis, in qua creatus fuit a Deo spiritus hominis : *et non cognoscet amplius locum suum,* quia per se non potest redire ad priorem statum. *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum,* scilicet duratura est *super timentes eum*, reducens spiritum eorum, si quando vult transire, vel etiam si pertransit : *et justitia illius* existens scilicet *in filios filiorum,* id est, dominantis in omnes generationes. Ejus justitia datur *his qui servant testamentum ejus,* id est, pactum ejus. *Et* qui *memores sunt mandatorum* ejus *ad faciendum ea*, non ad sciendum tantum. C Et opus est uniquique ut faciat mandata Domini, qui sedem suam judiciariam, in qua judicaturus est illos qui non faciunt mandata sua, paravit in cœlo, et regnum ipsius omnibus dominabitur tam piis quam impiis. Vel sic : *Memores sunt mandatorum* ejus *ad faciendum ea.* Quasi quæreres : Quis potest mandata facere ? *Dominus,* inquit, *paravit in cœlo sedem suam,* id est, in his qui per observationem mandatorum cœli facti sunt, et ipse eos ad hoc ut possint mandata ejus observare. *Et regnum ipsius omnibus dominabitur.* Ergo *Benedicite* Deo Patri, *omnes angeli ejus,* id est, omnes qui ejus legatione fungimini, *potentes virtute,* in operandis miraculis, *facientes verbum illius,* hic opere videlicet implentes, quod verbo annuntiatis : ad hoc videlicet, ut alii audiant per hos voces *sermones ejus :* quia persuadet qui verbo D et opere prædicat. *Benedicite Domino, omnes virtutes ejus,* Domino scilicet Filio ; benedicite, *ministri ejus qui facitis voluntatem ejus. Benedicite Domino* Spiritui, *omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus. Benedic, anima mea, Domino.* Benedictio in capite, benedictio in fine. In benedictione incipimus, in benedictione finimus, in benedictione regnemus.

PSALMUS CIII.

PSALMUS IPSI DAVID.

« Benedic, anima mea, Domino : Domine Deus « meus, magnificatus es vehementer. Confessionem « et decorem induisti, amictus lumine sicut vesti« mento. Extendes cœlum sicut pellem, qui tegis « aquis superiora ejus. Qui ponis nubem ascensum « tuum, qui ambulas super pennas ventorum. Qui « facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem « urentem. Qui fundasti terram super stabilitatem « suam : non inclinabitur in sæculum sæculi. « Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus ; super « montes stabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient, « a voce tonitrui tui formidabunt. Ascendunt mon« tes, et descendunt campi, in locum quem fundasti « eis. Terminum posuisti quem non transgredientur, « neque convertentur operire terram. Qui emittis « fontes in convallibus, inter medium montium « pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri, « exspectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres « cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. « Rigans montes de superioribus suis, de fructu « operum tuorum satiabitur terra. Producens fenum « jumentis, et herbam servituti hominum. Ut educas « panem de terra, et vinum lætificet cor hominis. « Ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis « confirmet. Saturabuntur ligna campi, et cedri « Libani quas plantavit : illic passeres nidificabunt. « Herodii domus dux est eorum : montes excelsi « cervis, petra refugium herinaceis. Fecit lunam in « tempora, sol cognovit occasum suum. Posuisti « tenebras, et facta est nox : in ipsa pertransibunt « omnes bestiæ silvæ. Catuli leonum rugientes ut « rapiant et quærant a Deo escam sibi. Ortus est » sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collo« cabuntur. Exibit homo ad opus sum, et ad ope« rationem suam usque ad vesperam. Quam magni« ficata sunt opera tua, Domine ! omnia in sapientia « fecisti, impleta est terra possessione tua. Hoc « mare magnum et spatiosum *manibus,* illic reptilia « quorum non est numerus. Animalia pusilla cum « magnis ; illic naves pertransibunt. Draco iste « quem formasti ad illudendum ei : omnia a te « exspectant, ut des illis escam in tempore. Dante « te illis, colligent : aperiente te manum tuam, « omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te « faciem, turbabuntur : auferes spiritum eorum, et « deficient et in pulverem suum revertentur. Emittes « spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem « terræ. Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur « Dominus in operibus suis. Qui respicit terram, « et facit eam tremere : qui tangit montes, et fumi« gant. Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo « meo quandiu sum. Jucundum sit ei eloquium « meum ; ego vero delectabor in Domino. Deficiant « peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint : bene« dic, anima mea, Domino ».

ENARRATIO.

Psalmus ipsi David. Quia omnes Christiani propter unitatem corporis Christi unum corpus sunt, et omnes animæ propter unitatem fidei una anima sunt : ideo pro tantis muneribus Domini, pro tot tantisque beneficiis gratiarum ejus dicat unusquisque : *Benedic*, *anima mea*, *Domino.* Et merito benedic,

anima, Domino, quia tu *DomineDeus meus, magnificatus es vehementer*. Non magnificatur Dominus in seipso, nec minuitur: sed in nobis magnificatur, quando opera sua in nobis apparent. *Confessionem et decorem induisti.* Quasi dicat : Vere magnificatus es vehementer : quia confessos et sic factos decoros *induisti*, id est, vestimentum tibi fecisti. Nota, si vis esse decorus, confitere : et a confessione incipies decorari : Dominus enim ut a fœditate in decorem transires, cum esset decorus, factus est fœdus. Decorus in hoc, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I). Fœdus in hoc quia in hoc formam servi accepit (*Phil.* II), ut cum nostram fœditatem participaret, nos suo decore decoraret. Quod dicit, *confessionem et decorem induisti, amictus lumine*, id est, circumdatus illis qui prius fuerunt tenebrosi, *velut vestimento.* Unde illud : Fuistis *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V). *Extendens cœlum sicut pellem :* Quasi dicat : Hoc modo indues confessos et decoros, quia extendens *cœlum*, id est, Scripturam sacram, quæ cœlo comparatur, quia divina celat mysteria, *sicut pellem*, id est, sicut famam mortalium sanctorum. Et quod per pellem mortalitas intelligitur, in Genesi notatur , quia postquam prævaricati sunt primi parentes, fecit eis Dominus tunicas pelliceas (*Gen.* III), designans per hoc quia mortales essent facti. Per pellem mortalitas intelligitur, quia pellis a mortuo animali abstrahitur. Nota scripturam extensam sicut pellem, quia mors sanctorum ubique divulgata scripturas eorum fecit authenticas. Mors sanctorum plus est divulgata, sicut etiam cæteri prædicatores per mortem suam pluribus noti facti sunt, et sic morte eorum divulgata, scriptura eorum facta est authentica. Quod dicit : *Extendens cœlum sicut pellem* : *qui tegis aquis superiora ejus :* scias, quia divina Scriptura habet superiora et inferiora præcepta, quæ superius per psalmum et tympanum sunt notata sæpius. Sunt enim inferiora præcepta Scripturæ, manum pauperi præbere : et cætera quæ per corpus ministrantur. Superiora præcepta sunt, observare diem Sabbati, et cætera quæ nos hortantur insistere divinæ contemplationi. Hæc superiora præcepta comparata charitati teguntur, id est, quasi vilia habentur : non quod vilia sint in se, sed quia charitas excellentior est omnibus præceptis : quia in charitate pendet lex et prophetæ (*Matth.* XII). *Plenitudo enim legis est* charitas (*Rom*, XIII). De qua dicit Paulus : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII), et cætera. Charitas aquis comparatur, quia sicut aqua durum quodque molle reddit, ita charitas dura hominum corda mollit et irrigat, ut fructum boni operis producant*:* quod dicit, *Qui tegis aquis superiora ejus*, id est, quasi vilia superiora ejus Scripturarum præcepta apparere facis aquis, id est, charitati comparata. Vel sic : *Extendens cœlum sicut pellem.* Pellis postquam abstrahitur a pellito, ne putrescat, extenditur ; ut extensa, in durabilitatem vertatur : ita Scriptura a sacra quasi extenditur, quando ne oblivioni tradatur, ubique divulgatur. *Qui tegis aquis superiora ejus.* Superiora Scripturæ accipi possunt, dilectio Dei et proximi : quæ aquis teguntur, quia spiritalibus donis ut permaneant, uniuntur et confirmantur. Per aquas enim spiritualia donantur, quia ab interioribus sordibus animam mundant. Quibus spiritualibus donis confirmatur charitas et quæque virtutes : quoniam quod quisque habet charitatem cæterasque virtutes, hoc ex dono Dei habet : quia, *omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Vel sic : *Extendens cœlum sicut pellem.* Possunt per cœlum prædicatores notari, juxta illud : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII). Prædicatores isti extenduntur sicut pellis, quia sicut pellis protenta protegit quemque ab ardore solis, ita prædicatores per eorum imitationem quemque protegunt ab incentivorum æstu. Solebant antiquitus ex pellibus fieri tentoria, ut calor solis non noceret habitatoribus tentoriorum. Ad hanc similitudinem dicuntur prædicatores extendi, quia super quos extenduntur, nullus accedit ad eos æstus incentivorum. Quod dicit, *Extendens cœlum sicut pellem*, quia *tegis aquis superiora ejus*, id est, majora præcepta quæ præcipiunt ipsi prædicatores, confirmas spiritualibus donis, quia quod ipsi prædicatores in Scripturis sciunt discretionem bonorum, hoc donum Spiritus sancti est. Nota qui prædicatores in discretione præceptorum habent superiora et inferiora. Inferiora tunc præcipiunt, quando litteram exponunt et moralitatem docent : in superioribus versantur præceptis, quando mysticum sensum Scripturarum aperiunt, et hæc superiora teguntur aquis; quia quidquid præcipiunt sancti prædicatores, ex dono Spiritus sancti habent : quod dicit, *Qui tegis aquis superiora ejus. Qui ponis nubem*, id est, sanctos prædicatores tuos, *ascensum tuum* : quia quod ad te ascenditur, hoc est per ministerium prædicatorum. Vel per *nubem* potest intelligi Scriptura, quæ exposita causa est, quare aliquis ascendat ad Dominum. *Qui ambulas super pennas ventorum.* Per ventum, animæ sanctorum intelliguntur: quia sicuti res est incorporea et corpus movet, ita anima cum sit incorporea, vivificat corpus et movet. Per pennas intelligitur dilectio sanctorum : quia per dilectionem Dei et proximi deportantur in auras libertatis. Sed super omnes pennas ventorum ambulat Dominus, quia ejus dilectio ambulat semper omnem dilectionem, quia ipse prior dilexit nos. Unde illud : *Majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis* (*Joan.*XV) ; et illud : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* III). Vel sic : *Qui ambulas super pennas ventorum*, quia non diligentes te prior dilexisti. Unde Apostolus : *Non*, inquit, *quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* (*I Joan.* IV). Potest et ad litteram intelligi quod dicitur, *Qui ambulas super pennas ventorum.* Vento nihil est ve-

locius : super cujus tamen pennas ambulat Dominus, quia omnem velocitatem transcendit, quia ubique præsens est. *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem ;* quasi dicat : In hoc etiam magnificaberis vehementer, quia *angelos tuos*, id est, ministros tuos, vel legatos facis esse *spiritus*, id est spirituales : quia non corpori serviunt, sed spiritu fervent in Domino. *Et ministros tuos ignem urentem :* quia interius flamma charitatis ardent, et in aliis desideria incentivorum incendunt. In hoc etiam magnificatus es vehementer, quia *fundasti terram*, id est Ecclesiam, *super stabilitatem suam.* Stabilitas Ecclesiæ Christus est, quia super eum fundata est Ecclesia. Unde Apostolus : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod est positum quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III), super quem Ecclesia fundata, *non inclinabitur in sæculum sæculi.* Unde illud : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi* (*Psal.* XLIV). *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus.* Quanquam Ecclesia super Christum fundata non inclinetur in sæculum sæculi, tamen immensitas persecutionum *quasi vestimentum* circumdabit Ecclesiam : *super montes stabunt aquæ.* Hoc legitur in tempore diluvii contigisse, quando aqua omnem altitudinem montium cooperuit (*Gen.* VII). In quibus montibus coopertis præfigurabatur, quia *montes*, id est, qui eminentes erant in Ecclesia, cooperiendi erant gravi persecutione populorum, quod in primitiva Ecclesia factum esse legimus, quia omnes tunc clamabant, Preme, preme, et premebant, exstingue, ne appareant. Tunc etiam sancti apostoli qui fortiores erant, latebant. Sed quæ cura? *Ab increpatione tua fugient* illi quorum immensitas persecutionum operuit prædicatores, quia increpati saluberrima increpatione, cessabant a persecutione. Unde illud : *Argue, obsecra, increpa* (*II Tim.* IV). Quod dicit, *Ab increpatione tua fugient* : *a voce tonitrui tui formidabunt*, id est, a comminatione futuri judicii formidabunt, et ipsi *ascendunt montes*, id est, elati in honore sæculi, *ascendunt* ad obtinendam Ecclesiam : *et campi descendunt*, quia recognoscentes per superbiam suam male se ascendisse, descendunt per humilitatem imitando quos ascendendo despiciebant : descendunt *in locum quem fundasti eis.* Unde illud : Unicuique *proprium donum* datum est a *Deo* (*I Cor.* VII ; *Eph.* IV). Vel aliter. *Ascendunt montes et descendunt campi*, quasi dicat : Persecutores a voce tonitrui tui formidabunt, et tunc *ascendunt montes et descendunt*, id est, manifesti fient majores et minores in sancta Ecclesia. Et dictum est ad similitudinem quod dicit, *Ascendunt montes, et descendunt campi.* Tempore enim diluvii supereminebat aqua montes : sed aqua decrescente, visi sunt ascendere quia apparebant, quia prius aqua cooperti erant. Sic tempore persecutionis cooperuit immensitas persecutionem minores et majores in Ecclesia. Sed jam cessante persecutione, visi sunt ascendere, quia sine timore verbum vitæ prædicabant. *Terminum posuisti quem non transgredientur* : quia nullus persecutor habet potestatem inferendæ persecutionis, nisi tantum quantum ei ire permittitur a te. Tu enim scis quousque persecutio sit utilis tuis. Quod dicit, *Terminum posuisti quem non transgredientur, neque convertentur operire terram*, id est, Ecclesiam eorum persecutione, licet quisque audiat sonitum lituorum, tamen non est exhorrendum diluvium : qui etsi occulte tentationes patiantur fideles, tamen non timendum est, ut extra subdantur persecutoribus. *Qui emittis fontes in convallibus ;* quasi dicat : *Terminum posuisti quem non transgredientur*, hoc modo emittendo fontes, id est, prædicatores, ex quibus saluberrimæ potionis emanant aqua. Hos *fontes emittis in convallibus*, id est, undique in cordibus fidelium et humilium, qui se fecerunt valles, id est humiles : *inter medium montium pertransibunt aquæ.* Aquæ doctrinas notant prædicantium, quæ pertransibunt inter medium montium : quia eadem doctrina erit communis prædicatoribus posterioribus quæ fuit prioribus : quia nulla in eis erunt schismata, quia idem sapiunt predicatores extremi quod apostoli qui fuerunt prædicatores primi ; quia *unus Deus, una fides*; *unum baptisma* (*Eph.* IV). *Potabunt omnes bestiæ agri*, quasi dicat : *Emittis fontes in convallibus*, ex quibus *potabunt omnes bestiæ agri*, id est, Judæi, qui licet bestialiter viverent, tamen agro comparantur, quia cogitatione legis terra culta quodammodo facti sunt. *Exspectabunt onagri in siti sua.* Onager est asinus silvestris, designans populum gentilem : qui aquas procedentes de fontibus *in siti sua exspectabunt :* quia quanto irrationabilius cæteris se vixisse cognoverunt, tanto majori sitis ardore desiderabunt illas aquas potare, et *super ea*, id est præter ea, *volucres*, id est, instabiles et vagi, id est, nullum terminum sui volatus tenentes, jam facti volucres *cœli*, scientes quid eis volandum est, *habitabunt*, repleti fontibus missis in convallibus et *dabunt*, vocem *de medio petrarum :* quia eorum doctrina non discordat a doctrina apostolorum, quorum doctrina in petra, id est, in Christo, fuit fundata. Vel *de medio petrarum*, id est, de testimoniis Scripturarum quasi de petris voces dabunt. Vel sic : *Super ea* id est, super ipsos fontes, prophetas videlicet et apostolos, in quorum auctoritate consistendum est, *volucres cœli* habitant, quia in dictis apostolorum spiritales viri fundati sunt. *De medio petrarum dabunt vocem. Rigans montes de superioribus suis ;* quasi dicat : Tu, Domine, *emittis fontes in convallibus, rigans montes de superioribus suis*, id est, de dictis prophetarum imbuis apostolos tuos. Unde illud : *Quoniam* placebant *servis tuis lapides ejus* (*Psal.* CI) : vel *rigans montes de superioribus suis*, id est, de spiritualibus donis, quæ superiora sunt prædicatorum : quia quod bene prædicant, hoc donum sancti Spiritus est. *De fructu operum tuorum satiabitur terra :* quia ex doctrina montium, quæ doctrina est fructus tuorum operum, replebuntur subditi : et ut satientur : *producens fenum jumentis.* Jumenta sunt prædicatores, quasi adjumentum Domini, ut corpus

suum perficiatur: quibus producit fenum, quia a A subditis victui et vestitui necessaria eis præberi jubet; unde Apostolus: *Ita*, ait, *Dominus ordinavit ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivant* (*I Cor.* IX); unde illud: *Communicet is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis* (*Gal.* VI); *et herbam servituti hominum.* Idem per herbam intelligitur, quod per fenum: et per servitutem, quod per jumentum. *Ut educas panem de terra*; quasi dicat: Ad hoc producis fenum jumentis, ut sic educas de terra superiori inferiori terræ *panem* verum, id est, cœlestem prædicationem, quo in fide roborentur fideles, et reficiantur. Ad hoc enim subministrantur prædicatoribus victui et vestitui necessaria, ne in subditis reficiendis deficiant: quod dicit, *ut educas panem de terra, et vinum lætificet* B *cor hominis*: ne vinum quod cor hominis dementat sed quod cor hominis lætificat, jucunditas videlicet doctrinæ Dei, et imitatio passionis Domini, unde inebriantur fideles, juxta illud: *Et calix meus inebrians quam præclarus est!* (*Psal.* XXII). *Ut exhilaret faciem in oleo.* Quasi dicat: Ad hoc educes *panem de terra, ut exhilaret faciem in oleo*, id est, ut terra inferior exhilaretur gratia spirituali: *et panis*, videlicet verbi Dei, *confirmet cor hominis*: et hoc ordine. *Saturabuntur ligna campi*, plebes videlicet humiles. Saturabuntur et *cedri Libani*, id est, potentes in sæculo, *quas plantavit*, id est, firmiter stabilivit Dominus in fide, ut illud: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV); *et illic*, id est, in cedris Libani, *passeres nidificabunt*: quia ipsi potentes in sæculo, allodia C sua amantes Ecclesiam Dei, conferent cœnobiis: in quibus sic *nidificabunt passeres*, id est, fideles quærentes sibi prolongari patriam, sustentabuntur copiis illorum, quibus ditatæ sunt Ecclesiæ: et sic nidificabuntur in ipsis Ecclesiis, ne fiant præda diaboli. *Herodii domus est dux eorum.* Herodius avis est nidificans in petra quam invenit firmiorem, et ut tutius sit, etiam in marinis scopulis nidum facere desiderat. Petra autem hæc in qua domus est herodii Christus est, in quo quisque fidelis debet nidificare. *Illic*, id est, in cedris Libani, *nidificabunt passeres*: sic tamen, ut *domus herodii*, id est Christus, principaliter dux sit eorum, qui licet per cedros Libani sustentantur, tamen Christus principaliter est *dux eorum*: et *montes excelsi*, id est, eminentes in vir- D tutibus, erunt refugium *cervis*, id est, qui apti sunt, spinosas et lubricosas vias et in montana conscendunt. Et tamen *petra*, id est Christus, principale refugium erit cervis, quæ erit *refugium herinaceis*, id est, in peccato hispidis et acutis. Et hoc modo pane educto de terra, et saturatis lignis campi, et plantatis cedris Libani, in quibus passeres nidificabunt. *Fecit Deus lignum*, id est Ecclesiam, *in tempora* duratura, ad quam construendam *sol cognovit occasum suum*, non sol iste quem nos intuemur, sed Christus, cujus radio æternaliter illuminantur sui. Ipse cognovit occasum suum, quia mortem suam præscivit, et probavit quia non est mortuus ex necessitate sed ex voluntate. Sol cognovit occasum suum: quo occasu jam imminente, *Posuisti tenebras et facta est nox.* Tenebræ positæ sunt in cordibus discipulorum dubitantium Dominum resurrecturum: *nox facta est* id est, cæcitas mentis facta est in illis qui clamaverunt, *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX): *in* hac nocte *pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, id est, totus Judaicus populus ad fidem non conversus transibit in hac cæcitate mentis, quia de uno peccato in aliud cadit: quia de crucifixione ad custodiam sepulcri, de custodia sepulcri ad mendacium quando discipulos eum esse furatum mentiebantur: et sic venient *Catuli leonum rugientes ut rapiant.* Catuli sunt angeli apostatæ, habentes caput sibi leonem illum, de quo dictum est: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Hujus leonis catuli undique insidiantur ut rapiant: *et* quia malæ voluntati suæ non est par potestas, *quærent a Deo escam sibi.* Esca eorum est revocare creaturam a Creatore suo: quam escam a Deo quærunt, quia non plus possunt quam ab eo permittuntur. *Ortus est sol, et congregati sunt*: quasi dicat: Catuli leonum undique rapiunt. Sed quæ cura? *Quia ortus est sol*, id est resurget Dominus, et congregabuntur diabolus et membra ejus infra terminos constitutos. Et dictum est ad similitudinem ferarum, quæ in noctis tenebrositate vagantur: et veniente die, in speluncis occultis se reponunt. Ita angeli qui ante adventum Domini pene omnibus dominantes, late vagabantur, post notitiam ubique divulgatam, congregati sunt, quia non ita late vagantur ut prius: *et in cubilibus suis collocabuntur.* Cubilia dæmonum corda sunt impiorum, in quibus collocati sunt: quia non jam per impios ita manifeste impugnant Ecclesiam, sicut primis temporibus: et sic illis collocatis, *Exibit homo ad opus suum*: quia prædicatores ad colendam vineam Dei secure exibunt. Unde illud, *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* IX); *et* exibit de illa civitate omnis ille qui voluerit esse homo, *ad operationem* sine conditione *usque ad vesperum*, id est, usque ad finem sæculi, in quo sicut Apostolus ait, *Mittet* eis *Deus* operatorem *erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non* credunt, *veritati, sed consenserunt iniquitati* (*II Thess.* II): vel sic: *Sol cognovit occasum*, et sic: *Posuisti tenebras, et facta est nox: quia contigit cæcitas in Israel*, ut *plenitudo gentium intraret* (*Rom.* XI): et *in ipsa* nocte, id est, in ipsa mentis cæcitate, *pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, populus videlicet Judæorum, qui de detractione occulta transiit ad concilium, de concilio ad traditionem, de traditione ad crucifixionem: et sic ad custodiam sepulcri, de custodia sepulcri ad mendacium, de mendacio ad interdictionem ne quis in nomine ejus loqueretur: vel sic: *In ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, id est, in Judæis obcæcatis pertransibunt diabolus et angeli ejus. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant.* Catuli fuerunt minores in populo Judæorum qui consentientes principibus, ru-

giendo clamabant: *Crucifige eum* (*Joan.* XIX). Si autem bestiæ silvæ, diabolum et angelos ejus notant, ipsis Judæis excæcatis pertranseuntes, erit causa quod dictum est: *Catuli leonum rugientes, ut rapiant.* Ideo facta in cordibus Judæorum cæcitas, quia ipsi Judæi catuli leonum existentes rugierunt ut raperent Dominum, clamantes: Tolle hunc et dimitte nobis Barrabam (*Joan.* XVIII). *Et quærant a Deo escam sibi*, id est, in corpore Domini carnali voluntati suæ satisfecerunt. Quæ esca est a Deo sibi concessa quia non est mortuus ex eorum voluntate, sed paterna dispositione. *Quærant a Deo escam sibi.* Sed quæ cura? Quia ortus est Sol justitiæ, id est, Christus qui verus est sol, resurget *a mortuis*, et *mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Quo resurgente congregati sunt Judæi; quia Domini adhærentes, etiam *in suis cubilibus collocabuntur*: quia in secretis locis occulte consiliati sunt ut intordicerent ne quis in ejus nomine loqueretur (*Act.* IV). *Ortus est sol.* Quo sole oriente, *exibit homo ad opus suum* et ad operationem suam *usque ad vesperum.* Versus iste non mutatur. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine*? Videns Propheta Dominum tam in se quam in suis magnificatum, congaudens prorumpit in hanc vocem congratulationis, dicens: O *Domine*, hæc *opera tua*, quibus hæc omnia disponis, *quam magnificata sunt*, id est, quam magna in consideratione mea facta sunt! Et non mirum si opera tua magna sunt; quia per magnificum tuum *omnia* facta sunt, nam *in sapientia fecisti*, id est, in Filio tuo ineffabiliter disposuisti. Per quam sapientiam *impleta est terra possessione tua*: quia *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (*Psal.* VIII). Et non tantum *terra*, id est, Judaicus populus impletus est possessione tua, sed etiam, *Hoc mare magnum et spatiosum manibus*, impletum est *possessione tua*, id est creatura tua. *Mare*, ut sæpe audivimus, gentilem significat populum. *Quod mare magnum* est in Domino, *et manibus spatiosum* est, id est, operibus sanctorum, quia ibi in pluribus habent exercere sua opera sancti: et *illic*, id est, in possessione Domini, sunt *reptilia*, id est, repentinæ suggestiones, pugnantes contra sanctos, ne operentur bonum opus suum in subditis. Horum reptilium *non est numerus*, quia angeli apostatæ ubique et innumerabiles seminant suggestiones; quod dicit, *Illic reptilia quorum non est numerus*, et illic sunt *animalia pusilla cum magnis*: illic hæretici in majoribus et in minoribus errantes, in majoribus errant, qui Trinitatem non credunt: in minoribus, qui ecclesiasticis institutis non consentiunt. Quod dicit, *Animalia pusilla cum magnis*, et tamen *illic*, id est inter animalia et reptilia *naves*, id est, Ecclesiæ congregatæ, *pertransibunt* per bonum gubernatorem Dominum nostrum Jesum Christum. Navibus Ecclesia comparatur, quia in fluctibus sæculi, ne quasi in mari periclitetur, a Christo gubernatur. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, id est: diabolus. princeps reptilium et animalium, repugnabit ne mare istud magnum fiat possessio tua: *quem* tu *formasti* *ad illudendum ei*, quia fecisti eum ut illudatur a sanctis tuis: quia quos putat absorbuisse, et sibi ex toto incorporasse, per sanctos tuos extrahis, ut tibi incorporentur, quia armilla tua maxillam ejus penetrasti. Armilla res est rotunda, nullum habens principium vel finem: per quam gratia Domini designatur, quam licet nos percipimus, tamen ex merito nostro non habemus, sed ab eo descendit cui nec principium nec finis est. Per gratiam Domini maxilla draconis perforata est: quia quos devorare cupit, gratia sua liberat et educit. Et dictum est ad similitudinem balenæ, quæ id quod absorbere putat per maxillam perforatam amittat. Quod dicit: *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*: *ei omnia* reptilia et animalia, et ipse draco caput eorum *a te exspectant, ut des illis escam in tempore*, sed a te præviso. Et: *Dante te illis*, id est te permittente, *colligent* unde se reficiant. Nil colligunt nisi a te permissi: et *aperiente te manum tuam*, id est, manifestante Christum tuum, *omnia implebuntur bonitate*, id est gratia tua. *Omnia dico*, quæ implenda sunt in te. *Aperiente te manum tuam, implebuntur. Te autem avertente faciem*, id est, respectum gratiæ tuæ, *turbabuntur* turbationibus illicitis, et sic eis turbatis, *auferes spiritum eorum*, spiritum videlicet pronum in defectum, vadentem et non redeuntem: quia non est hominis dirigere viam suam: *et* sic *deficient* in se, ut proficiant in te: *et in pulverem suum revertentur*, considerantes se esse pulverem, et nihil per se posse. Vel sic: *Auferes spiritum eorum*, juxta illud. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini* (*Matth.* X): *et sic deficient, et in pulverem suum revertentur.* Et sic emitte *spiritum tuum*, spiritum videlicet humilitatis quo se humilient: *et creabuntur* in operibus bonis, *et* sic *renovabis faciem terræ*, id est, conscentiam terrenorum, quæ inveterata fuit, quando aversa facie turbabantur. Conscientia facies dicitur, quia sicut quisque visa facie exteriori alterius eum ab alio discernit, ita interroganti conscientia sua seipsum recognoscit. *Sit gloria Domini in sæculum.* Propheta pro omnibus superius a Domino ineffabiliter dispositis hortatur nos ut Dominum glorificemus, juxta illud: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I). Et dicit: *Sit gloria Domini* non tantum in futuro, sed etiam *in sæculum* istud quod nunc est: et sic *lætabitur Dominus in operibus suis*, id est, placebit sibi in perfectione operis sui. Sit gloria Domini: *Domini* dico, *qui respicit terram*, id est, terrenos homines, *et facit eum tremere*, de futuro judicio. Unde Paulus: *Cum* timore *et tremore vestram operamini salutem* (*Phil.* II). Ut illud: Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et mansuetum et trementem verba mea? (*Isa.* LXVI.) *Sit* etiam *gloria Domini*, *qui* interiori tactu *tangit montes*, id est, superfluitate temporalium exaltatos, *et fumigant*, id est lacrymosam deprecationem fundunt. Unde non solum qui in carne pro corporalibus cantabunt, pro his cantabunt, sed ego quoque tanto ante tempore exsultans, *Cantabo Domino in vita mea*, cantabo

voce, *psallam* opere *Deo meo*, non ad horam, sed A *quandiu sum*; vel sic : *Cantabo in vita mea* præsenti, et tandem in futuro *psallam Deo meo quandiu sum*, in immutabili, in eo esse permaneam : quod erit æternaliter, quia omnia tempora transibunt. Et psallam, *Jucundum sit ei eloquium meum*, id est, placeat sibi confessio mea, quæ extra loquitur in littera omnia quæ injuste perpetravi. Vel sic : *Jucundum sit ei eloquium meum*, id est, placeant sibi ea quæ per Spiritum sanctum locutus sum de eo : *Ego vero*, quidquid alii faciant, *delectabor in Domino* : et intantum ut exemplo meo provocati *peccatores deficiant a terra*, id est, a terreno opere suo ; *et iniqui* deficiant, *ita ut non sint* quod prius fuerunt : quod ut fiat, *benedic, anima mea, Domino.*

PSALMUS CIV.

ALLELUIA.

« Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, « annuntiate inter gentes opera ejus. Cantate ei et « psallite ei, narrate omnia mirabilia ejus. Laudamini in nomine sancto ejus, lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper. Mementote « mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus et judicia « oris ejus. Semen Abraham servi ejus, filii Jacob « electi ejus. Ipse Dominus Deus noster, in universa « terra judicia ejus. Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes. Quod disposuit ad Abraham, et juramenti « sui ad Isaac. Et statuit illud Jacob in præceptum, « et Israel in testamentum æternum, dicens : Tibi « dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ. Cum essent numero brevi, paucissimi et incolæ ejus : et pertransierunt de gente in gentem, « de regno ad populum alterum. Non relinquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis « nolite malignari. Et vocavit famem super terram, « et omne firmamentum panis contrivit. Misit ante « eos virum ; in servum venundatus est Joseph. « Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum « pertransiit animam ejus, donec veniret verbum « ejus. Eloquium Domini inflammavit eum : misit rex « et solvit eum, princeps populorum et dimisit eum. « Constituit eum dominum domus suæ, et principem « omnis possessionis suæ. Ut erudiret principes ejus « sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populum suum « vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus. « Convertit cor eorum ut odirent populum ejus, et « dolum facerent in servos ejus. Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum. Posuit in « eis verba signorum suorum, et prodigiorum in « terra Cham. Misit tenebras, et obscuravit, et non « exacerbavit sermones suos. Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum. Et « edidit terra eorum ranas in penetralibus regum « ipsorum. Dixit, et venit cœnomyia, et cinifes in « omnibus finibus eorum. Posuit pluvias eorum « grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum. « Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum, « et contrivit lignum finium eorum. Dixit, et venit « locusta et bruchus, cujus non erat numerus. Et comedit omne fenum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum. Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris « eorum. Et eduxit eos cum auro et argento, et « non erat in tribubus eorum infirmus. Lætata est « Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos. Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem. Petierunt, et venit coturnix, et pane cœli « saturavit eos. Dirupit petram, et fluxerunt aquæ : B « abierunt in sicco flumina. Quoniam memor fuit « verbi sancti sui, quod habuit ab Abraham puerum « suum. Et eduxit populum suum in exsultatione, « et electos suos in lætitia. Et dedit illis regiones « gentium, et labores populorum possederunt : ut « custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant. »

ENARRATIO.

Psalmus iste primus est de alleluiaticis psalmis. Interpretatur enim Alleluia, *laudate Dominum*: et commendat nobis Propheta in hoc psalmo illos de priori populo, qui Deum non amaricaverunt, qui contra eum non murmuraverunt, semen videlicet Abrahæ, filios promissionis, pertinentes ad hæreditatem testamenti æterni : hos admonet Propheta, quatenus serviant Deo, non propter temporale bonum, quod com- C mune est bonis et malis, sed gratis Deum colant, non, quærentes aliquod mercedis emolumentum propter ipsum Deum : et hæc faciant laudando, invocando, per fidem bene operando, non ad suam, sed ad Domini gloriam. Proponit nobis psalmus adhuc æternas promissiones, factas sanctis patriarchis et prophetis patribus nostris : et per hæc nos hortando, ut simus filii illorum imitando et sperando. Dicit etiam eos non esse derelictos temporalibus bonis in quibus posuit exemplum fidei his qui de carne eorum sunt propagati, et qui fidem eorum volunt imitari. Dicit autem sic :

Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. Quoniam titulus psalmi talis est, *Alleluia* : quod interpretatur, *laudate Dominum*; oportet ut in confessione D quam hic nobis promittit Propheta, in laudibus accipiamus : et eum laudando, invocemus nomen ejus. Exaudit eum invocantem, sed quem videt laudantem, quem probat amantem. Quod dicit, *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus* : et quoniam qui diligit Deum, debet diligere proximum, ideo subjungit : *Annuntiate inter gentes opera ejus*; quasi dicat : Sic amate Dominum, ut et ametis proximum. In hoc enim experiri voluit Dominus quo affectu amaretur a servo, cum, Petro dicente, *Tu scis, Domine, quia amo te*, dixisset : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI) : quod etiam hic Propheta docet cum dicit : « Annuntiate inter gentes opera ejus. » *Cantate ei* ore,

[illegible] que A narranda sunt, ea tamen moderatione, ne spargatis margaritas ante porcos. *Laudamini*, id est, laudabiliter vitam instruite, et hoc *nomine sancto ejus* glorificando, non vestro nomine. *In hoc glorietur qui gloriatur*, dicit Dominus, *scire et nosse me* (*Jer.* IX). *Laudamini in nomine sancto ejus*, ut vestro ex populo *lætetur cor quærentium Dominum*. Vos *quærite Dominum* in simplicitate cordis, et *confirmamini*, id est, inquirendo illum firmi estote. Quæramus ergo eum, ut quærendo accedamus, accedendo illuminemur, illuminati corroboremur: illuminemur, ne per cæcitatem quod videndum est non videamus. Ad hoc corroboremur, ne propter infirmitatem, quod faciendum esse viderimus non faciamus. *Quærite faciem ejus semper*. Facies ejus notitia est ipsius: quæ si semper quæritur, quando B invenietur? quare quæramus eum in hoc tempore semper, ut in futuro inveniamus. Hic enim est tempus quærendi, hic inveniendi. Hic vere est tempus quærendi, cum etiam invenitur, adhuc quæritur: quia licet inventus sit per fidem, tamen quæritur per spem. Charitas enim invenit eum per fidem, et quærit eum per spem, ad quam cum pervenerimus, nihil est quod ultra quæramus: quod per fidem inveniatur Dominus, Scriptura testatur, dicens: *Quærite Dominum*, et cum inveneritis *derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas* (*Isa.* LV). Nisi autem fide inventus, adhuc per spem quæreretur, non diceret Paulus: *Quod non videmus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII): quod etiam Joannes notat, dicens: *Cum apparuerit* in gloria sua, C *consimiles ei erimus*, et *videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III), id est *facie ad faciem*: vel fortasse quod dicit, *Quærite faciem ejus semper*, potest intelligi de futuro: quia ibi cor erit semper quærentium, et ideo semper quærentium, quia perfecte amantium. Et hoc quare? Quia facie ad faciem contemplantium, et hoc modo semper quæretur Dominus. Quid enim est aliud semper Dominum quærere, nisi quærendo nunquam fastidire? illum enim quasi semper quærimus, quem nunquam præsentem fastidio habemus. *Mementote mirabilium ejus*. Hucujusque exhortatus est nos Propheta, ut Dominum laudemus, invocemus, ejus opera annuntiemus. Nunc autem sequuntur promissiones æternæ patribus nostris fact[illegible], quorum illi nos debemus esse imitando et D sperando. *Quærite faciem ejus semper*. Si autem multum est quantum ad vos eum prout est quærere et videre, ejus opera saltem attendite, et per opera ejus quantum potestis, cognoscite. Ipse enim cum dixisset: *Ego [illegible] Exod.* III, [illegible] hoc nullius intellectu capi posse, contemperavit verba sua et dixit: *Ego sum Deus Abraham* (*ibid.*), ut per creaturas suas intelligibilem se daret, cum hoc quod est nemini pateret. Mementote mirabilium ejus *quæ fecit, prodigia ejus, et judicia oris ejus*. *Mirabilia* ejus, minora miracula ejus sunt; *prodigia*, majora: *judicia oris ejus*, mandata ejus, quæ ad salubriter

[illegible] suis proposuit. *Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus*. Mementote mirabilium ejus. Et ne quis, quia dixit Abrahæ, vellet tantum intelligere eos qui ex carne Abrahæ sunt propagati, subjungit: *Ipse Dominus Deus noster, in universa terra judicia ejus*. *Memor fuit testamenti sui*, id est pacti sui, *in sæculum* sæculi extendendi: memor fuit etiam *verbi quod mandavit* extendi *in mille generationes*. Ecce notatur quia non dicit hic de præcepto carnalis observantiæ, neque de Judæis tantum cum in populo illo non essent mille generationes. *Mille* autem *generationes* notant illos, qui discedente generatione et succedente, præcepto fidei vivunt, quousque ex omnibus generationibus una generatio perficiatur. Millenarius autem numerus quia perfectus est, non incongrue per mille generationes notatur generatio illa, cui nihil deest ad perfectionem. Verbum autem quod mandavit, præceptum fuit fidei: quo vivendum est justo, donec perveniamus ad spem quod dicit: *Verbi quod mandavit*: *verbi* dico, *quod disposuit ad Abraham*, cum dixit: *In semine tuo benedicentur* omnes *tribus terræ* (*Gen.* XXVIII): *et* memor fuit testamenti *sui ad Isaac* facti, de quo dictum est: *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI). Et *statuit illud* verbum suum *Jacob in præceptum* fidei, ut propter præceptum fidei ad *testamentum æternum* veniret, id est in æternam promissionem. Hic etiam notatur, quia promissiones Domini factæ Judæis non sunt accipiendæ de temporali regno et sacerdotio, quia temporale regnum et sacerdotium non æternalitater habuerunt. Vel sic: *Statuit illud in testamentum æternum*: quia ex ipso verbo et præcepto impleto, daturus erat eis testamentum mansurum in æternum. *Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ*, id est, ad distribuendam vobis in hæreditatem. Hoc promisit illis, *cum* adhuc *essent numero brevi*, et nihil erga Dominum promeruissent *paucissimi* etiam fuerunt antequam patres primi in Ægypto in posteris essent multiplicati: *et incolæ ejus* terræ fuerunt, quia Abraham veniens de Ur Chaldæorum, accola fuit in terra Chanaan. *Et pertransierunt de gente in gentem*. Quod potest accipi, quoniam Abraham propter instabilitatem terræ Chanaan, transtulit se in terram gentium cæterarum. Et pertransierunt *de regno ad populum alterum*: quia de terra Chanaan in Ægyptum se transtulerunt. Superius ostendit ipse promissiones æternas, hic unde ostendit non esse derelictos in temporali necessitate. Quod ait de regno, nondum in terra Chanaan regnum constitutum erat, sed semen eorum multiplicatum in Ægypto, ibi regnaturum erat. *Pertransierunt de gente in gentem*. Et hoc non mirum, quia Dominus *non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges*: quia rex Gerarorum, et rex Ægyptiorum, accensi pulchritudine uxoris Abrahæ, voluerunt eam rapere; sed admoniti fuerunt divinitus, ne hæc facerent (*Gen.* XII, XX): quibus verbis corripuisset eos Dominus non legitur: potest tamen esse quod sine

verbis a Domino in interiori suo correcti sunt. Nota significari per transitum illius populi de gente in gentem, et de regno ad regnum, quia fideles Domini de regno mutabili ad regnum incommutabile perducendi sunt. Corripuit pro eis reges, dicens : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* Vide quod dicit *Christos*, cum in tempore illo nullus fuisset christus, id est unctus. Sed quoniam futurum prævidit Propheta, ideo quasi præsens annuntiavit. Vel potest esse, quod eo tempore christi qui latenter Christiani fuerunt. Nam nullus ante Christum vel post Christum reconciliatus est Deo, nisi per fidem, quam nunc tenet universa terra. *Et vocavit famem super terram.* In superioribus, notificavit bona temporalia, quibus consolati sunt patres nostri, in sequentibus autem proponuntur mala. Causa eorum afflicti sunt inimici : quod dicit, *Vocavit famem super terram.* Nota quod dicit, *vocavit.* Vocari enim non solent, nisi res animatæ, spiritus videlicet et corpora sensibilia. Fames vero, cum sit pernicies ex inedia contracta, vocari non potest : quare dicamus, *Vocavit famem*, id est, principem famis, angelum scilicet malum, per quem fames inducitur super terram ; vel sic : *Vocavit famem* id est, præcepit esse famem super terram : *et omne firmamentum panis contrivit :* quia tam granum satum, quam non satum dissipavit; a qua fame ut liberaretur populus ille, *Misit ante eos virum : in servum venundatus est Joseph*, Quod ipse venundatus est, ex dispositione Domini fuit : non ex potestate fratrum, qui tamen odio suo satisfacere putabant. *Humiliaverunt in compedibus pedes.* Hoc licet taceat historia non tamen minus credendum est, cum hoc Spiritus sanctus per os Prophetæ annuntiat futurum ; *ferrum*, id est, difficultas et tribulatio gravis humanæ miseriæ, *pertransit animam ejus.* Tribulatio per ferrum etiam alibi notatur, cum beatissimæ Virgini dicitur : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II). Nulla enim potuit esse major tribulatio, quam ut mater filium in cruce pendere videre ; quod dicit : *Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.* Verbum videlicet, quo interpretatus est somnium Pharaonis, quod tamen non ex se habuit, quia *eloquium Domini inflammavit eum* ; juxta illud : *An quæritis experimentum illius qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII) ? *Misit rex, et solvit eum : princeps populorum, et dimisit eum :* et *constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum*, id est, semet scivit scilicet eruditum : *et senes ejus prudentiam doceret.* Hæc tacet historia, sicut et illud quod prius dictum est de compedibus. Inde credendum est, quia potuit esse ut non tantum Ægyptiis in tempore famis providet sed etiam interius eos de prudentia doceret. *Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham.* Ecce quod superius dictum est, *Pertransierunt de gente in gentem* Terra Cham idem est quod Ægyptus : et vocatur Cham a filio Noe, Cham videlicet, cujus primitus fuit terra Chanaan, de quo gens Ægytiaca nata est : cui Cham maledixit Noe, prophetans de eo quod futurus esset servus fratrum suorum (*Gen.* IX). Et quid per hoc voluit intelligi, nisi quod Cham in posteris suis ejiciendus erat de terra Chanaan, quam possessuri erant fratres sui? *Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus convertit cor eorum ut odirent populum ejus :* non quod auctor esset odii, sed cum suos exaltaret, Ægyptii invidentes, eis in odium conversi sunt. *Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum Posuit in eis verba signorum suorum :* non ut loquendo signa fierent sed sicut verba significant res de quibus agunt, ita facta illorum, aliorum factorum signa fuerunt ; quod dicit : *Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.* Et ecce prodigia et signa : quia *misit tenebras et obscuravit non exarcebavit sermones suos*, id est, *non exarcerbavit* reddidit injunctam suis negationem : quod fieret, si non recepti essent ab his quo missi fuerant Nunc autem quia obedientes fuerunt Moysi et Aaron filii Israel, ideo non exacerbavit Dominus sermones suos : *convertit aquas eorum in sanguinem et occidit pisces eorum, et* dedit terram eorum ranis, quia nihil visum est in terra præter ranas; vel *edidit terra eorum ranas*, quia undique tanta abundantia ranarum fuit, ac si undique ex ipsa terra editæ essent; *in penetralibus*, id est, in cubilibus *regum ipsorum* editæ sunt ranæ. *Dixit*, id est, præcepit, *et venit cænomyia et cinifes in omnibus finibus eorum.* Cænomya, musca canina ; cinifes, minos musca. *Posuit pluvias eorum grandinem, et ignem comburentem in terra ipsorum. Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum. Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus.* Eadem plaga est bruchus et locusta: quia locusta est parens, bruchus est fetus. *Et comedit omne fenum in terra eorum, et commedit omnem fructum terræ eorum. Et percussit omne primogenitum terræ eorum, primitias omnis laboris eorum*, id est, omnia primogenita in quibus nutriendis laboraverunt. *Et eduxit eos cum argento et auro :* quia unusquisque mutuo accepit vasa argentea et aurea vicino suo, quasi ituri essent in desertum ad sacrificandum Deo et reversuri ut vasa redderent. Aurum et argentum ab homnibus iniquis acceperunt quia merces eorum pro labore suo esse debuit, quia plus laborando deservierunt quam eis abstulerunt. Nec in eo tamen quod Ægyptios deceperunt, a quibus sibi argentum et aurum accomodari petierunt, putandus est Deus hujusmodi dolos eis qui sursum habent corda vel jubere, vel si fecerint approbare. Magis enim per ipsa Dei verba utique ab illo qui cor eorum videbat, et cupiditates examinabat Dominus. Quod dicit : *Et eduxit eos cum argento et auro : et non erat in tribubus eorum infirmus*, superius commemoravit plagas quas intulit inimicis, nunc beneficia commemorat quæ contulit ami-

eis : non tamen eodem ordine narratæ sunt hic plagæ, quo narratæ sunt in historia: quia laudatio est libera a lege narrantis et historiam texentis. *Lætata est Ægyptus in protectione eorum*, non in prima protectione, quando ab Ægypto ducti sunt, sed in profectione illa quam fecerunt postquam mare Rubrum transierunt ; et quare tunc lætata est Ægyptus ? *Quia incubuit timor eorum super eos.* Timuerunt enim, illis submersis qui insecuti sunt eos, ne reverterentur ut interficerent Ægyptios, quia pauci erant de Ægyptiis, qui domi vivi remanserunt. *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem. Petierunt, et venit coturnix, et pane cœli saturavit eos. Pane cœli* ideo dicit, quia manna quod comederunt Judæi significabat panem illum verum qui de cœlo descendit, ex quo pane omnes reficiuntur, et sine quo nullus esse potest (*Joan.* VI), De quo pane dicitur : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* XI). *Dirupit petram, et fluxerunt aquæ : abierunt in sicco flumina.* Et hoc ideo : *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum*, cui dixit : *In semine tuo benedicentur* omnes *tribus terræ* (*Gen.* XXII). *Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia. Et dedit illis regiones gentium et labores populorum possederunt.* Hæc omnia attribuit suis Dominus, non ut pro istis temporalibus sibi serviatur, nec mala securitate torpescant ; sed ut remoti a sæcularibus curis, libentius atque sollicitius Deo serviant, juxta illud : *Primum quærite regnum Dei, et omnia adiicientur vobis* (*Matth.* VI), Quod dicit: *ut custodiant justificationes ejus et legem ejus requirant.*

PSALMUS CV.

ALLELUIA.

« Confitemini Domino, quoniam bonus quoniam « in sæculum misericordia ejus. Quis loquetur potentias Domini auditas faciet omnes laudes ejus? « Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam « in omni tempore. Memento nostri, Domine, in « beneplacito populi tui; visita nos in salutari tuo, « ad vivendum in bonitate electorum tuorum, ad « lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum « hæreditate tua. Peccavimus cum patribus nostris, « injuste egimus, iniquitatem fecimus. Patres nostri « in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non « fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. « Et irritaverunt ascendentes in Rubrum mare, et « salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam, Et increpuit mare Rubrum, « et exsiccatum est, et deduxit eos in abyssis sicut « in deserto. Et salvavit eos de manu odientium, et « redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit. Et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus « Cito fecerunt obliti sunt operum ejus, et non « sustinuerunt consilium ejus. Et concupierunt « concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum « in inaquoso. Et dedit eis petitionem ipsorum, « et misit saturitatem in animas eorum. Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini. « Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit « super congregationem Abiron. Et exarsit ignis in « synagoga eorum, flamma combussit peccatores. « fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile « Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum. Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia « in terra Cham, terribilia in mari Rubro. Et dixit « ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus. Ut averteret iram ejus ne disperderet eos, et pro nihilo « habuerunt terram desiderabilem. Non crediderunt « verbo ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis: « non exaudierunt vocem Domini. Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto. Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, « et dispergeret eos in regionibus. Et initiati sunt « Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum. « Et irritaverunt eum in adinventionibus suis et « multiplicata est in eis ruina. Et stetit Phinees et « placavit, et cessavit quassatio. Et reputatum est « ei in justitiam, in generationem et generationem « usque in sempiternum. Et irritaverunt eum ad « aquam contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus. Et « distinxit in labiis suis, non disperdiderunt gentes « quas dixit Dominus illis. Et commisti sunt inter « gentes, et didicerunt opera eorum: et servierunt « sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum « et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Et infecta est « terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum, et fornicati sunt in adinventionibus « suis. Et iratus est furore Dominus in populum « suum, et abominatus est hæreditatem suam. Et « tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt « eorum qui oderunt eos. Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum: « sæpe liberavit eos. Ipsi autem exacerbaverunt eum « consilio suo, et humiliati sunt iniquitatibus suis. « Et vidit cum tribularentur, et audivit orationem « eorum. Et memor fuit testamenti sui, et pœnituit « eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Et « dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qu « ceperant eos. Salvos fac nos, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus. Ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua « Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo usque « in sæculum : et dicit omnis populus, Fiat, fiat.»

EXPLANATIO.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Confessio ista propter hoc quod sequitur : *Peccavimus cum patirbus nostris*, gementis est. Sed quoniam alleluia præcedit, opor-

tet eamdem confessionem in laude Dei accipere, quia nulla confessio est pia et utilis, nisi in qua Deus laudatur. Laus autem ore atque sermone sive ex solo cordis est affectu. Habet autem psalmus iste in hoc laudem Dei, quia qui hic loquitur, eum bonum et misericordem confitetur, vel qui eum talem esse credit. Quod dicit : *Confitemini Domino*, et hoc ideo, quia *bonus est*, suavis videlicet omnibus se digne gustantibus. Ideo etiam *confitemini quoniam misericordia ejus* est *in sæculum*, id est in æternum super nos scilicet perduratura. *Quis loquetur potentias Domini?* aut quis *auditas faciet omnes laudes ejus*? Impletus divina consideratione, qui hic misericordiam Domini exhortatur poscendam, dicit : *Quis loquetur potentias Domini*? aut quis *faciet omnes laudes ejus auditas*, id est, quis faciet ut audientur, ostendens eas ita esse loquendas, ut auditoribus prædicentur. Vel fortasse quia sequitur : *Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam*, ideo iste qui hoc loquitur, impletus consideratione divinorum præceptorum, quorum opera laudes sunt ejus qui operatur hoc in suis, ait : *Quis loquetur potentias Domini*? Potentias ideo dicit, quoniam hoc ineffabiliter operatur in suis. Et quis *auditas faciet omnes laudes ejus*, id est, quis cum audierit faciet omnia opera præceptorum ejus, quæ sunt ejus laudes? quoniam etsi omnia fiunt quæ audita sunt, tamen inquantum fiunt, ille laudandus est, per quem hæc fiunt : et qui operatur in nobis velle et pro bona voluntate bene perficere, Ideo cum posset dicere omnia mandata ejus, vel omnia præceptorum ejus opera, maluit dicere omnes laudes ejus : quia ut dictum est, inquantum fiunt, ipse laudandus est per quem hæc fiunt : Quod dicit : *Quis loquetur potentias Domini*? et quis *auditas faciet omnes laudes ejus*. Et quia vix aliquis potest implere, ergo beati qui custodiunt judicium, discretionem videlicet boni et mali ; et beati sunt qui custodiunt justitiam, ut bonum videlicet quod per fidem faciendum esse intelligunt, in operationem ducant. Veniet enim tempus, ut judicium quod nunc custoditur in fide, etiam exerceatur in operatione : cum justitia convertetur in judicium, id est, cum acceperint justi potestatem judicandi eos recte a quibus judicati sunt hic non recte : quod dicit : *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, id est ex quo esse incipiunt, et in tempore vivunt. *Memento nostri, Domine*. Ecce oratio illorum qui conversi de murmuratione veniam precantur. Quasi dicant : *Memento nostri in beneplacito populi tui*, id est in Filio tuo, de quo dictum est : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, XVII) ; vel sic : *Memento nostri*, *Domine*, ponendo nos *in beneplacito populi tui*, id est, inter illos in quibus beneplacitum est tibi, quia non in omnibus fuit placitum bene Domino ; *visita nos in salutari tuo*, id est in Christo. Ipse est enim Salvator, in quo dimittuntur peccata, et sanantur animæ, ut possint custodire judicium et facere justitiam. *Visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum*. Quasi dicat : Ideo rogamus in salutari tuo, ut te videamus *in bonitate electorum tuorum*, id est in illa suavitate, in qua tantum visuri sunt te electi tui, non illi de quibus dictum est : Tollatur impius, ne videat gloriam Domini (*Isa.* XXVI), quod dicit : *ad videndum in bonitate electorum tuorum*, *ad lætandum in lætitia gentis tuæ*, id est, ad hoc te in suavitate videre desideramus, ut cum gente tua lætemur : non enim impius gaudere potest *ut lauderis cum hæreditate tua*. Laudatur Deus cum sua hæreditas laudatur, quoniam hæreditas ipsa laudatur per ipsum. *Peccavimus cum patribus nostris*. Quasi dicat : Opus est ut memor sis nostri, quia nos *peccavimus cum patribus nostris*, qui in Ægypto peccaverunt. *Non quod nati adhuc essemus, sed quia in lumbis eorum eramus*. Nota quia sicut Levi cum Abraham decimatus est, quoniam in lumbis ejus fuit, quando dedit sacerdoti Melchisedech decimas (*Gen.* XIV ; *Hebr.* VII) : sic et isti peccaverunt cum patribus suis, in quorum lumbis erant, quando in Ægypto peccaverunt. Quod dicit : *Peccavimus cum patribus nostris*, *injuste egimus*, quantum ad proximum ; *iniquitatem fecimus*, quantum ad Deum. Aliter : *Peccavimus cum patribus nostris*, faciendo similia peccatis eorum peccata. *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua*. Quasi dicat : *Peccavimus cum patribus nostris*. Et ecce qualiter patres peccaverunt, quia cum in Ægypto eesent, *Non intellexerunt mirabilia tua*, id est, non attenderunt quid per illa miracula eis præstare volueris, vitam scilicet æternam, et non temporalem, sed incommutabile bonum quod per patientiam exspectatur : ideo impatienter murmuraverunt et amaricaverunt, et bonis præsentibus atque fallacibus atque fugacibus beatos se fieri quæsierunt. *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ*. Et intellectum redarguit, et memoriam : utroque enim opus erat. Intellectu quippe opus erat, ut intelligerent Deum sibi parare æterna per temporalia ; memoria opus fuit, ut saltem quæ temporaliter facta sunt miracula, non obliviscerentur : fideliterque præsumerent, ut eadem potestate quam fuerant experti in Ægypto, Deus illos ab inimicorum persecutione liberaret. Obliti sunt quid eis in Ægypto ob inimicos eorum conterendos Dominus per tanta prodigia præstitisset. Et ideo quia obliti fuerant, dubitabant utrum liberandi forent, cum ex quator partibus periculis circumdati fuerant : a tergo enim insequebantur hostes, ex latere uno mentes fuerant quos transire non poterant ; ex alio latere desertum quod timebant, ante se mare Rubrum conspiciebant, quod etiam formidabant. *Et* ideo *ascendentes* de Ægypto ad terram Chanaan, *irritaverunt*, dum *in mare* : mari dico, *rubrum* formidato. *Et* tamen *salvabit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam*. Quod dicit : Ascendentes, propter statum loci dictum est, quia inferior est Ægyptus quam sit terra Chanaan. *Et increpuit mare Rubrum et exsiccatum*

est, et eduxit eos in abyssis sicut in deserto. In hac
A
increpatione non vocem aliquam cœlitus factam, sed potentiam divinam qua id factum est, increpationem appellavit : *et salvavit eos de manu obedientium, et redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit. Et* in his omnibus *crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus.* Quia transducti mare Rubrum, hymnum cantabant Domino, dicentes : *Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est;* et hoc : *Cito fecerunt*, id est cito a laude illa defecerunt : *et obliti sunt operum ejus*, quia non cogitaverunt tanta opera Domini erga se non esse inania, sed eos vocare ad aliquam sine fine felicitatem, quæ per patientiam sustinenda est; sed festinaverunt beari temporalibus rebus, quæ ideo nemini conferunt æternam felicitatem, quia non
B
exstinguunt insatiabilem cupiditatem ; quod dicit : *Non sustinuerunt consilium ejus. Et concupierunt concupiscentiam in deserto*, id est rem concupiscibilem, *et tentaverunt Deum in inaquoso*, id est aquam postulando. *Et dedit eis petitionem ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum :* satisfaciens animalitati eorum : *et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.* Ex qua irritatione : *Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron : et exarsit ignis in synagoga eorum; flamma combussit peccatores.* Dathan et Abiron duo fuerunt homines, qui Aaron in sacerdotium per Domini præceptum assumptum contra præceptum Domini multis sibi consentientibus præcesserunt ad thurificandum : quos aperta terra deglutivit, cæterosque
C
sibi consentientes ignis consumpsit (*Num.* XVI). *Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile. Et mutaverunt gloriam suam*, id est, Deum qui suos omnes facit gloriosos, *in similitudinem vituli comedentis fenum. Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro : et dixit ut disperderet eos.* Et revera essent dispersi, *Si non Moyses electus ejus stetisset in confractione*, id est in mentis humilitate, *in conspectu ejus*, eidem plagæ offerens se, quia ipsi feriendi erant, dicens : Domine, *dimitte* populo huic *hanc noxam :* sin autem, *dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII). In quo demonstratum est, quantum valeat intercessio sanctorum pro aliis apud Deum. Securus enim erat Moyses de justitia sua :
D
quia, cum deleri non posset, impetravit misericordiam ne eos deleret Dominus quos juste posset, et stetit sic Moyses *in confractione in conspectu ejus. Dixit*, non autem ideo positum est, quod Deus dixisset : quia si dixisset, revera fecisset; sed propter iniquitatem illorum dictum est, quæ videbatur tanta esse, quod merito per illam delendi erant de terra, quasi Deus dixisset : *Ut averteret iram ejus ne disperderet eos, et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Nullo modo culparentur, quia terram desiderabilem habuissent pro nihilo, cum nos etiam regnum temporale pro nihilo habere debemus, ut Jerusalem liberam matrem nostram, quæ est in cœlis, vere desiderabilem diligamus : sed potius hic infidelitatis merito redarguuntur, quia in eo quod terram pro nihilo habuerunt, verbis Domini non crediderunt : quibus promisit æterna per hæc temporalia. *Non crediderunt verbo ejus*, Moysi videlicet : *et murmuraverunt in tabernaculis suis, et non exaudierunt vocem Domini*, vehementer eos a murmuratione prohibentis. *Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto*, id est elevando manum distulit percussionem, et ipsi gravius commiserunt peccatum. *Et ut dejiceret semen eorum in nationibus et dispergeret eos in regionibus.* Et ipsi tamen, licet ad hoc elevasset manum, *initiati sunt Beelphegor*, id est, idolis gentium sacrificati sunt. *Phegor* est locus, *Beel* deus gentium, factus in honorem cujusdam regis dicti Beel : *et comederunt sacrificia mortuorum;* quia quod in honore illius regis sacrificabant, hoc sacrificatum comederunt. *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis:* non quod suæ essent adinventiones, sed quod gentium adinventiones suas fecerunt : *et multiplicata est in eis ruina :* et multiplicaretur adhuc, nisi hoc esset quod aliis cadentibus *stetit Phinees* sacerdos, filius filii Aaron : *et placavit* Dominum, quia Hebræum et Madianitidam puellam in adulterio amplexos, apprehensos pariter interfecit (*Num.* XXV). *Et* sic *cessavit quassatio.* Quod si odio eorum, non dilectione fecisset, non esset ei reputatum ad justitiam. Sed quia non odio, sed dilectione factum est, *Reputatum est in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum : et irritaverunt eum ad aquam contradictionis : et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus. Et distinxit in labiis suis.* Distinguere labia est dubitanter loqui, quod fecit Moyses in hoc miraculo cum dixit : Nunquid poterimus de petra hac educere aquam (*Num.* XX)? non attendens quia multa mirabilia per eum Dominus esset operatus : *non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis ;* quia inducti in teram promissionis, non expulerunt gentes, ut eis præceptum fuit : et *commisti sunt inter gentes; et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum : et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis : et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptibus Chanaam.* Hoc in historia non habetur : sed ita factum fuisse credendum est Prophetæ, qui per Spiritum sanctum hic loquitur : interfecta *est in terra in sanguinibus*, id est, habitatores terræ in effusione sanguinis mortui sunt: *et* hoc ideo, quia *iratus est Dominus furore in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam : et tradidit eos in manus gentium : et dominati sunt eorum qui oderunt eos : et tribulaverunt eos inimici eorum : et humiliati sunt sub manibus eorum : sæpe liberavit eos : ipsi autem* liberati iterum *exacerbaverunt eum in consilio suo*, quærentes quæ sua erant, non quæ Dei, *et humiliati sunt in iniquitatibus suis.* Et Dominus *vidit cum tribularentur : et audivit orationem eorum : et memor fuit*

testamenti sui, non veteris, sed novi, quod disposuit ad Abraham ; *et pœnuitui eum*,id est, visus est pœtinuisse *secundum multitudinem misericordiæ suæ*, quia post vindictam iniquitatis tanta fuit gratia salutis quasi pœnituisset Dominum tantam sumpsisse vindictam : *et dedit eos in misericordias*, id est, fecit eos dignos videri misericordia Domini his qui trubulaverunt eos, et hoc *in conspectu omnium qui separant eos*,ut deinceps non audeant nocere illis. In misericordias pluraliter dicit, quia unusquisque proprium donum habet a Deo.In misericordias tunc datur quisque,quando a captivitate diaboli liberatur per Dominum.Unde ipse Dominus ad Herodem:*Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consumor* (*Luc.* XIII). Ejicit Dominus hodie dæmonia, prius per confessionem delet peccata, et post perficit sanitates, quando in bonis operibus eum cui dimisit peccata confirmat. Consummabitur etiam nobis omnibus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV). Et quia ejectis dæmonibus, a quibus captivi tenebamur, perficit Dominus sanitates,ideo cum dixisset,*Et eos dedit in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos* : tanquam ejectis dæmonibus fit oratio, ut perficiat Dominus sanitates.*Salvos fac nos, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus. Ut confiteamur nomini tuo sancto et gloriemur in laude tua*, dicentes : *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo usque in sæculum*, id est, ab æterno et usque in æternum : *et dicet omnis populus* : *Fiat* ei benedictio in priori populo, *fiat* et in posteriori.

PSALMUS CVI.

ALLELUIA.

« Confitemini Domini, quoniam bonus, quoniam « in sæculum misericordia ejus.Dicant qui redempti « sunt a Domini,quos redemit de manu inimici, « de regionibus congregavit eos. A solis ortu et oc- « casu,ab aquilone et mari, erraverunt in solitu- « dine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non « invenerunt. Esurientes,et sitientes anima eorum « in ipsis defecit.Et clamaverunt ad Dominum cum « tribularentur,et de necessitatibus eorum eripuit « eos. Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in « civitatem habitationis. Confiteantur Domino mise- « ricordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. « Quia satiavit animam inanem,et animam esurien- « tem satiavit bonis. Sedentes in tenebris et in um- « bra mortis, vinctos in mendicitate et ferro, quia « exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altis- « simi irritaverunt. Et humiliatum est in laboribus « cor eorum : infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret « Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, « et de necessitatibus eorum liberavit eos.Et eduxit « eos de tenebris et umbra mortis,et vincula eorum « disrupit.Confiteantur Domino misericordiæ ejus, « et mirabilia ejus filiis hominum. Quia contrivit « portas æreas, et vectes ferreos confregit. Susce- « pit eos de via iniquitatis eorum,propter injustitias « enim suas humiliati sunt.Omnem escam abomi- « nata est anima eorum,et appropinquaverunt us- « que ad portas mortis.Et clamaverunt ad Dominum « cum tribularentur,et de necessitatibus eorum li- « beravit eos.Misit verbum suum,et sanavit eos: et « eripuit eos de interitionibus eorum. Confiteantur « Domino misericordiæ ejus,et mirabilia ejus filiis « hominum. Et sacrificent sacrificium laudis, et « annuntient opera ejus in exsultatione,qui descen- « dunt mare in navibus, facientes operationem in « aquis multis.Ipsi viderunt opera Domini, et mi- « rabilia ejus in profundo. Dixit, et stetit spiritus « procellæ,et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt « usque ad cœlos,et descendunt usque ab abyssos: « anima eorum in malis tabescebat.Turbati sunt et « moti sunt sicut ebrius.et omnis sapientia eorum « devorata est.Et clamaverunt ad Dominum cum tri- « bularentur,et de necessitatibus eorum eduxit eos. « Et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt « fluctus ejus.Et lætati sunt qui siluerunt, et edu- « xit eos in portum voluntatis eorum. Confiteantur « Domino misericordiæ ejus,et mirabilia ejus filiis « hominum.Et exsultent eum in ecclesia plebis, et « in cathedra seniorum laudent eum.Posuit flumina « in desertum,et exitus aquarum in sitim ; terram « fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitan- « tium in ea.Posuit desertum in stagna aquarum, « et terram sine aqua in exitus aquarum.Et collo- « cavit illic esurientes, et constituerunt civitatem » habitationis.Et seminaverunt agros, et plantave- « runt vineas,et fecerunt fructum nativitatis. Et « benedixit eis,et multiplicati sunt nimis, et ju- « menta eorum non minoravit. Et pauci facti sunt « et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore. « Effusa est contentio super principes, et errare « fecit eos in invio et non in via. Et adjuvit paupe- « rem de inopia,et posuit sicut oves familias.Vide- « bunt recti et lætabuntur,et omnis iniquitas *eorum* « oppilabit os suum.Quis sapiens,et custodiet hæc, « et intelliget misericordias Domini. »

EXPLANATIO.

Alleluia, Alleluia. Psalmus iste commendat nobis miserationes Dei prophetatas in nobis,et ideo suavis expertis. Mirum autem si alicui sit suavis,nisi illi qui in se didicit quod in psalmo audit.Cantatur autem de universa Ecclesia Domini,toto orbe terrarum diffusa,scilicet ex pariete veniente, ex circumcisione,et ex pariete, ex præputio,in unum angularem lapidem Christum videlicet,qui est pax nostra qui fecit utraque unum, in quo clamamus, Abba, Pater (*Rom.* VIII ; *Eph.* IV). *Abba*, quantum ad Hebræos : *Pater*,quantum ad nos.Et quia agit de duobus parietibus,ideo bis habet alleluia: quod alleluia geminatum,constituto tempore cantamus, semper autem cogitamus :quia cum alleluia sit,*Laudate Dominum*,licet aliquando cesset os carnis, nunquam debet cessare os cordis. Videamus ergo quod in [illegible] mus, unde auxilium postulemus:ubi desideramus,

unde nobis subveniatur : quid per nos simus, quid per gratiam Dei sumus : quomodo superbia nostra conteratur, ut ejus gratia glorificetur : ut unicuique homini in seipso occurrat quod in psalmo audit. Proponit enim nobis psalmus iste quatuor tentationes quatuor invocationes, quatuor liberationes pro his, quatuor miserationum Domini confessiones: prima enim tentatio est erroris et inopiæ verbi Dei ; secunda est difficultas vicendarum cupiditatum veteris consuetudinis; tertia est tædii atque fastidii verbi Dei; quarta est tempestatis et periculorum in gubernandis Ecclesiis. Ut autem sciamus discernere has quatuor tentationes, exempla danda sunt. Ponamus ergo hominem primo in hoc quærentem, secundum veterem vitam seductoria securitate viventem, nihil aliud post hanc vitam quandoque finiendam esse puniendam esse putantem, habentem cor obrutum veteri consuetudine peccatorum, et illecebris mundi et mortiferis delectationibus consopitum : ut iste excitetur ad quærendam gratiam, manus Domini excitat eum : et excitatus, intelligit se esse in errore : sed nondum cognoscent viam veritatis, pulsat ubicumque potest : et patitur famem ipsius veritatis, et sæpe clamando ad Dominum, tandem exauditur, et perducitur ad viam fidei, ad Christum videlicet, qui de seipso dicit: *Ego sum via et veritas et via* (*Joan.* XIX) : et sic positus est in via veritas, viam sciens quid observare debeat. Sed quoniam multi liberati de hac tentatione de se multum præsumendo, volentes repugnare cupiditatibus et veteri consuetudini peccatorum inveniunt se difficultate vitiorum circumseptos, quasi muro impossibilitatis erecto, et hoc ideo, quia non de Deo sed de viribus suis præsumebant ; hac autem tentatione diu fatigati, exclamant ad Dominum et Dominus qui prius posuit eos in via veritatis, rumpit vincula difficultatis, constituendo eos in operatione æquitatis: ut jam eis sit facile, quod prius erat difficile, abstinere scilicet a malis, non adulterare, non alienum concupiscere ; et sic factum est quod prius erat difficultas. Hæc omnia posset Dominus sine difficultate præstare, sed si hoc sine difficultate haberemus, non tanti boni Dominum largitorem agnosceremus : quiasi primitus quisque cum vellet posset et non sentiret ullum adversum se impedimentum, suis viribus tribueret quod se posse sentiret, et non confiteretur Domino miserationes ejus. Liberatus autem quisquis ab his tentationibus tribus, ab errore et inopia verbi Dei, a difficultate superandi veteres consuetudines, a tædio atque fastidio verbi Dei, jam dignus est ut commendetur ei populus Domini ad gubernandum. Ubi quartam patitur tentationem, naufragium scilicet et seditiosas tempestates, quæ solent oriri a cordibus subditorum, ex quibus seditionibus maxime periclitantur prælati: quia ipsi cum subditis suis quasi in navi sunt ubi alii portantur, alii operantur: et omnes simul periclitantur, et in portu salvantur. De his tentationibus et de harum tentationum liberationibus agit psalmus iste cujus initium tale est: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos.* Quasi dicat : Qui *de manu inimici*, id est de potestate diaboli, *redempti sunt.* Et ne tantum Judæos esse redemptos intelligerent, dicit : *de regionibus congregavit eos.* Omnes illi *dicant nunc*, id est, indilate alter alteri istud : *Confitemini Domino*, id est laudem dicite : et hoc ideo, *quoniam bonus*, id est, suavis omnibus est se digne gustantibus. Quare qui vult confiteri gustet quia non potest confiteri qui gustare noluit. Unde dicturus est suave quod nescit. Vos autem omnes si gustatis quam suavis est omnibus, *Confitemini Domino*, quoniam suavis est : gustate cum aviditate, cum confessione eructate. Quod dicit, *Confitemini Domino, quoniam bonus*, et confitemini etiam, ideo quia misericordia ejus est perducturus nos in sæculum : quia hic prærogatur, ut in æternum vivatur, et *dicant* hoc omnes alter alteri, *qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos.* Et ne acciperemus tantum de Judaico populo, non de tota Ecclesia, de toto orbe collecta, quasi de ampla Egypto liberata, et de multis regionibus congregata, sequitur : *A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari*, quasi dicat : Vere *congregavit eos de regionibus*, quia *a solis ortu*, id est a Judaico populo, cui per legalia instituta et prophetica dicta sol justitiæ ortus fuit ; *et occasu*, id est a gentili populo, ubi semper fuit occasus, congregavit Dominus suos. Quos ipse intelligit per occasum ostendit. *Ab aquilone et mari.* Per aquilonem gentes intelliguntur, quia in eis dominabitur calor divini amoris, sed frigus peccati. Mare etiam vocantur, ab amaritudine mentis. Hos tales redemit Dominus, et de regionibus congregavit, et opus fuit ut congregarentur, et redimerentur, quia *erraverunt in solitudine in inaquoso, et viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Ecce jam notatur hic prima tentatio, erroris videlicet et famis verbi Dei, cum dicit eos errasse in solitudine. Quod vocat hic solitudinem superius desertum hoc Idumææ vocatum est, in quo deserto quisque erat qui illecebris mundi et delectationibus cor sopitum habet. Est etiam in loco inaquoso, quia invenit ibi refectionem, unde exstinguat sitim erroris. Quod dicit, *Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis non invenerunt.* In hac solitudine multi viam monstraverunt, ut philosophi multi Aristoteles et alii multi. Quorum tamen nullus viam dedit ad civitatem habitationis : quia quotquot fuerunt cives Babyloniæ, non Jerusalem, fuerunt ducentes suos imitatores ad civitatem confusionis. Potest legi ad similitudinem quod dicit, *Erraverunt in solitudine in inaquoso*: omnes ambulantes secundem hoc sæculum nequam, ubi toties de viis erratur, comparabiles facti sunt in solitudine positis quibus non apparet via, quibus siti laborantibus nunquam adsit aqua, quibus incertum sit quanam possint pervenire ad habitationem aliquam *Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit.* Ecce pro

quibus in errore tentabantur: quomodo se recognoscentes, dolent se esse in errore: sed adhuc viam veritatis ignorantes, nescientes a quo sint excitati, esuriunt et sitiunt justitiam ubique quærentes unde reficiantur, velut de Cornelio legitur, qui antequam per Petrum cognosceret viam veritatis, se esse in errore recognovit. A quo errore ut liberaretur orando, eleemosynas faciendo, cæterisque bonis operibus omnibus modis laborabat. Cui tandem dictum est: *Corneli, mitte et accersi Simonem qui cognominatur Petrus*, hic dicet tibi quid te oporteat facere (*Act.* x). Quid etiam hic notari potest, ubi dicit: *Erraverunt in solitudine* et postea *esurientes et sitientes*. Per hæc duo notatur maxima affectio quam habuerunt, ut civitas, habitaculi eis ostenderetur. Quare autem esurierunt, subjungit: *Anima eorum in ipsis defecit* quia ipsi secundum desideria sua viventes, nihil præter defectum in se invenerunt. *Et* hæc recognoscentes *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur* tribulatione superius notata, *et* ipse *eripuit eos de necessitatibus eorum* id est, de tenebris ignorantiæ: quas sibi, relinquendo lucem, necessarias fecerunt: quia qui reliquit lucem necessario tenebras incurrit, cum non sit medium inter tenebras et lucem. *Et deduxit eos in viam rectam*, id est ad cognitionem veritatis, *ut* sic *irent in civitatem habitationis:* non ad civitatem confusionis quo prius ibant, quando in errore fuerunt. Audivimus exclamationem de tentatione prima, audivimus liberationem: sequitur confessio miserationis Domini, sic*: Confiteantur Domino misericordiæ ejus*. Quasi dicat: Unde quia Dominus deduxit eos in viam rectam, *Confiteantur Domino misericordiæ eius*, non merita, non vires nostræ: *et mirabilia ejus* exhibita *filiis hominum* ei etiam confiteantur. Et quare hoc? *Quia satiavit animam inanem, animam esurientem satiavit bonis*. Inanis fuit anima, quandiu in errore fuit: sed recognoscens se esse in errore, esurivit: sed clamando ad Dominum satiata est bonis, verbo videlicet prædicationis. *Sedentes in tenebris et umbra mortis*. Ecce jam audivimus liberationem primæ tentationis, erroris videlicet et inopiæ verbi Dei. Ecce qui liberatus est, positus in via veritatis, sciens jam quid oporteat eum facere, audit sibi dici: *Non occides, non adulterabis, non furtum facies* (*Exod.* XX; *Matth.* XIX), et cætera talia. Hæc omnia cum perficere voluerit, de se præsumendo non de Dei adjutorio, incurrit tentationes, scilicet vincendi veteres consuetudines. Et sic jam liberatus a prima tentatione, sedet *in tenebris*, id est in obscuritate vitiorum, quæ obscuritas est *umbra mortis*, quia deducit ad mortem. Et sic vinctus est *in mendicitate et ferro*. Et quare vincti? *Quia exacerbaverunt eloquia* Dei, id est, amara sibi fecerunt præcepta Domini, *et concilium Altissimi irritaverunt*. Hoc modo, quia pugnando contra suam concupiscentiam, non invocabant eum adjutorem: et sic laborabant, sed vincere non poterunt: *et* tandem *humiliatum est in laboribus cor eorum*, id est, in difficultate resistendi veteri consuetudini, et sic *infirmati sunt*, id est, infirmos contra veteres consuetudines se esse recognoverunt. Et non *fuit qui adjuvaret*, id est, intellexerunt nullum esse adjutorem præter Deum, *et* sic *clamaverunt ad Dominum cum tribularenter, et de necessitatibus eorum liberavit eos:* et quomodo hoc? Quia *eduxit eos de tenebris*, id est de tentatione, quæ fuit *umbra mortis: et* tandem *vincula eorum*, id est, difficultatem vincendi carnales concupiscentias, *disrupit*. Unde: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum:* quare dico ut confiteantur? *Quia contrivit portas æreas*, quibus circumcepti erant, ne exirent ut operarentur, quod bonum operandum esse intellexerunt: *et vectes ferreos confregit*, ut esset eis facile resistere veteri consuetudini, quod prius eis erat difficile, cum de se præsumebant. Et quomodo confregit? Quia *suscepit eos de via iniquitatis eorum*, subaudis ereptos. Et opus fuit ut susciperentur, quia *humiliati sunt propter injustitias*, subaudis recognitas. *Omnem escam abominata est anima eorum*. Liberati jam de duabus tentationibus, ecce incurrunt tentationem tædii atque fastidii verbi Dei: quod dicit, *Omnem escam*, id est, omnem refectionem verbi Dei, legendi vel orandi, *abominata est anima eorum*, *et* sic *appropinquaverunt usque ad portas mortis*. Hoc ideo dicit, ne quisque putares eos de satietate securos, et non magis videres eos fastidio morituros. *Et* sic *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos*. Nam *misit verbum suum*, id est, dulcedinem verbi sui, *et* sic *sanavit eos:* quia multum erant languidi, dum tædio erat eis bene operari: *et* sanando *eripuit eos de interitionibus corum*, non de terrore, non de fame, non de difficultate vincendi peccata, sed de corruptela eorum. Nam quædam corruptela est mentis fastidire quod dulce est. Ergo et de hoc beneficio, sicut de cæteris superioribus, *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum*. Sic *Sacrificent sacrificium laudis*, quibus prius erat difficile, omne quod bonum est oporari. *Sacrificium laudis* est, *spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum* (*Psal.* L). Unde illud: *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psal.* XLIX)*; annuntient opera ejus in exsultatione*, non cum tædio et mœrore. *Qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo*. Ecce hic notatur quarta tentatio periclitationis, scilicet in gubernando populo Dei. Quisquis enim liberatus est ab his tribus tentationibus, dignus est ut et committatur populus Dei gubernandus ubi jam incurrit tentationem gravissimæ periclitationis, videlicet naufragii et seditiosæ tempestatis, quæ solent oriri in cordibus subditorum. Quod *descendunt mare*, subaudis intrando navibus gubernandis, *facientes operationem in aquis multis*, id est, in populis multis. Quod per aquas populi intelliguntur, testis est Joannes in Apocalypsi: ubi interrogans quæ essent aquæ illæ, responsum accepit quod populi essent (*Apoc.*

xvii). Per mare intelligitur mundus. In quem mundum quisque descendit prædicator, quando compatiendo subditis, periclitatur. Quomodo autem *mare descendunt* si quæris, *in navibus* subaudis gubernandis, id est, in Ecclesiis ædificandis, *facientes operationem in aquis multis*. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus necessaria esse in profundo corde, scilicet danda. Quid profundius cordibus humanis. Inde enim venti plerumque prorumpant et tempestates seditionum, et dissensionibus navim perturbant et sic fit ut simul periclitentur et hi qui gubernant, et hi qui portantur, id est, prælati et subditi. *Dixit et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus.* Ideo viderunt opera Domini et mirabilia ejus esse necessaria, quia Dominus *dixit*, id est, permisit : *et stetit spiritus procellæ*, id est, contradictio repugnantium
B subditorum inhorruit vel perduravit. Quid ipse intelligat per hoc quod dicit, *spiritus procellæ*, ostendit per hoc quod sequitur, *et exaltati sunt fluctus ejus :* quia tunc spiritus procellæ dicitur stare in Ecclesia, quando contradictio in cordibus subditorum restringitur. Et iterum : *Ascendunt usque ad cœlos*, magna sperando de subditis : vel ascendunt audiendo. *et descendunt ad abyssos* sumendo; et quare descendunt? Quia *anima eorum tabescebat*, id est, erubescentiam habuit *in malis*, a subdititis perpetratis. Et sic *turbati sunt* interius : *et moti sunt sicut ebrius*, amittentes consilium qualiter possint sedari contradictiones repugnantis populi. *Et* sic *omnis sapientia eorum devorata est :* quia ipsi rectores, qua evadendum erat, ignorabant. *Et* sic *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum* eripuit
C *eos*. *Et* hoc taliter, quia *procellam*, id est, perturbationem contradicentium subditorum, *statuit in auram*, id est, in tranquillitate obedientiæ. *Et* sic *siluerunt fluctus ejus*, id est, contradictio repugnantis populi. Audiamus in hac re vocem cujusdam gubernatoris periclitati, humilitati, atque liberati : *Nolo*, inquit, *fratres, vos ignorare de pressura quæ facta est in Asia, quia supra vires et supra modum gravati sumus* (*II Cor.* i). Responsum enim mortis in nobis habuimus, ut non confidentes in nobis simus, sed in Domino qui suscitat mortuos. *Siluerunt fluctus ejus Et lætati sunt* prælati, *quia siluerunt et eduxit eos in portum voluntatis eorum*, ut non deinceps in mari periclitarentur: et placato mari, in contradictione populi
D quasi in portu salvarentur. In mari periclitantur prælati, quando fatigantur contradictione subjecti populi sed in portu salvantur, quando corda subditorum in obedientiam parantur. Deduxit eos in portum voluntatis eorum. Unde, *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum* exhibita. *Et exaltent eum in ecclesia plebis* subjecti, et prælati sedentes *in cathedra seniorum, laudent eum*. Et hoc juste, quia *posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim.* In superioribus ostensæ sunt nobis quatuor tentationes, quatuor liberationes, et pro his miserationum Domini confessiones ; dehinc ostenditur nobis in posterioribus psalmi, quid operetur Dominus com-

A muniter in Ecclesia, qualiter videlicet humilibus dat gratiam et superbis resistit, ut ostendat misericordiam Domini in omnibus esse. Quod dicit, *Posuit flumina in desertum*, id est, populum Judæorum cui fluxerunt cognitio legis et prophetica dicta, desertum fecit, *et exitus aquarum in sitim.* Ubi iterum Judaicus populus notatur, a quo exierunt divina præcepta quasi aqua : quam nunc posuit in sitim non quod sitiret, sed quia naturaliter sitire deberet. *Terram fructiferam* posuit *in salsuginem*, id est, in amaritudidem, ut præ amaritudine non produceret fructus : et hoc non ex justitia Domini, sed *a malitia habitantium in ea*, scilicet terra. Hoc enim promeruit Judaicus populus, qui de littera legis præsumebat, ut desertum fieret. Ecce audivimus quomodo superbis Deus resistit, audiamus quomodo humilibus
B dedit gratiam. Non *posuit desertum in stagna aquarum*. Per desertum notatur gentilis populus omni carens irrigatione cœlesti : quod desertum conversum est in stagna aquarum, quia qui prius aridi fuerunt, nunc recipientes aquam, id est, dona Spiritus sancti, fructum boni operis produxerunt. *Et collocavit illic esurientes*, quia quibus prius ignotum erat verbum Dei, fecit eos esurire panem illum de quo dictum est : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* xi). *Et constituerunt civitatem habitationis* quia cives Jerusalem non Babyloniæ se fecerunt. Babylonia enim civitas confusionis non habitationis est. Ecce jam constituta civitate, *seminaverunt agros, et plantaverunt vineas*; quia qui primi conversi fuerunt ex gentibus, aliis prædicaverunt,
C et eos quibus prædicaverunt fecerunt agros, ut digni essent excoli vomere prædicationis Dei : et non tantum facti sunt agri, sed etiam plantatæ sunt vineæ, ut ab eis exspectaretur vinum : id est, verbum divinum quo inebriantur corda hominum. Quod dicit : *Et seminaverunt agros et plantaverunt vineas et fecerunt fructum nativitatis*, id est, nativum vel naturalem fructum, quia imitati sunt illos, qui eos in fide nasci fecerunt. Unde illud, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*P.* xliv). Et alibi, *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* iv *et* xi). Fecerunt fructum nativitatis, *et benedixit eis, et multiplicati sunt* quidam eorum *nimis*, id est, modum excedentes, ut jam non quærerent ea quæ Dei sunt, sed quæ sua sunt, sinistra interpretatione Scriptu-
D ram sacram interpretantes. Unde illud, *Intenderunt arcum suum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Ps.* x). Quod dicit, *Multiplicati sunt nimis* : quia ex eorum multiplicatione minoratus est numerus fidelium. *Et jumenta eorum non minoravit*, id est, simplices in fide non minorari permisit, sed crescere fecit. *Novit* enim *Dominus qui sunt ejus* (*II. Tim.* ii). Vel sic : *Jumenta eorum non minoravit* id est, prædicatores sanctos non deesse permisit, ut illi qui multiplicati sunt, hæretici videlicet, ab ipsis prædicatoribus sanctis, quod tenendum esset, quærere possent, si vellent. *Et pauci facti sunt*, id est, illi qui putabantur multi-

plicati, facti sunt pauci, quia omnes qui ab unitate A separant se, pauci fiunt. Multi enim sunt, sed in unitate, dum non separantur ab unitate. Cum enim cœperit pertinere ad eos multitudo unitatis, in hæresi et in schismate pauci facti sunt. De illis audivimus Apostolum dicentem : *In novissimis* temporibus *instabunt tempora* sæva, *erunt* enim *homines se ipsos amantes*, totique sibi placentes ; sed utinam sibi displicerent, et Deum amarent (*II Tim.* III). Utinam in difficultatibus clamarent, et de necessitatibus liberarentur, qui de se præsumendo pauci facti sunt, *et vexati sunt in tribulatione malorum* angelorum, subaudis apostatarum ; *et dolore* futuro quem habebunt quando ex opposito transducent illos eorum iniquitates, cum dicturi sunt : *Nos insensati, existimabamus vitam illorum insaniam* (*Sap.* V), etc. B Vel aliter : *Multiplicati sunt nimis.* Quibus multiplicatis pauci facti sunt. Numeratus est numerus fidelium, quantum ad hæreticos, qui nomine tenus in Ecclesia fuerunt. *Et vexati sunt* illi pauci *a tribulatione malorum*, id est, hæreticorum, et dolore quoniam dolebunt illos ab Ecclesia discessisse. *Effusa est contemptio super principes*, id est, contemptibiles habiti sunt hæretici, quia principes esse voluerunt. Quæ major contemptio quam anathematizatio ? De talibus enim dixit Paulus : *Si quis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit ;* et hoc est quod dixit : *Effusa est contemptio super principes, quia facti sunt sal infatuatus, projectus foras. Et errare fecit eos in invio, et non in via*, subaudis dirigi. Quia superius in via directi sunt, ad civitatis habi- C tationem pervenerunt. Isti traditi in reprobum sensum et in concupiscentia eorum, semper in invio errant. Quod dicit, *errare fecit eos in invio, et non in via*, et hoc non inutiliter suis, quia per eorum errorem adjuvit Dominus *pauperem*, id est, humilem suum, *de inopia*, de imperfectione illorum, qui ab Ecclesia discesserunt, quia per eos incitantur humiles Domini ad studium inquisitionis et exemplum erroris. Ipsi enim hæretici sunt causa quare fideles diligenter investigent Scripturas sacras et in eis inquirant convenientes sententias, quibus se defendant, ne disputatione hæretica superentur. Unde illud. *Oportet hæreses esse, ut et qui probati sunt*, appareant (*I Cor.* XI). Sunt etiam hæretici exemplum timoris his, qui in Ecclesia permanserunt, quia, D dum vident hæreticos propter præsumptionem vanam, qua de se præsumebant, ab Ecclesia separatos, timent præsumere, ne si præsumpserint, ab unitate Ecclesiæ separentur, quia necesse est ut *qui stat, videat ne cadat* (*I Cor.* X). Quod dicit : *Et adjuvit pauperem de inopia :* quia quod hæretici inopes fuerunt veritatis, in hoc adjutus est pauper : et quia singulariter dixit pauperem, se unum tantum intelligeremus, subjungit : *et posuit sicut oves familias*, id est, Ecclesias fecit esse sub prælatis suis, sicuti oves sunt sub pastoribus. Quæ omnia per divinam potentiam sic ineffabiliter operata *videbunt recti*, id est, illi qui cor habent rectitudini Dei complanatum; *et lætabuntur* horum visione ; *et omnis iniquitas oppilabit os suum*, id est, destruet os hæreticorum quando judicabuntur ab illis recte, quos hic nunc judicant non recte ; vel intransitive, id est, omnis iniquus, scilicet hæreticus. *Et quis est sapiens*, id est, quis scit sibi cavere in posterum ? *et custodiet hæc*, id est, apud se reponet quæ superius dicta sunt, ut si quandoque tentatione fatigetur, clamet ad Dominum ; et liberabitur, *et intelliget misericordias Domini.* Et nullum meritum suum, nullas vires, nullam potentiam suam attendat, sed miserationes Domini, qui errantem et inopia verbi Dei indigentem, ad viam reduxit et pavit, qui pugnantem contra difficultatem peccatorum, et colligatum vinculis veteris consuetudinis solvit, et liberat fastidientem verbum Dei, et tædio quodam pene morientem, missa medicina verbi sui, recreavit : qui periclitantem inter naufragia et procellosa discrimina, mari placato, in portum salutis perduxit ; qui eum constituit in populo suo, non ubi *superbis resistit*, sed *humilibus dat gratiam*, ut intus manens multiplicaretur, non foras exiens minueretur. Hæc omnia videant recti et jucundentur, os autem hæreticorum propter iniquitatem obstruatur.

PSALMUS CVII.

ALLELUIA. CANTICUM PSALMI IPSI DAVID.

« Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum :
« cantabo et psallam in gloria mea. Exurge psalte-
« rium, et cithara : exsurgam diluculo. Confitebor
« tibi in populis, Domine, et psallam tibi in natio-
« nibus. Quia magna super cœlos misericordia tua,
« et usque ad nubes veritas tua. Exaltare super
« cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua,
« ut liberentur dilecti tui. Salvum fac dextera tua,
« et exaudi me : Deus locutus est in sancto suo.
« Exsultabo et dividam Sichimam, et convallem ta-
« bernaculorum dimetiar. Meus est Galaad et meus
« est Manasses : et Ephraim susceptio capitis mei.
« Juda rex meus, Moab lebes spei meæ. In Idumæam
« extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ
« amici facti sunt. Quis deducet me in civitatem
« munitam ? Quis deducet me usque in Idumæam ?
« Nonne, tu, Deus, qui repulisti nos ? et non exibis :
« Deus in virtutibus nostris. Da nobis auxilium de
« tribulatione, quia vana salus hominis. In Deo fa-
« ciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet
« inimicos nostros. »

ENARRATIO.

Canticum Psalmi David. Vox Christi est in hoc psalmo, commendantis nobis obedientiam suam, quatenus hic eam imitemur, ut in futuro cum ipso glorificemur. Dicit autem sic :

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Quasi dicat : Deus Pater, persecutores mei putant sua potestate id agere, ut moriar, et non ex voluntate mea processisse : quod non est, quia cor meum paratum est, paratum, inquam, est implere tuam obedientiam, quia nemo tollet a me animam meam

sed ego pono eam ; et hoc est quod dicit, *Paratum cor meum*, et etiam meorum. Unde pro tanto beneficio mihi et meis a te dato, *cantabo* in me ipso, et *psallam* in meis *in mea gloria*, id est, in resurrectione mea, qui contristati sunt in morte mea. Et ut cantem et psallam, tu, corpus meum, quod dicitur *psalterium et cithara*, morere et exsurge, quod revera fiet, quia *exsurgam diluculo.* Psalterium dicitur caro Christi, propter miracula quæ divinitus operabatur, cithara, propter experientiam mortis. Exsurgam diluculo. Et quo fructu hoc ? Ut confitear *tibi, Domine, in populis* Judæorum, *et psallam tibi in nationibus*, in populis gentium. Et merito confitebor tibi, *quia magna super cælos misericordia tua*, id est, adeo abundavit omnibus in misericordia tua, ut faceret eos per ipsam misericordiam attingere super cœlestem, id est, angelicam creaturam, *et usque ad nubes veritas tua*, id est promissiones tuæ veræ sic implentur, ut ipsi prædicatores nubes constituantur, pluendo verbis, coruscando miraculis, tonando minis. Ut hæc omnia fiant. *Exaltare super cælos, Deus*, me homine subaudis exaltato ; *et super omnem terram gloria tua*, id est, gloriosa resurrectio tua manifestetur, ut sic *liberentur dilecti tui*, licet non paleæ. Et ut liberentur, *salvum fac dextera tua, et exaudi me.* Et revera exaudies me in meis, quia *Deus locutus est in sancto suo*, id est, in me sancto suo disposuit se exauditurum genus humanum ; juxta illud : « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio (*Hebr.* I). » Quod dicit : *locutus est nobis in sancto suo.* Unde exsultabo et dividam assumendo *Sichimam*, quia *unus assumetur, et alter relinquetur* (*Matth.* XXIV.) Sichima interpretantur *humerus.* Ubi intelliguntur illi quibus leve est jugum Domini in humeris suis portare. *Et convallem tabernaculorum dimetiar*, id est, illos assumam qui in tabernaculo militare volunt. *Et meus est Galaad*, id est, sancti martyres, qui plura in se exacervant testimonia, non dubitantes testes fieri usque ad effusionem sanguinis. *Meus est Manasses*, id est, quique obliviscentes ea quæ retro sunt, et in anteriora se extendentes : *et Ephraim susceptio capitis mei*, id est, quique fructificantes Deo, et non sibi suscipientur a capite meo, Deo scilicet mihi personaliter unito. Vel Ephraim *susceptio capitis mei*, id est, *reclinatorium*, ubi quasi deposito capite quiescam ; juxta illud : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (*Matth.* VIII). » *Juda, rex meus*, id est, confessi, erunt reges mei et sacerdotes. *Moab*, id est, quisque sine lege vivens erit *lebes*, id est, refectio *spei meæ*, quia quanto majorem mihi inferent tribulationem, tanto majorem habeo spei corroborationem vel certitudinem. Et quomodo hæc omnia fient ? Quia *in Idumæam*, id est. in externos *extendam calceamentum meum*, id est, notificari faciam incarnationem meam. Vel extendam calceamentum meum, id est, pedes calceatos, prædicatores videlicet, in præparatione Evangelii pacis. Et sic *mihi alienigenæ amici facti sunt*, id est, fient, vel prædicatione jam facti sunt. « Et quis deducet me in civitatem munitam ? quis deducet me usque in Idumæam ? Nonne tu, Deus qui repulisti nos ? » id est, qui repellere nos videris, non dando nobis ut corporaliter vincamus. « Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris ». Et quia hæc facis, « Da nobis auxilium de tribulatione, » ut ipsa tribulatio corroboret nos, ne interius vincamur. Et quare rogo auxilium de tribulatione, quantum ad interiorem hominem ? *Quia vana* est *salus* exterioris *hominis.* Et quia vana est salus exterior, ideo nos, abjecta salute illa, « in Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet » tribulantes nos, id est, pro nihilo reputare nos faciet persecutiones inimicorum nostrorum.

PSALMUS CVII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est. Locuti « sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus « odii circumdederunt me, et expugnaverunt me « gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: « ego autem orabam. Et posuerunt adversum me « mala pro bonis, et odium pro dilectione mea. « Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet « a dextris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus, « et oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus « pauci, et episcopatum ejus accipiat alter. Fiant « filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. Nutantes « transferantur filii ejus, et mendicent, ejiciantur « de habitationibus suis. Scrutetur fenerator omnem « substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus. « Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis « ejus. Fiant nati ejus in interitum, in generatione « una deleatur nomen ejus. In memoriam redeat « iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et « peccatum matris ejus non deleatur. Fiant contra « Dominum semper et dispereat de terra memoria « eorum, pro eo quod non est recordatus facere « misericordiam. Et persecutus est hominem inopem « et mendicum, et compunctum corde mortificare. « Et dilexit maledictionem, et veniet ei : et noluit « benedictionem et elongabitur ab eo.

« Et induit maledictionem sicut vestimentum, et « intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum « in ossibus ejus. Fiat ei sicut vestimentum quo « operitur, et sicut zona qua semper præcingitur. « Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam « meam. Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter « nomen tuum, quia suavis est misericordia tua. « Libera me, quia egenus et pauper sum ego, et « cor meum conturbatum est intra me. Sicut umbra « cum declinat, ablatus sum, et excussus sum sicut « locustæ. Genua mea infirmata sunt a jejunio, et « caro mea immutata est propter oleum. Et ego « factus sum opprobrium illis : viderunt me, et move-

« runt capita sua. Adjuva me, Domine Deus meus, « salvum me fac secundum misericordiam tuam. Et « sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti « eam. Maledicent illi, et tu benedices : qui insur- « gunt in me, confundantur : servus autem tuus « lætabitur. Induantur qui detrahunt mihi, pudore : « et operiantur sicut diploide confusione sua. Con- « fitebor Domino nimis in ore meo, et in medio « multorum laudabo eum. Quia astitit a dextris pau- « peris, ut salvam faceret a persequentibus animam « meam ».

ENARRATIO

In finem psalmus David. Vox est in hoc psalmo capitis principaliter agentis de Juda traditore suo, et per eum de omnibus aliis persecutoribus, quia sicut illa quæ Petro dicebantur, hæc videlicet, *quæcunque* ligaveris (*Matth.* XVI), etc., ad omnes rectores pertinent, sic et hæc quæ de Juda dicuntur cæteris persecutoribus adaptantur. Initium psalmi tale est :

« Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et dolosi super me apertum est. » Quasi dicat caput nostrum : Persecutores mei non tacuerunt meam vituperationem, dicentes : *Dæmonium habes* (*Joan.* VII *et* VIII), et multa id genus. « Tu autem, Deus Pater, ne taceas laudem meam. » Quæ major laus quam notificari hominem esse verum Deum de Deo vero ? quod in infirmitate nunc latet revelabitur autem post. Quod dicit : *Ne taceas laudem meam :* et opus est ut non taceas, *quia os peccatoris*, id est legis transgressoris, *et dolosi super me apertum*, me vituperando. Sed ecce patet quia falsa est vituperatio, quam non tacet peccator et dolosus. Patet etiam quia vera est laus, quam non tacet Deus. *Deus* enim *verax*, *omnis homo mendax* (*Rom.* III), quia non est homo verax, nisi in quo loquitur Deus. Laus autem maxima est unigeniti Filii Dei, quia hoc ipsum laus est quod est unigenitus Filius Dei prædicatus. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me et expugnaverunt me gratis. Tunc *locuti sunt adversum* eum *lingua dolosa*, quando eum tanquam magistrum bonum captiosa adulatione laudabant (*Matth.* XXII). Unde alibi : « Et qui me laudabant adversum me jurabant (*Psal.* CI). » Circumdederunt me sermonibus odii, quando aperte clamabant : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX). Et *expugnaverunt me gratis*, id est sine causa, quia sicuti gratis pie amant, ita impii gratis odio habent. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi.* Prosequitur qualiter pugnabant contra eum. Nam in hoc quod promeruit *ut eum diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam : Pater*, ignosce *illis*, quia nesciunt *quid faciunt* (*Luc.* XXIII). *Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Sex sunt in isto genere differentiæ quæ commemorat [illegible] possunt : Reddere bona pro malis, non reddere mala pro bonis. Reddere bona pro bonis, reddere mala pro malis. Non reddere bona pro bonis, reddere

A mala pro bonis. Duæ primæ retributiones ad bonos tantum pertinent, quia perfecte boni reddunt bona pro malis, et non reddunt mala pro bonis. Duæ vero ultimæ, non reddere bona pro bonis, et reddere mala pro malis ad iniquos tantum pertinent. De hac autem retributione qua redditur malum pro bono, hic dicitur, *et posuerunt adversum me mala pro bonis.* Duæ autem retributiones, reddere bona pro bonis, et reddere mala pro malis, communes sunt mediocriter bonis, et mediocriter malis. Nam et mediocriter boni reddunt mala pro malis, et mediocriter mali bona pro bonis. « Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus. » Ecce prædicit quid futurum sit populo de persecutione sua, non ex malevolentia, sed aggratulando divinæ sen-

B tentiæ, quasi sic dicat : Quia populus ille me caput habere noluit, ergo *constitue super eum peccatorem*, id est Antichristum caput habeant, *et diabolus stet a dextris ejus*, id est opera diaboli habeant potiora. Qui me noluerunt imitari et caput habere venientem in nomine tuo suscipient alium venientem in nomine suo. « Cum judicatur » hic populus interius sic, ut « qui in sordibus est sordescat adhuc (*Apoc.* XXII) : » « exeat condemnatus, » id est, finiat vitam in condemnatione ut quandoque duplici condemnatione condemnetur. *Et oratio ejus fiat in peccatum*, quia omnis oratio, quæ non fit per mediatorem nostrum Jesum, non delet peccatum, sed potius auget, quia fit in prævaricatione. *Fiant dies ejus pauci*, id est, parum temporis vivat Judas. *Et episcopatum ejus*, id est, apostolatum Judæ apostoli alius (ut duodenarius nu-

C merus adimpleatur) *accipiat*. Vel, *fiant dies ejus pauci*, id est dies, quos putant Judæi prolongare in habendo locum et gentem (*Joan.* XI), minuantur, *et episcopatum ejus accipiat alter*, me videlicet factum episcopum illius populi accipiat gentium populus. *Fiant filii ejus orphani*, amisso rege, vel Patre Deo, vel patribus. *Nutantes transferantur filii ejus*, id est, incerti et instabiles ubicunque, « et mendicent, ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fenerator, » id est, diabolus, *omnem substantiam ejus*, id est, omne peccatum illius populi, ut nulla ei condonentur peccata, quia non est reconciliatio nisi per Christum. *Fenerator*, id est, diabolus, quia, cum aliquis quem exterius occidit, diabolus interius eum occidit, quæ occisio gravior est exteriori, quia

D qui intus occiditur, nisi resipiscat, æternali igne tandem punietur. Hujus feneratoris substantia peccata sunt, quia in peccatis delectatur, et per peccata quasi esse habet. *Et diripiant alieni labores ejus.* Hoc historialiter factum est, quando regnum Judæorum possedit gentilis populus. Vel, *labores ejus* rapiant *alieni*, id est, gentes recipiant promissionem factam Judæis, juxta illud, « Alii laboraverunt, et vos in labores eorum intravistis (*Joan.* IV). » « Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus, » id est, reliquiis populi, jam fine facto. *Fiant nati ejus in interitum*, id est, ad hoc tantum nascantur, ut intereant, *in generatione una deleatur nomen ejus*, id

est, non regeneretur populus ille, ut ei dimittantur peccata, sed « in generatione una deleatur nomen ejus. » « In generatione una » permanet qui non regeneratur, sine qua regeneratione nullus salvari potest, Domino testante : « Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III) ; » « in memoria redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, » ut non tantum puniatur populus ille de peccato proprio, sed etiam de peccatis patrum in Ægypto peccantium : juxta illud, « Vindicabo in tertiam et quartam generationem (*Exod.* XX), » « et peccatum matris ejus non deleatur : » sed « fiant » iniquitas patrum et peccatum matris « contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum, » id est, non recordetur Dominus eorum amplius, ut revocet eos ad pœnitentiam : et hoc eo, id est, ideo, quia populus ille Judæorum *non est recordatus facere misericordiam*, ut, occiso capite, cessaret membrorum persecutio. « Et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare, » id est, Christum *compunctum corde* in suis *persecutus est* populus ille. Compuncti corde fuerunt illi qui dixerunt : *Quid faciemus, viri fratres* (*Act.* II) ? Et ille qui dixit : *Quid me vis facere* (*Act.* IX) ? In quibus talibus *persecutus est* Dominum. *Et dilexit maledictionem* Judas, vel populus ille dicens : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » « Et veniet ei, et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus : » interius et exterius maledictus est Judas, vel populus ille qui abominabilis omnibus factus est exterius, et interius excæcatus : *et sicut oleum in ossibus ejus*, id est, sicut oleum ossa penetrat, ita eos maledictio. « Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona qua semper præcingitur. » Solent qui utuntur laxis vestibus se præcingere, ut expediti sint ad operandum quod volunt. Sic populus ille operatur maledictionem. Et præcingatur, id est, expeditus sit ad omne malum perpetrandum, ut malum non repentinum, sed dispositum faciat. « Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam meam. » Quasi dicat : Quod induti sunt maledictione, hoc non injuste evenit eis, quia hoc est opus eorum, id est, hanc maledictionem operabantur sibi apud Dominum mihi detrahendo, et mala adversus animam meam loquendo. Vel, *hoc opus eorum apud Dominum*, id est, præscivit ut ita operarentur, *apud Dominum*, dico, apud quem constat, ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). « Et, tu, Domine, fac mecum propter nomen tuum, » Quasi dicat : Hoc illis eveniat. *Tu* autem *Domine, fac mecum*, id est, mecum operare propter nomen tuum glorificandum, ut intelligant homines eadem opera esse mea et tua : vel, operare mecum, quasi dicat : ergo operor perseverando in obedientia, et tu operare mecum, vertendo ad communem omnium utilitatem quod ipsi faciunt ad unius damnationem. Te rogo ut mecum opereris, *quia suavis est misericordia tua*, id est, reconciliatio humani generis quæ per mortem meam ventura est. « Libera me, quia egenus et pauper sum ego, et cor meum conturbatum est intra me » quia, etsi tristis appareo, non est mihi tristitia ex potestate inferentium, sed ex propria voluntate tristis appareo. « Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum, » quia sicut, declinante umbra, fit nox, ita ex carne mors sequitur, *et excussus sum sicut locustæ*, quia, me me relicto, omnes fugerunt (*Matth.* XXVI) ; vel *excussus sum*, id est, excussi sunt mei *sicut locustæ*, quia fugati sunt ubique a persecutoribus. *Genua mea infirmita sunt a jejunio*, id est, illi qui fortiores fuerunt inter membra mea, apostoli videlicet infirmati sunt *a jejunio*, id est, a præsentia mea recedentes, a qua semper reficiebantur. Et tamen licet *infirmata sunt*, immutata sunt tandem *propter oleum*, id est, propter donum Spiritus sancti quod receperunt, et non tantum fortiores infirmati sunt, sed etiam *caro mea*, id est, illi, qui infirmiores fuerunt in membris meis, confortati sunt *propter oleum*, id est, gratiam Spiritus sancti. Vel sic, *caro mea immutata est propter oleum*, id est, carnalis intellectus meorum infirmatus, per gratiam Spiritus sancti immutatus. Vel, *caro mea immutata est propter oleum*, id est, propter suavitatem resurrectionis. *Et ego factus sum opprobrium illis*, quia sicuti me persequebantur, ita et meos : « viderunt me et moverunt capita sua ; » sed, tu, « Domine Deus meus, adjuva me, salvum me fac secundum misericordiam tuam. » *Et sciant*, id est, intelligant *quia manus tua hæc*, id est, potentia tua hæc omnia fecit, ut sic intelligant quod non haberent potestatem, nisi illis a te data fuisset (*Joan.* XIX). Quod dicit, « et sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam. Maledicent illi, et tu benedices. Qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus, » non dico lætetur, sed *lætabitur. Induantur qui detrahunt mihi, pudore*, id est, plene confundantur intus et foris, vel ante Deum et ante homines, *et operiantur sicut diploide confusione sua.* Diplois est vestis duplex, nullam habens partem inversam, ubi notatur plenaria confusio. *Confitebor Domino nimis in ore meo*, id est, valde in *ore meo*, id est, consono corde. *Et* quod dictum est. *Ego autem confitebor Domino nimis*, id est, valde in *ore meo*, id est, consono corde. *Et in medio multorum*, id est, in corde fidelium, *laudabo eum. Quia astitit a dextris pauperis*, id est, qui mihi pauperi et meis pauperibus in dextera, id est, in potiori parte semper fuit, faciens eos diligere dextera, id est, potiora : ad hoc « astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam, » id est, mei et meorum, non ita ut non tribularentur, sed ne eis conformarentur, ut illud : « Pater, non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo (*Joan.* XVII). »

PSALMUS CIX.

PSALMUS DAVID.

« Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, « donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo-

« rum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; « dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum « principium in die virtutis tuæ in splendoribus san- « ctorum, ex utero ante luciferum, genui te, juravit « Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es Sacerdos « in æternum secundum ordinem Melchisedech. Do- « minus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. « Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquas- « sabit capita in terra multorum. De torrente in « via bibet, propterea exaltabit caput. »

Tempus constituit Deus Pater promissis suis, constituit etiam tempus eis quæ promisit implendis. Tempus promissionum fuit a tempore prophetarum usque ad tempus Joannis Baptistæ, a tempore Joannis Baptistæ et deinceps usque ad finem mundi tempus est implendi quæ promisit. Promisit enim hominibus divinitatem, mortalibus immortalitatem, peccatoribus justificationem, abjectis glorificationem, et quidquid promisit, indignis promisit, ut non quasi operibus merces redderetur, sed nomini suo gratia daretur. His promissis adimplendis, non quemlibet principem, aut angelum, aut archangelum, mediatorem promisit, sed unicum Filium, ut, qua via nos perducturus esset ad id quod promisit, per ipsum Filium suum ostenderet et probaret. Unigenitus itaque Filius Dei, venturus ad homines hominem erat assumpturus, et per id quod promisit, homo futurus, meriturus, resurrecturus, in cœlum ascensurus, sessurus ad dexteram Patris, et impleturus in gentibus quod promisit, et post impletionem promissionum, impleturus ut veniat, et quod prærogavit, exigat, discernat vasa iræ a vasis misericordiæ (*Rom.* xxi), reddat impiis quod minatus est, reddat justis quod pollicitus est. Hoc ergo totum prophetandum fuit, prænuntiandum, commendandum, ne subito veniens horreretur, sed creditum exspectaretur, quæ omnia Propheta in hoc psalmo nobis pronuntiat et commendat, sic dicendo :

« Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis. » Quod versus iste de Domino Filio accipiendus sit, ipsemet, Dominus et Salvator noster Dei Filius in Evangelio ostendit, quia cum quæreret a Judæis : Cujus Filium Christum dicerent, et respondissent ; David : ille continuo respondens, ait: « Quomodo ergo vocat eum Dominum David, dicens: Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis? (*Matth.* xxii) » Non hæc quæsivit Dominus interrogans, ut discere vellet a Judæis, sed ut eos doceret, si nescirent, ut dicerent : Tu, dic nobis. Sed, quia miseri fuerunt et perditi, maluerunt inflata taciturnitate disrumpi quam humili confessione edoceri. Dicat ergo magister noster, et doceat nos quid sibi respondeamus. Respondeamus illum Filium esse David, sicut Judæi, quia nisi Filius esset David, nequaquam diceret Evangelium : « Liber generationis Jesu Christi Filii David (*Matth.* i). » « Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis ? » Vere A Dominus David, quia « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* i) » Sed quia propter infirmitatem nostram carne despecta jacebamus, « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Ecce filius David, et Dominus David. Ecce recte respondissent Judæi, si eum credidissent Dominum David, de quo ipse David dicet sic : Dixit Dominus Pater Domino meo, secundum humanitatem filio meo, et Domino meo secundum divinitatem. Et quod dicit pro experta malitia, pro completa obedientia : « Sede a dextris meis, » id est, recipe me ad dexteram meam, id est, in priori parte mea, nunquam inde movendus, nulli secundum carnem manifestandus, « donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, » id est, quo- B adusque omnes inimicos suos subdam potestati : quod erit in novissima die, quando unusquisque recognoscet se potentiæ Domini obligatum, quia quisque erit sub pedibus ejus, vel victus, vel adoptatus, et habebit ibi, vel locum pœnæ, vel locum gratiæ. Nota quod dicit : *Sede*. In hoc enim notatur humana natura quæ a Verbo Domini assumpta est, Divinitas enim nec sedere, nec stare dicitur. Mirabile est mysterium Christi sedentis ad dexteram Patris. Occultatur, ut credatur ; subtrahitur, ut speretur. Hæc est justitia ut per fidem speremus in eum quem non videmus, ut, fide mundati, postea videamus illum in quem nunc non visum credimus. De hac justitia, Dominus in cœlum ascensurus, dixit : « Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis, ille arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio (*Joan.* C xvi). » Et qui intelligeret justitiam exposuit. « De justitia, inquit, quia ad Patrem vado. » Et hæc est justitia vera ut credamus eum ad Patrem ivisse, et ibi ad dexteram ejus sedere quoadusque venturus est judicare tam pios quam impios. « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum, » quasi dicat : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis : » quod hoc ordine fiet, quia ipse Dominus Pater, est virga *virtutis tuæ*, id est, sceptrum dominationis tuæ, regnum videlicet virtuosum, et hoc incipiendum in Sion, *quia salus ex Judæis est* (*Joan.* xv). Et *dixit* etiam *Dominus* Pater tibi, o Domine Fili, « dominare in medio inimicorum tuorum, » id est potentiam tuam exerce in medio paganorum et hæreticorum D qui tuos undique circumdant. Vel, « dominare in medio inimicorum tuorum, » id est, in cordibus illorum qui ex inimicis fient amici tui. Et merito dominaberis, qui ego *tecum principium*, et tu meum *principium*, non quod duo principia sint, sed quia *ego in te, et tu in me* (*Joan.* xiii), quod apparebit non in die æternitatis tuæ, *sed in die virtutis tuæ*, id est, in claritate æternitatis, quæ claritas est ineffabilis, lux ineffabilis, fons inexhaustibilis, veritas sine defectu, et ero tecum *principium in splendoribus*, id est, quando sancti erunt in splendore, id est, in nimia claritate, non jam terrenam carnem gestantes, nec in mortali corpore gementes, sed in gloria incorru-

« ptionis et immortalitatis fulgentes, juxta illud : « Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum (*Matth.* XIII). Vel dicat : Tecum ero principium in die virtutis tuæ, » et ero principium « in splendoribus sanctorum, » id est, in Spiritu sancto, per quem habent sancti quidquid splendoris habent. Pluraliter dicit, propter diversa dona Spiritus sancti: *ex utero ante luciferum genui te*, quasi dicat : Vere tecum sum ego *principium*, quia ego *genui te ex utero*, id est, ex intima substantia mea et secreto esse meo, *ante luciferum*, id est, ante omnia opera : lucifer dignior stella est inter cæteras stellas, et ideo sicut constat Dominum Filium fuisse ante luciferum, sic constat eum fuisse ante omnes alias, et sic ante omnia tempora, quia per eum omnia facta sunt : « juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech : » Quasi dicat : Hoc dixit Dominus Pater de regno tuo, o Domine Fili, de sacerdotio autem tuo quid? *juravit Dominus*. Ecce jurat Dominus, qui hominem jurare prohibet ne in perjurium prolabatur, et ideo magis Deus, qui in perjurium non potest labi : homo autem, qui per consuetudinem peccandi in perjurium potest cadere, prohibetur non jurare. Tanto enim longius est a perjurio quanto erit longius a jurando. Cur ergo non juret Dominus cum Domini juramentum promissionis sit firmamentum (*Hebr.* VI)? Jurat homo, et in juramento Deum vocat testem. Hoc est enim jurare, Dominum testificari, et ideo cavendum est, ne in aliqua falsitate homo Deum adhibeat testem. Si ergo jurando Deum testatur, cur non et jurando Deus testetur seipsum? quod dicit, *Juravit Dominum, et non pœnitebit eum*, per pœnitentiam mutatio rerum significatur : quomodo tu, homo, cum aliquid te pœniteat, doles factum quod fecisti, sic quando Deus aliquid præter spem hominum, id est, præter quam sperant homines, mutat in aliud, pœnitere se dicit usque adeo ut eum pœniteat de pœna nostra, si nos pœnituerit de mala vita nostra. *Juravit ergo Dominus*, id est, firmavit, *et non pœnitebit eum*, quia non mutabit, quid juravit? « Tu es Sacerdos in æternum, » ideo in æternum quia non pœnitebit eum : sed *secundum* quid *Sacerdos*? Non *secundum ordinem* Aaron, qui præcepit offerri hostias et victimas Veteris Testamenti. Illa enim sublata sunt, everso jam templo, remoto illo sacerdotio, pereunte victima et sacerdotio, sed *secundum ordinem Melchisedech*. Melchisedech intrepretatur *summus pontifex*, vel *rex justitiæ*. Ipse enim rex fuit, et sacerdos primus offerens in figuram nostri sacrificii panem et vinum, et illius sanctæ Eucharistiæ quæ in corpore et sanguine Domini quotidie conficitur in Ecclesia, et ideo etiam sacrificium Melchisedech dignius est sacrificio Aaron, quia hoc fuit prius, illud posterius. « Dominus a dextris tuis » ens, « confregit in de iræ suæ reges : » quasi dicat : Tu, pater, jurasti de Filio tuo, et dixisti? « Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, » et merito, quia ipse Filius *a dextris tuis* ens. *confregit in die iræ suæ reges*, id est, in consideratione *iræ suæ* futuræ *reges*, id est, in sæculo excellentiores. Et quomodo hoc? *judicabit*, id est, justa judicia exercebit *in nationibus*, id est, in gentibus, et judicando *implebit ruinas*, id est, quosdam humiliari faciet, ut in se exaltentur : et tandem *conquassabit capita*, id est, cervicositatem et superbiam *multorum in terra* viventium, sive etiam morientium, et hoc quo ordine fiet? *De torrente in via bibet*. Torrens hic fluxum mortalitatis significat, de quo *torrente* Dominus bibit *in via*, quia etiam mortem in humano corpore gustavit : « propterea exaltabit caput, » quia ei dabitur « nomen quod est super omne nomen (*Phil.* II). » Potest legi psalmus iste ordine præposterato sic : « Dixit Dominus Pater Domino meo » Filio, istud videlicet : Ego « tecum principium, » id est, tibi æqualis ens, quod apparebit *in die virtutis tuæ*, id est, in claritate æternitatis tuæ, quando mihi apparebis æqualis, id est, in gloria illa de qua dictum est : Tollatur impius ne videat gloriam Dei (*Ita.* XXVI), quia formam hominis videbunt tam impii quam pii. Forma autem gloriæ ejus tantum visioni piorum concessa est. Quod dicit : « Tecum principium in die virtutis tuæ, » et non solum tecum, o Fili, principium, sed etiam principium in splendoribus sanctorum, id est, cum Spiritu sancto, quia ego Pater in te, Fili, *principium* et in Spiritu sancto, quia et tu, Filius, et Spiritus sanctus, ex me, non ego ex vobis, cum Filio tamen ego Pater *principium* et cum Spiritu sancto : quia *principium* Pater, *principium* Filius, *principium* Spiritus sanctus. Et ego Pater, o Fili, *ex utero ante luciferum genui te*. Et, ergo pro experta malitia et completa obedientia, « sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. » Et quasi quæreres, quomodo, vel quo hoc ordine fiet? sic sequitur : « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. » Et hoc quantum ad deitatem. Quantum autem ad susceptionem carnis, quid? « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech : Dominus a dextris tuis : » Quasi dicat : Hoc *juravit Dominus* Pater de te, Domine Fili, et ipse Dominus ens *a dextris tuis*, juxta illud : « Qui astitit a dextris pauperis (*Psal.* CVIII). » « Confringet in die iræ suæ reges, » id est, in sæculo potentiores humiliabit *in die iræ suæ*, id est, eo tempore quo maxime ipsi reges sævire permittentur. Vel *in die iræ suæ*, die videlicet novissima, quando ira Domini omnibus apparebit.

Et hic interim *judicabit in nationibus*, id est, in gentibus, et « implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. » Et quomodo hoc fiet? Quia Dominus Filius, « de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. »

PSALMUS CX.

ALLELUIA.

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in « consilio justorum et congregatione. Magna opera « Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Con« fessio et magnificentia opus ejus, et justitia ejus « manet in sæculum sæculi. Memoriam fecit mirabi« lium suorum misericors et miserator Dominus, « escam dedit timentibus se. Memor erit in sæculum « testamenti sui, virtutem operum suorum annun« tiabit populo suo. Ut det illis hæreditatem gen« tium, opera manuum ejus veritas et judicium. « Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæcu« lum sæculi, facta in veritate et æquitate. Redem« ptionem misit Dominus populo suo, mandavit « in æternum testamentum suum. Sanctum et ter« ribile nomen ejus, initium sapientiæ timor Do« mini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, « laudatio ejus manet in sæculum sæculi. »

ENARRATIO.

Alleluia, Alleluia, Alleluia, ut superius dictum est, *laudate Dominum* interpretatur. Quod alleluia geminatum cantamus constituto tempore, a Sabbato videlicet septimanæ Paschalis usque ad Sabbatum quod continetur intra dies Pentecostes ut impleantur quinquaginta dies, et hoc totum ad nostram doctrinam et ad figuram. Sicut enim dies illi quadraginta vel septuaginta quæ præcedunt diem resurrectionis Domini corporis mœrorem istius significant, sic quinquaginta dies, qui solemniter gratuita hilaritate succedunt, significant annum jubilæum in quo quisque a debito solvitur, et servus liber efficitur (*Levit.* xxv). Quem annum jubilæum custodiebant Judæi semper post quinquaginta annos et hoc in figura dierum illorum in quibus qui hic operantur ut servi recipientur, ut filii, et, illis laborantibus in hac vita, merces illa solvetur quam primis et novissimis paterfamilias æqualem dedit (*Matth.* xx). Propterea autem æqualem, quia singuli, primi videlicet et novissimi, singulos denarios sunt recepturi. In consideratione hujus æternitatis jam existens Propheta, et exhortando alios ne otiosi sint in vinea, ut tandem denarium reciperent in vespera sic dicit :

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione. » Confessio non semper peccatorum est, sed aliquando laus Dei quæ devotione confessionis exprimitur : illa luget, hæc gaudet ; illa medico vulnus ostendit, hæc de sanitate medico gratias agit. Hæc confessio quemdam non solum ab omni malo liberavit, sed a malignis hominibus separavit, et ideo audiamus ubi confiteatur Domino. Nam inquit : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Et ut confitear, ero hic *in consilio justorum*, ut tandem sim in *congregatione* illorum. Consilium *justorum* est, non sequi voluntates suas, sed voluntates Domini. *In* quo *consilio* qui hic invenitur in *congregatione justorum* tandem recipietur. Vel sic : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, » positus, subaudis, *in consilio justorum*, et hoc non in occulto, sed in *congregatione*, id est, coram hominibus attendens te dicentem : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* x). » Potest esse vox capitis in hoc psalmo, quasi sic dicentis : Pater me ita exaltavit, sicut prædixit Propheta : et ego exaltatus, *confitebor*, id est, confitebuntur mei, « in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione. » Et merito *confitebor Domino*, quia *opera Domini magna* sunt inquirentibus, et sunt *exquisita*, eundo subaudis *in omnes voluntates ejus* : quæ sunt opera Domini, nisi peccatoris justificatio, vel peccatoris damnatio, si converti noluerit ? et nihil fit præter voluntatem Domini. Sicut enim in se confidentem non deserit ejus misericordia, ita ejus justitia nullius iniquitatem permittit impunitam, cum *flagellat* etiam *filium quem recipit* (*Hebr.* xii), et sic quidquid elegeris, non deerit omnipotenti unde suam de te compleat voluntatem : quare eligat sibi homo quodlibet, vel ut per misericordiam salvetur vel ut per justitiam damnetur.

Hæc sunt « opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus. » Non enim sic constituta sunt *opera Domini*, ut creatura in libero arbitrio constituta, Creatoris superet voluntatem, etiam si contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces, nam prohibet. Tamen si peccaveris, ne putes hominem fecisse quod voluit, et Deo accidisse quod noluit. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur et vivat, ita vult postremo in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat, ut quidquid homo eligat, non desit omnipotenti unde suam compleat voluntatem.

« Confessio et magnificentia opus ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi. » Quia *opera Domini magna* dixit, exsequitur quæ sint. Opus enim ejus est *confessio*, quam operatur in suis, faciendo eos per confessionem magnificos, *et justitia ejus manet in sæculum sæculi*, quia suis dat perseverantiam, ut in justitia permaneant, et ne ad ollas carnium in Ægypto respiciant (*Exod.* xvi) : quia « sine pœnitentia sunt dona Dei et vocatio Dei (*Rom.* ii). » Vel sic : *Justitia ejus* qua reddet piis quod pollicitus est, et impiis quod minatus est, « manet in sæculum sæculi. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se. » Quia dixit confessionem opus ejus esse, ut sciamus unde confessio procedat subjungit : quia *misericors* est *Dominus* in promissis, *et miserator* in exhibendis quæ promisit, *Memoriam* faciet *mirabilium suorum*, id est, memorari facit suos quæ olim in figura contingebant, et in illis attendere quæ spiritaliter in fine temporum complenda erant. Et qualiter hoc fiet ? *Escam dedit timentibus se*, videlicet quæ non corrumpitur, panem illum qui de cœlo venit, ex quo re-

ficiuntur quotidie fideles et refecti intelligunt mirabilia Domini.

Memor erit in sæculum testamenti sui. Quasi dicat: Ideo *dedit escam timentibus se*, quia *memor* fuit *testamenti sui in sæculum*, scilicet extendendi, illius *testamenti* videlicet, quod in semine Abrahæ benedicendæ essent omnes gentes (*Gen.* XXII) : « virtutem operum suorum annuntiabit populo suo. » Populus Domini sunt hi qui in occulto sunt Judæi ; istis annuntiata est virtus Domini, quia spiritaliter intellectum in his, quæ olim in figura facta sunt (*I Cor.* X), receperunt, quia, per mare Rubrum quod transierunt, baptismum intellexerunt. Ipsi exierunt de Ægypto per mare Rubrum, nos exivimus de sæculo per baptismum. Ipsi circumcidebantur carne, nos circumcidimur circumcisione non manufacta. Ipsi grossum Sabbatum celebraverunt, nos Sabbatum delicatum : quæ omnia sunt decus operum Domini, vel virtus *operum suorum*, quæ operatur in suis velle, et pro bona voluntate perseverare (*Philip.* II). Quod annuntiat cum dicit : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X *et* XXIV). » « Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo. » Ad hoc videlicet, *ut det illis hæreditatem*, id est, ipsas gentes imitari faciet populum suum, et sic adducat alias oves quæ non sunt ex hoc ovili (*Joan.* X).

Ut det illis hæreditatem gentium, illos, dico, in quibus sunt *opera manuum ejus*, hæc videlicet, *veritas et judicium.* Nam operando in eis veritatem et judicium, facit eos idoneos habere gentes in hæreditatem, quia « omnis qui facit veritatem, venit ad lucem (*Joan.* III), » et dignus est imitatione : similiter et qui facit judicium. Unde Paulus : « Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* II), » « opera manuum ejus, veritas et judicium. » Quæ duo, *veritas et judicium*, non erunt irremunerata, quia *fidelia* sunt *omnia mandata ejus*, videlicet neminem fallentia, remunerata, sunt *confirmata* esse videlicet remuneranda *in sæculum sæculi* hujus subsecutivum, « facta in veritate et æquitate. » Hoc verum est et æquum ut hic laboretur, et ibi quiescatur. Vel *facta* sunt *in veritate et æquitate.* Vera æquitas est, non illa quam lex administrat, dare « oculum pro oculo, et dentem pro dente (*Exod.* XXI) » : sed illa est vera æquitas quam Dominus fecit et docuit (*Act.* I), reddere videlicet bonum pro malo. Unde ipse Dominus in Evangelio : « Audistis, *inquit*, quia scriptum est, diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* V) : » « facta in veritate et æquitate » : et quæ per hæc omnia fient ? « Redemptionem misit Dominus populo suo, » Filium suum videlicet incarnari permisit, per quem redemptio humani generis facta est, per quem « mandavit in æternum testamentum suum. Sanctum et terribile nomen ejus. » *Sanctum* est *nomen* Domini, inquantum Deus est, *terribile*, inquantum judex futurus est. Vel *sanctum* est piis, *terribile* impiis. « Initium sapientiæ timor Domini. » Quia dixit : « misericordia Domini timentibus se » : ubi intelleximus Novum Testamentum, non Vetus quod ad horam patribus nostris fuit positum, ne quis ideo putaret legem superflue datam, ostendit quod lex valeat. Quasi dicat : licet Testamentum Novum in æternum sit confirmatum, tamen nullus judicet legem supervacuam, quia *timor Domini* per legem notificatus est. *Initium sapientiæ*, id est, bonæ vitæ, *est timor Domini*, quia timore pœnæ debet incipere quisque bene operari, ut tandem perfectius operetur amore, non ex timore, quia perfecta » charitas foras mittit timorem (*I Joan.* IX) : » et hic « intellectus » est « bonus omnibus facientibus eum, » id est, operantibus secundum hunc intellectum, et « laudatio ejus, » id est, sic operantis, « manet in sæculum sæculi, » non ad horam videlicet, quia nemo se laudare putet qui ad horam tantum laudat.

PSALMUS CXI.

ALLELUIA. REVERSIONIS AGGÆI ET ZACHARIÆ.

« Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus « volet nimis. Potens in terra erit semen ejus, gene- « ratio rectorum benedicetur. Gloria et divitiæ in « domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæ- « culi. Exortum est in tenebris lumen rectis, miseri- « cors et miserator et justus. Jucundus homo qui « miseretur et commodat, disponet sermones suos in « judicio, quia in æternum non commovebitur. In « memoria æterna erit justus, ab auditione mala non « timebit. Paratum cor ejus sperare in Domino, con- « firmatum est cor ejus, non commovebitur donec « despiciat inimicos suos. Dispersit, dedit pauperibus « justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus « exaltabitur in gloria. Peccator videbit et irascetur, « dentibus suis fremet et tabescet, desiderium pec- « catorum peribit. »

ENARRATIO.

Alleluia : reversionis Aggæi et Zachariæ. Hi duo, Aggæus videlicet et Zacharias, fuerunt sub Dario rege Babylonis, et impleti sunt Spiritu sancto ut inciperent prophetare ea quæ ad renovationem templi pertinerent. Sed quoniam quæ ibi carnaliter gesta sunt postea adimpleta sunt in fidelibus, non incongrue templum Domini fideles accipiuntur. Unde illud : *Templum Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* XIII). Et quoniam in hujus templi ædificatione nullus assumitur nisi beatus, ostendit nobis Propheta qualiter beatitudo sit consequenda, exhortando nos ut beatitudinem consequamur, et in templo Domini vivi lapides compaginemur. Dicit autem sic :

« Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. » Quasi dicat : Beati fieri omnes cupiunt. Ecce præsto habent quod volunt, timeat quisque Dominum et sit beatus. *In mandatis ejus volet nimis. Nimis* velle esse *in mandatis ejus* est cum summo desiderio festinare, ut fiat idonæus in coædificatione templi sui. *Potens in terra erit semen ejus.*

Quasi dicat: Vere *beatus* est *qui timet Dominum*, id est, quisque imitator Domini, *erit potens in terra* scilicet viventium. Quid potentius quam ut regnum cœlorum, quod non solum Zachæus dimidio rerum suarum, sed et vidua duobus minutis (*Luc.* XIX *et* XXI), et tantumdem ibi uterque possideatur? Quid potentius, quam idem regnum thesaurus divitis, et calix aquæ frigidæ pauperi valeat (*Matth.* X)? Quod dicit : *Potens erit in terra semen ejus*, quia *generatio rectorum*, id est rectum cor habentium, *benedicetur*, id est, multiplicabitur. *Rectum autem est cor habere*, non resistere Patri emendanti, et credere pollicenti. *Generatio* autem quæ tale cor habet, *benedicetur*, quia *gloria et divitiæ*, id est, gloriosæ divitiæ, sunt *in domo ejus* id est, in corde recto. Gloriosæ divitiæ sunt testimonium conscientiæ bonæ. Unde Paulus: *Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I) : quæ gloria est *in domo ejus*, id est, in corde rectæ generationis. Vel *in domo ejus*, videlicet Domini, id est, in illis qui se domum Dei faciunt. *Et justitia ejus manet in sæculum sæculi*, id est, justa opera generationis rectæ permanent in æternum. Et unde hoc illis? Quia *exortum est in tenebris lumen rectis* id est illis qui *in tenebris* fuerunt, orietur *lumen* rectitudinis. Unde illud : « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Eph.* V). » *Lumen* autem illud quod *exortum est in tenebris*, est Dominus *misericors* in promissis, *miserator* in exhibitionibus, *justus* tam in salvandis piis quam in damnandis impiis. Et ne terreret aliquem quod Dominum dixit justum, quem prius vocavit misericordem, subjungit : *Jucundus homo qui miseretur et commodat*. Quasi dicat : Noli timere, vir beate, justitiam Domini, sis *jucundus*, miserere et commoda, ut non timeas justitiam Domini. *Miserere animæ tuæ*, et eris *placens Deo* (*Eccli.* XXX), et commoda te aliis exemplum bonum Nam homo *jucundus* est, qui sibi *miseretur* et aliis, juxta illud : *Dimittite et* dimittetur vobis (*Luc.* VI) : *et* qui *commodat* se aliis exemplum bonum. Vel, *commodat*, id est, proximis necessaria subministrat, attendens Scripturam dicentem : *Date, et dabitur vobis* (*Ibid.*). Hic homo talis *disponet sermones in judicio*, id est opera sua bona rationabiliter aget in consideratione futuri judicii, ut, cum ad judicium ventum fuerit non timeat justitiam juste omnia examinantis Domini. Dictum est, ad similitudinem quod dicit : *Disponet sermones suos in judicio*, quia sicuti orator bonus *sermones suos* disponit, præmeditando qualiter unicuique personæ sit alloquendum ut *in judicio* se defendat : sic facta bona quæ hic disponuntur a fidelibus, defendent eos *in judicio* futuro ; quod dicit : *Disponet sermones suos in judicio*. Quod ex effectu probatur, *quia in æternum non commovebitur*. Et tandem « in memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit, » quam audient illi qui a sinistris ponentur, cum eis dicetur *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Vel, *non timebit ab auditione mala*, id est, a vocibus male persuadentium. Et hoc merito : Quia « paratum » est cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus non commovebitur » ab hac spe, *donec despiciat inimicos suos*, id est, donec sibi fiant inferiores in terra viventium, qui in terra morientium conabantur esse superiores. Et ut *despiciat, dispersit, dedit pauperibus*, id est, disperdet bona sæcularia, dando ea pauperibus, et hoc non ad horam faciet, sed *justitia ejus manet in sæculum sæculi*, id est, perseverans erit in ipsa dispositione. Unde *cornu ejus*, id est, sublimitas ejus qui hic ab impiis contemnebatur *exaltabitur in gloria*, quod *cornu* exaltatum *peccator videbit, et irascetur*, quando ex opposito traducent eum iniquitates suæ. *Dentibus suis fremet* quia hic erit ploratus et stridor dentium (*Matth.* XXIV) : *et tabescet*, id est, pœnitebit sed sera pœnitentia erit ; quia *desiderium peccatorum peribit*. Vel aliter : Justus « dispersit, dedit pauperibus, peccator » vero « videbit » hoc « et iracetur, » id est, invidebit bonis actibus suis. *Dentibus suis fremet et tabescet*, id est, quæret eum avertere, sed hoc frustra, quia *desiderium peccatorum peribit*.

PSALMUS CXII.

ALLELUIA.

« Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, et humilia respicit in cælo et in terra? Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem. »

ENARRATIO.

Alleluia. *Laudate, pueri, Dominum* : per puerilem sæpe ætatem in Scriptura sacra humilitas nobis commendatur. Unde ipse Dominus in Evangelio : « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum (*Matth.* XVIII). Sæpe etiam per puerilem ætatem superbia vetustatis exprimitur, velut ibi : « Nolite pueri effici sensibus, malitia autem parvuli estote (*I Cor.* XXIV). » Et, quia psalmus iste pueros ad laudem Dei incitare videtur, nemo adultus dicat, sibi non fieri hic exhortationem, cum ipse adultus, deposita superbiæ malitia, et assumpta humilitate, pueri nomine designetur. Dicit autem sic :

Laudate, pueri, Dominum, laudate, dico *nomen Domini. Nomen Domini* laudet qui se voluntarie servum facit, *laudate*, dicentes: « Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, » id est, jubilate *et usque in sæculum* perseverando, Et hæc benedictio non tantum sit in Judæa, sed « a solis ortu usque ad occasum, » sit « laudabile nomen Domini. » Per ortum solis Judæi designantur quibus per notitiam legis lumen veri solis illuxit, per occasum vero gentes designantur, quia eis sol verus ante tempus Christi occultabatur. « A solis ortu usque ad occa-

sum laudabile nomen Domini. » Et merito ; quia « excelsus » est «super omnes gentes Dominus,et super cœlos gloria ejus, » id est, super sanctos suos maxime apparet gloriosus : Et merito ipse super eos gloriosus apparet, quia « quis » est « sicut Dominus Deus noster,qui in altis habitat,» et ex ejus habitatione alii fiunt alti et gloriosi.*Et humilia respicit* id est,humilitatem quærit *in cœlo et in terra*, id est, in sublimioribus et in inferioribus. « Suscitans a terra inopem,et de stercore» elevat «pauperem.A terra» suscitavit «inopem» qui Judæos,qui quodammodo quasi terra arabilis fuerunt,ad notitiam veræ fidei perduxit. *Et pauperem* erexit *de stercore*, quia gentilem populum quasi in stercore jacentem,quia serviebat desideriis et variis voluptatitibus,ad sublimitatem gloriæ suæ perduxit, ab hoc videlicet, *ut collocet eum cum principibus*, id est, ipsum gentilem populum prius in stercore jacentem dignum faciet judiciaria sede, et sedere faciet *cum principibus populi sui*,id est, cum Judæis qui prius fuerunt populus suus. « Quis sicut Dominus Deus noster, qui habitare facit sterilem, » id est, gentilem populum nihil boni generantem, *in domo lætantem*, ideo,quia mater *filiorum* fuit? Unde illud: « Lætare sterilis,quæ non paris : erumpe et clama, quæ non parturis quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (*Isa*, LIV). »

PSALMUS CXIII.

ALLELUIA.

« In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de « populo barbaro.Facta est Judæa sanctificatio ejus « Israel potestas ejus. Mare vidit et fugit,Jordanis « conversus est retrorsum. Montes exultaverunt ut « arietes, et colles sicut agni ovium. Quid est tibi, « mare, quod fugisti,et tu,Jordanis, quia conversus « es retrorsum? Montes, exsultastis sicut arietes,et « colles, sicut agni ovium.A facie Domini mota est « terra, a facie Dei Jacob. Qui convertit petram in « stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum. « Non nobis, Domine,non nobis, sed nomini tuo da « gloriam. Super misericordia tua et veritate tua, « nequando dicant gentes : Ubi es Deus eorum ? « Deus autem noster in cœlo,omnia quæcunque vo« luit fecit. Simulacra gentium argentum et aurum, « opera manuum hominum. Os habent et non loquentur : oculos habent, et non videbunt. Aures « habent, et non audient : nares habent, et non « odorabunt. Manus habent, et non palpabunt : « pedes habent, et non ambulabunt : non clama« bunt in gutture suo.Similes illis fiant qui faciunt « ea, et omnes qui confidunt in eis ! Domus Israel « speravit in Domino, adjutor eorum et protector « eorum est.Domus Aaron speravit in Domino ad« jutor eorum et protector eorum est. Qui timent « Dominum speraverunt in Domino, ajutor eorum et « protector eorum est.Dominus memor fuit nostri,et « benedixit nobis.Benedixit domui Israel,benedixit « domui Aaron. Benedixit omnibus qui timent Do« num pusillis cum majoribus. Adjiciat Dominus su« per vos,super vos et super filios vestros.Benedicti « vos a Domino, qui fecit cœlum et terram.Cœlum « cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. « Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes « qui descendunt in infernum.Sed nos qui vivimus, « benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in « sæculum. »

ENARRATIO.

Alleluia,Alleluia. Nota est historia qualiter populus Israeliticus ab iniqua dominatione Ægyptiorum liberatus,per diversos fluctus maris transisset(*Exod* XIV). Notum est etiam, qualiter idem populus fluvium Jordanis siccum transivit,cum per eum in terram promissionis intravit (*Jos.* III). Hæc eadem in hoc psalmo narrantur sed hic quædam aliter dicuntur quoniam in Exodo reperiuntur,et quædam hic tanguntur quæ ibi non narrantur.Nusquam enim ibi legitur quod Jordanis conversus sit retrorsum, neque quod montes vel colles gestiissent.Tantum enim de Jordane legitur,quod,cum tangereretur a pedibus sacerdotum arcam Domini portantium,quædam pars ejus in mare defluxit, et alia pars in molem crevit (*Ibid.*): ideo in hoc psalmo non tam videtur Spiritus præterita narrare quam prophetare.Facta enim illa, figuræ nostræ fuerunt : et hæc dicta, ut nos ipsos recognoscamus hortantur:quia si gratiam Dei,quæ data est nobis,firmo corde retinemus, *nos sumus* Israel *semen Abrahæ* (*Joan*,VIII).« Nos enim dicit Apotolus, sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo (*Phil.* III) » et alibi:*Ergo semen Abrahæ estis* (*Gal.*III) Et alibi:«Non in circumcisione,sed in præputio deputata est Abrahæ fides ad justitiam (*Rom.*IV).Non enim carnaliter circumcisæ genti tantummodo factus est pater cum dictum sit : *Patrem multorum gentium te posui* (*Gen.* XVII) : quod apertius ostenditur cum ei dicitur : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen*, XXII). Nullus itaque Christianorum se a nomine Israel arbitretur extraneum.Illis enim qui crediderunt ex Judæis, in quorum numero principaliter invenimus apostolos,in angulari lapide copulamur : Hinc ait Dominus : « Alias oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, illas oportet me adducere, ut sit unus grex et unus pastor (*Joan.* X). » Quare fidelis populus magis est Israel, et potius videtur esse domus Jacob,quam turba illa Judæorum ? Nam cum illa. merito perfidiæ reprobata,vendiderit primogenita sua, non ad Jacob,sed ad Esau pertinet.

In exitu Israel de Ægypto. Vox Prophetæ exhortantis nos ut de Ægypto exeamus,et in Judæa sanctificemur.Quod dicit: « In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro,» id est,cum exibit « Israel de Ægypto et domus Jacob de populo barbaro, » *facta est Judæa*, id est fiet *sanctificatio ejus*. Ægyptus interpretatur *afflictio*, et ponitur pro imagine hujus sæculi, ex qua spiriritualiter recedendum est, ne simus jugum ducentes cum infidelibus (*II Cor.* VI), quia sicut populus ille terram promissionis intrare non potuit, nisi prius ab Ægypto exiret, ita nullus cœlestis Jerusalem fit civis idoneus, nisi prius huic in sæculo ne-

quam renuntiaverit. Et sicut populus ille sine divino auxilio exire non potuit, sic nemo corde ab hoc sæculo nequam avertitur, nisi divinæ misericordiæ munere adjutus. Quod enim semel illic præfiguratum est, hoc in isto fine sæculi quotidianis Ecclesiæ fletibus in unoquoque credente completur. Quotidie enim exit Isreel de Ægypto, cum fidelis spiritualiter exit de hoc mundo. Unde Paulus : « Nolo vos ignorare, fratres, quoniam omnes patres nostri sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt (*I Cor*. x), » et cætera. « Domus Jacob de populo barbaro. » Populus barbarus est, qui non novit Deum laudare, sed carnalibus operibus inhærere. « Facta est Judæa sanctificatio ejus. » Ecce ostendit quo perveniendum sit illi qui exit de Ægypto, in Judæam scilicet ubi jam sanctificatur. Quid Judæa nisi confessionem designat? Per quam confessionem quisque exiens de Ægypto sanctificatur, juxta illud : « corde creditur ad justitiam, ore autem con- « fessio fit ad salutem (*Rom*. x). » Israel potestas ejus. » Unde illud : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (*Joan*. xii). » Interroget ergo unusquisque cor suum, si fides illud circumcidit, si confessio purgavit : et *facta est* illi *Judæa sanctificatio ejus*, et *Israel potestas ejus. Mare vidit, et fugit*. Quid per mare, nisi sæculum nequam designatur? quod cuique fidelium est impedimentum, ut non habeat cor per confessionem purgatum? Nam unusquisque in seipso potest videre, cum cor suum Domino vult applicare, ejusque suavi jugo, recedens a pristinæ, ignorantiæ desideriis, devotum animum subdere, carnalibusque hujus mundi factis relictis in quibus sine fructu laborabat, tanquam in Ægypto latens sub dura dominatione diaboli facere, qualiter sæcularia impedimenta succedunt voces dissuadentium, sed dum quisque studet ne impedimento sæculari a bono proposito retrahatur, jam cessantibus impedimentis, *mare fugit*, ut sine contradictione ad libertatem spiritualem pandatur via. Quod dicit : *Mare vidit, et fugit*. Hoc Micheas propheta aliis verbis dicit sic : « Secundum, inquit, diem prefectionis eorum ex Ægypto, ostendam mirabilia illis. Videbunt nationes, et confundentur ab omni robore eorum, manibus ora sua obstruent, aures illis obsurdentur (*Mich*. vii), » et cætera. *Jordanis conversus est retrorsum*. Hic increpat Spiritus quosdam qui dorsum suum ad Dominum posuerunt, et non faciem. Quisquis enim principium suum deserit et a Creatore suo avertitur, tanquam fluvius in mare, labitur in hujus sæculi amaricantem malitiam. Sed dum se errasse cognoverit, et cor suum per confessionem purgaverit, jam *Jordanis conversus est retrorsum*, quia ipse humiliatus: Deum sibi redeunti ponit ante faciem, quem recedens sibi a tergo posuerat, et sic fit illi mare sæculi hujus retro, quod ante, cum illic laberetur, fecerat, ut sic obliviscatur ea quæ retro sunt, et in ea quæ anteriora sunt extendatur (*Phil*. iii), quod converso jam utile est. *Jordanis conversus est*

A *retrorsum*, id est, illi qui gratiam baptismi perceperunt, sed in hoc sæculo nequam aberrabant, humiliati ad Deum conversi sunt. Unde *montes*, id est, prælati in Ecclesia, *exsultaverunt* Deo adjutori, non sæculo deceptori. *Exsultaverunt*, dico, *ut arietes*, id est, gregum duces, *et colles*, id est, imitatores montium, *exultaverunt sicut agni ovium*. « Quid est tibi, mare, quod fugisti, et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum? » Propheta videns Deum sic mirabiliter operari in suis, non ignorando, sed congratulando sibi, hæc sub interrogatione dicit. « Quid est tibi, mare, quod fugisti, et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum ? » Et quid vos, o « montes, exsultastis sicut arietes, et colles sicut agni ovium ? » Ecce quare. Quia *a facie Domini mota est terra*, id est, a
B cogitatione Domini movebuntur corda terrenorum. *A facie Dei mota est terra*, *Dei*, dico, non recentis, sed *Dei Jacob*. Et quomodo hoc? Quia « convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum. » Christus petra fuit, qui durus videtur non intelligentibus, sed conversus est *in stagna aquarum*, quia tandem duritiam liquefecit, cum intelligibilem se dedit ad irrigandos fideles suos, ut fieret in eis *fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan*. iv). Durus fuit Christus illis, qui turbati nolentes exspectare, donec per Scripturas sacras eis influeret atque inundaret, dixerunt : « Durus est hic sermo, quis potest eum audire (*Joan*. vi)? » sed duritia *in stagna aquarum* conversa est, cum ipse, resurgens a mortuis, fidelibus suis Scripturas aperuit, incipiens a Moyse per omnes prophetas, *quia sic oportebat Christum*
C *pati* (*Luc*. xxiv), et cum misit Spiritum sanctum (*Joan*. vii) de quo dicebat : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Act*. ii). Per rupes intelliguntur sancti prædicatores, Paulus et cæteri, qui conversi sunt *in fontes aquarum*. Unde : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » De *misericordia tua*, id est, de restauratione humani generis desuper data, *et veritate tua*. Veritas Domini est qua complentur promissa. « Ne quando dicant gentes : Ubi est Deus eorum ? » Quasi dicat : Da gloriam nomini tuo de *misericordia et veritate* : da etiam istud, *ne gentes* quæ deos suos corporalibus oculis videndos ostendunt, quando, id est, aliquando *dicant* improperando tuis : *ubi est Deus eorum*? licet nunc dicant cum te, Deum corporalibus
D oculis videre non possunt. Veniet autem tempus quando gentes hæc non dicent, in novissimo videlicet quando eis non adhuc credendas prædicabitur, sed jam tremendus ostendetur. Vel non *dicant* aliquando, *ubi est Deus eorum* ? sed credant potiusin eum quem non vident, cum viderint cæcos illuminari, leprosos mundari (*Luc*. viii). Deus autem noster in cœlo omnia quæcunque voluit fecit. » Quasi dicat : Ipsi dicunt : *Ubi est Deus eorum*, quia eum substantialiter non vident. *Deus autem noster* præter quem non est alius, licet in substantia sua videri non potest, *omnia quæcunque voluit fecit in cœlo*, id est, in illis quos cœlos fecit, id est, sanctos

Nota quia non ideo dicit tantum *in cœlo* Deum operari quod vult, quod usquam fiat aliquid præter voluntatem ejus, in his videlicet qui bene faciunt, sed quia *in cœlo* maxime voluntas sua apparet. Vel, *in cœlo* quod vult operatur, id est, in homine Dominico, a Verbo assumpto, *fecit quæcunque voluit*. Dii vero gentium nihil operantur, quia non sunt dii, nec etiam homines, quia *simulacra gentium* sunt *argentum et aurum, opera manuum hominum*. Unde Augustinus: « Noli addere manus hominum, ut ex eo metallo quod fecit verus Deus, facias falsum deum, imo falsum hominem, quem non pro deo venereris, quem quisquis pro vero homine in amicitiam reciperet, prorsus insaniret. » Et quia « os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient : nares habent, et non odorabunt. Manus habent, et non palpabunt : pedes habent, et non ambulabunt : non clamabunt in gutture suo. » Per hoc quod dicit eos non clamare *in gutture suo*, aufert eis quia nec bestiæ possunt esse. Unde *similes illis fiant qui faciunt* ea, *et* non tantum *qui faciunt*, sed etiam *omnes qui confidunt in eis fiant similes illis*, habentes oculos interiores, et non videant : *Manus habent, et non palpabunt*, id est, nihil boni operentur. *Domus* vero *Israel*, id est, minores in Ecclesia, speraverunt *in Domino*, et ideo *adjutor eorum* est in bonis, *et protector* in malis. *Domus* etiam *Aaron*, id est, majores, et Synagoga, qui ideo per Aaron intelliguntur, quia Aaron prælationem sacerdotii in Synagoga tenebat; omnes illi *Speraverunt in Domino*, et Dominus *adjutor eorum et protector eorum est*. Et non tantum *domus Israel et Aaron* sperent *in Domino*, sed etiam omnes *qui timent Dominum* sperent *in Domino* et ipse *adjutor eorum, et protector eorum est*, et hoc non ex operibus nostris, sed ex vocante gratia (*Rom.* IX), quia « Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis. Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron, » et de pariete, et circumcisione. *Benedixit* etiam *omnibus qui timent Dominum*, id est, parieti de præputio, *pusillis cum majoribus*. Et ut plena sit benedictio, adjiciet *Dominus super vos* numerum fidelium, *super vos, et super filios vestros*, ut vobis vestris decedentibus substituat alios, ipsisque iterum decedentibus, alii substituantur: quod et factum est : quia accessit fides omnium gentium, et crevit numerus, non solum sapientium antistitum, sed etiam obedientium populorum, quod dicit: « Adjiciat Dominus super vos, et super filios vestros, » et « vos benedicti » sitis « a Domino, qui fecit cœlum et terram ; » id est, majores et minores : et *cœlum cœli Domino*, subaudis colendum, fecit, quia quorumdam sanctorum mentes in tantum erexit et sublimavit ut nulli hominum, sed ipsi Deo suo docibiles fierent, juxta Apostolum : « Notum, inquit, vobis facio, quia Evangelium quod evangelizatum est a me, non ab homine accepi, neque dedici, sed per revelationem Jesu Christi (*Gal.* I). » Hic idem Apostolus *cœlum cœli* fuit, qui quosdam sic introduxit, velut Timotheum, ut alii cœlum fierent : quod dicit : *Cœlum cœli Domino, terram autem*, id est, illos qui adhuc imperfecti erant, *dedit filiis hominum*, subaudis colendos, quia multi per Timotheum ad fidem vocati sunt. Vel *cœlum cœli* possumus hominem accipere Dominicum: quia a nullo magistro, sed a se tantum Domino colebatur. Unde, *nos qui vivimus* vita interiori, *benedicimus Domino*, et *hoc nunc*, id est, indilate et *usque in sæculum*. Et vere a viventibus benedicendus es, Domine : quia *non mortui*, id est, illi qui similes sunt simulacris suis, *laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*, id est, in profunditatem peccatorum, « sed nos qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc et usque in sæculum.

PSALMUS CXIV.

ALLELUIA.

« Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem ora-« tionis meæ. Quia inclinavit aurem suam mihi, et in « diebus meis invocabo. Circumdederunt me dolores « mortis, et pericula inferni invenerunt me. Tribu-« lationem, et dolorem inveni, et nomen Domini « invocavi. O Domine, libera animam meam : mise-« ricors Dominus et justus, et Deus noster misere-« tur. Custodiens parvulos Dominus : humiliatus « sum, et liveravit me. Convertere, anima mea, in « requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia « eripuit animam meam de morte, oculos meos a « lacrymis, pedes meos a lapsu. Placebo Domino in « regione vivorum. »

ENARRATIO.

Alleluia. Cantat in hoc psalmo *Alleluia* illa, quæ peregrinatur a Deo (*II Cor.* V), ovis illa quæ perierat (*Luc* XV), filius ille qui mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est (*Ibid.*). Et recognoscens filius iste in Domino tantum esse sperandum, et credendum, instruit nos hic, ut Deum hic amemus, in eum nunc speremus et credamus, ut tantum *in regione vivorum* sibi placeamus. Cantemus ergo, fratres, et erudiamur, et ut permaneamus cum sanctis, ista cantemus.

« Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ : quia inclinavit aurem suam mihi. » Tria nobis hic proponuntur, fides, spes charitas. Sed quoniam major est charitas (*I Cor.* XIII), a charitate sic incipit : *Dilexi*, et hoc ideo, *quoniam speravi*, quod effectum ostendit. « Quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. » Pro hoc quod speravit, promeruit ut Dominus exaudiret « vocem orationis » suæ. « Quia inclinavit aurem suam mihi. » Unde sciamus *aurem Domini* nobis inclinatam nisi in hoc quod in eum per fidem credimus ? Sic hic tria notantur, fides, spes, charitas : quarum trium altera ex altera procedit. Fides autem accendit spem, et spes dilectionem. « Quia inclinavit aurem suam mihi, et ideo in diebus meis, in diebus » mortalitatis et passibilitatis, quos dies meos fecit in primo homine, privata audacia a Deo recedendo : illis diebus *invocabo* Dominum, et opus est, quia « circumdede-

runt me dolores mortis, » id est, compedes mortalitatis, *et pericula inferni*, id est, tenebræ ignorantiæ *invenerunt me*, dum a regione lucis in qua positus fui, discessi : quia si ibi remansissem, non me invenissent *dolores mortis* vel ignorantiæ tenebræ. Et sic ego tandem *tribulationem* mihi utilem *inveni et dolorem* etiam utilem mihi *inveni*; non *inveni tribulationem* quam non habebam, sed eam, quam nesciens habebam, *tribulationem* illam de qua dictum est : « Da nobis auxilium de tribulatione (*Psal.* LIX). » *Inveni* etiam *dolorem* utilem, quia cum putabam beatificari terrenis, et audirem Dominum dicentem, « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v) : » utilius mihi esse attendi lugere quam gaudere. Nec tamen movemur ut quæramus miseriam, cum hoc non habemus, sed ut nos inveniamus eam quam nescientes habemus. Nec etiam a nobis quæritur, ut omnino terrenis careamus, sed ut inde lugeamus, quod amissis cœlestibus, terrenis ut nobis necesse est. Agnoscant ergo homines miseriam istam, et lugeant, et faciant eos lugentes beatos, qui se hic semper volunt esse miseros. « Tribulationem, et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi, » dicens : « O Domine, libera animam meam, misericors Dominus » in affectionibus : *justus*, quia flagellat etiam filium quem recipit (*Hebr.* XII). Invocavi, « et Deus noster miseretur : » quia ipse « Dominus » est « custodiens parvulos, » id est, humiles. Unde mihi experto credendum est, « quia humiliatus sum, et liberavit me. » Et quia liberatus, « convertere, anima mea, in requiem tuam, » id est, ad Dominum tuum, qui tantum requies est : et hoc quod tu converteris, non ex te habes, sed per gratiam Dei. *Quia Dominus benefecit tibi*, in hoc videlicet, *quia eripuit animam* tuam *de morte*, id est, de originali peccato, vel de carnali crimine, *et oculos meos a lacrymis*, ut non jam plorem miseriam meam, de qua per spem liberatus sum. *Eripuit* etiam *pedes meos*, id est, afflictiones *a lapsu*, id est, a consensu pravo, qui causa fuit lacrymarum : et ego his omnibus ereptus, *placebo Domino* tandem *in regione vivorum*, non in regione morientium.

PSALMUS CXV

ALLELUIA.

« Credidi, propter quod locutus sum, ego autem » humiliatus sum nimis. Ego dixi in excessu meo : « Omnis homo mendax. Quid retribuam Domino pro « omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem salutaris « accipiam, et nomen Domini invocabo. Vota mea « Domino reddam coram omni populo ejus, pretiosa « in conspectu Domini mors sanctorum ejus. O Do- « mine, quia ego servus tuus : ego servus tuus et « filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sa- « crificabo hostiam laudis, et nomen Domini invo- « cabo. Vota mea Domino reddam in conspectu om- « nis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio « tui Jerusalem. »

ENARRATIO.

Alleluia. Credidi propter quod locutus sum. Vox

A est sanctorum martyrum in hoc psalmo instruentium et docentium nos, ut quod corde credimus ore non taceamus (*Rom.* x), nec antequam credamus loquamur, sed cum credidimus, loqui etiam non dubitemus : quia non perfecte credunt, qui id quod credunt nolunt loqui. Ad ipsam enim fidem pertinet quod dictum est : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram angelis Dei (*Luc.* XII). » Ex hoc enim appellatus est servus ille fidelis, cui dictum est : « Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium (*Matth.* XXV), » quia non tantum accepit, sed impendit, et lucratus est. Servus autem ille qui quod accepit proximis non erogavit, missus est in tenebras exteriores (*Ibid.*). Credamus ergo et loquamur : et speremus præmium loquendo, et timeamus pœnam tacendo. Dicit autem sic :

B *Credidi propter quod*, quia *credidi*, *locutus sum*, quia qui non loquitur, si opus fuerit, pro credente non est reputandus. *Ego autem* loquendo *humiliatus sum nimis*. Pro persecutionibus videlicet et contumeliis affectus tantum ut in stuporem traderer. Notandum est quod dicit : *Ego humiliatus sum*. In hoc enim vult ostendere se tantum humiliatum, non fidem suam, non prædicationem suam quam prædicavit esse humiliatam. Unde Paulus cum de catena sua loqueretur : « Sermo Dei, inquit, non est alligatus (*II Tim.* II). » « Ego autem humiliatus sum nimis, et ego dixi in excessu meo, » id est, in pavore mentis meæ attendi, nulli homini de se esse præsumendum, quia *omnis homo* de se præsumens, *mendax* est. Quod ego, dum loquendo verbum Dei humilia-

C rer, percepi : quia contritus respexi infirmitatem, et vidi non mihi de me esse præsumendum, quia *mendax* est qui de se præsumit. Hoc Petrus comperit, dum pro timore Deum negavit, qui, de se præsumendo, prius nunquam negaturum proposuit, et ideo docendus erat in timore, in homine non esse præsumendum, sed de eo qui verax est (*Rom.* III), et qui ait : « Ego dixi, dii estis, et filii Altissimi omnes (*Psal.* LXXXI). » In hoc enim quod non sumus mendaces, non homines sumus, sed *dii*. Vel aliter, *Omnis homo mendax*, id est, omnis conditionis *homo mendax*, quia in omni conditione reperiuntur aliqui qui potius mendacio quam veritati student. « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? » Quasi dicat. Quandoquidem *omnis homo* in quantum *homo* est,

D et de se præsumens, *mendax* est : et in quantum verax, non a se, sed a Domino habet, « quid » ergo « retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? » Retribuit Deus bona pro malis cui homines tribuerunt mala pro bonis. Tribuerunt homines mendacium, ipse tribuit veritatem. *Calicem salutaris accipiam.* Considerans iste quid Domino posset retribuere, et non inveniens quid dignius retribueret quam in quod ipse prior dedit, subsecutus ait : « Calicem salutaris accipiam, » id est, salutiferam passionem Domini imitabor, *et* in hoc non de me præsumam, sed « nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam, » me ipsum videlicet et hoc non in occulto, sed *coram*

omni populo ejus, ut exemplum habeant de me imitandi passionem Domini. Et ideo hæc *vota reddam*, quia *pretiosa in conspectu mors sanctorum ejus*, etsi in conspectu hominum sit contemptibilis. Vel *pretiosa* est, quia magno pretio empta est, proprio videlicet sanguine, quem prior fudit pro nobis : et hoc ideo ne servi suum pro eo dubitarent fundere. « O Domine, quia ego servus tuus, et filius ancillæ. tuæ. » Quasi dicat : quia *in conspectu* tuo *mors sanctorum pretiosa* est, ideo, Domine, *tibi sacrificabo hostiam laudis*, meipsum videlicet pro te finiendo vitam. Et merito Deum voco, quia *ego* sum *servus tuus*, emptus videlicet pretioso sanguine tuo, et non tantum emptus, sed naturaliter, qui *filius ancillæ tuæ : ancillæ*, tamen liberæ a peccato, sed *ancillæ* justitiæ, cujus *filius* adhuc prægnantibus dicitur : « Vos in libertatem vocati estis (*Gal.* v). » Et alibi eisdem dicitur : « Cum serviebatis peccato, liberi eratis a justitia. Nunc vero liberi a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam (*Rom.* vi). » Quod nullus erubescat se confiteri filium *ancillæ* Domini, quia quisque *filius ancillæ*, secundum quod omnis creatura subdita est Creatori, et verissimo Deo debet verissimum famulatum : quem cum exhibet, liber est : hanc accipiens a Deo gratiam, ut ei non necessitate, sed voluntate serviat.

Ego filius ancillæ tuæ. Et merito, quia tu *disrupisti vincula mea*, ne me invincularent inimici : vel *dirupisti vincula*, id est, difficultatem resistendi moribus veteris hominis. Pro qua difficultate rupta, « tibi sacrificabo hostiam laudis, et *sacrificando* nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus. » Et quid sit vota reddere *in conspectu populi*, subjungit : « In atriis domus Domini, » id est, in ecclesiis quæ atria dicuntur domus Domini, *reddam vota mea*, positus *in medio tui Israel :* nihil attendens in reddendis votis nisi ut ad visionem pacis perveniam, quia tunc gratum est quod redditur, si de pace atque in pace redditur. Ne quis autem existimet atria domus Domini, et omnem populum ejus Judæos significare, quia sic clausit psalmus iste ut diceret, « in medio tui Jerusalem, » cujus nomine carnales Israelitæ gloriantur, audiamus sequentem psalmum sic dicentem :

PSALMUS CXVI.

ALLELUIA.

« Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, « omnes populi. Quoniam confirmata est super nos « misericordia ejus, et veritas Domini manet in « æternum. »

ENARRATIO.

Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi. Quia tam gentes quam Judæi ad domum Dei vocatæ sunt, audiant hæc verba qui filii Jerusalem esse noluerunt, cum se ab omni gentium communione præciderint. « Laudate eum, omnes populi, quoniam » in nostra reparatione « confirmata est super nos misericordia ejus » id est, pro-

A missio ejus, « et veritas Domini, » id est, completio ejus promissionis « manet in æternum, » quia licet « transit mundus et concupiscentia ejus (*I Joan.* ii), verbum tamen Domini manet in æternum (*Isa.* lx).

PSALMUS CXVII.

ALLELUIA.

« Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam « in sæculum misericordiæ ejus. Dicat nunc do- « mus Israel, quoniam bonus, quoniam in sæculum « misericordia ejus. Dicat nunc domus Aaron, quo- « niam bonus, quoniam in sæculum misericordia « ejus. Dicat nunc omnes qui timent Dominum, « quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia « ejus. De tribulatione invocavi Dominum, et exau- « divit me in latitudine Dominus. Dominus mihi ad-
B « jutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus « mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos. « Bonum est confidere in Domino quam confidere « in homine. Bonum est sperare in Domino quam « sperare in principibus. Omnes gentes circumierunt « me, et in nomine Domini quia ultus sum in eos. « Circumdantes circumdederunt me, et in nomine « Domini quia ultus sum in eos. Circumdederunt « me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis « et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Im- « pulsus, eversus sum ut caderem, et Dominus sus- « cepit me. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, « et factus est mihi in salutem. Vox exsultationis « et salutis in tabernaculis justorum. Dextera Do « mini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, « dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, sed
C « vivam, et narrabo opera Domini. Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. « Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas con- « fitebor Domino : hæc porta Domini, justi intra- « bunt in eam. Confitebor tibi quoniam exaudisti « me, et factus es mihi in salutem. Lapidem quem « reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput « anguli. A Domino factum est istud, et est mira- « bile in oculis nostris. Hæc est dies, quam fecit « Dominus, exsultemus, et lætemur in ea. O Domi- « ne, salvum me fac, o Domine, bene prosperare, « benedictus qui venit in nomine Domini. Benedi- « ximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, et « illuxit nobis. Constituite diem solemnem in con- « densis usque ad cornu altaris. Deus meus es tu,
D « et confitebor tibi : Deus meus es tu, et exaltabo « te. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et fa « ctus es mihi in salutem. Confitemini Domino quo « niam bonus, quoniam in sæculum misericordia « ejus. »

ENARRATIO.

Superior psalmus qui in se habuit, *adjiciat Dominus super vos* (*Psal.* cxiii), insinuavit nobis quibus associati sumus in gratia illius quibus est, et cujus in sæculum misericordia est. Israelitis enim in Christo credentibus (ex eorum numero sunt apostoli Patres nostri), associati sumus in uno angulari lapide, ut simus unus grex sub uno pastore cum illis prio-

ribus. Quorum vox est in hoc psalmo ad laudem A Dei nos instruentium et sic dicentium :

« Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus » est, subaudis perduratura. Non potuit laus Dei brevius explicari, quam ut bonus esse confiteretur : sibi enim proprium est soli quod bonus est. Ipse enim, cum audiret, *Magister bone*, ab eo scilicet qui carnalibus oculis intuens, et divinitatis plenitudinem non intelligens, solum hominem arbitrabatur, respondit dicens : « Quid me interrogas de bono ? nemo bonus nisi solus Deus (*Matth.* XIX, *Marc.* X, *Luc.* XVIII). » Quasi dicat : Si bonum me vis appellare, intellige me etiam Deum. « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicat nunc, » id est, indilate *domus Israel*, id est, B minores in Ecclesia exhortentur alios, dicentes : « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus : dicat nunc domus Aaron, » id est, majores etiam dicant : « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. » *Dicant* etiam conversi non tantum ex Judæis, sed etiam « omnes qui timent Dominum : Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. » Et merito ei confitendum est, quia ego *de tribulatione*, id est, propter tribulationem mortalitatis et passibilitatis delendam, « invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus, » in latitndine videlicet dilectionis, ut in charitate ad omnes cor nostrum extenderetur. *Arcta* enim *via est quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII), et non curritur tamen ad illam nisi dilatato corde. Merito C Dominum invocavi, quia *Dominus mihi adjutor* est, et ideo *non timebo quid faciat mihi homo*. Et quia Ecclesia non solum homines habet inimicos, sed etiam angelos malos a quibus necesse est ut liberetur, subjungit adhuc : « Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos, » quia, ex quolibet genere inimici surgant, sive ex numero malorum angelorum, sive ex numero malorum hominum, in Deo adjutorio despicientur. Despectis ergo inimicis, non ultra se offerat mihi homo ut in se jubeat spem collocari, quia *bonum est confidere in Domino*. Et non simpliciter *bonum*, sed melius « quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, » et melius est *quam sperare in principibus*, id est, in angelis, quia etsi juvant et homo et angelus, ille tamen per D eos hæc operatur qui pro modo eorum et pro nostra necessitate eos facit bonos. *Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus*, et inde experto mihi credendum est, quia *omnes gentes circumierunt me*, *et* hoc factum est *in nomine Domini*, subaudis glorificando, *quia ultus sum in eos*, quosdam ex illis mihi concorporando. Hic notantur labores quos passi sunt patres nostri in primitiva Ecclesia, cum dicit : *Omnes gentes circumierunt me*, quia, cum apostoli singuli singulas provincias susciperent convertendas, non hoc fidelibus est inauditum et incognitum quanta gentium persecutione circumdati sunt, sed gaudendum est, quia victoriam obtinuerunt ; quod notatur ubi dicit « quia ultus sum in eos : Circumdantes circumdederunt me, » id est, nimia circumdatione *circumdederunt me*, *et in nomine Domini* glorificando, « quia ultus sum in eos. Circumderunt me sicut apes. » Notandum est, quia, cum apes circumdant favum, mellitum eum reddunt: sic persecutores sua persecutione sanctos circumdantes quasi mellitos eos reddunt, quia eos dulciores et delectabiliores ad imitandum faciunt: quia quanto plus tribulantur sancti, tanto plus eorum constantiam alii student imitari. *Et exarserunt sicut ignis in spinis*. Ignis cum a pastoribus in spinis ponitur non truncum lædit, sed quod siccum reperit adhærens trunco comburit ; sic persecutores, cum adhibeant tormenta non lædunt animam, sed corpus quod est quasi indumentum animæ. Unde illud « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X). » « Et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. » Vel sic : *Circumderunt me sicut apes* Apes, cum lædunt alios, vitam in vulnere ponunt : sic persecutores cum putant alios lædere seipsos interficiunt morte interiori, quia nemo prius in se quam in alterum peccat ; « impulsus, eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me, » id est, sustinuit me ne caderem; juxta illud: « Justus septies in die cadit, et resurgit (*Prov*, XXIV). » Et quia a Domino, non a meipso substentatus sum, sit *fortitudo mea Dominus*. Unde Paulus : « Omnia, inquit, possum in eo qui me confortat, et laus mea Dominus (*Phil.* IV), » id est, ipse Dominus sit laudandus, non ego, *et* hoc ideo, quia *factus est mihi in salutem*, non *factus* quod prius non eram. Et ideo sit *fortitudo mea Dominus*, et non ego ipse, quia qui in sua fortitudine confidunt cadunt cum impelluntur. Nullus autem in certamine cadit, nisi cujus fortitudo et laudatio cadit. Sit ergo *Dominus fortitudo* et laudatio nostra, ut cum eo stemus qui nunqum cadit : *et factus est mihi in salutem*. Unde sit « vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum, » id est, in fidelium cordibus, ubi putant persecutores esse vocem mœroris et tristitiæ, sit *vox exsultationis* et lætitiæ. Unde Paulus : « Non solum, ait, gloriamur in spe, sed etiam gloriamur in tribulationibus (*Rom.* V), » et hæc omnia ex Deo sunt, quia *dextera Domini fecit virtutem*, hanc « virtutem, dextera Domini exaltavit me. » Et ne exaltati de nobis præsumeremus subjungit *; dextera Domini fecit virtutem*.

Quæ major virtus quam exaltare humilem, vivificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de subjectione gloriam, de passione victoriam, dare auxilium de tribulatione ut afflictis vera salus Dei patesceret et affligentibus vana salus hominis remaneret. *Dexterra Domini fecit me*, et ideo *non moriar* morte interioris hominis consentiendo videlicet persecutoribus, meis, *sed vivam* in Domino, cujus *dextera me exaltavit*. Unde Paulus : « Vivo, inquit, jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II), » « et narrabo opera Domini: » quia « neque mors, neque vita separabit me a charitate Christi (*Rom.* VIII) : » sed semper inno-

tescam aliis sua opera et merito, quia « castigans castigavit me Dominus» renovando me spiritu interius, licet exterior homo corrumpatur. Non ergo quidquam viribus suis licuisse arbitretur fremitus impiorum in persecutione fidelium, quia paterfamilias sæpe per nequissimos servos corrigit filios, cum servis tamen compedes paret, et filiis hæreditatem servet. « Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.» Et quia in hac castigatione morti non tradar, vos persecutores mei *aperite mihi* persecutione vestra *portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino*, id est, gloriabor in Domino, non in meipso. Porta justitiæ, ut justus ex fide vivat (*Rom.* I) et patienter in spe exspectet promissiones quæ reservate sunt ei in futurum. Hæc spes magis accenditur in unoquoque fideli cum sustinet persecutiones ab infideli : « hæc porta Domini, justi intrabunt in eam. » Quasi dicat : Ideo rogo ut aperiantur mihi portæ justitiæ, ut ingrediens confitear Domino, quia hæc talis porta est Domini; ipse enim prius intravit per hanc portam, quia prior passus nobis exemplum patiendi intravit per hanc portam intraturi sunt soli justi. « Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem : » quasi dicat: Dixi ut aperirentur mihi portæ justitiæ : quod fiet, quia ego jam ingrediens, « confitebor tibi, » o Domine, « quoniam exaudisti me » etiam in ipsa exauditione « factus es mihi in salutem. » Hæc confessio non vulnus medico detegit, sed de sanitate gratias agit. « Factus es mihi in salutem, » et hoc modo : quia « lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Lapis iste Christum fuit, « quem reprobaverunt ædificantes,» Judæi videlicet, qui de littera præsumentes, suam justitiam statuere voluerunt, ut justitiæ Dei non essent, subjecti (*Rom.* X). Sed ab illis reprobatus, « factus est in caput anguli,» ut in se uniret novum hominem duos populos, populum videlicet præputii et circumcisionis. Et hoc quod lapsi ille « factus in caput anguli, a domino factum est, » quia licet hoc non esset factum nisi passus esset, non tamen ab eis a quibus *factus est*, lapis angularis processit sed a Domino : « et est mirabile in oculis nostris,» interioribus videlicet, licet Judæis sit scandalum, gentibus stultitia (I *Cor.* I). « Hæc est dies quam fecit Dominus :» quem diem videre Abraham exsultavit « vidit et gavisus est (*Joan.* VIII). » Et nos ergo *exultemus et lætemur in ea*, quia hæc est dies redemptionis nostræ, non dies miseriæ quam ipsi nobis fecimus. Unde superius dictum est. « Et in diebus meis invocabo te (*Psal.* CXIV). » *Hæc* est *dies* Domini de qua dictum est: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI).» « Exsultemus et lætemur in ea,» dicentes: « O Domine, salvum me fac, o Domine bene prosperare : » id est, prosperum iter nobis para : et opus est ut prosperentur tui, quia tu es *benedictus qui* venturus es *in nomine Domini*, quærens ut idonea membra tibi addantur capiti. « Benediximus vobis de domo Domini.» Ecce

A vox illorum de primitiva Ecclesia benedicentium posteriores et sic dicentium: *Benedictus qui* venturus est *in nomine Domini*. Et nos *de domo Domini* entes id est, Deum mente attingentes, *benedicimus vobis*, id est, annuntiamus, quia *Dominus* Christus est *Deus* Deo Patri æqualis : *et* ipse *illuxit nobis*, ut intelligeremus quod credimus et vobis nondum intelligentibus, sed credentibus, nuntiaremus. Ut autem et vos intelligatis, « constituite diem solemnem, » separantes vos a carnalibus desideriis, et a mortuis operibus, ut divinæ contemplationi satagatis (*I Petr.* II). Et hoc non segniter agite, sed *in condensis*, id est in frequentationibus, procedentes « usque ad cornu altaris,» id est, usque ad altiora velaminis (*Hebr.* VI), ut intelligatis ejus interiorem divini-
B tatem, qui nobis exteriorem humanitatem lacte nutriendis (*Hebr.* V) præbere dignatus est. Nota quod dicit, usque ad cornu altaris, » Mos enim fuit Judæorum ut in Paschali festo Hierosolymam convenirent, *diem solemnem* celebraturi. Et quia magna fuit multitudo cum in templo congregabantur, impellebant *usque ad cornu altaris*, ut ibi starent. Qui ergo *diem solemnem* constituit procedat ad cornua *altaris*, intelligens in humanitate divinitatem, ubi altare est excelsum, super quod altare sacrificatur sacrificium laudis. « Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris, » dicentes : *Deus meus es tu. et* ego creatura « confitebor tibi, Deus meus es tu, et exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem, » dicens etiam proxi-
C mis : « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. »

PSALMUS CXVIII.

ALLELUIA.

« ALEPH. — Beati immaculati in via, qui ambu-
« lannt in lege Domini. Beati qui scrutantur testimo
« nia ejus in toto corde exquirunt eum. Non enim
« qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambu-
« laverunt. Tu mandasti mandata tua custodiri
« nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodien-
« das justificationes tuas. Tunc non confundar,
« cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Con-
« fitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici
« judicia justitiæ tuæ. Justificationes tuas custo-
D « diam. non me derelinquas usquequaque. »

ENARRATIO.

Psalmus iste ab exordio suo ad beatitudinem nos hortatur quam nemo est qui non appetat. Nullus enim est qui non vult esse beatus. Quid igitur exhortatione opus est ad eam rem quam sua sponte animus appetit humanus ? Nam profecto qui exhortatur, id agit, ut excitetur voluntas ejus cum quo agit, ad illud propter quod exhortationis adhibetur alloquium. Utquid ergo nobiscum agitur, ut id velimus, quod nolle non possumus? nunc quia omnes beatitudinem quidem concupiscunt, sed quo ordine ad eam pervenia-

tur, plurimi nesciunt, ideoque hoc docet psalmus iste, qui sic dicit :

« Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. » Tanquam si diceret : Scio quid vis, beatitudinem quæris : ergo si vis esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo tamen non pervenitur ad id quod omnes volunt. Et ubi debes esse immaculatus ? *In via*. Quid autem sit esse immaculatum in via subjungit : *Qui ambulant in lege Domini*. Illi enim *immaculati* sunt *in via*, qui *in lege Domini* delectantur, per quam legis delectationem pervenitur ad beatitudinem. Non superflue nobis dicitur quod sic exprimitur, sed exhortatio necessaria nostris mentibus adhibetur. Quid enim boni sit, ad quod multi pigri sunt, id est, immaculatos ambulare in via, quæ lex Domini est, sic ostenditur, cum beatos esse qui hoc faciunt, indicat : ut propter illud quod omnes volunt et hoc fiat quod plurimi nolunt. Beatum quippe esse, tam magnum bonum est, ut hoc velint boni et mali. Nec mirum est, quod boni propterea sunt boni, ut sint beati : sed illud est mirum, quod mali, ideo sunt mali, ut sint beati. Nam quisquis avaritiæ facibus inardescit, libidinibus effluit ; ad hoc tendit, ut quoquo modo ad beatitudinem perveniat, cum potius ad summam miseriam deveniat. Quibus via qualiter ad beatitudinem perveniendum sit, ostenditur : tanquam eis sic diceretur. Quod pergitis ? quos his de viis pervenire desideratis ? Relinquite malignitatem ; qui non potestis amittere beatitudinis voluntatem : frustra tendendo fatigamini, quo perveniendo inquinamini. Sitis ergo immaculati, qui vultis esse beati. *Beati* vero sunt *qui scrutantur testimonia ejus*, id est, Scripturas sacras quæ testimonium ejus dicuntur, quia eum testantur. Et quoniam multi Scripturas investigant ad hoc tantum ut sciant, non ut habeant quod faciant : ostendit quia beati sint, cum scrutantur testimonia Domini, illi videlicet, qui *toto corde exquirunt eum* in ipsis Scripturis non tantum intelligendo Scripturas, sed ex præcepto Scripturarum bene operando. « Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Illi qui sunt immaculati, ambulant in lege Domini. Nam illi qui operantur iniquitatem, et ideo maculati, non ambulant, id est, non delectantur in viis ejus. Hic quæritur cum omne peccatum sit iniquitas, nullus autem sine peccato, qualiter aliquis ambulet in lege Domini, cum illi qui operantur iniquitatem, non ambulant. Nullus enim sine peccato est. Unde Joannes : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetiptos seducimus, et veritas Dei in nobis non est (*I Joan.* I). » Quid ergo dicemus ? Nunquid nullus ambulat in lege Domini ? Num Paulus non ambulavit qui dixit, » Bonum certamen certavi cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ in illo die ? »

A *II Tim.* IV. Nunquid et iste sine peccato nunquid se seducit ? Audiamus ipsum dicentem, et se sine peccato non esse confitentem. Dixit enim : « Non quod volo hoc facio, sed quod habitat in me peccatum (*Rom.* IV). » Ipse enim egit quod noluit, quia tentatus ab illicitis desideriis, consensum non præbuit, nec ad operationem perduxit. Illicita autem desideria a quibus tentabatur operatus est in eo languor carnis, qui peccatum nominatur, quia ex pœna peccati contrahitur : et omni reatu criminis in sacramento baptismatis deleto, solus remansit languor, ex quo surgunt illiciti motus : quibus surgentibus, si nullus eis præbetur assensus nullusque laxetur effectus, nulla perpetratur iniquitas ; et sic non obest languor carnis, si per eum non B perpetretur opus iniquitatis, iniquitatis dico, vel actionis vel consensus, de qua iniquitate hic dicitur : non enim qui operantur iniquitatem in consensu vel in actu, in viis ejus ambulaverunt. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. Vere qui scrutantur testimonia tua, Domine, beati sunt : quia tu nunquam mandasti nisi quod ad beatitudinem pertinet; *mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est, valde non in scientia tantum videlicet, sed opere. Frustra enim tenetur in scientia, quod non tenetur vita. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. » Audita voce optantis, depone superbiam præsumentis. Nullus enim optat quod in sua potestate sic habet, ut per liberum arbitrium possit efficere quod vult. Ista ergo fidelis anima videns quia per se non sufficit ut custodiat mandata C Domini, sic optat optando, et a Deo adjutorium poscit ; quasi dicat : Quia « mandasti mandata tua custodiri, utinam dirigantur viæ meæ, » id est opera mea, *ad custodiendas justificationes tuas*, quas tu fecisti et sic docuisti ; et ideo rogo vias meas dirigi quia tunc, id est, directis viis meis, *non confundar* velut ille cui dici potest : « Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare (*Luc.* XIV). » Non confundar « dico, » « cum perspexero in omnibus mandatis, » id est, cum ipsa mandata tua me mihi faciunt speculum. In mandatis enim Domini se quisque, qualis sit, intueri potest ; juxta apostolum Jacobum dicentem : « Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparatur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Conside- D ravit enim se, et abiit : et statim oblitus est qualis fuerit (*Job.* I). » Qui autem perspexerit in legem perfectæ libertatis et permanserit, non auditor obliviosus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Talis et iste vult esse, ut inspiciat tanquam in speculo mandata Dei, ut non confundatur : quia non auditor eorum vult esse tantum, sed factor : quod dicit : « Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. » Unde *confitebor tibi*, id est laudabo te, *in directione cordis*, id est, in corde recto, et nunquam a tua voluntate distorto. Et non tantum te laudabo in ipsa operatione, sed etiam in ipsa inchoatione, *in eo* videlicet *quod didici judicia*

A *justitiæ tuæ*, id est, hoc quod intellexi discretionem illam, quæ ex tua justitia processit, discernere videlicet quid servus debeat Domino, quid creatura Creatori. « Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque : » Quia justificationibus tuis custoditis non confundar, ergo custodiam justificationes tuas. Et ut custodiam, *non me derelinquas usquequaque*. Si dereliquisti me ut egeam, *non derelinquas me* ut peream. Vel *non derelinquas me* ad id quod possim dici quaqua ratione derelictus, ut in me ipso videlicet glorier. A Deo enim derelinquitur, qui in seipso in benefactis gloriatur.

« BETH. — In quo corrigit adolescentior viam « suam ? in custodiendo sermones tuos. In toto « corde meo exquisivi te, ne repellas me a man- « datis tuis. In corde meo abscondi eloquia tua, ut B « non pecem tibi. Benedictus es, Domine : doce « me justificationes tuas. In labiis mei pronuntiavi « omnia judicia oris tui. In via testimoniorum « tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis « In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias « tuas. In justificationibus tuis meditabor, non « obliviscar sermones tuos. »

ENARRATIO.

In quo corrigit. Custodiam justificationes tuas. Nam *in custodiendo sermones tuos*, id est præcepta tua, *corrigit viam suam*, id est, vitam suam, *odolescentior*, id est, populus junior, populus videlicet gratiæ, portans imaginem novi hominis, verbum videlicet fidei, quod ei prædicatur, per dilectionem operando. Junior iste est non Cain, sed Abel ; non C Ismael, sed Isaac ; non Manasses, sed Ephraim ; non Esau, sed Israel ; non Saul, sed David : quorum unusquisque viam suam correxit in custodiendo sermones Domini in quo, scilicet alio ? Cæteri vero imitantes veterem hominem, non custodiendo sermones distorserunt vias suas. Et quia qui custodiunt sermones tuos, vias suas custodiunt, ego *in toto corde meo exquisivi te*, et ideo *ne repellas me a mandatis tuis.* A mandatis Domini repellitur, qui per gratiam non adjuvatur : et ideo *ne repellas me a mandatis tuis*, quia licet alii abscondunt argentum et aurum in arca, ego *in* toto *corde meo abscondi*, id est reposui, *eloquia tua*, id est præcepta, ad hoc videlicet, *ut non peccem tibi*, in memoria tenendo mandata tua. Peccatur Deo, peccatur proximo ; sed D prius Deo peccatur : quia quando quisque cogitat peccatum perpetrare in proximo, jam peccat Deo etsi nullum peccatum perpetraverit in proximo : quia nemo non prius in se, quam in alterum peccat. Vel sic : *In corde meo abscondi eloquia tua*, ut non darem sanctum canibus neque margaritas spargerem ante porcos : ergo *Doce me justificationes tuas*, ut discam faciendo quod jam didici memoria tenendo, vel. Tuum est docere, quia tu *benedictus es, Domine*, id est : naturaliter multiplicatus, et a te quisque docetur in bonum. *Doce me justificationes tuas* quia non solum mihi abscondi eloquia tua, sed etiam ad utilitatem proximorum : « in labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui, » id est, præcepta quæ per os tuum, id est, per sermones didici. *Omnia* dico, tam occulta quam manifesta, quæ fuerunt pronuntianda : et non hoc ex tristitia, vel coactus feci, sed « in via testimoniorum tuorum delectatus sum, » id est mandatorum tuorum, delectatus sum *sicut in omnibus divitiis.* Et *in mandatis tuis*, scilicet pronuntiandis, *exercebor*, id est perseverabo : *et considerabo vias tuas*, ut quæ dicam ore compleam opere. Et in hoc non de me, sed de te præsumo : quia *in justificationibus tuis* quibus per te, non per me justificatus sum, *meditabor*, id est assiduus ero, et *non obliviscar sermones tuos*, quod fecit primus homo, qui oblitus est verbi Dei sibi dicentis : *Ne comedas* (*Gen.* II).

CIMEL. — « Retribue servo tuo, vivifica me, et « custodiam sermones tuos. Revela oculos meos, « et considerabo mirabilia de lege tua. Incola « ego sum in terra, non abscondas a me man- « data tua. Concupivit anima mea desiderare ju- « stificationes tuas in omni tempore. Increpasti « superbos : maledicti qui declinant a mandatis « tuis. Aufer a me opprobrium et contemptum, « quia testimonia tua exquisivi. Etenim sederunt « principes, et adversum me loquebantur : ser- « vus autem tuus exercebatur in justificationi- « bus tuis. Nam et testimonia tua meditatio mea « est, et consilium meum justificationes tuæ. »

ENARRATIO.

Retribue servo tuo. Quasi dicat : Ut non obliviscar sermones tuos, tu, Domiue, *retribue servo tuo*, hoc videlicet, *vivifica me.* Quatuor sunt retributiones : duæ sunt justitiæ, reddere videlicet bona pro bonis, et mala pro imalis. Mala enim pro malis reddet Deus impiis, quando justo judicio, et peccatorum suorum merito æternaliter puniendos eos in ignem æternum mittet. Tertia retributio est gratiæ, quam hic exercet Deus, reddens bona pro malis : quæ retributio gratiæ naturaliter præcedere debet : quia nisi Deus hic redderet bona pro malis, non esset cui in ultimo examine redderet bona pro bonis : hanc retributionem quærit iste. Quærit enim a Deo interius vivificari, ut ab eo vivificatus possit custodire sermones suos ; quia mortuus est interius, non est dignus ut custodiat sermones Domini. Nota quia nou ex toto mortuus fuerat qui hic vivificari rogat. Accepit enim initium bonæ concupiscentiæ, cum adhuc rogat vivificari, ut possit custodire præceptum obedientiæ. Et quoniam Dei præcepta non per obedientiam custodiuntur, nisi per intelligentiam videantur, ut haberet intelligentiam, subsecutus ait : *Revela oculos meos* interiores, *et considerabo mirabilia* procedentia *de lege tua*, sed observata. Quid mirabilius, quam per custodiam legis Domini, terram, cœlum fieri, servum liberum, et tandem perpetuo coronari ? *Reveta oculos meos*, et hoc

ideo quia *incola ego sum in terra*, id est, de illis A ego sum qui dicunt: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Heb.* XIII): » et ideo *non abscondas a me mandata tua* ut non compleam ea, videlicet operando. Mirum est, quod hic rogat mandata Domini sibi non abscondi, quia ubique Deus vult prædicari: utinam tam multis essent chara quam sunt clara. Illa enim duo mandata, in quibus pendet tota lex et prophetæ, manifesta sunt tam fidelibus quam infidelibus: quia Deus amandus est, ideo necessario sciendus est. Sciri autem non potest nisi per eloquia: ideo iste rogat sibi non abscondi eloquia, ut sciendo Deum, Deum amet: et Deum amando, seipsum faciat amare, ut sic tandem doceatur qualiter proximus debeat diligere; B quia nisi quisque sciat ipsum diligere, non potest esse ardens in dilectione proximi, cum scriptum sit: Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Lev.* XIX). « Non abscondas a me mandata tua: » et hoc juste, quia *concupivit anima mea desiderare*, id est, magno desiderio affectabatur anima mea desiderare *justificationes tuas*, id est, præcepta tua justificantia, et hoc *in omni tempore*, videlicet quietis et adversitatis; juxta illud: *Benedicam Dominum in omni tempore* (*Psal.* XXXIII). Ideo concupivit anima mea desiderare præcepta tua, quia *increpasti superbos* id est, primos parentes contra te superbientes, et mandata tua non desiderantes: *increpasti*, id est, morte multasti quando dixisti: *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III). Et non tantum illi C sic sunt increpati, sed omnes *qui* imitantes eorum superbiam, *declinat a mandatis tuis*, *maledicti* sunt. Nota quia aliud est per ignorantiam vel per carnis infirmitatem mandata Domini non supplere: aliud, per negligentiam a mandatis Domini declinare; quod superborum est: « maledicti qui declinant a mandatis tuis. » Et ut ego maledictioni non subjaceam, *aufer a me opprobrium et contemptum*, ne committam aliquid dignum opprobrio, et ideo tibi contemptibilis fiam. Vel, *aufer a me opprobrium*, ne probrosum sit mihi nomen Christianum, et per hoc ad contemptum veniam. *Aufer* dico, *quia testimonia tua exquisivi*. Opus est etiam ut auferas, quia non desunt qui me dudum conterere quærunt. *Etenim principes* terreni D « sederunt, et adversum me loquebantur. Loquebantur » dico, tribulationes minando et inferendo. « Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. Nam et testimonia tua meditatio mea est, id est, » illa quæ tu testabaris meditatus sum semper. Testimonia Domini martyria ejus sunt, in quibus martyriis exemplum præbuit, ut hi qui martyrizarentur, illos diligerent a quibus paterentur: quod hic dicit, *Testimonia tua meditatio mea est*. Meditatio enim est sanctorum martyrum, illos diligere a quibus patiuntur: cum hæc sit meditato persecutorum, ut eos habeant odio quos persequuntur. *Consilium* iterum sedentium principum fuit inventos martyres perdere: *concilium* patientiam martyrum perditos invenire. Et sic illi reddebant mala pro bonis, isti bona pro malis: et sic persecutores occidendo defecerunt; martyres vero moriendo vicerunt.

DALETH. — Adhæsit pavimento anima mea: vivifica « me secundum verbum tuum. Vias meas enuntiavi, « et exaudisti me: doce me justificationes tuas. Viam « justificationum tuarum instrue me, et exercebor « in mirabilibus tuis. Dormitavit anima mea præ « tædio, confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei. « Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus. « Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum « dilatasti cor meum. »

ENARRATIO.

Adhæsit *pavimento anima mea:* quasi dicat: Licet testimonia tua meditatio mea est, tamen adhuc timeo, quia *anima mea adhæsit pavimento*, id est corpori, quod est inferior pars hominis, sicut pavimentum inferior pars est ædificii. Et quia « Caro concupiscit semper adversus spiritum (*Gal.* V), » Ideo quandiu anima adhæret corpori, timendum est et rogandum, ne concupiscentia carnis superet spiritum: quod iste rogat, dicens: *Adhæsit pavimento anima mea*, et ideo *vivifica me*, ut comprimatur quod adversus spiritum concupiscitur. *Vivifica me*, dico, agentem *secundum verbum tuum*, id est præceptum tuum, vel *vivifica me secundum verbum tuum*, id est promissum tuum. Promisisti enim: In *Isaac vocabitur tibi semen*, hoc est, « non qui filii carnis, hi sunt filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, deputantur in semine (*Gen.* XXI, *Rom.* IX). » Vel, *vivifica me secundum verbum tuum*, quia dixisti: « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I). Et debes vivificare, quia *vias meas*, videlicet fœdas, *enuntiavi:* confessus sum tibi, *et* tu *exaudisti me* delendo peccata, et ideo « doce me justificationes tuas. » Et quia multi docentur in justificationibus sic, ut ea sciant, non ut opere ostendant, ostendit hæc fidelis anima qualiter doceri vult; sic: *Viam justificationem tuarum*, id est, opera præceptorum tuorum, *instrue me*, id est, instrue in me, et sic instructus *exercebor in mirabilibus tuis*, id est in mandatis tuis, quæ mirabilem eum faciunt, qui ea imitatur: nam cum de infima miseria ad summam gloriam perducunt. Opus est ut me instruas, quia *dormitavit*, id est, tepescit *anima mea præ tædio* audiendi videlicet verbi Dei. Unde illud: « Omnem escam abominata est anima eorum (*Ps.* CVI). » Vel, *dormitavit anima mea præ tædio*, quia tædium est mihi conversari inter peccatores: et ideo tu, Domini, *confirma me in verbis tuis*, ut violenter agam et promovear. Et ut confirmes, *viam iniquitatis*, promotionem meam impedientem, « amove a me, et de

lege tua miserere mei, » dando mihi videlicet legis tuæ non solum inchoationem, sed etiam consummationem : quod non est *volentis neque currentis, sed* tui *miserentis* (*Rom.* IX), debes misereri, quia inquantum potui, *viam veritas elegi* per quam currerem, « et judicia tua non sum oblitus : » ut currerem, *adhæsi testimoniis tuis, Domine*, dum currerem : et ideo *noli me confundere*, ut dicatur mihi : « Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare (*Luc.* XIX) ; » sed quo curro pertendam, et quod pertendo perveniam : quod fiet. Quia « viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum, » id est, cum cor meum in charitate dilatasti. Unde Apostolus : *Cor nostrum* ait, *dilatatum est, dilatamini et vos* (*II Cor.* VI).

HE. — « Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper. Da « mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et « custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in « semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui. « Inclina cor meum in testimonia tua, et non in « avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanita« tem, in via tua vivifica me. Statue servo tuo elo« quium tuum in timore tuo. Amputa opprobrium « quod justificatus sum, quia judicia tua jucunda. « Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua vi« vifica me. »

ENARRATIO.

« Legem pone mihi, Domini, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper. » Quasi dicat: Quia ego viam mandatorum tuorum cucurri, ideo, Domine, ne currendo deficiam, *viam justificationum tuarum*, id est opera tua justificantia, *pone mihi legem* non mutandam, sed permanendam, ut semper in lege proficiam. Apostolus dicit : « Justis non est lex posita, sed impiis et peccatoribus (*I Tim.* I). » Quare potest videri hic esse talis, qui legem sibi rogat poni : sed quia superius dixit, se viam mandatorum Dei cucurrisse in charitate, non est de populo illo duræ cervicis, cui lex erat scripta in lapideis tabulis (*Exod.* XXXI) ; sed videri potest pertinere ad filios liberæ Jerusalem supernæ, ad filios promissionis et æternæ hæreditatis, quibus Spiritu sancto tanquam Dei digito, non in tabulis lapideis, sed in cordibus lex scribitur (*II Cor.* III) : non quam memoria teneant et vita negligant, sed quam intelligendo sciant, et diligendo faciant in latitudine amoris, non in angustia timoris. Nam qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, posset fieri, malet utique non juberi : ac per hoc legis quam esse nollet non est amicus, sed potius inimicus : nec est mundus opere qui immundus est voluntate. Talis non potest dicere quod iste dixit in superioribus versibus : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilastati cor meum. » Et quia dilatatio charitatem significat, secundum Apostolum dicentem : « Plenitudo legis est charitas (*Rom.* XIII) : » cur ergo iste legem sibi poni rogat, quam si non haberet, non utique in charitate cucurrisset ? Sed quia in lege quam accepit vult proficere, et hoc intelligit sine Deo esse posse, legem sibi poscit poni, non illam quam non habet ut recipiat, sed in illa quam habet magis magisque proficiat : quemadmodum si poculum plenum teneas, et dare sitienti incipias, ipse et haurit bibendo, et poscit, desiderando : hoc modo et iste legem sibi poni poscit, dicens : « Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper, » quandiu videlicet opus est exquisitione. Quandiu enim hic vivimus, opus est exquisitione, ut in ea semper proficiamus. Vel exquiritur semper, hic videlicet et ibi. Hic exquiritur ut in ea proficiatur : ibi exquiritur ut qui hic proficit ejus præmio perfruatur. Quia dixit, exquiram *eam semper*, et nullus potest exquirere, nisi hoc sibi Deo donante, rogat iste legis exquisitor, ut per spiritum faciat quod per litteram sciebat, sic : « Da mihi intellectum, et scrubator legem tuam ; » quasi dicat : Posita lege, indiget intellectu : et tu *da* ut scrutetur lex tua. Legem scrutatur, qui secundum altiora præcepta legis operatur. Altiora enim præcepta legis sunt duo illa præcepta, « in quibus pendet tota lex et prophetæ (*Matth.* XXII). » Unde Apostolus : « Adhuc vobis eminentiorem demonstro viam. Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens (*I Cor.* XII, XIII). » « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. » *Custodiam* dico, non tantum scientia, sed et vita. Et ut sic custodiam *deduc me*, id est de virtute in virtutem *me duc : me* dico, positum « in semita mandatorum tuorum, » id est in arduis præceptis tuis ; juxta illud : « Arcta via est quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII), » et non curritur nisi dilatato corde. « Deduc me in semita mandatorum tuorum » et hoc ideo, *quia ipsam* semitam *volui*, id est voluntarie observo, non coactione vel timore pœnæ. Et quia voluntas bona non est ex libero arbitrio, sed ex Dei adjutorio qui dat velle et pro bona voluntate perficere (*Phil.* II), rogat iste bonæ voluntatis affectionem, sic. « Inclina cor meum in testimonia tua ; » quasi dicat : Quia volui ipsam semitam, *tu inclina cor meum*, id est perfice voluntatem in testimonia tua ut gratis te colam videlicet. Hæc enim ubique testatur Scriptura, quod colendus Deus sit gratis, non propter mercedis aliquod emolumentum : et quoniam avaritia plures impedit ne gratis colant Deum, ideo subjungitur *et non in avaritiam.* Ne autem sola avaritia impedire videatur ut gratis non colatur Deus, subjungit adhuc : « Averte oculos meos » interiores, « ne videant vanitatem, » id est, ne in tuo servitio apponant sibi aliquod temporale commodum, favorem videlicet hominum vel simile, quæ omnia vanitas sunt. Unde Salomon : « Consideravi omnia quæ sub cœlo (*Eccli.* I), » etc. Nota quia avaritia est proprie philargyria ; amor videlicet pecuniæ. Ne autem amor pecuniæ quemque arguat, audiamus Dominum dicentem in Evan-

gelio : » Thesaurizate vobis thesauros in cœlo (*Matth.* vi). » Ne iterum in benefactis favorem quæramus, admonet nos sermo Dominicus: « Cavete justitiam vestram facere coram hominibus, ne videamini ab eis (*Ibid.*). » Et ne iterum pro necessitate victus et vestitus bene operari vellemus, inquit Dominus : Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus ? scit enim Pater vester quid vobis necesse sit (*Ibid.*). Hæc omnia consideravit iste dicens : « Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me. Statue servo tuo eloquium tuum ; » statorium mihi fac eloquium tuum, ne ad horam credam, sed semper in tuo eloquio perseverem : et hoc in timore tuo filiali, non servili : et amputabo « opprobrium meum quod suspicatus sum de aliis. Suspicabar enim de aliis quos videbam bene operari, ut hoc facerem pro temporali commodo, non ut gratis Deum colerent. Et ut deinceps illud non suspicer, *amputa* opprobrium meum. Nam temere judicare peccatum est unde Dominus : « Nolite judicare, ut non judicemini (*Matth.* vii). » Nota quia hæc suspicio de proximo potest procedere ex quolibet, qui jam in Dei servitio laborabat pro temporali commodo : quia quod quisque in se sentit, hoc citius de alio suspicatur. Et ideo cum iste qui hic loquitur, rogasset inclinari cor suum ut gratis Deum coleret, rogat a se amputari temeraria judicia, ne hoc videlicet, judicet de proximo, quod prius sentit in seipso. Dicit, « amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda, » mea amara. Et *ecce* qualiter jacunda quia « concupivi mandata tua : » et ideo « in æquitate tua vivifica me, » id est in charitate tua.

Vau. — « Ut veniat super me misericordia tua,
« Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.
« Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia
« speravi in sermonibus tuis. Et ne auferas de ore
« meo verbum veritatis usquequaque, quia in ju-
« diciis tuis supersperavi. Et custodiam legem
« tuam semper, in sæculum et in sæculum sæculi.
« Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua
« exquisivi. Et loquebar in testimoniis tuis in con-
« spectu regum, it non confundebar. Et meditabar
« in mandatis tuis, quæ dilexi. Et levavi manus
« meas ad mandata tua, quæ dilexi, et exercebar in
« justificationibus tuis. »

ENARRATIO.

« Vivifica me, » et ut me vivifices, « veniat super me misericordia tua, Domine, » id est misericors tuus, Christus videlicet per quem multiplicem misericordiam exhibuisti. *Veniat super me*, non ut me conterat, juxta illud : « Super quem ceciderit lapis ille, conteret eum (*Matth.* xxi), » sed ut me defendat, quasi caput meum. Quid ipse vocet misericordiam, subjungit: *Salutare tuum*, id est salvator tuus veniat *secundum eloquium tuum* ; sic enim promisisti, ut per eum liberares genus humanum. Vel *veniat super me*, *me* dico, agentem secundum eloquium tuum. Vel *secundum eloquium tuum*, ut in semine deputer. Et quia parum

A est corde credere, nisi confessio fiat ore (*Rom.* x), subjungitur : « Et respondebo exprobrantibus mihi verbum. » Quasi dicat : *Veniat super me misericordia tua*, et ea veniente, *respondebo verbum* fidei *exprobrantibus*, id est, improperantibus mihi, de fide mea : quia responsio non ex me procedet, sed ex te. *Quia speravi in sermonibus tuis*, non in meis : quia sermones mei tui sunt ; juxta illud : « Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* x). » Et quoniam respondentibus verbum fidei multæ parabantur tribulationes ab his, qui verbo fidei repugnabant, rogat hæc fidelis anima, quatenus pro imminenti tribulatione non cesset a veritatis prædicatione et dicit, *Et ne auferas*, id est, ne auferri permittas ullis tribulationibus, *de ore meo verbum veritatis usquequaque*, id est, usque
B ad id, quod ipsum verbum possit dici derelictum quaqua ratione a me. Quasi dicat : Si contigerit ut timore pœnæ quandoque taceam, non permittas me omnino tacere, sed des mihi per gratiam tuam respicere, ut in Petro notatur. Ipse enim negando fuit derelictus, flendo recreatus, trina confessione coronatus. *Ne auferas usquequaque*, *quia in judiciis tuis super*, id est, desuper venientibus, *speravi*, id est, ipsa flagella tua paterna, quæ justo judicio tui mihi sunt illata, fuerunt mihi causa quare sperarem futuram gloriam. Vel *super speravi in judiciis tuis*, quia speravi me plus habiturum gloriæ, quam paterer pœnæ. Unde illud : « Existimo quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam (*Rom.* viii). » Vel *super speravi*, id est, *super*
C id quod petimus aut intelligimus, *speravi* me habiturum, juxta illud : « Ei qui potens est superabundanter facere quam petimus aut intelligimus (*Ephes.* iii). » « In judiciis tuis super speravi : et » ideo « custodiam legem tuam, » id est, dilectionem Dei et proximi *semper, in sæculum* videlicet, *et in sæculum sæculi*, quod est in futuro, quando Deum plenius amabimus : quia eum quem nunc non videndo amamus, facie ad faciem videbimus : plenius etiam diligetur proximus, quia nullus erit suspicioni locus, ubi alter alteri non erit occultus. *Custodiam* in futuro *legem tuam*, et hic *ambulabam*, id est, *ambulabo*, *in latitudine*, id est, in charitate Dei et proximi, *quia mandata tua exquisivi*, id est, exquiram, sic et cætera quæ sequuntur præterita acci-
D piuntur futura. Vel potest legi ut habeat vim quod dicit, *ambulabam in latitudine*, ut sic ostendat fidelis anima se esse exauditam de futuro, cum ostendit sibi esse exhibita quædam, per quæ potest de futuris esse certa. Exhibitio enim præteritorum est certitudo futurorum : quasi sic dicat : Scio quia ibi custodiam legem tuam, quia inde quasi jam arrham recipi : quia jam nunc « ambulabam in latitudine, » id est, in dilectione Dei et proximi : et hoc non ope mea, sed tua, quia « mandata tua exquisivi : Et loquebar in testimoniis tuis » etiam « in conspectu regum, et non confundebar » declinando a mandatis tuis timore regum. *Et meditabar*, id est, frequenti cogi-

tatione versabar, « in mandatis tuis, » in præceptis tuis *quæ*, id est, quia *dilexi* ea : et in his omnibus levabo *manus meas*, id est, opera mea, *ad mandata tua quæ*, id est, quia *dilexi*. Ipse levat opera ad mandata Domini, qui cum bene operatur, non in se, sed in Domino gloriatur : deprimit opus bonum, qui bene operando quærit favorem hominum ; quod dicit : « Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, et exercebor, » id est, perseverabo, « in justificationibus tuis. » Ergo, Domine, quia loquendo, meditando, operando, a præceptis tuis non declinavi huc vel illud :

« Zain. — Memor esto verbi tui servo tuo, in quo « mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humi- « litate mea, quia eloquium tuum vivificavit me. « Superbi inique agebant usquequaque, a lege autem « tua non declinavi. Memor fui judiciorum tuorum « a sæculo, Domine, et consolatus sum. Defectio « tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus le- « gem tuam. Cantabiles mihi erant justificationes « tuæ in loco peregrinationis meæ. Memor fui nocte « nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam. Hæc « facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi. »

ENNARRATIO.

Memor esto verbi tui servo tuo, scilicet complendi ut inter benedictos et filios promissionis reputer : quia *in quo*, id est in verbo illo, *mihi spem dedisti*. Quasi dicat : Alii spem suam ponunt in auro vel in similibus, ego tantum *in verbo tuo*, et hoc non infructuose. Nam *hæc*, spes habita in verbo tuo, *consolata est me in humilitate mea*, id est in dejectione mea, vel afflictione quam patior in hac vita. Et ideo « consolata est me » spes tua, « quia eloquium tuum vivificavit me, » quia tu promisisti te adjutorem in tribulationibus ; juxta illud : « Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis (*I Cor.* x). » « Hæc me consolata est in humilitate mea. » Et ecce unde humilitas processit, quia *superbi inique agebant usquequaque*. Superbi sunt quos non edomuit damnum immortalitatis et gloriæ, quam perdiderunt in primo parente. Hi inique agebant : quia quid iniquius, quam illum odio habere quem scit diligere? Et *usquequaque*, id est omnimoda ratione *inique agebant*, quia non tantum non piguit se impios esse, sed pios studebant facere impios. Ego « autem a lege tua non declinavi, » sed « memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, » tandem futurorum in vasa iræ, *et consolatus sum* in vasa misericordiæ, quæ attendi tua gratia esse salvanda. Et quia memor fui judiciorum in vasa iræ. « Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, » id est tædebat me conversari inter peccatores. Et quia consolatus sum in divitiis vasis misericordiæ promissis, *cantabiles*, id est laudabiles, *erant mihi justificationes tuæ*, id est flagella tua justificantia, *in loco peregrinationis meæ :* in hac vita videlicet, ubi quisque peregrinatur a Domino, et ubi non cantandum est, sed gemendum. Et quomodo mihi justificationes tuæ erant cantabiles? Quia *memor fui* in *nocte*, id est tribulatione *nominis tui, Domine*, illius videlicet nominis quia est Dominus, me voluntarie faciens servum tuum, et custodiendo *legem tuam*. Et *hæc* custodia legis non ex me processit, sed « facta est mihi » a te, « quia justificationes tuas exquisivi. » Vel hæc nox *fac mihi*, id est ad utilitatem meam, ut sic justificationes tuas et non meas exquirerem. Potest aliter legi superius quod dicitur, « Hæc me consolata est in humilitate mea, » ut dicamus : Spes illa quam dedisti mihi in verbo tuo, *consolata est me in* humanitate *mea*, id est, in mortalitate mea, a primo parente mihi illata, et ideo « consolata est me, quia eloquium tuum vivificabit me » : ut spem vitæ haberem, projectus in mortem. Et unde humilitas processit? *Superbi*, id est iniqui parentes, *inique agebant* ab obedientia Dei recedentes : et hoc *usquequaque*, id est, omnimoda ratione, quia se sibi deos fecerunt. Ego autem recepta spe verbi tui, « a lege tua non declinavi, » sed « memor fui judiciorum tuorum a sæculo, » id est, ab exordio mundi primis parentibus exhibitorum : et *defectio tenuit me*, id est, tædium me detinuit, « pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. » Et tamen « cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. » Nam « memor fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam. Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi. »

Heth. — « Portio mea, Domine, dixi custodire « legem tuam. Deprecatus sum faciem tuam in toto « corde meo : miserere mei secundum eloquium « tuum. Cogitavi vias meas, et converti pedes meos « in testimonia tua. Paratus sum et non sum tur- « batus, ut custodiam mandata tua. Funes peccato- « rum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum « oblitus. Media nocte surgebam ad confitendum « tibi super judicia justificationis tuæ. Particeps « ego sum omnium timentium te et custodientium « mandata tua. Misericordia, Domine, plena est « terra, justificationes tuas doce me. »

ENNARRATIO.

Portio mea, Domine. Quia *justificationes exquisivi*, ergo Domine, *doce justificationes tuas :* quod est in fine psalmi. *Doce* dico ut semper in eis proficiam : et debes docere quia tu es *portio mea, Domine :* alii mundum eligant, ego te mihi partem : et quomodo hic? Quia *dixi*, id est, firmiter statui apud me, *custodire legem tuam*. Ejus enim pars est Dominus, qui legem suam custodit. Lex autem custoditur, quando spiritus vivificandus adjuvat me ne littera occidat. Et quoniam non est hominis ut per se possit custodire legem Domini, et invocandus est Dominus. Si enim fides impetrat, quod lex imperat ; quod iste attendens dicit : « Deprecatus sum faciem tuam. » Quasi dicat : Ut custodiam legem tuam, quia per me non possum, « deprecatus sum faciem tuam, » id est, valde precatus sum adjutorium tuum, et cognitionem tuam *in toto corde meo* dicens : *Miserere mei*, gradientis scilicet, *secundum eloquium tuum :* et debes misereri, quia *cogitavi*, id

est, proposui mihi, *vias meas*, fœdas, ut avertem me ab illis : *et converti pedes meos*, id est afflictiones meas, *in testimonia tua*, id est, in vias tuas pulchras : et intantum, quod : « Paratus sum » ad hoc, « ut custodiam mandata tua, et non sum turbatus, » in illis tribulationibus vel pressuris, cum tamen non desit causa unde turbarer : quia « Funes peccatorum circumplexi sunt me. » Funes peccatorum impedimenta sunt inimicorum, sive spiritualium, sicut diaboli et angelorum ejus : sive carnalium, in quibus ut in filiis diffidentiæ operatur diabolus. Ipsi enim augendo peccatum peccato, quasi funes faciunt, et peccatum suum sicut restem longam trahunt, et hinc sanctos implicare conantur, et aliquando permittuntur : sed si implicant corpus, non implicant animam, quod in isto apparet qui dicit : « Legem tuam non sum oblitus ; sed potius : *Media nocte surgebam*, id est, fortior fiebam, *ad confitendum tibi*. Per mediam noctem gravior accipitur tribulatio, in qua tribulatione non afflictio eum dejiceret, sed exercitaret ut surgeret, et ad confitendum fortius proficeret. De hac tribulatione Petrus dixit : « Tempus ut incipiat flagellum a domo Domini (*I Petr.* IV). » Et si initium a nobis, quis finis erit illis qui non obediunt Evangelio? Etsi justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Media nocte surgebam ad confitendum tibi, » semper attendens « super judicia justificationis tuæ, » flagella tua quæ justificant. Notandum quod dicit, *super judicia*, quia eum non gravabant flagella Domini, sed in eis delectatus est, attendens quia « flagellat Deus « omnem filium quem recipit (*Prov.* III). » Surgebam ad confitendum tibi, » id est, intantum quod *particeps* factus *sum omnium timentium te :* sic videlicet timentium ut custodiant *mandata tua*. Et ut plures ostendat esse quorum particeps factus est, subjungit : « Misericordia Domini plena est terra. » Quasi dicat : Benedixisti omnium timentium, quia plena est terra reparatorum per misericordiam Domini. Ergo, Domine, « doce me justificationes tuas, » ut semper in melius proficiam.

TETH. — « Bonitatem fecisti cum servo tuo, Do- « mine, secundum verbum tuum. Bonitatem et di- « sciplinam et scientiam doce me, quia mandatis « tuis credidi. Priusquam humiliarer ego deliqui : « propterea eloquium tuum custodivi. Bonus es tu, « et in bonitate tua doce me, justificationes tuas. « Multiplicata est super me iniquitas superborum, « ego autem in toto corde meo scrutabor mandata « tua. Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego vero « legem tuam meditatus sum. Bonum mihi quia « humiliasti me, ut discam justificationes tuas. « Bonum mihi lex oris tui super millia auri et ar- « genti. »

ENARRATIO.

« Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine. » Quasi dicat : Tu debes me docere justificationes tuas. Nam tu jam *fecisti cum* me *servo tuo bonitatem*, id est, boni suavitatem, id est, talem me fecisti

A ut me delectaret bonum. Cui Deus propitius inspirat delectationem boni, et cui donatur charitas Domini, ut per charitatem veniat ad dilectionem proximi, cum eo Deus bonum facit. Nam magnum Dei donum habet, quem delectat bonum. Nam quem delectat bonum, bonum quod facit non facit timore pœnæ, sed amore justitiæ. Quem vero bonum non delectat, opus legis quod facit, facit timore pœnæ, non amore justitiæ. Cum Deus metuitur et non amatur, serviliter fit, non liberaliter : servus autem ejicietur foras : filius in æternum manet in domo, quia perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* VI). Et est æquipollens dicere quod dicit : « Bonitatem fecisti cum servo tuo. » Quasi diceret : De me servo tuo fecisti filium, et hoc *secundum verbum tuum*, id

B est, secundum promissiones tuas. Vel *fecisti cum servo tuo bonitatem*, servo tuo agente *secundum verbum tuum*, id est, præceptum tuum. « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. » Ecce qui prius confessus est Dominum secum fecisse bonitatem, rogat hic doceri in bonitate. Et quare hoc, nisi quia in dulcedine bonitatis vult proficere? Nota quod tria ponit, bonitatem, disciplinam, scientiam. Nam cui Deus propitius inspirat boni delectationem, profecto instanter orare debet, quatenus in se tantum audiatur donum, ut non solum pro illo contemnat cæteras delectationes ; sed etiam pro illo quaslibet perferat pressuras et tribulationes : et sic suavitati convenienter additur disciplina, quia disciplina est eruditio per molestias : et ideo non quantulæcunque suavitati, vel charitati addenda est disciplina, sed

C tam magnæ charitati, quæ nulla tribulatione possit exstingui. Tertia ponitur scientia, quoniam si magnitudinem suam præcedit scientia, non ædificat, sed inflat. Cum ergo tanta fuerit charitas in bonitate suavi, ut tribulationibus quas adhibet disciplina non possit extingui, tunc utilis est scientia, ut per scientiam homo consideret quid fuerit, et quid meruerit, et quid a Deo acceperit. Quare recto ordine dictum est, « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. » Quasi dicat : Doce *bonitatem*, inspirando charitatem : doce *disciplinam*, inspirando patientiam : doce *scientiam*, illuminando intelligentiam : et hæc omnia facere debes, « quia mandatis tuis credidi, » id est, hæc omnia credidi per te esse mandata, licet hominibus per homines sint admi-

D nistrata. Et quid opus est ut adhibeas disciplinam, quæ me corrigat, et doceat suavitatem præceptorum tuorum? Quia *priusquam humiliarer, deliqui :* præcessit enim delictum ut subsequeretur humiliatio. *Propterea*, quia humiliatus fui ad me rediens, *eloquium tuum custodivi*, id est, præcepta tua : ne iterum humiliarer. Hæc humiliatio in primo parente est accipienda, in quo omnis humana natura velut in radice est vitiata : et quia noluit esse subjecta veritati, subjecta est vanitati : quod profuit vasis misericordiæ experiri, ut, dejecta superbia, diligatur obedientia, et pereat non reditura miseria. « Eloquium tuum custodivi : » et « tu, » Domine, « doce me

justificationes tuas in bonitate tua, » id est, fac me A attendere ut operando *et* semper in melius proficiendo experiar quam suavia sunt tua præcepta. Et tuum est, docere, quia *tu es bonus*, id est, naturaliter suavis : et opus est ut doceas, quia « multiplicata est super me iniquitas superborum, » qui volunt mihi amarificare tua præcepta. « Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. » Quasi dicat : Quantumcunque abundet in eis iniquitas, in me tamen non refrixit charitas, « Coagulatum est sicut lac cor eorum. » Vere multiplicata est super me iniquitas. Nam eorum cor induratum est in nequitia sua, juxta illud : « Induratum est cor Pharaonis (*Exod.* VII, IX). » « Ego vero legem tuam meditatus sum, » ne horum nequitiæ consentirem. « Bonum mihi quia humiliasti me. » Quasi dicat : Ego pro B delicto meo humiliatus sum, et hoc mihi bonum quia me humiliasti, *ut* in ipsa humiliatione videlicet *dicam justificationes tuas*, id est, experiar quam bonum sit servare mandata tua : ipsa enim mali experientia docuit me, quam jucundum sit sub tua manere obedientia. « Bonum mihi lex oris tui. » Aliis argentum et aurum et similia, videntur bona : mihi lex tua bona est « super millia auri et argenti. » Nam plus amat charitas legem Domini, quam cupiditas mille talenta auri et argenti.

IOTH. — « Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et « plasmaverunt me : da mihi intellectum, ut dis« cam mandata tua. Qui timent te, videbunt te et « lætabuntur, quia in verba tua supersperavi. Co« gnovi, Domine, quia æquitas judicia tua et in ve« ritate tua humiliasti me. Fiat misericordia tua ut C « consoletur me, secundum eloquium tuum servo « tuo. Veniant mihi miserationes tuæ et vivam : « quia lex tua meditatio mea est. Confundantur « superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me, « ego autem exercebor in mandatis tuis. Conver« tantur mihi timentes te, et qui noverunt testimo« nia tua. Fiat cor meum immaculatum in justifi« cationibus tuis, ut non confundar. »

ENARRATIO.

« Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me : da mihi intellectum ut discam mandata tua. » Quasi dicat : Mihi lex oris tui est bonum, et tu « da mihi intellectum ut discam mandata, » id est reforma ut resurgam in resurrectione prima. Unde illud : « Renovamini spiritu mentis vestræ (*Eph.* IV). » Et tuum D est reformare, quia *manus tuæ*, id est potentiæ tuæ, *fecerunt me* secundum animam, *et plasmaverunt me* secundum corpus. Hac de causa etiam reformabis me, quia, me reformato, *qui timent te* timore casto *videbunt me* in tua obedientia perseverantem, *et lætabuntur*, meo exemplo ad bene operandum provocati : et hoc ideo, *quia in verbo tuo*, id est in mandato tuo observato *supersperavi*, id est speravi supra id quod petimus aut intelligimus. Quasi dicat : Ipsi me imitabantur, non inquantum ego meus sum, sed inquantum tibi adhæreo. Unde Paulus : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*I Cor.* IV). » « Speravi in verba tua, » quia « cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, » id est omnia judicia tua esse æqua, « et in veritate tua humiliasti me » in primo parente : quia cum nolui in tua obedientia permanendo exaltari, juste *me humiliasti :* morte enim in primo parente me multasti. Et quia in vero judicio tuo me humiliasti, « fiat servo tuo misericordia tua ut consoletur me, » id est recipiam ego servus tuus, non libertus meus, per misericordiam tuam consolationem : quia a te recedendo, per iram tuam recepi desolationem : et hoc fit « secundum eloquium tuum, » quia dixisti : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I). » Vel consoletur agentem « secundum eloquium tuum. » Vel sic : « Fiat misericordia tua ut consoletur me » in futuro, et hoc « secundum » verbum tuum, dando mihi immortalitatem, quam primo homini pollicitus es, si in obedientia perstitisset, in qua nunc ego sum : et ut tunc me consoletur, *Veniant mihi* nunc *miserationes tuæ*, id est exhibitiones misericordiæ tuæ, *et vivam* tibi adhærendo, qui moriebar a te recedendo, et debes facere, *quia lex tua meditatio mea est*, id est, in lege tua semper meditor : in lege tua videlicet fidei, quæ per dilectionem operatur. Hæc meditatio tantum a mandatis est, ut non refrigescat charitas. Secundum priorem lectionem erit expositio. « Veniant mihi miserationes tuæ » ad hoc, « ut vivam : quia lex tua meditatio mea est. » Ego *vivam : superbi* autem *confundantur*, ut iniquitas eorum in me non extinguat charitatem. *Confundantur* dico, *quia injuste*, id est sine causa, *iniquitatem fecerunt in me*. Ego enim laboravi ad eorum salutem, ipsi ad meam perniciem. *Ego autem* quantumcunque laboravissent me devorare, *exercebar in mandatis tuis.* Quare *convertantur mihi*, id est, associentur mihi, *timentes te ;* juxta illud : Qui Dei est, jungatur mihi, *Et qui noverunt testimonia tua.* Exponit timentes te ut attendas de quo timore agat. Quasi dicat : Illi qui sic te timent, ut noscant testimonia tua non tantum scientia, sed vita, associentur mihi : quod ut fiat, « In justificationibus tuis, fiat cor meum immaculatum, ut non confundar : » vel hic vel in futuro.

CAPH. — « Defecit in salutari tuo anima mea, et « in verbum tuum supersperavi. Defecerunt oculi « mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consola« beris me ? Quia factus sum sicut uter in pruina, « justificationes tuas non sum oblitus. Quot sunt « dies servi tui, quando facies de persequentibns me « judicium ? Narraverunt mihi iniqui fabulationes, « sed non ut lex tua. Omnia mandata tua veritas : « iniqui persecuti sunt me, adjuva me. Paulo mi« nus consummaverunt me in terra, ego autem non « dereliqui mandata tua. Secundum misericordiam « tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris « tui. »

ENARRATIO.

« Defecit in salutari tuo anima mea, et in verbum tuum supersperavi. » Quasi dicat : Merito fiet cor

meum immaculatum : quia *anima mea*, id est animalitas mea, *defecit* in se eundo *in salutare tuum*, id est in tuam salvationem se continens *et in verbum tuum supersperavi*. Defectus iste non est culpæ et pœnæ, sed laudabilis et optabilis: quia nec semper defectus ponitur in malo, sicut nec profectus contrarium suum semper ponitur in bono, sed quandoque in malo. Inde Paulus ad Timotheum : « Novitates verborum et aniles quæstiones devita, proficiunt enim ad iniquitatem (I *Tim*. IV, VI) ; » et de quibusdam mulieribus dixit : « Semper addiscunt ; et in pejus proficiunt (II *Tim*. III). » Sic defectus in hoc loco in bono ponitur, quia notat sanctum desiderium : in quo desiderio fuerunt sancti ante incarnationem Domini, ut ille justus Simeon qui dixit : Putas videbo ? putas durabo. O si hic me invenerit illa nativitas! In hoc etiam desiderio fuerunt omnes sancti, post incarnationem exspectantes revelationem quando Dominus judicaturus est vivos et mortuos. » Deficit in salutari tuo anima mea, et in verbum tuum supersperavi, » id est, in promissionibus tuis speravi supra id quod petimus aut intelligimus. Quæ promissiones hoc faciunt ut per patientiam exspectetur, quod a credentibus non videtur. *Defecerunt oculi mei* interiores, id est, ratio animæ meæ non tantum ipsa animalitas, eundo *in eloquium tuum : dicentes* affectione desiderii. *Quando consolaberis me*, dando incrementa virtutum ? Felix et iste defectus oculorum, quia non est veniens ex infirmitate animi, sed ex nimietate desiderii. *Quando consolaberis me*, opus est enim et consolatione : *quia factus sum sicut uter in pruina*. Uter est vas ex corio sutum, et factum aptum ad excipiendum vinum et continendum : sed in pruina positum, induratur, et fit inutile vas ; sic et homo cum fuisset vas bonum ad suscipiendum liquorem purum, veram videlicet discretionem, induratus est adversus imbrem gratiæ Dei merito inobedientiæ, et inutilis factus : quod dicit, *Quia factus sum sicut uter in pruina :* et tamen quantum potui *justificationes tuas non sum oblitus*. Vel sic : *Quando consolaberis me*, ut hoc videlicet mortale induat immortalitatem : et debes facere, quia inquantum potui, me ad hoc idoneum feci, « quia factus sum sicut uter » positus « in pruina. » Vel per utrem possunt notari carnalia desideria, per pruinam ros divinæ gratiæ, per quam cohibentur et restringuntur fluida carnis desideria. Quasi dicat : Obtorpuit in me fervor cupiditatis, ut ferveret in me memoria charitatis : et ideo « justificationes tuas non sum oblitus. Quot sunt dies servi tui ? » Videns fidelis anima differri consolationem quam superius rogavit, optans dissolvi et esse cum Christo, dicit : *Quot sunt dies servi tui*, id est quandiu durabunt dies humiliationis, quos sibi fecerunt servi tui : et ne dies illos finiendos putaremus ante extremum judicium, subjungit. « Quando facies de persequentibus me judicium ? » separando videlicet grana a paleis. Fuerunt enim quidam qui dixerunt Ecclesiam finiendam esse ante consummationem sæculi, contra quos dixit Dominus in Evangelio : « Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe terrarum : et tunc erit finis (*Matth*. XXIV). » « Quando facies de persequentibus me judicium ? » Opus est enim : nam ut me devocarent, narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, » scilicet audiendas ; quia in lege tua non tantum me delectant verba, sed veritas. Nam *omnia mandata tua veritas*. Et quia veritati consensi, *iniqui persecuti sunt me*, sed tu, Domine, *adjuva me*. Et opus est adjutorio : quia ipsi peccatores *consummaverunt me in terra*, et hoc *minus paulo*, id est multum parum, quantum ad eorum existimationem, quod de me, qui cœlum et terram non fecissem. *Ego autem* licet hac illis visum sit, *non dereliqui mandata tua*. Et ut non derelinquam, tu, Domine, *secundum misericordiam tuam* mundo exhibitam, *vivifica me* interiore vivificatione, ne in vacuum gratiam Dei recipiam, et per te vivificatus, *custodiam testimonia oris tui*.

LAMED. — « In æternum, Domine, verbum tuum « permanet in cœlo. In generationem et generatio- « nem veritas tua : fundasti terram, et permanet. « Ordinatione tua perseverant dies, quoniam omnia « serviunt tibi. Nisi quod lex tua meditatio mea est : « tunc forte periissem in humilitate mea. In æter- « num non obliviscar justificationes tuas, quia in « ipsis vivificasti me. Tuus sum ego, salvum me « fac, quoniam justificationes tuas exquisivi. Me « exspectaverunt peccatores ut perderent me, te- « stimonia tua intellexi Omnis consummationis vidi « finem, latum mandatum tuum nimis. »

ENARRATIO.

« In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo. » Quasi dicat : A te vivificatus custodiam testimonia oris tui, quæ nemo potest custodire, nisi per tuam vivificationem : quia nec angeli qui *in cœlo*, id est, in ipsis angelis, *permanet verbum tuum*, id est præceptum tuum, id est, usquequaque ad consummationem sæculi per tuam vivificationem. Et non tantum per tuam vivificationem permanet verbum tuum in cœlo, sed etiam *in generatione* pertinente ad legem, et generatione pertinente ad gratiam, permanet *veritas tua*, quia tu *fundasti terram*, id est, Ecclesiam tuam in fundamento fidei stabilem fecisti : et « permanet, » quia « Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi (*Psal*. XLIV). » « Ordinatione tua perseverant dies, » id est, omnes qui *dies* sunt, id est, illuminati : quod possunt perseverare, hoc fit tua dispositione ; *quoniam omnia*, id est, omnes qui dies sunt, « serviunt tibi. Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea. » Videns fidelis anima per quem terra est liberata, in quo sit fundata, per quem manet ; dicit : Ego *periissem forte*, id est pro certo, *in humilitate mea*, id est in affectione, *tunc*, id est, quando in primo parente humiliatus sum, *nisi quod lex tua meditatio mea est*, lex fidei videlicet, non fidei inanis, sed fidei quæ per dilectionem operatur (*Gal*. V),

per quam impetratur gratia : quæ gratia id facit in tribulatione temporali, ne miser homo pereat in humilitate mortali. Vel potest sic continuari : Secundum misericordiam tuam vivifica me : et opus est, quia *forte periissem in humilitate mea tunc,* id est, quando « paulominus consummaverunt me in terra,nisi quod lex tua meditatio mea est : »et ideo « in æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. »Et quia tu me vivificasti, *salvum me fac* dando perseverantiam : quia *ego tuus sum,* qui primum me esse voluisti, et perditus sum, jam quæro tuus esse ut salver : *quoniam justificationes tuas exquisivi,* cum tamen multi essent qui *me* impedire volebant. Nam mora et lima « exspectaverunt peccatores ut perderent me:« ego « testimonia tua intellexi : » et « vidi finem omnis consummationis: » quia bonum esse attendi,ut pro summo bono summum paterer laborem.Consummationis finis est, in regno Christi sine fine gaudere. *Omnis consummationis vidi finem :* et hoc non per me, sed per *mandatum tuum nimis latum,* id est, per charitatem tuam valde extensam, quia usque ad inimicos diligendos extenditur. Vel sic : *Vidi mandatum tuum nimis latum,* id est, charitatem tuam usque ad inimicos extensam, esse *finem omnis consummationis,* id est, totius perfectionis ; quia in charitate pendet tota lex et prophetæ (*Matth.* XXII), sine qua irrita est universitas benefactorum, juxta Apostolum dicentem : « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (I *Cor.* XIII).

MEM. — « Quomodo dilexi legem tuam,Domine? « tota die meditatio mea est. Super inimicos meos « prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æter- « num mihi est. Super omnes docentes me intel- « lexi,quia testimonia tua meditatio mea est.Super « senes intellexi, quia mandata tua quæsivi. Ab « omni via mala prohibui pedes meos, ut custo- « diam verba tua.A judiciis tuis non declinavi,quia « tu legem posuisti mihi. Quam dulcia faucibus « meis eloquia tua super mel ori meo ! A mandatis « tuis intellexi, propterea odivi omnem viam ini- « quitatis. »

ENARRATIO.

« Quomodo dilexi legem tuam Domine ? tota die meditatio mea est ; » quasi dicat : Quia *mandatum tuum* valde est *latum,* ideo *dilexi legem tuam* eo modo quo diligenda est. Nam *tota die,* id est assidue,*meditatio mea est.* Tali meditatione expugnatur cupiditas, quæ sæpe faciendis legis jussionibus contradicit : quia autem tota die meditatur in lege Domini, omnem expellit a se cupiditatem. « Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. » Quasi dicat : Ideo *dilexi legem tuam,*quia in ipsa lege *fecisti me prudentem super inimicos meos.* Inimici fuerunt carnaliter legem intelligentes, illis qui spiritualiter legem intellexerunt, velut filii Agar, qui in servitutem filios generantes inimici fuerunt filiis Saræ (*Gal.* IV) : quia in mandato Domini temporalia præmia quæsierunt,cum illi ad æterna tendebant, velut iste qui dicit : « Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, » id est præcepto tuo : et hoc ideo, *quia in æternum mihi est* præceptum tuum suave. Ac si dicat : Ideo in mandatis tuis prudentior sum quam inimici mei : quia ipsi quæsierunt in eis temporalia, et ego æterna. Ipsi dicunt : Quod intrat in os,coinquinat hominem. Ego dico, Non quod intrat in os, coinquinat hominem : *sed* cogitationes quæ exeunt de corde, ea coinquinant hominem (*Matth.* XV). *Super omnes docentes me intellexi,* id est, super illos qui jactabant se esse magistros, et legis esse doctores, intellexi : de quibus dictum est, « Væ vobis qui habetis clavem scientiæ, neque vos intratis,neque alios intrare permittitis (*Luc.* XI), » super quos intellexi, *quia testimonia tua meditatio mea est,* Antiquitus enim dictum est:«Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Levit.* XIX). » Tua autem testimonia sunt : «Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* V). » In quibus testimoniis semper fuit meditatio mea, et hoc *super senes, quia mandata tua quæsivi,* quærendo in eis spiritualem intelligentiam, non attendendo carnalem observantiam.Nam *ab omni via mala prohibui pedes meos,* id est affectiones meas, ad hoc videlicet *ut custodiam mandata tua.* Et quia non sufficit declinare a malo nisi sequatur bonum, subjungitur : *A judiciis tuis,*quæ tu fecisti,et sic docuisti *non declinavi, quia* tu *legem posuisti mihi,* ut qui in finem perseveraret, hic salvus esset (*Matth.* X, XXIV) : et quia tu posuisti, ideo *quam dulcia sunt faucibus meis eloquia tua,* faucibus videlicet cordis, et non tantum dulcia sunt mihi ad ædificationem meam, sed etiam *ori meo* sunt dulcia *super mel,*ut eructem illa ad ædificationem proximorum : quia plus me delectat proximi ædificatio, quam alia terrenarum rerum dulcedo :et hoc *a mandatis tuis intellexi.*Mandata Dei intelligit, quia ea in opere ostendit. Unde illud :Cupis sapientiam ? *serva mandata* (*Matth.*XIX). Ad sapientiam enim pervenitur occultorum per obedientiam mandatorum. Et illud : Qui apponit sapientiam, apponit dolorem (*Eccle.* I). A mandatis tuis intellexi,«propterea odivi omnem viam iniquitatis, » quia nullus perfecte amat charitatem, qui non habet odio iniquitatem.

NUN. — « Lucerna pedibus meis verbum tuum,et « lumen semitis meis. Juravi et statui custodire « judicia justitiæ tuæ.Humiliatus sum usquequaque, « Domine : vivifica me secundum verbum tuum.Vo- « luntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et « judicia tua doce me. Anima mea in manibus meis « semper,et legem tuam non sum oblitus.Posuerunt « peccatores laqueum mihi,et de mandatis tuis non « erravi. Hæreditate acquisivi testimonia tua in « æternum, quia exsultatio cordis mei sunt. Incli- « navi cor meum ad faciendas justificationes tuas « in æternum, propter retributionem. »

ENARRATIO

« Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. » Quasi dicat : Ideo odio habui viam iniquitatis, quia *verbum tuum*, non verbum Christum, sed verbum Christi ad prophetas factum, per apostolos prædicatum, quod continetur in omnibus scripturis, est *lucerna pedibus meis*, id est affectionibus meis. Lucerna enim non per se, sed per aliud lucet : quia apostoli non per se, sed per Christum lumen verum in splendore lucis corruscabant; ideo prædicationis verbum per apostolos prædicatum, quasi lucerna fuit pedibus. Verum autem quod Christus prædicabat, quia per se nimium fulgoris plenitudine rutilabat, non lucerna, sed lumen dicitur : *et lumen in semitis*, id est in arctioribus præceptis. Ipse enim exemplum fuit nobis arctam viam insistendi, id est arctiora præcepta scientia investigandi, quæ in opere debemus experiri : quia quæ docuit ore, complevit opere. Et quia verbum quod per prædicatores audimus, non illo inspirante et adjuvante, ad effectum operationis non ducitur, ideo dicitur proprie lumen in semitis Dei. « Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ. » Quia verbum tuum est lumen in semitis, ideo *juravi*, id est sacramento confirmavi: et quasi quæreres quid jurasset, subjungit, *et statui*, id est immutabiliter proposui, *custodire judicia justitiæ tuæ* : quia sic debet mens esse fixa in custodiendis judiciis Domini, ut omnino pro juratione sit accipiendum quod statuet. Tunc autem custodiuntur justa judicia Domini quando sub justo judice Deo nec peccatum impunitum, nec opus bonum irremuneratum creditur. Et quoniam in custodiendis judiciis Domini sancti multas pressuras et persecutiones patiuntur, quod iste in spiritu prophetico videns dicit, « humiliatus sum usquequaque, Domine, » id est usque ad illam humiliationem quod possum dici quaqua humiliatione humiliatus, quantum ad illos a quibus humiliatus sum. Ipsi enim putabant me ex toto a te esse derelictum. Sed ne pro humiliatione periret verbum fidei rogat vivificari, sic : *Vivifica me secundum verbum tuum:* quia mortuus fui secundum primi hominis prævaricationem. « Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, » id est noli reprobare, sed approba voluntaria sacrificia laudis, ex confessione charitatis, non ex timore necessitatis oblata, *et judicia tua*, id est præcepta tua, *doce me*, ulteriorando profectum. Et debes : quia *anima mea* est *in manibus meis semper*, id est operibus meis. ut tibi eam offeram. Vel semper sollicitus sum de profectu animæ meæ, *et* ideo *legem tuam non sum oblitus*, cum tamen non desint qui me vellent eam oblivisci. Quia *posuerunt peccatores laqueum mihi*, ut me irretirent in mandatis suis : pro quo laqueo tamen « de mandatis tuis non erravi, » sed « hæreditate acquisivi testimonia tua, » id est pro hæreditate reputavi observare mandata tua vel *testimonia tua*, id est martyria tua acquisivi, hæreditati comparabilia. Sicut Christus accepit hæreditatem a Patre, sic sancti martyres

A quasi pro hæreditate acceperunt a Domino, ut testes ejus fierent in martyrio quod multi voluerunt, sed non potuerunt. Nulli tamen potuerunt, nisi quod voluerunt : quia non potuissent, si testimonia Dei noluissent. Et quoniam sancti martyres in testimoniis Domini non quærunt gloriam hominum vana quærentium, sed æternam gloriam brevi tempore patientium, et sine fine gaudentium, subjungit : *in æternum*. Quasi dicat. Ideo *testimonia tua acquisivi*, quia in æternum sunt me scilicet ducentia : *quia exsultatio cordis mei sunt*, licet affectio sint corporis : et ideo « inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem. » Ecce quod superius dixit, *Inclina* : hic dicit, *Inclinavi* : et quid per hoc intelli-
B gimus, nisi ut ostendat inclinationem sui cordis, et divini esse muneris, et non propriæ voluntatis? Sed movet quod dicit, « ad faciendas justificationes tuas in æternum : » quia opera misericordiæ quæ fecimus erga proximorum necessitates non sunt æterna, quia nec ipsæ necessitates : quæ opera misericordiæ, si non fiunt diligendo, nullæ sunt justificationes; si autem ex dilectione fiunt, justificant : dilectio autem quia manet in æternum, ideo qui æternaliter diligit, quærit habere quod diligit : quod dicit : « inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.

Samech. — « Iniquos odio habui, et legem tuam « dilexi. Adjutor et susceptor meus es tu, et in ver- « bum tuum supersperavi. Declinate a me, maligni, « et scrutabor mandata Dei mei. Suscipe me secun-
C « dum eloquium tuum, et vivam: et non confundas « me ab exspectatione mea. Adjuva me, et salvus « ero : et meditabor in justificationibus tuis semper. « Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia « injusta cogitatio eorum. Prævaricantes reputavi « omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua. « Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim « tuis timui. »

ENARRATIO.

Hæc littera signum et exhortatio est, ut quilibet audiens quod hic dicitur : *Iniquos odio habui* et in hoc *Dominus* est *mihi adjutor, et in* eo *supersperavi;* attentus sit et non perfunctorie vel transeunter accipiendo existimet contra evangelistarum convenientiam, scilicet nec vitium propter hominem diligen-
D dum esse, nec hominem propter vitium odio habendum.

Iniquos odio habui. Ego de mandatis tuis non erravi, sed potius *iniquos* errantes *odio habui*, *et* in hoc *legem tuam dilexi* : quod plus est quam si diceret, complevi : quia non eos ipsos, sed eorum errores odio habui, quod est bonum et perfectum odium. *Adjutor et susceptor meus es tu*. Et in eo quod *iniquos odio habui* et habeo, *tu es adjutor* et cooperator meus : quia ego operor, et tu cooperaris. Et *tu* mihi *adjutor es* ad hoc odium inimicorum, et ad dilectionem legis prius fuisti *susceptor meus*, id est, medicus et curator meus, sanans me a peccatis in

baptismo, et in hoc quod *iniquos odio habui*, iens *in* A *verbum tuum*, quia tu hoc jubes, *super sperari*, id est, vehementiorem habui spem quam dici possit vel cogitari. Et quia iniquos odio habui, *declinate a me, maligni*, id est, desistite a persuasionibus vestris, quibus me devorare nitimini : et sic vobis cessantibus *scrutabor*, id est, cum diligentia rimabor *mandata Dei mei*, nullo impediente. *Suscipe me secundum eloquium.* Et ut idoneus sim scrutari mandata tua, *Suscipe me*, Domine, *secundum* promotionem patrocinio tuo, faciens me vivere secundum *eloquium tuum*, id est, juxta præceptum tuum, et sic si me susceperis, *vivam*, id est, ero sedulus ad impletionem mandatorum tuorum, per quæ tenditur ad vitam æternam, *et non confundas me ab exspectatione mea*, id est, ne permittas me confundi, quia diu ex- B spectavi et desideravi ut tu suscipias me. *Adjuva me.* Prius insinuavit gratiam cum dixit, *Suscipe me :* modo etiam liberum arbitrium, cum dixit, *Adjuva me*, id est, cooperare mihi, et te adjuvante *salvus ero* : *et* semper *meditabor* in hoc quia tu es solus justificans, *Sprevisti omnes discedentes :* ideo oro ut suscipias me, et adjuves me persistere secundum eloquium tuum, quia *sprevisti*, id est, damnasti omnes discedentes *a judicii tuis*, id est, non perseverantes in præceptis tuis, et merito, *quia injusta cogitatio eorum.* Omnis enim discedens a præceptis Dominl, aut cogitat et putat illum adeo esse misericordem, ut non puniat creaturam suam, aut impotentem, aut ignorantiam, aut aliquid hujusmodi. Pro qua cogitatione jure damnatur. *Prævaricantes reputavi.* Quasi aliquis diceret : Ego non discedo a C præceptis Domini, quia licet peccem, in fide permaneo : ad hoc respondet, non tantum a fide apostatantes, sed *omnes peccatores* : ita scilicet peccatores, ut sint *terræ*, id est, ut terra sint et terra permaneant, *reputavi prævaricantes*, id est, Dei mandata transgredientes, et ideo a judiciis Dei discedentes. *Peccatores terræ* vocat, criminaliter peccantes : quia sicut terra ponderosior est cæteris elementis, ita capitalia crimina graviora sunt venialibus. Et quia tales a te damnari perpendi, *ideo dilexi testimonia tua*, ne et me simili modo damnares. *Confige timore tuo.* Sicut mente te diligo, ita etiam *carnes meas*, id est, sensualitates meas, videlicet quinque sensus corporis, vel pravas suggestiones ex carne suborientes *confige timore tuo* casto, id est, dilectione tua ita D constringas, ut nec velim nec possim aliquid, quod displiceat perficere ; ad modum illius qui clavis confixus etiam si velit, nusquam potest membra deflectere. Et justum est ut hoc facias, quia non sum confisus in viribus meis, sed semper *timui* et timeo *a judiciis tuis*, id est, a præceptis tuis excidere.

Ain. « Feci judicium et justitiam, non tradas me « calumniantibus me. Suscipe servum tuum in bonum « non calumnientur me superbi. Oculi mei defecerunt « in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ. Fac « cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et « justificationes tuas doce me. Servus tuus sum ego, A « da mihi intellectum ut sciam testimonia tua. Tem« pus faciendi, Domine ; dissipaverunt legem tuam. « Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion. « Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : om« nem viam iniquam odio habui. »

ENARRATIO.

Verum hic habet oculum qui hic loquitur, quia fonte sapientiæ potatus, verum habet intellectum, et veterem legem spirituali videt oculo, et operatur spiritualiter quæ in ea jubentur. Pro quo Judæi carnalem habentes oculum calumniantur eum : se ipse orat ne tradatur potestati et voluntati eorum, sed potius illi cessent et convertantur.

Feci judicium. Ego dilexi testimonia tua, Domine, et quia dilexi, *feci judicium*, id est, spiritualiter B intellexi quæ ad litteram ibi dicta sunt. Et cum intellexissem, feci *justitiam*, id est, operatus sum secundum quod intellexi : et ideo habui Judæos calumniatores. Sed quia ego feci judicium et justitiam, *non tradas me calumniantibus me.* Calumnia dicitur, cum aliquid falso alicui imponitur : vel cum hoc quod per virtutem agitur, per detractionem subvertitur, sicut Judæi de Domino dixerunt : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XI). » « Suscipe servum tuum : » et non tantum oro, ut *non tradas me calumniantibus*, id est, ut non deficiam a statu in quo sum, sed etiam *suscipe me servum tuum* secundum promotionem *in bonum*, id est, ut eam de virtute in virtutem, vel ut faciam judicium et justitiam melius et melius. *Non calumnientur me superbi*, id est, cessent a calumniis, et spiritualem C accipiant intellectum. *Oculi mei defecerunt.* Propter hoc etiam, Domine, *suscipe me*, quia *oculi mei*, id est, intellectus et mens mea, *defecerunt* ab omni mala intentione, et ab omni appetitu exteriorum, tendentes *in salutare tuum*, id est, in mandata tua, quæ observata, salutaria sunt et vita et salus. *Et in eloquium justitiæ tuæ*, quæ de ore tuo præcepisti juste fieri, *fac cum servo tuo.* Et quia « oculi mei defecerunt in salutare tuum, fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, » id est, cooperare mihi pro quantitate misericordiæ tuæ, faciens me deinceps studiosius bene operari : *et doce me justificationes tuas*, id est, fac me recognoscere justitiam meam esse tuam non mihi attribuendam. *Servus tuus sum ego.* O Domine, qui *ego servus tuus* per D omnia tibi obediens, *da mihi intellectum*, id est, oculum spiritualem magis ac magis, *ut sciam testimonia tua*, id est, veteris legis scripturam, quæ omnia testatur, quæ nunc in nova lege observantur. *Tempus faciendi.* Et nunc, *Domine*, tempus opportunum est faciendi, hoc ut mihi des intellectum : quia non habentes oculum, et mihi calumniantes, *dissipaverunt legem tuam :* neque credendo, neque observando quæ jubentur in lege : *ideo dilexi mandata tua.* Et ut dares mihi intellectum, ideo *dilexi mandata tua*, id est, nova præcepta tua, *super aurum et topazion*, id est, super omnia quæ in temporalibus magis habentur pretiosa. Topazius et pro claritate et pro raritate

nimis es pretinsus. Quanto enim rarior, tanto pretiosior. *Propterea ad omnia mandata tua.* Non tantum autem ideo dilexi mandata tua,sed etiam propterea *dirigebar* ad omnia mandata tua secundum exsecutionem operationis, et propterea *odio habui omnem viam* iniquitatis,id est,vitia carnis et carnalem intellectum legis.

« Phe. — Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata « est ea anima mea. Declaratio sermonum tuorum « illuminat,et intellectum dat parvulis. Os meum « aperui et attraxi spiritum,quia mandata tua desi« derabam. Aspice in me, et miserere mei secun« dum judicium diligentium nomen tuum.Gressus « meos dirige secundum eloquium tuum,et non do« minetur mei omnis injustitia. Redime me a ca« lumniis hominum, ut custodiam mandata tua. « Faciem tuam illumina super servum tuum,et doce « me justificationes tuas : Exitus aquarum deduxe« runt oculi mei, quia non custodierunt legem « tuam. »

ENARRATIO.

Ista collectio versuum in hoc differt a præcedenti quia ibi fuit præcipua causa orare ut non daretur in calumniam Judæorum.Hic autem præcipua est intentio,ostendere causas erroris illorum. Et ideo hoc elementum interpretatur *erravit*,scilicet populus Judaicus. In hoc quippe erravit,quia testimonia oris Dei non mirabilia habuit,nec scrutando ea in humilitate fuit parvulus.

Mirabilia testimonia tua. O Domine, da mihi intellectum ut sciam *testimonia tua*, quia *mirabilia* sunt,id est, digna admiratione. Et *ideo scrutata est ea anima mea*, id est,diligenter in eis investigavit intellectum.Multa quippe in lege sunt præcepta, quæ nescientibus jure videntur neganda,sicut quod præcipitur caput,non cauda in hostiam offerri,et passer collo retorto sub alas occidi, et Judaici servi auris subula perforari, et multa hujusmodi (*Exod.* xxi ; *Lev.* v) : quæ spiritualiter intellecta, magnam præstant ædificationem ; sed Judæi non mirantur,quia nec eam intelligunt, nec discere contendunt.*Declaratio sermonum tuorum.* Responsio est ad hoc :si aliquis diceret : Cum sint mirabilia,quomodo scrutari poteris ea ? Quia *declaratio sermonum*, id est, Evangelium quod declarat sermones tuos,id est,legem et prophetas *illuminat*,scilicet me :*et* quia illuminare non posset secundum litteralem scientiam determinat secundum quod illuminet,scilicet *intellectum dat parvulis*,id est,humilibus, non superbis : hoc est, humiles facit spiritualiter ea intelligere.Ad hoc pluraliter dicit parvulis,ut designet non quibuslibet scrutantibus dari spiritualem intellectum ; sed illis tantum qui in humilitate perseverant. *Os meum aperui.*Et ut possem ea scrutari, et per declarationem me illuminares, et intellectum mihi dares, *os meum operui*,id est, magno appetitu cor meum dilatavi, sicut aliquis cupiens saturari, os exterius aperiret : *et attraxi spiritum*, id est,recepi in me Spiritum sanctum,qui dat intellectum.Quem Spiritum sanctum deo consecutus sum, *quia mandata tua*, id est novam legem *desiderabam*, id est, cum desiderio adimplebam. *Aspice in me. Os meum aperui* : sic dicens apud me. *Aspice in me*, id est, illumina me secundum intellectum: non dicit,aspice in me, id est, interiori illuminare *: et miserere mei* id est, hoc facias ex misericordia : *secundum* quod judicandum est de diligentibus *nomen tuum*, quod est Dominus. Passive hic dicitur judicium. Et hoc tantum valet, ac si diceret : Aspice in me ex misericordia, non ex merito. *Gressus meos dirige secundum eloquiam tuum.* Non tantum des mihi intellectum, sed etiam *dirige gressus meos*,id est, da mihi bonas affectiones ad mandata tua observanda : *et non dominetur mei omnis injustitia*, id est, nullum peccatum aut vitium regnet in me. *Redime me* Postquam illuminabor, et gressus mei dirigentur, erunt calumniatores mei illi qui neque intelligunt neque observant legem : sed tu,Domine,*redime me a calumniis* illorum qui homines sunt tantum terrena sapientes· Et determinat secundum quod deberet redimi ab eis. Non oro ut mihi non calumnientur, sed ne devocent me a mandatis tuis,sed perseverem custodiendo illa.*Faciem tuam illumina.* Dixit superius, *Aspice in me*,sed per quem hoc faceret non dixit,ideo repetit ut hoc adjungat,dicens : *Illumina faciem tuam*,id est, Filium tuum,per quem tu cognosceris velut aliquis per faciem suam :*super servum tuum*, id est,in superiori meo,qui sum servus tuus. Et ita rogo illuminari,ut doceas *me justificationes tuas*,id est, veterem legem secundum fidem et intellectum et operationem.*Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Homines mihi calumniantur pro quibus oculi mei *deduxerunt exitus aquarum*, id est fontes lacrymarum : non ideo quia me calumniati sunt sed *quia legem tuam non custodierunt* vel fide, vel intellectu, vel operatione.

Sade. — « Justus es, Domine, et rectum judicium « tum. Mandasti justitiam testimonia tua, et veri« tatem tuam nimis. Tabescere me fecit zelus « meus,quia obliti sunt verba tua inimici mei.Igni« tum eloquium tuum vehementer, et servus tuus « dilexit illud. Adolescentulus sum ego et contem« ptus justificationes tuas non sum oblitus.Justitia « tua justitia in æternum,et lex tua veritas. Tribu« latio et augustia invenerunt me,mandata tua me« ditatio mea est. Æquitas testimonia tua in æter« num : intellectum da mihi, et vivam. »

ENARRATIO.

Iste fidelis qui in præcedenti parte orat illuminationem et gressuum directionem,et tristatus fuit pro calumniantibus se,hic ostendit se consolatum propter justum judicium Dei,quoniam et illum exaudivit,et inimicos Judæos excæcavit. In quibus utrisque rebus justum judicium exercuit.

Justus es, Domine. Ego cujus oculi deduxerunt exitus aquarum, habeo consolationem ex eo, Domine, quod tu *justus es* naturaliter, *et* quod *judicium tuum rectum est*, id est, illam justitiam quæ

naturaliter est in te, exhibes opere. *Mandasti justitiam.* Vere judicium tuum est rectum, quia dedisti mihi quod longe ante fuit remotum, scilicet *testimonia*, id est, præcepta *tua. justitiam*, id est, ut intelligerem veterem legem esse justitiam, quæ spiritualiter impleta justificat : *et veritatem tuam nimis*, sed *mandasti*, id est, novam legem quæ veritas est, et nimis veritas, quantum ad priorem quæ umbra fuit. *Tabescere me fecit.* Ideo dedisti mihi novam legem quæ veritas est, et justitiam : quia *zelus meus tabescere me fecit*, id est, dilectio quam habui erga inimicos meos, fecit ex eo me languere et nimium dolere, quod ipsi *inimici mei obliti sunt verba tua*, id est, præcepta tua. *Ignitum eloquium tuum.*

Et ex eo magis tabescendum et dolendum est pro illis obliviscentibus mandata tua, quia *eloquium tuum* est *vehementer ignitum.* Ignis tria operatur : consumit, illuminat, accendit. In præceptum Domini consumit vitia in hominibus, illuminat secundum scientiam, accendit secundum charitatem. Et quia illi carent his donis omnibus, jure dolendum est pro eis. *Et* quia eloquium tuum vehementer est ignitum, ego qui sum *servus tuus*, diligo *illud. Adoscentulus, sum* Et quanquam diligam illud *ego* qui *sum adoscentulus* id est innovatus, nihil habens in me vetustatis: tamen sum *contemptus* et despectui habitus, sive ipse reputans me vilem, sive ab aliis contemptui deditus. Sed licet ita videar despectus, tamen *justificationes tuas non sum oblitus*, id est, non recedo ab observatione legis. *Justitia tua.* Merito etiam contemptus, justificationes tuas non obliviscor, quia *justitia tua*, id est, vetus lex, et *justitia* ducens in æternitatem, *et lex tua*, scilicet nova, *veritas* est similiter ducens in perennitatem. *Tribulatio et angustia.* Et non solum contemptus sum, nec enim hoc solum satis vehemens causa esset propter quam oblivisci deberet præcepta Domini : sed etiam tribulatio quæ est corporis, et angustia quæ est animæ, *invenerunt me*, scilicet idoneum ad patiendum, id est, videns me Deus idoneum et fortem ad perferendas tribulationes et angustias pro salute animæ meæ, permisit mihi talia fieri. Dicitur enim Deus per angustias et tribulationes quæ sunt quædam ejus dona, quærere dignos eo modo coronari, et tales invenit ipsa tribulatio. Nam sunt quamplurini, qui si paterentur adversitatem, deficerent. Quibus parcit Deus ne corruant, sed tamen inferioris dignitatis sunt patientibus : quanquam tribulatio et angustia invenerunt me, tamen *Mandata tua meditatio mea est*, id est, præcepta tua novæ legis meditor adimplere. *Æquitas testimonia tua* Et merito meditor in mandatis tuis in tribulatione, quia *testimonia tua* sunt *æquitas*, id est, justa et honesta in seipsis, et deducentia in æternitatem. Et quia ita sunt, oro, Domine, *intellectum da mihi*, et fac me ulterius ea perfectius intelligere : *et* tunc *vivam* in æternum.

Coph. — « Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Do-
« mine, justificationes tuas requiram. Clamavi ad te
« salvum me fac, et custodiam mandata tua. Præveni
« in maturitate et clamavi, quia in verba tua super-
« speravi. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut
« meditarer eloquia tua. Vocem meam audi secun-
« dum misericordiam tuam, Domine, et secundum
« judicium tuum vivifica me. Appropinquaverunt
« persequentes me iniquitati, a lege autem tua longe
« facti sunt. Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ
« veritas. Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in
« æternum fundasti ea. »

ENARRATIO.

Hoc elementum indicat hunc fidelem qui loquitur multis et maximis tribulationibus esse conclusum et circumvallatum: et nullatenus inde posse eripi, nisi divino adjutorio ; et ideo instanter invocasse Dominum, ut det ei perfectiorem intellectum, et exsecutionem mandatorum ejus.

Clamavi in toto corde. Cum essem in contemptu, et tribulatio et angustia invenissent me, aliud refugium non quæsivi nisi *clamavi.* Et hoc non oris clamore sed *in toto corde*, ut cor tuum vacaret ad clamorem. Sed aliud est clamere corde, aliud in corde : quia etiam voce clamantes, corde clamant. Sed in corde clamare, est sine voce intentionem cordis Domino ostendere. *Clamavi in toto corde* dicens : *O Domine, exaudi me* in hoc tantum ut *justificationes tuas requiram*, id est, ut quæram et assidue requiram cum magno desiderio præcepta tua, et observem *Clamavi ad te. Clamavi*, inquam, non ad vicinos et amicos, sed *ad te* volentem et potentem ita dicens: *salvum me fac*, id est, hanc salutem mihi concedas, *ut custodiam*, id est, compleam *mandata tua.* Hic intelligitur salus esse, mandata Domini custodire. *Præveni in maturitate.* Et merito debes me clamantem et honesta petentem exaudire, quia ego alios *præveni in maturitate*, id est, in adolescentia quæ ætas est immatura et indomita ad custodienda mandata tua. Nam juvenes quantum sunt ætate ferventiores, tantum sunt ad superbiam et iram ac luxuriam cæteraque vitia procliviores. Cum ergo adhuc ætate viderer immaturus ad talia, tamen ad te *clamavi*, et *præveni* alios bene vivendo, *Et in verbum* id est, in eloquium tuum *supersperavi*, id est, vehementiorem spem habui super spem quam prius habui. Semper enim spes crescit cum meritis. *Prævenerunt oculi mei.* Et ideo debes me exaudire, quia *oculi mei ad te* directi, *prævenerunt* alios *diluculo* semper mane vigilavi, intentionem mentis meæ ad te dirigens continuo. Propter hoc *ut meditarer eloquia tua*, id est, ut exercerer in mandatis, ad similitudinem illius qui summo mane festinat ad opus suum. Vel *diluculo*, id est, in luce virtutum, *prævenerunt oculi mei* alios *ad te*, id est, tibi ascripsi quidquid in me virtutis fuit, ita *ut meditarer eloquia tua. Vocem meam audi*. Et quia ego in maturitate præveni scilicet alios, et oculi mei diluculo prævenerunt, tu, *Domine, audi vocem meam*, non tantum pro meritis meis, sed *secundum misericordiam tuam*, id est, secundum gratiam *et secundum judicium*

tuum, id est, secundum quod tu justum judicas, scilicet secundum meritum etiam meum *vivifica me*, id est, fac me custodire mandata tua, quod est mihi vita. Vel *audi vocem meam* secundum misericordiam tuam hic in præsenti, ne deficiam, et in futuro justo judicio *vivifica me*, dando mihi vitam æternam. *Appropinquaverunt persequentes me*. Et justum est ut me appropinquantem justitiæ, vivifices: quia « persequentes me appropinquaverunt iniquitati. » Sunt quidam in iniquitate, sed magis magisque semper appropinquant, sed *a lege tua longe* fiunt. Licet ista conjuncta sint, tamen aliud est a lege Dei elongari, aliud est iniquitati, appropinquare. Est enim appropinquare iniquitati, vitia diligere, et mala agere. Longe vero a lege Dei fieri, est virtutes et bona opera negligere. Vel necessarium est ut me vivifices, quia « persequentes me appropinquaverunt iniquitati, » id est, volentes me sibi conformare, persequendo magis magisque appropinquant deformitati et tenebris, et longe fiunt a lege tua : dictum a similitudine alicujus, qui quanto magis tenebris appropinquaret, tanto magis elongaretur a luce. *Prope es tu, Domine*. Et ne aliquis putaret eos qui a lege Dei longe fiunt, etiam si pœniteret eos, nunquam posse ad Dominum reverti, dicit : Ex eo quod sunt appropinquantes iniquitati, non habent excusationem quasi non possent habere adjutorem, si vellent respicere, quia *tu*, *Domine, prope es*, id est, misericors es et pronus ad subveniendum : et cum tu prope sis, et illi non convertantur, non est tibi imputandum, cum *omnes viæ tuæ* sint *veritas*, id est, et justa sint judicia tua et vera, in eo ipso quod illos excæcas. Vel ita hac fiducia, ut audias vocem meam oro : quia *tu es prope* omnibus invocantibus te. Et ideo etiam, quia *omnes viæ tuæ*, id est, omnia præcepta tua, sunt *veritas*, id est, justa, *initio cognovi*. Ideo etiam oro ut audias vocem meam ut custodiam mandata tua, *quia fundasti ea in æternum*, id est, illi cui stabiliter fundasti ea et dedisti, valent ad æternitatem. Quod ex opposito cognovi *de testimoniis tuis*, datis initio primis parentibus in quibus non erunt fundata, quia non sunt custodita ab eis. Ideo cognovi ex hoc, quia illos in quibus fundata sunt, id est, a quibus firmiter custodiuntur, ducunt ad vitam æternam. Nam si primi parentes nostri propter transgressionem ab æternis devenerunt ad temporalia, nos propter observantiam mandatorum Dei, a temporalibus sublevabimur ad æterna.

« Res. — Vide humilitatem meam et eripe me, « quia legem tuam non sum oblitus. Judica judi« cium meum et redime me, propter eloquium tuum « vivifica me. Longe a peccatoribus salus, quia « justificationes tuas non exquisierunt. Misericor« diæ tuæ multæ, Domine, secundum judicium tuum « vivifica me. Multi qui persequuntur me et tri« lant me, a testimoniis tuis non declinavi. Vidi « prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua « non custodierunt. Vide quoniam mandata tua « dilexi, Domine, in misericordia tua vivifica me.

A « Principium verborum tuorum veritas, in æternum « omnia judicia justitiæ tuæ. »

ENARRATIO.

Ne videretur iste fidelis ex arrogantia talia merita proposuisse, cum dicit : « clamavi, præveni in maturitate, prævenerunt oculi mei, » subjungit humilitatem, quæ caput et origo et finis est omnium virtutum, et singulas confirmat. Sicut enim omnes sensus vigent ex capite, quo oblato, corpus remanet truncus sine nomine, ita omnes virtutes vigent ex humilitate, qua sublata, cæteræ nec virtutes sunt nominandæ. Iste conformatus capiti quod in humilitate præcessit, et legem ipsius humilitatis dedit, orat ut Dominus eum eripiat a persequentibus, ne consimilis eis efficiatur : et ut in futuro secundum
B promissionem suam vivificet eum, prætendit ipsam humilitatem, sic dicens :

Vide humilitatem meam. Domine, vide humilitatem meam ad hoc, ut respectu illius eripias me a persequentibus ; quia appropinquantes iniquitati, volunt me conformare sibi : et ideo *eripe me, quia legem tuam non sum oblitus*, id est, ipsam humilitatem, quam tu et verbis præcepisti, dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI) : et exemplo ostendisti, quando te humiliasti ad mortem, et nunquam tradidisti oblivioni. Et ne videretur orare ita eripi, ut nullo modo amplius pateretur, exponit ita : *Judica judicium meum*. Non oro sic eripi, ut nihil patiar, potius judica hic tale judicium quod sit *meum*, id est, mihi conveniens, id est, fac me qui servus tuus sum hic flagellari, ne judicer in
C futuro. Nam non servi tui hic florentes, in futuro sunt judicandi. Plus dicit, *judica judicium*, quam si diceret, Fac judicium. Multi enim faciunt judicium, qui hoc quod judicandum est exsequuntur, et non judicant. *Et redime me* scilicet a futura damnatione. Et non tantum redime me, sed etiam *vivifica me*, id est, vitam æternam da mihi secundum promissionem tuam. *Longe a peccatoribus salus*. Revera vivificacis me et salutem mihi dabis, quem tribulationibus castigare, dignaris ; sed a peccatoribus longe est ista salus, quos negligis pro peccatis suis : *quia justificationes tuas*, id est, tribulationes easdem quibus tuos justificas, *non exquisierunt*, id est, non dilexerunt. *Misericordiæ tuæ multæ, Domine*. Ne quis peccator desperet, quia dictum est, *longe a peccato-*
D *ribus salus*, subjungit : O *Domine, misericordiæ tuæ multæ sunt*, id est, multiplices converti volentibus : et ideo, *vivifica me secundum judicium tuum*, id est, secundum hoc quod juste judicas illum esse judicandum, qui a pueritia vel ab adolescentia in humilitate et aliis prædictis perseveret. *Multi qui persequuntur me, et tribulant me*. Vivifica me etiam propter hoc quia *non declinavi a testimoniis tuis*, cum multi me persequerentur, cum fugarent de civitate in civitatem, et tribularent affligendo. *Vidi prævaricantes*, et ideo fui persistens in testimoniis tuis : quod etiam ipsis persequentibus et tribulantibus condolui ex dilectione. Et hoc est quod dicit. *Vidi præva-*

ricantes, id est, consideravi et intellexi miseriam persecutorum meorum, legis tuæ transgressorum, et ex commiseratione contabui, non propter hoc quia persecuti sunt me, sed « quia eloquia tua non custodierunt. Vide quoniam mandata tua dilexi. » Et quod non declinavi, te habeo testem ; tu, Domine, vide quia omnia vides, quoniam non solum a testimoniis tuis non declinavi, sed etiam mandata tua dilexi ; quod multo majus est. Et quia meritis meis supradictis ad hoc non sufficio, ut vivifices me, tu, *Domine*, consideratione misericordiæ tuæ, *vivifica me* vita æterna. *Principium verborum tuorum.* Ideo autem dilexi mandata tua, quia non propter utilitatem tuam ea fieri præcepisti, sed propter, hoc quia *principium verborum tuorum*, id est, principalis et summa intentio ipsorum mandatorum est *veritas*, id est, justa præcepta data sunt a te. Alii ea solent injungere servis suis præcepta, quæ ad suam respiciunt utilitatem. Deus vero ea injungit, quæ facientibus sunt utilita, non sibi : *in æternum omnia judicia, justitiæ tuæ*, id est, omnia præcepta tua quæ juste fieri judicas justa sunt : et ipsa similiter observata ducunt in æternitatem.

Sin. — « Principes persecuti sunt me gratis, et a « verbis tuis formidavit cor meum. Lætabor ego super « eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. Iniqui« tatem odio habui et abominatus sum, legem autem « tuam dilexi. Septies in die laudem dixi tibi super « judicia justitiæ tuæ. Pax multa diligentibus legem « tuam, et non est illis scandalum. Exspectabam « salutare tuum, Domine, et mandata tua dilexi. « Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea « vehementer. Servavi mandata tua, et testimonia « tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. »

ENARRATIO.

Vulnus animæ, peccatum est. Iste igitur qui hic agit, intelligit hoc quod multi persequuntur et tribulant eum, sibi esse quasi amplastrum ad curandum vulnus animæ, quia licet in tantum virtutum conscenderit arcem, recognoscit tamen se non esse sine peccatis, quæ persecutoribus in eo purgantur. Et præsentem tribulationem dicit sibi tantam esse medicinam, ut respectu futuræ pœnæ jam non formidet instantia, sed potius lætetur de promissione Dei, quæ per dentes significatur.

Principes persecuti sunt me. Multi persequuntur me et tribulant me, non qualescunque, sed ipsi principes sæculi : quod mihi est super vulnus, id est, medicamentum. Et hoc fecerunt *gratis* id est frustra, quia non potuerunt me deflectere. Vel *gratis*, id est, sine causa, hoc est, sine culpa : quia licet vulnus, id est culpam, habeam contra Deum, quæ sanatur eorum persecutione, tamen quantum ad illos sine culpa sum, Et dum paterer et formidarem pœnas præsentes. *cor meum formidavit a verbis tuis ;* quibus dicitur : « Eum potius timete, qui potest corpus et animam perdere in gehennam (*Matth.* x). Et alibi : « Qui me erubuerit et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet (*Luc.* ix). » Ab his verbis talibus intantum formidavit cor meum, ut præsentis pœnæ formidinem omnino expelleret. *Lætabor ego super eloquia tua.* Considerans ergo præsentem tribulationem levem et momentaneam, et quasi pro nihilo eam reputans, ad comparationem futuræ damnationis in omni persecutione constans permansi. Et ideo adhuc mortalis et fragilis lætor et *lætabor super eloquia tua*, id est, contuens promissiones tuas quibus dixisti : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* v). » Et : *Beati eritis cum vos oderint homines* (*Luc.* vi), etc. Super tales promissiones contuens ego ad similitudinem alicujus qui magnam pecuniam invenerit. Vel his *super eloquia tua* fundatus, *lætabor* in futuro, utpote *qui invenit spolia multa*, id est, multiplicem gloriam regni cœlestis : quod apte spolium dicitur, quia vi quadam acquiritur : juxta illud. « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (*Matth.* xi). Ideo autem dicit, *invenit*, quia nullum meritum ad illam gloriam sufficere potest, nisi ei detur divina miseratione. *Iniquitatem odio habui.* Nunc ostenditur qualiter illa prædicta sibi sint medicina. Ad hoc valet mihi persecutio, quod per illam castigatus, jam odio habeo iniquitatem pro qua castigabar. Et plus dicit etiam *Abominatus sum*, quia mihi nefanda visa est. Et non tantum *odio habui iniquitatem*. sed etiam *legem tuam dilexi*, id est, dilectione eam complevi. *Septies in die.* Et ego ita curatus in persecutione, ut iniquitatem odio habuerim, et legem tuam dilexerim, *dixi tibi laudem*, id est, hymnum, *septies in die*, id est, tota hac vita, quæ septem dierum numero volvitur : vel per septem horas quas omni die celebramus. Vel ita : Ego positus *in die*, id est, in luce virtutum, *septies*, id est, per septiformem gratiam Spiritus sancti *laudem dixi tibi*, contuens *super judicia justitiæ tuæ*, id est, intelligens justo judicio tuo me hic flagellari. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Quasi aliquis diceret : Tu dicis te legem Domini dilexisse, sed hoc non impune : quia multis perturbationibus agitaris, nullam habens pacem. Ad hoc respondet : Non tantum ideo sum sine pace, quia multa pax est diligentibus legem tuam. Anima eorum hic jam est in paradiso. Multa quidem pax est eis, sed non omnimoda, quæ tantum erit in futuro. Sed si aliquando sunt in tristitia hic interim, *non* erit eis in *scandalum*, id est, in offensionem peccati, ut per suborientem tristitiam peccent aliquando. Vel *non est* scandalum, ut pro aliqua tribulatione erubescant confiteri Christum crucifixum, sed in patientia perseverant. *Exspectabam salutare tuum Domine.* Et quia dilexi legem tuam, o Domine, per hoc *exspectabam salutare tuum*, id est, salvationem quam dabis in futuro diligentibus legem tuam. Et propter spem illam novæ legis, præcepta quæ superaddita sunt præceptis Veteris Testamenti, ex dilectione observavi. *Custodivit anima mea.* Pro eadem etiam spe anima mea custodivit *testimonia tua*, id est, veteris legis præcepta, quæ testificantur novam. Et dicit animam suam ea custodisse, quia se-

cundum carnem ea custodire non esse multum: *et dilexi ea*, scilicet testimonia, *vehementer*, id est, omnis intentionis fervore. *Servavi mandata.* Et quod ego *dilexi mandata tua* nova, *custodivi testimonia tua* vetera : non mihi ascribo, sed ideo illa servavi, *quia omnes viæ meæ* sive cogitando, sive operando, erant *in conspectu tuo*, id est, in beneplacito et auxilio tuo.

Tau. — « Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine, juxta eloquiuum tuum da mihi « intellectum. Intret postulatio mea in conspectu tuo, « secundum eloquium tuum eripe me. Eructabunt » labia mea hymnum cum docueris me justificatio- « nes tuas. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, « quia omnia mandata tuæ æquitas. Fiat manus tua « ut salvet me, quoniam mandata tua elegi. Con- « cupivi salutare tuum, Domine, et lex tua medi- « tatio mea est. Vivet anima mea et laudabit te : et « judicia tua adjuvabunt me. Erravi sicut ovis quæ « periit : quære servum tuum qui mandata tua « non sum oblitus. »

ENARRATIO.

Fidelis iste qui hic loquitur, et in tantam conscendit sublimitatem, considerat se in Adam aberrasse et dum ab Jerusalem descendisset, incidisse in latrones, et licet verus pastor jam nonaginta novem oves in deserto reliquisset, et illam quæ perierat humeris impositam reportasset (*Luc.* xv), tamen quia nondum videt se in illa perfectione unde exciderat, orat se in pristinum statum usque reportari. In superiori etiam parte hujus psalmi ubi dicitur, *Adhæsit pavimento anima mea*, habetur *erravit :* sed ibi notatur error post baptismum, hic vero ante baptismum. Orat ergo sibi dari a Deo intellectum veritatis : et ponit hoc signum suæ exauditionis, quod exauditus pronuntiaturus et eructaturus sit hymnum Domino.

Appropinquet deprecatio mea. O Domine, qui servavi mandata tua et testimonia tua, oro ut deprecatio mea habita *in conspectu tuo*, id est, pro his de quibus est deprecandum appropinquet tibi hoc scilicet, ut des *mihi intellectum juxta eloquium tuum*, id est, secundum quod præcepta tua servavi. Aliter *Appropinquet deprecatio mea*, id est, faciat me appropinquare bene vivendo ad patriam, unde juste aberravi per Adæ et Evæ inobedientiam. *Intret postulatio mea.* In præsenti *da mihi intellectum, et* in futuro *intret postulatio mea* ubi dicitur, *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv) *in conspectu tuo*, scilicet habita vel facta, scilicet in corde tui tu solus conspicis : hæc scilicet, ut *secundum* promissionem tuam quam præcepta tua observantibus dedisti, *eripias me* ab hac pœna peccati, id est, a mortalitate et passibilitate, et damnatione perpetua. *Eructabunt labia mea.* Da mihi intellectum, quia *cum docueris me justificationes tuas*, id est, cum dederis mihi perfecte scire et exsequi mandata tua, *eructabunt*, id est, abundantia beneficiorum proferent labia mea *hymnum*, id est, laudem tibi, hoc est illam plenitudinem legis tuæ. quæ est in corde meo : labia etiam mea hymnizabunt tibi apud me, sed tamen in voce. *Pronuntiabit lingua mea.* Et non tantum apud me ipsum in summitate labiorum ex saturitate mentis laudabo te, sed etiam *lingua mea pronuntiabit eloquium tuum*, aliis prædicando. Et non erubesco Evangelium tuum annuntiare, *quia omnia mandata tua æquitas*, id est, vera et justa sunt. *Fiat manus tua.* Et quoniam ego non erubescens pronuntiabo eloquium tuum, scio me multa passurum adversa : sed *manus tua*, id est, protectio tua, *fiat* super me, *ut salvet me*, ne in tribulationibus succumbam. Aliter : Quoniam magna multitudo visibilium et invisibilium inimicorum me propter eloquii tui pronuntiationem impugnabit, *fiat manus tua*, id est, multitudo cœlestis militiæ veniat mihi ad salutem contra multitudinem impugnantem. Et ideo fiat manus tua ad salvandum *quoniam* præ omnibus *elegi mandata tua. Concupivi salutare.* Ideo etiam debet manus tua fieri ut salvet me, *Domine*, quoniam *concupivi salutare tuum*, id est, salvationem quam tu daturus es : et ita concupivi ut debui, quia *lux tua meditatio mea est:* et ex præmeditatione complevi legem tuam. *Vivet anima mea.* Ego concupivi salutare tuum, et vere veniet mihi : et hoc est quod dicit. Vivet anima mea *et laudabit te :* sicut alibi dicitur, *In sæcula sæculorum laudabunt te* (*Ps.* LXXXIII) : *et judicia tua*, id est, flagella quæ justo judicio tuo patior, *adjuvabunt me*, ut vivat anima mea : et ut perveniam ad patriam, expurgando scilicet sordes de præterito et reddendo cautum de futuro, ne ulterius offendam. *Erravi sicut ovis.* Ut anima mea tandem ibi vivat, ut desidero et confido ex misericordia tua, non tantum multitudo angelica veniat ut salvet me, sed tu ipse require me ad modum boni pastoris. Et hoc mihi necessarium est, quia aberravi sicut ovis quæ perierat. Quæsisti jam. Et opus est ut semper me requiras quandiu hic vivitur. Et ideo tu debes requirere quia servus tuus sum : *et quia mandata tua non sum oblitus*, id est, ex quo credidi et agnovi mandata tua : fideliter exsecutus sum quod mandasti.

PSALMUS CXIX.

CANTICUM GRADUUM.

« Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exau- « divit me. Domine, libera animam meam a labiis « iniquis et a lingua dolosa. Quid detur tibi, aut « quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ « potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. Heu « mihi quia incolatus meus prolongatus est, habi- « tavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit « anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram « pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me « gratis. »

ENARRATIO.

In primis videndum est, quare gradus his psalmis designati, dicantur esse quindecim potius quam decem aut viginti. In templo Salomonis erant quindecim gradus dispositi, per quos erat ascensus ad Sancta sanctorum pontifici semel in anno intro-

cunti (*Exod.* XXX, *Hebr.* IX). Templum illud est Ecclesia, in qua omnes fideles sunt secundum fidei sacramenta. Gradus illi virtutes sunt, per quas animæ fideles ascendunt et promoventur ad vera sancta in domum non manufactam, manentem in cœlis, ubi Dominus Jesus jam collocatus est in dextera Dei Patris : quo solus intravit, quoniam singularem sublimationem accepit, singulariter exaltari promeruit. Illuc etiam multitudo fidelium per hos quindecim gradus ascendit, quoniam quanto promotiores et altiores in virtutibus sunt, tanto supernæ patriæ viciniores sunt : tanto magis ad Sancta sanctorum non loco sed similitudine vitæ accedunt. Quindenarius constat ex octonario et septenario. Sed per septenarium intelligitur Vetus Testamentum, propter Sabbatum de cujus observatione præceptum est in lege. Vel per septem, mundus iste potest accipi, qui septem diebus volvitur a principio sui. Et quoniam observantia Veteris Testamenti ad temporalem et transitoriam remunerationem spectabat, pro sospitate, pro diuturnitate vitæ, pro multiplicitate filiorum, pro victoria et pro aliis temporalibus fiebat, ad septenarium ad ea quæ sæculi hujus sunt, Testamentum Vetus pertinebat. Et ideo merito per septem accipitur. Per octonarium vero Novum Testamentum significatur propter octavam diem in qua Dominus noster resurrexit, ubi fuit principium et confirmatio Novi Testamenti. Qui ideo dicitur resurrexisse die octava, non prima : quia non surrexit ad hos dies qui volvuntur per septenarium numerum, sed potius in æterna et indefectibili vita : in æternitate scilicet et in octava die, quæ post transitum horum septem dierum est futura, quæ non erit alia nisi æternitas. Vel ideo per octonarium numerum potest accipi Novum Testamentum, quoniam omnis labor noster et omnis operatio nostra bona, scilicet Novi Testamenti observantia, ad octavam et futuram remunerationem spectat. Exsecutio igitur mandatorum Veteris scilicet et Novi, per quindecim gradus designatur, per quos ad vera sancta sanctorum animæ fideli datur ascensus. Per septem etiam perveniemus ad octo, quoniam per omnia bona nostra opera quæ fiunt in hac temporali vita, perveniemus tandem ad octavam diem, id est, ad cœlestis patriæ perennitatem Gradus apud nos tam descensum quam ascensum significat : ideo per gradum non debemus intelligere descensum, sed solummodo ascensum. Psalmi autem isti qui dicuntur *cantica graduum*, et sunt quindecim, non ad imitationem illorum graduum qui erant in templo Salomonis facti sunt, cum David longe ante filium præcesserit, hosque psalmos sicut et alios in laude Dei decantaverit : sed gradus illi per Salomonem ad imitationem earumdem virtutum, quæ in psalmorum istorum numero designantur, positi sunt, quia idem spiritus qui David docuit hos psalmos in mysterio angelorum decantare, docuit et Salomonem quamdam rerum præfigurationem eadem mysteria in domo Dei, quæ est Ecclesia, postmodum agenda præmonstrare. Psalmus autem iste dicitur

A *canticum graduum*, id est, unus de multis gradibus : qui ideo dicuntur *cantica*, quoniam omnia illa quæ in his psalmis designantur, spectant ad futuram remunerationem, ubi lætitia perennis est. Quod vero pluraliter dicit *graduum*, designat multiplicitatem virtutum et conjunctionem et cohærentiam, quousque perveniatur ad sancta sanctorum, ad æternæ gloriæ regnum. Illi igitur fideles quorum conversatio in cœlis est (*Phil.* III), qui jam pervenerunt ad supremum gradum, ascensus sui gradus et virtutum promotionem aliis hic referunt, ut eos in ascendendo sequantur, et eos in promotione virtutum imitentur, donec illud in eis impleatur quod superius dicitur : « Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus Deorum in Sion (*Ps.* LXXXIII). » Sciendum

B autem quod aliquando fit gradus de virtute in aliam virtutem, aliquando in eadem virtute fundamento : quia in unaquaque et magis et minus remissi vel intensi esse possumus. Primus gradus est oratio pro fidei fundamento, qui talis esse videtur, ut illi qui jam sunt in templo, in Ecclesia Dei per fidem, orent sibi dari notitiam Scripturarum et autoritatem sanctorum Patrum, et confirmationem fidei suæ contra perfidiam blasphemorum et impugnationem hæreticorum.

Ad Dominum cum tribularer clamavi. Cum anxiarer blasphemis verbis infidelium et impugnatione hæreticorum, qui mihi veram fidem moliebantur excutere, *clamavi ad Dominum* qui me poterat corroborare : et non sum frustratus, quia *exaudivit me.* Hoc dicit quadam anticipatione, ut auditores magis incitet ad

C clamandum, ac si dicat : Cum hujusmodi tribulatio ingruerit, exemplo meo clamate, et Dominus exaudiet vos : *Domine, libera animam meam.* Clamavi ergo ita dicens : *O Domine, qui potens es*, animam meam in rectitudine fidei existentem, et per fidei sacramentum jam viventem, libera *a labiis iniquis*, id est, a blasphemis verbis perfidorum, qui manifeste fidem tuam impugnant. *Et a lingua dolosa*, id est, a verbis hæreticorum, ne occulto eorum veneno inficiat, qui multa vera et utilia falsitati interserunt, ut eo facilius decipiant. *Quid detur tibi.* Antequam clamarem, antequam Dominum ut liberaret orarem, ita mecum deliberando meditabar, admirans periculi magnitudinem, et dicens : O tu, anima mea, *quid detur tibi ad linguam dolosam*, id est, quæ arma

D possint tibi dari ad devincendam linguam dolosam? *aut* si non data tibi fuerint quibus possis eam devincere, saltem *quid*, id est, quod tegimentum, *apponatur tibi* ne occidaris? Ideo autem quærit munimen contra linguam dolosam hæreticorum, quia majus est ibi periculum, et major difficultas defendendi, ubi dolose agitur, quam ubi manifeste quis impugnatur. *Sagittæ potentis.* Cum hujusmodi arma mihi dari possint, excogitavi, scilicet *sagittæ potentis acutæ*, id est, sententiæ sacræ Scripturæ et cognitio verborum Dei, quæ sunt acuta et ad transfigendum corda inimicorum efficacia ; et non tantum respectu sui acuta, sed etiam ideo, quia sunt *potentis*, id est, ab

omnipotenti Deo directa. Dictum est ab illa similitudine, quia si aliquis peritus sagittandi mittit sagittas, efficaces sunt ad interficiendum. Si vero imperitus mittit, licet bonæ sint quantum ad se, tamen sunt inefficaces. *Sagittæ*, inquam, *potentis* possunt mihi dari *cum carbonibus* non exstinctis, sed *desolatoriis*, id est, vastatoribus et succendentibus, hoc est, vita et auctoritas sanctorum Patrum, apostolorum scilicet et aliorum doctorum, qui non sunt exstincti carbones ab impugnatione hæreticorum, sed sunt igne sancti Spiritus ardentes, et omnem hæresim incendentes et devastantes. Quod si utraque hæc tibi dari non possunt, o anima, saltem, id quod utilius est, auctoritas sanctorum Patrum in defensionem tibi apponatur. *Heu mihi*. Adhuc ostendit magnitudinem periculi. *Clamavi*, inquam. Et necesse est ut me exaudias et liberas quia *heu*, id est, dolor mihi est, *quia incolatus meus*, id est, peregrinatio mea, in qua differor a patria, videtur mihi nimis esse prolongata. Nec tamen propter solum incolatum doleo, sed quia *habitavi cum habitantibus Cedar*, id est, cum illis qui tenebras ignorantiæ sic patiuntur, ut in illis permaneant et quasi inhabitent. Et ne aliquis putaret eum de incolatu corporis dicere, addit: *Multum incola fuit anima mea*, id est, antequam clamarem et liberationem orarem, longe remota fuit a patria. Et ut ad veram sanctam sanctorum et ad patriam omnibus fidelibus promissam accederem, necessarium fuit mihi clamare, sagittas acutas et carbones desolatorios habere, ut anima mea a tanta sui ipsius oblivione ad seipsam rediret, et oculos suos ab hujus mundi deceptionibus elevatos, ad veram patriam intenderet, et magis magisque ad illam accederet. Omnium quidem animæ hic sunt incolæ, id est peregrinæ: sed quorum conversatio in cœlis est (*Phil.* III) non adeo peregrinantur ut aliorum. *Cum his qui oderunt pacem*. Et non tantum heu mihi pro hoc quod habitavi cum eis, sed quia oderunt me, cum tamen ego cum eis essem *pacificus*, quod nimis est difficile. Et non solum oderunt, sed etiam impugnaverunt *me* verbis, quia nondum conscendi ad tormenta. Et hoc *gratis*, id est, sine causa, nullo modo commerui. Vel *gratis*, id est, frustra, quoniam me vincere non potuerunt. *Cum loquebar illis*, id est, quando monita salutis dabam.

PSALMUS CXX.

CANTICUM GRADUUM.

« Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxi-
« lium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit
« cœlum et terram. Non det in commotionem pedem
« tuum, neque dormiet qui custodit te. Ecce non
« dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Do-
« minus custodit te, Dominus protectio tua super
« manum dexteram tuam. Per diem sol non uret
« te, neque luna per noctem. Dominus custodit te ab
« omni malo, custodiat animam tuam Dominus. Do-
« minus custodiat introitum tuum et exitum tuum,
« ex hoc nunc et usque in sæculum. »

A

ENARRATIO.

In priori gradu positus in periculo, pro fide clamavit. In hoc vero consecutus jam certitudinem fidei, dicit se exauditum esse, et in cognitione sacræ Scripturæ, et in sanctorum Patrum auctoritate.

Levavi oculos meos. Ego qui in tribulationibus ad Dominum clamavi, exauditus, *levavi oculos* mentis meæ, prius ignorantia et inopia exempli depressos, *in montes*, id est, in doctrinam vel vitam montium, id est, prophetarum et apostolorum, a quibus *auxilium mihi* venit et superveniet: quia nullus tantum in divina pagina proficit, quin semper magis magisque proficere possit. *Auxilium meum a Domino*. Licet dixerim quod ab his mihi veniat auxilium, tamen *auxilium meum a Domino* potius est dicendum, *qui fecit cœlum et terram*, id est, qui fecit et

B

eos cœlum et me terram. Vel qui fecit majores et minores. *Non det in commotionem*. Modo faciens conversionem ad auditores vel ad seipsum, orat ut Deus faciat eum constantem in confirmatione fidei, dicens: Dominus *non det*, id est non permittat, *pedem tuum in commotionem*, id est, affectionem, vel fidem tuam non patiatur commutari. Et *qui custodit te* secundum perseverantiam, non *dormitet*, id est, non permittat te vacillare et hebetem esse in ipsa fide. *Ecce non dormitabit*. Sicut oravi, ita erit pro certo. Ille *qui custodit Israel*, videntes et in se credentes, *ecce*, id est, in præsenti et indilate, quod probari potest et agnosci, *non dormitabit*, id est, non permittet te nutare, *neque dormiet*, id est, non patietur te in tribulationibus deficere. *Dominus custo-*

C

dit te. Vere custodit te, quod inde probari potest, Quia ipse *Dominus* est in rebus potens ad faciendum hoc, et ipse est *protectio tua*, contra impugnationes. Et non tantum corroboravit te in fide, sed erit etiam existens *super manum dexteram tuam*, id est, super patientiam et fidem tuam, pro qua tu collocaberis in dextera Dei: quæ tua dicitur, quia tu frueris illa. Vel existens *super manum*, id est super operationem: et hoc determinat, scilicet *dexteram tuam*, id est, super bonam operationem, in qua proteget te secundum perseverantiam. *Per diem sol non uret te*. Ita custodiet te, quod *sol non uret te per diem*, id est, Christus qui est verus sol secundum illuminationem divinitatis, non offuscabit te, id est, non permittet te scandalizari in fide et intellectu divinitatis suæ

D

quin sane de ea sentias: *neque luna*, id est, ipse idem Christus, qui luna dicitur respectu suæ humanitatis, quæ fuit mortalis et passibilis, uret te *per noctem*, id est, in fide humanitatis, ne aliquid sinistram de utraque natura sentias. *Dominus custodit te ab omni malo*. Et non tantum Dominus custodit te ab hæresi, quæ sit de natura divinitatis et humanitatis suæ, sed etiam ab omni malo, scilicet hujus mundi, vel hæresi, vel aliqua perfidia, ut nihil prave sentias neque de sacramentis Ecclesiæ, neque de resurrectione mortuorum et cæteris. Et si quid secundum corpus patieris pro fidei observatione, *Dominus animam tuam* custodiet: *Dominus custodiat introitum*

tuam. Et sicut enuntiavi, sic fiat. *Dominus custodiat introitum tuum*, id est fidem tuam, per quam intrasti in Ecclesiam : *et exitum tuum* a fide in mortem, id est, maxime te custodiat in extremis, quia maxime circa finem gravissimæ solent essent tentationes. *Custodiat*, inquam, incipiens hanc custodiam *ex hoc nunc*, id est, a præsenti nunc, et ita perseveret *usque in sæculum*, id est, usque ad finem præsentis vitæ.

PSALMUS CXXI.

CANTICUM GRADUUM.

« Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in id ipsum. illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini. Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, et abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem de te. Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi. »

ENARRATIO.

Iste conscendens post fidei confirmationem, dicit se conscendisse usque ad spem, non quod spes sit altior gradus quam fides, sed quoniam habens utrumque, id est fidem et spem, altior est eo qui unum horum tantum habet. Quod de cæteris gradibus accipiendum est.

Lætatus sum. Postquam adeo munitus fui in fide, ut non solum non deficerem, sed etiam blasphemos et hæreticos impugnarem, *lætatus sum*, id est augmentatam spem habui, *in his quæ dicta sunt mihi* id est in consideratione promissionis mihi factæ a prophetis et apostolis, aliisque sanctis viris, dicentibus : *In domum Domini ibimus*, id est ad cœlestem Jerusalem perveniemus. Cum dixit, *mihi*, unitatem omnium fidelium denotavit. Cum vero dixit, *ibimus* multitudinem conscendentium intellexit. *Stantes erant* : et intantum certi fuimus nos ituros in domum Domini, quod *pedes nostri*, id est affectiones nostræ et cogitationes nostræ, *stantes erant*, id est firmiter manebant, *in atriis tuis, o Jerusalem*, id est in amplitudine gloriæ tuæ, ubi nullus possessione alterius augustabitur, sed omnes spatiose et copiose regnum possidebant. *Jerusalem, quæ ædificatur*. Ne aliquis putaret illum dicere de terrena Jerusalem, determinat de qua dicat. *In atriis* illius *Jerusalem* dico, *quæ ædificatur* adhuc quotidie *ut civitas*, id est ad modum alicujus terrenæ civitatis, quia sicut aliqua civitas ædificatur ex inanimatis lapidibus, ita illa ex vivis, qui quotidie illuc transmittuntur. Facta determinatione, commendat ipsam civitatem. *Cujus participatio* est *ejus* rei, quæ est tendens *in id ipsum*, id est in unitatem, id est omnes qui participantur illa, eamdem rem quærunt, id est Christum, qui erit summum bonum, et omnes eumdem recipient denarium. *Illuc enim ascenderunt*. Ideo hanc certitudinem habeo quod *ibimus in domum Domini*, id est in supercœlestem Jerusalem, quia *tribus* quæ sunt ejusdem conditionis et conspersionis, cujus et nos, *illuc ascenderunt* : quia sequuntur agnum quocunque ierit (*Apoc*. XIV). Et non quælibet tribus, sed *tribus Domini*, qui erat *testimonium Israel*, id est qui testatus est Jacob, homines in cœlos ascensuros, per visionem scalæ, per quam vidit angelos, ascendentes et descendentes (*Gen*. XXVIII). Et determinat ad quid tribus ascenderunt, scilicet ut laudem darent gloriæ Dei, quæ videre et laudare summa est eis gloria et requies. *Quia illic sederunt*. Etiam hoc est mihi argumentum illuc ascendendi, quia *illic sederunt sedes in judicio*, id est in cœlesti Jerusalem jam quieverunt illi, qui futuri sunt *sedes*, id est judices in futuro judicio, scilicet apostoli et cæteri sancti ; *super domum David*, dico, *sedes* sedebunt, id est ipsi qui sunt sedes Dei, sedebunt judicaturi fideles : nam infideles jam judicati sunt. Per *tribus*, minus perfectos : per *sedes*, perfectos accipimus : *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem*. Postquam isti conscendentes, qui adhortationem auditorum hic agunt, certitudinem spei suæ, scilicet in Jerusalem perveniendi, ostenderant : tum propter tribus, tum propter sedes quæ jam ascenderunt modo ipsas tribus et sedes orant pro se intercedere ut et ipsi quandoque illuc perveniat, dicentes : *Rogatæ quæ ad pacem sunt Jerusalem*, id est valentia ad quietem ducentem nos in Jerusalem, hoc est, precibus apud Deum obtineatis, ut nobis det talia merita, quibus bene operando mereamur in Jerusalem cœlestem conscendere. In quo hæresis illorum destruitur, qui dixerunt sanctis non esse supplicandum, quoniam nescirent quid hic circa pulverem eorum ageretur, cum etiam dæmones tantæ levitatis et velocitatis sint, ut uno pene eodemque momento, et hic et in Babylonia sint. Sed multo magis hæc efficacia credenda est in animabus sanctorum : quæ quanto dæmonibus sunt beatiores, tanto sunt perspicaciores. *Et abundantia diligentibus te*. Vos, inquam, sancti Dei, *rogate* nobis a Deo exhiberi ea *quæ ad pacem sunt*, et beatitudinem, quæ in supercœlesti patria est, consequendam sunt valentia. Rogamus etiam et nos pro nobis et pro omnibus aliis ita : O Jerusalem, omnibus qui te diligunt, sit abundantia pacis, id est quidquid bonorum est illis proveniat, qui vera dilectione te inhabitare præoptant. *Fiat pax in virtute tua*. Modo exponit cui rei abundantiam deposcat. *Fiat*, inquit, *pax*, id est quies vera, *in virtute tua*, id est in Christo qui est auctor et virtus tua, fiat nobis pax ita, ut conformemur ei : *et abundantia* scilicet *in turribus tuis*, id est talis pax fiat nobis, qualis fuit *in turribus tuis* id est in apostolis. Quod est perfectissimorum, qui istam rationem effundunt ad instructionem aliorum, ut et ipsi per orationem conscendant. *Propter fratres meos*. Hic ostendit orationis suæ intentionem. Quasi dicat : O Jerusalem, ego agens *de te loquebar*, id est annuntiavi *pacem* quæ est in te, non propter me, sed

propter fratres meos, scilicet alios fideles minus perfectos, A *et proximos meos*, id est magis perfectos, mutua charitate me diligentes, et imitatores meos in bono *propter domum Domini*. Ostendit quare Jerusalem bona quæsierit, scilicet quia domus Domini est. Ac si dicat : *Propter domum Domini Dei nostri* ædificandam, id est propter fideles ex quibus construitur domus Domini, et in quibus ipse inhabitat, *quæsivi tibi bona*, o Jerusalem, id est adducere tibi cives laboravi : unde gaudium fieret augmentatum ad honorem magnificentiæ tuæ, quod bonum est.

PSALMUS CXXII.

CANTICUM GRADUUM.

« Ad te levavi oculos meos, qui in habitas in cœlis. « Ecce sicut oculi servorum in manibus domino- « rum suorum : sicut oculi ancillæ in manibus B « dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum « nostrum donec misereatur nostri. Miserere nostri, « Domine, miserere nostri, quia multum repleti « sumus despectione. Quia multum repleta est anima « nostra, opprobrium abundantibus et despectio su- « perbis. »

ENARRATIO.

Post certudinem spes sequitur gradus ut sperantes se pervenire in cœlestem Jerusalem, oculus mentis quos prius ad montes levaverant, ad ipsum Dominum et ad voluntates regis ejusdem civitatis complendas dirigant. Unde iste fidelis sub persona omnium loquens fidelium, ut ostendat in eodem gradu esse, dicit :

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. O Domine, qui regis et inhabitas cœlestes creaturas vel C sanctos homines, tua gratia cœlos, ut ad pacem et supercœlestem habitationem pervenirem, *ad te levavi oculos meos*, id est rationem mentis meæ et omnes affectiones meas a temporalibus phantasiis hujus mundi, ad explendas voluntates tuas intendi. *Ecce sicut oculi servorum.* Modo singulariter, modo pluraliter agunt isti conscendentes : et plures sunt et unum. Plures, secundum personarum diversitatem : unum, secundum fidem et dilectionem. Vere *oculos meos levavi ad te*, quia *ecce*, id est in præsenti vel in manifesto, *oculi nostri*, interiores, ita sunt erecti *ad Dominum Deum nostrum*, eousque *donec misereatur nostri*, id est donec nos ab hac miseria absolvat sæculi præsentis, et faciat recumbere, et transiens ministret nobis : *ita* dico, sunt oculi D nostri ad Dominum directi, *sicut oculi servorum*, speculantes diligenti attentione, *in manibus dominorum suorum.* Dictum a similitudine servorum disciplinatorum, qui magna diligentia inspiciunt in manus dominorum, ut cum signa dederint aliquid agendi, mox obsequantur. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ.* Ideo ponit ancillas, quia in illis est major diligentia et cultus erga dominas suas, quam in servis. Ita oculi nostri ad hujusmodi servorum vel ancillarum modum omnis affectio nostra ad exsequendas voluntates Domini est intenta, donec a præsentis onere servitutis absolutos transferat in regnum libertatis suæ. *Miserere nostri, Domine.* Et ita facias, Domine, *miserere nostri :* quandoque ducendo in libertatem. Et repetit *miserere nostri*, quia non sufficit semel dicere quod nimis desiderat evenire: Et necesse ut miserearis, *quia multum sumus* despicabiles apud homines qui nos ludibrio habent et despectui : *quia multum repleta est anima nostra.* Non tantum secundum corpus despicabiles : sed anima nostra multum repleta est despectione, quia nos stultos et insanos reputant. Exponit quomodo sint despectui : ita scilicet quod anima nostra *opprobrium* est *abundantibus*, id est, locupletibus hujus sæculi, cum viderent non pauperes : *et despectio superbis*, qui nos pro humilitate nostra contempserunt.

PSALMUS CXXIII.

CANTICUM GRADUUM.

« Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc « Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. Cum ex- « surgerent homines in nos, forte vivos deglutissent « nos. Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan « aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransivit « anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra « aquam intolerabilem. Benedictus Dominus, qui « non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima « nostra sicut passer erepta est de laqueo venan- « tium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. « Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit « cœlum et terram. »

ENARRATIO.

Hic iterum loquitur eadem multitudo fidelium, non jam exemplum proponens sicut supra, sed simpliciter admonens ut postquam aliquis ad spem conscenderit, et completione mandatorum Dei ita constans exstiterit, ut inde non possit dimoveri, licet multi sint devocantes eum corrosionibus, ipsam constantiam Domino ascribat, non viribus suis. Memores sancti confessores Christi, quod pericula Domino miserante velut impetum torrentis evaserint, fatentur se sola Dei misericordia de tot ærumnis liberatos, et dicunt :

Nisi quia Dominus erat in nobis. Quicunque est *Israel*, id est, videns Deum, ita ut sit promotus ad patriam fide et exsecutione mandatorum Dei, *dicat*, id est, cogitet et intelligat apud se *nunc*, id est indilate : *quia nisi Dominus* esset *in nobis* gubernans nos, et confortans in impugnatione et lumine suo rationem nostram illuminando, mentem nostram corroboret *cum homines*, secundum carnem ambulantes, *exsurgerent in nos*, blandis et deceptoriis verbis *deglutissent nos vivos*, id est, incorporassent nos sibi prudentes et scientes : quia quamvis sciremus eorum sectam esse exsecrabilem, tamen consentiremus illis : quod contingeret sicut illa res quæ *forte* evenit, id est, temere et improvide quantum ab hominibus. Licet enim essemus prudentes, tamen non possemus nobis providere : *cum irasceretur furor eorum in nos.* Et *nisi Dominus* esset *in nobis*, cum ipsi interius furentes irascerentur exterius adversum nos cor-

rosionibus et maledicis verbis, *forsitan*, id est, ut nobis videtur, *aqua absorbuisset nos*, id est, vel ipsi diffluentes diversis concupiscentiis, et dissolventes alios, vel detractiones et aspera eorum verba, quæ erant quasi aqua violenta, quibus stabilitatem mentis nostræ submergerent, et pedem nostrum labefactarent, cum nos in nequitiæ suæ consensum devocassent. *Torrentem pertransivit.* Quantum in nobis, non potuissemus subsistere, sed, *quia Dominus erat in nobis, anima nostra*, de cujus periculo agebatur, *torrentem pertransivit*, id est, ipsos dolosos et maledictos vehementer instantes invasit, de eo quod *pertransivit*, et hoc *forsitan*, id est, puto *pertransisset.* Dubitative dicunt propter magnitudinem periculi quasi adhuc timentes. *Forsitan pertransisset.* Et ut *pertransisset anima nostra aquam intolerabilem* quantum ad vires nostras, id est, impugnationem eorum intendentem demergere, quam propriis viribus tolerare non sufficeremus, *benedictus Dominus.* Et, de eo quod *anima nostra pertransivit* illos, sit *Dominus benedictus*, id est, gloriosus et exaltatus, *qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*, id est, qui non permisit nos corrosioni et detractioni eorum succumbere. *Anima nostra sicut passer.* Non tantum corrosionem eorum evasimus, sed *anima nostra*, cauta *sicut passer* qui et laqueos et aliarum avium incursum effugit, *erepta est de laqueo venantium*, id est, de dolis et blandimentis eorum qui nos venabantur. Nulla enim avis est callidior passere ad devitandos laqueos. Ad cujus similitudinem *anima nostra*, callida et cauta existens, laqueos sibi paratos sapienter transiens, alta et æterna mentis celeritate, et spirituali ratione semper appetens, *erepta est* de captiosis et deceptoriis verbis, quibus nos illaqueare et subvertere moliebantur : *et nos* ideo erepti *sumus*, quoniam *laqueus* deceptionis eorum *contritus est*, et inefficax factus est, id est, amodo cessabit maledicis et dolosis verbis nobis adversari. *Adjutorium nostrum.* Et, quod tale adjutorium habuimus, non erat ex meritis nostris, sed *in nomine Domini*, id est, in misericordia ejus unde ipse est glorificandus ; *Domini* dico, *qui* bene potuit nos adjuvare, quia ipse *fecit cœlum et terram*, id est, et illos qui jam ascendentes in supremum gradum, cœli facti sunt, et illos qui, minores adhuc in ascensu positi, necdum omnino terreni esse desierunt.

PSALMUS CXXIV.

CANTICUM GRADUUM.

« Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non « commovebitur in æternum qui habitat in Jerusa- « lem. Montes in circuitu ejus, et Dominus in cir- « cuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum. « Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum « super sortem justorum, ut non extendant justi ad « iniquitatem manus suas. Benefac, Domine, bonis « et rectis corde. Declinantes autem in obligationes « adducet Dominus cum operantibus iniquitatem : « pax super Israel. »

A

ENARRATIO.

Postquam isti conscendentes non sibi, sed Deo quod deglutiti et absorpti non sunt, attribuunt, adhuc ulterius promoventur, scilicet ad contemptum temporalium, ut sic omnino confidentiam, quæ adhuc certior est quam spes, ponant in Domino et sic conversatio eorum in Jerusalem. Et in hoc instruunt alios exemplo suo, promittentes eis hanc utilitatem inde venire quod et interius et exterius muniantur divinitus.

Qui confidunt in Domino. Quicunque sunt illi qui in Domino confidunt, et qui spem et fiduciam in Domino ponunt, non in divitiis et nobilitate, sed in Domino, omnimodam habent confidentiam. Et *qui habitat in Jerusalem*, id est, cujus conversatio in cœlis est (*Phil.* III), nullus talium *commovebitur in æternum*, quantumcunque impugnetur ; *sicut mons Sion*, id

B

est, Christus qui est fortitudo et refugium Ecclesiæ, futura speculantis et præsentia postponentis, *non* commovebitur in æternum. *Montes in circuitu ejus.* Ideo non commovebitur, quia *montes*, id est, apostoli sunt in circuitu ejus, munientes eam tum prædicatione, tum exemplo, tum etiam interventione. Dictum a similitudine alicujus civitatis inter montes sitæ, cui non facile possit assultus fieri. Et non tantum *montes*, sed ipse *Dominus* est *in circuitu*, in defensione *populi sui*. Et in hoc perseverabit, incipiens *ex hoc* instanti *nunc et usque* in finem vitæ, juxta illud : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* (*Matth.* XXVIII). *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum.* Vere *non commovebitur*, *quia Dominus non relinquet virgam*, id est sceptrum et dominium *peccatorum super sortem*, id est super electionem *justorum*, super ipsos scilicet justos qui sunt electi Dei, hoc est non patietur illos ultra vires suas laborare, sicut Apostolus ait : « Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis (*I Cor.* X). » Et adeo non derelinquet *virgam peccatorum* super justos, *ut justi*, non dico non peccent, sed *non extendant manus*, id est affectiones *suas ad iniquitatem*, ut nullam habeant voluntatem peccandi. *Benefac Domine.* Nunc ad instructionem auditorum, quos in conformitate sui ascensuros invitant, orationem effundunt, ut et ipsi per orationem conscendant, ita dicentes : *O Domine*, *benefac bonis*, id est bene operantibus, ut perseverent, *et rectis corde*, id est innocentibus, ut sic permaneant. *Declinantes autem.* Et revera

C

D

benefaciet Dominus bonis. *Declinantes autem in obligationes*, id est in peccata, quibus obligantur homines veluti catena, vel, *in obligationes*, id est persuasiones peccatorum *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*, id est eadem pœna damnabit illos qua operarios iniquitatis, id est eorum devocatores. Ille scilicet Dominus faciet hæc qui, existens *pax super Israel*, æterna quiete remunerabit videntes se, et spem suam in eo ponentes.

PSALMUS CXXV.

CANTICUM GRADUUM.

« In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os

« nostrum, et lingua nostra exsultatione. Tunc dicent « inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis. « Magnificavit Dominus facere nobiscum ; facti su« mus lætantes. Converte, Domine, captivitatem no« stram, sicut torrens in austro. Qui seminant in « lacrymis, in exsultatione metent. Euntes ibant et « flebant, mittentes semina sua. Venientes autem ve« nient cum exsultatione, portantes manipulos suos. »

ENNARRATIO.

Post contemplum temporalium adhuc altior est gradus, ut etiam post captivitatis conversionem liberum et jucundum sit eis bene agere. Multi enim sunt omnia temporalia postponentes et bene operantes quibus tamen non est jucundum et delectabile bene agere, quia fortassis, si pœna et remuneratio non sequeretur, a bene agendo cessarent. In quibusdam vero istis gradibus se ponunt in exemplum, in quibusdam simpliciter adhortantur, in quibus utrumque faciunt hi conscendentes.

In convertendo Dominus, id est dum converteret Dominus *captivitatem Sion*, id est servitutem nostri, qui, prius ad modum captivorum, coacti et ex necessitate servivimus in libertatem et jucundam voluntatem. Nostri dico, speculantium futura, *facti sumus sicut consolati*. Captivitas Sion fuit, quando Ecclesiam Dei quæ primitus in paucis erat persecutorum premebat iniquitas. Sed conversa est in libertatem, quando per divinæ misericordiæ respectum etiam ipsi principes receperunt fidem, jamque licuit credentibus libere Christo exhibere servitutem. Cujus captivitatis conversio tam jucundos et delectabiles reddidit plurimos, ut jam quasi ex libero arbitrio bene operari delectarentur. Et ipsa tristitiæ remotio hic dicitur consolatio. Unde hic dicitur : *Facti sumus sicut consolati*, quia, quantacunque hic sit consolatio, est quasi umbra et quædam tantum similitudo futuræ consolationis : *Tunc repletum est*. Et non solum similes *facti sumus* consolatis in illa conversione captivitatis in libertatem, sed etiam tunc, id est eodem tempore conversionis, *os nostrum* scilicet interius repletum *est gaudio*. *Et lingua* etiam *nostra* exteriori *exsultatione* illud celare non potuit. *Tunc dicent inter gentes*. Sed mali non cognoscunt tantam libertatem et gratiam hic nobis esse concessam. Sed *tunc*, id est in futuro ubi non poterunt dissimulare, *dicent inter gentes*, id est ipsi qui hic gentiliter vixerunt, sive mali Christiani, sive non credentes. Vel etiam hic, aliqui *inter gentes*, considerantes religionem in populo Christiano florere, et diversa gratiarum bona in sanctis abundare, *dicent*: Nos illos putavimus insanos (*Sap.* v), sed *Dominus magnificavit* suum *facere cum eis*. Bene facit Dominus cum suis, quanto ut bene operentur efficit, sed magnificat tunc suum *facere cum eis*, quando bene operari efficit eis jucundum et spontaneum *Magnificavit Dominus*. Sic dicetur *inter gentes*. Et revera *Dominus magnificavit* suum *facere nobiscum* quemadmodum illi dicunt, *facti sumus* sicut *lætantes*, id est ex lætitia Domini complemus mandata. *Converte, Domine*. Convertunt se ad orationem, ut quemlibet ascendentem exhortentur in idipsum, dicentes : O *Domine*, *converte captivitatem nostram* in libertatem. Ne aliquis putaret hanc captivitatis conversionem ita factam ut non posset intendi et augeri, addit. Quamvis dicamus quod *facere tuum*, *Domine*, *nobiscum* magnificaberis, tamen oramus, *converte* magis et magis *captivitatem nostram* in libertatem, quia quandiu in hac vita subsistimus, semper magis et magis in libertatem converti indigemus : *libertatem* dico, existentem *sicut torrens in austro*. Tempore flantis austri glacies et nix resolvitur in torrentem, quia omnia repellit obstantia : ita et corda calore sancti Spiritus afflata resolvuntur a glacie vitiorum in libertatem quia omnia hujus sæculi propellens impedimenta, vi maxima ruit ad patriam. Quasi aliquis diceret : Tu oras libertatem qua plurimas patieris tribulationes : vel, qualis est illa libertas, in qua tot tribulationes sustines ? Ad hoc respondes : Quæ cura ? Si seminem *in lacrymis*, in gaudio metam quia omnes, *qui seminant* in lacrymis, id est qui operantur bene in tribulationibus, facient messem *in exsultatione*, id est fructum bonæ operationis recipient pro eo quod hic laboraverunt. *Euntes ibant*. Et ut seminemus in lacrymis, habemus auctoritatem in antecessoribus, id est in sanctis martyribus qui fuerunt euntes ad mortem. Et determinat quomodo *euntes : Ibant et flebant*, hoc est *mittentes* in lacrymis *semina sua*, id est bonas operationes. *Venientes autem*. Ita fuerunt *euntes* ad mortem, ut diximus, sed, *venientes* de morte ad vitam, *venient* non qualitercunque, sed *cum exsultatione* contra hoc quod hic flebant, *portantes manipulos suos*, id est recipientes remunerationem bonorum operum.

PSALMUS CXXVI.

CANTICUM GRADUUM SALOMON.

« Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum la« boraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custo« dierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. « Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite, « postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas « Domini, filii ; merces, fructus ventris. Sicut sagittæ « in manu potentis, ita filii excussorum. Beatus vir « qui implevit desiderium suum ex ipsis, non con« fundetur cum loquetur inimicis suis in porta. »

ENNARRATIO.

Istud *canticum graduum* est commonitorium *Salomonis*, id est repræsentans ad memoriam causam illius. Salomon enim tantæ fuit sublimitatis, ut Spiritus sanctus per os ejus loqueretur, et templum Domini ædificaret in sapientia omnes homines præcellens : et tamen cecidit et non quomodocunque, sed in idololatriam. Quod admonet per istorum quæ hic aguntur exhortationem quemlibet, ut licet post contemptum temporalium intantum conscendat, ut ex dilectione bene operetur (*Gal.* v), non tamen præsumat ullo modo in se sibi promittere securitatem, nisi sessionem prius per-

[illegible]nit. Id est, nisi humil[illegible] suam ad [illegible] finem perduxerit, cum præcipue vir tantæ dignitatis et sapientiæ sic criminaliter corruerit. Ideo autem hic in octavo gradu agitur de securitate, quia securitas nulla est priusquam perveniantur ad octavam.

Nisi Dominus ædificaverit domum. Iidem, qui et supra, loquuntur hic ad instructionem auditorum, ac si dicant: Postquam adeo, ut dictum est, conscenderitis, nolite præsumere de custodia vestra, quasi vos possitis custodire bonum quod in vobis est, cum nec prius illud operari possetis, nisi Deus operaretur in vobis, quia *nisi Dominus ædificaverit domum*, id est, ipse primo aliquem constituisset sibi habitaculum, et animam ipsius, quæ domus Dei esse debet, per initia bonorum operum ædificasset, frustra *laboraverunt qui ædificant eam*, id est bonum, hoc est, frustra laborassent et prælati prædicantes et subjecti obedientes. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat* (*I Cor.* III). *Nisi Dominus custodierit civitatem.* Postquam vero ædificati fueritis, et multitudinem virtutum quasi concives congregaveritis, nolite, ut dictum est, de harum custodia in vobis præsumere, quia *nisi Dominus custodierit civitatem*, id est, animam, in qua virtutes velut cives continentur, *frustra vigilat qui custodit eam*, id est, in vanum sollicitus est et curiosus qui intendit eam custodire ope sua, sive prædicator, sive prædicatus. *Vanum est vobis.* Et quoniam civitas non potest custodiri nisi a Domino, ergo *vanum est* vobis *surgere*, id est, securitatem vobis promittere *ante lucem*, id est, ante luculentam et omnibus conspicuam remunerationem, quæ erit in communi resurrectione. Et ne quis putaret quod hæc dejectio semper deberet manere, addit : *Surgite, postquam sederitis*, id est, tunc securi estote, quando hæc sessio et dejectio vestra scilicet mortalitas et passibilitas peracta fuerit. Et tamen non dicit ut vel tunc possint esse securi nisi custoditi a Domino. Sed illa custodia longe differens erit ab ista, quoniam ita confirmati tunc erunt ut non sit eis voluntas vel desiderium peccandi sicut nec angelis. Quod autem ponit, *surgite, postquam sederitis*, dicitur a similitudine damnatorum qui in medio placito jubentur sedere in terra, donec de aliis etiam detur sententia, ut similiter damnentur. Tunc dico, *surgite*, id est, securi estote, vos scilicet *qui manducatis panem doloris*. Ac si dicat : Non [illegible] promitto, sed vobis tantum *qui manducatis panem doloris*, id est, quibus ista præsens et continua tribulatio, respectu supernorum, delectationi est et refectioni velut panis qui continuus est cibus. *Cum dederit dilectis suis somnum.* Et quasi pro expectationis diuturnitate solliciti dicerent. Et quando erit ut peracta sessione possimus surgere? ait : Tunc *cum dilectis suis*, id est, ad vitam præordinatis, *dederit somnum*, id est, æternam quietem. Et illa quies non differtur, sed *ecce*, id est, in proximo et quasi in manifesto, scilicet est *hæreditas Domini*, id est, ipsa quies et remuneratio, quia quantumcunque differatur, tamen quantum ad hoc quod postea non variabitur, jam dicendum est : *ecce*, quia, etsi sint centum vel mille anni, cito tamen erit ad comparationem æternitatis. *Cum* ergo *dederit* Dominus *dilectis suis somnum*, id est, requiem post hujus vitæ miserias, *ecce hæreditas Domini* statim apparebit, et hæc *hæreditas* non qualiscunque erit sed *merces filii*, id est, talis erit remuneratio suo modo, qualis est illius qui proprie Filius dicitur, hoc est, eamdem suo modo immortalitatem et impassibilitatem habebunt quam Filius Dei, quam tamen per ipsum Filium habebunt. Et hoc intelligitur ubi determinatur de quo filio dicatur. *Filii* dico, *fructus ventris*, id est, illius Filii qui dicendus est merito fructus ventris, id est, fructuosus partus uteri virginalis, ex qua maximus provenit fructus, et maxima utilitas humano generi. Hilarius : « Ostenditur quando debeant surgere qui prius jussi sunt sedere, illo scilicet tempore cum fideles suspiciuntur in requiem, quibus mors somnus est et secura pausatio. » *Ecce hæreditas Domini*, *filii*, scilicet Ecclesiæ, ex aqua et Spiritu sancto regenerati, et isti *filii* sunt *merces fructus ventris*, id est, uteris virginalis partus. *Merces* est omnis ejus *hæreditas*, qui resurgens in cœlorum possessionem mittitur, et æterna cum Domino felicitate gaudebit. Merces enim humanitati reddita dicitur, de qua et secundus psalmus ait : *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Cæterum divinitas ejus nihil accepit unde cresceret. *Sicut sagittæ in manu potentis.* Quoniam superius dixerat *in vanum* ædificantes laborare et custodientes *frustra* vigilare, ne prædicatores omnino depressi et nihil valere videantur, et dissolutis manibus tepidi efficiantur, consolatur eos ita : Quamvis dixerim *vanum est vobis ante lucem surgere filii* tamen *excussorum*, id est, expeditorum ad excutiendas prædas, hoc est, apostolorum imitatores, *ita sicut sagittæ* sunt positæ *in manu potentis*, subaudis sagittarii, quia ibi sunt multum efficaces. Excussores proprie dicuntur qui custodiunt circa castella ad prædas liberandas, et excutiendas. Ita prædicatores constituti sunt ad eripiendas animas a potestate diaboli quæ ab eo sunt captivatæ. Vel, excussores sunt trituratores frumentum a paleis excutientes. Quod similiter refertur ad prædicatores. *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis.* Et, quia ipsi excussores sunt sicut sagittæ in manu periti sagittarii, beati sunt. Et non tantum ipsi sunt beati, sed etiam *beatus* est *vir* quisque qui bonam voluntatem conceptam ex ipsis, id est, exemplis et doctrina eorum, implet secundum operationem. Et hanc beatitudinem ostendit ex parte, quia *non confundetur* ullo modo, *cum loquetur inimicis suis*, id est, hæreticis vel persecutoribus, cæterisque Deo contradicentibus *in porta*, id est, in publico : dictum a similitudine fortis militis qui audacter ad portas inimicorum veniret, et ibi loqueretur cum eis. Vel *in porta*, id est, in Christo ipsi manens, et ea quæ Christi sunt loquens.

PSALMUS CXXVII.

CANTICUM GRADUUM.

« Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant « in viis ejus. Labores manuum tuarum quia man- « ducabis, beatus es, et bene tibi erit. Uxor tua « sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii « tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ « Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum « Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona « Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas « filios filiorum tuorum, pacem super Israel. »

ENNARRATIO.

Iterum illi fideles, qui et supra, agunt cum illis quos promoverunt ad hunc gradum ut nunquam sibi securitatem promittant, quandiu sunt in hac vita et exhortantur illos ad altiorem gradum, scilicet timere, id est Deum diligere. Et hæc dilectio non debet esse otiosa, sed ambulent in viis. Et dicunt quantum quis per hæc consequatur beatitudinem, et hic, et in futuro.

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Omnes qui timent Dominum vero et casto timore, vera scilicet dilectione supradictorum respectu beneficiorum, et ita ut sint ambulantes et se promoventes in præceptis ejus, *beati* sunt. *Labores manuum tuarum.* Probat eos esse beatos, quia, tu quivis *es beatus* præsenti beatitudine, *Et bene tibi* in futura beatitudine *erit quia labores manuum tuarum manducabis*, id est, delectationi tibi erunt bona opera quæ hic laborasti, hoc est, perfrueris remuneratione bonorum operum, in quibus hic studiosus eras. Et sicut omnes illi qui timent Dominum, beati sunt, ita et tu quilibet, quem admoneo, si timueris beatus es. *Uxor tua sicut vitis.* Exponit quomodo in præsenti sit quisque beatus, ita scilicet quia *uxor tua*, id est, sensualitas tua quam ratione maritatam bene subegisti, erit *sicut vitis abundans* multiplicitate bonorum operum *in lateribus domus tuæ*, id est, in omnibus membris exterioribus corporis tui, *sicut vitis* juxta domum plantata fecundior et abundantior est cæteris alibi plantatis. *Filii tui sicut novellæ olivarum.* Secundum hoc etiam beatus est in præsenti, quia *filii tui*, id est opera tua sunt excrescentia in perpetuam pacem, *sicut novellæ olivarum* crescunt in perfectam olivam per quam pax designatur *Filii tui*, dico existentes *in circuitu mensæ tuæ*, id est, in respectu Christi qui est mensa, id est, refectio animæ nostræ, dictum a similitudine alicujus patris uxorem fetam habentis, qui multum de filiis mensam suam circumstantibus lætatur. *Ecce sic benedicetur homo..* Exposita beatitudine quam consequentur timentes Dominum, apponit : *Ecce sic benedicetur*, id est est, tali benedictione et beatitudine beatificabitur et sublimabitur homo *qui timet Dominum*, id est, qui diligit Dominum. Et hoc *ecce*, id est, in præsenti. Ac si dicat : Proposita est vobis beatitudo, modo videte an velitis amittere tantum bonum quod potestis habere pro dilectione Ideo proponit eis beatitudinem ut magis alliciat ad dilectionem. *Benedicat tibi Dominus.* Facta exhor-

A tatione, faciunt orationem ita : Diximus quia *sic benedicitur homo* ut dictum est. Et ut ita fiat, *benedicat tibi Dominus*, id est, sublimet te multiplcando et intendendo in te bona opera. Et hoc ex eo, quia tu jam es *Sion*, id est speculans et attendens futura et non potes custodiri per te. Et hoc modo benedicat te, *ut videas bona Jerusalem*, id est, ut experiaris ea bona quæ pertinent ad cœlestem Jerusalem, scilicet bona opera *omnibus diebus vitæ tuæ*, id est, quandiu vixeris. *Et videas filios*, Et modo te benedicat ut experiaris filios *filiorum tuorum*, id est, remunerationem bonorum operum videlicet imperturbabilem *pacem* dico *super Israel*, scilicet futuram vel tendentem super Israel, id est, excedentem fideles Dei, quia non possunt eam viribus suis promereri.

B

PSALMUS CXXVIII.

CANTICUM GRADUUM.

« Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat « nunc Israel. Sæpe expugnaverunt me a juventute « mea: etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum « meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt « iniquitatem suam. Dominus justus concidit cer- « vices peccatorum, confundantur et convertantur « retrorsum omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut « fenum tectorum quod, priusquam evellatur, exa- « ruit. De quo non implevit manum suam qui metit, « et sinum suum qui manipulos colligit. Et non dixe- « runt qui præteribant : Benedictio Domini super « vos, benediximus vobis in nomine Domini. »

ENNARRATIO.

Postquam isti conscendentes sunt eo modo quo C dixi Dominum timentes, debent se ita contemperare ut, in constantia tribulationis, possint dicere quia ab impugnantibus non sint superati. Et ideo ivitant alios ut sui exemplo bene operentur, et, si tribulatio eis inde ingruerit, non deficiant. Quam constantiam hic gradus exsequitur :

Sæpe expugnaverunt me. Quicunque est *Israel*, id est, qui intantum conscendit ut corde videat Deum *dicat nunc* id est in proximo se ita affectet et præparet ut possit dicere : *Sæpe expugnaverunt*, id est, impugnaverunt me adversarii mei. Et hæc impugnatio processit *a juvente mea*, id est, ex eo tempore ex quo innovatus sum vel propter innovationem meam impugnaverunt me. *Sæpe expugnaverunt.* Quod repetitur ad confirmationem assertionis fit. *Sæpe* D *expugnaverunt me a juventute mea.* Et ideo sæpe, quia *non potuerunt mihi* prævalere. Si enim semel expugnassent, non secundo vel tertio impugnassent. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Determinat quomodo expugnassent. *Dorsum meum* ædem sibi fecerunt flagellando. In qua fabricatione *prolongaverunt* id est, adduxerunt *iniquitatem suam* et ex opposito justitiam meam. Quod dicit ad consolationem auditorum ne illis molesta sit tribulatio, cum justitia sua inde crescat. *Dominus justus concidit.* Ipsi inquam extenderunt iniquitatem suam, pro quo Dominus, qui justus est judex, *concidit*, id est, confringet *cervices*, id est, superbiam *peccatorum*

Et ex opposito intellige quod remunerabit humilita A tem meam, et ideo jure debemus esse constantes. Facta autem exhortatione ad conscendentes, orat pro persecutoribus ita : Et ne ipsi omnino in futuro concidantur, utinam *omnes qui oderunt Sion*, id est, qui odio tantum persequuntur fideles *confundantur* ex eo quod fuerunt odientes, *et convertantur retrorsum*, id est fiant sequaces et imitatores eorum quos volebant præcedere. *Fiant sicut fenum* : Quod si noluerint converti a pravitate sua, concedo divinæ justitiæ ut fiant sicut fenum *tectorum* id est, fiant comparabiles feno absque utilitate in tecto nascenti secundum hoc scilicet ut exardescat in eis priusquam de hac vita eleventur quidquid utilitatis et bonitatis erat in eis. *De quo non implevit*, tali scilicet feno sunt comparabiles, *de quo non implevit manum* B *suam qui metit :* hoc est, quod nullus metere curat quod autem sequitur, nec *sinum suum qui manipulos colligit* iidem sunt et qui metunt et qui manipulos colligunt, scilicet sancti angeli qui quod die abducunt fideles ab hac vita in regnum cœlorum In manu vero et sinu qui capacior est, diversitas majoris et minoris dignitatis accipitur. Ac si dicat Sancti angeli, qui messores sunt in fine mundi, non implebunt de eis *manum* vel *sinum* id est, non colligent eos in numero minus perfectorum qui recipient tricesimum vel sexagesimum fructum, nec in numero magis perfectorum qui recipient centesimum fructum (*Matth.* XIII). *Et non dixerunt qui præteribant.* Et ideo non colligentur ab angelis, quia huic feno, id est, talibus *non dixerunt* hi qui viam hujus sæculi et temporalia sunt prætereuntes, et ad patriam C tendentes : *Benedictio Domini super vos*, id est, non effecerunt dicto et prædicatione sua ut benedictio fidei et operationis sublimarentur : hoc est, non profuit eis prædicatio eorum. Nec dixerunt : *Benediximus vobis in nomine Domini*, id est, sua prædicatione non effecerunt, ut illi qui benedicti et sublimati erant fide, degentes essent *in nomine Domini*, id est, ut bene operando darent gloriam nomini Domini. Quasi dicerent: *Benediximus* quidem *vobis*, sed non *in nomine Domini*, ut cæteris fundatis Quod de falsis Christianis accipiendum est, sicut prior hujus versus pars de infidelibus. Omnes enim peccatores aut impii sunt, aut infideles, aut falsi Christiani. Apostoli vero omnibus tam salvandis quam non salvandis prædicabant. Sed *aliis* erant D *odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II).

PSALMUS CXXIX

CANTICUM GRADUUM.

« De profundis clamavi ad te, Domine : Domine. « exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes « in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obser- « vaveris, Domine : Domine, quis sustinebit ? Quia « apud te propitiatio est, et propter legem tuam sus- « tinui te, Domine. Sustinuit anima mea in verbo ejus « speravit anima mea in Domino. A custodia matutina « usque ad noctem, speret Israel in Domino. Quia apud « Dominum misericordia et copiosa apud eum re- « demptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus ini- « quitatibus ejus. »

ENARRATIO.

Post inceptam tribulationibus constantiam, debent reputare fideles suis se viribus nullomodo posse subsistere, sed meritis eorum omnino agitur, licet tantum jam bonscenderint deficiant et non possint perseverare; recognoscant de ipsis profundis tribulationum ad Deum esse clamandum, et clament, ut Dominus, sicut præcepit, constantes eos usque ad noctem mortis custodiat. Pœnitentialis etiam iste psalmus habetur. Sed tunc non reputatur gradus. Quod non est mirandum, si unus idemque psalmus diverso modo accipiatur, cum quidquid bene et secundum fidem possit exponi in singulis psalmis, Prophetam credamus hoc intellexisse.

De profundis clamavi. Cum persecutores omni genere tribulationum instarent et me omnibus modis devocarent, ego, positus in abysso tribulationum, de meis viribus diffisus, *clamavi ad te, Domine*, ad quem clamandum est, quia tu es Dominus potens auxiliari. Et tu, o *Domine, exaudi vocem meam*, id est clamorem voce prolatum. *Fiant aures tuæ intendentes.* Et ut ego in clamando extensus fui, ita Domine *aures tuæ* id est potentia et facilitas exauditionis tuæ fiat intensa *in vocem deprecationis meæ* conferendo id quod designat vox mei deprecantis : *si iniquitates* observabis. *Exaudi*, inquam, *vocem meam*, et non attendas neque observes *iniquitates* meas, quia *si* tu, *Domine*, *iniquitates observaveris*, id est, in memoria habueris, ut districto judicio punire velis vel meas, vel aliorum, *Domine* bone, *quis sustinebit*, id est, qui sufferre poterit ? Vel, *quis sustinebit*, id est, quis exspectabit? Si tu iniquitates observares, nullus sufferret. Sed quamvis dixerim *quis sustinebit* aliquis tamen sustinebit. Et hoc in me probari protest. Ego *te, Domine, sustinui*, id est, a te remunerationem cum patientia exspectavi, non me intelligerem peccatorem esse, et hoc nullo modo promeruisse, sed ideo, *quia apud te*, id est, in tua natura *est propitiatio*, id est, misericordia, quia misericorditer agis, non observans *iniquitates* quibus defectum patimur; et etiam *propter legem tuam* observatam a me, id est, propter conditionem quam nobis proposuisti: *Dimittite et dimittetur vobis*(*Luc* VI VII). Vel ut universaliter dicatur, *propter legem*, id est, præcepta tua observata. Hoc ideo apponit, ne videretur desperare, et ideo minus alliceret ad clamorem illos quos hic invitat. *Sustinuit anima mea.* Modo convertit se ad auditores ita : Non tantum *sustinuit* propter propitiationem ejus et propter legem observatam, sed etiam *in verbo ejus*, id est, in consideratione promissionis ejus, qua receptorum veniam promisit pœnitentibus et indulgentiam quærentibus et sempiternam gloriam promerentibus. *Speravit anima mea*, scilicet illum remuneratorem pro legitima certatione. Et bene dicit animam suam spirasse; sicut quædam virtutes proprie sunt coporis sicut

jejunare, vigilare, ita fides, spes, charitas, proprie dicuntur animæ. *Speravit*, inquam, *anima mea*, non in quolibet, sed *in Domino*, id est, in consideratione omnipotentiæ ejus. *A custodia matutina.* Quæ spes fuit incipiens *a custodia matutina*, id est, a tempore illuminationis vel consensionis meæ, hoc est, a principio sanctitatis meæ, et ita perseverabit *usque ad noctem*, id est, ad mortem. Vel, sicut in Hebræo habetur, a vigilia matutina usque ad vigilam matutinam; id est, ab incipiente hic illuminatione perseverando usque ad verum matutinum quod post hanc vitam incipiet lucescere. Et sicut ego spero in Domino, sic omnis *Israel speret in Domino. Quia apud Dominum.* Et merito omnis *Israel*, id est, omnis fidelis sperabit *in Domino*, *quia apud* ipsum est *misericordia*, id est, ipse naturaliter est misericors. *Et* ne quis desperet multitudine peccati, *apud* Dominum est *copiosa redemptio*, tam originalium quam actualium criminum, tam criminalium quam venialium. Vel *copiosa redemptio*, tam gentium quam Judæorum, *Et ipse redimet.* Hic *copiosa* est *apud* illum *redemptio*, quia quotidie peccata dimittit. Et in futuro idem *ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus* quia nullus omnino sine macula de hoc mundo transibit qui in oblatione sacrificii et orationibus indigeat absolvi.

PSALMUS CXXX.

CANTICUM GRADUUM.

« Domine, non est exaltatum cor meum, neque « elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, ne« que in mirabilibus super me. Si non humiliter « sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut « ablactatus est super matre sua, ita retributio in « anima mea. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc « et usque in sæculum. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo fideles alta conscendentes iterum suos admonent sectatores ut, dum eo usque promoti fuerint quod ad Dominum pro constantia tribulationis clament adhuc ad altiora conscendant, videlicet ut cum exauditi fuerint in hac re, non glorientur in semetipsis reflectendo oculos suos ad virtutes suas unde possent superbire, sed, ascendentes gradum humilitatis ipsa magnalia quæ in se sunt, non sua, sed Dei cognoscant esse, ita dicentes.

Domine non est exaltatum cor meum. O *Domine*, post beneficia tua supradicta, *cor meum non est exaltatum*, id est, in mente mea non superbivi, *neque elati sunt oculi mei*, id est, nullam extrinsecus superbiam ostendi, quæ maxime nutibus et elatione oculorum deprehenditur. *Neque ambulavi in magnis.* Non tantum non superbivi, sed etiam in his in quibus solummodo locus videtur, scilicet *in magnis* et *mirabilibus*, sed non in me gloriando, ut conservarem humilitatem meam, hoc est, in virtutibus provectum habui, quæ erant tam magnæ ut essent etiam mirabiles, sed non ita ut ipsas virtutes attenderem, dicendo apud me: quatenus sum, quam gloriosus sum, sed magis dicebam: quantum differo ab aliis qui sunt superiores me in virtutibus. Et hoc ideo feci, quia erant *super me*, id est, desuper mihi collatæ sunt a Domino. *Si non humiliter sentiebam, sicut ablactatus.* Modo ponit sese sub devotione quadam. *Si non humiliter sentiebam*, id est, si non semper in humilitate me continebam post omnes gradus supradictos, *sed exaltavi animam meam* superbiendo, tunc *ita* veniat *retributio in* animam meam, scilicet ut peream *sicut* periret puer *ablactatus*, quia adhuc deberet *super* matrem suam incumbere; si remotus, non sustentaretur aut matris aut alterius ope. Ideo facit hanc devotionem, ut per pœnitentiam quam sibi imperat adjutores a superbia removeat. *Speret Israel.* Et quicunque est Israel, sic *speret in Domino*, sicut ego *humiliter* sentiens speravi vel sicut ego *in magnis et mirabilibus* non superbivi: sic omnis qui est *Israel* dum in talibus est, non superbiat et sic *speret in Domino*, incipiens *ex hoc nunc*, id est ex præsenti *nunc*, *et* perseveret *usque in sæculum.*

PSALMUS CXXXI.

CANTICUM GRADUUM.

« Memento, Domine, David, et omnis mansuetu« dinis ejus. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo « Jacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ, « si ascendero in lectum strati mei. Si dedero som« num oculis meis et palpebris meis dormitationem; « et requiem temporibus meis, donec inveniam « locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Ecce « audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in « campis Silvæ. Introibimus in tabernaculum ejus, « adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. « Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca san« ctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur justitiam « et sancti tui exsultent. Propter David servum « tuum, non avertas faciem christi tui. Juravit Do« minus David veritatem, et non frustrabitur eam, « de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si « custodierint filii tui testamentum meum, et testi« monia mea hæc quæ docebo eos, et filii eorum « usque in sæculum sedebunt super sedem tuam. « Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in ha« bitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæ« culi, hic habitabo quoniam elegi eam. Viduam « ejus benedicens benedicam, pauperes ejus satu« rabo panibus. Sacerdotes ejus induam salutari, et « sancti ejus exsultatione exsultabunt. Illuc produ« cam cornu David, paravi lucernam Christo meo. « Inimicos ejus induam confusione, super ipsum « autem efflorebit sanctificatio mea. »

ENARRATIO.

Fidelium multitudo postquam in tantum conscendit, ut nullo modo superbiat virtutibus, orat hic vitam apostolicam scilicet ut vivat in societate et concordia fratrum non sub suo jure, sed sub alterius potestate. Et, quia nullis meritis suis reputat se illud posse consequi, licet tantum conscenderit, propter David, id est, propter Christum et ejus

obedientiam orat Patrem surgere, id est, hoc efficere. Et hic gradus desiderium dicitur.

Memento, Domine, David, o *Domine* Pater, *memento* in nobis *David*, id est, Christi viriliter agentis per omnia. *Et omnis mansuetudinis ejus*, id est, patientiæ et obedientiæ ejus, *sicut juravit Domino; mansuetudinis ejus*, dico, *memento*, ita per omnia exhibitæ sicut ipse Filius Dei Deo Patri *juravit*, id est, jurejurando confirmavit. Et sicut *votum vovit Deo Jacob*, id est, luctantium, quia et ipse secundum humanam naturam luctans erat. Jurare, et votum vovere, non verbis hic, sed Dei firma dispositione accipitur, dictum a similitudine hominum aliquid jurantium et firmiter voventium. *Si introiero. Si dedero somnum oculis et requiem temporibus meis. Juravit*, ita dicens : *Si introiero in tabernaculum domus meæ*, id est, in habitationem mansionis meæ, ut ex delectatione corpori meo acquiescam in aliquo. Et *si ascendero in lectum strati mei*. Et *si dedero somnum oculis meis*, quod minus est quam stratum ascendere. *Et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis :* quod fit quando tempora gravantur ad somnum. Hoc nullo modo quievero aut cessavero *donec inveniam locum Domino*, id est, tales in quibus Dominus habeat *locum* et *requiem* suam, et *donec inveniam tabernaculum* id est, militantes *Deo Jacob*, id est, luctatorum subaudis, non ero promissor verax, vel aliquid hujusmodi quod digne possit subaudire.

Quod dicit, *si introiero in tabernaculum domus meæ*, dictum est a similitudine militis alicujus ita devoti erga dominum suum ut nunquam domum suam intrare velit, donec per destructionem inimicorum ad voluntatem domini sui militet. Quod autem dicit, *in lectum strati*, *lectum* hic dicit ipsam lecticam, stratum vero, quod desuper ponitur, sicut culcitra, pulvinar, et cætera. *Ecce audivimus eam.* Hoc dictum est, *juravit David*, id est, Dominus Jesus, et sicut promisit, ecce completum videmus in præsenti et in manifesto, quia *audivimus eam*, id est, sedem vel Ecclesiam, quam prius prædixit, locum *in Ephrata*, id est, in Judaico populo quem hic intelligimus, tum per locum qui est in Judæa, alio nomine dictum Bethleem, tum propter nominis interpretationem. Ephrata enim interpretatur *speculum*. Quod bene Judæis convenit qui sub umbra legis quasi per speculum in ænigmate contemplabantur quæ nunc facie ad faciem videntur (*I Cor.* XIII). Et quod dicitur, *audivimus eam in Ephrata*, illi parti attribuitur quæ hic ex gentibus loquitur. Et quod sequitur, *invenimus eum in campis Silvæ*, Judæis ascribitur. Ac si dicant Judæi : *Nos invenimus eam*, id est, Ecclesiam etiam *in campis Silvæ*, id est, in his qui silva fuerunt, sed jam facti sunt campi, id est, fructiferi. *Eam*, non est relativum ad aliquam vocem quæ in libro sit posita, sed ad significationem loci, *introibimus in tabernaculum*. Modo exponunt in qua re orent, ut meminerit David in eis, scilicet quia *introibimus*, id est, introire disposuimus *in ta-*

A *bernaculum ejus*, id est, in militia ejus ut stemus adorantes, id est, venerantes eum *in loco*, id est, in eo statu *ubi steterunt pedes ejus*, id est, apostoli. Quasi dicat, in conformitate apostolorum, ut unanimes simus voluntate, in qua ipsi firmiter perseveraverunt (*Act.* II). Et ad hoc *adorabimus*, id est, per orationem nos id facturos disposuimus. *Surge, Domine.* Nos disponimus introire in apostolicam vitam et adorare. Et ut possimus introire, tu *Domine*, surge, id est, potens appare eundo *in requiem tuam*, faciendo nos tales, in quibus requiescas et delectaberis. Et tunc te surgente, surgat *et arca sanctificationis tuæ*, id est, nos qui, sanctificati et purificati in baptismate sumus *arca* tua, portantes in nobis tabernacula testamentorum, id est, præcepta Veteris B et Novi Testamenti, et manna, id est, Christum cibum angelorum et panem vitæ et intellectus, et virgam Aaron, id est, gubernationem nostram ipsorum, in qua dominamur illicitis motibus. *Sacerdotes tui.* Modo exponit quomodo orent ut surgant, *arca sanctificationis*, sic scilicet, Domine, ut *sacerdotes tui induantur justitiam*, id est, nos qui sumus *regale sacerdotium* (*I Petr.* II), nos ipsos immolantes in bona simus operatione. *Et sancti tui exsultent*, id est, nos ipsi per te sanctificati, secundum puritatem innocentiæ simus exsultantes. *Propter David.* Et hoc nostris meritis non oramus, *sed* potius *propter David* quem dilexisti, qui est servus tuus, tibi per omnia obediens : post bonam operationem et innocentiam *non avertas faciem christi tui*, id est, speciositatem et pulchritudinem, id est, conformitatem ejus a nobis. C Et hoc propter ipsum, sicut superius dixit, *Memento mansuetudinis ejus juravit Dominus David veritatem.* Quasi aliquis diceret : Qua fiducia audes conformitatem Christi orare ? Ea scilicet, quia Dominus Pater juravit, id est, firmiter disposuit vel promisit David, id est, Domino Jesu Christo filio ejus, veritatem, id est, ipse ipsum qui est Veritas. *Et non frustrabitur eam*, id est, non decipiet eum in hac promissione : Et quid juravit ? *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, id est, quosdam, ex his quos generabis in fide, faciam eadem beatitudine immortalitatis et impassibibitatis in regno tuo tecum perfrui. Hoc David promissum est de Christo secundum carnem, hoc Christo de fidelibus secundum spiritum. *Si custodierint filii.* Tunc scilicet filii *tui sedebunt super sedem* D *tuam*, *si custodierint testamentum meum*, id est, pactum in baptismo mihi promissum, *et testimonia*, id est præcepta *mea*, *hæc* scilicet *quæ docebo eos*, id est, quæ ego injungam eis. Et non tantum *filii tui*, id est, apostoli et cæteri primitivi, sed etiam *filii eorum*, id est: imitatores eorum *sedebunt super eamdem sedem usque in sæculum*, id est, æternaliter. Aliter. Quosdam ex regeneratis qui erunt *filii tui* faciam reges, id est, seipsos et alios regentes. Et si perseveraverint in præceptis meis filiosque suos perseverare fecerint, ipsi et filii eorum hic et æternaliter *sedebunt super sedem tuam*, hic se ipsos regentes, in futuro conregnantes. *Quoniam elegit Do-*

minus Sion. Vere regnabunt, quoniam *Dominus* ad hoc *elegit Sion* quæ speculatio dicitur, id est, Ecclesiam quæ speculatur futura gratis sine omnibus meritis præcedentibus assumpsit de massa perditorum ; *elegit* quidem *eam in habitationem sibi*,id est, quam inhabitaret et coleret secundum promotionem virtutum,ita dicens : *Hæc requies mea*, id est, *hæc Sion* erit *requies mea*,hoc est, talem illam constituam,ut in ea delecter et requiescam, non tantum *hic*,sed *in sæculum sæculi. Hic*, id est, in illa *Sion habitabo*,et *hic* et in futuro. *Quoniam elegi eam* ad hoc, ut inhabitem in ea. *Viduam ejus.* Probat hoc, quod dixit, *hic habitabo*, ita : *Viduam ejus*, scilicet Sion,id est, qui in ea desolati sunt temporali jucunditate,*benedicens* hic sublimando in virtutibus, *benedicam* glorificatione futura.Vel *benedicens benedicam*,id est,multum sublimabo. *Pauperes ejus*, id est,Sion,id est,eos qui sunt existentes in humilitate,sicut qui attendunt paupertatem suam,*saturabo panibus*,id est, multiplicitate intellectus sanctarum Scripturarum : quia qui omnia temporalia postponunt ad intelligendum expediti sunt. Easdem vero personas pro diversis causis vocat *viduam et pauperes. Sacerdotes ejus.* Illos quoque qui non tantum sunt humiles, sed etiam seipsos sacrificium justitiæ offerentes, *induam salutari*, id est, Christo, hoc est,conformitate Salvatoris, bona scilicet operatione. *Et sancti ejus*, scilicet Sion, *exsultatione, exsultabunt*, de perfecta innocentia gaudebunt. *Viduam* et *pauperes,* sacerdotes et sanctos, eos ipsos qui in hoc psalmo loquuntur,accipimus *illuc producam*,hic eos ita sublimando, in futuro autem *illuc producam cornu David*,id est, in eosdem extendam sublimitatem et conformitatem Domini Jesu, non tamen ita, ut ea paritate et quantitate debeant sublimari,sed suo modo. *Paravi* enim eos *lucernam Christo meo*,id est, faciam eos recognoscere non se lucem esse, sed *lucernam*, id est, portare in se Christum qui est lux vera, et ab eo splendorem accipere,quo et ipsi illustrentur, et alios illuminent : *inimicos ejus.*Illos ita, ut dixi, sublimabo, *inimicos* autem *ejus*,id est, Christi, scilicet persecutores vel hæreticos,qui ei inimicabantur : *induam*, id est, circumdabo perpetua *confusione*,id est,damnatione. Sed *sanctificatio mea*, id est, sanctificati mei efflorebunt de virtute in virtutem, vel floribus bonorum operum in maturitatem æternæ remunerationis,*super ipsum* videlicet Christum fundati, sine quo nihil esse possunt.Aliter : *Illuc*,id est, ad sanctos *producam cornu David.* Et non tantum ad eos, sed etiam *inimicos*,id est, persecutores *ejus induam confusione* bona, ut erubescentiam ex eo habeant quod persecuti sunt eum.Et non solum erubescent. sed etiam postea facti *sanctificatio mea*,in baptismate sanctificati, efflorebunt in promotione virtutum super ipsum fundati in operibus bonis.

PSALMUS CXXXII.

CANTICUM GRADUUM.

« Ecce quam bonum et quam jucundum habitare « fratres in unum. Sicut unguentum in capite,quod « descendit in barbam,barbam Aaron.Quod descen- « dit in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon, « qui descendit in montem Sion. Quoniam illic « mandavit Dominus benedictionem et vitam usque « in sæculum. »

ENARRATIO.

Iidem ipsi fideles, qui in superiori psalmo cum humilitate conformitatem Christi et apostolicam vitam oraverunt, adhuc promotiorem gradum ascendunt ; scilicet ut postquam consecuti sunt quod quærebant,in unum cohabitare voluntarie studeant.

Ecce quam bonum. Quod oravimus consecuti sumus.Ecce habitamus in unum, hoc est, omnia habemus communia,et in eadem voluntate existimus apostolicam vitam ducentes.Unde et vos,auditores, discite, *quam bonum et quam jucumdum* est *habitare fratres in unum*, id est, concordi voluntate ut idem velint.Quod melius et jucundius est quam ut possit voce profiteri. Multi cohabitant,ut Cain et Abel,Esau et Jacob,sed non in unum. Multa etiam sunt bona,et non jucunda,ut jejunare, vitam castigare. Multo vero jucunda et non bona,ut voluptuose vivere. Sed ista fratrum cohabitatio cum sit bona et jucunda,merito est amplectenda. Modo ostendit per similitudinem qualis sit : *Sicut unguentum.*Vere est *bonum et jucundum sicut unguentum in capite*,utpote spirituale donum quo perfecti unguntur ut reges,sacerdotes,existens in potestate Christi qui est caput nostrum. Et tale donum *quod descendit in barbam*, id est, in robustos, quoniam robur et sapientia per barbam denotatur. Et exsequitur per partes,de quibus dicat robustis, scilicet in *barbam Aaron*, id est in apostolos qui primo loco Christo sacerdoti summo adhærebant.Vel,secundum nominis interpretationem, Aaron dicitur *mons* vel *montanus.* Et Christus licet in sæculo conversaretur, semper tamen ipse mons existens,in monte altissimo et in munitione inexpugnabili permansit. *Quod descendit in oram. Quod unguentum* non tantum *descendit*,id est,profluxit *in barbam Aaron*, sed etiam *in oram vestimenti ejus*, id est, in summitatem vestium ejus, quia unctio spiritualis primo de Christo profluxit in apostolos, quasi de *capite* in *barbam*, deinde per *barbam* in vestimentum,id est, de apostolis in martyres, qui primi post apostolos ambientes erant Christum, et sic *in oram*, id est in extremitatem *vestimenti*, id est, in omnes fideles Ecclesiæ. Per hoc multum commendat hunc gradum, id est, cohabitationem *in unum*, quia tam præcipuos viros, scilicet apostolos et martyres, in ea fuisse commemorat. Quod unguentum profluxit *sicut ros Hermon*,id est, utpote gratuitum donum exaltati luminis, id est, Christi, quia hoc donum ipse nulli contulit ante exaltationem suam sicut scriptum est : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Joan.* VII). Hermon interpretatur *lumen exaltatum*, sive *anathema*

eorum. Ros qui sine labore hominum ad fructificandam terram *decendit*,gratuitum donum Dei absque merito designat. *Ros* itaque *Hermon descendit in montum Sion*, quia gratia quæ prius collata est Judæis,postquam ipsi anathematizando Christum Jesum, separaverunt se ab eo, venit in Ecclesiam gentium quæ mente speculatur Deum, sive, gratuitum donum Dei populo gentium collatum,quod prius fuit anathema,venit in Sion,quando Judæi et gentes in unitatem fidei sunt conjuncti.Sive,per montem *Hermon*, et *montem Sion*, eminentiores, et perfectiores in Ecclesia accipiamus, in quos largius descendit gratia Spiritus sancti.*Quoniam illic mandavit Dominus.*Et ideo etiam *bonum*, et *jucundum* est *in unum habitare*, quoniam illic, id est, in illa cohabitatione existentibus,*mandavit*, id est, legavit B Dominus per doctores suos, *benedictionem*, id est sublimationem magis ac magis, magisque in dies secundum promotionem virtutum,et non tantum sublimationem in hac vita,sed etiam *vitam usque in sæculum*,id est tendentem usque in æternitatem.

PSALMUS CXXXIII.

CANTICUM GRADUUM.

« Ecce nunc benedicite Dominum,omnes servi Do-« mini.Qui statis in domo Domini, in atriis domus « Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in « sancta, et benedicite Dominum. Benedicat te Do-« minus ex Sion,qui fecit cœlum et terram. »

ENARRATIO.

Nunc iidem fideles invitant omnes qui eo usque ascenderunt ut cor unum et animam unam habeant, ut in eo perseverent, vel, Deo quod promoti sunt C non sibimet ascribant,et omnia quæ faciunt respectu cœlestis retributionis agant, et pro his omnibus Deum benedicant.

Ecce nunc benedicite Dominum. O vos *omnes servi Domini*, qui in tantum conscendistis, *ecce nunc*, id est, in præsenti cum nihil vobis aliud jam restat, *benedicite Dominum* secundum perseverantiam, vel ut Deo ascribatis quod hucusque conscendistis.*Qui statis in domo Domini.* Vobis, dico, servis *Domini qui statis in domo Domini*,id est, in Ecclesia, præceptis Dei insistentes et nullo modo jacentes. Et sit causa benedictionis, quia *satis in atriis domus Dei nostri*,id est, in amplitudine dilectionis deducentis nos in æternam domum Dei nostri.*In noctibus extollite.Benedicite*, inquam, *Dominum*,et *extollite manus* D *vestras*,id est,opera vestra *in sancta*, id est, respectu cœlestium bene operamini *in noctibus*,id est,in tota ista vita,ubi sunt varii defectus, quæ ad futuram vitam comparata, nihil aliud quam nox est dicenda.Duobus modis homines in nocte esse accipiuntur, vel secundum peccata, ut est illud : *Qui dormiunt, nocte dormiunt* (*I Thess.* x). Vel etiam,boni sunt hic in nocte, quantum ad lucem et gloriam futuræ vitæ. *Et benedicite Dominum*, id est, ex eo ipso quod *manus* extollitis *in sancta* laudate Dominum. *Benedicat te Dominus.* Modo qui hactenus eos exhortati sunt generaliter, ut ostendatur quia ad

A hoc non sufficiunt libero arbitrio,et omnes supra dictos consensus esse ex gratia Dei,singulariter eos alloquuntur dicentes : *Dominus* progrediens *ex Sion* id est,qui Deus et homo est,*benedicat te* et in promotione et in custodia promotionis.*Dominus*, dico, qui potens est, *qui fecit cœlum et terram*, id est, majores et minores.

PSALMUS CXXXIV.

ALLELUIA.

« Laudate nomen Domini,laudate,servi.Dominum « Qui statis in domo Domini, in atriis domu Dei « nostri.Laudate Dominum, quia bonus Dominus ; « psallite nomini ejus,quoniam suave est.Quoniam « Jacob elegit sibi Dominus,Israel in possessionem « sibi.Quia ego cognovi quod magnus est Dominus « et Deus noster præ omnibus diis.Omnia quæcun-« que voluit Dominus fecit in cœlo,in terra,in ma-« ri,et in omnibus abyssis. Educens nubes ab ex-« tremo terræ,fulgura in pluviam fecit. Qui produ-« cit ventos de thesauris suis,qui percuissit primo-« genita Ægypti ab homine usque ad pecus. Emisit « signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pha-« raonem et in omnes servos ejus. Qui percussit « gentes multas, et occidit reges fortes, Sehon re-« gem Amorrhæorum,et Og regem Basan, et om-« nia regna Chanaan.Et dedit terram eorum hære-« ditatem,hæreditatem Israel populo suo. Domine, « nomen tuum in æternum, Domine, memoriale « tuum in generationem et generationem.Quia judi-« cabit Dominus populum suum, et in servis suis « deprecabitur.Simulacra gentium argentum et au-« rum,opera manuum hominum.Os habent, et non « loquentur : oculos habent,et non videbunt: aures « habent,et non audient : neque enim est spiritus « in ore ipsorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, « et omnes qui confidunt in eis.Domus Israel, be-« nedicite Domino : domus Aaron, benedicite Do-« mino : domus Levi, benedicite Domino : qui ti-« metis Dominum, benedicite Domino. Benedictus « Dominus ex Sion,qui habitat in Jerusalem. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo loquitur Propheta invitans omnes tam de Judæis quam de gentibus ad laudem Dei,ex consideratione bonitatis ipsius, tum quia gratuito plura bona eis contulit, tum respectu mirabilium quæ multipliciter enumerat in tractatu hujus psalmi. *Laudate nomen Domini.* O vos, *servi* Domini, *laudate* devotione cordis et oris *nomen* illud quod est Dominus, vel gloria Domini. *Qui statis in domo*,etc. Hic versus exponendus est, ut supra. *Laudate Dominum* (*Psal.* CXXXIII): Ideo etiam *laudate Dominum,quia* naturaliter *bonus* est in se.Et non tantum voce *laudate* eum, sed etiam *psallite nomini ejus*, id est bene operamini ad gloriam nominis ejus quod est Dominus,*quoniam* nomen talis Domini non est asperum neque acerbum ut aliorum, sed *suave est* et nimis delectabile. Vel jucundum et suave est psallere illi. *Quoniam Jacob elegit.* Hoc etiam sit vobis materia laudis,quoniam *Dominus elegit Jacob*

sibi, id est eos qui in vobis minus perfecti adhuc in lucta sunt, gratis assumpsit. Et *Israel in possessionem sibi*, id est perfectiores in vobis, qui jam Deum corde vident. Hos omnes sola misericordia ex perditorum massa assumpsit ad hoc, ut possideat et excolat eos, quasi aliquis hæreditatem suam. *Quia ego cognovi*. Et merito debetis talem Dominum laudare, quoniam non tantum bonus sed *magnus est*, et potens : quod ego plenaria cognitione cognovi, Spiritu sancto mihi revelante. *Et Deus noster* est non recens, sed antiquorum patrum *Deus* talis, ut sit *præ omnibus diis*, sive ab eo sanctificatis, sive ab hominibus falso assumptis. *Omnia quæcumque voluit Dominus*. Probat *quod magnus* sit *præ omnibus*, quia ipse *fecit omnia quæcumque voluit in cælo, et in terra*, id est in prælatis et subditis, et non tantum in bonis, sed etiam in malis, quod est *in mari*, et non solum in qualibuscumque malis, sed in his etiam qui erant abyssi, id est qui in profundo vitiorum fuerunt, *fecit quæcumque voluit*. Educens nubes. *Fecit in cælo* quod *voluit*, hoc scilicet, quod illos qui erant quasi extremi inter homines secundum ignobilitatem et inopiam, educens ab illa extremitate, *fecit nubes* ad pluendos alios. Et *fecit in* eis *fulgura*, id est illuminationem scientiæ *in pluviam*, id est in doctrinam. Per *nubes* officium, per *pluviam* doctrina designatur. Quod est dicere : Non tantum injunxit eis officium prædicandi, sed fecit eos ipsum exsequi. *Qui producit ventos*. Adhuc probat Dominum magnum esse qui talis est quod producit *ventos*, id est spirituales eosdem quos *nubes* dixit, sed *nubes* propter officium, *ventos* propter spiritualitatem, *de thesauris suis*, id est de occulta dispositione sua, in qua fuerunt *ante mundi constitutionem* (*I Petr.* I). Et in eo laudandus est, quia *percussit primogenita*, id est originalia peccata, quæ prima nascuntur in hominibus, destruxit, *Ægypti*, id est eorum qui erant in dejectione et tenebris ignorantiæ, *ab homine usque ad pecus*, id est et eorum qui erant sapientes in sæcularibus, ut philosophi vel Judæi et Græci, et eorum qui secundum simplicitatem pecudibus erant comparabiles, sicut barbari. *Et misit signa*. Eo igitur modo et ordine delevit *primogenita Ægypti*. *Et misit signa et prodigia*, id est mirabilia in publico. Et hoc non in qualibet parte tui, o *Ægypte*, sed *in medio tui* : quia per totum mundum contigere miracula, *in Pharaonem*, id est in diabolum destruendum qui vere dissipatio dicitur. *Et in omnes servos* scilicet destruendos, id est ministros *ejus* scilicet malignos spiritus sibi subjectos qui serviunt ei in dissipatione generis humani. *Qui percussit gentes multas*. Et non tantum *primogenita*, id est originalia crimina delevit in baptismo, sed etiam *percussit gentes multas*, id est multitudinem actualium peccatorum post baptisma per tentationes occurrentium destruxit, *et occidit reges fortes*, id est talia vitia quæ solent fortiter regnare et dominari in quibusdam, et tantam vim habere ut vix se aliquis ab eis expediat *Sehon regem Amorrhæorum*. Exponit quos *reges* occiderit, scilicet *Sehon*, id est vehementem tentationem, quæ adeo vehemens fuit ut aut jam prævalendo regnaret, aut regnare jam potuisset. Sehon interpretatur *calens tentatio*, *tentatio oculorum*, sive *lassescens*, vel *germen inutile*. Amorrhæi dicuntur *amaricantes*. Og, *conclusio* vel *coacervans*. Basan, *pinguedo*, vel *ignominia*, sive *confusio*. Chanaan, *motus eorum*, sive *paratus humilitati*, vel *dejectioni*. Non tamen omnino destruxit tentationem quin impugnet, sed in eo quod solet esse *Amorrhæorum*, id est secundum hoc quod solet dominari et prævalere, quantum ad consensum his qui sunt Amorrhæi, id est amaricantes Deum in consensu. Quod est dicere : Destruxit et debilitavit impugnationum suggestionem, ut non pervenirent ad consensum, vel in quibus prævaluit condonavit. Secundum illam interpretationem, qua Sehon dicitur *tentatio oculorum*, per tentationem hujus sensus, subintelligimus tentationes totius sensualitatis. Maxime enim per oculos tentamur, et sicut beatus Augustinus ait, «iste convenit omnibus aliis. Solet enim dici : Vide quantum fragorem fecit. Vide quam bene sapiat. Vide quam bene redoleat. Vide quam asperum vel lene sit tactu.» *Occidit et Og regem Basan*. Per *Og*, malam operationem deducentem in confusionem accipimus, quoniam de operatione multo difficilius, quam de consensu poterit se quisque redimere. Sed Dominus *occidit Sehon et Og*, id est conclusionem actus cum consensu destruxit. Cum enim per consensum pervenitur ad operationem, tunc homines sunt conclusi et irretiti, ut non facile possint exire. Quæ conclusio habet potestatem ducendi homines in confusionem, id est de vitio in vitium, quandiu sunt in hac vita, et postmodum in æternam damnationem, et ne currant per singula, *occidit omnia regna Chanaan*, id est omnem pravam consuetudinem destruxit, per quam homo commovetur, et a Deo recedit in regionem dissimilitudinis, paratus obedire humilitati et dejectioni. *Et dedit terram eorum hæreditatem*. Non solum vitia secundum consensum et operationem in suis destruxit, sed et *terram eorum* scilicet regum, scilicet sensualitatem carnis quæ ex pœna peccati semper prona est ad malum, et prava suggerit rationi, et ubi vitia prius regnabant dedit *populo suo hæreditatem*. Et repetit, *hæreditatem*, ut determinet cui populo eam dederit, scilicet *Israel*, id est credentibus et videntibus se, ut bene eam excolerent, et ex toto rationi subjugarent, ita ut ejus fructum bonum redderent, *Domine nomen tuum*. Modo convertit se Propheta ad Dominum cum gratiarum actione pro his omnibus, dicens : O *Domine*, qui præterita mala condonasti, et in præsenti deserto securum ducatum contra hostes occurrentes, *nomen tuum*, id est gloria tua permanebit *in æternum*, quia inde gloriosus eris æternaliter in nobis. *Et memoriale tuum*, id est significatum illius quod filiis Israel historialiter actum est, perseverabit in præsenti *generatione* et futura generatione. *Quia judicabit Dominus*. Ideo

etiam gloria Domini erit *in æternum*, quia judicabit *populum suum*, id est, fideles suos remunerabit postquam de hac vita migraverint. Et adeo remune[illegible]*tur*, id est, rogabitur, ut ipsi sint mediatores, et intercessores pro nobis ad eum, sicut quotidie fit in sanctis: dictum a similitudine illius servi, quem dominus suus ita sublimat ut pro aliis conservis intercedere valeat. *Simulacra gentium. Dominus* hæc omnia quæ dicta sunt *fecit*, et ideo talis Dominus merito laudandus est, non *simulacra gentium*, quæ tantum sunt similitudines rerum, et sunt *aurum et argentum*, vel ex viliori materia. *Opera manuum hominum*, id est, corporaliter ab hominibus facta, non secundum intellectum habita. Quæ, cum habeant formas humanorum membrorum, nullius eorum fruuntur officio. *Neque enim est spiritus in ore ipsorum*, ut possint vel ad modum brutorum animalium sonare. Hæc simulacrorum vituperatio spectat ad laudem Dei. Ac si dicat : Ideo sic deprimo Deos eorum ut recedant a cultura talium. Quod si noluerint, concedo divinæ justitiæ ut *qui faciunt ea, et qui* fiduciam ponunt *in eis similes illis fiant* in interiori suo, ut eodem modo vim rationis amittant, sicut illa carent corporeis sensibus. *Domus Israel, benedicite Domino.* Quidquid autem de istis fiat, vos qui estis *domus Israel*, id est, fideles subditi ex Judæis, *benedicite Domino* devotione mentis, et oris et operationis. Et non tantum subditi, sed etiam *domus Aaron*, id est, prælati, *benedicite Domino. Dominus*, inquam, *Levi*, id est, Aaron, sive qui estis in ministerio sacerdotum Domini, *Benedicite Domino. Benedictus Dominus.* Simul omnes, *benedite Domino*, dicentes : *Dominus* veniens *ex Sion*, id est, natus de Judaico populo, *qui* tantus est, quod *habitat in Jerusalem*, id est regnat in cœlestibus creaturis, sit *benedictus*, subaudis, in omnibus.

PSALMUS CXXXV.

ALLELUIA.

« Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam « in æternum misericordia ejus. Confitemini Deo « deorum, quoniam in æternum misericordia ejus. « Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui facit mirabilia magna « solus, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui « fecit cœlos in intellectu, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui firmavit terram super aquas, « quoniam in æternum misericordia ejus. Qui fecit « luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus. Solem in potestatem diei, quoniam in « æternum misericordia ejus. Lunam et stellas in « potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis « eorum, quoniam in æternum misericordia ejus. « Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam in « æternum misericordia ejus. In manu potenti et « brachio excelso, quoniam in æternum misericordia « ejus. Qui divisit mare Rubrum in divisiones, quoniam in æternum misericordia ejus. Et eduxit Is« rael per medium ejus, quoniam in æternum misericordia ejus. Et excussit Pharaonem et virtutem « ejus in mari Rubro, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui « percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia ejus. Et occidit reges fortes, quoniam in « æternum misericordia ejus. Sebon regem Amorrhæorum, quoniam in æternum misericordia ejus. « Et Og regem Basan, quoniam in æternum misericordia ejus. Et dedit terram eorum hæreditatem, « quoniam in æternum misericordia ejus. Hæreditatem Israel servo suo, quoniam in æternum misericordia ejus. Quia in humilitate nostra memor fuit « nostri, quoniam in ætænum misericordia ejus. Et « redemit nos ab inimicis nostris quoniam in æternum misericordia ejus. Qui dat escam omni carni, « quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia « ejus. Confitemini Domino dominorum, quoniam in « æternum misericordia ejus. »

EXARRATIO.

Eadem materia est in hoc psalmo, quæ et in superiori continetur, nisi quod Propheta hic agens, aliqua hic apponit, quæ ibi non habentur.

Confitemini Domino, quoniam bonus. O vos omnes fideles, *confitemini Domino*, id est, laudate Dominum devotione, voce et opere : tum ea consideratione, *quoniam bonus* est naturaliter; tum *quoniam misericordia ejus*, quam fecit in humano genere, permanens est *in æternum*: quia non desistet quousque vos perducat in æternitatem. *Confitemini Deo deorum.* Ideo etiam laudate eum quia ipse est Deus deorum, id est, excedens omnes deificatos, et quia est Dominus excedens omnes terrenas potestates, et hoc ideo, *quoniam misericordia ejus*, quæ hic in vobis cœpit, *in æternum* permanebit. Ista particula quasi intercalaris versus subjungitur singulis versibus ad commendandam magnitudinem misericordiæ Dei. *Qui fecit mirabilia*, licet dixerim, deorum et *dominorum*, tamen solus est Deus et Dominus, faciens mirabilia, non qualiacunque, sed *magna*, idque *solus*. Illi tali confitemini quoniam in æternum misericordia ejus. *Qui fecit cœlos.* Exponit quæ mirabilia fecit et assidue facit, scilicet hæc, *fecit cœlos*, id est, apostolos et alios spirituales viros, sublimes vitæ dignitate. Et hos fecit *in intellectu*, id est, in seipso, qui est sapientia Patris nullo extrinsecus adminiculante. *Qui firmavit terram*, id est Ecclesiam, *super aquas* baptismatis fundatam, vel superiorem persecutoribus factam, qui fluctibus persecutionum intendebant eam submergere. *Qui facit luminaria magna.* Fecit etiam unde digne laudandus est, quia *fecit luminaria magna*, id est, quosdam ex fidelibus illuminavit sapientia, alium plus, alium minus: quosdam faciens *in potestatem Dei*, ut essent potestatem habentes in scientia : et sic factas *solem* in perfecta claritate et illuminatione sapientiæ: quosdam faciens *lunam*, id est, minus lucentes in scientia. ***Et stellas :***

id est, adhuc minus scientes, et tamen omnem magna luminaria existentes: ut *in potestatem noctis*, essent potentes historialis scientiæ et illarum rerum, quæ pertinent ad finem: quæ scientia nox dicitur, comparata ad perfectiorem scientiam. *Qui percussit Ægyptum.* Et per solem et lunam destruxit tenebras ignorantiæ et perfidiæ in his qui erant mundum amantes: vel actualia peccata, quæ affligunt homines in conscientia, *cum primogenitis eorum*, id est, cum originalibus peccatis. *Qui eduxit Israel.* Deletis peccatis, fideles eduxit de medio ipsorum peccatorum vel de massa perditorum: ubi datur intelligi, quod ibi quosdam dereliquisset. Non enim omnes, sed quosdam assumpsit *in manu potenti*. Eduxit eos *in manu potenti*, id est, in cooperatione valida, *et brachio excelso*, id est, in fortitudine supereminenti omnes alios. *Qui divisit mare Rubrum.* Ne omnes illi qui exierunt Ægyptum, et in quibus sunt primogenita destructa, certi sint de salute absque bonorum operum exsecutione, exponit quomodo percussit Ægyptum, ita scilicet, quia divisit mare *in divisiones*, id est, sacramentum baptismatis aliis ad salutem, aliis concessit ad damnationem. Si dixisset solummodo, *divisit*, tantum in duas partes acciperemus. Sed cum dixit, *Divisit mare Rubrum in divisiones*, intelligimus multiplices divisiones factas: quia ipsis etiam damnandis baptisma multis modis est in damnationem, aliis per hæresim, aliis per adulterium, aliis per homicidium. Et eodem modo in opposito poterimus videre in salvandis. *Et eduxit Israel.* Illos qui fuerunt Israel innovati, eduxit *per medium ejus*, id est, maris, hoc est, de medio baptismatis extraxit alios ab aliis, salvandos scilicet a damnandis, ut essent dissimiles moribus et vita his qui remanserunt in Ægypto. *Et excussit Pharaonem*, id est, jugum et dominium diaboli, *et virtutem ejus*, id est, peccata quæ sunt virtus et potestas ejus, excussit ab Israel in baptismo. *Qui traduxit populum suum.* » Et non tantum insequentes hostes ibi submersit, sed etiam *per desertum* hujus sæculi postmodum traduxit eos in securitate contra occurrentes hostes. *Qui percussit reges magnos*, id est, cum iterum post baptisma insurgerent vitia ex prava consuetudine, percussit multitudinem vitiorum quæ vitia sunt fortes et prævalentes reges, de quibus dicit: *Et percussit reges fortes*, id est, et illa peccata quæ jam fortiter tenuerunt ligatos, delevit. *Sehon regem Amorrhæorum.* Exponit quos reges percussit, scilicet tentationem calentem et vehementem, quæ fuit regenerans in amaricantibus Dominum. Et occidii conclusionem, id est, malam operationem ducentem ad confusionem præsentem et futuram: *et dedit terram eorum hæreditatem.* Terram illam quam reges supradicti possederant, ipsos homines carnales, scilicet eorum sensus, dedit *hæreditatem Israel servo suo*, id est, fidelibus suis, ut possideant eam jure beato. *Quia in humilitate.* Et merito debetis illi confiteri, tum ideo *quia misericordia ejus* est *in æternum*, tum quia *fuit memor*

A *nostri in humilitate nostra*, nullis meritis nostri præcedentibus, sed in humilitate et dejectione nostra misertus est nostri. *Et redemit nos*, id est, ita memor fuit nostri, ut redimeret nos *ab inimicis nostris*, a quibus capti tenebamur. *Qui dat escam omni carni.* Ideo etiam confitemini illi, quia prætium illud quod dedit pro redemptione nostra, scilicet corpus suum, dat omnibus redemptis, ut sacramento corporis sui reficiantur. *Confitemini Deo cœli*, ut jure debetis confiteri: quia Deus est non tantum deorum, ut dixi, sed etiam cœli, id est, cœlestium creaturarum. *Confitemini Domino dominorum.* Post enumerata beneficia repetit superius dictam exhortationem. Quasi dicat: Ergo pro hujusmodi beneficiis *confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus.*

B

PSALMUS CXXXVI.

PSALMUS DAVID JEREMIÆ.

« Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur, Sion. In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem. Qui dicunt: Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in

C ea. Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram. »

ENARRATIO.

Iste psalmus attribuitur fidelibus perfectis, agentibus hic propter Jeremiam, id est, juxta Jeremiæ prophetiam, hoc est, habentibus eumdem intellectum de captivitate humani generis, quem Jeremias habebat, cum descripsisset lamentationes ad litteram de captivitate filiorum Israel in Babylone. Sicut enim in negotio illius captivitatis habetur, qualiter filii Israel septuaginta annos defleverunt exsilium et dejectionem suam in Babylonia, et in recordatione terrestris Jerusalem suspirabant, et desistendo a

D laude Dei organa sua suspenderunt: ita in his verbis referunt fideles miseriam et dejectionem suam, in qua sunt tota hac vita quæ volvitur septenario numero. Et ostendunt vehementiam gemitus sui, quem habent pro desiderio cœlestis Jerusalem. Et hoc modo verba vitæ suspendunt a civibus Babyloniæ, quos indignos vident agnitione verbi divini. Et hæc relatio fit ad instructionem minus perfectorum, ut et ipsi miseriam suam cognoscentes, similiter agant.

Super flumina Babylonis. Nos commorantes *super flumina Babylonis*, id est, super studia et negotia hujus sæculi, et super res temporales, quæ ducunt

et præcipitant homines in confusionem, ita tamen, ut non essemus in illis fluminibus, sed superiores *sedimus illic*, id est, in magna dejectione et miseria fuimus in ipso scilicet statu in quo eramus periculi vicinitate, licet superiores essemus. *Et flevimus*, id est, magnum dolorem habuimus, dum *recordaremur* tui, *Sion :* quia tui, o Sion, recordati sumus, id est, in consideratione habuimus tam diu prolongari nobis gloriam, quam in te sumus habituri, id est, *in salicibus*. Tum ideo *flevimus*, quia tui, o Sion, recordabamur : tum quia inter salices fuimus, a quibus erat verbum Domini removendum. Vel ita continuetur : Non solum flevimus, sed *organa nostra in salicibus suspendimus*, id est, admonitionem dulciter et misericorditer ex præceptis diversis resonantem subtraximus, in consideratione illorum qui erant steriles et infructuosi, de quibus erat nobis desperatio, sicut de fructu salicis. Et in tantum steriles, ut essent *in medio ejus*, id est, Babylonis, non in extremo, sed in profundo dejectionis et confusionis : jam erant in consummata nequitia, contemnentes jam peccare, quæ nequitia ducit ad æternam confusionem. Et quia ita corruerant, indignum erat ut eis prædicatio fieret, ne eam pro ludibrio haberent. *Quia illic interrogaverunt nos.* Quasi aliquis diceret : Quare dicitis vos suspendisse organa? Erantne aliqui quærentes organa? Ad hoc respondet : Vere, *quia illic*, id est in Babylone, vel inter felices, *interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos*, id est, maligni spiritus, qui in primo parente nos captivaverant, rogaverunt nos per salices, id est, per ministros suos organizare *verba cantionum*, id est, divinæ modulationis sermones. *Et qui abduxerunt nos*, id est, a Deo recedere fecerunt, illi tales quæsierunt a nobis verba cantionum, ut annuntiaremus de vita æterna, de die judicii, quæ sunt verba delectationis, non quantum ad eos, sed quantum ad nos, qui in eis summam delectationem habemus. Hæc ergo quæsierunt a nobis, ita dicentes : *Cantate nobis Hymnum*, id est, vel unum carmen, *de canticis Sion*, id est, de divinis præceptis, quæ pertinent ad cœlestem Jerusalem : an ibi debemus habere uxores, filios, canes, et cætera hujusmodi? *Quomodo cantabimus.* His talibus dedimus responsum. *Quomodo*, id est, qua ratione vel utilitate *cantabimus canticum*, id est præcepta, *Domini in terra aliena?* id est, in consideratione vestri, qui estis terra aliena, non apta ferre fructum Domino? Ac si dicerent : Salices estis, et fructum ferre non potestis : ideo non cantabimus vobis. *Si oblitus fuero.* Quia dixerunt se a salicibus organa suspendisse, ne forte credantur etiam a bonis siluisse, dicit : Licet talibus subtraham admonitionem meam, tamen *si oblitus fuero tui*, o *Jerusalem*, id est, si non dicam quæ sunt dicenda et prædicanda de te, *dextera*, id est, bona operatio, *mea detur oblivioni*, id est in futuro sit irremunerata, vel nesciam bene operari. *Adhæreat lingua.* Et non tantum in futuro priver remuneratione, sed hic etiam *adhæreat lingua faucibus meis*, id est, lingua mea interior adhæreat faucibus meis interioribus, ut neque hic bene cogitem *si tui non meminero*, id est, si non annuntiavero his quibus est annuntiandum de te. Vel ita continuetur : *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea.* Auferatur mihi omnino facultas bene operandi, et non solum operandi, sed etiam loquendi, et hoc est quod sequitur : *Adhæreat lingua mea faucibus meis.* Et hæc sententia melior priore est. Hic intelligitur verbum Dei ab indignis esse removendum, et dignis proferendum. *Si non proposuero.* Et tunc *detur oblivioni dextera mea*, o *Jerusalem, si* te *non proposuero in principio lætitiæ meæ*, id est, ad hoc, ut sis principium lætitiæ meæ. Quasi dicat : Nulla est mihi in temporalibus delectatio, ad comparationem illius quam in te habeo. *Memor esto.* Et quia ego non obliviscar tui, o Jerusalem, et te ponam summum lætitiæ meæ, multas patiar anxietates a filiis Edom, id est, a filiis Esau, qui edulio lentis a fratre pro primogenitis accepto, dictus est Edom (*Gen.* XXVII), id est sanguineus. Cujus filii etiam historialiter multum impediebant filios Israel, ne reædificarent Jerusalem : quod fuit hujus rei significativum. Et tu, *Domine, memor esto filiorum Edom.* Et remunera nos pro tribulationibus quas patimur a sanguineis Babylonicis, *in die Jerusalem*, qua plenarie ædificabitur Jerusalem superna ex nobis. Illorum dico filiorum Edom, *qui dicunt* exhortando, alter ad alterum : *Exinanite, exinanite*, id est, evacuate quidquid in ea boni est et virtutis, *usque ad fundamentum in ea*, id est, ut nec fides remaneat in fidelibus ejus, id est, Jerusalem. *Filia Babylonis misera.* Et ne hoc quod dicit : Memor esto, Domine, filiorum Edom, videatur causa malevolentiæ dictum, vertit se ad ipsos sub persona filiæ Babylonis, eosque feminino genere ponit, propter infirmitatem eorum, et quia fornicantur ab sponso et marito suo Christo. O *filia Babylonis misera*, id est, o vos persecutores filii Eodem sanguinolenti, vos putatis vos fortes et beatos in persecutione vestra, sed miseri estis; quia animas vestras in eo occidistis, et dissolute et effeminate agitis, nihilque virilitatis in vobis est, quia omni pravæ suggestioni ceditis : sed ille *beatus* est *qui retribuet tibi retributionem tuam*, id est, talem *quam retribuisti nobis :* tu bene merentibus nobis filios auferre moliebaris : beatus ille qui tibi male merenti filios tuos abstulerit, ne omnino pereant : *ille* dico, studens te exinanire, id est, in eo quod mala es destruere. *Beatus qui tenebit.* Exponit de qua dicat retributione. *Beatus qui parvulos*, id est, filios tuos dum adhuc rudes sunt, et cum converti possunt, *tenebit* ne tibi consentiant : *et allidet* eos *ad petram*, id est, ad Christum eos conjunget, quia pro eorum conversione mercedem accipiet. Aliter : Caro nostra non incongrue accipitur filia Babylonis, quæ sibi consentientes in maximam confusionem deducit. Cujus concupiscentias quicunque restringendo eam

afflixerit, parvulosque ejus cogitatus ad Christum alliserit, ne juxta delectationes suas in opera prava convaleant, beatus prædicabitur : quia æternæ beatitudinis remuneratione donabitur.

PSALMUS CXXXVII.

PSALMUS IPSI DAVID.

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, « quoniam audisti omnia verba oris mei. In con- « spectu angelorum psallam tibi, adorabo ad tem- « plum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. « Super misericordia tua et veritate tua, quoniam « magnificasti super omne nomen sanctum tuum. « In quæcunque die invocavero te, exaudi me : mul- « tiplicabis in anima mea virtutem. Confiteantur « tibi, Domine, omnes reges terræ, quia audierunt « omnia verba oris tui. Et cantent in viis Domini, « quoniam magna est gloria Domini. Quoniam « excelsus Dominus et humilia respicit, et alta a « longe cognoscit. Si ambulavero in medio tribula- « tionis, vivificabis me : et super iram inimicorum « meorum extendisti manum tuam, et salvum me « fecit dextera tua. Dominus retribuet pro me : Do- « mine, misericordia tua in sæculum, opera ma- « nuum tuarum ne despicias. »

ENARRATIO.

Iste *psalmus* attribuendus est *ipsi David ;* id est, Domino Jesu Christo, non quod ipse loquatur in eo, sed quod perfecti qui hic loquuntur, dirigunt sermones suos ad ipsum, proponentes se exemplar minus perfectis, ut exemplo sui confiteantur Domino tota affectione, et bene operentur ea intentione, ut nihil aliud quærant quam Dominum.

Confitebor tibi, Domine. O Domine, Fili Dei, qui æqualiter Dominus es cum Patre, quod valet ad fidei confirmationem : tibi confitebor *in toto corde meo*, id est, tota mentis affectione te laudabo. Et merito, *quoniam* exaudisti orationem meam voce prolatam. Quod plus est quam si determinaret in qua re illum exaudiret; quia potest intelligi quodcunque rogaret. *In conspectu angelorum.* Non tantum devotione laudabo te sed etiam *psallam*, id est, bene operabor, *tibi*, id est, ad gloriam tuam, *in conspectu angelorum*, id est, ea intentione qua angeli, qui sola dilectione, non timore te laudant. Vel ideo te laudo, ut tandem sim positus in angelica visione, ut manifeste cognoscam et videam te facie ad faciem sicut angeli te vident, vel ita operabor, sicut qui semper videor ab angelis, per quos tibi quotidie mea facta renuntiantur. *Adorabo*, id est, singulariter dirigam petitiones meas ad te, tendens *ad* hoc, ut sim *templum sanctum tuum*, id est, tale templum quod te sit dignum, vel ad hominem a te assumptum, qui est templum et habitaculum divinitatis. Et non tantum adorabo, sed etiam *confitebor nomini, tuo* quod est Dominus, id est laudabo te voce et opere. *Super misericordia tua.* Ostendit quæ sit misericordia confitendi. Confiteor autem hic, continet omnia supradicta, scilicet confiteri, psallere, adorare. *Confitebor*, inquam *tibi* super hoc, quia misericordiam et verita-

A tem humano generi exhibuisti, misericorditer implendo quod promisisti. Et *quoniam* magnum ostendisti in evidentia resurrectionis *sanctum*, id est, gloriosum nomen *tuum super omne nomen* quodcunque nominatur, sive dii, sive angeli, *in quacunque die.* Et quia potens factus es in resurrectione, oro, *exaudi me* in quacunque die *invocavero te*, id est, in omni tempore orationis meæ. Et debes exaudire, quia illud orabo, ut multiplices *virtutem*, non in corpore meo, sed *in anima mea.* Ac si dicat : Tu potens es exaudire, et hoc oro, pro quibus jure sum exaudiendus. *Confiteantur tibi, Domine.* Modo ostendit intentionem suam, scilicet ad quod supradicta præmisisset, videlicet ut hoc exemplo confiteantur tibi, Domine Jesu, *omnes reges terræ*, id est, majores in mundo, non despicientes ei subdi qui hu-
B milis apparuit. Et si reges, tunc multo magis minores debent ei confiteri. Vel ut dicamus de significatis regibus, *reges*, id est, omnes sensualitatem suam regentes, meo provocati exemplo, *confiteantur tibi*, id est, laudent te, quia Dominus es. Et ab hac confessione non poterunt se excusare, *quia* jam omnia *verba oris tui audierunt*, id est, te ipso docente perceperunt quæcunque ad fidem et ad mores pertinentia præcepisti. Et ideo non est necesse ut ad ista discenda ego eos exhorter. *Et cantent in viis Domini*, et non tantum confiteantur, sed etiam ad hoc promoveantur ut *cantent*, id est, ut delectationem habeant, *in viis Domini*, id est, in præceptis quibus itur ad Dominum : vel in quibus ipse præcessit, quod tantum perfectorum est. Et merito debent
C confiteri Domino et cantare, *quoniam gloria*, id est remuneratio, quam dabit confitentibus et cantantibus in futuro, *magna erit. Quoniam excelsus Dominus.* Non est timendum neque formidandum propter hoc opus arduum, quia *Dominus excelsus* est, id est omnipotens, ad adjuvandum potens. Et quemadmodum est potens, etiam *respicit*, id est, adjuvat *humilia*, id est, illos qui de se non præsumunt, et suum auxilium humiliter implorant. *Et alta*, id est, superbos qui de se præsumuntur, *a longe cognoscit*, id est, considerat non loco, sed subtractione gratiæ. Ac si dicat : Licet ipse sit altus et excelsus, misericordia ejus prope est humilibus, sed longe remota ab his qui se exaltant. *Si ambulavero.* Modo asserit quod enuntiavit, convertens se
D ad Dominum, quadam affectione dicens : Vere tu respicis humilia, quod in me probari potest : quia si *ambulavero*, id est, perseveravero *in medio*, id est, in profundo *tribulationis* vehementis et magnæ, *vivificabis me*, id est, renovabis me in interiori, quantumcunque exterior homo corrumpatur. Et hoc ipsum quod perseveravero, non ex me erit, sed ex respectu misericordiæ tuæ, id est, te vivificante, et me humilem respiciente. Et non tantum si vivificabis me, ut non deficiens æquali manu de pugna recedam, sed etiam *manum* auxilii tui *extendens super iram inimicorum meorum* ut per auxilium tuum vincam inimicos meos. *Et salvum me fecit*

A *dextera tua*, id est, tandem pro extensione manus *salvum me faciet dextera tua*, id est, potentia tua. *Dominus retribuet*. Modo facit assertionem de alia parte. Vere alta cognoscet Dominus, id est, considerabit ad puniendum, qui cum me salvum fecerit collocando in dextera, ipse Dominus *retribuet pro me* ipsis inimicis et persecutoribus meis, id est, dabit eis pœnam propter me, hoc est, vicem meam, quia ego nolui vindicare, sed exspectavi eum qui dixit : mihi vindictam et ego retribuam (*Deut.* XXXII). Modo facit orationem de his quæ superius dixit, ita dicens : *Domine*, sicut *misericordia tua* est *in sæculum*, id est, quia tu es misericors naturaliter, ita *opera manuum tuarum ne despicias* id est, bonum opus quod in me incepisti, deficere ne permittas, sed bonis principiis da meliores exitus, B faciens me perseverare in bonis operibus, quæ tua sunt, non mea. Quod hac fiducia oro, quia misericordia tua est *in sæculum* permansura.

PSALMUS CXXXVIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Domine, probasti me et cognovisti me tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam et funiculum meum investigasti. Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine, tu, cognovisti omnia novissima et antiqua, tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est C et non potero ad eam. Quo ibo a spiritu tuo ? et quo a facie tua fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris : etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis : non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto, et substan- D tia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui : et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur : exsurrexi, et adhuc sum tecum. Si occideris, Deus, peccatores viri sanguinum, declinate a me. Quia dicitis in cogitatione : Accipient in vanitate civitates suas. Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam ? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna. »

ENARRATIO.

Tractatus iste attribuitur capiti nostro vero David, eunti *in finem* id est, in consummationem justitiæ et scientiæ, cui tamen nihil defuit in perfectione virtutum, sed ea intentione hic loquitur, ut auditores ejus exemplo provocati, studeant sibi conformari : quia etsi prius quodammodo poterunt excusari, amodo penitus erunt inexcusabiles, si non obedierint, cum perfectum exemplar justitiæ et sanctitatis in ipso habeant positum.

Domine, probasti me. O Domine Pater, tu *probasti me*, id est, misisti me in experientiam mandatorum tuorum, hoc est, fecisti me mandata tua experiri, *et cognovisti me*, id est, dilexisti me : quia mandata tua explevi. Et quanquam dilexisses et diligas, tamen tu cognosces *sessionem meam*, id est, placebit me humiliare in passione, et sic ad gloriam resurrectionis pervenire. Vel quasi aliquis diceret : Si cognovit, cur occidi permisit ? ait : Tu *cognovisti*, id est, etsi alios lateat, tu scis tamen ad quid me pati voluisti et resurgere, *intellexisti cogitationes*. Et non tantum probasti me in præceptis completis, sed et cogitationes *meas* intellexisti, id est, tales erant quæ dignæ essent tuo intellectu, et hoc *de longe*, id est, ab exordio vitæ meæ. Semitas meas, id est, arduas et singulares virtutes meas : *et funiculum*, id est, mortem hæreditatis meæ, scilicet salutem humani generis, quæ est hæreditas mea, *investigasti*, id est, me investigare fecisti, ut nihil ibi attenderem nisi reparationem humani generis. Dictum a similitudine viatoris, quia post laborem itineris quærit requiem. Unde habetur in Hebræo : *Accubationem meam investigasti*, id est, quietem immortalitalitatis et impassibilitatis me investigare fecisti. A principio, inquam, ex quo fui, talia me fecisti cogitare, quæ digna essent tuo intellectu. Et non solum communes virtutes quæ sunt in pluribus, sed etiam singulares quæ sunt in paucis ut virginem esse, et temporalia postponere, solisque divinis invigilare : et supra omnia, dimissionem hæreditatis meæ, quæ est in salvatione hominum, in me *investigasti*, id est, an de his sollicitus essem considerasti. *Et omnes vias meas prævidisti.* Adhuc aliquis intensius dicit ad commendationem sui. Quid dicam singulariter cogitationes et semitas ? Potius generaliter dicam, *omnes vias prævidisti*, id est, prævidere me fecisti et ideo rationabiliter et bene disposui incedere per illas. Et ne aliquis arroganter hæc dicta opinetur, non quod sit in re, dicit. Ideo ista sic libere pronuntio, *quia* non *est sermo* tantum *in lingua mea*, sed ex veritate loquar, et ad utilitatem et instructionem auditorum. *Ecce, Domine, tu cognovisti.* Dixi quia *non est sermo* id est fallacia, *in lingua mea.* Et ecce in manifesto est tibi, id est coram te hoc quod loquor, qui non potes falli, et cui

non est mentiri : quia tu *cognovisti omnia, novissima*, id est præterita, quanto magis præsentia? *Probasti*, inquam *me, et prævidisti vias meas* et per hanc probationem et prævisionem *formasti me*, id est formosum et speciosum me fecisti; et post speciositatem mihi collatam quæ est profectus perfectionis, *posuisti super me manum*, id est protectionem *tuam*, hoc est, perseverare me fecisti in ea speciositate, idem, in prædictis virtutibus. *Mirabilis facta est scientia tua*. Hucusque perfectionem justitiæ quæ fuit in eo, commendavit : et quia plena beatitudo nondum esset in eo nisi perfectam haberet sapientiam, dicit etiam plenariam in se fuisse sapientiam, per hoc quod dicit : *Scientia tua*, quam inspiras fidelibus, vel qua tu sciri poteris, *mirabilis*, id est, digna admiratione et desiderabilis *facta est* aliis, *ex me*, quæ per primum parentem eam a se rejicientem quasi vilem, facta est contemptibilis: quia dum ego in ea perseverassem et plenarie ipsam sapientiam docuissem, quæ prius quasi res vilis æstimabatur, mirabilis et pretiosa nimisque desiderabilis ab hominibus reputabatur. Quæ scientia per Adæ inobedientiam debilitata in hominibus, ita ut parvam Dei cognitionem haberent, per obedientiam meam *confortata*, id est corroborata, *est* in membris meis : et magis magisque facta est roborata. *Et non potero ad eam* repellendam a me, etiamsi voluero, id est, non invenio posse ex libero arbitrio, ut eam a me repellam nec abutar viribus liberi arbitrii, reputans me potentem ad repellendam eam, sicut Adam in eo potentem se fecit per hoc credens deificari. Aliter : Et quanquam hæc scientia per me aliis sit facta mirabilis, tamen *non potero vd eam*, id est, reputo me non sufficientem ad eam obtinendam per me secundum infirmitatem humanæ naturæ nisi te custodiente. In hoc maximam membris præscribit humilitatem, ne evanescant in cogitationibus suis, si promoti fuerint ad aliquam scientiam cum ille *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ reconditi* (*Col.* II), fateatur se impotentem ab obtinendam eam. *Quo ibo a spiritu tuo?* Et cum tu me ita formasses speciosum in innocentia morum, et cum ita me illuminasses perfectione cognitionis et scientiæ, si modo a te recessero, *quo ibo a spiritu tuo*, id est, ad quem alium me conferre potero, unde mihi detur talis formatio talisque sapientia? *Et quo a facie tua fugiam?* In quo loco latitare potero, ut effugiam pœnas pro recessione mihi debitas, si a te recedere voluero? Nusquam inveniam talem illuminatorem, nec sapientiæ datorem. Sed neque manus tuas effugere potero : quia neque in cœlo, neque in inferno, neque in medio latebræ locum invenio. Et hoc est quod sequitur : *Si ascendero in cœlum*. Si fieri posset ut absque te possem in cœlum ascendere, ut vel a cœlestibus creaturis vellem sine te illuminari, vel ut ibi possem a facie tua abscondi, *tu illic es*, illuminans super cœlestes. Hoc enim quod ipsi luminis habent tu es. Et ideo si a te ivero, nec illuminari, nec abscondi ab eis potero. Et si localiter ad *infernum descendero*, ut vel ibi abscondar, ne tu me ibi punias, ibi aderis potestatem tuam exercens. *Si sumpsero pennas meas*. Nec in hoc possum effugere præsentiam tuam, quia *si sumpsero pennas meas*, id est, agilitates virtutum, quibus aliquis evolat in cœlum ; ego dico, positus *in diluculo*, id est, in primordiali illuminatione conversationis, desistendo esse animalis, *et habitavero in extremis maris*, id est, spem ex toto ponam in extremo maris, scilicet in portu et tranquillitate futuræ vitæ, quæ est extremitas hujus mundani maris æstuantis, *tu illic es*. Nam *manus tua illuc deducet me*, id est, operatio tui auxilii ad hoc me deducet, ut diluculo pennas sumam, et hanc spem habeam, et non solum deducet me ad hoc operatio tua, sed etiam *tenebit me dextera tua*, id est misericordia tua faciet me ibi perseverare. Hac autem occasione in his verbis ab eo loco, *quo ibo a spiritu tuo*, videtur aliarum personas in se transtulisse, ut perfectum exemplar justitiæ, scientiæ et humilitatis se illis ostendat : ut cum ille qui natus erat alium illuminatorem formatorem invenire vel pœnas, si a Deo recesserit, effugere non possit, multo minus alii se hoc facere posse credant. *Et dixi, forsitan tenebræ*. Ad instructionem membrorum suorum loquitur, ne effugiant, si quando patientur persecutionem, licet me ita formosum et scientem fecisses, tamen *dixi*, id est, intellexi et vidi quod ideo, quia me ita decorasti, *tenebræ*, id est, Judæi, qui sunt tenebrosi, et secundum infidelitatem et peccata adversantes luci, *conculcabunt me*, id est, dabunt me in mortem : et hoc *forsitan*, id est, motu temerario, nulla provisione rationis. Quod non fit inutiliter, quia per hoc ipsum quod me in mortem dabunt, non tantum alii, sed etiam *nox*, id est, ipsi Judæi qui sunt tenebræ, erunt *illuminatio mea*, id est, illuminati a me, existentes *in deliciis meis*, id est, inter illos in quibus ego delector. In Hebræo habetur, Nox quoque lux erit coram me. *Quia tenebræ non obscurabuntur*. Vere *illuminatio mea* erunt, id est, a me illuminabuntur, quia *tenebræ*, id est Judæi, *non obscurabuntur a te*, id est, tu illuminabis eos. Et quia tu eos illuminabis, ego illuminabo, qui olim erant tenebræ, id est, justo judicio tuo excæcati. Ac si dicat : Mea est illuminatio, quia tua ; quoniam ego et tu unum sumus (*Joan.* x), subaudis in substantia. Modo ostendit quanta erit illuminatio eorum, ita : *Et nox sicut dies illuminabitur*, id est, prius existentes tenebræ, illuminabuntur ad modum apostolorum vel in similitudinem claritatis diei : *sicut tenebræ ejus*, id est noctis, *ita et lumen ejus*, hoc est, multum peccatores se esse recognoscent : et in quantum se peccatis excæcatis recognoscent, in tantum illuminabuntur. *Quia tu possedisti*. Quasi aliquis diceret : Quare per mortem tuam potius illuminatio noctis fiet, quam per mortem alterius? Ad hoc respondet : Quia *princeps hujus mundi in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV), quod in

aliis non erit. Et hoc est quod dicit : *quia tu possedisti renes meos*, id est, tu possessor et cognitor fuisti omnium affectionum et delectationum mearum : et ideo actualia peccata non commisi, *suscepisti me de utero matris meæ*, id est patronum et defensorem te habui ex eo tempore quo fui in utero matris meæ. Et ideo originale peccatum non fuit in me, cum omnes alii a te suscipiantur in baptismate in remissione originalis peccati. *Confitebor tibi*, et quia immunis sum ab actuali et originali peccato, *tibi confitebor*, id est, tibi ascribam et laudabo. Et hoc etiam tibi ascribo, quod gloriosus factus es per me, quia semper glorificavi te in operibus meis *terribiliter*, id est, ita viriliter militiam tuam peregi, ut instar boni militis cæteris fugientibus, ipse solus in campo omnibus aliis incuterem terrorem, nisi bene operarentur, cum in me haberent perfectum exemplar justitiæ, quem viderent ejusdem conditionis et naturæ. Et ideo etiam per meam mortem nox illuminabitur, quia *opera* tua fuerunt *mirabilia* per me, quia humanam rationabilem creaturam quæ per inobedientiam Adæ quasi infirmum aliquid et debile reputabatur, secundum creationem ostendit gloriosum aliquid esse et dignum admiratione, dum innocenter degebam, et æquali perfectione incedebam. Et satis dignum fuit, ut per me natura humana repararetur, per quem alta et mirabilis ostendebatur. Et sicut opera tua hactenus fuerunt mirabilia per me, ita etiam *anima mea nimis*, id est, multum *cognoscet*, id est, attendet ea esse mirabilia, hoc est, non dissimulabo a cognitione eorum sicut Adam : sed in ipso affectu, id est in ipsa perseverantia obedientiæ meæ, ostendam me cognoscere opera tua mirabilia esse. *Non est occultatum os meum.* In Hebræo habetur : Non sunt opera ossa mea a te. Exponit quomodo magnificavit Deum, scilicet hoc modo, quia *os meum*, id est, fortitudo et robur a te mihi collatum, quod est ratio et liberum arbitrium, *non est occultatum*, id est non occultabitur *a te*. Ac si dicat : Gladium et arma quæ tu mihi dederis ad præliandum, non rejiciam neque abscondam, sed more boni militis exeram viriliter pugnando. Et determinat de qua fortitudine dicat, scilicet quam *fecisti in occulto*, id est, in interiori meo, ubi est ratio. *Et substantia mea.* Quasi aliqui dicerent : Non sumus in tali loco, ubi possimus uti viribus nostris si essemus in paradiso sicut Adam fuit, non occultaremus : his occurit. Quasi dicat : Neque in hoc poteritis excusari, quia in hoc etiam me habetis exemplar, quia substantia mea quam dixi *os*, id est, ratio et liberum arbitrium per quæ maxime subsisto, *non est occultatum* etiam *in inferioribus terræ*, id est, in hac dejectione mortalitatis et passibilitatis. Adeo vero in superioribus terræ existens, quantum ad dignitatem, ubi facillimum sibi erat rationem, exercere tamen occultavit, licet incommoditate non urgeretur, quia neque frigus, neque calor impellebant eum ad defectum. *Imperfectum meum.* Quasi aliquis diceret : Cum adeo perfectus fuisti, quare ergo mortem subisti ? Respondet : Non venit hoc ex aliqua culpa mea ; sed ex quo ? quia *oculi tui viderunt imperfectum meum*, id est, tibi placuit talia imperfectio mea secundum exterius, ut mortem subirem. Et ideo tibi placuit, quia *omnes* quicunque sunt dies, id est, perfecte illuminati sicut apostoli, *scribentur in libro tuo*, id est, in consideratione mea, qui sum eis propositus exemplar justitiæ, ut eodem modo patiantur si necesse fuerit. Et in ipsa inscriptione *formabuntur* ut sint *dies*, id est, quædam forma et pulchritudo eis imprimitur, vel imbuitur ad imitationem meam; ut ipsi sint dies, et tum plures informentur eorum exemplo. Dictum est a similitudine scribentis, qui scribendo facti formas ad similitudinem alterius libri. Ipsi, inquam formabuntur ad similitudinem mei, *nemo* tamen formatus per eos subsistet, vel remanebit *in eis*, subaudis diebus. Hoc est dicere : Licet multi informentur ministerio eorum, nullus tamen in eis remanebit, in hoc ut credat et fiduciam spei in illis ponat, et formam suam eis inscribat, sed in me. *Mihi autem nimis.* Nemo in eis, sed in me ; et hoc est quod dicit : *O Deus, amici tui*, id est, quicunque te diligent informatione apostolorum, nimis *honorificati sunt* id est, sublimati virtutibus, et hoc *mihi*, id est, ad gloriam meam, non Pauli, neque Cephæ, vel aliorum. Et non tantum ab apostolis informati, mihi nimis sunt honorificati, sed etiam *principatus eorum*, id est, apostoli ipsi qui eis principantur, *nimis* confortati sunt mihi, id est, hoc quod ita corroborati sunt in interiori, erit ad honorem meum, quia mihi illud ascribent. Et si principes hoc egerunt, multo magis illi qui sunt sub principatu. *Dinumerabo eos.* Merita mihi ascribent quod sunt, quia ego *dinumerabo eos*, id est, eligam ad malitiam meam per certum numerum, de massa perditorum secernendo. Dictum est a similitudine ducis vel imperatoris, qui milites idoneos in expeditionem elegit et scribit. Et ne pauci videntur salvandi, quia dixi, *dinumerabo eos, multiplicabuntur*, id est, multiplices erunt *super arenam*, id est, tot erunt quod minus quam arena dinumerari poterunt. Arena enim est res subsistens in cognitione, homines autem pertranseunt ab aspectu nostro, et ideo minus dinumerari possunt. Deo autem numerabiles sunt. Hæc autem multiplicatio non tantum fiet per mortem meam, sed etiam per resurrectionem meam. Et non solum post resurrectionem hanc habebo potentiam, sed etiam *adhuc* dicam, vivens mortalis *sum tecum*: quia sicut tu est verus Deus, ita et ego. Per *tecum*, accipimus diversitatem personarum : per *sum*, consubstantialitatem nominis ad æternam potentiam. Istud *adhuc* accipitur ut illud in Evangelio : « Hæc dicebam vobis, *cum adhuc essem vobiscum* (*Luc.* XXIV). *Si occideris, Deus, peccatores.* O Deus Pater, si tu justo judicio occideris aliquos, ideo quia sunt peccatores, dicens : O *viri sanguinum, declinate a me* : quod declinare, est permittere in peccatis præcipi-

tari; et ideo scilicet « declinate a me, quia dicitis in cogitatione, » etsi non dicitis exterius *Acccipiant* Christiani *civitates*, id est, collectiones et conspirationes *suas in vanitate :* quia sicut ipsi vani sunt, sic alios ducunt in vanitatem, scilicet ut amittant quæ videntur, id est temporalia, et adhæreant incertis, id est æternis, quæ non videntur : quæ est hostilis irrisio, qua deprimebantur fideles Dei, subaudis, Et ego occidam. « Nonne enim qui oderunt te, Domine, oderam? » Vere odio habui. Cujus odium nihil aliud est nisi interfectio. Et licet eos odio haberem in eo quod mali erant, tamen *tabescebam*, id est, dolore afficiebar « super inimicos tuos, » id est, super considerationem illorum, qui sunt inimici tui, hoc est, tamen dolebam de perditione illorum, quia dilexi eos in hoc, quod in eos fecisti. Ac si dicat : Quod tu fecisti in eis, dilexi ; quod ipsi fecerant, odio habui. « Perfecto odio oderam illos ; » ne aliquis diceret : Tu qui dilectionem jubes, quare oderas illos? dicit : *Ego oderam illos perfecto odio* et justo, odiens in eis malum, et tamen pro eis tabescens. Et licet ita affectus essem pro eis, tamen *inimici facti sunt mihi*, male affecti erga me. « Proba me, Deus. » Non orat perseverantiam in his quæ de se superius pronuntiavit : O Domine, « proba me, » id est, deduc me in experientiam voluntatis tuæ, id est, bonorum operum. Et quia hoc quod dicit : *proba me*, ambigue posset accipi, id est, tam de affectione quam operatione, determinat dicens : « Et scito cor meum, » id est, ita probes, ut scias utrum cogitationes, et affectiones meæ dignæ sint tua cognitione : vel *scito*, id est, dilige ipsas meas cogitationes, faciendo eas tales quæ jure diligantur a te. *Interroga me*, id est, deduc me in experientiam bonæ operationis : quod idem est quod, et « proba me. Et cognosce semitas meas, » id est, talia fac me operari quæ digna sint a te cognosci. *Et vide si via.* Proba voluntates et semitas meas. *Et vide*, id est, hoc facias respectu misericordiæ. Et licet misericordiam prætendam, tamen « si via iniquitatis in me est, » nec probes, nec cognoscas. *Et* si non est, *deduc me in via æterna*, quæ ad æternam vitam deducit, id est, fac me perseverare in via tibi placita, donec ad æternitatem perveniam.

PSALMUS CXXXVI.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

« Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro « iniquo eripe me. Qui cogitaverunt iniquitates in « corde, tota die constituebant prælia. Acuerunt « linguam suam sicut serpentes, venenum aspidum « sub labiis eorum. Custodi me, Domine, de manu « peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me. « Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, abs« conderunt superbi laqueum mihi. Et funes exten« derunt in laqueum, juxta iter scandalum posue« runt mihi. Dixi Domino, Deus meus es tu : exau« di, Domine, vocem deprecationis meæ. Domine, « Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super ca« put meum in die belli. Non tradas me Domine, a « desiderio meo peccatori : cogitaverunt contra me, « ne derelinquas me, ne forte exaltentur. Caput « circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet « eos. Cadent super eos carbones, in ignem dejicies « eos, in miseriis non subsistent. Vir linguosus non « dirigetur in terra, virum injustum mala capient « in interitu. Cognovi quia faciet Dominus judi« cium inopis et vindictam pauperum. Verumtamen « justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt re« cti cum vultu tuo. »

ENARRATIO.

Iste psalmus est David, id est, fidelium viriliter agentium, et respicientium *in finem*, id est in Christum, in quo finis perfectionis et justitiæ et innocentiæ et sapientiæ habetur, sicut ostensum est in priori psalmo. In quo fideles instructi ab ipso capite, fidei et justitiæ perfectionem considerantes, multitudinem hæreticorum circumquaque acutis quæstionibus sibi prælia constituere, et venenum aspidum esse sub labiis eorum, orant in exemplum aliis simile periculum sustinentibus, ut Dominus eripiat eos a conformitate hæreticorum et a perfidia eorum. Et ut postea secundum perseverantiam custodiat eos de manu peccatoris diaboli, et ab hominibus iniquis.

Eripe, me Domine. Tu, Domine, qui potes, quia Dominus es, *eripe me* potentia virtutis tuæ *ab homine malo*, sive a diabolo, qui peccatorum contagione pollutus, non jam cœlestis dicitur angelus, sed ab humo homo malus, sive ab hæreticis in seipsos pecccantibus. « Et eripe me a viro iniquo, » id est, ab eisdem hæreticis in alios delinquentibus. *Qui cogitaverunt.* Quod superius dixit singulariter, hic loquitur pluraliter, quia et una massa est eorum, et secundum singulos, sunt multiplices. Ab his ergo, Domine, oro ut eripias me, ne conformer eis. « Qui cogitaverunt iniquitates, » et tales iniquitates, quas non ex libris, neque ab aliqua auctoritate, sed *in corde* adinvenerunt ex industria, et post adinventas *tota die*, id est assidue, *constituebat prælia*, pugnis quæstionum quibus nos impugnaverunt. *Acuerunt linguam.* Necesse est ut me eripias, quia non qualitercunque me impugnant, sed in ipsis quæstionibus suis *acuerunt linguam suam*, id est, acuta et subtili argumentatione, existentes *sicut serpentes.* Leviter arrepunt, ut non sentiantur donec percutiant : ita ipsi agunt quibusdam inductionibus suis repentes, ut non possint decipi donec decipiant, nec incedunt recto tramite, sicut nec serpentes, sed flectunt de sententia in sententiam. Et non solum vulnerant sicut quilibet serpentes, sed *venenum aspidum*, id est, in medio habilis error est *sub labiis*, id est, sub lingua *eorum. Custodi me, Domine.* Repetit quod superius dixit, *Eripe me*, ut ostendat majorem necessitatem eripiendi. Ibi enim non determinavit, an in illa impugnatione esset contra se, an contra alios. Hic jam dicit de seipso. O Domine, inquit, *custodi me* secundum perseverantiam, *de manu*, id est, de operatione vel de potestate *peccatoris*, ejusdem sci-

[illegible] quem superius malum hominem dixit, ne efficiar imitator talium in pravitate vitæ. « Eripe me ab hominibus iniquis, » ab illis eisdem, ne acquiescam sententiæ eorum. *Qui cogitaverunt supplantare.* Et multum necesse est ut me eripias ab illis qui cogitaverunt *supplantare*, id est præcipitare, *gressus meos*, id est, rectitudinem fidei qua incedebam. Et non tantum hoc cogitaverunt, sed etiam absconse paraverunt *laqueum mihi*, id est, multis bene et utiliter a me dictis, insidiose quærebant captionem : quia et ipsi *superbi*, quod proprium est hæreticorum, multa bene et utiliter, et rationabiliter exponebant, et quamdam religionem habebant, ut eo facilius possent persuadere falsitatem. *Et funes extenderunt.* Et ut facilius illaquearent *funes*, id est, firmas et validissimas argumentationes, quas nemo posset rumpere sine gratia Dei adjutrice, contexerunt et extenderunt ad hoc, ut mihi essent *in laqueum*, id est deceptionem. Et unde maxime timendi sunt, *juxta iter*, id est, juxta auctoritatem Scripturarum sanctarum, *posuerunt mihi scandalum*, id est offendiculum : modo de Evangeliis, modo de epistolis, modo de reliquorum Patrum scriptis exempla ducentes, et alio sensu exponentes. Ac si dicat : Tum ideo sunt timendi, quia funes extendunt : tum ideo, quia sæpe turbant auctoritatem. Et bene dicitur, *Juxta viam :* quia neque omnino sunt in via, neque omnino recedunt ab ea : ideo minus caveri possunt. *Dixi Domino.* Convertit se ad auditores, proponens se exemplum illis, et dicens : Et cum juxta te me impugnarent, non sum confisus in sapientia mea, nec in viribus meis, nec extraneum quæsivi patronum, sed contuli me ad Dominum, et dixi tam voce interiori, quam voce exteriori : O Domine, *Deus meus*, id est, Creator meus *es tu :* sicut non potui subsistere in prima creatione nisi per te, ita non possum custodiri nisi per te. Et ideo *exaudi vocem deprecationis meæ*, id est, confer mihi quod designat vox mea deprecatoria. *Domine, Domine, virtus.* Modo exponit quæ sit deprecatio, *Domine, Domine ;* quorum alterum est adjectivum, alterum proprium. Ac si dicat : Tu, Domine, qui Dominus es vere, tu, dico, *virtus* mea in impugnatione, quæ virtus est effectrix salutis meæ in futuro. Quod inde probatur, quia hactenus mihi posito *in die belli*, id est, impugnatione hæreticorum, *obumbrasti*, id est, obumbrationem et refrigerium mihi fecisti, *super caput meum*, id est, super mentem meam, ne deficerem in æstu tribulationis. Tu, dico *Domine*, non *tradas* desiderium meum *peccatori,* id est diabolo, vel hæreticis, subaudis in potestatem, ut non acquiescam eis. Desiderium quippe meum est, ut perseverem in sinceritate fidei ne corrumpantur sensus mei, sicut corrupti sunt sensus Evæ, quando consensit serpenti. Et necesse est ut me non tradas, quia *cogitaverunt contra me*, id est, ad hoc ut contrarii mihi essent. Ideo ponit præteritum, ut innuat quia jam inceperunt, et adhuc in eo stant. *Ne derelinquas me*, *ne forte exaltentur*, id est, ne doctrina

A eorum et magistratus dilatetur, et inde glorientur. In eo autem quod dicit, non *tradas* desiderium meum, *et ne derelinquas me,* liberum arbitrium notat cum gratia. Ac si dicat : Ego secundum arbitrium persto in pugna, tu secundum gratiam ne derelinquas me. *Caput circuitus.* Opus est ut non derelinquas, quia in hoc maxime timendum est, ambages disputationum *eorum* operirent caput, id est, summam errroris eorum, ut vix aliquis possit ipsos circuitus penetrare. Dictum est a similitudine serpentis, qui multis spiris operit caput, in quo vita sua est, ne facile possit vulnerari in capite. Eodem modo hæretici sententias muniunt diversis rationibus, ne possint labefactari, ut vivat hæresis eorum. Et exponit quod dixit : *Labor labiorum ipsorum*, id

B est, verba quæ cum multo labore adinveniunt, *operiet*, id est, occultabit *eos. Cadent super eos carbones.* Hic ostendit se non ex diffidentia orasse, sed ad informationem aliorum. Oravi, inquam, ut non exaltentur. Et ita erit. *Super* quosdam eorum *cadent carbones* igniti desolatorii, id est, auctoritas apostolorum cæterorumque doctorum magno quodam pondere opprimet eos, ut non habeant quod contra hiscant, juxta illud : « Omnis iniquitas oppilabit os suum (*Ps.* CVI). » Et non tantum sic opprimentur, sed etiam *dejicies eos* a superbia sua, projiciendo *in ignem*, ut flamma Spiritus sancti accendantur et illuminentur. Et quia opprimentur et inflammabuntur, ulterius « non subsistent in miseriis, » id est, in erroribus suis. *Vir linguosus.* Quidam illorum qui se humiliant, illuminabuntur, sed

C *vir linguosus*, id est, qui in loquacitate sua permanet et superbia, errrorem suum defendere nitens, *non dirigetur* etiam *in terra*, ubi locus est directionis : sed semper tortuose incedit cadendo de errore in errorem. « Virum injustum mala capient in interitu, » id est, non tantum pœna ei continget in præsenti, sed etiam *in interitu*, id est, cum dissolvetur a corpore, tunc comprehendent eum mala, id est, tunc primum incipient pœnæ æternæ, quas hic quodammodo fugit. Hic incutit terrorem aliis, ne conformentur hæreticis. *Cognovi quia faciet Dominus* « Virum injustum mala capient, » id est, hæreticum, quod scio ex hoc, quia cognovi quod « faciet Dominus judicium inopis, » id est, remunerabit in futuro humiles suos, et pauperes vindicabit, puniendo

D persecutores qui eos impugnaverunt. Hoc ideo repetitum est, ut ostendatur quia vere propter pauperes patientur pœnas. *Verumtamen justi.* In eo quod ponit vindictam, subintelligitur impugnatio pauperum. Ad hoc respicit illud *verumtamen*, ita : licet justi impugnentur et puniantur, tamen « confitebuntur nomini tuo, » id est, indesinenter te laudabunt : et ideo tandem in futuro « habitabunt cum vultu tuo, » id est, in præsentia tua permanebunt : vel cum Filio tuo, qui est imago vultus tui. Aliter, quasi aliquis diceret : Unde scis quia « virum injustum mala capient ? » Ait : Quia « Dominus hic faciet judicium inopis, » id est, justo judicio suo

hic flagellat quem recipiat. Et *vindictam pauperum*, subaudis faciet, id est, in pauperes suos hic vindicabit quidquid deliquerint. Etsi modo non parcit suis, multo minus in futuro parcet injustis. Sed tamen *justi* a laude tua non desistent, licet eos judicio tuo punias. Et ideo tandem in futuro « habitabunt cum vultu tuo, » id est, cum Filio tuo, qui est imago tua, de quibus ipse dixit : « Pater, volo ut ubi sum ego, ibi sit et minister meus (*Joan.* XII,17). »

PSALMUS CXL.

PSALMUS DAVID.

« Domine, clamavi ad te, exaudi me : intende « voci meæ cum clamavero ad te. Dirigatur oratio « mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio « manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, « Domine, custodiam ori meo, et ostium circum- « stantiæ labiis meis. Non declines cor meum in « verba malitiæ, ad excusandas excusationes in « peccatis. Cum hominibus operantibus iniquitatem, « et non communicabo cum electis eorum. Corri- « piet me justus in misericordia, et increpabit me : « oleum autem peccatoris non impinguet caput « meum. Quoniam adhuc et oratio mea in benepla- « citis eorum, absorpti sunt juncti petræ judices « eorum. Audient verba mea quoniam potuerunt, « sicut crassitudo terræ erupta est super terram. « Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, quia ad « te, Domine, Domine, oculi mei : in te speravi, non « auferas animam meam. Custodi me a laqueo quem « statueruut mihi, et a scandalis operantium ini- « quitatem. Cadent in retiaculo ejus peccatores ; « singulariter sum ego donec transeam. »

ENARRATIO.

Psalmus David est iste, id est, perfectorum fidelium, qui hic orant omnem perfectionem vitæ, scilicet ut primo detur eis orare quod orandum est, et ea intentione qua oportet : et deinde detur eis bene operari, ita ut digni sint exauditione, et adeo fiant consummati, ut nec peccent in lingua ; aut si forte peccaverint, non excusent : ad extremum, ut confirmentur in tribulationibus.

Domine, clamavi ad te. O Domine, qui es omnipotens, et ideo potes exaudire : *clamavi*, id est est cum intentione devotionis oravi, respiciens *ad te* qui es misericors : et quia potes, confer quod oro. Et quia nunquam est consummatio in hac vita, *clamavi*, et adhuc clamabo. Et *cum clamavero ad te*, respiciens *intende voci meæ*, id est, intensum fac in exhibitione hujus rei, quam designabit vox mea sive interior, sive exterior. *Dirigatur oratio mea.* Modo exponit quid clamet, scilicet, hoc in primis oro, ut *dirigatur oratio mea*, id est directa habeatur. Et quia directa posset haberi quantum ad homines, subdit, *in conspectu tuo*, id est, in beneplacito tuo, ut tibi placita habeatur, ut illa orem quæ oranda sunt. Et quia adhuc posset orare quæ essent oranda, sed non ea intentione qua deberet, quoniam multi hoc superbiendi causa orant, adhuc determinat : *Sicut incensum*, ut ipsa oratio fiat causa supernorum, id est æternorum, sicut fumus incensi tendit ad superiora. Hoc est dicere, non tantum facias nos orare quod orandum est, sed etiam bona intentione, id est, respectu æternorum, ut si pro sospitate oramus, ideo fiat ut melius insistamus orationibus et aliis bonis actibus. Et non tantum oratio dirigatur, sed *elevatio manuum mearum*, id est, bonæ operationis meæ, sit *sacrificium vespertinum*, hoc est, non tantum sit completio matuniti sacrificii, id est veteris legis, sed etiam novæ, quæ observata, est sacrificium, id est placens Deo. Sicut autem post novam non sequitur alia lex, sic post vesperum non sequitur alia hora diei : ideo non ponit matutinum. Sed ponendo vesperum, dat intelligi illud præcessisse per cujus solam completionem nemo potest salvari. *Pone, Domine, custodiam.* Et usque eo, Domine, promove me in consummationem, ut ponas *custodiam ori meo*, ut sciam quando et quibus sit loquendum, quando vero tacendum. Et ne aliquis putaret eum ita orare, custodiam, ut nunquam deberet loqui, determinat. Pone *ostium labiis meis*, id est, inspira mihi illam vim interius, ut non semper aperiatur, nec semper claudatur os meum, sicut ostium ad hoc est in domo, ut vicissim aperiatur et claudatur. Et non qualecunque ostium, sed ostium *circumstantiæ*, id est quod circumquaque muniat omnes sensus corporis, ut non peccem in eis. « Non declines cor meum. » In hoc etiam exaudi me, ut non peccem in cogitatione. Et hoc est quod dicit : Non tantum *pone custodiam ori meo*, sed si contigerit me peccare, quod humanum est, *non declines*, id est, non permittas humiliari, *cor*, id est mentem meam, eo usque ut descendat *in verba malitiæ*, id est, non tantum absit a me locutio, sed etiam non placeat mihi secundum cognitionem sermo malitiosorum hominum, quo se excusant, peccata sua vel fatis imputando, vel infirmitati humanæ conditionis. Quæ videntur verba justificantia, cum revera sint malitiæ. Etsi contigerit aliquando ut me excusem, « non declines cor meum ad excusandas excusationes, mei positi in peccatis, » id est, non permittas me defendere excusationem adductam sive in me, sive in aliis, nec asserere me bene dixisse. « Cum hominibus operantibus. » Quod si mihi hoc concesseris, ut dirigatur oratio mea, et sit elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum : non *communicabo*, id est, nullam communicationem habebo, *cum hominibus operantibus iniquitatem* : et non tantum dico de minoribus, sed etiam *non communicabo cum electis eorum*, quod majus est. Facilius enim consentitur diviti quam pauperi. Aliter continuatur : *Non declines cor meum*, ut excusem me in peccatis sicut solent excusare operantes iniquitatem. Quod si hoc feceris, non habebo communionem *cum electis*, id est, prælatis et præcipuis eorum. *Corripiet me.* Etsi non declinaveris cor meum in verba malitiæ, ut non peccem cogitando, nec in peccatis excusando sequatur hoc bonum, quod aliquis *justus corripiet me* ecclesiastica disciplina, scilicet jejuniis et quandoque verberibus : et ideo *corripiet me*, quia

ego me omnino disaccuso ; *et increpabit me* monitis A et doctrinis, et hoc *in misericordia*, quia ego intelligo misericorditer fieri. Quod non agerem, si me excusare vellem. Correptio, inquam, justi placebit mihi, et intelligam eam esse misericordiam : sed *oleum*, id est, adulatio *peccatoris non impinguet caput meum*, id est, non delectet mentem meam, id est, utinam non impinguet. Et hoc ideo dicit optando, quia multi etiam boni adulatione malorum subvertuntur. Et idcirco propter difficultatem periculi non ponit illud enuntiative, sed orando. *Quoniam adhuc.* Revera non communicabo cum principibus eorum, « nec oleum peccatoris impinguet caput meum, » quia potius ipsi communicabunt mihi. *Quoniam adhuc*, subaudis erit, quod non tantum opera mea, sed etiam « oratio mea in beneplacitis eorum » erit, B id est, inter illa quæ placent illis, id est, placebit eis eadem orare, quæ et ego oro ; scilicet ut recte orent, et bene operentur. Et hoc valet ad intentionem, quia isti fideles hic intendunt perfectionem orandi persuadere. Et hoc est quod dixi : non tantum erit in minoribus, sed etiam *judices eorum*, id est majores et prælati, quorum est judicare, *absorpti sunt*, id est, absorbebuntur in eo quod devincendi et destruendi sunt ab eo quod sunt, per hoc scilicet quod *juncti* sunt *petræ*, id est, Christo per fidem. Non autem simpliciter ponit, Oratio mea placebit ei, sed addit *adhuc*, ut innuat brevitatem temporis. *Audient verba mea.* Dicit qualiter adjungantur Christo, scilicet per verba prædicationis meæ, ad quæ audienda et suspicienda ipsi erunt idonei ; *quoniam potuerunt*, subaudis eadem verba, id est, prævaluerunt in eis, C et potentia et efficacia fuerunt ad persuadendum. Quod in Hebræo habetur, Quoniam decora sunt. Quod ea dicitur affinitate, quoniam verba decora solent esse ad persuasionem potentia. Hic exemplum dat aliis, ut solliciti sint de salute proximorum, et prælatis de studio prædicandi. « Sicut crassitudo terræ. Dissipata sunt ossa nostra. » Hujus versus principium cum fine præcedentis continuatur, ita : Quidam suscipient mea verba : ab aliis vero qui non suscipient, dissipabuntur ossa nostra *secus infernum*, id est, fortiores quique in nobis dissipabuntur juxta judicium illorum, qui digni sunt hoc nomine quod est infernus. Quæ dissipatio erit « sicut crassitudo erupta super terram, » id est, sicut fimus eruptus, id est, dispersus super terram, reddit D eam fertilem, ita mors nostra fecunditatem attribuit Ecclesiæ, dum per passiones martyrum ad fidei fructum referendum fecundatur quia pro uno occiso multi succederent. In hoc præscribit formam aliis, ne pati suffugiant, quoniam sicut vita eorum est utilis, ita et mors. Et licet sumus ossa, tamen non confidimus in viribus nostris, sed in ipsa dissipatione nostra geminata voce per nimium affectum dicimus : *Domine, Domine*, licet corpus permittas affligi, tamen animam meam non permittas auferri, ut cedat in sententiam eorum. Quod justum est, *quia oculi mei*, id est, respectus intentionis meæ est, *ad te*, non ad temporalia, nec ad patrocinium alterius. Et quia *speravi* ea quæ sunt *in te*, Non tibi dissimilia, custodi me. Exponit secundum quid accipiendum sit quod dixit : « Non auferas animam meam. Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, » id est, a promissionibus et blanditiis eorum, quibus me devocare nituntur, ut neque munere, neque adulatione nos decipiant : et custodi me ab *scandalis*, id est, a tormentis et manifesta persecutione *operantium iniquitatem*, quibus animam meam conantur auferre et sibi conformare. *Cadent in retiaculo ejus.* Ideo oro ut me custodias, quia video quosdam cadere, sed non cadent nisi *peccatores*, qui sunt, in retiaculo ejus, id est iniquitatis ; non illi scilicet qui aliquando peccaverunt et desierunt, sed illi qui irretiti sunt peccatis secundum consuetudinem, et magis amant temporalia quam æterna. Et justum est ut me custodias, quia *ego sum singulariter*, id est in spe singulari, non in appetitu multiplicitatis, sicut peccatores, sed unam rem petii a Domino, in qua perseverabo *donec transeam* de hac vita.

PSALMUS CXLI.

INTELLECTUS DAVID, CUM ESSET IN SPELUNCA, ORATIO.

« Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad « Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu « ejus orationem meam, et tribulationem meam « ante ipsum pronuntio. In deficiendo ex me spiri« tum meum, et tu cognovisti semitas meas. In via « hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. « Considerabam ad dexteram, et videbam : et non « erat qui cognosceret me. Periit fuga a me, et non « est qui requirat animam meam. Clamavi ad te, « Domine, dixi : Tu es spes mea, portio mea in « terra viventium. Intende ad deprecationem meam, « quia humiliatus sum nimis. Libera me a perse« quentibus me, qui confortati sunt super me. Educ « de custodia animam meam ad confitendum no« mini tuo : me exspectant justi, donec retribuas « mihi. »

EXARRATIO.

Psalmus iste attribuitur Domino Jesu, qui ideo dicitur *intellectus*, quia hic designatur bona devotio et operatio ipsius, quæ pertinent ad intellectualitatem id est ad discretionem. *Psalmus* dico, qui est prolatus, *cum esset* positus *in spelunca*, id est, cum esset latitans in mortali et passibili corpore. Propter quod non cognoscebatur a Judæis esse Deus. Vel cum esset in hoc mundo latitans, ubi neque malignus spiritus, neque Judæi eum cognoverunt. « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Mittit autem nos ad historiam (*I Reg.* XXIV), ubi legitur quod cum Saul persequeretur David, et ille se absconderet, intravit Saul fortuitu in eamdem speluncam ad purgandum ventrem : et David clam accedens, abscidit oram chlamydis ejus. In mysterio vero Christus, verus David, partem vestis Saul abscidit, dum occultans se in hoc mundo, abstulit diabolo partem partitus sui, id est, quosdam ex ipsis quod habuit in potestate sua, et ex quibus ipse

quasi quibusdam vestibus velabatur, in quo mundo ipse diabolus intraverat ad deponenda et emittenda fœda opera sua. Loquitur ergo in hoc psalmo Dominus Jesus ostendens qua devotione et familiaritate habuerit se erga Deum Patrem, imminente tempore passionis suæ, et hoc ad instructionem membrorum suorum, ut eodem modo in tribulationibus unicam spem habeant in Domino.

Voce mea ad Dominum clamavi. Ego respiciens *ad Dominum, clamavi*, id est, intensus fui voce mea interiori, id est, in voluntate et nimia dilectione. Et non solum intensam dilectionem erga eum habui, sed etiam *deprecatus sum*, id est, oravi non strepitu labiorum, nec voce aliena, sed *voce mea*, id est attenta. Posset enim orare secundum prolationem, ita tamen, ut non sua voce secundum attentionem, quia hac et illac distraheretur. *Effundo in conspectu ejus.* Oravi, inquam, et non utcunque modo, sed ita quo *effundo*, id est, explico et manifesto *orationem meam*, cum intentione orando: orationem dico, exsistente *in conspectu ejus*, id est in beneplacito ejus, quia de illis rebus oro unde orandum est: et præter hæc « pronuntio tribulationem meam ante ipsum, » id est, loquor secum de tribulatione mea, meritum meum ostendens, ut oratio mea audiatur. Ostendo meritum, non propter humanum favorem consequendum, sed *ante seipsum*, id est ad beneplacitum ipsius, vel ipse existens *ante ipsum*, id est in familiaritatem Domini sui. Et non per internuntium, sed ipse idem loquitur ei. *In deficiendo ex me.* Tribulationem meam pronuntio. Et hanc pronuntiationem facio in deficiendo *spiritum meum*, id est in anxiando animam meam, vel in consideratione quod auxiliabitur spiritus meus: sicut dicitur, « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » Unde in Hebræo habetur, « Dum anxiatus erit spiritus meus: » quæ defectio vel hæc anxietas erit ex me, id est ex permissione et voluntate mea, quia potestatem habeo patiendi et non patiendi. Aliter: Revera tribulationem meam ante ipsum pronuntio, quia sum *in deficiendo*, id est, in destruendo et deferendo voluntates meas *ex me*, id est, quæ possent ex natura carnis suboriri. Ac si dicat: Non sic pronuntio tribulationem, ut velim eam removeri a me, sed potius *in deficiendo spiritum meum*, id est, ut ita destruam voluntatem meam. Quantum enim ad naturam carnis omnia tendunt ad hoc, ut conservent esse suum quandiu possunt. Et non tantum intensus fui in oratione et dilectione, sed et bonis operibus institi, et hoc est quod dicit convertens se ad Dominum cum gratiarum actione, *et tu cognovisti semitas meas*, id est, approbasti bona opera mea: quia talia operatus sum, quæ digna essent tua cognitione, *in via hac qua ambulabam.* Et cum essem sic devotus, sic orans, sic operans, tamen in via hac qua ambulabam, id est, in tali meo proposito quo semper magis et magis promovebar secundum ostensionem operationis absconsæ, putaverunt se abscondere *mihi laqueum*, id

A est periculum mortis. Et in hoc quod dicit absconsisse laqueum sibi, ostendit majus meritum et virtutem suam: quia cum præsciret et effugere posset periculum mortis, tamen substitit. *Considerabam ad dexteram:* et ad cætera incommoda etiam hæc accessit, quod in hac præparatione laquei *considerabam ad dexteram*, id est ad potiores meos, sicut apostoli erant: *et videbam*, id est, experiebar si quis esset in me digne respiciens: *et non erat*, scilicet aliquis *qui cognosceret me*, id est, qui me intelligeret et probaret Deum, mecum remanendo et sententiam pro me dando. *Periit fuga.* Licet Judæi laqueum mihi præpararent, et potiores mei non cognoscerent, tamen *periit fuga a me*, id est, non fugi, sed substiti loco. *Et non* solum nullus, qui cognosceret me

B Deum, sed nec aliquis erat *qui* requireret *animam meam*, id est, qui intenderet quam sancte et juste secundum humanam naturam vixerim, ut vel sic bonum hominem me reputaret, et ideo pro me staret. Hæc omnia multum valent ad conformationem aliorum. *Clamavi.* Iterum membris suis formam præscribit, quid in hujus mundi angustiis agendum sit. Quasi dicat: Cum ipsi laqueum mihi absconderent, et amici mei me dereliquissent: *O Domine*, non ego patrocinium quæsivi, sed *ad te clamavi*, dicens: *Intende ad deprecationem meam*, id est, intensum te præbe ad conferendum hoc quod oro. Et hoc justum est, quia *tu*, qui omnipotens es et misericors, *es spes mea*, quia non confido in viribus meis, sed in te. Et ideo etiam quia *portio*, id est, hæreditas *mea* est in *terra viventium*, hoc est, illi qui sunt terra viventium,

C scilicet justi, sunt hæreditas mea. Et pro illa hæreditate obtinenda preces effundo. Et non ob aliud patiar, nisi ut justi sint hæreditas mea. Et necesse est ut intendas, *Quia humiliatus sum nimis*, id est, vehementer flagella, sputa et alia multa patiendo. *Libera me.* Et præmittit qualiter velit intendi deprecationi suæ, ita scilicet: *Libera me a persequentibus me*, ne victus tribulatione, cedam in sententiam eorum, et conformer eis. Quod ideo mihi esset formidandum, *quia* reputatione sua *confortati sunt super me*, æstimantes se mihi prævalere. Sed non est justum ut talibus satisfacias de me. Et non tantum oro ne in tribulatione victus conformer eis, sed etiam hoc. *Educ de custodia animam meam*, id est, ut educas animam meam de custodia, idem corpus meum

D vivificatum liberes de custodito sepulcro. Ponit animam pro corpore: vel partem pro toto. Licet enim animam non detinerent in custodia, melius tamen dicit *animam* quam si diceret, me vel corpus meum, quia posset intelligi corpus sine anima sublatum, ut miseri adhuc Judæi asserunt. *Educ*, inquam, *ad confitendum nomini tuo*, id est, ad hoc ut instituam tibi tales, qui te laudent in consideratione nominis tui. Et a quibus debeat fieri illa confessio exponit, scilicet a justis, qui *exspectant me donec retribuas mihi*, id est, ut facias me resurgere, retribuens mihi secundum obedientiam meam.

PSALMUS CXLII.

PSALMUS DAVID QUANDO PERSEQUEBATUR EUM FILIUS SUUS ABSALOM.

« Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia. Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te; anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum. »

ENARRATIO.

Psalmus iste attribuitur *David*, id est, cuilibet fideli, qui jam incipit esse *David*, id est, manu fortis, viriliter resistens peccato, cui prius succubuit effeminatus. *Psalmus* dico, compositus ideo, *quando*, id est quia, *persequebatur eum filius suus*, id est peccatum, quod ipse sibi genuit, quia non est ex Deo immissum, sed ex se. Prima enim persecutio peccati, quo impulsus fuit ad reatum, fuit causa quare hanc orationem protulit, ut fœditas et inhonestas quæ ex perpetrato peccato generata erat in anima, condonaretur. Sequens vero persecutio, quæ adhuc in ipsa pœnitentia impugnabat eum ex prava consuetudine, est causa hujus orationis, ne sibi acquiescat secundum consensum. Orat etiam ut detur sibi facultas bene operandi.

Domine, exaudi. O Domine Pater, quem Dominum meum modo reputo, *exaudi orationem meam*, id est, concede mihi quod oro. *Auribus*, id est, potentia exauditionis tuæ, *percipe obsecrationem meam*, id est talem orationem quæ est obsecratio. Oratio dicitur, ubi simpliciter oramus, obsecratio vero, ubi sub adjuratione oramus, dicendo per adventum tuum, per crucem tuam, et talia. Et hoc non oro in consideratione meriti mei : quia nullo modo promerui, sed *in veritate tua*, id est, in consideratione Filii tui, per quem complevisti veram promissionem tuam. Hoc est dicere : Ejus merito et interventu confer quod oramus. Quod ponit, *in veritate tua*, est obsecratio : hoc vero quod sequitur postmodum, videtur simplex oratio esse. Et quomodo dicat eum esse veritatem subjungit ut præscius determinet, ita scilicet : *Exaudi me in tua justitia*, id est, in Filio tuo, in quo hanc veritatem complevisti, ut per eum nos vivificares; juxta illud Apostoli : « Qui positus est nobis justificatio et redemptio (*I Cor.* I). Et non intres in judicium. » Modo facit aliam orationem ita : *Exaudi me*, inquam, *in justitia tua. Et non intres in judicium* meum *cum servo meo*, id est, non agas mecum judicia rei, ut me punias prout mereor, sed misericorditer : hoc est, cum sim servus tuus, ne mecum agas districto judicio tuo. Quod ideo mihi reformidandum est, quoniam non potero justificari in conspectu tuo, qui mortuus sum in peccatis : etsi in conspectu meo vel aliorum hominum justus apparerem, tamen in consideratione tui justus non essem, *quia* neque *omnis vivens*, id est, sanctus et vere in virtutibus vivens, *justificabitur in conspectu tuo*, hoc est, nullus adeo justus est, in quo non inveniatur coram te aliquid emendandum. *Quia persecutus est.* Ideo necessarium mihi est ut non intres mecum in judicium, quia *inimicus*, id est, fomes peccati et prava suggestio vel diabolus, persecutus est *animam meam* secundum impulsionem. Et non tantum impugnavit animam, sed et *humiliavit vitam meam*, id est, dejecit a dignitate sua, et debilitavit animam meam secundum consensum *in terra*, id est, in appetitu terrenorum et sordibus vitiorum, quæ prius sublevata virtutibus, alta petebat : dictum a similitudine avium, quibus captis, alæ ligantur aut truncantur, ne possint avolare in altum. *Collocavit me.* Et non solum *humiliavit vitam meam*, id est, consensum et operationem, sed etiam *collocavit me*, id est, quiescere et perseverare me fecit, secundum consuetudinem *in obscuris*, id est, in peccatis quæ excæcant animam meam, sicut illuminant virtutes. *Collocavit*, dico, *sicut mortuos sæculi*, id est, sicut illos qui mortui sunt in sæculo, id est, in appetitu temporalium, et jam contemnunt et pro nihilo ducunt peccare. Et ideo necesse est ut *non intres in judicium* mecum. Et quia deberent tanto magis propter hoc secum judicialiter agere, ponit meritum suum, dicens : Ideo etiam *non intres in judicium* mecum, quia *spiritus meus anxiatus est*, id est, anima mea doluit *super me*, subaudis considerans, id est, respiciens humiliationem et dejectionem meam. Et quia posset anxiari, ut tamen non esset meritum, sicut ille qui anxiaretur pro terrenis vel pro illata pœna, addit : *In me turbatum est cor meum*, id est, ratio mea ita anxiata est, ut illa anxietas sit in me, id est, in libero arbitrio, ut sicut sponte peccavit, ita et sponte pœniteam. *Memor fui : spiritus meus turbatus est in me :* tum ideo, quia dejectionem et fœditatem meam consideravi; tum ideo, quia ex altera parte *memor fui dierum antiquorum*, id est, memoriam habui prioris status mei, scilicet innocentiæ et sanctitatis, quæ prius erant in me, et hæc utraque causa mihi erant maximæ anxietatis. Cum enim aliquis respicit fœditatem in qua est et e contrario speciositatem in qua

fuit, eo magis anxiatur, Aliter : Ideo anxiatus sum quia *memor fui dierum antiquorum*, id est, damnationis quam in antiquis temporibus primus homo propter inobedientiam sustinuit, et cum eo omne genus humanum, quia detrusum est in has miserias passibilitatis et mortalitatis, pœnas quoque infernales. Et ideo mihi timui ne simili pœna mulctarer. Et hoc metuens, vel potius ad meritum contendens, *meditatus sum*, id est, studium habui *in omnibus operibus tuis* adimplendis, quæ ipse fieri præcipis. *Meditatus sum*, inquam, de præterito, et in futuro meditabor *in factis manuum tuarum*, id est, in talibus operibus quæ tu operaris in me, et quæ non possunt compleri nisi te operante. *Expandi manus*. Ideo etiam *non intres in judicium* mecum, quia *expandi manus meas*, id est affectiones meas, *ad te* amplexandum, quas prius contraxi quando eram in fœtore vitiorum. Et in tantum te dilexi, quod *anima mea* tibi inhians, est *sicut terra sine aqua*, id est, ita desiderat anima mea venire ad te et *tibi* adhærere sicut terra sicca desiderat aquam. *Velociter exaudi me, Domine.* Hucusque dedit causas propter quas oravit ut non intret secum in judicium. Modo exponit per partes quod superius laxe oravit, ita : « Et quia meditatus sum in omnibus operibus tuis, et manus meas expandi ad te, velociter exaudi me id est indilate delendo maculam, quam contraxi ex præterito delicto. Istud autem *Exaudi*, in eo diversum est a superiori, quia illud indiscrete dictum est de omnibus quæ in sequenti ponuntur : istud vero tantum de remissione peccati quod commisit ante pœnitentiam. *Exaudi*, inquam. Et hoc justum est, quia *defecit spiritus meus*, id est voluntatem meam postposui, tua quotidie magis ac magis in me prævalente. *Non avertas faciem tuam.* Et non solum exaudi me in remissione peccati, sed *non avertas faciem tuam*, id est, remissis peccatis, conferas mihi speciositatem virtutum quæ est in te, et quam tu inspiras, quam prius avertisti *a me*, ex quo peccando recessi a te. Et averteris faciem tuam, *similis ero descendentibus in lacum*, id est in infernum, vel de judicio in judicium. Hoc est dicere : Ideo rogo *ne avertas faciem tuam*, quia, si aversa fuerit ex toto peribo. *Auditam fac.* In hoc etiam exaudi me, ut facias auditam *mihi*, id est, ut audiri me facias ad utilitatem meam, *misericordiam tuam*, scilicet vocem illam qua designatur misericordia tua cum audierint justi : *Venite benedicti Patris mei* (*Matth.* xxv). Cum vocis judicium erit *mane*, id est, in futura resurrectione, cum post noctem et tenebras hujus sæculi primum dies illa illuxerit. Et justum est ut me in hoc exaudias, *qui* illam eamdem miserierdiam *speravi* consequi *per te*, non meis viribus. *Notam fac.* Et ut illa misericordia fiat mihi audita, hic interim fac *mihi* notam *viam* præceptorum tuorum, non tantum secundum cognitionem, sed etiam *in qua ambulem*, id est, ut sæpe illam operatione frequentem. Quod te facere justum est, *quia animam meam levavi ad te*, id est, tibi eam commisi, ut tu eam dirigeres. Quod est sublevatio animæ. Istud idem significat, quod et speravi in te; sed aliter dictum est. *Eripe me.* Non solum notam fac mihi viam tuam, sed etiam *eripe me* in omnipotentia tua *de inimicis meis* interioribus, id est, de illicitis suggestionibus, ne mihi placeant. Et hoc merito, quia confugium fecit *ad te*, non ad vires meas: et non solum *eripe me inimicis meis* ne acquiescam eis, sed et postmodum *doce me facere voluntatem tuam*, id est, doctrina tua faciat me complere ea quæ tu præcipis operari, quia non sufficeret non aquiescere pravæ suggestioni, nisi et bona operatio fieret. Et merito hoc expeto a te, *quia tu es Deus meus*, et sicut non potui subsistere in prima creatione nisi per te, ita non possum perseverare in voluntate tua, nisi per donum gratiæ tuæ. *Spiritus tuus.* Modo confisus de misericordia Dei, ne videatur ex diffidentia orasse, ad consolationem et confortationem aliis pœnitenbus certum denuntiat futurum, quod oravit dicens: O Domine, sic erit ut oravi. Spiritus tuus qui *bonus* est in natura sui, mihi etiam effectus bonus, *deducet et me*, id est commutabit de eo quod eram terra proferens spinas et tribulos, *in terram rectam*, id est, in hoc quod sim terra fecunda, apte respondens bene serenti. Illa enim terra justa est, quæ reddit semen quidquid ei committitur. Et hoc non facies ex meritis meis, sed *propter nomen tuum*, id est gloriam tuam : *vivificabis me in æquitate tua*, id est, in præceptis tuis, quæ dicenda sunt æquitas, qui prius mortuus eram in injustitia. *Educes in tribulatione.* Et non tantum vivificabis me secundum restitutionem virtutum, sed etiam educes *animam meam* de augustia pravæ conscientiæ, condonando mihi peccatum : et propter hoc *desperdes omnes inimicos meos* interiores, pravas scilicet suggestiones, me circumquaque impugnantes, Et hoc non ex merito meo, sed in *misericordia tua. Et perdes omnes.* Non solum pravas suggestiones disperdes, sed omnes *qui tribulant animam meam*, sive interiores sive exteriores inimicos perdes. id est inefficaces reddes. Quod justum est, *quoniam ego servus tuus sum*, id est; quia voluntates meas postpono, et tuas in omnibus exsequar sancti Ambrosii sententia in Hexameron: Non semper malum est non obedire præcepto. Si enim bonum est præceptum, honesta est obedientia. Quod si improbum est præceptum, non obedire utile est. Ergo non semper malum est non obedire præcepto. Sed bono præcepto non obedire improbum est. Bonum est autem et operatorium cognitione boni, maligni autem et non operatorium cognitione mali. Utrum igitur bonum an malum sit præceptum noscere debemus, quoniam quidem Deus inquit : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum » (*Gen.* iii). Præceptum l[illegible] xiii), Asinæ ergo primogenitum, hoc est immundnm jubet mutare ove, quæ munda et apta sacrificio est : hoc secundum litteram. Si quis autem sensum spiritalis legis altius prosequatur, conside-

rabit quod asina laboriosum animal sit, ovis fructuosum. Fructum ergo dicit mutandum labore, ut finis operis sui sit fructus. Aliter: Omnem laborem tuum omnem industriam, puro et simplici commendabis affectu. Si autem non mutabis, redimes. Jubetur ergo secundum litteram ut animal aliud pro immundo animali offeratur; aut pretium, ne inter decimas fructuum vel minus aliquod vel immundum videatur offerri. Intellectus autem profundior liberandam animam tuam docet, ut desistat ab his quæ fructum non habent. Qui enim redimit se liberat et quodam eximit debito. Relinquenda sunt opera quæ verum fructum bonosque processus habere non possunt: qualia sunt omnia ista mundana, quorum usus non potest esse diurnus. In quibus ipse nudus et vere vacuus est effectus.

PSALMUS CXLIII.

PSAMUS DAVID AD GOLIATH.

« Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum « Misericordia mea et refugium meum, susceptor « meus et liberator meus, Protector meus et in ipso « speravi, qui subdis populum meum sub me. Domine, quid est homo quia innotuisti ei ? aut filius « hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt. « Domine, inclina cœlos tuos, et descende : tange « montes et fumigabunt. Fulgura coruscationem, « et dissipabis eos : emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. Emitte manuum tuam de alto, eripe me, « et libera me de aquis multis, et de manu filiorum « alienorum. Quorum os locutum est vanitatem, et « dextera eorum dextera iniquitatis. Deus, canticum « novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi. Qui das salutem regibus, qui redemisti « David servum tuum de gladio maligno, eripe me. « Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum « os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filii, sicut novellæ plantationes in juventute sua. Filiæ eorum compositæ, « circumornatæ ut similitudo templi. Promptuaria « eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis. boves « eorum crassæ. Non est ruina maceriæ neque « transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum « dixerunt populum cui hæc sunt: beatus populus « cujus Dominus Deus ejus. »

ENARRATIO.

Psalmus iste est David, id est, cujusque fidelis, qui est manu fortis, vel visu desiderabilis. *David* dico, pugnantis contra *Goliath* (*I Reg.* XVII), id est, diabolum et membra ejus, id est, contra hæreticos omnia vitia interiora. Non ideo autrm ponit *Goliath* quod interpretatio nominis hujus hic aliquid operetur, nisi secundum rei gestionem. Sicut enim carnalis David interfecit Goliath, et hoc in petra ita in spiritali certamine fideles, Christo mediante, expugnant inimicos tam interiores quam exteriores. Qui fideles agunt in hoc psalmo, referentes gratiarum A actiones Deo pro eo quod reddit eos ita doctos in pugna, ut non succumberent in pugnatione inimicorum ; et hoc ad instructionem minus perfectorum scilicet ut cum impugnantur orent doctrinam præliandi a Domino. Et cum eam consecuti fuerint non in se, sed in Domino glorientur.

Benedictus Dominus. Dominus Pater qui Dominus meus est secundum gubernationem, et *Deus meus*, scundum creationem, sit benedictus, hoc est, glorifico eum, gratiarum actiones referendo, et omnia quæ in me fiunt bona, sibi ascibendo : tum ex illa consideratione quia Dominus est in rebus, tum ea respectu, quia est creator meus, tum etiam ex beneficio mihi collato, scilicet quia *docet manus meas ad prælium*, id est, quia instruit et facit me doctum ad B præliandum contra acriorem et vehementiorem impugnationem, sive illa sit interior, sive exterior. Fit enim aliquando exterior impugnatio, quæ magis est vehemens, ut impugnatio philosophi et subtilis hæretici. Aliquando non adeo vehemens, utpote illa quæ fit ab indoctis hæreticis. Eodem modo interior alia suggestio magis impugnat quam alia. Et ideo Dominus benedictus, qui docet *digitos meos ad bellum*, id est, quod doctum me facit ad bellandum contra remissiores impugnationes sive interiores, sive exteriores, ut mihi non prævaleant. Sola similitudo notanda est in eo quod ponit manus et digitos Quoniam enim res gladio cominus agitur et manibus majus est periculum, quam cum sagittis cæterisque missilibus eminus agitur, quia vitari facilius possunt, ideoque per manus gladiatura, per digitos C missilium jactura designatur. *Misericordia mea.* Misericordiam fecit Dominus cum David, quando eum ultimum de fratribus suis per Samuelem ad regale culmen elegit (*I Reg.* XVI), *Refugium*, quando ei consilium dedit ut hostem suum dejiceret, quem gladio non poterat (*I Reg.* XVII). *Snsceptor*, quando fecit eum a Saule suscipi in generum (*I Reg.* XVIII). *Liberator* cum eum a periculo regiæ indignationis eripuit (*I Reg.* XIX). *Protector*, cum in spelunca latens, in salutem regis ultionem suscepit (*I Reg.* XXIV). Aliter : Inde *Dominus* sit *benedictus*, quoniam est *misericordia mea* id est, quia gratis instituit et doctum me fecit ad præliandum. Licet enim ex meritis conferret doctrinam præliandi, tamen glorificandus esset; sed multo magis, cum ex sola gratia D hanc largiatur. Et in ipso prælio ita me animavit Spiritu sancto, quod fuit *refugium meum*, quia cum quadam securitate pugnavi ut non timerem ultra succumbere. Non dicit se ex toto securum, cum dictum sit : *Qui stat videat ne cadat* (*I Cor.* X) ; sed dicit hoc ad respectum prioris status, in quo vehementer timuit, et ad respectum alterius sicut aliquis ex gravi infirmitate aliquantulum convalescens, diceret sibi bene esse, cum tamen nondum ex toto liberatus esset. Et non tantum ex hoc præsenti beneficio sit *benedictus*, sed etiam ex primordiali beneficio, qui fuit *susceptor*, id est, procurator *meus* in baptismate, restituendo debilitatem naturæ in liber-

tatem rationis et liberi arbitrii. Ideo etiam glorifico eum, quia fuit *liberator meus*, id est, quia eripuit me ab inimicis persequentibus a tergo in baptismate, id est, ab actuali et originali peccato. *Protector meus*, et ideo sit *benedictus*, quia cum post primordialem liberationem insurgerent inimici, fuit *protector meus* ab incursantibus inimicis, scilicet vitiis, ne me possent vulnerare : et ideo per præteritum dicit, *in ipso speravi*, ut ostendat se dudum talem spem habuisse, et pro præteritis beneficiis illa vera et futura bona quæ sunt in ipso sperare. Hæc etiam sit causa benedicendi, quia subdit *sub me*, id est mihi *populum meum*, id est hæreticos vel alios inimicos, meos factos, id est mihi conformes. Vel subjecit mihi *populum*, id est, vitia ex propriæ carnis natura nascentia, hoc est : fecit me dominari omnibus meis illicitis motibus. *Domine, quid est homo?* Non tantum benedico te, Domine, ex his beneficiis quæ mihi singulariter contulisti, sed etiam ex communibus, ex his scilicet, quia *quid est homo*, id est, magnum et egregium aliquid, magnæque dignitatis est homo ; et hoc non ex se, sed *quia innotuisti ei*, id est, quia teipsum notificasti ei secundum fidem et cognitionem. *Aut* potius eo respectu dicam, quid est *filius hominis*, id est, filius primorum peccatorum et filius perditionis, et qui erat filius mortis, quod *tu reputas eum?* hoc est memoriam ejus habes, illum justificando, et alia charismata ei dando. Si enim simpliciter attendo quia *innotuisti* homini, magnum aliquid eum invenio. Si vero illud attendo quia *reputas eum*, id est, rememoras, id est, quia habes eum in memoria, ponendo in bona devotione et operatione, qui prius erat obnoxius perditioni, magis invenio aliquid magnum illum. Sed si utrumque similiter attendo, multo magis eum magnum considero. Aliter : *Domine, quid est homo?* (a) Remigius : Sub interrogatione et despectu dicendum est, *quid est homo?* quasi pulvis qui nullam habet firmitatem, *quia innotuisti ei* inæstimabile deitatis arcanum. *Aut filius hominis?* Idem respondeatur, *quia reputas eum* in ovibus tuis, in numero prædestinatorum : *Homo vanitati*. Ex eo quidem magnus est homo, *quia* tu *innotuisti ei*, et eum reputasti : sed per se *similis factus est vanitati*, id est, in primo parente peccando fecit se similem *vanitati*, id est, quodammodo accedit ad nihilum, id est, commutabile, ut nihil efficeretur. Ostendit in parte quomodo « similis factus sit vanitati, Dies ejus sicut umbra prætereunt. » Ac si dicat : Inde potest videri quia accessit ad nihilum, quoniam dies ejus, id est vita ejus, id est hominis, præterit *sicut umbra*, quæ nunquam permanet in eodem statu. Et eodem modo ætas ipsius vanitas est. Ipse enim de infantia transit ad pueritiam, inde in

A adolescentiam, post in juventutem, inde in senectutem. A qua vanitate, id est, a quo defectu quandoque subtrahetur, sicut in anima est subtractus a quadam vanitate, id est a peccato. « Domine, inclina cœlos. »

Facta gratiarum actione pro se singulariter et pro communi beneficio, orat pro illis quos Dominus nondum sublimes ostendit, quibus nondum innotuit, dicens : O *Domine*, cum tantæ dignitatis sint fideles tibi servientes, sicut dictum est, ut etiam illi qui adhuc sunt animales, efficiantur docti ad præliandum : *cœlos tuos*, id est, prædicatores tuos qui sublimes sunt in contemplatione deitatis tuæ, *inclina*, id est, fac conscendere a sublimitate intellectus ad modum capacitatis infirmorum. *Et* tali modo *descende*, id est, in quadam parte illis innotesce, saltem in B historiali scientia, ut intelligant de nativitate et passione tua, quia nondum conscenderunt ad illa superiora. Et quia prædicatio eorum inefficax sine operatione tua, *tange montes*, id est, elatos hujus sæculi, manu misericordiæ interius sollicita et terrore futuræ pœnæ. Et tali modo *fumigabunt*, id est, lacrymosas preces emittent pro eo quod in infidelitate perstiterunt. Aliter : « Domine, inclina cœlos. » Remigius : Inclinatio cœlorum fuit, quando ad hominem honor supernorum descendit : « Fulgura coruscationem. » Et quia non sufficeret sola inclinatio cœlorum, addit : « Fulgura coruscationem, » id est, manifesta miracula quæ illuminent mentes eorum. « Et dissipabis eos, » id est, tali modo separabis eos a massa perditorum. Et postquam descenderis in innocentiam eorum secundum fidem, « emitte sagittas tuas, » id est, manifesta eis C præcepta et instituta bene vivendi, quæ dicuntur sagittæ, quia infigunt corda auditorum, et interimunt vitia saluti contraria. Vel *sagittas* dicit apostolos, qui prædicatione quasi pennata jacula hominum pectora transfoderunt. *Et* per emissionem sagittarum *conturbabis eos* de præterita vita. Cum enim audierint, castitati et sobrietati cæterisque virtutibus insistendum, priorem vitam pravam fuisse intelligent. « Emitte manum tuam. » Facta oratione pro illis qui adhuc in dignitate sua remanserant, orat pro se ita : Non tantum oro pro cæteris fidelibus, sed etiam pro me. « Emitte manum tuam, » id est, manifestum fac mihi auxilium tuum, id est, de omnipotentia tua, ut sicut potens es, ita potenter opereris in me : et secundum hoc dico *emitte manum tuam*, ut per po- D tentiam tuam eripias *me de aquis multis*, id est de doctrinis diversis. In ecclesiastica enim doctrina non est multiplicitas, sed *una fides*, *unum baptisma* (*Eph.* IV) : et ita oro *eripe*, ut liberes me, id est, quadam libertate facias me contra agere, ne timeam subverti ; et non solum *eripe me* de erroribus hæreticorum, sed et *de manu*, id est, operatione eorum

(a) Hæc nominis Remigii, in expositione hujus psalmi ter expressi, mentio dubii non nihil inducere posset quoad auctorem libri ipsius. Sed nemo nescit expositionum auctores nostro æquales antiquorum Patrum sententias fere ad verbum referentes, eorum nomina et semetipsorum etiam, cum aliqua addebant ex suo, exprimere solitos, ut videre est apud Rabanum. Hæc quidem ad marginem ponebant, unde amanuensium negligentia in textum sæpe sæpius intrusa constat, vel omissa, vel ablata. Hanc etenim nominis Remigii mentionem, ut et Gregorii et aliorum nonnullorum, quorum nomina passim textui hujus libri inopportune omnino ingesta leguntur, nemo non videt ad oram codicis olim positam. EDIT.

qui aliquando fuerunt Ecclesiæ filii, sed modo sunt alieni recedentes ab unitate Ecclesiæ. Aliter: *Emitte manum tuam.* Remigius : *Manum* dicit Dominum salvatorem, quem venire deprecatur, ut liberet mundum, *de alto*, id est, de potestatis excelso. *De aquis*, id est, de populis undosis, et quasi procella concitatis. *De manu filiorum alienorum*, qui fidelibus parcere nesciunt, et diabolo generantur. *Quorum os locutum.* Ideo rogo de doctrina eorum eripi, quia *os* eorum *locutum est vanitatem*, mendacium scilicet, non veritatem. Vanum est omne quidquid veritati contrarium est. Ideo oro eripi de conformitate eorum, quia *dextera*, id est, operatio, *eorum* quæ videtur bona, *dextera* est *iniquitatis*, id est, intendens ad iniquitatem. Ideo enim bene operantur, ut facilius decipiant. Vel *dextera*, id est, prosperitas ipsorum, unde elevati, licentiam peccandi assumunt. *Deus, canticum novum.* O *Deus*, si liberaveris me *de aquis multis, cantabo tibi canticum novum*, id est, laudabo te in observatione novæ legis. *Psallam* etiam *tibi*, id est, bene operabor ad honorem tuum *in psalterio decachordo*, id est, in anima concorditer resonante, in completione decem præceptorum veteris legis. Ideo dicit, in anima *psallam*, ut ostendat quia in voluntate et affectione bene operatur. Multa enim opera fiunt exterius, quorum anima non est particeps, quia nulla est in eis affectio. *Quia das salutem regibus.* Reperit orationem suam, ut ostendat quia non potest aliunde salvari. Et ut necessitatem eripiendo ostendat, *Eripe me*, inquit, *de gladio maligno*, id est, de erroribus hæreticorum, qui interimunt animam. Vel de gladio diaboli qui est malignus, quia dividit a bonis. Christi vero gladius est benignus, quia separat a malis. Sicut enim verbum Dei dicitur gladius anceps, et bonus est, quia de utroque testamento incidit ad salutem ; sic prava hæreticorum doctrina gladius est, quia de utroque testamento assumit ; sed malignus, quia totum ad damnationem redigit. Et merito te oro ut eripias, quia tu tantus es, quod *das salutem*, subaudis omnimodam, scilicet hic secundum virtutes et bona opera, et tandem gloriam æternam ; *regibus*, id est, hic se ipsos spiritualiter regentibus. Et tantus es et talis, quod *redemisti David servum tuum*, id est unumquemque fidelem et tibi devotum et viriliter agentem, redemisti per sanguinem Filii tui. Eripe me, inquam, de gladio maligno, « et erue me de manu filiorum alienorum. » Ideo hoc totum repetit, ut supponat multas causas, quare pro hujusmodi periculo multoties orandum sit, ita : Ideo, Domine, necesse est ut eripias *me de aquis multis* et *de manu* hæreticorum, quia *filii* eorum *sicut novellæ plantationes*, id est, cogitationes et sententiæ eorum sunt comparabiles arbusculis noviter plantatis. Exponit secundum quid sint comparabiles illis : ita *in juventute sua*, id est, in hoc quod quotidie novæ inveniuntur, et cum veteribus sententiis adjunguntur, comparabiles sunt novis plantationibus, quæ noviter factæ, numero aliorum sæpius conferuntur. Et ideo necesse est ut me liberes. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ*, id est, verba eorum sunt ornata, subaudis omni genere exhortationis : et non in parte tantum, sed undique. Filios vocat cogitationes, et filias verba, feminino genere : ideo scilicet, quia filiabus major cultus solet adhiberi : et sicut magis ipsæ filiæ solent inescare homines, sic verba hæreticorum magis nocent quam cogitationes. Si enim tantum cogitarent, nequaquam hæresi sua tot simplices et idiotas dolose irretirent. Et ideo necesse est ut me liberes, quia verba eorum sunt *ut similitudo templi* : id est, revera similia verbis templi, id est, fidei. Sicut enim viri catholici Deum trinum et unum et quædam alia annuntiant, ita et ipsi : et hoc modo verba eorum similia sunt verbis fidei, quæ fides ideo templum dicitur, quia sicut in templo hostiæ offerri præcipiuntur, ita in fide omnem bonam operationem Deo offerre jubemur, et extra catholicam Ecclesiam non est locus veri sacrificii. Et ideo necesse est ut me liberes, quia *promptuaria eorum plena :* quia in grammatica eorum, ubi multiplices sententiæ continentur ad modum cellæ divitis, in qua multa poculorum genera reconduntur : et inde, id est, ex ipsa plenitudine sunt *eructantia*, id est, extra mittentia, subaudis multas argumentationes, eorum dico, transeuntium *ex hoc in illud*, id est, ex Veteri Testamento in Novum, vel ex argumentatione in argumentationem, vel ex una ratione in aliam rationem. Et ideo necesse est ut liberes me, quia *oves eorum*, non dico simplices et idiotas, qui sunt inter eos, sed *fetosæ* oves, id est, magistri eorum alios in errorem parientes, sunt *abundantes*, id est, multos fetus habentes, subaudis non secundum illum statum quo ingressi sunt ad fidem, sed *in egressibus suis*, id est, secundum illum statum quo egressi sunt a fide. Et ideo necesse ut me liberes, quia *boves eorum crassæ*, id est, ipsi iidem magistri eorum sunt copiosi in divitiis ; et quod scientia nequeunt, nummorum impensa efficiunt. Oves vocat magistros eorum, propter debilitatem nimiam animi ; fetosas, quia alios in errorem pariunt ; boves crassas, propter nimiam deceptionem. Vacca etenim pinguis citius taurum decipit, quam ovis arietem. Et ideo necesse est ut me liberes, quia « Non est ruina maceriæ, » id est, argumentationes eorum, id est, complexæ rationes dirui non possunt. Et ideo libera me, quia *neque transitus*, subaudis est in argumentationibus eorum, id est, multi quia resistere nequeunt, ubi sæpius capiuntur : « neque clamor in plateis eorum, » id est, istud non est causa, sed ita continuatur : quamvis sint ignominiosi et divites et magistri aliorum, non est tamen clamor, id est, subtilitas et intensio in rationibus eorum. Clamor enim et subtilitatem et intensionem designat. Unde sæpius Dominus in Evangelio *clamasse* dicitur, non quantum ad vocis altitudinem, sed quantum ad orationis intensionem et subtilitatem. Et ideo non est clamor in rationibus illorum, quia *in plateis*, id est, in amplitudine erroris et aliorum vitiorum sunt. Et ideo necesse est ut me

liberes, quia *populum cui hæc sunt*, videlicet prædicta copia verborum, ut possunt transire *ex hoc in illud*, et divitiæ, et quorum rationes a nullis vel a paucis possunt constringi, illum, inquam, populum talem stulti homines *dixerunt beatum*. Mea vero sententia hæc est, quia ille est « beatus populus, cujus Dominus » ipse est idem quod est *Deus ejus*, id est, creator ejus

PSALMUS CXLIV.

LAUDATIO IPSI DAVID

« Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi. Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi. Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt. Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet. Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus, in sæculum, et in sæculum seculi. »

EXARRATIO.

In hoc psalmo continetur laus attribuenda ipsi David, id est, Christo. In hoc autem tractatu quippe fideles perfecti post apostolos ex persona sua exhortantur, alios laudare Dominum ex consideratione sui ipsius, illos vero, qui modo ideo ad hoc promoti sunt, ut laudent Dominum, propter ipsum admonent ut saltem ex consideratione operum ejus laudent eum, ut sic tandem promoveantur ad eum laudandum propter ipsum, sic dicentes :

Exaltabo te, Deus meus rex, id est, Domine, qui es creator et rector meus ; *Exaltabo te*, scilicet activa vita, scilicet secundum virtutes et bona opera, et *benedicam nomini tuo*, id est, *laudabo te* **A** ex consideratione nominis tui, benedictione eunte *in sæculum sæculi*, id est, *laudabo te* contemplativa vita quæ in præsenti agitur secundum quod possibile est, et in futuro perfectius habebitur. Et hoc faciens, *per singulos dies*, id est, per singulas virtutes *benedicam tibi*, id est, ascribam tibi singulas virtutes quæ mihi inerunt, sive in præsenti, sive in futuro. Vel ita : *Benedicam*, inquam, tibi, id est, *laudabo te* (ut dixi) et activa et contemplativa vita, et hoc *per singulos dies*, id est, in prosperis et adversis. Et merito *laudabo* te, quia *Dominus magnus* est, id est, ita potens est quod *magnitudinis ejus*, id est, potentiæ, *non est finis*, id est, non potest alicujus creaturæ intellectu comprehendi ; vel *non est finis*, id est interminabilis est quantum ad localem capacitatem ; vel, *non est finis*, scilicet **B** secundum tempus, id est æterna est, et cum tantus sit, est etiam *laudabilis* in natura sua *nimis*, id est, plus quam cogitari vel dici possit. Ego, inquam, *laudabo* te ex consideratione tui ipsius, quia scio te magnum et laudabilem : alii vero qui ad hoc non sufficiunt laudabunt te ex consideratione operum tuorum, et hoc, quandiu generatio generationi succedit. Hoc est quod dicit : « Generatio et generatio laudabit opera tua, » hoc est, laudabunt te ex consideratione operum tuorum, videlicet cœli et terræ, maris et aliorum visibilium, et horum admiratione *potentiam tuam pronuntiabunt*, id est, te potentem et laudabilem probabunt et propter hæc *loquentur*, scilicet inter se et aliis, *magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ*, id est, magnificam gloriam **C** quam sanctis tuis attribuis. Vel ita : *Loquentur* te magifice gloriosum ex consideratione sanctorum tuorum *et* insuper *mirabilia tua narrabunt*, ut est resurrectio mortuorum et talia : *et* præter hæc *dicent* apud se interius et aliis *virtutem terribilium tuorum*, id est, potentiam tuam qua hujusmodi vindictas operaris justo judicio tuo per quas terreantur homines, ut in Anania et Saphira, qui beato Petro mentiti sunt (*Act.* v), et in aliis. *Et* etiam *magnitudinem tuam narrabunt*, id est, potentiam tuam qua tu in præsenti sanctos tuos promoves in omnem sanctitatem et propterea *eructabunt*, id est, plene enuntiabunt, *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ*, id est, abundantem misericordiam tuam per quam memor fuisti hoc facere, quorum ante videbaris **D** quasi oblitus fuisse, videlicet sanctitatem, miracula, promotionem sanctorum tuorum in virtutes et bona opera. *Et justitia tua exsultabunt*, id est, exsultanter proferent justitiam tuam, hoc est, terribilia opera tua *dicent* esse justa, et ipsi *dicent* hæc prædicta esse, miserationes Domini, sanctitatem, miracula, promotiones sanctorum in hac vita. Et recte, quia ita est in re. Est enim *Dominus miserator*, id est, faciens omnes has miserationes, et est *misericors*, et non utcunque, sed *multum misericors*. Posita hac voce quæ est *miserator*, dictum erat quia est *misericors* : sed ideo hanc vocem supposuit, quia voluit addere, *multum misericors est* et *patiens*.

Patienter enim omnem peccatoram expectat et illum quem videt nunquam esse convertendum, et ideo tandem gravius puniendum : non tamen ea intentione perdendum exspectat ut sic tandem acrius eum puniat, cum sit pius et misericors, sed summa et ineffabili clementia sua illum patienter sustinet, nec se ipsum negare potest (*II Tim.* II), qui, quod sum est, in præsenti omnibus misericorditer exhibet : licet peccator quod suum est usque in finem negligenter operetur, unde tandem justo Dei judicio acrius puniri promeretur. *Suavis* est *Dominus*,,id est, dixi quia *Dominus* est *miserator*, et ita est. Vere *Dominus* est *suavis*, id est *miserator universis*, id est hujusmodi hominibus, liberis et servis, sapientibus et stultis, senibus et pueris, et aliis cujuscunque sint con ditionis et sexus. Vel ita : ipse est *suavis universis*, id est multum miserator. *Et miserationes ejus super omnia opera ejus*, id est, sunt super hujusmodi opera ejus, ut est castitas et quælibet cæteræ virtutes. Multis enim castitate et aliis virtutibus ab eo datis usque in finem digne perseverare concedit, et ideo dictum est *super opera*, ac si diceret : præter hoc quod dat virtutes, dat etiam in eis perseverare.

Postquam modo dicit : *generatio et generatio laudabit* Dominum ex consideratione operum ejus, et sanctitatis, et miraculorum, et hoc ex abundanti misericordia eum fecisse eructabit, et hoc ipsum sua auctoritate asseruit ; quia ipse est *miserator et misericors* dicit, orando illud idem quod dixit pronuntiando, ita : *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua*, id est oro, *Domine* ut *opera tua* visibilia sint materia hominibus confitendi tibi, id est laudandi te, et dixi quod ipsi *loquentur* te gloriosum ex consideratione sanctorum tuorum, et sic eveniet. *Sancti tui benedicant tibi*, id est, homines laudent te ex consideratione sanctorum tuorum. *Gloriam regni tui dicent* ; ab illo loco ubi dixit *et justitia tua exsultabunt*, usque ad hunc versum est interpositio ; qui ita continuatur : Exsultabunt, ut dixi, *justitia tua*, et præter hoc *dicent gloriam regni tui*, id est, prædicabunt beatitudinem illius gloriæ quam habituri sunt illi qui erunt *regnum tuum*, *et* etiam *potentiam tuam loquentur*, id est, pœnæ illius immensitatem qua impii afficientur. Et ideo prædicabunt illam potentiam : *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam*, id est, ut hominibus illam *notam faciant*, et sic a vitiis terreantur. Et ideo prædicabunt *gloriam regni tui* ut *notam faciant* hominibus *gloriam magnificentiæ regni tui*, id est, magnificam gloriam quam habebunt illi in quibus regnabis, et sic ad eam appetendam magis accendantur; et propterea dicent : *Regnum tuum regnum omnium sæculorum*, id est, gloriam tuam dicent esse gloriam datam aliquibus de omnibus sæculis et de omnibus generationibus, a primo justo usque ad novisimum justum, nunc secundum animam, et tandem secundum utrumque : hoc est, prædicabunt gloriam tuam esse æternam. Aliud est prædicare gloriam simpliciter, aliud est illam gloriam esse æternam : *et* hoc prædicabunt

A quia *dominatio tua in omni generatione et generationem*, hoc est pœna malis illata erit *in* hac *generatione*, quæ modo dici potest omnis secundum diversos status hominum, et *in* illa *generatione* quæ una erit, videlicet in resurrectione, hoc est, æterna erit. Jam enim incipit a primo iniquo, et permanebit in æternum : et ne aliquis irrationabiliter fretus misericordia Dei, putaret pœnam illam non esse perpetuam, confirmat sic : Vere utrumque erit æternum, et gloria justorum, et pœna malorum, quia *fidelis Dominus*, id est verax est *in omnibus verbis*. Etsi ipse verax est *in omnibus* promissis *suis*, tunc et in promissione gloriæ et in comminatione pœnæ æternæ. Hoc valet quantum ad hoc ne quis applaudat sibi dicens Deum misericordiam esse, et B sic neminem æternaliter punire. Et, ne iterum alicui videatur non recte agere, si pro temporali commissione æternam sumeret vindictam et ita vellet removere pœnam, dicit : *Et sanctus in omnibus operibus suis*, id est non est ita ut tibi videtur, sed justus et rectus Deus est, non solum in inferendo pœnam æternam, sed in omnibus quæcunque operatur. Sola remotio est, et quia ipse est verax in promissione gloriæ, ideo *Allevat Dominus*, id est, ad se levat, id est, glorificat *omnes qui corruunt*, id est, omnis modi corruentes, scilicet in peccata, *allevat*, dicit juxta illud : *Nemo ascendit in cælum*, scilicet per se, *nisi Filius hominis* (*Joan.* III). Et ut illos allevet, in primis *erigit*, sed secundum remissionem peccatorum in hac vita, *omnes elisos*, id est, omnis modi confractos, scilicet in peccatis. Et postquam erecti sunt : C *Domine, oculi omnium*, scilicet interiores, id est, ratio et liberum arbitrium, *sperant in te*, id est, spem suam ponunt in te, exspectantes ut des illis *escam*, id est doctrinam spiritualem. Ipsi hoc expetunt, *et tu das escam illorum*, id est, illis aptam et necessariam *in tempore opportuno*, id est in hoc sæculo, ubi opportunum est fideles spiritualiter doceri. Et in dando illis *escam* spiritualem, *aperis tu manum tuam*, id est largus es, et est dictum a similitudine alicujus manum aperientis ad largiendum, *et* per hoc quia largus es, *imples omne animal benedictione*, id est, large imples omnem humilem et mansuetum spirituali doctrina. Et non solum *Dominus erigit* illos, et dat abundanter *escam* spiritualem, sed etiam *voluntatem timentium se*, id est, diligentium se *faciet, et* D *deprecationem eorum exaudiet*, id est postulationem eorum, hanc scilicet, *salvos faciet illos*. Hanc salutem dabit illis, scilicet bonam voluntatem et bonam operationem. Hoc, inquam, faciet *justus Dominus in omnibus* viis *suis*, et per hoc patet illum facturum voluntatem eorum, quia et ipse hanc talem voluntatem haberi præcipit, et justus est in his præcipiendis, id est, juvabit eos quia ipse dat hæc mandata tum quia justa sunt, tum quia ipsi volunt : et per hoc potest videri quia *faciet voluntatem* eorum, id est, quia non denegabit eis quæ volunt, quia *sanctus* est *in omnibus operibus suis*. Ipse, inquam, *faciet voluntatem* illorum, et deprecationem exaudiet, et

hoc, non diu prolongabit, sed *prope est Dominus*,id est paratus est *omnibus invocantibus eum*,illis scilicet qui eum invocant *in veritate*,id est vera intentione,scilicet quæ expetenda sunt et qualiter expetenda sunt postulantes.Et non solum *faciet voluntatem* illorum dando eis virtutes et bona opera, sed etiam *custodit Dominus omnes diligentes se*, id est, facit eos perseverare in ipsis donis, illos custodiet, et *omnes peccatores disperdet*,id est,peccatores commodis damnabit,hic secundum majorem excæcationem,in futuro secundum æternam ultionem.Et quia hæc prædicta bona Dominus *faciet*,ideo non solum cor, sed etiam *os meum, laudationem Domini loquetur os meum*,id est,ea quæ ad laudem ejus attinent annuntiabo, *et* meo exemplo *benedicat omnis caro* nomen sanctum *ejus*, id est, omnis modi carnalis laudet eum, scilicet benedictione duratura, *in sæculum*, id est per totum sæculum, *et in sæculum sæli*, id est per aliud sæculum.

PSALMUS CXLV.

ALLELUIA AGGEI ET ZACHARIÆ.

« Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea,psallam Deo meo quandiu fuero. « Nolite confidere in principibus,in filiis hominum, « in quibus non est salus. Exibit spiritus ejus, et « revertetur in terram suam : in illa die peribunt « omnes cogitationes eorum. Beatus cujus Deus « Jacob adjutor ejus,spes ejus in Domino Deo ipsius « qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in « eis sunt. Qui custodit veritatem in sæculum,facit « judicium injuriam patientibus,dat escam esurientibus. Dominus solvit compeditos,Dominus illuminat cæcos.Dominus erigit elisos,Dominum diligit « justos. Dominus custodit advenas,pupillum et viduam suscipiet, et vios peccatorum disperdet. « Regnabit Dominus in sæcula,Deus tuus, Sion, in « generatione et generationem. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo admonent fideles perfecti minus perfectos ut non confidant in carnalibus dominis, ponentes in eis spem temporalis sustentationis,qui nec velle nec posse habent nisi gratia divinæ permissionis,quæ confidentia multis fuit causa homicidii et cætera nefanda operari : sed Deum laudent,et in eum tantum sperent a quo omnis salus procedit.Ut autem admonitio eorum commendabilior habeatur, primum ostendunt se in eo esse ad quod alios hortantur.

Lauda, anima mea, Dominum. Sunt hæc verba cujuslibet perfecti fidelis seipsum exhortantis et sibi respondentis propter diversas naturas, scilicet rationalitatem et sensualitatem, hoc modo : Tu, *anima mea*,quæ sensibus tuis male utendo a Domino discessisti, *lauda Dominum*,scilicet bene utendo visu, auditu et cæteris sensibus tuis,et sic erit.Vere *laudabo Dominum in vita mea*,id est,in omnibus sensibus meis,hoc est,in recta administratione sensuum meorum. Et hoc non ad horam scilicet, sed *psallam Deo meo*, id est, *laudabo* Deum meum, scilicet hoc

A modo *quandiu fuero*, scilicet in hoc sæculo, et est hic positus effectus pro causa, *lauda* pro confide. Confidentia enim causa est ut aliquis laudet eum in quo confidit.Dixi quia *laudabo*,quare et vos laudate Dominum. Et ut illum laudare positis, *nolite confidere in principibus ;* id est, non ponite spem vestram in hominibus ea consideratione quia sunt principes et potentes. *In filiis hominum*, quasi diceret : Licet sint principes, non tamen aliis hominibus digniorem et honestiorem, genituram vel natalem habuerunt. *In quibus non est salus*,id est,in quorum potestate non est salus temporalis, id est, neque velle neque posse habent ut vobis prosint in hoc mundo nisi Deus eis dederit,et ideo in illis sperandum non est, sed tantum in Domino. Et per hoc

B patet quia illi nihil possunt ex se,quia *exibit spiritus ejus*,scilicet principis ab eo, et *revertetur in terram suam*, id est, non solum morietur, sed et redigetur secundum corpus in pulverem, unde factum est,et tunc in ipso exitu *peribunt omnes cogitationes eorum*, id est, non solum amittent velle et posse alicui obesse et prodesse, sed nec etiam inde ulterius cogitabunt,quare miseri sunt qui in eis confidunt : ille vero *beatus* est *cujus* Dominus *Deus Jacob adjutor ejus*, id est, qui eum, quem habet Creatorem, habet et adjutorem, et non alium Deum, sed illum qui est *Deus Jacob*, id est, luctantium. Hoc dicendo, admonet qui a Deo adjuvari volunt oportere luctari cum vitiis, non otio sese dare aut voluptati. Et inde constat quia Deus *adjutor* erit *ejus*, quoniam *spes ejus in Domino deo ipsius*, id

C est, quia sperat in eum et non in alium. Et non frustra sperat, quia ita potens est quod « fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt». Et quia omnia creavit ex nihilo, confidentem in ipso facile potest adjuvare. Et non solum potens est, sed etiam verax.Hoc est quod dicit : *qui custodit veritatem in sæculum*, id est, similis est alicui obtinenti illam vim animi quod illud implet quod promittit, et hoc non ad horam, sed per totum hoc *sæculum*, et ideo non frustra sperat in eum, quia ipse tam potens est quod *patientibus injuriam*, id est tribulationes scilicet pro nomine ejus *facit judicium*, scilicet illos hoc magis ac magis custodiendo,et tandem glorificando, et malos puniendo; et etiam *dat escam esurientibus*, id est, sperantibus

D in ipso, neccessarium victum quantum ad corpus sustentationem suggerit. Et præterea *Dominus solvit compeditos*, scilicet prava consuetudine peccati, ut libere ei valeant famulari. Et non solum hoc facit, sed etiam *illuminat cæcos*, scilicet secundum moralem scientiam quod necesse est omnibus salvandis, aliquos vero,videlicet perfectiores, secundum spiritualem intelligentiam : et insuper *erigit*, scilicet secundum remissionem peccatorum *elisos*, id est, fractos in peccatis : et postea illos *justos*, scilicet factos dirigit, id est, promovet ad aliora, et deinde *custodit advenas*, id est, facit perseverare in bono illo *qui hic* se cognoscunt esse advenas et peregrinos. et *pupillum*, id est, illos qui a se vero patre

per criminalia discesserunt propter avaritiam. *Et viduam*, id est, illos qui se a marito vero amando temporalia per cupiditatem dicesserunt *suscipiet*, id est,etiam illis condonabit peccata,si digne pœnituerint. Et non solum remittet, sed etiam *vias peccatorum*, id est pravas conscientias quæ sunt via ad peccata, *disperdet*, id est, prorsus destruet. Nota hæc omnia quæ hic dicta sunt, videlicet quod Dominus facit judicium injuriam patientibus,et solvit et erigit, et cætera quæ sequuntur, esse causas et quasi probationes,quia ipse vere potens est adjuvare sperantes in se. *Regnabit Dominus in sæcula Deus tuus Sion*, id est, o Sion, hæc prædicta facit gubernator et creatur in fidelibus suis, et hoc non horarie,sed isto modo regnabit in sæcula,id est,taliter operabitur in eis, quandiu hæc sæcula erunt. Et non solum *in generatione* præsenti taliter regnabit in eis, sed in generatione futura regnabit in illis, scilicet æternaliter illos remunerando.

PSALMUS CXLVI.

ALLELUIA.

« Laudate Dominum,quoniam bonus est psalmus, « Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio. Ædi- « ficans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis « congregabit. Qui sanat contritos corde, et alligat « contritiones eorum. Qui numerat multitudinem « stellarum, et omnibus eis nomina vocat. Magnus « Dominus noster,et magna virtus ejus,et sapientiæ « ejus non est numerus. Suscipiens mansuetos Do- « minus humilians autem peccatores usque ad ter- « ram. Præcinite Domino in confessione, psallite « Deo nostro in cithara.Qui operit cœlum nubibus, « et parat terræ pluviam.Qui producit in montibus « fenum et herbam servituti hominum.Qui dat ju- « mentis escam ipsorum, et pullis corvorum invo- « cantibus eum.Non in fortitudine equi voluntatem « habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. « Beneplacitum est Domino super timentes eum,et « in eis qui sperant super misericordia ejus. »

ENARRATIO

In hoc psalmo Propheta exhortatur omnes fideles laudare Dominum ex consideratione spiritualium donorum; scilicet fidei et remissionis peccatorum et perseverantiæ in bonis operibus, subdendo multas causas quare id facere debeant, ad hoc scilicet intendens ut huic admonitioni assensum præbeant. Dicit ergo sic :

« Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus. » In psalmo tria sunt : cordæ, sonus, motus digiti.Per chordas,carnis siccationem ; per sonum, virtutes; per motum digitorum bonam operationem intelligimus : quibus modis propheta in hoc loco ad laudem Dei fideles hortatur ita : *Laudate Dominum*, agendo ei psalmum hoc modo ut exposuimus : et justum est ut eum sic laudetis,*quoniam psalmus*,scilicet hujusmodi est, id est, fructuosius, et ideo *sit* scilicet *psalmus* datus a vobis *Deo nostro*,quia *laudatio* scilicet hujusmodi, est *jucunda*,id est,bene placens Deo.Et *decora*, id est, honesta in se ipsa. Hoc totum est dicere : Ideo agite psalmum Domino,tum quia psalmus utilis est,tum quia placet Deo,quia honestum est in se ipso.Et ideo *Laudate Dominum*, quia *dispersiones Israelis*,id est,illos qui dispersi sunt ad diversas culturas idolorum,*congregabit*,scilicet secundum unitatem fidei ad hoc ut sint Israel.Et ideo faciet illos hic esse Israel,id est fideles et bene operantes, ut ex illis tandem reædificet cœlestem Jerusalem,quæ per apostasiam et casum primi hominis diminuta est. Hoc est quod dicit : *ædificans Jerusalem Dominus*.Et ideo *laudate*, quia ipso scilicet peccata remittendo, *sanat contritos corde*,id est,dolentes et humiliter ingemiscentes pro peccatis suis,et non solum hoc facit, sed etiam *alligat contritiones eorum*, id est, restaurat et consolidat rationem et liberum arbitrium illorum, scilicet in baptismo, et multos ex illis facit stellas. Et non solum facit illos esse stellas, sed etiam *numerat multitudinem stellarum*, id est, custodit illos in hoc quod stellæ sunt, scilicet illuminati luce sapientiæ ut perseverent. *Numerat* dicit, pro *custodit*. Ad hoc enim res numeratur, ut custodiatur : *et* præter hoc *omnibus eis nomina* vocans, id est, diversa dona attribuit. *Alii* enim secundum Apostolum dat sermonem sapientiæ,*alii genera linguarum* (*I Cor.* XII). Et ideo *laudate*,quia *magnus* est *Dominus noster*,id est omnipotens est Deus Pater, *et magna virtus ejus*, id est, Filius ejus similiter magnus est.Et quamvis dicatur Pater magnus, et Filius magnus, tamen *sapientiæ ejus*, scilicet Filii, *non est numerus*, scilicet cum Patre, id est,Filius non facit numerum cum Patre,hoc est, non sunt duo quantum ad essentiam Pater et Filius,sed quantum ad personas. Ut ergo fideliter possitis credere et intelligere Patrem et Filium diversas personas et eamdem penitus essentiam,estote mansueti quia *suspiciens mansuetos Dominus*, id est, humiles promovet ad intelligendum, *humilians peccatores usque ad terram*,id est superbos et indignantes,quia non possunt intelligere illos deprimit *usque ad terram*,id est usque ad infidelitatem,ut nihil de Domino nisi terrenum intelligant, licet prius aliquid intellexissent.Et ut Dominus vos suscipiat, id est humiliet,secundum intellectum,*præcinite Domino in confessione*,id est,primum confitemini peccata vestra Domino,et deinde *psalitate Deo nostro*, id est bene operamini ad honorem ipsius, et hoc *in cithara*, id est in mortificatione carnis vestræ. Et idea *laudate*, quia ipse *operit cœlum nubibus*, id est, cœlat arcana sua in Scripturis prophetarum, *et*, illud idem quod ibi occultum est, *parat terræ pluviam*, id est, Ecclesiæ suæ doctrinam, scilicet per prædicatores quibus ea revelavit. et ideo *laudate*, quia ipse *producit* de *montibus*, id est de Scripturis montium,id est prophetarum *fenum et herbam*, scilicet frumenta,id est,historialem intellectum et spiritualem existentia in ipsis montibus, herbam, id est, spritualem intellectum *dat jumentis*,id est, simplicibus et idiotis : scilicet *escam ipsorum* : id est, doctrinam illis convenientem. Et non solum fidelibus de Judæis dat *fenum et herbam*,sed etiam *pullis*

corvorum, id est filiis gentium, qui erant denigrati in peccatis scilicet, dat *herbam* et *fenum*, id est escam similiter, et non omnibus, sed *invocantibus eum*, id est tantum illis qui fideles sunt et bene vivunt. Illos, ut dixi, qui contrito sunt *corde sanat* Dominus, et *mansuelos* dirigit, sed *non in fortitudine equi voluntatem habebit*, id est, superbos non diligit. Nec *in tibiis viri beneplacitum erit ei*, id est, nec diligit illos qui sunt viriliter agentes in luxuria. Per tibias denotantur luxuriosi, quia a renibus usque deorsum maxime corpus vacat libidini: vel, per tibias possunt intelligi quælibet criminalia quæ cum delectatione sunt, præter superbiam quæ denotatur in fortitudine equi. Tibiæ enim musicum est instrumentum, delectatione coopertum: hos tales non diligit Dominus, sed diligentes se et sperantes in se, illos diligit. Hoc est quod dicit: *Domino* scilicet providenti et respicienti *super timentes* se, id est diligentes, *beneplacitum est*, id est in illis. *Et in eis* scilicet *beneplacitum est, qui sperant super misericordia ejus*, id est, qui non confidunt de suis meritis, sed de gratia ipsius. Aliud est diligere, aliud sperare, ideo postquam dixit *timentes*, id est diligentes, supposuit sperantes.

PSALMUS CXLVII.

ALLELUIA HAGGEI ET ZACHARIÆ.

« Lauda, Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum, « Sion. Quoniam confortavit seras portarum tua« rum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines « tuos pacem, et adipe frumenti satiat te. Qui emit« tit eloquium suum terræ, velociter currit sermo « ejus. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut « cinerem spargit. Mittit crystallum suam sicut « bucellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? « Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: flabit « spiritus ejus et fluent aquæ. Qui annuntiat ver« bum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel. « Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non « manifestavit eis. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo rursum exhortatur Propheta eosdem quos in præcedenti admonuit laudare Dominum, sed ex diversa consideratione. In illo enim illos invitavit ad laudem, ex ea consideratione qua dedit eis fidem et remissionem peccatorum, et restituit rationem et liberum arbitrium, et plura quæ sequuntur. In hoc autem illos admonet laudare Dominum, ex ea consideratione qua dedit eis optimos defensores contra hæreticos impugnantes utrumque Testamentum. Vetus, Manichæi: Novum, ut Marcionistæ et plures alii, qui carnales observantias legis inducere et novæ legis instituta cessare oportere censebant. Et, qui eosdem hæreticos Ecclesiæ associavit, et tantæ perfectionis illos instituit quod eorum prædicatione multos ad fidem convertit, quod sic incipit:

Lauda, Jerusalem, Dominum, id est, o *Jerusalem*, *lauda* omni dignitate vitæ *Dominum*, id est, quia Dominus est, id est, gubernator tuus, et *Deum*, id est, quia Deus est, id est, Creator tuus, et talis *lauda*, ut sis *Sion*, id est, speculans futura, non quærens tem-

A porolem, sed tantum æternam remunerationem. Et ideo *lauda, quoniam confortavit seras portarum tuarum*, id est, fortes et invictos fecit defensores prophetarum et apostolorum, qui tibi sunt portæ per quas ad fidem intrasti et ad omnem bonam operationem. Seras vocat Augustinum, Gregorium et alios sanctos Patres, ab ea similitudine, quia sicut seræ muniunt ea quibus affiguntur, ita contra omnem hæresim sancti Patres prophetias et cætera divinæ paginæ documenta sententiis suis rationalibiter defendunt. *Et* ideo *lauda*, quia *benedixit filiis tuis in te*, id est, multiplicavit, scilicet secundum promotionem et augmentum virtutum et bonorum operum, filios tuos manentes *in te*, id est in tui conformitate. Vel sic: *Benedixit*, id est multiplices filios dedit tibi in

B te manentes. Et ideo *lauda*, quia ipse *posuit fines tuos pacem*, id est, hæreticos qui tibi sunt affines, id est, neque in fide omnino, neque extra fidem omnino existentes, *posuit pacem* ipsam: antonomatice dictum est, id est, fecit tibi firmiter reconciliatos secundum unionem fidei et veritatem, et ideo *lauda*, quia *adipe frumenti*, id est, spirirituali intellectu Scripturæ *satiat te*. Frumentum dicitur divina Scriptura. In frumento autem est et adeps et furfur. Per adipem allegoricus sensus, per furfur litteralis tantum denotatur quo soli Judæi utuntur. Dixi quia dabit tibi spiritualem intellectum, et ideo *lauda*, quia, per illos quos satiabit *adipe frumenti*, emittet *eloquium suum terræ*, id est, extra mittet prædicationem suam ubique terrarum scilicet contra hæreticos. Et ideo *lauda*, quia *velociter currit sermo ejus*, id est, tantæ

C sapientiæ illos faciet quod eorum prædicationi nemo resistere potest, et brevi tempore per multas nationes transibunt. Et ideo *lauda*, quia ipse *dat nivem sicut lanam*, id est, qui infrigidati sunt vitiis ita sanctificat quod per eos alios fovet, et calore spirituali calefacit ad modum lanæ aliquid calefacientis: *nebulam sicut cinerem spargit*, id est, illos qui sunt ignorantes veritatem facit esse *cinerem*, id est, ita illuminat quod eorum vita et exemplo fertilem reddit Ecclesiam, ad modum cineris sparsi super terram eam fecundantis. Et ideo *lauda*, quia *mittit crystallum suum sicut buccellas*, id est, illos, qui indurati sunt in profundo nivis et nebulæ vitiorum et ignorantiæ faciet esse tantæ sapientiæ quod subtilius et perfectius scient prædicare, quam auditorum capa-

D citas valeat recipere, et ita replebit illos spiritu sapientiæ quod nullus adversarium eorum prædicationi resistet. Hoc est quod sub interrogatione ponit ut commendabilis sit, ita: *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* id est, præsentiam illorum qui frigus erant, et tamen futuri ejus. *Quis sustinebit*, id est quis contradicere poterit? scilicet nullus, sicut ibi dictum est: *Et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur* (Act. VI). Et quod ipse faciet *nivem sicut lanam*, et *nebulam sicut cinerem*, et *crystallum sicut buccellas*, id est illos qui sunt indurati in nive et nebula, *sicut nebulam*: hoc non solum fiet per prædicationem eo-

rum quos *adipe frumenti* satiabit. et per quos velociter *currit sermo ejus:* sed per hoc *emittet Verbum suum*, id est, Filium suum quem semper et ineffabiliter a se emittit, in eis operari faciet *et sic liquefaciet ea*, id est, mollificabit eos, dando illis virtutes et bona opera, et destruendo primum in eis duritiam vitiorum et interioris cæcitatis, et in hoc non solum Filius operatur, sed etiam Spiritus sanctus. Hoc est quod dicit: *flabit spiritus ejus*, scilicet in eis: *et* hoc modo, scilicet per operationem totius Trinitatis et per prædicationem horum quos diximus, illi hæretici qui prius erant nix, nebula, crystallus, conversi ad fidem *fluent aquæ*, id est, abundantes doctrinæ erunt illis ad modum aquæ multum fluentis, quia per illos conversos iterum Dominus annuntiabit scilicet hominibus. *verbum suum*, scilicet *justitias et judicia sua*, id est, justa præcepta sua quæ ipse juste fieri judicat, alios eorum quibus prædicabunt faciens esse *Jacob*, et alios faciens esse *Israel*, id est, magis perfectos. *Non fecit taliter omni nationi*, id est, dixi quia hos tales convertet, sed tamen hoc non faciet *omni nationi*, id est, diversis sectis hæreticorum. *Omni*, id est secundum omnes partes *et judicia sua*, id est, hoc ipsum quod alios eorum salvabit ex gratia, alios damnabit ex justitia, *non manifestabit*, id est, revelabit eis, quare permittit sic excæcari.

PSALMUS CXLVIII.

ALLELUIA AGGEI ZACHARIÆ.

« Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum, omnes angeli ejus, laudate eum, omnes virtutes ejus. Laudate eum, sol et luna, laudate eum, omnes stellæ et lumen. Laudate eum, cœli cœlorum, et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt. Statuit ea in sæculum et in sæculum sæculi, præceptum posuit et non præteribit. Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri. Bestiæ et universa pecora, serpentes et volucres pennatæ. Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius. Confessio ejus super cœlum et terram, et exaltavit cornu populi sui. Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi

ENARRATIO.

In superiori *Laudate*, invitat Propheta omnes fideles laudare Dominum ex consideratione spiritualium donorum, scilicet fidei et aliorum quæ ibi dicta sunt. In altero autem, id est, in *Lauda, Jerusalem*, rursum admonet omnes laudare Dominum ex ea consideratione quia Ecclesiam suam contra impugnationes hæreticorum firmiter munit, et eosdem etiam postea ad fidem convertit: in hoc vero psalmo invitat fideles laudare Dominum ex consideratione omnium creaturarum, sic dicens:

Laudate Dominum de cœlis, id est, cœli sint vobis materia laudandi Dominum. Et quia in cœlo sunt et digniores et minus dignæ creaturæ, scilicet incorporeæ, ex consideratione singularum invitat laudare Dominum, incipiens a dignioribus, ita: *Laudate eum in excelsis*, id est, supremæ et altiores creaturæ sint vobis materia laudandi Dominum. Et supponit illas altiores creaturas per partes, ita: *Laudate eum, omnes angeli ejus*, id est, vos nuntii ejus ad fideles in terra demorantes, et non solum angeli, sed etiam *omnes virtutes ejus*, id est, omnes cœlestes spiritus, estote materia laudandi. Et non solum cœlestia incorporea sint vobis materia laudandi Dominum, sed etiam cœlestia corporea, videlicet *sol et luna et stellæ*, tum ex eo quod sunt, tum etiam quod fulgorem ex eo emittent. Hoc est quod dicit, et *lumen. Cœli*, id est, firmamentum et æther, scilicet complexi vis: *cœlorum*, id est, septem circulorum, ubi aplanes et planetæ fixæ sunt, sint vobis materia laudandi Dominum. Esse aquas super firmamento, ex Genesi patet, ubi dictum est: « Divisit aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum (*Gen* I). » Et ideo laudate, *quia ipse dixit*, id est solo (*sic*) dicere, id est, sola voluntate sua, *facta sunt*, scilicet omnia secundum rudem et informem materiam: *ipse mandavit*, id est voluit, *et creata sunt*, id est, singula prius confusa, formas proprias receperunt. Et postquam creata sunt, « statuit ea in sæculum et in sæculum sæculi, » id est, statoria fecit ea, scilicet mansura per totum hoc sæculum et aliud sæculum: et insuper *præceptum*, id est, legem et officium qualiter se haberent et quid agerent, injunxit: *et non præteribit*, id est, præceptum suum aliquid horum; sed ad quod creata sunt, jugiter adimplebunt. Facta ergo admonitione ut Deum laudent ex consideratione cœlestium, iterum invitat ad idem ex consideratione terrestrium, ita: *Laudate Dominum de terra*, id est, omnia terrena sint vobis materia laudandi Dominum, videlicet *dracones;* quæ sunt præcipua animalia in terrenis. *Et omnes abyssi.* Abyssi dicuntur in hoc loco profundissimæ fossæ, ubi dracones cubant. « Ignis, grando, nix, glacies, et spiritus procellarum, » id est, venti qui faciunt procellas: quæ scilicet omnia *faciunt verbum ejus*, id est, observant præceptum ejus, sint vobis materia laudandi Dominum. « Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri, » id est, et fecundæ arbores et steriles: *bestiæ* scilicet silvestres, *et universa pecora*, id est, domita animalia: *serpentes et volucres* scilicet tum ex ea consideratione quod sunt volucres, et ex ea quod sunt « pennatæ. Reges terræ et omnes populi, » id est, subditi ipsorum. « Principes et omnes judices terræ, » scilicet cum sint principes, sed tamen reipublicæ curam habentes: *juvenes et virgines*, hic notat diversos sexus: *senes cum junioribus*, hic diversos ætates, *laudent nomen Domini*, id est, omnia hæc prædicta, sint vobis materia laudandi Dominum. Et merito debetis eum laudare ex consideratione horum omnium, tum « quia exaltatum est

nomen ejus solius : » juxta illud : « Exaltavit eum, et dedit ei nomen quod est super omne nomen (*Phil.* II) : » tum quia « confessio ejus super cœlum et terram,» id est,laus ejus in superiori et inferiori creatura : tum quia tandem exaltabit *cornu populi sui*,id est,sublimitatem suorum juste remunerabit. *Laudate*, inquam, sic dicentes alter alteri : *Hymnus*, id est, laus sit *omnibus sanctis ejus*, id est, omnes sancti laudent eum, scilicet omni dignitate vitæ, videlicet illi qui ex Judæis facti sunt Israel, id est, fideles illi, qui ex gentibus additi sunt illis alter paries. Hoc est quod dicit, « Filiis Israel, populo appropinquanti sibi, » id est, ipsis filiis Israel. In quocunque psalmo habetur alleluia in principio, habetur alterum in fine secundum beatum Hieronymum.

PSALMUS CXLIX.

ALLELUIA.

« Cantate Domino canticum novum, laus ejus in « ecclesia sanctorum. Lætetur Israel in eo qui fe- « cit eum, et filiæ Sion exsultent in rege suo. Lau- « dent nomen ejus in choro,in tympano et psalterio « psallant ei. Quia beneplacitum est Domino in « populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem. « Exsultabunt sancti in gloria,lætabuntur in cubili- « bus suis. Exsultationes Dei in gutture eorum, et « gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam « vindictam in nationibus,increpationes in populis, « Ad alligandos reges eorum in compedibus, et no- « biles eorum in manicis ferreis. Ut faciant in eis « judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus « sanctis ejus. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo Propheta invitat fideles ad laudem Dei, supponendo easdem causas quas dixit in « Laudate Dominum quoniam bonus,» et quasdam alias, ita :

« Cantate Domino canticum novum, » id est,cum jucunditate agite ad honorem Domini canticum novum. Et hæc laus ejus, id est, illud novum canticum ita sit in vobis, ut sitis *in ecclesia sanctorum*, id est, in fide electorum. Ecclesia pro fide ponitur, sicut alibi dictum est : « Non est locus veri sacrificii extra Ecclesiam, » id est, fidem.Et cum aliquis *Israel*, id est, perfectus egerit novum canticum,ita ut sic in ecclesia sanctorum, *lætetur* scilicet, non se, sed *in eo qui fecit eum*, scilicet, talem, id est, hujus gratiæ nihil sibi ascribat, sed Deo. *Et filiæ Sion*.Intransitive dictum est, id est, illæ filiæ quæ sunt Sion, hoc est,quique perfectiores et præcipue ornati virtutibus ad modum filiarum,quibus major cultus diligentius adhibetur. Illæ, inquam, *filiæ Sion*, id est, futura speculantes, *exsultent in rege suo*, id est, in consideratione tanti rectoris qui in hac dignitate virtutum illos custodit.Modo exponit quod ipse dicat canticum novum,ita dixi,ut cantent novum canticum, id est, *laudent nomen ejus :* hoc est,laudent secundum quod expetit hoc nomen ejus quod est Dominus, ita scilicet, ut sint in *choro*, id

A est in concordia,id est,in dilectione Dei et proximi. Et *in tympano*, id est, in separatione omnium criminalium.Hoc enim denotatur per tympanum corio mortui animalis obvolutum,a quo quidquid humoris carnei inerat, perfecte est abstractum. *Et psalterio psallant ei* id est,laudent eum in anima ornata virtutibus.Et ideo debent cantare Domino hoc canticum novum, id est, laudare eum in choro, in tympano et psalterio :« quia beneplacitum est Domino populo suo,»scilicet hujusmodi canticum esse, quia hoc tale canticum placet Domino, tum etiam ideo quia ipse tandem « exaltabit mansuetos in salutem :»in hanc scilicet quod « exsultabunt sancti in gloria.» Et licet omnes participent eamdem gloriam et idem bonum, tamen alii plus, alii minus,
B pro diversis meritis singulorum.Hoc est quod dicit, *Lætabuntur in cubilibus suis*, id est, diversis suis donis, juxta illud :«In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). » Istud ad hoc dictum est, ut eo perfectius quisque cantare studeat,quo singulis pro eorum meritis audit reddenda esse ibi præmia, Et ut ibi tandem possint exsultare, hic interim sint « exaltationes Dei in gutture eorum, » id est, exaltent ut non ejiciatur ab his verbum Dei. Et ut competenter sciant annuntiare *in manibus*, id est, in potestate illorum sint *gladii ancipites*,id est, verbum Dei quod est anceps, id est, confirmans ex utroque testamento ea quæ dicuntur : vel anceps, id est, interiores et exteriores sordes. « Ad faciendam vindictam in nationibus, » id est, ad hoc debent habere ancipites gladios, ut subjugent sibi
C aliquos de *nationibus*, id est, de diversis sectis hæreticorum : illi dico, existentes *in nationibus*, id est, inter ipsos hæreticos in hoc plurimum intendentes, ut sicut ipsi de fidelibus aliquos subtraxerunt, ita isti quasi vindictam facientes,aliquos de infidelitate subtrahant.Et ideo,ut sciant increpare de *populis*, illi dico,existentes in populis. *Populis* et *nationibus*, idem hic significat. Inter vindictam facere et increpare, est differentia : et ideo prius alligent *reges eorum in compedibus*, id est, magistros hæreticos invincibilibus rationibus. « Et nobiles eorum in manicis ferreis, » id est, illos qui sub specie sanctitatis inter se conversantes, et famosi et insignes habentur : et ideo,*ut faciant in eis*, id est, de ipsis hæreticis *judicium conscriptum*, ut constitutum a
D multis Patribus sanctis,id est, ita de illis judicent, sicut in scripturis sanctorum prædecessorum : et præterea debent esse in choro,in tympano et psalterio et doctrina utriusque testamenti quia « gloria, hæc est omnibus sanctis ejus, » id est ista gloria quæ est quantum ad me, qui etiam propheta magnæ auctoritatis sum,comprobatur etiam esse auctoritate omnium sanctorum.

PSALMUS CL.

ALLELUIA.

« Laudate Dominum in sanctis ejus,laudate eum « in firmamento virtutis ejus.Laudate eum in virtu- « tibus ejus,laudate eum secundum multitudinem

« magnitudinis ejus. Laudate eum in sono tubæ, « laudate eum in psalterio et cithara. Laudate eum « in tympano et choro, laudate eum in chordis et « organo. Laudate eum in cymbalis bene sonanti- « bus, laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis « spiritus laudet Dominum. Alleluia. »

ENARRATIO.

In hoc psalmo invitat Propheta omnes fideles laudare Dominum tantummodo ex consideratione futuræ beatitudinis sanctorum, ita :

« Laudate Dominum in sanctis ejus, « id est, in consideratione sanctorum ejus. Et determinat secundum quam considerationem debeant laudare Dominum, sic : « Laudate eum in firmamento virtutis ejus, » id est, ea consideratione, quod sanctos suos ita confirmabit in virtute, ut ulterius peccare non possint. Et ne aliquis putaret illos confirmandos esse in una virtute tantum, addit : *Laudate eum in virtutibus ejus*, id est, in consideratione multiplicium virtutum, in quibus sancti erunt glorificati, subaudis secundum animam. « Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus, » id est, secundum multiplicem glorificationem, qua magnificati erunt in corpore, videlicet secundum nimiam agilitatem et decorem ipsius corporis et impassibilitatem et multa alia : Modo exsequitur per partes illam corporis beatitudinem, ita : *Laudate eum in sono tubæ*, id est, consideratione illius perfectæ victoriæ, quando et mortis et omnis calamitatis fines erunt. Unde dictum est : « Ubi est mors, victoria tua? ubi mors, aculeus tuus? (*I Cor.* XV.) » In principio belli et in fine tuba canitur : ideo hic pro victoria ponitur, *Laudate eum in psalterio*, id est, in consideratione glorificationis animæ, quæ erit secundum perfectam scientiam et plenam Dei cognitionem. *Et cithara;* id est, in consideratione glorificationis corporis. *Laudate eum in tympano*, id est, in separatione corruptionum omnium : *et choro*. id est, in conformi beatitudine quam habebant cum angelis. *Laudate eum in chordis*, id est, in ea beatitudine, quam per nimiam tribulationem hujus mundi adipiscentur. Tympanum notat separationem omnium carnalium. Chordæ autem illud idem in concordia, et plus, videlicet quomodo ad id perveniatur : *et laudate eum in organo*, id est, in concordia diversorum donorum, quæ licet diversa sint, unanimiter tamen et sine invidia singuli eam possidebunt. Et est dictum a similitudine organi, in quo et diversæ fistulæ sunt, et tamen in sono non dissonant. « Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, » id est, in fulgore et pulchritudine corporis sanctorum, quod non mediocriter pulchrum erit, sed valde pulchrum. Per cymbalum fulgorem et pulchritudinem : per *bene sonantibus*, nimiam pulchritudinem notamus. Et « Laudate eum in cymbalis jubilationis, » id est, in eo quod sancti ex ipsa pulchritudine corporum sanctorum Deum perfecte laudabunt. « Omnis spiritus laudet Dominum, » id est, non solum laudate eum ex ea glorificatione corporis, quod erit in tympano et choro et cæteris prædictis, sed etiam quod spirituale, id est, ad modum spiritus agile et subtile efficietur. Vel ita : Non solum laudate eum ex prædicta glorificatione corporis, sed etiam ex omnimoda glorificatione animarum, quæ tunc erit in æternum.

COMMENTARIUS IN CANTICUM CANTICORUM.

(*Vide Patrologiæ tom.* CXVII, *col.* 295, *ubi editus est ille commentarius sub nomine Haymonis Halberstatensis.*)

COMMENTARIUS IN XII PROPHETAS MINORES.

(*Vide ibid. col.* 9, *inter Opera Haymonis Halberstatensis.*)

COMMENTARIUS IN EPISTOLAS S. PAULI.

(*Vide ibid. col.* 361, *inter Opera Haymonis.*)

REMIGII

MONACHI SANCTI GERMANI ANTISSIODORENSIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI

OPERUM PARS SECUNDA. — MISCELLANEA.

EXPOSITION DE CELEBRATIONE MISSÆ.

(*Vide Patrologiæ tom. CI, col.* 1246, *inter Alcuini Opera, lib. de Divinis Officiis, cap.* 40).

TRACTATUS DE DEDICATIONE ECCLESIÆ [a].

(Apud Marten., Thesaurus Anecdot.)

Quid significent duodecim candelæ.

Morem, quem sancta Ecclesia tenet in solemni domus Dominicæ consecratione, non esse cujuscunque dignitatis ille cognoscit qui antiquæ reminiscens historiæ, meminit cum quanta celebritate tabernaculum Testimonii et templum a Salomone constructum Domino jubente dedicatum sit. Nam cum duodecim duces in significatione duodenorum apostolorum una die munera sua ad tabernaculum detulissent, Domino sanciente, jussi sunt singuli singulis diebus oblationem suam offerre, quatenus et festivitatis splendor augesceret, significationis futuræ ipsa veritas historiæ arrideret. In eo namque quod singuli duces per singulos dies munera sua obtulerunt, jam tunc præfigurabatur quod non confuse apostoli in una gente evangelizaturi manerent, sed singuli plurimas pluresve gentes per distributionem sancti Spiritus evangelizaturi sortirentur. In eo vero quod omnes eadem munera obtulerunt præfigurabatur quod apostolis doctrina unanimis et consors in Ecclesiæ ædificatione concurreret, sanctificationemque ejus non schismatum diversitas, sed potius unica [*al.* unita] confessio veritatis adornaret. Ista sunt et signa Spiritus sancti fonte irrigata, quorum fructus est ad usum, sicut in Ezechiele et in Apocalypsi legitur, et folia eorum ad medicinam et per singulos menses afferentia primitiva sua, in quorum figura, antequam pontifex

A basilicam consecraturus ingrediatur, duodecim candelæ in circuitu accenduntur. Ipsi sunt enim quibus Veritas dicit : « Vos estis lux mundi. » Itemque exhortans eos ad prædicationis verbum fidelibus suis erogandum : « Nemo, » inquit, « accendit lucernam, et in abscondito ponit neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. » Isti sunt qui ut alios calere charitate [*al.* mentis alacritate] docerent et verbo splendere prius linguas acceperunt igneas, ut insinuarent et amore fervere et verbo lucere. Dum ergo in circuitu domus dicandæ duodena fulgent lumina, demonstratur quod in ea prædicanda sit lucens et ardens apostolica doctrina. Domus autem ipsa Dominica abusive vel metonymice ecclesia dicitur, non proprie. Nam metonymice ec-
B clesia dicitur, ut per id quod continetur id quod continet significetur. Ecclesia namque *convocatio* interpretatur, sed sicut diximus, non proprie vocatur ecclesia domus quæ convocari non potest. Dicit tamen propheta : « Coadunate senes, convocate ecclesiam. » Sed sciendum est hunc usum ab antiquo populo sumptum esse, qui indifferenter synagogam, et populum et locum, ubi ad orandum et legendum convenire consueverant, uno nomine vocitabant. De populo enim dictum est : « Dixitque Moyses ad omnem synagogam filiorum Israel. » De loco autem in quo adoraturi et lecturi conveniebant, dicitur in

(a) Codex S. Audoeni Rothomagensis, ante annos sexcentos exaratus, ex quo tractatum illum descripsimus, nullius auctoris nomen præfert. Verum cum in eodem codice immediate sequatur Remigii Antissiodorensis monachi Expositio in celebratione missæ, nec stylus ejus a nostri Tractatus scribendi ratione
C discrepare videatur, eidem auctori, donec certiora nobis suppetant argumenta cui debeant ascribi, ex conjectura tribuendum existimavimus. MARTEN.

Evangelio quod, cum centurio misisset ad Dominum principes Judæorum pro sanitate pueri sui roganda, venerunt ad Dominum iidem principes et deprecati sunt eum sollicite, dicentes : « Dignus est ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram et synagogam ipse ædificavit nobis. » Item in Actibus apostolorum: « Et introeuntes in synagogam sederunt. Post lectionem autem legis et prophetarum, miserunt ad eos principes dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. » Clare ergo sicut et alia plurima, ita et hunc usum a veteribus suscepimus, ut indifferenter uno nomine et populus ecclesia, et domus quo populi conveniunt similiter ecclesia nuncupetur. Sed magna differentia apparet inter ista duo nomina, Synagogæ scilicet et Ecclesiæ. Synagoga namque congregatio dicitur, quæ et lapidum et brutorum animalium dici potest. Ecclesia vero, quæ convocatio nuncupatur, non nisi eorum est qui intelligentiæ præpollent, ut monstretur quantum distat Christiana dignitas a Judaica vilitate. Beatus vero Augustinus in libro de Origine animæ de hac re ita dicit: « Sicut ergo appellamus ecclesiam basilicam qua continetur populus qui vere appellatur Ecclesia, ut nomine Ecclesiæ, id est populi qui continetur significemus locum qui continet, ita, quia animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum Israel per nominatas animas possunt. Proprie autem Græco vocabulo basilica dicitur quæ Latine regia interpretatur; ut habitaculum Regis æterni monstretur.

Quare superliminare ter percutitur, et PAX HUIC DOMUI *dicitur.*

Sane illuminatis candelis, mos est pontificum ad ostium accedere basilicæ clero et populo subsequente, et percutere ter superliminare cum virga quam antiquitas *cambutam* vocat, et cantare antiphonam : « Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales. » Et hæc quidem nequaquam, ut pueris vel pueriliter intelligentibus videtur, accipienda sunt, sed subtiliter discutiendum quare ita a veteribus instituta sint ; hæc namque et alia per doctrinam apostolorum eorumque discipulorum ad nos credimus devoluta. Scimus autem sacros pontifices Domini Jesu Christi gestare personam, sicut eis ipse dicit : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » Itemque : « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. » Beatus etiam Paulus huic sensui astipulatur cum vice Christi se fungi testatur dicens : « Pro Christo legatione fungimur, obsecramus pro Christo, reconciliamini Domino. » Virga autem sacerdotis potestas intelligitur sacerdotalis quam eis contulit cum apostolos ad prædicationem mittens nihil eis aliud permisit, Evangelio dicente quod non permisit ut aliquid tollerent in via nisi virgam tantum. Quia virga sancti sacerdotes et consolantur humiles, et terrent superbos ac feriunt impœnitentes. Est eadem virga recurva, quæ sollicitudinem et pietatem præfigurat compassionis. Ne enim aliqua ovium aberret, habena præcepti et charitate utuntur affectionis, imitantes eum qui per

A prophetam olim clamabat : « Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. » Et per Evangelium salubriter ac pie vocat dicens : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam. » Quam potestatem a Patre Filius accepit cum cœlestium, terrestrium et infernorum dominatum promeruit, Apostolo dicente : « Propter quod et Deus illum exaltavit et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. » Unde ei et inferi patuerunt descendenti, dicente Psalmista : « Quia contrivit portas æreas, et vectes confregit. » Et cœli novo obsequio susceperunt ad Patrem ascendentem. Sed et corda mortalium dura prius per

B obstinationem postea patefacta sunt per humilem confessionem. Eamdem ergo potestatem Salvator suis largitur præsulibus, cum Petro, et loco Ecclesiæ principibus potestatem largiatur dicendo : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et quidquid ligaveris super terram erit ligatum et in cœlo, et quidquid solveris super terram erit solutum et in cœlo. » Cui ergo dicitur portæ inferi non prævalebunt et ei ligandi in cœlo et solvendi in terra simul privilegium trahitur, constat nimirum quia et cœlo, et terræ et inferno principetur. Cum ergo pontifex virga sua superliminare futuræ ecclesiæ ter percutit, ostendit quia sibi et cœli, et terræ et inferi potestas cedit. Unde et

C post percussionem ostium aperitur, videlicet quia sibi potestatem suam digne conservanti pars adversa resistere non potest. Nam ipsa domus, antequam eam pontifex ingrediatur, populi ignorantis perfidiæ repagulis inclusi figuram tenet ad quem Dominus venit ut educeret cunctos de tenebris, cui Pater dixerat : « Ego ante te ibo et gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram et vectes ferreos confringam. » Itemque post aliqua ei Pater dicit : « Ut diceres his qui vincti sunt : Exite, et his qui in tenebris sunt : Revelamini. » Quod et per seipsum Dominus in carne veniens peregit et usque in finem sæculi per vicarios suos agere non desistit. Cantatur autem antiphona a pontifice dicente : « Tollite portas, principes,

D vestras, et elevamini, portæ æternales, » etc. Cum auctoritate divina imperat pontifex dæmonibus sive vitiis diversis, ut tollant portas suas, quatenus portæ cœlestes eleventur et introeat Rex gloriæ. Portæ enim mortis sunt peccata, de quibus Propheta gloriatur ad Dominum, dicens : « Qui exaltas me de portis mortis. » Portæ autem sunt æternales per quas ingredimur ad vitam, de quibus prosequitur idem Psalmista : « Ut annuntiem omnes laudationes [*al.* laudes tuas] tuas in portis filiæ Sion. » Sunt autem portæ istæ, quæ elevantur in Ecclesia vel maxime tres, baptismi gratia, chrismatis honor et sacri verbi

prædicatio, per quas Rex gloriæ introivit, cum Christus per sancta opera in Ecclesia sua sui præsentiam notam faciat. Gloria enim Regis nostri est cum in Ecclesia ejus potestas et misericordia et justitia prædicatur, dicente Scriptura, « quia gloria regum sit celare verbum, et gloria Domini investigare sermonem. » Aperto vero ostio, intrat pontifex, dicens cum clero et populo ter : « Pax huic domui. » Quia Dominus ingrediens mundum genus humanum per carnis suæ assumptionem Domino reconciliavit, pacemque illam quam discordia per peccatum disciderat ipse adventus sui miseratione conscivit. Hinc est enim quod angeli eo nato clamaverunt : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Hinc est quod ipse Princeps sacerdotum prædicatoribus quos Ecclesiæ præficiebat præcepit dicens : « Intrantes autem domum, salutate eam dicentes : Pax huic domui. » Sed et ipse ingressus domum Zachæi dixit : « Quia hodie pax huic domui facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahæ. » Idemque post resurrectionem apparens discipulis suis ait : « Pax vobis. » Pontifex ergo ecclesiam ingrediens, « Pax huic domui, » clamat, quia sancti doctores ad hoc satagunt ut populus qui a Domino discordaverat per peccata, ei reconcilietur per bonorum operum exercitia. Hoc Paulus agit pene per omnes Epistolas suas scribendo ad discipulos : « Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo. » Item Petrus. « Gratia vobis et pax multiplicetur. » Clamat autem ter, ut Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quorum una est divinitas, sit reconciliationis æqua parilitas. Unus est enim Dominus, una fides, unum baptisma. In his reconciliationem et pacem ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum meruimus, dicente Apostolo, quia « pacificavit per sanguinem suum non solum quæ in cœlis, sed etiam quæ in terris sunt in ipso. » Quod vero intrante pontifice ecclesiam, clerus cum litania, sacerdotes et levitæ prostrati in terram ad Dominum clamant pro sanctificatione ipsius domus, hoc est quod et Dominus ante passionem egit pro discipulis, et pro cunctis qui post sequuntur fidelibus Patrem exorans, dicendo : « Pater, sanctifica eos in nomine tuo quos dedisti. Non pro his autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. » Sed et apostoli in epistolis suis discipulis scribunt orare se sine intermissione ad Dominum pro ipsis et memoriam facere eorum in orationibus. Necnon Ecclesiæ non inolevit per traditionem apostolorum ut non solum pro fidelibus, sed et pro hæreticis et schismaticis, necnon Judæis ac paganis Domini misericordiam conveniant. Nam beatus Paulus tanquam ingressus ecclesiam, cohortatur omnes ad orationem dicens : « Obsecro primum omnium fieri orationes, postulationes, gratia-

A rum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et pro his qui in sublimitate sunt. » Pontifex ergo, dum ecclesiam novam sanctificaturus eam ingreditur et statim ad orationem se confert, Apostoli vocem complet, qui primum omnium orationes fieri poscit pro omnibus hominibus, scilicet et pro credentibus et necdum credentibus. Attamen eorum adhuc typum tenet qui rudem plebem instruere incipiunt. Inde est quod surgens ab oratione non salutat populum adhuc dicendo, « Dominus vobiscum, » sed ad orationem cunctos hortatur. Necdum enim populus novellus ad eam dignitatem pervenit ut sacerdotis salutatione dignus videatur. Adhuc enim fenum tectorum est, de quo non implet manum suam qui metit, nec sinum suum qui manipulos colB ligit, ut eis possit dici a prætereuntibus, « Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini. » In quorum figura Boos ille fortissimus, dum messores suos inviserit, dixit, « Dominus vobiscum. » Quia videlicet Dominus noster veraciter fortis, quod nomen Boos sonat, dum messores suos intra [*al.* in sacra messe] messem viderit laborare, benedictionis suæ ubertate eos accumulat, et tam præpositis quam subjectis implet promissionem suam dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Eis vero quæ necdum in fidei societate Ecclesiæ adunari meruerunt, non solum non benedixit, sed etiam misceri prohibet [*al.* renuit] dicendo per Apostolum : « Quæ communicatio Christi ad Belial? Qui conventus templo Dei cum idolis? » Itemque per propheC tam : « Separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis. » Itemque per beatum Joannem : « Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nec ave ei dixeritis. » Orandum est ergo pro talibus qui necdum initiati sunt, non tamen salutandi sunt, quia non est eis vel consentiendum vel adulandum, quia ipsis prædicatoribus Dominus dicit, ut euntes ad prædicandum neminem salutent in via. Hinc est etiam quod Elisæus verus cum puerum mitteret ad resuscitandum mortuum, præcipit ut neminem in via salutaret, videlicet neminem fluxa vitæ hujus gaudia requirentem, et hæc cum alacritate appetentem spe cassa vel adulatione demulceat, sed ad ministerium sibi injunctum tota intentione peragendum festinet.

D *Quid significet quod sacerdos* [al. *pontifex*] *alphabetum in pavimento scribit.*

His rite completis, incipit pontifex de sinistro angulo ab oriente scribere per pavimentum alphabetum usque ad dextrum angulum occidentis, atque iterum similiter a dextro angulo orientis usque in sinistrum angulum occidentalem basilicæ. Quæ res puerilis ludus videretur, nisi a magnis et spiritualibus, utpote apostolicis viris, instituta crederetur. Atque ideo tanto magis sacratius quid in tali facto sit reconditum requirendum est, quanto minus non intelligentibus vile videri potest. Sciendum tamen, sicut jam supra dictum est, omnia quæ in talibus

fiunt Domini exemplum præcessisse, et quod in illa præcessit in successoribus immutabile remansisse. Superius namque pontifex tantummodo orationem fudit, nunc vero jam alphabeti ordinem per futuram ecclesiam sub certæ significationis mysterio describit. Quid autem per alphabetum, nisi initia et rudimenta doctrinæ sacræ intelligi convenit? Unde et Paulus Hebræis exprobrans dicit: « Etenim cum deberetis magistri esse, propter tempus rursum indigetis ut vos instruamini quæ sint elementa mundi et exordia sermonum Dei. » Scribit ergo pontifex alphabeti ordinem, cum fidei docet simplicitatem, et dicit cum Paulo apostolo: « Lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. » Sicut enim parvulorum eruditioni congruit primum litterarum elementa cognoscere, deinde ac syllabas, ac post verba paulatim ad sententiarum cognitionem pervenire, sic quidam gradus sunt intellectus in familia sanctæ Ecclesiæ, quorum primus est eorum qui simpliciter viventes adhuc tamen ad robur doctrinæ proficientes quasi primis elementis contenti sunt. Sed quomodo eadem elementa scribi debeant attendamus. Non passim, sed distincto ordine ab angulo sinistro orientali usque in dextrum angulum occidentalem. Ac primum sciendum est quod quatuor anguli basilicæ quatuor designent mundi plagas, ad quas pervenit doctrina ecclesiastica quæ per litteras significatur in terra descriptas. Quod alphabetum ibidem describitur prædicatio Evangelii simplex et pura insinuatur. In alphabeto nihil duplicitatis, nihil falsitatis incurrit, quia evangelica puritas nihil fucatum, nihil appetit falsum, sed simplici veritate subnixa externam prorsus respuit falsitatem. Quod autem ab angulo orientali in angulum occidentalem prior versus desinit, iterumque ab orientali angulo in sinistrum angulum occidentalem, duplici figuræ aggaudet, quarum prima est, quia in tali schismate crux figuratur, ut doctrinæ evangelicæ mors Christi semper inseratur. In crucis enim effigie litteræ figurantur, cum simplicibus quibusque mors Christi simpliciter innuitur. Unde Paulus quibusdam talibus ait: « Nihil me judicavi scire inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum. » Quod vero ab angulo sinistro orientali scribere incipit usque in angulum occidentalem, angulus sinister Judaicus intelligitur populus. Unde isdem angulus orientalis est ex quo ortus est Dominus. Pervenit autem usque in angulum occidentalem pontifex scribendo, quia cum Dominus noster a Judæis ortus sit, mors tamen ejus a gentibus est suscepta. Sive angulus orientalis nativitas, occidentalis ascensio in qua occidit, id est, postea nobis non apparuit. Scribit enim Lucas ab angulo orientali sinistro usque in angulum occidentalem dextrum, quando primum sermonem fecit de omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Sed cum versus isdem ab angulo orientali dextro revertitur ab angulum occidentalem sinistrum, hoc indicare videtur quia cum plenitudo gentium introierit tunc omnis Israel salvus fiet. Utriusque ergo populi collectionem duo versus isti significant, in unam tamen crucis compagem. Hinc est quod Jacob, cum filiis Joseph benediceret, cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dextram manum super caput Ephraim minoris, sinistram autem super caput Manasse majoris, posuit, significans quia populus dexter quondam in sinistrum verteretur, sinisterque in dextrum. Sed neque ab re agitur ut idem ordo vel scriptura cum virga sacerdotali peragatur. Præmonstratur namque quia eadem permutatio quæ a Judæis ad gentes venit per ministerium prædicatorum celebrata sit, et ea denuo conversio quæ in fine sæculi consummanda est per opus nihilominus sacerdotale perficiat, id est, per prædicationem.

Cur aqua sali cinerique miscetur, et super aquam ex sale et cinere crux figitur.

Post hæc ad altiora jam sacerdos subit, cum ante altare astans Deum in adjutorem sibi invocat, velut qui tunc inchoet operari. Nam præter ista velut quædam prævia fuere. Dicit enim: « Deus in adjutorium meum intende, » etc. Adjungens « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, absque alleluia. » Hic namque versus martyrum est Dominum invocantium in sui adjutorium, dum ad martyrium properant, sed et doctorum cum contra aerias potestates pro sancta Ecclesia duros incertosque sumunt conflictus, scientes quod « non sit eis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. » Quanto ergo infirmiores se ex sua cognoscent imbecillitate, tanto adjutorium Dei amplius implorant ex illius benignitate. Necdum tamen laudibus Dei « alleluia » adjungunt, quia adhuc in laboribus atque sudoribus se esse conspiciunt. « Alleluia » namque vox est exsultationis ad laudes Dei solummodo pertinens. Sancti autem doctores quandiu in afflictione sunt, utpote qui necdum de discipulorum profectu gloriari non possunt, deprecari Domini adjutorium non desinunt. Lætum autem tunc alleluia cantabunt, cum discipulorum suorum vita Domino crescrere viderint, ut Paulus: « Nunc vivimus si vos statis in Domino. » Et item: « Scio autem quod veniens ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam. » Perfectum tamen alleluia tunc resonabunt, quando fiet quod scriptum est: « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » Unde et mos increbuit ut per dies afflictionis, qui sunt Quadragesimæ ante Pascha, « alleluia » non cantetur, quia dies sunt luctus pœnitentiæ; resurrectione autem Dominica peracta, sine intermissione cantetur. Pontifex ergo qui cum discipulorum imperita repugnatione et contradictione adhuc certat, adjutorium quidem Domini ad ea devincenda flagitat, alleluia autem adhuc pleniter cum eis non cantat, quia secundum Scripturam non est speciosa

laus in ore peccatoris. Neque primis adhuc inhærentes rudimentis adhuc possunt eorum subire officium, quorum perfectus animus in laude Omnipotentis se solummodo novit occupare. Quod bene sciens propheta David psalmos septem quos in laude Domini composuit, et alleluia titulo prænotavit et fine conclusit, non in capite psalterii, non in medio, vel in alia qualibet regione, sed in fine posuit, aperte innuens quia eorum est alleluia veraciter cantare qui jam vitia evadere, et in culmine perfectionis perseveranter norunt consistere. Econtra autem a laude Dei cohibentur qui adhuc vitiis enerviter succumbunt, dicente eodem Psalmista: « Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? » Hinc est quod Apostolus quosdam hortatur, ut cum præpositis suis plenum alleluia cantare possint dicens eis: « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro vobis reddituri, et cum gaudio hoc facient et non gementes. » Post hæc benedicitur aqua cum commistione salis et cineris. Aquam quidem significare populum testatur Apocalypsis Joannis, dicendo: « Aquæ enim populi sunt; » Sal autem doctrina Verbi divini. Unde in Lege præcipitur ut in omni sacrificio sal offeratur, dicente legislatore: « In omni sacrificio offeres sal, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio ejus, » quod est aperte dicere: omnia quæ Deo offerre volueris opera, auctoritate condiantur divina. Nec aliquid Deo putes gratum quod non fuerit illius lege sanctum. Cinis autem significat consummationem Dominicæ passionis, quam significabat cinis vitulæ illius quæ mactari jussa est in lege ad expiationem populi. Cinis namque vitulæ rubeæ caro est Salvatoris, rubra per sanguinem crucis et exusta igne tribulationis. Hinc ipse Salvator, cum quasi quidam torris exurendus quodammodo ad ignem duceretur passionis, ait: « Si enim sanguis hircorum et vitulorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? » Aqua ergo benedicitur, et ut sanctificari possit, sal ei cum cinere miscetur, cum populi per pontificis officium ut sanctificari possint et verbo Dei imbuuntur, et, qualiter Christo tanquam capiti corpus per ejus passionem conjungantur et sanctificentur, sufficienter instruuntur. Fit autem crux super aquam ex sale et cinere cum docentur populi sanctæ Trinitati gratias referre pro sua eruditione atque redemptione. Huic vero misturæ additur vinum cum aqua; quæ duo geminam in Domino Jesu Christo præferunt naturam in una persona. Aqua enim humanitatem, vinum vero significat divinitatem. Dum ergo misturæ superiori miscetur vinum cum aqua mistum, insinuatur quia populum per os prædicatoris instrui debet, quod Dominus noster et Salvator Deus est et homo, et tanquam vinum mistum sit aqua, non tamen ejus divinitas est conversa in humanitatem aut humanitas in divinitatem, sed manentibus in integritate naturis, divinitas assumpsit humanitatem unam personam efficiens, non naturarum proprietatem commutans. Et intuendus ordo quam gradatim pergat. Primum pontifex ostium aperit, deinde pro populo orat. Post hæc alphabetum scribit. Inde aquam cum cinere et sal benedicit, cui vinum admiscet, quia unusquisque primum per confessionis portam aperit; deinde officium sacerdotis est pro eo orare et quasi catechumenum efficere; deinde qualiter uniri possit corpori sui Salvatoris per sacram doctrinam docere, inde qualiter Deus et homo sit Christus studiose contradere, ad ultimum sacro fonte purificari. Quem ordinem tenuit, et tenendum suo exemplo dedicavit. Cui cum mutus et surdus oblatus est et sanandus, eduxit eum de turba seorsum, et misit digitos suos in auriculas, et expuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in cœlum ingemuit, et ait illi: « Epheta quod est adaperire. » De turba namque quis educitur, cum prioribus vitiis per confessionem et abdicationem abrenuntiat. Digiti in auriculas mittuntur; cum audito verbo Dei catechizatur. Suspexit autem in cœlum et ingemuit, ut sacerdotes Dei doceant Domini misericordiam cum gemitu petere pro eis quibus illos contigit præesse. De saliva autem Domini lingua tangitur muti, ut divino verbo instruantur qui sacris mysteriis initiantur.

Quid sit quod sacerdos per quatuor altaris cornua digito crucem facit.

Post hæc tingit sacerdos digitum in aqua, et facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare namque Ecclesiæ figuram præfert. Quod quatuor cornua habet, quia per quatuor mundi cardines dilatatur, sicut olim Abrahæ repromisssum est a Domino: « Dilataberis ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem. » Et bene de aqua crux fit super altare per quatuor cornua, ut demonstretur omnem Ecclesiam mundandam esse a sordibus peccatorum per lavacrum aquæ et per crucis passionem. Bene per quatuor cornua, ut demonstretur nullum excipiendum ex salvatione. Sed sicut dicit Apostolus: « In Christo Jesu non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina, sed omnes in Christo unum sumus. » Inde venit ante altare, et aspergit illud septem vicibus. Septenario numero plenitudo significatur Spiritus sancti, testante Isaia, qui de Domino ait: « Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini. » Ut ergo demon-

stretur quia Spiritus sanctus baptizatis tribuitur, A jure septem vicibus altare sanctificata aqua respergitur. Hyssopus autem cum quo eadem aqua spargitur herba est humilis, quæ radicibus saxorum dicitur penetrare duritiam et interioribus peccatoris [*al.* pectoris] medetur incommodis, cujus etiam aspergine immunditiæ delebantur in lege, significans humilitatem Christi quæ duritiam nostræ obstinationis confringit, passionesque atque immunditias interiores curare novit. Aqua ergo cum hyssopo aspergitur cum baptismus Christi passione sanctificatus Ecclesiæ tribuitur. Circuit autem altare spargendo eamdem aquam, ut significet doctores non debere otio indulgere, sed eorum semper quos Domino initiaverint curam gerere et eorum mundationi operam dare; ut Dominus mittat angelum B suum in circuitu eorum et eripiat eos continuatim orare. Circuit autem totam ecclesiam et aspergit parietes illius, ut demonstret se omnem curam impendere utrique sexui, omni ætati, omni dignitati. Deinde iterum veniens ante altare respergit illud secundo et omnem ecclesiam, docens non solum mundatum debere esse quempiam [*al.* cessando a peccato] a peccato operis, sed etiam cogitationis. Quod ostendit Dominus in Evangelio, dicens: « Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; ego autem dico vobis, quia qui irascitur fratri suo reus erit judicio. » Gemina ergo respersio aquæ, ut dictum, duplicem significat mundationem, exteriorem scilicet et interiorem. Cum autem tertio eadem ecclesia aqua lustratur, a tertio genere peccatorum C emundari debere decernitur, id est, locutionis. Quod qui facere neglexerit audiet prophetam terribiliter comminantem: « Et erit tribulatio [*al.* clamor] a porta piscium, et ululatus a secunda et contritio magna a collibus. » Canitur autem antiphona interim vel psalmus: « Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus, » qui quanquam de Judæis conscriptus credatur et intelligatur, tamen ab eis qui istud ordinaverunt officium, et diabolo et ministris ejus convenire posse intellectus est: Cantatur autem antiphona: « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, » asserentes nullum posse protegi a Deo nisi eum qui in ejus adjutorio habitaverit, id est, ipsum adjutorem sibi esse assidue deprecatus fuerit. In eo vero quod mittit pontifex ministros qui in circuitu basilicæ psallant et asper- D gant, ipse autem per mediam ecclesiam vadit spargendo in utraque parte faciens crucem, apertum dat indicium quia pontifex adjutores sibi debet asciscere qui Ecclesiæ excubias adjuvent custodire. Unde et beatus Moyses septuaginta presbyteros elegit qui populi necessitatibus concurrerent. Et Dominus ipse post duodecim apostolorum electionem septuaginta duos misit ad explendam prædicationem. Ipse tamen nullo modo securitati aut torpori aliquatenus debet indulgere, sed per mediam Ecclesiam conspicuus incedere, omnes exemplo suo informare, omnibus sacramenta tam crucis quam mortis Domini, tam voce quam opere ingerere dicendo cum Apostolo: « Semper mortificationem Christi circumferentes in corporibus nostris, ut vita Jesu manifestetur in nobis. » Et cantare dicendo: « Domus mea domus orationis vocabitur; » ut scilicet talem ecclesiam Dei præparet quæ non sit spelunca latronum, sed domus orationis, id est ne fures et latrones dæmones in corporibus peccatorum sibi subjectorum exerceant dominatum, sed potius se tales præparent, ut sive manducent, sive bibant, sive aliud quid faciant in gloriam Domini faciant, et benedicant Dominum in omni tempore, et semper laus Dei in ore eorum, qualiter versum subsequentem libera possit voce cantare: « Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te, » imitans Dominum qui resurgens a mortuis dixit mulieribus: « Ite, dicite fratribus meis ut eant in Galilæam. » Hæc autem tunc bene agit pontifex, cum omne quod bona deliberatione inchoat per divinam invocationem et orationem ut consummare possit impetrat. Unde his peractis, ad orationem se confert pontifex petens ut omnes qui in eamdem domum oraturi venerint orationes suas exauditas gaudeant. Utrumque namque Paulus agebat apostolus qui, sicut dicit, sollicitudinem quotidianam agebat [habebat] omnium Ecclesiarum, cum infirmantibus infirmabatur, cum scandalizantibus urebatur, et nocte et die memoriam se in orationibus suis habere fatebatur.

Quid significet aquæ effusio in basim altaris.

Completa expiatione, et cantibus, et orationibus atque omnibus quæ superius dicta sunt, convertitur pontifex ad altare, incipiens antiphonam: « Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam » et cum psalmo cantando vadit ante altare et fundit quod remansit de aqua purificationis ad basim altaris. Quid significet aqua ista ex qua purificatur ecclesia jam superius dictum est, doctrinam scilicet ecclesiasticam, quæ maxime continetur in sacra eruditione verbi quæ significatur per sal, et in prædicatione mortis Salvatoris et redemptionis nostræ quæ significatur per cineres, atque in commendatione geminæ ipsius naturæ quæ significatur per aquæ vinique admistionem. Per hanc ergo sacerdos sequens vestigia sui Salvatoris ecclesiam purificat, cum populum se audientem quantum possibile est erudit, castigat, consolatur, et fovet, et contra omnes inimici insidias armari docet. Quod autem superest aquæ purificatoriæ ad basim fundit altaris, quia quod ipse nequit, humiliter Domino committit, purgationem scilicet discipulorum, cui utique ipse tanquam homo cooperari et collaborare potest. Perfecta autem mundatio illius est solius, qui quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini filii sui. Hinc est quod in lege Veteris Testamenti sanguis hostiarum, sicut jussum erat, vel in cornibus altaris ponebatur, vel ex aliquibus ostiis digito sacerdotis contra domum septies spargebatur, et quod reliquum erat ad basim altaris fundebatur. Sacerdotum enim est quidquid possunt ad

utilitatem gregis sibi commissi laborare; quod autem vires suas excedit, Domino devotissime commendare. Quam formam ipse primus pastorum Dominus et Salvator noster impressam eis reliquit, qui, cum passioni jam appropinquaret, discipulos quos relinquere in terra videbatur Patri dignatus est ad prærogandum exemplum pastoribus commendare, dicens: « Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis, et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, conserva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Cum essem cum eis ego servabam eos in nomine tuo, » etc. Quæ in eadem oratione misericorditer veluti fons bonitatis pro discipulis orare dignatus est. Sic et Paulus, cum jam relicturum se discipulos nosset et eis quod amplius eum jam visuri non essent indicasset, quasi aquam quæ residua erat purificationis ad basim altaris perfudit, cum Domino fidelibus vitam in articulo vitæ præsentis commendavit, dicens: « Et nunc commendo vos Domino et verbo gratiæ ejus qui potens est vobis ædificare et dare hæreditatem in sanctis omnibus, quod etiam antiphona ipsa innuit. Dicit enim introiturum se ad altare Dei, id est ad altare quod significat illud visibile. Illud scilicet quod spirituale est ad quod videndum non penetrat oculus carnalis quod Joannes in Apocalypsi vidit, de quo ascendit fumus aromatum quæ sunt orationes sanctorum in conspectu Domini, offerente angelo. Hoc enim significat quod subsequitur, « ad Deum qui lætificat juventutem meam. » Juventus enim ista est, quia in procinctu quod contra diabolum susceptum est, fortem se reddit audiens a Joanne: « Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et vicistis malignum. »

Quid significet quod altare linteo extergitur.

Postea vero extergitur altare de linteo. Quid intelligitur per linteum nisi Dominicæ passionis exemplum? Linum namque de terra oritur et magno labore ad candorem perducitur. Sic et caro Salvatoris nostri de terra orta est, utpote de beata Maria Virgine, sed variis tribulationibus exercita pervenit ad candorem gloriamque resurrectionis. Extergitur ergo altare de linteo, cum tribulationes sanctæ Ecclesiæ inter pressuras mundiales liniuntur Salvatoris exemplo. Unde et ipse discipulis dicit: « Non est discipulus supra magistrum. » Itemque: « Si me persecuti sunt et vos persequentur. » Hoc linteo beatus Petrus discipulorum sudores extergere curabat cum laborantibus discipulis exemplum Domini prærogabat, dicens: « Christo igitur passo in carne, [*al.* cruce] et vos eadem cogitatione armamini »: Itemque: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. » Et Paulus: « Si compatimur et conregnabimus. » Iterumque: « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis » Dum ergo doctor talia et hujusmodi Ecclesiæ sibi

A commissæ ad roborandos discipulorum animos apponit, altare madidum labore humanitatis linteo abstergit Dominicæ imitationis. Deinde offert incensum. Per incensum virtutes orationum significari testis est Psalmista qui ait: « Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. » Et Apocalypsis Joannis de angelo dixit quod data sunt illi incensa multa ut daret de orationibus sanctorum super altare quod est in conspectu Domini. Jure ergo ille sacerdos per orationes vota persolvit qui discipulorum vitam cum tanto amore quod superius præmissum est custodit. Ille namque et pro se et pro aliis bene et fiducialiter orat, quem ab utilitate proximi nullus amor privatus, nullum otium segne revocat. Post effusionem ergo aquæ ad basim altaris exter-

B gitur altare de linteo, et offertur incensum, quia necesse est ut sacerdos qui salutem populi sibi commissi Domino commendat, et per afflictionem corporis, et per intentionem illud agat piæ intercessionis. Unde Dominus postquam Patri discipulos commendavit, mox passionem subiturus pro eis orationem piæ intercessionis effudit. Sed et beatus Paulus cum sociis prædicatoribus idem legitur egisse. Scriptum est enim in libro Actuum apostolorum: « Et cum constituissent eis per singulas civitates presbyteros et diaconos, et orassent cum jejunatoribus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt. »

Quid signetur in varia unctione altaris.

Interea mitit pontifex oleum super altare, in medio altaris crucem ex eo faciens et super quatuor

C angulos altaris. Et quidem satis congrue ordo servatur ut post emundationem per aquam et reliqua quæ dicta sunt perfundatur altare oleo, quia et sancta Ecclesia prius aqua mundatur in fonte baptismatis et sic unctione insignitur per manus pontificis ut Spiritus sancti in se mereatur adventum, nam oleum gratiam significat Spiritus sancti, et, dum oleum corporibus adhibetur exterius, adventus Spiritus sancti significatur interius. Unde per Isaiam promissum est: « Et computrescet jugum a facie olei. » Jugum enim dæmonicæ dominationis putruit in genere humano per adventum Spiritus sancti. Sed quærendum cur in medio altaris crux fiat ex oleo, et sic per quatuor angulos ejus. Ad quod respondendum quia Ecclesiæ fundamenta atque initia

D in Jerusalem primo surrexerunt, quam in medio mundi scimus positam, teste Ezechiele, qui dicit: « Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras. » Et item Psalmista: « Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ. » In medium ergo altaris oleum funditur in modum crucis, et sic per quatuor angulos ejus, quia primum in Jerusalem positæ supervenit Ecclesiæ donum Spiritus sancti, et sic in cæteras mundi partes derivata est. Scriptum est enim: « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Hinc Salvator discipulis cum præcepisset: « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in

nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » præcepit eis tamen,ut adventum sancti Spiritus in Jerusalem exspectarent et sic ad docendum properarent, dicens :« Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.» Recordatus autem pontifex veteris historiæ simul et ministerii cum canit: « Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper. » Jacob namque cum exsularet, lapidem sibi sub capite posuit in Bethel,et dormivit. Domus Dei est Ecclesia ipsius, sicut Paulus ait ad Timotheum : « Si autem tardavero, » inquit,«scias qualiter te oporteat conversari in domo Dei quæ est Ecclesia ipsius. » Lapis autem ille quem Jacob sub capite habuit typum Salvatoris expressit. Ille ergo fundamenta domus Dei contemplari meretur quia lapidem ad caput habet, quia ille veraciter quæ sunt divina conspicit qui caput,id est mentem in Christo fixam habet. Unxit autem eumdem lapidem, quia prævidit futurum illum lapidem et ungendum qui reprobatus a Judæis ædificantibus, et unctus a Deo Patre oleo exultationis præ participibus suis. Unde et Petrus: « Sicut unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute,» a qua unctione Christus, id est unctus dicitur. Unguit pontifex manu sua ipsum lapidem, quia in potestate veri Sacerdotis nostri fuit,quando Spiritum Paracletum super Ecclesiam misit. Unde dicit ad eumdem lapidem quem primum manu unxit: « Si non abiero,Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero,mittam eum ad vos.»Dum ergo quando voluit Spiritum sanctum Ecclesiæ primitivæ attribui utique manu sua lapidem unxit, quia quando et quomodo voluit oleum Spiritus sancti attribuit. Manus enim potestas ejus intelligitur, sicut scriptum est: « Factum est verbum Domini in manu Aggæi,» vel cujuslibet alterius prophetæ. Hinc Petrus : « Dextera igitur Dei exaltata et promissione Spiritus sancti accepta effudit in nos qui credimus.» Quod vero in circuitu ipsius altaris alius sacerdos incensum ponit,congruit illi tempori quando Spiritus sanctus missus est super apostolos de quibus scriptum est : «Quod ante adventum Spiritus sancti erant semper in templo,laudantes Deum et benedicentes Dominum. » Cum ergo pontifex altare unguit alius sacerdos incensum ponit,quia cum Dominus et Salvator Spiritum sanctum super Ecclesiam missurus est,et ipse apostolorum chorus,qui secundus sacerdos noster,est,virtutem orationis ad Dominum mittebat. Simulque ostenditur neminem dignum esse adventu sancti Spiritus nisi quem virtus sacræ commendat orationis. Quæri autem potest cur altare unguitur et bis ex oleo simplici,tertio autem chrismate. Sed respondemus quia, cum sancti Spiritus dona sint multiplicia,tres tamen virtutes ipsius sancta Ecclesia per necessarias habet sine quibus salvari nequit : fidem scilicet, spem et charitatem. Quia ergo tribus his virtitutibus genus humanum ditatur,tribus unctionibus sacrum altare decoratur. Quod autem prius viliori, tertio autem chrismate,id est,pretiosiori impinguatur unguento, significat quia, cum fides et spes valde sint neces-

A sariæ, pretiosior tamen his charitas habetur. Unde Paulus in Epistola sua dicit:« Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc ; major autem horum est charitas. » Major est enim charitas fide et spe, quia istis deficientibus charitas manet, sive quia charitatis initium qua Deum diligimus hic inchoatur cum per speculum videmus et in ænigmate,consummabitur cum viderimus facie ad faciem. Canit autem sacerdos fuso chrismate super altare antiphonam : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni quem benedixit Dominus. »Reminiscens olim prophetiam Jacob pronuntiatam nunc compleri in Ecclesiæ ædificatione [al.glorificatione] cujus Filius Dominus noster Jesus Christus secundum carnem existit, quem ille jam tunc multa post tempora B nasciturum prævidit, cujus ager est tota latitudo mundi per quem diffusa est Ecclesia. Hic ergo diversos flores odoris protulit optimi, cum rosas in martyribus, lilia in virginibus, violas in sæculi contemptoribus, virides herbas in incipientibus, floridas in proficientibus, plenas in consummatis atque perfectis animalibus proferre non desistit. Odor ergo filii odor est agri pleni, cum campus sanctæ Ecclesiæ diversis resplendet virtutibus et suavem Christo confert odorem. Unde herba illa aromatica de se et suis similibus aiebat: « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. » Deinde in circuitu Ecclesiæ per parietes crucem pollice de ipso chrismate pontifex facit incipiens a dextro latere usque in sinistrum.Altare quidem totum perlinitur sacra unctione;parietes autem signantur pontificis C pollice, quia per altare signantur illi qui potiori Spiritus sancti debriantur munere, quorum scilicet mens in Domini amore,fervet semper,atque ideo in quo magis delectantur,eo majoris illius munere impinguantur. Per parietes autem minoris quoque ordinis,quibus sufficit quod lapides sint Ecclesiæ et in compagis Ecclesiæ manent unione, atque ideo per fidem passionis ac resurrectionis,et per charitatem fraternitatis dona merentur Sancti spiritus. A dextro autem usque in sinistrum crux pingitur cum recta intentione intrat quis Ecclesiam, et in ejus societate persistens passionesque sui Salvatoris reminiscens terminat hanc vitam. Canit interea antistes antiphonam:« Sanctificavit Dominus Tabernaculum suum.» Tabernaculum Dei Ecclesia est,quia D et in præsenti vita quasi in itinere est pergens ad patriam, vel quia suscepit bellum contra aerias potestates.Quam Dominus sanctificavit sic,ut Apostolus dicit ; « Faciens eam non habere maculam rugam. » Canit etiam : « Lapides pretiosi omnes muri tui.» Muri Jerusalem munitiones sunt Scripturarum quibus arcentur Judæi,hæretici atque pagani Qui muri de lapidibus pretiosis ædificantur, quia valde pretiosi Deo fuerunt qui Scripturas sacras ipso auctore condiderunt et nobis legendas reliquerunt, lapides autem dicti propter invincibilem firmitatem Quorum uni dictum est : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Quod

vero iterum crucem incensi super altare facit pontifex, indicat quia, antequam gratiam mereamur, etiam instantia orationum a Deo poscere debemus. Sed neque post acceptam bonitatem remissi et negligentes esse debemus, quin potius grates illi innumeras pro beneficiis collatis exsolvere convenit ne ingrati munere suscepto reddamur accipiendo, simulque privemur accepto, sicut ille negligens et indevotus servus qui accepto Domini talento, non modo indevotus apparuit, sed etiam ad calumniam Domino inferendam procax et malevolus exstitit. Quod vitans pontifex, postquam altare Domini spirituali [*al.* speciali] chrismate linit, ad orationem gratiarumque actionem sese devotus submittit, sciens scriptum : « Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant. » Neque enim fluere valent, imo siccantur omnia flumina nisi ad matricem redeant abyssum, quia, nisi perceptores divinorum munerum sese humiliter ejus potentiæ subdere studuerint a quo ut fluant acceperunt, eorum velle et posse ariditate perpetua marcescent. Nam quibusdam talibus Apostolus exprobrans ait : « Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » Sed et Pontifex pontificum, Dominus Salvator noster, qui sedet in dextera paternæ majestatis, crucem incensi super altare tunc ponit, cum pro nobis, sicut Apostolus dicit, Patrem intervenit. Crucem enim incensi facere est passionem suam Patri ostendere ac pro nobis interpellare. Dicit enim Paulus apostolus : « Christus Jesus qui mortuus est, qui et resurrexit, qui et ascendit in cœlos et ad dexteram Patris sedet, qui etiam interpellat pro nobis. » Post orationem incipit pontifex antiphonam : « Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo quod est in Jerusalem : » cum « Gloria Patri. » Postquam enim pene peractum est ministerium salvationis humanæ, precatur, vel ut ipse Dominus Patrem exorans, ut confirmet quod operatus est, ut ei omnis terra subjiciatur propter cujus redemptionem ipse mori non dubitavit, sicut ei ante incarnationem promiserat : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam : » et reliqua ; vel omnia pontifex vice illius fungens obsecrat ut quod illius dono exercetur ejus munere usque in finem perducatur, ut, secundum Apostolum, neque tribulatio, nec augustia, nec nuditas, neque periculum, neque ulla creatura possit nos separare a charitate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Quid sit autem illud quod Deus operatus est in nobis, unde scilicet illud donum emerserit adjecit : « A templo sancto tuo quod est in Jerusalem. » A templo enim illius quod est in Jerusalem processit quod operatus est in nobis, quia ab Ecclesia illius processerunt qui in nobis operati sunt prædicationes et signa exercuere virtutis. Quæ omnia ad gloriam refert Ecclesia Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quoniam cognoscit unum et verum Deum in trinitate et unitate consistentem. Posthæc autem subdiaconi vel acolythi linteamina, vasa et omnia linteamina ecclesiæ pontifici benedicenda offerunt. Quid per hos ministros nisi hi intelliguntur qui Ecclesiæ servitio vel ornatui delegantur, quos necesse est ad decorem Ecclesiæ multa conferre et varia propriæ possibilitati congruentia? sicut enim in populo Israelitico, cum tabernaculum jussu Dei construeretur, varia oblata sunt donaria, sic et in sanctæ Ecclesiæ decore diversa conferuntur dona per ministros ejus Domino offerenda. Alii namque linteamina offerunt, corpora scilicet diversis virtutum exercitiis ad candorem castitatis perducta : alii rubra indumenta, id est, corda ad martyrium præparata ; alii hyacintina qui dicere norunt : « Nostra autem conversatio in cœlis est. » Alii coccinea ardore charitatis flagrantia ; alii scutulata fœdere pacis inseparabiliter unita ; alii autem vasa aurea et argentea sensus et eloquii venustate fulgentia. Quæ omnia considerans Psalmista ab Ecclesia vero Regi debito cum honore referri acclamat ei, dicens : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. » Hinc est quod idem ipse Propheta tanta ordinatione videns honorem Deo exhiberi debere, hortatur angelos sive apostolos dicens : « Congregate illi sanctos ejus qui ordinaverunt testamentum ejus super sacrificia. » Sed et ipse Dominus gratissime benedictionem talibus impertiri dignatur, dicente eodem Psalmista : « Benedixit Dominus timentes se pusillos cum majoribus. »

Quid innuat translatio reliquiarum et conditio earum in altari.

His rite peractis, vadit pontifex ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt et elevat eas. Quid in his innuitur nisi quod verus Pontifex noster postquam præparavit nobis, sicut Apostolus ait, civitatem, revertitur ut sanctos quoque qui in nocte præsenti morantur et semetipsos cum magna circumspectione custodiunt, vigilantes sicut Dominus dicit : « Vigilate et orate, ne intretis in tentationem, » assumat eos de locis suis ut perducat eos in domum Patris sui? Postquam enim præparavit pontifex aram in qua reliquiæ conderentur, assumit eas et portat ad locum præparatum, quia ipse Pontifex pontificum cujus vicem iste tenet promisit apostolis suis, et per eos cunctis fidelibus : « Vado parare vobis locum, et, si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis. » Sancta autem sanctorum sunt, quo nulla iniquitas vel fœditas accedere potest, quæ non sunt in terra sed in cœlis ; quo orat pontifex se pervenire debere, cum sanctorum in sanctificatione animarum elevat reliquias. Elevantur autem magno honore et cantibus divinis, quia ministri illi qui animarum ductores et rectores sunt, valde congaudent eorum dignitati quod vident in supernis sibi conjungi. Cantant autem : « Ambulatis, sancti Dei, ingredimini in civitatem Domini, » id est in cœlestem Jerusalem. Unde dicit Apostolus : « Quæ autem sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra. »

Quod autem subsequitur, « ædificata est vobis ecclesia nova, » ipsa est eademque Ecclesia, quæ et civitas quam Apostolus Ecclesiam primitivam nominat. Cantantur etiam diversæ antiphonæ eidem sensui congruentes, tripudium scilicet et exsultationem imitantes angelicarum virtutum quæ exeuntes de corpore comitantur usquequo pro meritis sibi indebitis mansionibus recipiantur. Ingrediens autem pontifex ecclesiam dicit orationem, postulans ut domum suam Dominus clementer ingrediatur et in suorum cordibus fidelium perpetuam constituat mansionem. Domus enim illius fuerunt et sunt sancti, dum in corpore manent sicut ipse promittit: « Inambulabo in eis et inhabitabo. » Itemque in Evangelio : « Et veniemus et mansionem apud eum faciemus. » Itemque in Apocalypsi : « Ecce sto ad B ostium et pulso : Si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum et cœnabo cum ipso, et ipse mecum. » Sed tunc permaxime perpetuam in eis mansionem constituit cum, non dicam aliquod malum opus, sed nec levis inquinationis cogitatio eum a corde jam expellat fidelium. Nunc enim non perpetim in nobis manet, utpote quorum cogitatio in diversa vacillat, et nunc hac, nunc illac fluitans, non potest perpetim eum qui omnem fugit pollutionem habere mansorem. Venit autem pontifex ad altare ubi recondendæ sunt reliquiæ, et extendit velum inter se et populum, et recondit ipse eas in loco altaris, quia Pontifex noster, sicut Paulus ait, assistit Pontifex futurorum bonorum et assistit vultui Dei pro nobis, ut de ergastulo præsentis sæculi liberatos collocet in habitaculis aræ cœlestis, sub qua vidit eos beatus C Joannes in Apocalypsi sua clamantes et vindictam exspectantes de his qui eos tribulaverant, sive certe conversationem eorum in meliora petentes. Extendit autem velum inter se et populum qui nunc, et ipse, et loca sanctarum animarum secreta sunt a visione mortalium. Beatus autem Paulus apostolus in Epistola ad Hebræos pontificem Veteris Testamenti Sancta sanctorum ingredientem typum dicit tenuisse veri et æterni Pontificis Domini nostri Jesu Christi. Velum autem cœlum interpretatur, ultra quod Filius Dei ingrediens quotidie pro nobis interpellat, et ad se venientes in sancta ara, id est in requiem æternam collocat in qua veraciter cantatur: Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. » Gloria enim illa, qua eos glorificans D Filius dicet : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. » Ibi lætantur in cubilibus suis, id est, in cordibus, sive in mansionibus diversis, cum sicut dicit beatus Joannes in Apocalypsi sua: « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et amplius non erit neque mors, neque luctus, quia [*al.* qua prima] prima abierunt. » Cui rei concinit oratio pontificis dicens : « Domine Deus, qui ex omni coaptione sanctorum æternum tibi condis habitaculum. » In ecclesiis namque æternum sibi condit habitaculum ex omni coaptione sanctorum, quia illuc omnes sanctos suscipiens æterna mansione in eis habitat. Istud enim habitaculum quod videmus terrenum est atque transitorium, sed nec coaptione sanctorum ædificatur, sed lapidum atque lignorum : illud vero habitaculum æternum est, quia nulli obnoxium mutationi, et de sanctis fit qui sunt veri lapides participatione illius lapidis angularis in quo templum æternum compactum et constructum crescit in augmentum Dei, modo in Spiritu sancto; tunc autem perfectum erit, cum omnis numerus sanctorum collectus fuerit et capiti suo æternaliter adhæserit. Post hæc vestitur altare. Si altare Ecclesiam intelligimus, vel peregrinationem in terris, vel assumpta in cœlis, vestimenta ejus corpora sanctorum non incongrue intelligimus. Nudum est enim altare, dum animæ corporibus exutæ et in cœlis collocatæ diem resurrectionis exspectant. Vestietur autem quando, sicut Dominus dicit, mittet Filius hominis angelos suos cum tuba et voce magna et colligent electos ejus a quatuor angulis terræ. Vestitur altare quando, sicut Apostolus dicit, oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem. Benedicit pontifex ipsum altare cum unumquemque fidelium Dominus et Salvator digna congratulatione fovet, eo quod in his quæ quisque dono illius accepit digna sese conversatione tractaverit dicens ei : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui. » Hæc sunt enim dona quæ per Pontificem unum sanctificantur, et sumenda ipsis suis fidelibus traduntur, dicente Scriptura : quod comedat unusquisque fructus laborum suorum, et operibus suis saturetur. Quod vero pontifex revertitur in sacrarium cum ordinibus suis, et induit se vestimentis aliis post vestitum altare, intimatur nobis quia pontifex noster ad judicium veniens non solemnibus induitur vestibus, quia nequaquam æternitatis suæ gloriam demonstrabit cunctis, sed in forma servi tam electis quam reprobis apparebit, resurrectione vero peracta, fidelibus suis æternitatis gloriam demonstrabit. De quibus scriptum est : « Regem in decore videbunt oculi ejus. » Nam de separatione reproborum a sorte justorum, ne videant quod solis servatur electis scriptum est : « Tollatur impius ne videat gloriam Dei. » Hinc est quod de servis vigilantibus et adventum ejus exspectantibus Dominus ait: « Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. » Præcinget enim se, quando ad mercedem electis reddendam se præparat. Facit autem illos discumbere, cum eos in æterna beatitudine quasi in quadam ara facit requiescere. Transiens autem ministrat, quia de judicio ad regnum properat. Ornatur autem Ecclesia, et accenduntur luminaria multa, cum virtutum ornamenta quæ positus in corpore gessit unusquisque in resurrectione demonstrabit. Unde et Apostolus : « Nolite, inquit, ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cor-

dium,et tunc laus erit unicuique a Deo.»Resplendet Ecclesia multis luminaribus, cum sicut ait Apostolus, stella a stella differt in claritatem, sic et resurrectio mortuorum.Et Dominus in Evangelio : «Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. » Itemque Daniel : « Qui docti fuerint in populo fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.» Incipit autem cantor dicere : « Terribilis est locutus iste. » Quid enim terribilius die judicii,de quo Dominus dicit ad Job cum de damnatione diaboli ageret : « Cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi purgabuntur ? » At vero post separationem multorum nequaquam terrorem sustinebunt electi pœnalem, sed solummodo Creatoris sui admirabuntur potentiam in damnatione malorum et clementiam in liberatione bonorum .Neque enim vel nunc in sanctis angelis terror est excrucians, attamen Ezechiel conspiciens agmina cœlestia dicit de eis:«Cum fieret vox super firmamentum stabant animalia et demittebantur pennæ eorum. » Qui enim sensus cogitare potest substantiam Dei sine magno horrore mentis,cum dicat Apostolus : « Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum ? » Quem ergo nullus sensus prævalet cogitare,restat ut qui de eo cogitat non sit prorsus liber ab omni terrore. Procedit deinde pontifex solemniter et fit officium cum lætitia, quia, judicio peracto, videbitur facie ad faciem,non per speculum et in ænigmate sicut per prophetam dicitur : « Lætitia sempiterna erit eis.»

REMIGII HOMILIÆ DUODECIM.

(Fontani, Novæ eruditorum Deliciæ, tom. III, pag. 83-220.)

HOMILIA I.

In illud Matthæi : *Sicut enim fulgur exit ab oriente, et apparet in occidente, ita erit et adventus Filii hominis.*

Nomine quoque orientis et occidentis totum orbem terrarum voluit significare,per quem sancta Ecclesia futura erat,incipiente Evangelio ab Hierosolymis.Congruenter enim his verbis monuit Dominus discipulos suos, imo omnes fideles ut quicunque in eum credere voluerit, jam in Ecclesia in orbe terrarum constituta, et clara facta non credat hæreticis, neque schismaticis ; unumquodque enim schisma,et unaquæque hæresis suum locum habuit in orbe terrarum, et suas partes obtinuit, vel certe ipsi hæretici secretis et occultis suis conventiculis imperitos quosque quos poterant decipiebant.Ad hoc enim pertinet quod Dominus ait : « Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite, credere, » quod significat partes terrarum et proviciarum. Quod autem subjungit,« Ecce in deserto est,nolite credere », significat occulta et secreta conventicula hæreticorum. Quod ergo Dominus dicit adventum suum perventurum ab oriente usque in occidentem, adversus illos hæreticos valet qui per particulas orbis terrarum commorabantur, et tantum apud se Christum esse dicebant. Quod autem ait «sicut fulgur » adversus illos valet qui occulte congregant tanquam in penetralibus,et paucos tanquam in deserto. Et hoc sciendum quia demonstratur his verbis quoniam secundus Domini adventus non erit in humilitate sicut primus, sed demonstrandus est in claritate sicut fulgur, ac si patenter diceret : stultum quippe est in aliqua parte terrarum,aut aliquo loco secreto et occulto quærere qui lumen est totius orbis. Et ne nos ignari essemus illius loci quo ipse erat venturus ideo subjunxit, « ubicunque fuerit corpus illic congregabuntur et aquilæ.» Et est sensus:ubi ergo corpus assumptæ humanitatis potentia divinitatis sublevavero in cœlum illuc congregabuntur aquilæ, id est animæ electorum. Et pulchre anima electorum aquilis assimilantur,quoniam sicut aquilæ semper alta penetrant, sic et animæ electorum ima et terrena despiciunt et cœlestia appetunt ; unde Dominus dicit de Job : « Nunquid ad imperium tuum sublevabitur aquila ? » Spirituales namque viri humilitatem et passionem Domini imitando pulchre aquilæ vocantur, quia quasi de ejus corpore satiantur ; quod corpus etiam cadaver dicitur, quia per mortem cecidit, cadaver enim dicitur a cadendo. Nonnulli vero hanc sententiam ita intellexerunt historialiter:«ubicunque fuerit corpus, id est ubicunque fuerit corpus meum crucifixum,et ubi hostiæ offeruntur,illuc congregabuntur aquilæ,id est Romanorum milites.Quid est enim quod Dominus dicit,«statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur,et luna non dabit lumen suum;» quid enim magni est quod Dominus hæc signa secundum suum adventum dixit præcedere,cum multoties hæc signa etiam ante primum suum adventum facta fuisse legantur in libris gentilium et philosophorum dictis ? Aut cur dicit solem et lunam esse obscurandam, et stellas casuras de cœlo, ut stellæ adeo fixæ maneant ut cadere nullo modo possint?Quomodo enim sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, cum Isaia loquens de futura resurrectione dicat : « Erit lux lunæ ut lux solis, et lux solis septempliciter ut lux septem dierum? » Congruentius ergo hoc dictum intelligi potest de

Ecclesia : ipsa quippe est sol, ipsa est et luna.in ea etiam sunt stellæ; et quod luna sit et sol manifestat Salomon qui dicit: «Speciosa ut luna, electa ut sol.» Impiis namque persecutoribus ultra modum sævientibus, et felicitate mundi sibi arridente dicentibus, Pax, pax, et securitas, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, quia sancta Ecclesia non apparebit, et stellæ cadent de cœlo, quia illi qui gratia fidei et cæterarum virtutum veluti stellæ fulgere videbuntur, corruent a fide, quoniam facile ab Antichristo decipientur. «Et virtutes cœlorum commovebuntur,» id est firmissimi in Ecclesia perturbabuntur, quod manifestat Joannes in Apocalypsi cum loquitur de dracone magno dicens : « Et trahebat tertiam partem stellarum in cauda sua. » Hinc est etiam quod Dominus de Beemoth loquitur ad Job dicens : «Sternet sibi aurum quasi lutum.» Quod autem dicit, « statim autem post tribulationem dierum illorum » non intelligendum est quod peracta tribulatione hæc fieri debeant, sed inchoata et adhuc imminente ; præcedet enim tribulatio, ut plurimorum sequatur defectio. Et quia per omnes dies erit illa tribulatio. idcirco Dominus ait : «Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo. » Signum filii hominis potest intelligi signum crucis, ut secundum Zachariam et Joannem « videant » Judæi « in quem pupugerunt; » sive potest intelligi vexillum fidei et victoriæ triumphantis, « et tunc plangent omnes tribus terræ, » Illi videlicet plangent, qui non habuerunt municipatum in cœlo, sed eorum nomina scripta erunt in terra. Sequitur: « Et videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli. » Hæc sententia duobus modis intelligi potest sancta Ecclesia enim est nubes lucida et candida, fructificans et crescens ex eo quod cœpit prædicare : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum ; » Dominus enim in membris suis quasi in nubibus veniet, sive in corpore suo quod est Ecclesia tanquam in nube lucida et candida, sicut et quotidie spiritualiter venire non cessat. Sed si nubes lucida et candida sancta Ecclesia est intelligenda, quid est autem quod dicit : « cum virtute multa et majestate?» Pulchre quidem dicit *cum virtute multa et majestate*, quoniam illa ultima tribulatio quanto major et gravior erit, tanto major virtus et majestas apparebit in sanctis, quibus dabit virtutem ne tanta persecutione superentur. Aliter potest intelligi ita: Dominus enim manifestus veniet ad judicium in nubibus, in ipso corpore, id est quod ex Virgine sumpsit, et in quo mortuus est, in quo et resurrexit, et ad cœlos ascendit, et illud ad dexteram Patris collocavit. Sic enim manifestus ad judicium in nubibus veniet, quemadmodum in nubibus ascendit. Et quod in nubes ascenderit, manifestatur in Actibus apostolorum, ubi legitur quia «videntibus» apostolis « sublevatus est, et nubes suscepit eum, et ferebatur in cœlum.» Et quod in nubibus venturus sit testes sunt angeli qui mirantibus apostolis dixerunt: Quid admiramini aspicientes in cœlum ? Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.» Veniet enim Dominus cum virtute multa et majestate, id est in terrore et claritate; apparebit quippe terribilis et blandus, terribilis ut terreat impios, blandus ut demulceat pios ; et mittet angelos suos « cum tuba. » Hæc tuba non revera corporea intelligenda est, sed archangelorum vox ; et pulche addidit « cum voce magna, » quoniam hæc vox adeo magna erit, ut ad clamorem illius omnes mortui de terræ pulvere resurgant Hujus tubæ mentionem facit Apostolus cum dicit: « in momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.» Addit : « et congregabunt electos a quatuor ventis cœli.» A quatuor ventis cœli dicit, id est a quatuor climatibus mundi, hoc est oriente, occidente, aquilone et austro; et ne forte aliquis putaret quod solummodo a quatuor partibus mundi, et non a mediterraneis regionibus et locis congregandi essent electi, ideo profecto addidit « a summis cœlorum usque ad terminos eorum, » id est a cunctis finibus terræ, ubi longe distantibus circulis cœli, terræ insidere videntur usque ad terminos eorum, per directum et mediterraneum usque ad extremos terminos terræ. Nullus ergo electus remanebit tunc qui venienti Domino ad judicium non occurrat in aere, sive vivus in corpore repertus, sive de terræ pulvere suscitatus ad vitam. Venient etiam reprobi ad judicium sive vivi in corpore reperti, sive de terræ pulvere resuscitati, sed magna distantia ; sancti enim et electi intrabunt in gaudium Domini sui; inimici autem Domini peracta resurrectione peribunt et dispergentur a facie ipsius. « Ab arbore autem fici discite parabolam.» Quia Dominus multiplicibus verbis et destructionem Jerusalem, et persecutiones Antichristi, nec non et signa sui adventus prædixit, idcirco more Palæstinorum venit ad parabolam dicens : « Ab arbore autem fici discite parabolam ; » ac si diceret: Ut vim verborum meorum arctius intelligatis, naturam fici animadvertite. Sub exemplo namque arboris docuit adventum consummationis, et est sensus: Sicut enim cum teneri sunt in arbore ficus cauliculi, et gemma erumpit in flores, et cortex folia parturit, veris introitum et æstatis adventum intelligitis; sic et cum hæc omnia videritis non putetis statim adesse diem judicii, sed hæc quasi quosdam præcursores venire, ut ostendat quia « prope est et in januis.» Et notandum quia non ait tantum, cum videritis hæc, sed addidit «omnia,» quoniam non quædam, sed omnia quæ scripta sunt debent præcedere diem consummationis. Lucas evangelista dicit: « His fieri incipientibus respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra,» et non debet videri contrarium, quoniam hoc ipsum est quod Matthæus dicit : « prope est in januis,» id est prope ut egrediatur et veniat manifestus ad regnandum cum electis suis. Spiritualiter hæc arbor Synagogam significat: hæc enim est illa ficulnea ad quam Dominus veniens non invento fructu maledixit ei, et continuo ad verbum ipsius aruit ; hæc namque

arbor, id est Synagoga, quia venienti Domino nullum fructum justitiæ offerri voluit, atque idcirco perpetua sterilitate damnata est; sed hæc quæ prius infidelitate aruit, si contigerit ut rediviva viriditate floribus et fructibus decoretur, id est repulsa diuturna cæcitate infidelitatis, lucem fidei suscipiat, et fructibus bonorum operum exornetur, arbor quæ diu sterilis fuerat incipiet reddere fructum quem prius negaverat, juxta illud B. Job : « Lignum spem habet, si præcisum fuerit rursum virescit, et rami ejus pullulant, et si senuerit in terra radix ejus, et truncus illius in pulvere mortuus fuerit, rursum ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est. » Hoc lignum, id est Synagoga, quod infidelitate aruit et præcisum est, rursum ad odorem aquæ germinabit, id est ad verbum sanctæ prædicationis faciet comam quasi cum primum plantatum est, quia prædicantibus Elia et Enoch, ad pristinam dignitatem quam habuit in patriarchis et prophetis revertetur. Nos ergo cum viderimus hæc omnia fieri, id est Synagogam ad fidem et ad pristinam dignitatem converti quam olim habuit, debemus intelligere quia prope est dies consummationis. « Amen dico vobis quia non præteribit hæc generatio donec omnia fiant. » Veritas autem veritatis usa est sermone ut omnis dubietas a cordibus legentium vel audientium repelleretur. Generationem autem appellat multitudinem totius humani generis, vel certe illius Judaici populi, et revera non prius transibit hæc ipsa generatio quam omnia quæ scripta sunt opere compleantur. « Cœlum et terra transibunt : Cœlum enim quod transire dicitur non æthereum, neque sidereum, sed aereum intelligere debemus, a quo aves cœli et nubila vocantur. Quod manifestat Petrus apostolus cum dicit : Qui cœli erant prius et terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo, per quæ tunc ille mundus aqua inundatus periit. Cœli enim qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem judicii, et perditionis hominum impiorum. Aperte enim beatus apostolus Petrus ostendit his verbis, quia non alii cœli igne perituri sunt, quam illi qui prius perierunt. Id est inania ista et nebulosa spatia ventosa aeris, in quibus aves et nubila discurrunt, illuc enim perveniet ignis quo perveniet aqua, id est tantum ignis valebit, quantum aqua super omnes montes excrevit, quindecim scilicet cubitis; tantum quippe cœlum et terra ardebunt, quantum nostra malitia coinquinari potuerunt. Quærendum nunc est quare Dominus dicit « Cœlum et terra transibunt, » cum Ecclesiastes dicat : « Generatio vadit, et generatio præterit, terra autem in æternum stat. » Si terra in æternum stat, ergo et cœlum ; et si cœlum et terra in æternum stant, quomodo transibunt? Sed sciendum est quia transibunt per meliorationem et renovationem, juxta illud Joannis : « Erit cœlum novum et terra nova ; » sed non transibunt per abolitionem, transibunt quippe per imaginationem, et speciem quam nunc habent, quod manifestat Apostolus cum dicit: « præterit enim figura hujus mundi ; » et Psalmista : « Mutabis ea et mubuntur, » sed non transibunt per essentiam quam nunc retinent. Rursus quærendum est quare Dominus dicat, « Cœlum et terra transibunt ; verba autem mea non præteribunt, » cum in rerum natura nihil durabilius sit cœlo et terra, et nihil velocius quam sermo transeat. Verba enim quousque imperfecta sunt, verba non sunt ; cum vero perfecte formata fuerint, omnino jam non sunt, quia nec perfici nisi transiendo possunt : sed sciendum est quia Domini verba non sonos, non voces, neque litteras appellat, sed ipsas res et sententias quæ verbis explicantur. Et est sensus : Verba autem mea, ipsæ res scilicet et sententiæ non prius transibunt quam opere compleantur, quas explicat meus sermo qui transit. Sequitur : « De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi Pater solus. » Marcus evangelista non solum dicit angelos nescire, sed etiam et Filium, sic enim ait : « De die autem illa et hora nemo scit neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater solus. » Sed quærendum est quare ille dicat Filium nescire ista, et solum Patrem scire, cum ipse dicat : « Omnia tradita sunt a Patre meo, » et item : « Omnia quæ habet Pater mea sunt, » et illud : « Ego et Pater unum sumus. » Si enim ipse et Pater unum sunt, quomodo nescit Filius quod scit Pater? Sed ut locus iste sobrie intelligatur videndum est quod sit scire, vel quid nescire. Scire Dei est approbare, unde ait Moysi : « Novi te ex nomine, » id est approbavit Aliter scire Dei est alios scientes facere, unde Moyses dixit filiis Israel : « Tentat vos Dominus Deus vester ut sciat si diligitis eum » quod non ita accipiendum est quasi sit aliquid quod Deus nesciat ; sed « sciat » dicit, id est scire vos faciat quantum in ejus dilectione profeceritis, quod aliter cognosci non poterat nisi tentationibus probaretur. Si ergo scire Dei est approbare, nescire illius reprobare est, unde in fine sæculi dicturus est impiis : « Nescio vos, » id est in doctrina et disciplina mea non vos invenio, non vos approbo. Rursus si scire Dei est alios scientes facere, nescire illius est alios utiliter nescientes facere. Et ideo beatus Marcus dicit Filium nescire, quia ipse utiliter facit alios nescire diem judicii, quod non prodest illis scire ; si enim homo diem judicii, vel diem mortis cognosceret, aliud tempus deputaret voluptatibus, et aliud pœnitentiæ ; voluit quippe Dominus diem judicii omnibus esse occultum, quatenus semper sit suspectus; voluit esse ignotum, ut omnes sint parati et pervigiles. Beatus vero Matthæus ideo dicit solum Patrem scire, quia nomine Patris vult intelligi et Filium, « quoniam ipse in Patre, et Pater in Filio est ; » et Pater dici non potest nisi habeat Filium, neque Filius nisi habeat Patrem. Quia ergo una substantia Patris et Filii, idcirco quod scit Pater scit profecto et Filius, et quod nescit Pater, nescit et Filius. « Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. » Subito adventus sui diem Dominus diversis testimoniis confirmavit. Superius

comparavit illum fulguri coruscanti, et cito transvolanti; nunc autem æquiparat illum diebus Noe vel Loth, sicut alter evangelista dicit quomodo omnibus mortalibus repentinus supervenit interitus. Et quia poterant hæc verba Domini multipliciter intelligi et varie discuti, idcirco Dominus per semetipsum exposuit dicens: Sicut erant homines ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptum trahentes. Quod autem dicitur *comedentes et bibentes*, non juxta impiissimum dogma Marcionis, et Manichæi, atque Tatiani alimenta condemnantur, neque bonum conjugii, quorum alterum concessit Deus ad propagandam sobolem, alterum vero ad sustentationem hujus vitæ; sed quia Apostolus dicit: « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, » quibus verbis immoderatus usus et appetitus eorum quæ licita sunt reprehenditur et condemnatur. Non enim ideo perierunt quia hæc agebant, sed quia his se totos subdiderunt, et propter hæc Dei judicium contempserunt et ab eo recesserunt, idcirco quia vel igne perierunt. Sequitur: « usque ad eum diem quo intravit in arcam Noe. » Noe interpretatur *requies*, atque ea significat Christum; arca vero significat sanctam Ecclesiam. Noe arcam fabricat, quia Christus diversis fidelibus, tanquam de levigatis lignis sanctam construit Ecclesiam. Perfecte quoque arcam consummatam Noe intrabit, quia Christus in die judicii completo electorum numero sanctam Ecclesiam præsentia suæ visionis illustrabit. Quousque arca fabricatur impii luxuriantur, et bonis temporalibus lætantur, juxta illud Salomonis: « Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis; » sed perfecte consummata arca impii peribunt. Significat autem quia qui hic laborantibus et decertantibus sanctis insultant, eis illic coronatis, ipsi pœna æternæ damnationis plectentur. Tunc duo erunt in agro; tunc videlicet cum dies consummationis advenerit. Sed qui sunt isti duo in agro, duæ molentes in mola, et duo in lecto, quorum unus assumetur, et alter relinquetur? His scilicet verbis tres ordines sanctæ Ecclesiæ demonstrantur, prædicatorum videlicet, et continentium atque conjugatorum, ager namque sanctam significat Ecclesiam. Ergo per duos in agro pulchre designatur ordo prædicatorum, quibus commissus est ager sanctæ Ecclesiæ; per duos in lecto ordo continentium, qui otium et quietem eligunt, et neque hujus sæculi curis, neque terrenis negotiis implicantur, et inde pulchre eorum requies nomine lecti designatur, quia dum a curis istius sæculi segregantur, quasi in lecto requiescunt. Per duas molentes in mola designatur ordo conjugatorum, qui dum per diversas curas nunc ad hanc, nunc ad illam flectuntur, quasi molam in circuitu trahunt; et quia iste ordo infirmior est in Ecclesia, idcirco pulchre conjugati sub femineo genere exprimuntur. Quod autem dicit unus assumetur, et alter relinquetur, non ita accipiendum est quasi de duobus hominibus hoc dictum sit, sed his verbis duo genera affectionum demonstrantur, in his namque ordinibus sunt boni, sunt et mali, sunt justi et injusti. Sunt enim plurimi qui pro divino amore et cœlestis patriæ remuneratione in agro sancto Ecclesiæ laborant: hi nimirum assumentur ad gaudia æternæ beatitudinis; et sunt e contrario qui pro terrenis lucris et sæcularibus negotiis laborant, hi enim relinquentur ad pœnam æternæ damnationis. Similiter sunt in ordine continentium qui pudicitiam cordis et corporis pro divino amore servare student, quique bene designantur per virgines prudentes, illi quippe assumentur ad regnum perpetuæ beatitudinis; et e contrario sunt alii qui integritatem cordis et corporis pro humano favore servant, qui etiam pulchre per fatuas virgines designantur, isti namque relinquentur ad æternæ damnationis pœnam. Sunt et nonnulli in ordine conjugatorum qui præcepta Dei custodiunt, atque ea adimplere satagunt, quatenus Deo placere possint. Hi nimirum assumentur ad regnum æternæ beatitudinis; et item sunt nonnulli qui non solum præcepta Dei contemnunt, sed etiam diversis sordibus vitiorum coinquinantur, isti siquidem relinquentur ad supplicium perpetuæ damnationis. Hi etiam tres ordines pulchre designantur per tres viros quorum meminit Dominus apud Ezechielem prophetam dicens: « Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerint tres viri justi in medio eorum, id est Noe, Daniel et Job, non liberabunt filios suos neque filias, sed ipsi soli liberabunt animas suas. » Noe enim arcam rexit in undis, unde pulchre significat ordinem prædicatorum, qui inter fluctus hujus vitæ præsentis sanctam Ecclesiam regunt. Daniel vero cælibem vitam elegit, id est terrenas nuptias contempsit, et semper in aula regis continens fuit; et ideo bene per illum ordo continentium designatur. Job autem habuit uxorem, filios et filias; ideo aperte per illum designatur ordo conjugatorum; quod illic dicit non liberabunt filios, neque filias, hoc est quod hic ait: unus assumetur, et unus relinquetur.

HOMILIA II.

In illud Matthæi: *Joannes cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illis*, etc.

Hujus interrogationis beati Joannis et responsionis Domini etiam Lucas evangelista mentionem facit, sed non in eodem loco quo beatus Matthæus, et ideo incertum est qui eorum servaverit ordinem rei gestæ, vel quis recolendo descripserit. Sed quærendum est quare Joannes Baptista propheta, et plusquam propheta, positus juxta fluenta Jordanis, testimonium perhibuit Domino dicens: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. » Et item: « Post me venit vir, qui ante me factus est: » et pariter: « qui habet sponsam sponsus est. » Et ut suam humilitatem et ejus excellentiam demonstraret, alibi dicit: « Qui de terra est, de terra loquitur, qui autem de cœlo venit super omnes est. » Postea vero positus in carcere misit discipulos suos ad Jesum et interrogavit: « Tu es qui venturus es an alium

expectamus? » Nunquid ignorabat beatus Joannes illum esse Dei Filium,cui prius testimonium perhibuerat? Profecto non;sed primo sciendum quia fuerunt nonnulli qui,simpliciter intelligentes hunc locum,dixerunt quod causa ignorantiæ interrogaverit. Sed omnino non quasi ignorans interrogavit quem prius confessus fuerat; non enim ignorabat eum Dei esse Filium,qui vocem Patris de cœlo intonantis audierat : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, » et quem in utero matris positus cognovit,sed ignorantiæ discipulorum suorum consulere voluit; timebat enim ne discipuli sui sociarent se Scribis et Pharisæis, et fierent eorum sequaces. Idcirco misit eos ad Jesum, ut dum sibi videretur quærere ipsi discerent; et dum viderent eum signa et miracula facientem, crederent eum esse Dei Filium, et in illum crederent, et intelligerent illum solum esse sequendum et imitandum, quem ipse Joannes magistrum omnium confitebatur.Dicit beatus Gregorius papa quia beatus Joannes aliud sciebat, et aliud nesciebat; sciebat enim eum esse Dei Filium, et Agnum qui venerat tollere mundi peccata; verumtamen nesciebat utrum ipse esset moriturus, et ad inferni claustra descensurus,ut inde abstraheret suos electos qui indebite detinebantur;an alium pro se mitteret,qui genus humanum redimeret. Et ideo misit discipulos suos ad Jesum ut per omnia officium suæ præcursionis impleret; ac si diceret et aliis verbis:Sicut enim pro hominibus nasci dignatus es,an ad inferni claustra descendere digneris insinua, ut qui præcursor tuæ nativitatis exstiti,mortis etiam præcursor fiam, et te in inferno nuntiem venturum, quem, etiam in mundum venisse nuntiavi.Unde Dominus requisitus, numeratis suæ virtutis miraculis, hoc est « cæci vident, claudi ambulant, » mox de humilitate suæ mortis respondit dicens:«et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me; » his enim verbis humilitatem et abjectionem suæ mortis demonstravit, quasi diceret aliis verbis: Mira quidem facio, sed abjecta perpeti non dedignor; et ideo valde cavendum est hominibus ut in me mortem non despiciant, qui signa venerantur.Visis enim tot signis tantisque miraculis, non debuerant homines. scandalizari, sed potius admirari; sed infideles grave scandalum in illum pertulerunt, dum post miracula eum morientem viderunt. Et quod passio crucis scandalum illis fuerit Apostolus manifestat cum ait : « Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. » Judæis quippe scandalum erat,et gentibus valde stultum videbatur quomodo Auctor vitæ mori potuisset; inde enim homo majus scandalum adversus Dominum sumpsit unde et magis debitor fieri debuit: Dei quippe Filius tanto dignius honorandus erat ab hominibus,quanto indigna suscepit pro hominibus. Dicit beatus Hieronymus quia discipuli Joannis scandalizati fuerant, quoniam turbæ relinquentes eum sequebantur Dominum;unde venientes ad Joannem dixerunt: « Rabbi, ecce is cui tu perhibuisti testimonium trans Jordanem baptizat, et plures ad eum veniunt ; » ac si dicerent : Hoc malum tu fecisti,et hæc causa tibi imputanda est, quoniam nisi tu ei testimonium perhibuisses, nullo modo turbæ te derelinquerent, et illum sequerentur. Ad hæc Joannes respondit : « Nemo potest accipere quidquam,nisi ei datum fuerit desuper; » et item : « illum oportet crescere,me autem minui ;» et alibi dicit : « Qui de terra est de terra loquitur, qui autem de cœlo venit super omnes est;»quasi diceret: ego,quia de terra sum, ideo quasi terrenus et fragilis homo loquor ; ille vero,qui de cœlo venit, super omnes est, quia Deus est, et idcirco sicut Deus loquitur. Et quia illi invidebant Domino timuerat beatus Joannes eos peste superbiæ et invidentiæ perire. Idcirco misit eos ad Jesum, ut, dum viderent eum signa atque miracula facientem,crederent eum esse Dei Filium,et ejus discipulatui inhærerent. Dominus ergo intelligens intentionem beati Joannis sicut Deus, non ad interrogationem discipulorum ejus, sed ad intentionem ipsius respondit,dicens : « Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis ; » ac si diceret : Feci quod voluit,egi quod rogavit.Signa videtis, credite si vultis. Duo enim dixit : Audistis et vidistis; quorum unum refertur ad doctrinam, alterum vero ad opus. Viderunt enim signa atque miracula, audierunt doctrinam evangelicæ gratiæ. Pauperes appellat discipulos suos, quia pauperes erant spiritu, id est humiles corde, sive pauperes dicit rebus,ut per hoc demonstraret quia nulla distantia est in prædicatione Evangeli inter divites et pauperes.Cum vero Dominus dicit : » Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me, » hac sententia ipsos internuntios,id est discipulos Joannis percussit, quasi patenter diceret: Vos scandalizati estis adversum me,sed beati esse non poteritis nisi scandalum deposueritis, et in me credideritis. Spiritualiter Joannes vinctus significat legem vinctam, et quasi carceralibus tenebris obstrusam per peccata plebis et malam interpretationem Scribarum et Pharisæorum. Per Dominum vero potest intelligi gratia Evangelii,sicuti per Joannem lex,quia sicut Joannes perhibuit testimonium Domino, ita et lex perhibuit testimonium gratiæ Evangelii. Misit ergo Joannes quosdam discipulos suos ad Jesum, quia lex misit Scribas et Pharisæos dubitantes de adventu Domini Salvatoris, et Dominus quasi eisdem respondit dicens : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis; » ac si diceret : Adest tempus ut adimpleatur illud quod longe ante prædixit Isaias propheta : « Ecce Dominus noster veniet, et salvabit nos.» Et paulo post : « Tunc aperientur occuli cæcorum,et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et clara erit lingua mutorum. « Sequitur : » Illis autem abeuntibus,cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? » Hæc Domini verba quibus Joannis laudibus prætulit aperte demonstrant quia non dubitabant eum esse Dei Filium, cui prius testimonium perhi-

buit, sed propter supradictas causas misit discipulos A suos, et interrogavit dicens : « Tu es qui venturus es? » Sed quærendum est quare Dominus non in præsentia discipulorum ipsius, sed illis abeuntibus Joannem laudibus prætulit : idcirco ne tamen videretur laudem humanam quærere, id est ut vellet laudari ab Joanne. Et quare illis abeuntibus coram turbis voluit eum Dominus laudibus præferre? Audierant enim turbæ Joannem perhibentem testimonium Domino, et dicentem : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, » et viderant quia missis discipulis suis interrogavit eum dicens : « Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? » Poterant ergo turbæ existimare Joannem esse instabilem et similem calamo, qui omni vento circumfertur, ut nunc Domino testimonium perhiberet, nunc vero de eo B dubitaret; et ne forte turbæ hoc putarent, idcirco coram turbis cum multis laudibus prætulit dicens : « Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? » Quod enim Dominus dixit : « Quid existis in desertum videre? » percunctatio est; quod vero sequitur, « arundinem venta agitatam? » interrogatio est; veteres enim hoc distare dixerunt inter percunctationem et interrogationem : dixerunt enim quod ad percunctationem multa responderi possunt, ad interrogationem vero tantum unum, id est : non. Aut etiam, cum enim Dominus dicit : « Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? » non affirmando, sed potius denegando hoc dicit, ac si diceret : Nunquid, quando existis in desertum ad Joannem, ideo existis ut videretis hominem similem arundini quæ omni vento circumfertur, ut nunc de C illo dubitet cui prius testimonium perhibuerat? certe non est Joannes talis ut nunc dubitet eum esse Dei Filium, cui prius testimonium perhibuerat; non sibi sed discipulis suis interrogavit. Et sciendum quia arundo in divinis Scripturis varias et diversas habet significationes. Significat verbum, ut illud : « Lingua mea calamus scribæ; » significat sanctorum prædicatorum doctrinam, ut illud : « In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, oritur viror calami et junci, » quia in eis quos populus antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia, et auditorum obedientia coercebatur. Orietur in ea viror calami et junci, id est in sancta Ecclesia orientur scriptores et auditores. Per juncum vero debent auditores intelligi. Per aquæ humorem juncus et calamus nasci solent; D nam ex una eademque aqua utraque prodeunt, et calamus quidem ad scribendum assumitur, cum junco vero scribi non potest. Quid in junco igitur et calamo accipere debemus? nisi quia una est doctrina veritatis quæ multos auditores irrigat. Sed irrigati alii ad hoc usque in verbo Dei proficiunt, ut etiam scriptores fiant, videlicet tanquam calami. Alii vero verbum Dei audiunt, bonæ spei et rectorum operum viriditatem tenent, sed tamen ad scribendum proficere nullatenus possunt. Significat etiam mentes hypocritarum ab omni fructu bonorum operum vacuas, ut illud : « Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus. » Significat præterea nitorem beatitudinis electorum, ut illud : « et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. » Significat tandem carnalem animum sicut in hoc loco, arundo enim vacua res est nullam habens medullam intrinsecus, nullumque fructum extrinsecus, quæ etiam secundum levitatem naturæ suæ non solum a statu ventorum, sed etiam ab aliqua levi aura flectitur. Pulchre ergo per arundinem carnalis animus designatur, quia si ab ore proximi aura favoris vel laudis flaverit, mox hilarescit et extollitur, totumque se ad gratiam inclinat; si vero congerit ut inde aura detractionis erumpat unde prius aura favoris manavit, ad vim furoris et iracundiæ provocatur. Joannes quidem arundo vento agitata non erat, quia nec gratia alicujus eum blandum, nec ira asperum faciebat, quoniam hunc neque prospera erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo vento agitata non erat, quia a status sui rectitudine nulla eum rerum varietas inflectebat. Discamus itaque et nos arundinem vento agitatam non esse, id est, inter auras linguarum animos nostros solidemus, et inter mundanas varietates status mentis nostræ semper sit inflexus, ut neque prospera nos elevent, nec adversa conturbent, juxta illud Apostoli : « Estote pugnantes tum in prosperis, tum in adversis. » Sequitur : « Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? » Joannes non mollibus vestimentis, sed pilis camelorum vestitus fuisse perhibetur; id quod alibi manifestat idem evangelista dicens : « Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum. » Sed quantum ad superficiem historiæ attinet, in abjectione, vilium vestimentorum virtus esse monstratur, et si in appetitu pretiosarum vestium peccatum non esset, nequaquam Dominus Joannem de asperitate vestium laudasset; et si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus apostolus per epistolam feminas ab appetitu pretiosarum vestium compesceret dicens : « Non in veste pretiosa : » ubi animadvertendum quanta culpa sit viros hoc appetere, a quo ipse pastor Ecclesiæ feminas procuravit prohibere. Et est sensus : « Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt, » id est non cœlesti, sed terreno regno militant qui dura et aspera pro Deo perpeti fugiunt, et qui hujus sæculi mollitiem et delectationem quærunt. Illi ergo mollibus vestiuntur, qui secundum pompas et delectationes hujus sæculi vivunt, et ambitiosis vestibus induuntur; hi nimirum et aulas regum appetunt, et in eorum domibus habitare congaudent. Et sciendum quia falsa doctrina semper humanam laudem requirit, ut per eamdem terrena lucra accumulare possit, et copiis terrenarum rerum affluere. Sicut enim illi qui serico et purpura et bysso nitide compti aulas regum appetunt, et in eorum domibus habitare congaudent, sic e contrario admonentur sancti viri ut, necessariis vestimentis contenti, aulas regum semper declinare studeant. Potest etiam iste locus altius intelligi hoc modo, quasi per molles

vestes designentur carnales delectationes, et concupiscentiæ. Illi ergo mollibus induuntur qui per carnales concupiscentias et delectationes suis peccatis, quasi quibusdam vestimentis, induuntur, unde Psalmista dicit: « Induit se maledictione sicut vestimento. » Aliter, illi mollibus vestiuntur qui malis hominibus adulantur, et vitam malorum hominum quasi quibusdam blandimentis fovent, et peccata eorum diversis suasionibus cooperiunt. Joannes enim mollibus vestitus non erat, quia vitam peccantium non blandimentis fovebat, sed rigore asperæ invectionis increpabat dicens : « Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? » Hinc Salomon dicit : « Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum fixi. » Et bene quidem verba sapientium stimulis et clavis assimilantur, quia culpas peccantium nesciunt palpare, sed pungere ; nesciunt fovere, sed increpare. « Sed quid existis videre ? Prophetam. » Quod enim Dominus dicit : « Sed quid existis videre ? » non hoc negando sicut superius, sed potius affirmando ait ; unde et mox subjungit : « etiam dico vobis et plusquam prophetam. » Sed quærendum est quare Dominus dicat Joannem plusquam prophetam, cum ipse alibi requisitus negaverit se esse prophetam. Nunquid aliud Veritas clamat, et aliud præco Veritatis denuntiat ? Sed non debet videri contrarium, quia unde Dominus eum dicit esse plusquam prophetam, inde se Joannes negavit esse prophetam. Nam prophetæ officium ventura est prædicere, non etiam præsentia demonstrare. Joannes enim propheta fuit quousque futura prædixit ; sed plusquam propheta fuit, quia quem cæteri prophetæ futurum prædixerunt, iste digito præmonstravit dicens : « Ecce Agnus Dei. » Et quia dixerat eum Dominus non esse arundinem vento agitatam, neque mollibus vestitum, et nomen prophetæ huic impar esse ostendit ; et ut demonstraret quis recte dici possit, subjunxit dicens : « Hic est de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum. » Hoc testimonium de Malachia propheta sumptum est, sed illic loquitur sub persona Filii, hic vero sub persona Patris, et non debet videri contrarium, quia quorum una est natura, una potestas, una divinitas, una est locutio. « Ecce mitto angelum meum, » id est Joannem « ante faciem tuam, » hoc est ante mysterium tuæ incarnationis ; « qui præparabit viam tuam ante te, » hoc est pœnitentiam prædicando et baptizando. Ille enim Domino viam parat qui rectam fidem et bona opera prædicat ; angelus namque nomen est officii, non naturæ, quod enim Græce *angelus*, Latine *nuntius* dicitur ; et Joannes idcirco angelus dictus est non naturæ societate, sed officii dignitate. Recte ergo qui supernum Judicem venerat nuntiare angelus dictus est, ut dignitatem servaret in nomine quam explebat in operatione. Altum quippe nomen est angeli, sed vita Joannis non inferior fuit ; recte ergo potuit dici angelus terrenus, et homo cœlestis. Et sciendum quia non solum Joannes angelus dictus est, sed etiam omnes qui sacerdotii nomine censentur angeli vocantur ; unde dicit Propheta : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. » Et non solum sacerdotes, sed etiam omnes fideles ; quicunque enim fidelis proximos suos a pravitate retrahit, et eos ad bene operandum cohortatur, et eis æternum supplicium et cœleste regnum nuntiat, recte angelus dici potest, juxta illud quod in Apocalypsi legitur : « Qui audit dicat : Veni, » id est qui aliquam spiritalem gratiam per occultam inspirationem accipit, et proximo suo nuntiare studeat, quatenus ipse veniat, et cum eo accipiat. Hinc est etiam quod in templo Domini non solum phialæ sed etiam cyathi facti sunt. Sequitur : « Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. » Quia dixerat Dominus superius Joannem esse plusquam prophetam, idcirco et nunc ad astruendam ejus magnitudinem usus est sermone veritatis dicens : « Amen, » quod interpretatur *vere*. Si enim Joannes de Christo dubitasset, et eum verum Dei Filium ignorasset, nequaquam Dominus tot laudibus eum coram turbis prætulisset. Sed quærendum est quare Dominus dicat : « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista ; » si enim inter natos non surrexit major illo, ergo nec ipse Christus ; ille enim ex muliere natus est, testante Apostolo, qui ait : « factum ex muliere, factum sub lege ; » non enim debet videri contrarium quia mulier in hoc loco pro sexus corruptione ponitur. Illis ergo Dominus Joannem prætulit qui ex mulieribus, hoc est ex corruptione maris et feminæ, nati sunt, sed non illi certe qui ex Spiritu sancto ex Virgine natus est.

HOMILIA III.

In illud Matthæi : *Venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, etc.

Quod dicit sanctus evangelista « in diebus illis, » si tantum superioribus verbis conjungatur, quibus dicitur : « admonitus Joseph secessit in partes Galilææ, » valde contrarium videtur Lucæ qui dicit puerum duodecimo anno remansisse in templo, et parentes ejus per omnes annos ascendisse Hierosolymam in die solemni Paschæ, et post hoc narrat Joannem prædicare cœpisse. Ergo si ita est, ut Matthæus dicit, id est, quod Joannes statim prædicare cœpisset postquam Joseph reversus est de Ægypto cum puero, et veniens habitavit Nazareth, quomodo verum est quod Lucas ait, qui narrat puerum duodecimo anno remansisse in templo, et parentes ejus per omnes annos ascendisse Hierosolymam in die solemni Paschæ, et puerum crevisse, maxime cum Joannes in perfecta ætate cœperit prædicare ? Et ut nulla sit contrarietas, quod dicit « in diebus illis, » non est specialiter referendum ad illud tempus : « Postquam Joseph reversus est de Ægypto cum puero, et veniens habitavit Nazareth, »

sed generaliter referendum est ad omne tempus infantiæ et pueritiæ Domini, ut sit sensus : « in diebus illis, » id est postquam hæc vel illa gesta sunt, quæ cæteri evangelistæ de infantia et pueritia Domini usque ad trigesimum annum narrant,« tunc venit Joannes ; » et sciendum quod omnes evangelistæ faciunt mentionem hujus prædicationis Joannis. Ecce beatus Matthæus, postquam narrat Joseph reversum de Ægypto cum puero venisse et habitasse Nazareth, mox jungit dicens : « Venit Joannes Baptista prædicans, » etc. Marcus, sequipeda illius, in principio Evangelii sui fecit mentionem hujus prædicationis dicens : « Initium Evangelii, » et cætera usque ubi ait : « Vox clamantis in deserto, » et quia nihil præmisit, idcirco non dixit « in diebus illis, » aut aliquod tale. Lucas vero, postquam narravit puerum duodecimo anno remansisse in templo, et parentes ejus per omnes annos ascendisse Hierosolymam, mox subjungit dicens : « Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. » Joannes ultimus et facundior cæteris evangelistis, postquam narrat Verbum in principio fuisse apud Patrem, et Patrem omnia per ipsum condidisse, et Verbum caro factum fuisse, et habitasse in nobis, statim subjungit dicens : « Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes. » Ecce sancti evangelistæ vario modo, et diversis in locis faciunt mentionem istius prædicationis, et quare hoc ? quia illorum erat præparare cor, Domini autem dirigere stylum et intentionem, nam sic unusquisque eorum descripsit, sicut Spiritus sanctus dictavit. Et sciendum quod S. Matthæus non solum tempus, locum, et personam, sed etiam officium et studium beati Joannis demonstrat his verbis. Personam revera demonstrat cum dicit : « Venit Joannes ; » officium, cum subjungit : « Baptista, » studium cum ait : « prædicans » locum cum dicit : « in deserto Judææ, » generale tempus cum ait : « in diebus illis. » Et pulchre Joannes a pœnitentia prædicare cœpit, nam idcirco a pœnitentia prædicare cæpit, quia per pœnitentiam errrata corriguntur, nec solum naturalia et originalia, sed etiam amissa. Verumtamen sciendum est quia non ipse primus nec solus pœnitentiam prædicavit, sed habuit testimonium a veteribus ; multa namque exempla pœnitentiæ reperiuntur in Veteri Testamento ; dicit enim Dominus per prophetam : « Nolo mortem peccatoris, » et item : « Convertimini ad me et agite pœnitentiam. » Et Job dicit : « si peccavi inscius, et celavi iniquitatem meam. » Et quia per pœnitentiam proximiores Deo efficimur, et regno cœlorum appropinquare possumus, ideo pulchre subjungit dicens : « Appropinquavit regnum cœlorum. » Regnum cœlorum quatuor modis dicitur. Dicitur enim Christus, ut illud : « Regnum Dei intra vos est : » dicitur sacra Scriptura, ut illud : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus : » dicitur sancta Ecclesia, juxta illud : « Simile est regnum cœlorum

A homini regi, » et item : « Simile est regnum cœlorum decem virginibus. » Dicitur et supernum solium, et illud : « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum. » Et hoc totum hic intelligi potest ut sit sensus : « appropinquavit regnum cœlorum, » id est ut Christus regnet in vobis ; sive, « appropinquavit regnum cœlorum, » id est, ut qui carnaliter Scripturam intelligebatis, intelligatis spiritualiter ; sive, « appropinquavit regnum cœlorum, » id est ut, qui eratis Synagoga, sitis Ecclesia ; « sive, appropinquavit regnum cœlorum, » id est ut cum Christo in superno solio regnetis. « Hic est qui dictus est per Isaiam prophetam. » Dubium est namque cujus sint hæc verba, Baptistæ scilicet, an evangelistæ. Videntur

B quidem evangelistæ esse ; sed si sobrie dicta sanctorum evangelistarum consideremus, non incongrue Baptistæ esse creduntur. Matthæus enim de se ipso dicit : « Dum præteriret Jesus vidit hominem sedentem ad teloneum, Matthæum nomine, » nec dixit vidit me ; et Joannes : « discipulus ille quem diligebat Jesus, » et item : « Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, » nec dixit Ego sum. Et in Veteri Testamento legitur : « Erat Moyses mitissimus, super omnes qui morabantur in terra. » Et Job : « Vir erat in terra Hus, nomine Job, » nec dixit Ego eram. Sic et hæc verba non incongrue possunt esse Joannis Baptistæ, ut ipse de se dixerit : « Hic est qui dictus est per Isaiam : » Et quod mirum si ipse de se hoc dixit, cum alibi interrogatus quis esset respondit : « Ego

C vox clamantis in deserto. » Et quare Joannes vox dictus est a propheta ? Quia Verbum Dei præibat ; nam ex ipsa nostra locutione cognoscere possumus quia verbum audiri non potest, nisi prius præcedat vox. Sic et Joannes præcessit Verbum illud, scilicet de quo scriptum est : « In principio erat Verbum. » Nam idcirco directus est ut per mysterium prædicationis ejus Verbum Patris ab hominibus agnosceretur. Ubi autem clamaverit manifestat cum subjungit « in deserto. » Quantum ad historiam pertinet, in deserto clamabat, quia remotus erat a turbis Judæorum ; spiritualiter vero in deserto clamasse dicitur, quia derelictæ ac destitutæ Judææ solatium suæ redemptionis annuntiabat si credere vellet. Et quod clamaverat manifestat cum subinfertur : « Pa-

D rate viam Domini, rectas facite semitas ejus. » Ille autem venienti Domino ad corda auditorum viam parat, qui rectam fidem et bona opera prædicat, ut hæc vis gratiæ penetret, et lumen veritatis illustret ; et ille rectas semitas facit, qui per sermonem bonæ prædicationis mundas cogitationes in animo format. Et sciendum quia non solum Isaias prævidit hunc præcursorem Domini venturum, sed etiam Psalmista cum sub persona Dei Patris dicebat : « Paravi lucernam Christo meo, » id est Joannem Filio meo. Et bene Joannes lucerna dicitur, quia sicut Lucifer ante solem, lucerna ante dominum, miles ante regem, præco ante judicem ; sic et Joan-

nes præcessit Christum;miles enim directus a rege hoc modo viam ei præparat : valles implet, tumentia planat. et omnia qffendicula aufert,ut gressus incedentis non offendat, sic et Joannes paravit viam Domini.Qualiter vero via Domini præparanda sit aliter evangelista,imo et ipse propheta manifestat cum ait: « Omnis vallis implebitur,et omnis mons et collis humiliabitur.» Per valles designantur humiles, per montes et colles superbi.In adventu Domini valles impletæ sunt,montes et colles humiliati quia, sicut ipse dicit, « Omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur; » hinc alias scriptum est : « Deposuit potentes de sede,et exaltavit humiles.» Potest etam hoc intelligi dictum de Judaico et gentili populo;gentiles enim erant valles id est humiles, quia idolorum cultores erant,et diversis criminibus irretiti ; Judæi vero montes et colles, id est, superbi erant propter legis acceptionem, et Dei cognitionem. Sed in adventu Domini valles impletæ sunt,et montes et colles humilitati, quia gentilis populus se humiliando per fidem donum gratiæ suscepit,quod Judaicus populus superbiendo a se repulit. Potest et hoc intelligi de unoquoque viro humili et superbo; moraliter enim quicunque immunditia, et fornicatione,et voracitate, et ebrietate detinetur « vallis » est ; ille vero qui in superbia,et jactantia,et vana gloria consistit,«mons et collis » est. Sed homines adjuti gratia Dei cum transeunt de immunditia ad munditiam, de fornicatione ad continentiam de voracitate ad abstinentiam,de ebrietate ad sobrietatem, valles implentur. Item si adjuti divina gratia transierint de superbia et jactantia ad humilitatem, et de vana gloria ad despectum propriæ carnis, tunc profecto montes et colles humiliantur.Hoc modo unusquisque nostrum viam Domino debet præparare ; ille enim viam Domino parat, qui de vitiis ad virtutem transit, quoniam viæ Domimi sunt fides et justitia,semitæ vero illius cæteræ virtutes.Has vias sibi notas fieri optabat Psalmista cum dicebat : » Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas edoce me.» Et quæ sint ipsæ viæ consequenter manifeste curavit indicare dicens : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas sunt ; » et cæteræ virtutes, id est,fides et justitia et similia semitæ ipsius sunt.Et istas vias hortatur nos Jeremias propheta inquirere cum dicit : « State super vias, et interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona,et ambulate in ea. » Sequitur : « Et erunt prava in directa. » Prava sunt corda malorum hominum, per injustitiam detorta; sed tunc prava in directa commutantur cum corda malorum hominum ad justitiæ regulam diriguntur. Asperæ sunt mentes hominum furore et indignatione perturbatæ, quæ verbum prædicantis audire contemnunt, sed tunc « aspera in vias planas » commutantur, cum eæ mentes hominum ira commotæ, ad gratiam mansuetudinis redeunt, quæque prius verbum prædicationis audire noluerunt,conversæ ad beatitudinem,et ad lenitatem,delectabiliter audiunt pacatæ, « Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum. » Hucusque videntur verba Joannis ab eo loco ubi ait: — « Pœnitentiam agite ; » ab hinc vero verba sunt sancti evangelistæ Et quia beatus Matthæus superius dixerat Joannem venisse, et pœnitentiam in deserto Judææ prædicare cœpisse, ut ostenderet non immerito, sed digne ad officium prædicationis accessisse, idcirco de asperitate vestium, et vilitate ciborum cœpit eum laudare dicens: «Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum.» Vestimentum ipsius erat Deus et justitia, cibus ejus lex Christi et contemplatio divina;et quia ipse mundo mortuus erat et mundus illi crucifixus, idcirco non poterat pretiosas vestes desiderare,et lautiores cibos appetere. Sub ista tamen asperitate vestium et vilitate ciborum non condemnavit beatus Joannes temporalia bona, nec terrena bona docuit esse mala,quia omnia a bono Deo creata sunt, sed sub habitu vestimentorum et vilitate ciborum ostendit se peccata totius humani generis deflere. Nam multi sanctorum Patrum in præterito tempore peccata mundi defleverunt. Moyses enim propter grave peccatum populi nimia tristitia affligebatur, et in tantum dilexit populum ut optaret se deleri de Libro vitæ,si non dimitteretur peccatum populi.Josue vero minister et successor illius a mane usque ad vesperum prostratus jacuit coram Domino propter peccatum populi Samuel omnibus diebus vitæ suæ luxit Saulem et populum quia recesserant a Domino. Elias vero multa jejunii inedia affligebatur propter iniquitatem et peccata populi. Jeremias mœrens et lugens non potuit quin diceret: « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut defleam peccata populi mei die ac nocte ? » Et Daniel dicit : « Trium hebdomadarum spatio sedens in domo mea panem desiderabilem non comedi,et aquam desiderabilem non bibi,lugens peccata populi mei. »Sicut isti,sic et multi sanctorum defleverunt peccata generis humani.Ita et Joannes.Si enim habitum exterioris homini consideremus, quanti meriti interior homo sit agnoscere possumus.Ille enim,qui tali habitu utebatur extrinsecus,magni meriti erat intrinsecus,et in his verbis demonstratur vitam Joannis cœlestem fuisse, et gloriosam ejus humilitatem et pudicitiæ honestatem. His etiam verbis sancti evangelistæ Dominus alibi annuit cum dicit turbis de Joanne : «Quid existis in desertum videre?hominem mollibus vestitum ? » subauditur Non; quod enim Dominus Joannem vestitum mollibus dicit non fuisse,hoc est quod beatus Matthæus hic cum pilis camelorum indutum esse ostendit.Per hoc vero,quod tam Dominus quam evangelista Joannem de asperitate vestium laudavit,ostendit quia Joannes non fuit fautor malorum, sed increpator,et vitam peccantium non blandimentis fovebat,sed asperæ invectionis verbis increpabat dicens: « Genimina viperarum,quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?» Moraliter quicunque vult vestigia Joannis sequi,non debet peccatores blandi-

mentis fovere, sed aspere,increpare juxta illud Salomonis: « Verba sapientium quasi stimuli,et quasi clavi in altum defixi. » Pulchre verba sapientium stimulis et clavis assimilantur,quia culpas peccantium nesciunt palpare,sed pungere,nesciunt fovere, sed increpare. Per zonam pelliceam designatur mortificatio ipsius Joannis ; per mel silvestre,dulcis ejus prædicatio; nam tantæ dulcedinis ea fuit ut ipse Christus ab hominibus putaretur. Et ipsa ejus existimatio bene locustæ assimilatur: locusta enim elevata a terra cito cadit, et sic illa existimatio populi, qua Joannes Christus existimabatur,cito corruit, quia ille qui putabatur propheta,mox agnitus est Christus, et ille qui Christus, mox agnitus est propheta.Per Joannem,qui *Domini gratia* interpretatur, significatur Christus; et congrue quidem Dei gratia dicitur qui mundo gratiam Dei attulit. Per vestimentum illius designatur Ecclesia gentium, quæ bene vestimentum Dei dicitur,juxta illud quod Dominus per Jeremiam prophetam ait:» Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut vestimento vestieris. » Vestimentum namque Joannis de pilis camelorum fuit contextum, et sancta Ecclesia de gentilitate est congregata.Camelus enim immundum est animal,secundum legis præceptum, et significat gentilitatem. Et bene per camelum, quod immundum est animal, immunda gentilitas designatur,et quod ita sit manifestat Isaias dicens : « Inundatio camelorum operiet te.» Per zonam pelliceam mortificatio ipsius sanctæ Ecclesiæ intelligitur, unde Apostolus dicit : « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram ; » et item : « Carnis curam ne faceritis in concupiscentiis vestris.» Et Dominus in Evangelio : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes. » Pascha etiam celebraturi « lumbos præcinctos habere » jubentur ; hanc enim zona agnitus est Elias, et hac zona, id est, hoc signo mortificationis agnoscuntur omnes fideles juxta illud Pauli : « Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.» Per locustas designantur hi qui de gentili populo antequam ad fidem transissent instabiles erant mente, et nec ad ista, nec ad illa se flectentes, rebelles et contradictores erant legis. Hi enim tales, tam prædicatione Joannis quam apostolica devicti,conversi sunt in cibum Dei ; unde Dominus dicit : « Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me.» Cibus ergo Domini est voluntas Patris, et redemptio,et salus generis humani.Et quod per locustas gentilitas designetur ostendit Salomon cum dicit : « Locustæ enim cum non habeant regem, nec ducem, nec præceptorem, unaquæque graditur per turmas suas.»Sic et gentilitas cum non haberet regem Christum, nec ducem, nec præceptorem, id est aliquem latorem legis,aut aliquem doctorem vel prophetam, egressa est per turmas, id est de infidelitate ad gratiam Christi sub unitate fidei cucurrit. Per mel silvestre designantur ii qui in gentili populo, antequam ad fidem venissent, dulcis conversationis, et sanctæ vitæ, et bonæ opinionis fuerunt,de quibus unus fuit ille Cornelius centurio de quo legitur in Actibus apostolorum,quia « erat vir justus et timens Deum,faciens quotidie eleemosynas plebi, et deprecans Deum die ac nocte. » unde promeruit ut angelus mitteretur ad eum qui diceret : » Corneli, exauditæ sunt orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectum Dei. » De iis etiam fuit ille potens eunuchus Candacis reginæ qui tanti studii fuit, ut non solum per annos omnes ascendere Hierusalem, sed etiam sedens in curru legeret Isaiam prophetam, quapropter promeruit ut dirigeretur ad eum Philippus diaconus, quatenus baptizaret eum : et isti tales cum essent mel silvestre in silva generis humani conversi ad fidem facti sunt mel domesticum in sinu sanctæ Ecclesiæ.« Tunc exibat ad eum Hierosolyma, et omnia Judæa. » Quod dicit « Tunc » ad superiora refertur ubi ait:« Venit Joannes Baptista prædicans in deserto. » Quærendum tamen est quare Joannes baptizabat, cum suo baptismate peccata relaxare non poterat;in solo enim baptismo Domini peccata nobis relaxantur. Verum idcirco baptizabat quatenus per omnia officium suæ præcursionis impleret, ut qui factus est præcursor Domini nascendo, et prædicando, simul etiam fieret baptizando. Sive ideo baptizabat, quia baptismum illius figuram gerebat catechumenorum.Nam sicut modo catechizantur pueri ut digni fiant accedere ad sacramentum baptismatis,ita et ille baptizabat, ut illi quos aqua intingebat, postea devotius vivendo, digni fierent ad baptismum accedere Christi. Item quærendum est quare in Jordane baptizabat.Duabus vero de causis id fecisse putandum est : ut ibi scilicet aperiret januam regni cœlestis, ubi datus est aditus filiis Israel intrandi in terram repromissionis, sive quia Jordanes a duobus fontibus nascitur,id est « Aior» et « Dan » qui oriuntur ad radicem montis Libani. Et ideo baptizabat in Jordane ut ostenderet quia necesse est omnibus renatis per aquam baptismi, ut studeant implere precepta duorum Testamentorum confitentes peccata sua. Hinc descendit etiam consuetudo ecclesiastica ut illi qui baptizandi sunt prius abrenuntient diabolo, et operibus ejus, sæculo, et pompis ipsius. « Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum. » Pharisæi interpretantur *divisi*, Sadducæi vero *justi*, vel *justificati* ; Pharisæi enim erant presbyteri, id est seniores Judæorum Sadducæi autem eorum hæretici ; negabant enim Spiritum sanctum et angelos, et animam vivere post mortem,et ideo negabant esse resurrectionem, et quod isti negabant Pharisæi confitebantur. Fortassis viderat beatus Joannes istos Pharisæos et Sadducæos non simplici intentione venire ad baptismum suum, aque idcirco acriter eos redarguit dicens : « Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? » ac si diceret : Si ad meum vultis venire baptismum, simplici intentione veni-

te, et si meum vultis audire consilium facite fructus dignos pœnitentiæ. Illi enim qui quondam ob meritum fidei filii Abrahæ dicti sunt, modo propter infidelitatem filii serpentis dicuntur,id est diaboli : et bene diabolus serpens dicitur, quia per serpentem protoplastos decepit; et quod diabolus serpens dicatur manifestat Scriptura dicens : « Suscitabo super eos Leviathan serpentem tortuosum.» Et sciendum quia consuetudo est sanctarum Scripturarum ab imitatione operum nomina imponere, ut illud : « Audite, principes Sodomorum, et auribus percipe legem Dei nostri, populus Gomorrhæ ; » et alibi : « Pater tuus Amorrhæus,et mater tua Cethæa.» Nunquid idcirco Judæi adeo appellati sunt, quod a Sodomitis, aut ex Gomorrhæis nati sunt? Non, sed ab imitatione operum: acta enim illorum imitantur. Et bene isti Pharisæi et Sadducæi progenies viperarum dicuntur ab imitatione eorum; fertur enim quod uterque parens viperarum in conceptu simul et in partu exstinguatur. Sic et ipsi Pharisæi et Sadducæi « progenies viperarum » vocantur, quia maxime illorum consilio crucifigendus erat Christus,Pater eorum,et per malam interpretationem mater illorum Synagoga est exstincta; nam mali filii, malorum parentum acta imitantes, bene « progenies viperarum » dicuntur, quia quasi de venenatis parentibus venenati filii nascuntur. Sequitur : « Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? »Quis subauditur nisi Deus? si vero quis demonstravit sub futuro tempore intelligatur:quis doctor, quisve prædicator dabit vobis consilium ut possitis evadere iram æternæ ultionis? Venturam illam appellat æternam damnationem, unde dicit Paulus apostolus : « Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus,multo magis, nunc reconciliati, salvi erimus ab ira per ipsum. » Et item : « Tu autem secundum duritiam tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei. » Nos vero qui peccavimus, et in usu malæ consuetudinis involuti sumus, quomodo ab ira extremæ ultionis evadere possimus,dicat sanctus Joannes nobis quid facere debeamus. Ait enim : « Facite dignos fructus pœnitentiæ.» In quibus verbis notandum quod beatus Joannes non tantum fructus pœnitentiæ, sed dignos fructus admonet esse faciendos; quia aliud est facere fructus pœnitentiæ, et aliud dignos pœnitentiæ fructus, nam non par studium debet esse illi qui multa, et illi qui pauca, et illi qui aliqua illicita commisit. Illi qui nulla commisit, jure conceditur ut licitis utatur; illi vero qui aliquid commisit necesse est ut tanto a se abscindat licita, quanto meminit se perpetrasse illicita. Hac sententia uniuscujusque nostrum conscientia constringitur; nam unusquisque nostrum tanto majora lucra sibi debet acquirere per pœnitentiam,quanto sibi majora damna intulit per culpam. Ille enim qui post actam pœnitentiam eadem vel similia committit pro quibus pœnitentiam gessit,aut dissimulat se agere pœnitentiam, aut ignorat.

HOMILIA IV.

In illud Matthæi : *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

Nativitatem Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, qua Dei Filius homo fieri dignatus est, Matthæus evangelista brevi quidem sermone, sed plena veritate descripsit.Cœpit namque ab Abraham generationem patrum describere, et perduxit eas usque ad Christum, et ut ostenderet quantum distaret Nativitas Domini nostri Jesu Christi a cæterorum hominum nativitate, subjunxit : « Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph. » Ostendit enim illos secundum solitam copulam maris et feminæ generantes et generatos; Justum vero nec generantem nec generatum, sed de Spiritu sancto ex Virgine conceptum et natum. Et quia Dei Filius nasciturus erat in carne, decebat ut non ex alia nasceretur, quam ex illa quæ virgo erat : et quia Virgo paritura erat, decebat ut non alium pareret quam qui Dei Filius esset.Sed sciendum quod beatus Matthæus non tempus, non locum, non ordinem conceptionis narrat, quæ omnia manifestissime beatus Lucas demonstrat cum dicit :«In mense sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ,cui nomen Nazareth,ad virginem desponsatam viro,cui nomen erat Joseph de domo David,et nomen virginis Maria, » Et quia Virgo paritura erat Dei Filium,decebat ut prius ab angelo salutaretur, deinde divina virtute illustraretur, ac sic demum Dei Filium in se susciperet. Quærendum nunc est quare Dominus noster Jesus Christus non de simplici virgine, sed ex desponsata nasci voluerit, et sciendum quod plurimæ rationabiles causæ a sanctis Patribus traduntur;verumtamen præcipuæ hæ sunt: Prima est ut per Joseph origo demonstraretur beatæ Mariæ,cum ambo de una eademque tribu fuerint; secunda,ne quasi adultera lapidaretur ab Judæis,si virum non haberet et filium procreasset; tertia, ut fugiens in Ægyptum haberet maritale solatium,quo sustentaretur,hoc est haberet virum qui Dominum in Ægyptum ferret et referret, et necessaria femineæ fragilitati subministraret, et fidelis custos et tutor integerrimæ virginitatis,et testis certissimus, et nutritius esset Domini fidissimus: quarta,quam addidit martyr Ignatius, ut partus ejus celaretur diabolo, id est ut non haberet diabolus suspectum partum,dum videret eum ex conjuge natum.Si enim de simplici virgine nasceretur, facile diabolus eum Dei Filium agnosceret, et nunquam crucifigeretur; unde est illud Apostoli :«Si enim agnovissent,nunquam majestatis Dominum crucifixissent.»Sequitur: « antequam convenirent.»Hoc verbum conveniendi, non ipsum concubitum, sed tempus significat nuptiarum,id est quando ea quæ fuerat sponsa incipit esse uxor; et est sensus : antequam convenirent,id

est antequam rite solemnia nuptiarum celebrarent; nam quod postea acceperit eam, evangelista in subsequentibus manifestat cum dicit, quia monente angelo accepit eam Joseph, et quia non concumbebant, idcirco subjungit : « et non cognoscebat eam. » Tamen « inventa est habens in utero, » et certe a nullo alio nisi ab Joseph, quia maritali sententia pene omnia futuræ conjugis noverat, et idcirco tumentem ejus uterum curioso deprehendebat intuitu. « Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. » Bene justus, quoniam justitiæ custos erat, videbat namque sponsam concepisse suam, quam noverat a nullo viro fuisse attactam; videbat gravidam, quam vere noverat castam, et quia legerat in propheta « de radice Jesse exiet virga, et flos de radice ejus ascendet, » et noverat beatam Mariam originem duxisse de stirpe David, qui fuit filius Jesse, legeratque etiam : « Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium, » idcirco non discredebat, vel diffidebat hanc prophetiam esse implendam in ea; et cum esset justus, et omnia juste vellet agere, dignum existimavit ut hæc nulli proderet, et tamen eam non acciperet uxorem, sed, mutat oproposito nuptiarum, dimitteret eam, ut maneret sponsa sicuti fuerat. Et hoc est quod dicit evangelista, « et nollet eam traducere, » id est palam facere, sed occulte voluit dimittere, id est tempus nuptiarum mutare : quod si fecisset, perpauci essent qui non magis autumarent eam meretricem quam virginem, et idcirco repente consilium Joseph divino mutatum est consilio, nam « hæc eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei. » Justo Joseph, juste omnia cogitanti, et disponenti bene justus directus est nuntius, qui ad conservandam Virginis famam monuit ut eam acciperet uxorem. Hinc beatissimus Ambrosius ait : Maluit Dominus quosdam de suo ortu, quam de matris pudore dubitare; maluit aliquos modum suæ conceptionis ignorare, quam castitatem suæ Genitricis infamare; hoc est magis elegit ut filius fabri diceretur, quam ut ejus mater adultera vocaretur. Per hoc vero quod angelus in somnis apparuit Joseph, requies designatur mentis, et quia requiescebat a curis sæcularibus, idcirco angelica visitatione pariter et locutione meruit perfrui. « Joseph, fili David, noli timere. » Blandientis affectu angelus alloquitur Joseph, cum eum proprio nomine, et filium David, vocat; erat enim filius David non tantum genere, sed fide et imitatione. « Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. » Monuit ut acciperet ad nomen conjugii, non ad operis officium; « quod enim natum est in ea de Spiritu snncto est; » et ut dignitas partus ostendatur ait : « Pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum, » hoc est totius mundi Salvatorem, et universorum salutis Auctorem. Salvat ipse quidem non infideles, non incredulos, sed populum suum, hoc est, in se credentem; salvat non tam a visibilibus hostibus, quam potius ab invisibilibus, hoc est a peccatis; salvat non armis pugnando, sed

A peccata relaxando. Quod autem tali nomine nuncupari debuisset, longe ante prædixerat per Isaiam cum ait : « Justus et salvans Dominus non est præter me. » Et quod tali nomine vocari debuisset, etiam antequam nasceretur ipse prædixit per prophetam: « De ventre matris meæ vocavit me Dominus nomine meo. « Sequitur : « Hoc totum autem factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam. » Quærendum est in hoc loco quare dixerit sanctus evangelista totum factum esse, cum superius solam narraverit conceptionem. Sciendum tamen quod idcirco sanctus evangelista totum factum esse dixit, ut per hoc demonstraret, quod ante in præscientia Dei totum factum fuit quam fieret apud homines, sive quia præteritarum rerum erat narrator, et ideo

B totum factum erat : mos namque fuit hujus sancti evangelistæ pene omnia quæ dixit exemplis Veteris Testamenti confirmare, maxime propter illos Judæos qui ita crediderunt in Dominum Jesum Christum, ut timerent recedere a carnali observatione legis, ut tanto facilius retraheret eos ab ipso timore, quanto jam viderent et agnoscerent ea esse completa in gratiam Evangelii, quæ prædicta vel gesta fuerant in Veteri Testamento: « Ecce Virgo in utero habebit. » Quod Virgo esset conceptura, et Dei Filius paritura multis demonstratur exemplis; Salomon enim dicit: « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. » Sapientia Christus est, de quo Apostolus dicit : « Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. » Hæc sapientia itaque ædificavit sibi domum, vel matrem de qua sumpsit carnem, vel corpus in Vir-

C gine, in quo apparuit visibiliter inter homines. Et Psalmista dicit : « Mater Sion dicet : Homo, » etc. Mater Sion ipsa est beata virgo Maria, et Christus « homo factus est in ea, » quia Filius Dei carnem sumpsit ex ea; « et ipse fundavit eam Altissimus, » quia ipse Altissimus, qui homo factus est, fecit sibi matrem, de quo nasceretur secundum humanitatem. Hinc et Isaias : « De radice, inquit, Jesse exiet virga, et flos de radice ejus ascendet. » De radice Jesse exivit virga, quia de stirpe David qui filius Jesse fuit, ut diximus, originem duxit beata Maria, quæ florem munditiæ, id est Dominum Jesum Christum, absque macula peccati concepit et genuit. Hæc est virga illa Aaron quæ fronduit, et frondes in amygdalum produxit; nam sicut illa absque humore ullo

D terræ flores et frondes in amygdalum produxit, ita et beata virgo Maria absque ullo humano semine concepit, et peperit Christum. Et bene Dominus noster Jesus Christus similatur amygdalo : nam sicut amygdalum constat ex osse, cortice, et medulla, ita Dominus noster Jesus Christus constat ex divinitate et humanitate, carne scilicet et anima, et qui absque humano semine natus est de Virgine, ideo per Prophetam loquitur dicens : « Ego autem sum vermis et non homo. » Nam sicut vermis ex ligno absque ullo semine nascitur, ita et Christus de Virgine. Inde est etiam quod secundum septuaginta Interpretes scarabeus de ligno clamat.

Quærendum est etiam quare dicat sanctus evangelista « habebit » cum propheta dicat « concipiet; » et sciendum quod quia propheta futura prædicabat, idcirco posuit « concipiet, » nam illud concipitur quod non habetur. Evangelista vero quia de præterito narrabat historiam, ideo mutavit « concipiet, » et posuit « habebit; » quoniam illud quod habetur jam non concipitur, sed tenetur. Quod autem dicit: « Vocabitur nomen ejus Emmanuel, » putandum est hoc nomen sic interpretatum fuisse ab aliquo translatore, non a propheta vel evangelista, ne hoc haberetur obscurum vel confusum apud Latinos. Hoc namque nomine duæ substantiæ Domini nostri Jesu Christi, divinitatis scilicet et humanitatis in una persona designantur, quia qui ante omnia sæcula ineffabiliter genitus est a Deo Patre, idem ipse in fine temporum factus est Emmanuel, id est « Nobiscum Deus » ex Virgine matre. Quod autem dicitur « Nobiscum Deus, » potest intelligi hoc modo: Nobiscum factus est, hoc est passibilis, mortalis, esuriens, sitiens, lassescens, et per omnia nostri similis absque peccati affectione: sive « Emmanuel » hoc est nobiscum Deus factus est, quia substantiam nostræ fragilitatis, quam assumpsit, substantiæ suæ divinitatis in unitate personæ univit et conjunxit, quando « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; » ut mirum in modum inciperet esse quod nos sumus, nec tamen desineret esse quod erat. « Exsurgens autem a somno Joseph fecit quod præcepit ei angelus Domini. » Eo ipso aditu redit vita, quo ingressa est mors, id est per virginem feminam, et per obedientem virum. De virgine terra creatus est Adam, de virgine femina natus est Christus. Per inobedientiam Adæ omnes perditi sumus, per bonum obedientiæ Joseph omnes ad pristinum statum revocamur; nam his verbis magna nobis virtus obedientiæ commendatur, quibus dicitur: fecit sicut præcepit ei angelus Domini; accepit videlicet Mariam celebratis nuptiis, atque accepit, ut ea conjux vocaretur, non ut tamen concumberent, quia sequitur: « et non cognoscebat eam. » Fuerunt quoque nonnulli qui dixerant quod Joseph non celebratis nuptiis beatam Mariam accepit, sed bene ait Beda: Ille qui hoc didicit ostendat ubi licitum fuit unquam apud Judæos quod sponsi et sponsæ simul convenirent absque celebratione nuptiarum, et si ostenderit, nos sano ejus sensui cedimus; tantum videat ne aliquod tale proferat, quod matrem Domini infamet; et cum hoc ostendere non potuerit, nostræ credat assertioni. Et « non cognoscebat eam. » Hoc verbum *cognosco* aliquando in sacris Scripturis pro cognitione ponitur, ut illud: « Cognovit Joseph fratres suos, ipse tamen non est agnitus ab eis: » et item: « Remansit puer Jesus in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus. » Pro concubitu etiam ponitur, ut illud: « Cognovit Adam adhuc etiam uxorem suam, et genuit ex ea filios et filias. » Sic et in hoc loco pro concubitu ponitur et « non cognoscebat eam, » id est non concumbebat cum ea « donec peperit filium suum primogenitum. » Fuerunt præterea nonnulli hæretici qui dixerunt quod Joseph et beata Maria post natum Dominum simul convenissent, et filios eos procreassent, quos sancti evangelistæ fratres Domini appellant, et ad suum errorem confirmandum sumpserunt hoc testimonium dicentes, quod nequaquam sanctus evangelista dixisset « donec, » nisi post Dominum natum simul convenissent. Sed procul repellat Deus hunc errorem a cordibus fidelium; sciendum namque est quod sanctus evangelista illo tempore, scilicet ante partum, negare studuit quod Joseph non cognovit eam, ne aliqua suspicio posset oriri; post partum vero nullum dubium esse credidit quod non convenerint, ideoque negare non curaverit. Si enim illa legalis Maria, postquam divino meruit perfrui eloquio, carnali non legitur copulæ permista; Noe etiam et Moyses postquam divinis perfrui eloquiis meruerunt non concubuisse leguntur, quis sanæ fidei audeat dicere hanc evangelicam Mariam, et hunc evangelicum virum Joseph scilicet post natum Dominum convenisse, præsertim cum illis in castitate permanentibus singulari gratia natus est Dei Filius? Verumtamen sciendum quia solet « donec » pro infinito accipi, ut est illud: « donec senescaris ego sum. » Nunquid, postquam ille senuerit, desiit esse Deus? Non; sed sic est intelligendum: Ego semper ero etiam postquam vos senueritis. Et item: « Vivo ego, dicit Dominus; non delebitur hoc peccatum vestrum donec moriamini. » Nunquid postquam mortui erunt, deletum est peccatum eorum? Non; si enim ante non est deletum, post mortem minime. Et Psalmista inquit: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. » Nunquid postquam facti sunt inimici illius scabellum pedum ejus, desiit Filius sedere a dextris Patris? Non; sed talis est sensus: Inimici quidem tui pedibus tuis subjicientur, et tu a dextris meis semper sedebis. Et in Evangelio legitur: « Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. » Et est sensus: quia nunquam reddes, nunquam exies. Sic et in hoc loco pro infinito accipitur: « et non cognoscebat eam donec peperit filium suum, » id est nunquam cognoscebat. Sciendum est præterea quia fuerunt nonnulli hæretici qui dixerunt Dei Filium non veram carnem ex Virgine sumpsisse, sed imaginarium corpus habuisse, ideoque addidit « suum, » hoc est proprium, non adoptivum, non aliunde, neque ex nihilo, sed ex sua substantia, et sancto Spiritu conceptum et natum. Sequitur « primogenitum. » Non etiam defuere hæretici qui ad confirmandam sententiam sui erroris hoc verbum asumpserunt dicentes, quod nequaquam sanctus evangelista dixisset « primogenitum, » nisi is habuisset fratres; falso tamen, nam primogenitus dicitur non ille solummodo quem fratres sequuntur, sed qui primus nascitur, sive non. Legis namque præceptum fuit ut « omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocaretur, et omnia pri-

mogenita Deo in templo offerrentur, et septem diebus essent sub uberibus matrum, octava die vero offerrentur Domino. » Et nunquid illa solummodo primogenita offerebantur quæ fratres sequebantur? Non, sed omnia quæ primo nascebantur. Et item legitur quia« percussit Deus primogenitum in terra Ægypti : » et nunquid illa solummodo primogenita percussit,quæ fratres fuerant secuti ? Non,sed omnia quæ primo nata sunt tam de hominibus quam de animalibus. Ergo omnis unigenitus recte potest dici primogenitus ; verumtamen non omnis primogenitus dicitur unigenitus. Dominus igitur Jesus Christus cum sit unigenitus bene dicitur primogenitus, quia primus de Virgine est natus,et natus quidem non devirginavit matrem, quæ virgo semper permansit ; de ea namque scriptum est :Porta hæc B clausa erit, et vir non transibit per eam : solus Dominus egredietur per eam,et erit semper clausa. Et quid mirum si unigenitus Dei Filius primogenitus dicitur eo quod primus natus sit de Virgine ? cum etiam primogenitus mortuorum dicatur, unde est illud : « Ipse est testis fidelis primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ. » Bene quidem primogenitus mortuorum dicitur,quia ipse primus a mortuis resurrexit, et nobis aditum resurgendi de morte ad vitam dedit.Dicitur etiam «primogenitus in multis fratribus, » ut illud Apostoli : «Quos autem præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui,ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.»In quibus multis?In illis videlicet de quibus Joannes apostolus ait:«Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.»Et sciendum quia non solum dicitur primogenitus in illis qui post eum fuerunt, sed etiam in illis qui ante ejus nativitatem exstiterunt,qui bene utique possent dicere cum Joanne : « Post nos venit vir qui ante nos factus est,» atque etsi post nos natus est,tamen potentia suæ divinitatis nos præcessit.Primogenitus etiam dici potest secundum ipsam naturam divinitatis, ut illud : « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam » Sapientia loquitur, et sapientia Christus est,de quo Apostolus : « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. » Hunc Christum Dei virtutem et Dei sapientiam Virgo mater in fine temporum concepit et peperit, quem Deus Pater ante omnia sæcula ineffabiliter genuit. Præterea dicitur primogenitus eo quod ipse primus aperuit D vulvam sanctæ Matris Ecclesiæ ad procreandos Deo filios per aquam baptismatis. « Et vocavit nomen ejus Jesum.» Liquet hoc nomen fuisse notissimum sanctis Patribus et Dei prophetis, et maxime illi qui dicebat :«Defecit in salutare tuum anima mea;» id est in considerando salutare tuum anima mea defecit ;et item : « exsultavit cor meum in salutari tuo , » nec non illi qui dicebat : «Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. » Et permaximum est illud : « Deus, in nomine tuo salvum me fac, » id est gloriam tui nominis quo Sal-A vator diceris in me salvando glorifica,ut tuum nomen sit super me.

HOMILIA V.

In illud Matthæi : *Dicebat Jesus turbis Judæorum: Ecce mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas*, etc.

Quod autem superius dicit :« Implete mensuram patrum vestrorum,» ad personam Christi pertinere videtur, quoniam ipse ab illis occidendus erat,sive potest referri ad apostolos, de quibus nunc dicit : « Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, sapientes et scribas,»ut scilicet impleatis mensuram patrum vestrorum, et illos occidendo ostendamini vos esse filios homicidarum, et convincamini falso ornare sepulcra prophetarum. Prophetæ enim non solum illi dicti sunt qui incarnationem Domini venturam prædixerunt,sed etiam illi qui cœlestis regni gaudia annuntiant,et Scripturas interpretantur; de quibus dicit Apostolus : « Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri autem dijudicent. » Quidam enim prophetas Veteris Testamenti autumant esse præferendos apostolis in ordine catalogi ; sed sciendum est quia prophetas, sapientes et scribas Dominus apostolos suos appellavit ;prophetæ enim dicti sunt quia prophetico spiritu erant repleti ; sapientes erant, quia eruditi fuerant cœlesti doctrina, id est Evangelii gratia : unde et prophetas ait, ut eruditos corde in sapientia ; scribæ vero erant quia de thesauris suis nova et vetera proferebant. « Et ex illis occidetis, » sicut Paulum et Jacobum,« et crucifigetis, »quemadmodum Petrum et Andream, «et flagellabitis in C synagogis vestris,» quemadmodum omnes apostoli leguntur flagellati,de quibus in Actibus apostolorum dicitur: quoniam gaudentes ibant flagellati a conspectu concilii. « Et persequemini de civitate in civitatem :» et est sensus : Persequemini,inquam, et expulsi eritis a finibus Judææ ut congruo tempore digna fiat transmigratio ad gentes ad seminandum Evangelium Christi. « Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram ; a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ. » Quis autem fuerit iste Abel non solum hac Domini sententia, sed etiam testimonio libri Genesis comprobatur,ubi ejus munera Deo accepta fuisse narrantur. Sic enim scriptum est :«Respexit Dominus ad Abel et ad munera ipsius; » prius enim dicitur Deum respexisse ad Abel, deinde ad munera ejus, ideoque justus deprehenditur. Sed solerter investigandum est quis fuerit iste Zacharias, nam multos legimus Zacharias. Appellatus namque est Zacharias ille penultimus duodecim prophetarum.Zacharias etiam dictus est pater Joannis, et similiter Zacharias vocatus est ille Joiadæ sacerdotis ; sed ille penultimus duodedim prophetarum nusquam legitur occisus, atque etsi nonnulli dicant quod Zacharias pater Joannis occisus sit inter templum et altare, eo quod Christi adventum futurum prædixit, hoc tamen in divinis litteris non invenitur, et ne libera

facultas errandi daretur per diversos, ideo signanter addidit Dominus : « quem occidistis inter templum et altare. » Congruentius ergo Zacharias intelligi potest ille filius Joiadæ sacerdotis, quem Joas, rex Judæ, interfecit inter templum et altare. Sed quærendum est quomodo Dominus hic eum filium Barachiæ nominet, cum, sicut in libro Regnum legitur, filius fuerit Joiadæ sacerdotis : sic enim legitur : « Non est recordatus Joas Joiadæ patris ejus quæ sibi fecisset bona. » Solvitur hæc quæstio ita : aut is certe duo nomina secundum consuetudinem suæ gentis habuit, aut solvitur interpretatione nominum. Barachias enim interpretatur *benedictus Domini*, Joiadas vero *Dei justitia;* nihil ergo interest sive dicatur filius fuisse Barachiæ, id est benedicti Domini, sive Joiadæ, id est justi Domini, quoniam unum est. Dominus ergo ob magnitudinem ejus, et ad laudem ipsius vocavit illum filium Barachiæ, id est benedicti Domini. Rursus quærendum est quomodo dicat Dominus omnem sanguinem justorum quærendum esse ab Abel justo usque ad sanguinem Zachariæ filium Barachiæ super generationem Judæorum cum ipsi neutrum eorum occiderint, scilicet nec Abel, nec Zachariam. Nunquid merita omnium generationum ac subsequentium una generatio persolvet? non enim æquum est ut alter pro alterius peccatis puniatur. Sciendum est ergo quia moris est sacrarum Scripturarum duas generationes narrare, unam bonam et alteram malam, unam justorum, et alteram impiorum ; Christus enim est caput omnium electorum, et omnes electi membra sunt illius, ac per hoc omnium electorum ab Abel usque ad finem sæculi, quasi una erit generatio. Diabolus vero caput est omnium iniquorum, et omnes iniqui membra sunt ipsius ; omnium ergo impiorum a Cain usque ad finem sæculi, una erit generatio ; de bona namque generatione scriptum est : « Generatio rectorum benedicetur, » et iterum : « Hæc est generatio quærentium Dominum ; » de mala autem dicit : « Generatio mala et perversa, hæc Domino retribuisti, » et item : « Generatio cujus oculi sublimes, et cujus palpebræ in altum erectæ. » Hæc enim sunt illæ duæ civitates, una Christi, altera diaboli, id est una Hierusalem visio pacis, et Babylon civitas confusionis. Pulchre ergo omnis sanguis justorum qui effusus est ab Abel justo usque ad sanguinem Zachariæ requiretur super generationem iniquorum. Iterum quærendum est quomodo dicat omnem sanguinem justorum requirendum esse ab Abel tantum, usque ad Zachariam filium Barachiæ. Cur autem ab Abel, non est mirum, sed valde mirum est quomodo usque ad sanguinem Zachariæ, cum plurimorum sanctorum sanguis postea effusus sit innocentium, et ipsius Christi, et apostolorum nec non et innumerabilium martyrum, et effundetur usque ad finem sæculi. Solvitur autem sic : Abel pastor ovium fuit, et in campo occisus, Zacharias fuit sacerdos, et in atrio templi Domini interfectus. Ideo ergo Dominus hos duos memoravit, quoniam omnes sancti martyres per istos designantur laicalis et sacerdotalis ordinis. Zacharias autem interpretatur memoria Domini, unde et pulchre per ipsum omnes electi designantur, etiam et ille qui in fine mundi nasciturus est, quippe memor Domini erit. Sequitur : « Amen dico vobis, venient hæc super generationem istam, » id est ultio et vindicta justorum, quorum sanguis effusus est super terram, et requiretur non solum super Judæos, sed etiam super omnes iniquos, ut æquales sint ad perferenda justi judicii supplicia, qui pares fuerunt impietatis culpa. « Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt. » Hierusalem quoque Dominus non saxa, non ædificia sed habitatores civitatis illius appellat ; plangit quippe super eam patris affectu, unde, sicut alter evangelista refert, Jesus « videns civitatem flevit super illam dicens : quia si cognovisses et tu ; » prævidens namque Dominus plagam et ruinam illi perfidæ civitati futuram, nec temporalem solum, quæ a Romanis ventura erat, sed etiam illam quam in æterna damnatione erat habitura, ideo patrio affectu deplorans condolendo alloquitur et dicit : « Hierusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, » ac subjungit : « quotiens volui congregare filios tuos ; » in quo ostendit omnes retro prophetas a se directos fuisse, et destruuntur idcirco hæretici qui dixerunt Dominum sumpsisse initium sui ex Virgine, et alium fuisse Deum Veteris, alium Novi Testamenti, quoniam ille idem erat qui prophetas ante Virginem direxit. Addit : « Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, » et bene hanc similitudinem assumit, hoc enim animal magnum affectum habet circa filios ; ceteræ enim aves, etsi filios habeant, non facile possunt agnosci esse matres, nisi forte in nidis residere videantur. Gallinam vero, etsi pulli non sequantur et filios non videas, facile potes agnoscere matrem, ita enim fit alis demissis, plumis hispida, voce rauca, omnibusque membris dissoluta et abjecta, ut infirmitate filiorum cum sit affecta, et ipsa infirmetur ; alis etiam præterea filios protegit, et pugnam init adversus milvum. Sapientia ergo Dei Patris, quæ est mater omnium nostrum, Dominus scilicet Jesus Christus propter infirmitatem assumptæ carnis gallinæ se assimilavit, unde Apostolus dicit : « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus ; » infirmari quippe voluit ut nos sua virtute protegeret, nec diabolus raperet quos ipse defendit ; nam quod gallina naturæ affectu pugnam init adversus milvum, hoc Dominus propria sua potestate agit adversus diabolum. Et ut ostenderet Dominus quem affectum haberet erga salutem humani generis, et specialiter illius Judaici populi, ad quem loquebatur, gallinæ se assimilavit. Sed quærendum est quid sit quod Dominus dicit : « Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina, et noluisti ; » sic enim videntur verba sonare, ac si voluntas Dei superata sit a voluntate iniquorum hominum, et infirmissimis nolendo impedientibus, Omnipotentis-

simus non potuerit facere quod voluerit. Ubi est ergo illa omnipotentia de qua scriptum est: « Omnia quæcunque voluit fecit? » Non enim ait quædam fecit quæ voluit, sed omnia. Intelligendum est enim quia quotiens volui congregare filios tuos et noluisti, ego quos volui te nolente de filiis congregavi. Sequitur: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta; » et notandum quia non ait mea, sed vestra, et ideo deserta, ac si diceret: Non estis digni mea protectione, hinc est quod voces angelorum insonuerunt dicentes: Transeamus ab his sedibus. Hoc etiam antea longe prædictum fuerat a Jeremia propheta dicente: « Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. » Hierusalem quoque Dominus, quam secundum alterum Evangelium nidum appellat, hic domum nominat, quæ suo merito, divino auxilio denudata, suæ ditioni est derelicta, quia non solum protegi despexit alis illius potentissimæ avis, quam gallinam nominat, sed etiam ipsa avis, id est Christus, a duabus vulpibus est tradita, hoc est Herode, et Pilato, et ideo Romani quasi vacuam domum, et nidum invidentes omnia diripuerunt, id est et locum, et gentem, et regnum. « Dico enim vobis, non me videbitis amodo. » Ad Hierusalem quoque, et ad populum Judaicum loqui pergebat Dominus, ac si diceret: nisi pœnitentiam egeritis, et me confessi fueritis illum esse de quo prophetæ cecinerunt Omnipotentis Dei Filium, non me videbitis, id est cognitionem meam non habebitis; id quod nonnulli intelligunt de secundo Domini adventu, quando venturus est in claritate, ut sit sensus: non me videbitis amodo, scilicet non me videbitis venturum in claritate, sed terribilem, habent enim etiam nunc Judæi tempus pœnitentiæ concessum. Confiteantur ergo Christum esse Dei Filium, et dicant: « Benedictus qui venit in nomine Domini, » et faciam ipsius videbunt, id est cognitionem ejus habere potuerunt, qui vivit et regnat, etc.

HOMILIA VI.

In illud Matthæi: *Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens: Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel.*

Primo omnium quærendum est quare dicat Matthæus Herodem defunctum, cum Lucas dicat Joannem sub Herode cœpisse prædicare. Solvitur hæc questio tamen in duobus hominibus unum nomen habentibus; duo enim fuerunt Herodes, id est pater et filius; nam quando Joseph in Ægypto fuit, Herodes pater regnabat; quando vero reversus est, Archelaus, filius ejus, potiebatur regno; et quando Joannes cœpit prædicare, Herodes filius præerat Galilææ, unde Matthæus istum regem nominat, Lucas illum tetrarcham. Item quærendum est quare dicat Matthæus Joseph timore Archelai secessisse in Galilæam, cum Lucas dicat Herodem præesse Galilææ, et quare magis debuit timere Archelaum quam Herodem, cum fratres essent, et unius patris filii. Solvitur hæc quæstio in mutatione temporum, nam alio tempore regnavit Archelaus in Judæa, et alio tempore præfuit Herodes Galilææ. Nam quando Herodes de Ægypto reversus est, Archelaus regnabat super Judæam, et Herodes nondum præerat Galilææ, et idcirco parentes Domini secure potuerunt habitare in Galilæa. Item quæri potest quare dicat Matthæus Joseph timore Archelai secessisse in Galilæam, et habitasse in Nazareth, cum Lucas videatur dicere quod gratia propriæ civitatis descendisset in Galilæam, et habitasset Nazareth, sed solvitur sic: quando Joseph admonitus est in Ægypto ab angelo ut reverteretur in terram Israel, intellexit ille terram Israel dici terram Judæam, sed postquam reversus est audivit quod Archelaus regnaret ibi, et tunc intellexit terram Israel non solum Judæam, sed etiam et Galilæam, quia Israelitæ eam incolebant. Nunquid errore angeli hoc factum est? Non, sed Joseph; quia quando angelus admonuit eum ut reverteretur in terram Israel, non dixit proprie ad quem locum declinare debuisset, sive quia credidit Joseph quod puer tantæ auctoritatis non debuisset alicubi nutriri nisi in egregia urbe in qua rex, principes sacerdotum, et legis doctores erant, et idcirco Hierusalem ascendere voluit; sed postquam audivit quod Archelaus regnaret ibi, cæpit angustiari, et ideo secundo admonuit angelus eum ut reverteretur in Galilæam. Item quærendum est quare dicat Lucas parentes Domini per omnes annos ascendisse Hierosolymam, cum Matthæus dicat Joseph timore Archelai secessisse in Galilæam. Quomodo ergo per omnes annos ascenderunt, si timore Archelai non ausi sunt ibi habitare? Solvitur tamen sic: quod fortassis scilicet Archelaus parvo tempore regnavit, et ideo parentes Domini per omnes annos secure potuerunt ascendere Hierusalem; nam, sicut narrat Josephus historiographus, vix decem annis potitus regno accusatus est ab Judæis apud Cæsarem propter nimiam insolentiam et ferocitatem animi, et relegatus est exsilio apud Viennam civitatem. Sed forte dicet aliquis quod Archelaus multo tempore regnavit. Ad hæc respondendum est ita: Solent homines visitare loca ad tempus, in quibus non audent semper habitare. Parentes enim nostri Salvatoris sic timebant Archelaum ut non essent contemptores legis et ideo per omnes annos Hierusalem ascendere potuerunt, ubi non semper ausi erant habitare, sive inter plurimam turbam populorum ascendere potuerunt, ut non agnoscerentur. Item quæri potest quare dicat Lucas evangelista Dominum quadragesimo die in templo præsentatum, et munera pro eo oblata: et Matthæus dicat Herodem turbatum venientibus magis, et nuntiantibus regem Judæorum esse natum. Si Herodes propter relatum magorum turbatus est, quomodo parentes Jesu ausi sunt ascendere ad templum? Si quis aliquantulam experientiam humanarum rerum habet, non ignorat quod corda regum diversis curis et sollicitudinibus præoccupata sunt, maxime illorum qui sunt constituti sub imperio alterius. Quis enim scire potest quanta iste audierit aut ex parte Cæsaris, aut ex parte hostium,

aut aliqua majore causa præoccupatus, et ideo magos oblivioni tradidit ad tempus, et ideo parentes Domini securi ascendere potuerunt ad templum; sive credidit Herodes quod magi non invenissent puerum, et ideo verecundati fuissent reverti ad se, et idcirco non curavit quærere puerum. Sed postquam pervenit fama ad aures illius quia puer delatus fuisset ad templum, et munera pro eo oblata, et Simeon et Anna multa de eo prophetassent, tunc cognovit se delusum a magis, et iratus est valde. In eo quod Dominus fugit, nobis exemplum reliquit fugiendi, reprehensibile enim videretur apud sanctos suos, si ipsi fugerent, et ille prius non fugisset; nam quod prius exemplo ostendit, postea verbis docuit cum ait : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. » Per hoc quod parvuli occisi sunt, et puer Jesus qui quærebatur vivus evasit, significabatur quia corpora sanctorum martyrum poterunt occidi, sed fides quæ in illis erat nullo modo posset exstingui, qui veraciter poterant dicere cum Paulo : « Sive vivimus Domino vivimus, sive morimur Domino morimur, sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus. » Per hoc quod Joseph propter persecutionem Herodis fugit in Ægyptum, et exstincto illo reversus est in terram Israel significabatur quod multi sanctorum expellendi erant ex suis sedibus, et nonnulli etiam exsilio relegandi, et exstinctis persecutoribus, et, denuo reddita pace Ecclesiæ, reversuri erant ad proprias sedes. Nam quod puer Jesus quærendus esset ab Herode, et non inveniendus antea jam prædictum fuit; prædixit enim hoc Salomon in persona Ecclesiæ cum ait : « Quis dabit tibi fratuelem meum sugentem ubera matris suæ? » Quibus verbis ostendit impossibilitatem inveniendi Christum; et Psalmista ait : « Ex utero, de ventre matris meæ tu es meus protector; » et Dominus per Salomonem : « Quærent me et non invenient; « et subauditur mali; et Moyses hoc ipsum mysticis verbis prædixit cum ait : « Non coques hædum in lacte matris suæ, » quibus verbis ostendit Christum non in infantia, neque in pueritia, sed in perfecta ætate crucifigendum. Per hædum peccatores intelliguntur, et ideo Dominus hædus dicitur, quia similitudinem carnis peccati sumpsit, sive quia obtulit se hostiam Deo in ara crucis pro nobis. « Defuncti sunt qui quærebant animam pueri. » Quærendum est quare dicit pluraliter defuncti sunt, cum superius solum Herodem narraverit quæsisse animam pueri. Solvitur hæc quæstio tamen duobus modis: aut certe locutus fuit sanctus evangelista per speciem tropi, quando multi ponuntur pro uno, aut certe datur intelligi quia non solum Herodes, sed multi Judæorum consentientes fuerunt in nece Salvatoris. Sed cum multi fuerunt, quærendum est quomodo in tam brevi spatio exstincti sunt. Quomodo vero exstincti sint narrat historia ecclesiastica; dicit enim quia Herodes propter necem parvulorum diversis cruciatibus vexabatur : assidue enim cruciabatur febre, et creberrimo dolore coli, tumore pedum, et inter cætera, verenda illius vermibus scatere cœperant; et cum adhuc haberet spem vivendi, deportatus est in Jerichum : accepto vero consilio medicorum utebatur aquis calidis, et introivit in oleum calidum; unde adeo sunt resoluta omnia membra illius, ut etiam ipsi oculi a propriis sedibus expelli viderentur, et tanta aviditas manducandi in illo fuit, ut omnes pene coqui ejus vix possent tanta præparare, quanta ipse manducare, et cum jam desperatus esset de salute corporis sui, jussit colligi ad se omnes nobiliores et primarios de vicis, castellis et civitatibus totius Judææ, et jussit eos recludi in loco qui dicitur hippodromus; et cum videret sibi imminere diem mortis suæ, vocavit sororem suam Salome, et virum ejus Alexandrum, et dixit illis : Scio quidem Judæos gavisuros de morte mea, sed potero habere multos lugentes, et nobiles exsequias funeris, si meis volueritis præceptis obedire, cumque me audieritis mortuum, præparatis militibus, interficite omnes, quos ego habeo reclusos in custodia, ut omnis domus, et omnis Judæa etiam invita defleat obitum meum. Habebat is præterea consuetudinem ut post omnem cibum purgaret ipse malum et comederet: quod cum fecisset quadam die aspexit huc et illuc ut videret si esset aliquis qui eum prohiberet: cumque neminem vidisset, vibrato cultello percussit pectus suum et cecidit mortuus. Hoc facto occisi sunt omnes qui tenebantur in custodia, et sic factum est ut subito exstinguerentur omnes qui quæsierunt animam pueri. In eo quod dicit sanctus evangelista animam pueri, destruuntur hæretici qui dixerunt Christum non sumpsisse animam, sed loco animæ habuisse divinitatem. Sed quia totus homo perierat, idcirco Dei Filius totum suscepit ut utrumque redimeret, id est animam et carnem. Et quod ille veram animam habuerit, ipse manifestat cum ait : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. » Et item : « Nemo tollet animam meam a me. » Et iterum : « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Et evangelista : « Inclinato capite, Jesus tradidit spiritum. » Sequitur : « Qui consurgens accepit puerum. » Per hoc quod Joseph exstincto Herode reversus est in terram Israel significabatur, quia postquam exstincta fuerit invidia in cordibus Judæorum circa finem sæculi, prædicantibus Elia et Henoc, Dominus visitabit Judæam in suis prædicatoribus. Sequitur : « Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa. » Archelaus interpretatur *agnoscens leo;* et significat illum leonem de quo Petrus ait : « Solliciti estote et vigilate quia adversarius vester tanquam leo rugiens circuit. » Per illam partem populi in qua non ausus fuerit habitare Joseph, designantur illi qui circa finem sæculi suscipient Antichristum, in quibus habitabit Archelaus, id est diabolus; per illam vero partem in qua secure habitabat Joseph, designantur qui circa finem sæculi, prædicantibus Elia et Henoc, suscipient Christum,

in quibus secure habitabit Joseph, ordo scilicet prædicatorum; unde bene Galilæa transmigratio, sive revelatio facta interpretatur. Nazareth dicitur flos, sive mundus, nam sancta Ecclesia quanto magis de visibilibus ad invisibilia, de terrenis ad cœlestia transit, tanto magis abundat floribus virtutum. Sequitur : « Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas. » Dicit beatus Hieronymus quia si fixum testimonium posuisset evangelista de Scripturis, non diceretur hic pluraliter per prophetas, sed per prophetam, et quia fixum testimonium non reperit, ideo dixit per prophetas; omnes enim prophetæ Christum Nazarenum, hoc est sanctum, justum, et mundum prædixerunt venturum. Nam invenitur aliquid simile huic in verbis Isaiæ prophetæ in Hebraica veritate. Ait enim : « Exiet virga de radice Jesse, et Nazareus de radice ejus ascendet. « Dictus est Jesus Nazarenus a loco, id est a parva civitate in qua conspectus est et nutritus. Dicitur etiam Nazareus ab officio; omnes enim illi Nazareni dicebantur qui vota Domino vovebant, et se ipsos castos se custodiebant, et super quorum capita novacula non ascendebat usque ad tempus constitutum. Et iste pulchre Nazareus dictus est, quia de eo scriptum est : « Votum vovit Deo Jacob. » Votum vovit Deo Patri ut veniret, et redimeret genus humanus : venit et redemit. Ipse etiam de se ipso dicit : « Caput meum plenum rore, et crines mei guttis noctium, » in quo ab ipso habitu capitis ostendit se verum Nazareum. Et hoc sciendum quia omnes illi Nazareni in Veteri Testamento figuram istius veri Nazareni gerebant, qui est Nazareus Nazarenorum, id est Sanctus sanctorum, et maxime ille fortissimus Samson pene in omnibus actibus suis figuram istius gessit. Nam sicut ille habuit septem crines, ita et iste habuit septiformem spiritum; et sicut ille occidit leonem, et mel de ore ipsius abstraxit et comedit, sic et iste interfecit diabolum, et sanctam Ecclesiam de ore ejus rapuit, cujus dulcedine bonorum delectatur. Et sicut ille clausus in Gaza media nocte surgens portas ipsius civitatis abstulit, et verticem montis conscendit, sic et Dominus clausus in sepulcro mortis imperium destruxit, et tertia die resurrexit, ac cœlum conscendit : et sicut ille plures interfecit moriens quam vivens, sic et iste plures occidit post passionem quam ante, id est plures fecit converti ad fidem, ut inciperent esse quod non erant, et desinerent esse quod erant.

HOMILIA VII.

IN ILLUD MATTHÆI : *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam*, etc.

Usus est sacrarum Scripturarum in principio rei narrandæ tria ponere, personam scilicet, locum et tempus; et secundum hunc usum et consuetudinem sanctus evangelista in principio hujus evangelicæ lectionis hæc tria posuit. Personam posuit cum dixit : « Cum natus esset Jesus, » locum cum ait : « in Bethlehem Judæ, » tempus ostendit cum addidit : « in diebus Herodis regis, » et hæc tria ad confirmationem narrandæ rei ponuntur. Bethlehem prius dicta est Euphrata, sed postquam Jacob patriarcha pavit ibi pecora sua, videns per Spiritum sanctum quod ibi nasciturus esset Dominus, mutavit nomen illius, et vocavit Bethlehem, id est domum panis : et bene domus panis dicta est, quia ibi nasciturus erat ille qui de se ipso ait : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. » Dicit enim beatus Hieronymus « Judæ » legendum esse, non « Judææ, » quoniam nulla est aliarum gentium Bethlehem, ad cujus distinctionem sanctus evangelista dixisset Judææ. Verumtamen est altera Bethlehem in Galilæa, ob cujus distinctionem dixit Judæ, ut demonstraret quod in Bethlehem natus esset Dominus, quæ est in tribu Juda. « In diebus Herodis, » sanctus evangelista Matthæus hujus alienigenæ regis, Herodis scilicet mentionem ideo fecit, ut ostenderet impletam illam prophetiam Jacob qua dicitur : « Non auferetur sceptrum de Juda. » Iste Herodes alienigena fuit, patre Idumæo, et matre Philistæa. Hunc nutrivit Hircanus, qui fuit ultimus princeps Judæorum, qui cum frequenter mitteret eum Romam ad Cæsarem accepto consilio a Cæsare, et consiliaris ejus, callide occidit eum, et regnum suscepit. Hujus itaque tricesimo primo regni anno natus est Christus. Sed forte quæret aliquis quomodo dicitur « donec veniat » cum non mox sublato sceptro venerit; sed sciendum quod cum aliquoties donec ponitur, aliquid intervallum intelligitur. Nulla est ergo contrarietas, quia jamjamque imminebat ut veniret qui mittendus erat. Ut igitur impleretur, divinitus procuratum est ut ille Hircanus moreretur, et succederet ei Herodes alienigena. Sequitur : « Ecce magi venerunt ab Oriente. » Quærendum nunc ergo est qui fuerint isti magi, vel unde venerint; sciendum est autem quia varia est opinio magorum apud doctores. Nam alii dicunt illos fuisse Chaldæos, Chaldæi enim stellam pro Deo colebant, et idcirco dixerunt quod nuncupativus deus eorum ostenderit verum Deum natum. Alii dicunt Persas fuisse propter illum Metrocarii versum:

Tunc jubet et Persas celerem protendere gressum.

Nonnulli dicunt illos de ultimis finibus terræ fuisse, sed quærendum est si Chaldæi, vel Persæ aut de ultimis finibus terræ fuerunt, quomodo in tam brevi spatio Hierosolymam venire potuerunt, cum multa maria, multi montes, et multæ regiones sint intermediæ. Sciendum est autem quia illi qui hoc dicunt solent objicere, quia tunc talis natus est puer, qualis nec ante, nec post; et idcirco facile eos potuit in tam brevi spatio etiam de ultimis finibus terræ ad se perducere; legimus enim breve iter prolongatum, et longum breviatum. Breve iter est de Ægypto in terram repromissionis, quadraginta scilicet dierum, et tamen prolongatum fuit quadraginta annis. Longum iter est de Judæa in Babylonem, breviatum vero fuit; legitur enim quod in momento unius horæ deportatus sit Habacuc propheta ab angelo de Judæa illuc. Alii dicunt eos fuisse nepotes Balaam, quod

magis est credendum; Balaam enim multa prophetavit de Christo, et inter cætera dixit : « Orietur stella ex Jacob. » Illi vero habentes hanc prophetiam, mox ut viderunt stellam novam, intellexerunt regem natum, et venerunt. Et quia regio istorum non longe distat a terra repromissionis filiorum Israel, idcirco in tam brevi spatio temporis Hierusalem venire potuerunt: legitur enim quia postqam filii Israel venerunt ad terminos Ammonitarum non longum post tempus ingressi sunt in terram repromissionis. Sed si nepotes Balaam fuerunt, quærendum est quare dicat sanctus evangelista illos venisse ab Oriente. Et sciendum quia quicunque ab illa regione venit, quæ in orientali parte posita est, bene ab Oriente venire dicitur. Et ob hoc magis credendum est quod nepotes fuissent Balaam, quia regio Ammonitarum vicina erat terræ Judæorum. Spiritaliter vero pulchre isti magi ab Oriente dicuntur advenisse, quia omnes qui ad Deum veniunt, ab ipso et per ipsum veniunt, ipse est enim oriens, ut illud : « Ecce vir oriens nomen ejus; » et: « Vobis qui timetis Deum orietur Sol justitiæ. » Ergo ad hunc Orientem nemo potest pervenire, nisi veniat ab Oriente, quia sicut ipse dicit : « Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum ; » et item : « Nemo venit ad Patrem nisi per me. » Sequitur : « Venerunt Hierosolymam. » Hanc urbem tradunt Hebræi Sem primitivum Noe, qui et alio nomine dicebatur Salem, primum in Assyria post diluvium condidisse, et eam a suo nomine Salem vocasse. Ipse est etiam Melchisedech. Postea vero habitaverunt ibi Jebusæi, et a suo nomine appellaverunt eam Jebus, ac per hoc junctis his nominibus Jebus et Salem, et *eb* versa in *er*, dicta est Hierusalem. Deinde ædificavit in ea Salomon famosissimum templum, et eam multis ornamentis decoravit, et ab ejus nomine vocata est Hierosolyma, quasi civitas Salomonis. Post hæc destructa est a Chaldæis, et reædificata est ab Esdra sacerdote, et Zorobabel ; deinde destructa fuit a Vespiano et Tito principibus Romanorum, et reædificata est ab Adriano imperatore, qui et alio nomine vocabatur Helius, et ea de causa dicta est Hella, unde et in Canonibus legitur de episcopis Heliæ civitatis. Præterea quærendum quare magi Hierosolymam venerunt, cum Dominus ibi natus non sit. Multis vero de causis id factum fuisse constat. Isti enim agnoverunt tempus nativitatis, sed tamen locum non cognoverunt. Hierusalem regia civitas erat, et metropolis illius provinciæ. Ibi erant rex et summi sacerdotes ; ibi Scribæ et Pharisæi ; ibi arca Domini et famosissimum templum, et ideo Hierusalem venerunt, quoniam crediderunt, quod talis puer non alibi, nisi in egregia urbe nasci debuisset. Sive ideo venerunt ut locum nativitatis citius discere potuissent, sive ideo venerunt ut adimpleretur quod scriptum est: « De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Hierusalem. » Verbum Domini de Hierusalem exivit, quia inde primus annuntiatus est Christus natus; sive ideo venerunt ne Judæi inexcusabiles manerent. Poterant ipsi dicere: novimus locum nativitatis, tempus vero non cognovimus, et ideo non credimus; sive ideo ut studio magorum damnaretur prigritia Judæorum; isti enim crediderunt uni, illi plurimis credere noluerunt ; isti venerunt longinquo, ipsi remanserunt ex vicino; isti quæsierunt alienum, illi reliquerunt proprium : unde bene lapideis milliariis assimilantur, quia viam ostenderunt, sed tamen ipsi remanserunt. In eo quod dicit evangelista eos venisse ab Oriente, id mystice designatur quia nemo venit ad Orientem nisi ab Oriente, id est nemo venit ad Dominum nisi ab ipso, et per ipsum Sequitur: « Ubi est qui natus est? » Pulchre dicunt ubi est qui natus est, quia scriptum est: « Puer natus est nobis. » Cum dicunt : « Rex Judæorum, » intelligitur Rex confessorum, id est sanctorum, quia Judas *confessor* interpretatur. Et quasi interrogasset eos aliquis, unde scitis vos Regem Judæorum natum responderunt: « Vidimus stellam ejus in Oriente. » Vana est opinio de stella, sicuti de magis. Nonnulli enim dicunt fuisse Spiritum sanctum, ut ipse qui postea su per baptizatum Dominum descendit in specie columbæ, ita et nunc in specie stellæ apparuerit magis: alii dicunt fuisse angelum, ut ipse qui apparuit pastoribus apparuerit etiam magis ; alii dicnt fuisse stellam novam, quod magis est credendum, quia talis puer natus est tunc, qualis nec ante, nec postea, et ideo talis stella apparere debuit, qualis nec antea, nec postea apparuit. Et animadvertendum est quia non dicant stellam nostram, aut stellam cœli, sed « ejus, » id est novam. Sed quæri potest quare Domino nato Judæis pastoribus angelus; magis autem gentilibus non angelus, sed stella apparuit. Decebat namque ut Judæis ratione utentibus rationabile animal, id est angelus appareret, et natum Dominum prædicaret; magis autem gentilibus, tanquam irrationabilibus, irrationabilis creatura, id est stella apparere debuit, quæ Deum in carne apparuisse annuntiaret. Sciendum est præterea quia mathematici unumquemque sub fato nasci putabant, et hoc in adjutorium sui erroris assumpsere, quod quando Dominus natus est, nova stella apparuit. Sed absit a fidelium cordibus ut factum aliquod esse dicant; dum enim non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit, aperte demonstratur, quia non stella factum pueri, sed potius, dicere liceret, his qui apparuit puer, fuit factum stellæ ; quam non ei ad imperium dominabatur, sed magis ad obsequium famulabatur. Quod vero dicitur « in Oriente, » duobus modis intelligi potest: id est; positi nos in orientali parte, vidimus stellam supra Judæam, et intelleximus regem ibi natum; sive positi nos in quacunque regione nostra vidimus stellam in orientali parte, et intelleximus regem natum in Judæa. Sequitur : « Venimus adorare eum. » His verbis magi verum hominem, verum regem, et verum Deum confessi sunt. Verum hominem cum dixerunt : « Ubi est qui natus est ; » verum regem cum aiunt : « Rex Judæorum. » verum Deum cum subjungunt : « Venimus adorare eum; »

quia præceptum fuit in lege ut nullus adoretur nisi Deus. Herodes interpretatur pellicius, sive pellis gloria,et significat diabolum,qui bene pellicius dicitur, quia protoplastos spoliavit stola immortalitatis, et fecit eos indui tunicas pelliceas,et quia gloriabatur se vicisse eos,ideo ab ipsa victoria accepit nomen pellis gloria. Regnante igitur Herode,id est regnante diabolo in mundo, natus est Christus in Bethlehem, quæ panis domus interpretatur,et sanctam Ecclesiam significat, in qua quotidie notitia Christi invenitur. Moraliter Bethlehem significat unamquamque animam fidelem,quæ est domus panis, scilicet Dei, secundum hoc quod scriptum est « Anima justi sedes est sapientiæ, » sapientia vero Dei Patris Christus est. Ergo si anima justi sedes est sapientiæ, sedes est Christi, est habitaculum secundum hoc quod Paulus ait : « Templum Dei sanctum est,quod estis vos.» Nam si aliquis de vitiis ad virtutes, de infidelitate transit ad fidem,in Bethlehem nascitur Christus, id est anima fideli quotidie formatur Christus, quotidie nascitur per bonas cogitationes et operationes, et quotidie lapidatur et exstinguitur per malas cogitationes et operationes.Nam quotquot malas cogitationes homo in se suscipit, quasi tot lapides in Jesum jactat ; et si ipsas malas cogitationes ad deliberationem vel ad effectum perduxerit,tunc Christum in se exstinguit id est gratiam Christi. Paulus apostolus manifeste loquens ad Galatas ait : « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis, » Parturierat eos prius per prædicationem,et formaverat Christum in eorum cordibus per fidem ; sed extinctus fuerat in eis Christus per prædicationem pseudoapostolorum,et ideo laborabat egregius prædicator ut iterum eos parturiret, et formaret Christum in cordibus eorum.Hierusalem interpretatur etiam visio pacis,et significat primitivam Ecclesiam;magi vero significant primitias gentium;nam sicut magi docti sunt locum nativitatis Domini a Judæis, sic et primitiæ gentium didicerunt fidem a primitiva Ecclesia, id est ab apostolis. Sequitur : « Audiens autem Herodes rex turbatus est.» Dicit beatus Gregorius : Rege cœli nato,rex terræ turbatus est,quia nimirum altitudo terrena confunditur,cum celsitudo cœlestis aperitur : tanto enim humana potestas et terrena superbia comprimitur, quanto magis dignitatis potentia agnoscitur, et comprehenditur. Quare turbatus est Herodes ? pro duabus causis. Turbatus est quia timebat privari regno terreno ; sive turbatus est, id est iratus et indignatus quare ausus fuisset aliquis appellari rex absque jussione Cæsaris. Quæri potest quare dicat totam Hierosolymam turbatam. Nunquid turbatus est Simeon et Anna, aut cæteri fideles qui ibi erant ? Non ; sed solvitur hæc quæstio per synecdochen speciem grammaticæ artis,quando a parte totum,vel totum intelligitur a parte; et quia major pars turbata est ideo dixit evangelista totam turbatam; sive ideo totam turbatam dicit, quia perturbatio regis solet esse turbatio totius populi. et secundum hanc consuetudinem dixit omnem Hierosolymam turbatam alii enim turbabantur veraciter, alii vero simulate. Sequitur : « Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, scicitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. » His verbis demonstratur Herodem alienigenam fuisse : nam si Judæus fuisset prophetiam haberet notam,et locum nativitatis non ignorasset. Scribæ dicti sunt non tantum ab officio scribendi, sed potius ab interpretatione Scripturarum : erant enim legis doctores.Animadvertendum præterea quia non dixit:ubi Christus natus est,sed ubi nasceretur;callide enim interrogavit eos ut posset cognoscere si ipsi lætarentur de suo rege nato, an non ; at ipsi ostenderunt locum, et testimonio prophetæ affirmaverunt dicentes : « Sic enim scriptum est: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda.» Hic reprehenduntur Judæi de ignorantia,quoniam propheta dixit : « Tu Bethlehem Euphrata,» illi vero dixerunt solummodo tu Bethlehem terra Juda,prætermittentes Euphrata Quod vero dicit : Nequaquam minima es in principibus Juda, talis est sensus : quamvis minima videaris inter urbes principatum habentes,tamen non es minima, « quia ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel. » Dux iste David, sive Christus intelligendus est. Si David intelligatur,ipse quidem jubente pariter, et juvante Domino nobiliter rexit populum Israeliticum, quamvis temporaliter ; sed quia propheta futura prædicabat, dux iste magis intelligendus est Christus, quia una cum Patre et Spiritu sancto populum suum fidelem in se credentem æternaliter regit, atque gubernat, et ad visionem perpetuæ patriæ introducit. Sequitur : « Tunc Herodes, clam vocatis magis. » Tunc quod dicit,ad superiora refertur,id est posquam locum nativitatis didicit a Scribis et Pharisæis.In hoc loco defici historia, quoniam non narrat sanctus evangelista quantum tempus ostenderint magi ex quo stella apparuit, et idcirco varia est opinio de adventu magorum.Quidam vero dicunt illos venisse tertio decimo die ab ejus nativitate ;quidam autem tertio decimo die post unum annum; quidam videlicet post duos annos, et non in Bethlehem, sed in Ægypto peperisse. Sed magis credendum est quod isti fuerint nepotes Balaam, sicut supradiximus, et tertio decimo die ad eum venisse, et non in Ægypto,sed eum in Bethlehem reperisse : « Didicit diligenter ab eis tempus stellæ.» Et quare diligenter ? Idcirco quia callidus erat Herodes : timebat enim ne ipsi reverterentur ad eum;et ideo diligenter didicit tempus stellæ, ut si non reverterentur, ille sciret quid ageret, id est interficeret omnes pueros qui erant in Bethelehem,et in omnibus finibus ejus « Et mittens illos in Bethlehem dixit : Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis renuntiate mihi,ut et ego veniens adorem eum.» Callide quoniam Herodes Dominum quærere, et eum simulate se velle adorare dixit,idcirco invenire nun-

quam promeruit. Significat enim Herodes in hoc loco hypocritas, qui quoniam Dominum simulate quærunt, invenire nunquam merentur. De talibus scriptum est: « Non apparebit in conspectu Dei omnis hypocrita. » Et item: « Tollatur impius ne videat majestatem Domini. » Et Job dixit : « Callidi et simulatores provocant iram Dei. » Et hoc sciendum quia deteriores sunt illi qui provocant iram Dei, quam qui eam merentur; illi enim merentur qui aperta mala facient; illi vero provocant qui sub habitu sanctitatis mala operantur. « Qui cum audissent abierunt. » Isti enim audierunt Herodem ut quærerent Dominum, verumtamen non audierunt ut ad eum reverterentur. Significat Herodes in hoc loco malos prædicatores qui bona quidem prædicant, sed mala operantur; Magi vero significant bonos auditores, qui bona quidem quæ audiunt a malis prædicatoribus faciunt, sed tamen opera illorum non imitantur, de quibus scriptum est : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate et facite; secundum vero opera illorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt. » Sequitur: « Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, donec veniens staret supra ubi erat puer. » Illud autem sciendum quia Magi mox ut ingressi sunt ad Herodem perdiderunt stellam; cum vero egressi sunt promeruerunt stellam rursus invenire; significat enim Herodes in hoc loco diabolum, stella vero significat gratiam Dei; quicumque ergo intrat ad Herodem, id est ad diabolum, et ei se subdit per aliquod peccatum, mox perdit stellam, id est gratiam Dei; quod si quis divina gratia adjutus per pœnitentiam recesserit ab Herode, id est a diabolo, mox invenit stellam, scilicet Dei gratiam. Et pulchre dicit sanctus evangelista: donec veniens staret supra ubi erat puer, quia stella non deseruit Magos, donec perduxit eos usque ad domum pueri; et significat quod quia gratiam Dei quos semel suscipit, non dimittit donec perducat ad donum pueri, id est ad sanctam Ecclesiam, ut ejus unitati conjungat. « Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. » Et sciendum quod non satis fuit dicere evangelistæ gavisi sunt, sed addidit gaudio, et non solum gaudio, sed magno; et quasi neque illud sufficeret, addidit, valde. Quid vero per exaggerationem istorum verborum voluit sanctus evangelista demonstrare, nisi quia majus gaudium habent homines de rebus perditis et iterum inventis, quam de semper possessis? Verbi gratia habet homo bonum castitatis, sed fraude diaboli deceptus incidit in fornicationem, et involvitur in ipso peccato in tantum ut desperet se ultra castitatem servare posse. Sed si gratia Dei adjutus surrexerit per pœnitentiam, et bonum castitatis servare cœperit, majus gaudium habebit, quam si semper castus fuisset. Item habet homo spiritum prophetiæ, sed fraude diaboli deceptus perdit eumdem spiritum, sed si gratia Dei adjutus surrexerit per pœnitentiam, et eumdem spiritum susceperit, majus gaudium habebit, quam si semper habuisset. Hinc est quod David

A ardenter orabat dicens : « Redde mihi lætitiam salutaris tui. » Lætitiam salutaris appellat spiritum prophetiæ, quo viderat Christum nasciturum de semine suo. Habuit enim is spiritum prophetæ, sed fraude diaboli deceptus incidit in adulterium, et perdidit eumdem Spiritum prophetæ; sed postquam surrexit per pœnitentiam, et suscepit eumdem spiritum, majus gaudium habuit, quam si semper habuisset. Sequitur : « Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus. » Bene puer præfertur matri, quia ante fuit puer quam mater. « Et apertis thesauris suis. » Traditio antiquorum fuit ut nullus ad Dominum, ad regem vacuus intraret, et quia isti verum regem et verum Dominum existimaverunt, ideo non vacui venerunt. Miranda et stupenda sunt opera Dei.

B Ecce angelus alloquitur Zachariam, et Elisabeth parituram nuntiat, sacerdos non credens mutus efficitur. Angelus alloquitur pastores, stella de remotis partibus Magos ad Dominum adducit: Magi parvulum vident, magnum credunt : hominem vident, Deum adorant: in præsepio ponebatur, qui mundo non capiebatur, in manibus portabatur, qui totum mundum sustentabat. Et quare hoc? quia ipse erat de quo scriptum est : « Puer natus est est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus. » Principatus ejus factus est super humerum ejus quia humeris gestavit crucem per quam redemit Ecclesiam, in qua nunc principatur per gratiam. Et sciendum quia isti Magi tres reges fuerunt, et quod ipsi ad Dominum venturi essent, et munera oblaturi, longe ante prædixerat Psalmista cum ait :

C « Reges Tharsis et insulæ munera offerent; » et quod aurum oblaturi essent ipse Psalmista prædixit cum ait : « Dabitur ei de auro Arabiæ. » Et quod aurum et thus delaturi essent Isaias prædixit cum ait: « Omnes de Saba venient aurum et thus deferentes. » De his etiam Psalmista dicit : « Venient legati ex Ægypto; » et sciendum quia isti Magi primitiæ gentium fuerunt, et quasi de latitudine totius gentilitatis ad impetrandam pacem missi sunt; recesserat enim gentilitas a Creatore suo per culturam idolorum, et ideo istos tres legatos misit ut impetrarent pacem. Et sciendum quia isti non singuli singula, sed singuli tria, id est unusquisque eorum obtulit aurum, thus, et myrrham, et his sacris muneribus quæ obtulerunt, verum regem verum Deum, et verum hominem eum prædicaverunt; auro regem, thure Deum,

D myrrha mortalem. Aurum enim solet esse pretiosius in regalibus donis: thus in Dei sacrificio ponebatur, myrrha vero mortuorum corpora condiebantur, ut diutius illæsa servari possent; et hæc tria quotidie offert ei sancta Ecclesia, quia verum regem, verum Deum, et verum hominem confitetur. Sed fuerunt hæretici qui obtulerunt ei thus et non aurum, quia crediderunt eum Deum, sed non semper cum Patre regnasse; et fuerunt qui obtulerunt ei aurum et non thus, quia crediderunt eum regem et non Deum : item fuerunt qui obtulerunt ei myrrham et non aurum, neque thus, quia purum hominem eum credi-

derunt. Nos ergo regi nostro Christo offeramus aurum, id est verum regem credamus, offeramus ei thus, id est verum Deum adoremus; offeramus ei myrrham, id est verum hominem veneremur. Aliter per aurum designatur cœlestis sapientia, unde Salomon ait : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; » per thus intelligitur oratio munda, ut illud : « Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; » per myrrham mortificatio carnis; unde Ecclesia in Canticis canticorum de suis fidelibus pro Deo usque ad mortem certantibus dicit: « Manus meæ distillaverunt myrrham; » et item : « Messui myrrham meam cum aromatibus, » et alibi : « Quæ est quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentario? » Tunc ergo ei aurum offerimus cum in conspectu ejus luce cœlestis sapientiæ resplendemus; tunc thus, cum mundam ad eum orationem dirigimus; tunc tandem myrrham, quando per abstinentiam carnem nostram a vitiis mortificamus. Sequitur : « Et admoniti in somnis. » Nam quod isti ad Deum venturi essent, et munera oblaturi, et ad Herodem ultra non reversuri, Isaias propheta una sententia comprehendit dicens: « Antequam sciat puer vocare patrem aut matrem, suscipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ contra regem Assyriorum. » Virtutes Damasci appellat istos tres reges, spolia Samariæ munera quæ obtulerunt, regem Assyriorum appellat Herodem. Iste puer antequam scivisset vocare patrem aut matrem, secundum humanitatem, suscepit virtutem Damasci, quia istos tres reges de longinquis finibus ad se venire fecit, et suscepit spolia Samariæ, quia suscepit munera quæ obtulerunt contra regem Assyriorum, quia contra voluntatem Herodis fecerunt ut ad eum non reverterentur. Sequitur : « Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. » Spiritualiter debemus imitari istos Magos, et per aliam viam reverti in regionem nostram. Regio quippe nostra paradisus est a qua discessimus per peccatum primi hominis; discessimus enim ab illa regione superbiendo, vetitum cibum comedendo; necesse est ergo ut per aliam viam revertamur ad eam, id est humiliando, præceptis Dei obediendo, et visibilia contemnendo.

HOMILIA VIII.

IN ILLUD MATTHÆI : *Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, et ecce leprosus adorabat eum dicens : Domine, si vis, potes me mundare.*

Mons iste de quo sanctus evangelista narrat Dominum descendisse, quis fuerit, aut ubi fuerit, sicut quidam sancti doctores autumant, jam notum est. Spiritualiter mons iste significat cœlum; descensio Domini de monte incarnationem ipsius, quia semetipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem: tunc quippe Dominus de monte descendit, quando carnem nostræ mortalitatis suscepit. Et pulchre postquam narrat sanctus evangelista Dominum descendisse de monte subjunxit; « Secutæ sunt eum turbæ multæ; » quia ille qui solus prius in Judæa tantum notus erat, et cujus nomen magnum solummodo in Israel habebatur; postquam « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » admirabilis factus est in universo orbe, et secutæ sunt eum turbæ multæ, quia omnes gentes, omnes linguæ, omnes sexus, omnesque ætates credentes in eum imitatæ sunt vestigia ipsius. « Et ecce leprosus veniens adorabat eum. » Iste sane leprosus non poterat montem ascendere; nec enim poterat plenus lepra tam multiplicem Domini audire sermonem. Et sciendum quia iste primus post Magos Dominum adoravit, et postquam Dominus de monte descendit primus iste legitur sanatus, deinde puer centurionis, tertio vero loco socrus Petri. Iste nimirum leprosus magnæ fuit fidei, humilitatis atque constantiæ. Exclusus namque erat præcepto legis a castris, et intelligebat se lege non posse salvari; judicavit autem gratiam Dei non esse sub lege, sed supra legem, et idcirco credidit se gratia Domini posse salvari, et propterea accessit ut sanaretur. Nam sicut in Domino creditur potestas curandi, sic et in isto est inspicienda fidei constantia. Et qualiter adoraverit, cæteri evangelistæ narrant, dicunt enim quia procidens adoravit eum, sive genu flexo. In eo vero qui adoravit, verum Deum ostendit se credere, quoniam præceptum erat in lege ut nullus adoraretur nisi Deus. Procidere itaque sive genuflectere signum est humilitatis et verecundiæ, sed et ipse verecundia non repressit bonum confessionis; nam humiliter accessit, vulnus ostendit, et remedium postulavit. Et ipsa confessio plena fuit fidei, religionis atque magnæ honestatis : ait enim : « Domine, si vis, potes me mundare. » In voluntate Domini tribuit potestatem, ille quippe qui voluntate Domini postulabat, de potestate non dubitabat, et de voluntate Domini non quasi incredulus pietatis dubitavit, sed memor suæ fragilitatis, et conscius suæ colluvionis non præsumpsit; et est sensus Adest potestas, adsit voluntas tantum. « Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens : « Volo, mundare. » Quærendum est quare Dominus manum extendit, et tetigit. Numquid non poterat absque tactu curare? Certe poterat etiam solo verbo, juxta præceptum tamen legis si quis tangebat leprosum coinquinabatur. Dominus ergo ut ostenderet se non esse subditum legi, sed supra legem, idcirco manum extendit et tetigit, et qui tactu lepræ coinquinari non poterat, suo ipse tactu alios curare volebat. O miranda Domini humilitas et mansuetudo! Eo quippe genere et ordine quo fuerat obsecratus contulit sanitatem. Ait namque leprosus : « Si vis, » et Dominus respondit : « Volo, » et leprosus subjunxit : « Potes me mundare, » et ipse addidit imperando : « Mundare. » Hæc siquidem duo verba, sicut dicit beatus Hieronymus, non sunt conjunctim proferenda, ut quidam Latinorum autumant, sed separatim ut prius dicatur: « Volo, » deinde imperando subjungatur : « Mundare. » Volo enim dixit propter Photinum qui eum veram animam sumpsisse negabat, e loco animæ Divinitatem

habuisse dicebat, et ideo Dominus dixit : « Volo, » ut ostenderet se veram animam sumpsisse ; et quia voluntas ex animo procedit, imperavit propter Arium qui dicebat eum minorem esse Patre, et idcirco extendit ut ostenderet se æqualem esse Deo Patri. Manum autem extendit et tetigit propter Manichæum qui negabat eum veram carnem sumpsisse, et ideo tetigit ut se veram carnem habere demonstraret. Et pulchre postquam Dominus dixit: « Mundare, » sanctus evangelista subjunxit: « Et statim mundata est lepra ejus. » Ostendit itaque his verbis quia hæc curatio non fuit fortuita, neque more medicorum per intervalla temporis restituta, sed Dei potestate absque ulla mora est collata. Et sciendum quia in eo quod Dominus ait : « Mundare, » confestim mundata est lepra ejus, ostendens sanctus evangelista, qui hæc de suo addidit, nihil esse medium inter voluntatem Dei et opus, quia scriptum est : « Ipse dixit, et omnia facta sunt ; mandavit et creata sunt, » ac per hoc voluntas manet in operibus, et opera in voluntate, et voluntas manet in potestate, et potestas in voluntate. « Et ait illi Jesus, vide nemini dixeris. » Quare Dominus præcepit ei ut nemini diceret ? Quid enim necesse fuerat occultare sermonem quod manifestabat corpore ? Idcirco præcepit ei nemini dicere, ut nobis relinqueret exemplum, quatenus nostra bona opera et beneficia non velimus publicare et manifestare, sed magis reprimere et occultare, et non solum abstineamus nos a mercede pecuniæ et muneris, sed etiam a mercede gratiæ et laudis humanæ. Sequitur : « Sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium. » Et notandum quia multos legitur Dominus curasse, sed nullum ad sacerdotes misit, nisi solos leprosos. Et varias ob causas ad sacerdotes misit, deferens debitum honorem sacerdotibus, ut nobis relinqueret exemplum humilitatis, quatenus debitum honorem sacerdotibus semper impendere studeamus ; sive ideo misit ut dum viderent eum purgatum intelligerent Dominum non esse sub lege, sed super legem, et crederent eum non per legem esse sanatum, sed per gratiam Dei quæ est supra legem. Aliter ut dum viderent eum mundatum, si credere vellent, salvarentur, alioquin inexcusabiles manerent. Alio modo quia præceptum erat in lege, ut ad aspectum sacerdotum indicarentur utrum essent mundi, an immundi : sive ideo misit ne videretur esse transgressor legis, quod ipsi frequenter in eo calumniabantur. Forte dicet aliquis; quare non retinet adhuc sancta Ecclesia illud Mosaicum sacrificium, quod Dominus videtur approbasse ? Sciendum tamen quia illa sacrificia figuram gestabant istius veri sacrificii quod est Sanctum sanctorum, nondum quippe fuerat hoc verum sacrificium manifestatum, hoc est sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quia nec dum corpus suum obtulerat Deo Patri in ara crucis pro salute generis humani : et ideo non decebat ut illa significantia sacrificia prius tollerentur, quia hoc verum sacrificium manifestaretur ; nec etiam decebat ut typus et umbra recederent priusquam veritas et lux appareret. Quod autem dicit in testimonium illis, talis est sensus : Si in Domino credant, si lepra impietatis ab illis abscedat ; sive ut sis in testimonium illis, quoniam omnipotens sum, et eos salvare possum, si in me crediderint, sicut et te vident sanatum. Spiritaliter mons iste significat cœlum, sicut supra diximus ; Dominus de monte descendit, quia Dei Filius cum esset invisibilis et immortalis, pro salute humani generis factus est visibilis atque mortalis ; unde dicit Psalmista : « A summo cœlo egressio ejus. » Postquam autem descendit Dominus de monte « secutæ sunt eum turbæ multæ, et ecce leprosus veniens adorabat eum. » Vir iste typice universum genus humanum significat peccatis languidum, unde bene non solum leprosus dicitur, sed etiam, secundum Evangelium Lucæ, plenus fuisse lepra describitur : quia universum genus humanum lepra infidelitatis, et maculis omnium vitiorum erat corruptum et fœdatum : unde dicit Apostolus : « Omnes enim peccaverunt, et egent gratia Dei. » Qua gratia ? Extensione manus Jesu ; omnes enim indigebant ut Dei filius fieret filius hominis ; ut incarnato Dei Verbo ipsi a lepra infidelitatis et maculis omnium vitiorum purgarentur. In eo vero quod procidens adoravit eum, et subjunxit dicens : « Domine, si vis, potes me mundare ; » fides Ecclesiastici populi designatur, qui Filium Dei et omnipotentem credidit, et omnem copiam suæ salvationis in voluntate ipsius collocavit; nam nihil est aliud dicere : Domine, si vis, potes me mundare, nisi omnipotentem eum credere. « Et extendens Jesus manum tetigit eum. » Per extensionem manus Jesu ipsius incarnatio designatur ; tunc nam Dominus manum extendit et leprosum tetigit, quando misericorditer nostram naturam suscepit, et lepram infidelitatis, et maculas omnium vitiorum potenter purgavit. Et ad hoc respicit quod ait : « Volo, » quia « voluntarie nos genuit verbo veritatis ; » quod autem ad illud « mundare, » ad illud profecto respicit quod alibi dicit : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. » In eo vero quod evangelista subjungit : et « confestim mundata est lepra ejus, » ad hoc refertur quod illic subditur : « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. » Et cum ait illi Jesus : « Nemini dixeris, » docetur his verbis ecclesiasticus populus ut mysteria suæ salutis et fidei suæ sacramenta non passim obtrectatoribus et oppugnatoribus sanctæ Ecclesiæ committant, quod alibi aperte Dominus docet dicens : « Nolite Sanctum dare canibus, neque margaritas vestras mittatis ante porcos. » Sequitur : « Sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. » Sacerdos iste cui jubetur leprosus offerre, ille est intelligendus de quo Psalmista ait : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ; monetur namque his verbis populus ecclesiasticus ut illud legale sacrifi-

cum quotidie recolat, et jugiter Deo Patri offerat, quod pro emundatione leprosi in figura offerebatur, et postea veraciter pro salute totius generis humani est oblatum. Præceptum namque fuit in lege ut leprosus pro emudatione sua duos passeres offerret sacerdoti, quos sacerdos accipiens, utrosque Domino offerret, et unum immolaret cum ligno cedrino et cocco, et fasciculo hyssopi in vase fictili super aquas, alterum vero intingeret in sanguine immolati passeris, et dimitteret eum liberum avolare in agro; leprosus vero septies aspergeretur cum fasciculo hyssopi de sanguine immolati passeris, et septimo die raderet omnes pilos capitis sui, et barbæ, et totius corporis, ut octavo die mundus redderetur castris. Per hoc sacrificium nonnulli intelligunt passionem Domini nostri Jesu Christi, per quam universum genus humanum a lepra infidelitatis et maculis vitiorum est ereptum. Per duos passeres intelligunt duas Domini substantias, animæ scilicet et carnis, quas ex sancta Virgine sumpsit. Per lignum cedrinum, lignum sanctæ crucis significatur; per coccum, qui est rubei coloris, effusio sanguinis Domini; per unum passerem, qui immolabatur, designatur quia Dominus noster Jesus Christus solummodo corpus suum in ara crucis pro salute totius generis humani Deo Patri obtulit; per alterum qui intingebatur in sanguine immolati passeris, significatur quia dolor passionis ad animam refertur, et per animam dolorem passionis sensit. Per hoc vero, quod liber dimittebatur avolare in agro, designatur quia, peracto Dominicæ Passionis mysterio, Dominus noster Jesus Christus tertia die resurgens a mortuis, de agro, id est de hoc mundo, quadragesimo die in cœlum ascendit; unde dicit Psalmista: « Et occursus ejus usque ad summum ejus, » et item: « Ascendit super Cherubim, et volavit super pennas ventorum. » Per fasciculum hyssopi sancti designantur apostoli: per aquas, aquæ sacri baptismatis; per hoc quod leprosus septies aspergebatur cum fasciculo hyssopi de sanguine immolati passeris, septem dona sancti Spiritus. Mystice quidem significabatur quia universum genus humanum redemptum sanguine Christi per prædicationes sanctorum apostolorum, et per aquam sacri baptismatis et septem dona Spiritus sancti, consecutum est remissionem omnium peccatorum; unde Psalmista ait: « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor. » Per septenarium numerum omnis status istius vitæ præsentis designatur, quæ septem diebus volvitur; per diem octavum, dies Resurrectionis; et per hoc quod leprosus septimo die radebat omnes pilos capitis sui, et barbæ, et totius corporis, ut octavo die mundus redderetur castris, significabat quia in hac præsenti vita abscindenda sunt vitia, et purganda sunt peccata, quatenus octavo die Resurrectionis illi qui prius erant leprosi et immundi, purgati et mundati a lepra infidelitatis et maculis vitiorum, mereantur aggregari cœtibus sanctorum. Moraliter per hunc leprosum non incongrue designatur peccator: quid enim aliud sunt peccata, nisi lepra? Nam si lepra immundam, et variam, et maculosam reddit cutem; sic et peccata immundam et variam et miseram faciunt animam. Iste nunquam leprosus in montem ascendere non potest, quia peccator cœlestia contemplari non valet. Et quid illi agendum est? Nunquid desperandum? Non, inquam, sed quoniam ad montem ascendere non potest, necesse est illi ut Jesum de monte descendere videat. Toties itaque leprosus Jesum de monte descendere videt, quoties peccator reminiscitur quia Dominus pro salute peccatorum de cœlis descendit ad terras. Tunc enim leprosus procidens adorat Jesum, quando peccator de pristinis confunditur, et tunc in facie cadit, quando in recordatione scelerum suorum peccator erubescit; unde beatus Paulus apostolus quibusdam peccatoribus jam conversis, sed adhuc in facie jacentibus dicebat: « Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? » Attamen ipsa confusio non debet reprimere medicamentum pœnitentiæ; nam leprosus vulnus ostendit, et remedium postulavit. Similiter peccator debet confiteri scelera sua, et remedium pœnitentiæ postulare, dicens: Domine, si vis, potes me mundare, quasi dicat aliis verbis: multa sunt peccata mea, Domine, sed multo major est tuæ pietatis miseratio: meum est rogare ut velis, sed tuum est peccata mea velut nebulam delere. Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens: « Volo. » Per extensionem manus Jesu adjutorium divinæ miserationis designatur; tunc enim Jesus manum extendit, quando auxilium divinæ miserationis peccatori impendit; et tunc leprosus manu Jesu tangitur; quando per occultam miserationem peccator reviviscit. In eo vero quod ait: Volo, affectus divinæ pietatis demonstratur, quem habuit erga salutem peccantium, quasi diceret: O peccator, sollicitus es utrum velim tibi dimittere peccata an non, sed noveris quia volo; et hoc est quod per prophetam dicit: « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. » Per hoc quidem quod Dominus imperando ait: « Mundare, » et sanctus evangelista subjunxit: et confestim mundata est lepra ejus, demonstratur quia mox ut Dominus misericorditer dignatur respicere peccatorem, sicut respexit Petrum lacrymantem. Et ait illi Jesus: « Vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdoti. » His verbis monetur peccator jam conversus ut mysteria suæ salutis, et quælibet sacramenta divina non passim quibuscunque committat. Per hoc itaque quod tam sacra lex est ut et Dominus leprosos ad sacerdotes direxerit, designatur quia cum aliquis de gentili errore, aut Judaismo, seu hæretica pravitate vult reverti ad societatem sanctæ Ecclesiæ, non debet suscipi priusquam se offerat sacerdoti, quatenus fides ipsius judicio sacerdotis approbetur. Similiter cum pro aliquo peccato quis repellitur de Ecclesia, non aliter debet reconciliari, nisi sacerdotis judicio. Quod de capitalibus et criminalibus peccatis

est intelligendum, pro quibus homines a societate sanctæ Ecclesiæ repelluntur; cæterum nam minores culpæ, id est minuta et levia peccata quotidiana fratrum confessione purgantur, juxta illud Jacobi apostoli : « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. » Sacerdos iste Dominus Jesus Christus, sicut supra diximus, est; templum enim est homo, id est anima, unde dicit Apostolus : « Templum enim sanctum est, quod estis vos. » Sed ubi debet peccator quærere hoc sacrificium, quod offerat sacerdoti? Intrinsecus quidem juxta illud Psalmistæ : « In me sunt, Deus, vota tua quæ reddam, laudationes tibi. » Et item : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; » et alibi : « Holocausta medullata offeram tibi. » Et Apostolus : « Obsecro vos per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. » Debet quippe peccator illud legale sacrificium quotidie offerre sacerdoti, id est duos passeres. Per duos passeres nonnulli intelligunt duas substantias hominis, hoc est corpus et animam, hos namque utrosque passeres debet leprosus offerre sacerdoti, quia peccator totum se debet libare Deo. Tunc enim unus passer immolatur, quando corpus affligitur, et vitia carnis mortificantur, nam quanto magis unus passer immolatur, tanto magis alter liber dimittitur ad volandum in agrum, quia quo magis corpus affligitur, et vitia carnis mortificantur, eo magis anima redditur libera ad contemplanda cœlestia. Et hoc ipsum cum ligno cedrino, quia peccator ad imitationem Dominicæ passionis se Deo offerre debet; et cum fasciculo hyssopi ; hyssopus enim est herba humilis, purgans pectus, cujus radix scindit saxa ; unde bene per hyssopum virtus humilitatis designatur, quæ saxeum pectus scindit et purgat. Per vas fictile potest intelligi corpus, quia peccator in ipso corpore agere debet in quo manet. Per aquas vivas designantur Scripturæ, et oportet ut peccator hæc omnia ad exemplum sacrarum Scripturarum agat.

HOMILIA IX.

In illud Matthæi : *Ascendente Jesu in naviculam secuti sunt eum discipuli ejus, et motus magnus factus est in mari.*

In hac quoque navigatione duæ substantiæ unius ejusdemque personæ Domini nostri Jesu Christi demonstrantur, divinitatis scilicet et humanitatis. In eo autem quod dormivit ostenditur substantia humanitatis. In hoc vero quod surgens imperavit ventis et mari, et reddidit tranquillitatem, substantia divinitatis demonstratur. Sunt namque opera quæ tantum ad substantiam humanitatis pertinent, et item sunt alia quæ solummodo ad substantiam divinitatis referuntur. Nam dormitio tantum humanitati congruit, et non divinitati ; surgere autem et ventis imperare, et mare pacificare, solius divinitatis est : in hoc quippe loco destruuntur errores illorum qui dixerunt unam esse Domini nostri Jesu Christi substantiam, quemadmodum una et persona. Sed valde admirandum est quoniam ille dignatus est ascendere in parvum lembum, qui sua virtute omnia quæ subsistunt continet, regit et gubernat. Ille ascendit navim quia omnia ex nihilo creavit; ille autem dormivit in navi, de quo scriptum est : « Qui non dormitat, neque dormiet custodiens Israel. » His nempe verbis aperte ostenditur, quia creaturæ sentiunt imperium sui Creatoris ; attamen in eo quod elementa sentiunt imperium sui Creatoris, non est intelligendum juxta opinionem hæreticorum, qui dixerunt omnia esse animantia, sed sciendum quod ea quæ nobis sunt insensibilia, Deo omnium rerum conditori sunt sensibilia. Et quia futurum erat quod Dominus Jesus Christus dormiret, et discipuli ejus illum suscitarent, idcirco David longe ante prophetando prædixit in persona apostolorum dicens : « Exsurge, quare obdormis, Domine? » Et quod ille nihilominus imperaturus esset mari, id est « turbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes Altissimo, » nubes siquidem in hoc loco sancti apostoli sunt intelligendi ; tunc itaque dederunt nubes vocem Altissimo, quando sancti apostoli valida voce clamaverunt dicentes : « Domine, salva nos, perimus. » Et tunc futurum erat quod imperaret ventis ; idem enim propheta David antea ostendit dicens : « Dixit et stetit spiritus procellæ. » Et quod ipse Dominus Jesus Christus tantam tranquillitatem facturus esset, ut homines admirarentur dicentes : Qualis hic est, quia venti et mare obediunt ei? » Item Propheta loquitur dicens : « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis ; ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. » Sequitur deinde : « Porro homines mirati sunt dicentes, qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? » Homines qui mirati sunt, sicut placet beato Hieronymo, non sunt intelligendi sancti apostoli, sed nautæ, vel cæteri qui cum ipso erant in navi. Et bene admirati fuisse dicuntur quia homines erant, id est carnales. Sed si quis contentiose voluerit dicere quia sanctus evangelista homines apostolos appellat, respondendum est quoniam et ipsi bene homines dicti sunt, quia nondum habebant illam perfectam fidem, quæ grano sinapis assimilatur, unde alius evangelista dicit : « nondum perfectæ erat fidei ; » si enim perfectam fidem habuissent, intelligerent quia nullus præsente Domino perire potuisset. Allegorice per hoc mare quod Dominus cum discipulis suis transire cupiebat, recte hujus mundi amarus et tenebrosus æstus designatur ; et quod mare præsens sæculum designet, Psalmista manifestat dicens : « Hoc mare magnum et spatiosum, ibi reptilia quorum non est numerus ; animalia pusilla cum majoribus. » Et qualiter Dominus hoc mare transierit manifestat evangelista cum ait : « Ascendente eo in naviculam secuti sunt eum discipuli ejus. » Navicula hæc nulla melius intelligi potest quam arbor sacratissimæ passionis, cujus adminiculo et beneficio quique fidelium fulti mente, hoc

mare tenebrosum et amarum calcant et despiciunt, et quasi ad soliditatem securi littoris, id est ad requiem beatam tendunt. Tunc Dominus in navim ascendit dormiturus cum in cruce elevatus est moriturus; et tunc in navi dormivit, cum in cruce positus inclinato capite spiritum emisit. Quod autem sequitur: « secuti sunt eum discipuli ejus, » mystice designatur quia sancti apostoli secuti sunt vestigia passionis ejus; nam quid est Dominum sequi, nisi vestigia passionis ejus imitari? Hinc est quod ipse exponit, ubi prædicans mysteria suæ Passionis et Resurrectionis, coarctando subjunxit dicens: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me. » Multi enim videntur tollere crucem suam, sed non illis prodest, quia non sequuntur Christum, id est vestigia passionis ejus non imitantur. Oportet ergo ut quicunque vult hoc mare amarum et tenebrosum transire tollat crucem suam, et Christum sequatur, id est vestigia passionis ejus imitetur. Navigantibus discipulis obdormivit Jesus, quia sanctis apostolis, ac singulis quibusque fidelibus, mente hoc præsens sæculum calcantibus ac despicientibus, vel secundo flatu sancti Spiritus, vel remigio proprio certatim spe ad littus perpetuæ felicitatis tendentibus, mox appropinquat tempus passionis Domini. Unde beatus Marcus pulchre vespere hoc narrat factum fuisse, id est post solis occasum, ut non solum ipsa dormitio, sed etiam hora decidentis lucis occubitum veri solis, id est mortem Domini Salvatoris, ostenderet. Dormiente Domino in navi motus magnus factus est in mari, quia capiente eo somnum mortis supra puppim sanctæ crucis, flantibus ventis, id est instigantibus immundis spiritibus, et suggerentibus dæmonibus, cœperunt insurgere fluctus blasphemantium Judæorum, et commota sunt corda eorum ad persequendos sanctos apostolos. His etenim procellis patientia Domini non perturbabatur, sed imbecillitas apostolorum concutiebatur, trepidabat, et periclitabatur, adeo namque motus magnus factus est in mari ut navicula operiretur fluctibus, quia adeo commota sunt Judæorum corda ad persequendos apostolos, ut pene fides in illis periclitaretur; nam unus eorum ter Dominum negavit, cæteri vero relicto eo fugerunt. Sed quid fecerunt sancti apostoli; accesserunt non corpore, sed mente et devotione, quia cujus viderant mortem, omnibus votis et mentis affectionibus ejus postulabant resurrectionem dicentes cum Psalmista: « Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas nos usque in finem; » si enim Dominus diutius somno mortis sopiretur, mentes apostolorum æterna morte damnarentur. Suscitantibus discipulis surrexit Jesus, et ipse stans increpavit ventum et mare. Tunc ventum increpavit quando resurgendo superbiam diaboli prostravit, et moriendo eum destruxit, qui mortis imperium habebat. Imperavit et ventis quia potestatem dæmonum cohibuit et compressit. Imperavit etiam mari quia vesanam perfidiam Judæorum, et rabiem destruxit blasphemantium et quassantium caput ac dicentium: « Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credemus ei; » majus enim fuit de sepulcro surgere, quam de cruce descendere. Quod autem sequitur: « Quid timidi estis modicæ fidei? » illud significat quod resurgens a mortuis et apparens eis « exprobravit incredulitatem et duritiam cordis illorum, quoniam iis qui viderant eum resurrexisse a mortuis non crediderunt. » Sequitur: « Et facta est tranquillitas magna. » Tranquillitas magna facta est, quia resurgente Domino, et apparente post resurrectionem, ac dicente discipulis suis: « Pax vobis, ego sum, nolite timere, » solidata est fides in apostolis, et in tantum solidata est fides in eis, ut qui ante clausis januis propter metum Judæorum intus residebant, postea corroborati, libera voce coram principibus et potestatibus fiducialiter eum confitebantur. Aliter per naviculam significatur sancta Ecclesia, cujus gubernator est Dominus noster Jesus Christus, remiges autem sunt sancti apostoli. Tunc Dominus hanc naviculam ascendit, quando per gratiam in sancta Ecclesia habitare cœpit. Et quod per naviculam sancta Ecclesia designetur ostendit Salomon qui loquitur sub specie feminæ dicens: « Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum, » sive pretium. Institor, hoc est negotiator, est Dominus noster Jesus Christus; sancta etenim Ecclesia facta est velut navis institoris, scilicet Domini Salvatoris. Per panem designatur sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi; sancta namque Ecclesia de longe portat panem suum, quia etiam ab ultimis finibus veniens sacramentum corporis et sanguinis Domini portat, id est celebrat. Hoc est tam magnum pretium, quo redemptum est genus humanum; et idem Salomon ait: « Vestigium navis in mari non invenitur, » quia conversatio sanctæ Ecclesiæ non est terrena, sed cœlestis; et unus idcirco remex ejus dicebat: « nostra autem conversatio in cœlis est. » Et quamvis sanctæ Ecclesiæ terrena officia exercere videatur, verumtamen ejus intentio spiritalis est et cœlestis. Navigantibus discipulis obdormivit Christus, quia fidelibus spe tendentibus ad cœlestem patriam frequenter solet evenire, ut dormiat Jesus in hac navicula, id est ut solatium miserationis a sancta Ecclesia abstrahat. Tunc Dominus in navicula hac dormivit, quia vel principes hujus sæculi, vel hæresiarchas, vel aliquos pravos homines permittit suam sanctam persequi Ecclesiam, ut ii qui probati sunt manifesti fiant in nobis, unde ipse Dominus dicit: « Necesse est ut veniant scandala; » et Paulus apostolus ait: « Oportet enim fieri hæreses, ut hi qui probati sunt manifesti fiant. » Multoties autem principes hujus sæculi comminati sunt et devastare sanctam Ecclesiam, et perdere filios ejus; nam dormiente Domino in navi, motus magnus factus est in mari, quia abstrahente eo auxilium suæ miserationis a suis fidelibus, adeo permisit malos persequi sanctam Ecclesiam, ut pe-

ne annihilari videritur. Sed quid fecerunt fideles ? accesserunt mente et devotione, et ejus auxilium imploraverunt dicentes cum Psalmista : « A finibus terræ ad te clamavi dum anxiaretur cor meum ; » et item : « Esurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. » Nam clamor apostolorum devotio est fidelium populorum. Suscitantibus discipulis surrexit Jesus, quia suis fidelibus solatium divinæ miserationis impendit, unde ait : « Et surgens imperavit ventis et mari. » Venit, imperavit quia audaces adversarios sanctæ Ecclesiæ evanescere facit, et vota pravorum hominum ut effectum obtinere non possent perturbavit. Imperavit mori, quia per syllogismos suorum prædicatorum versutiam hæreticorum denudavit, ne reciperentur a fidelibus. « Et facta est tranquillitas magna ; » a Deo namque tranquillitas magna facta est ut homines admirarentur quomodo sancta Ecclesia de tanta persecutione et tribulatione, continuo ad tam optatam pristinam rediret pacem. Moraliter per naviculam designatur unaquæque anima fidelis, de quo testis est Salomon qui dicit : « Anima justi sedes est sapientiæ. » Si ergo anima justi sedes est sapientiæ, sedes est Christi, ac per hoc navicula est Domini. Hanc naviculam tunc Dominus conscendit, quando per gratiam in ea habitare incipit. Navigante quolibet fideli, id est spe tendente ad patriam cœlestem, frequenter solet evenire ut dormiat Jesus in hac navicula. Tunc enim dormit Jesus, quando permittit insurgere adversus animam fidelem vel immundorum spirituum tentationes, vel impetus malarum cogitationum, vel propriæ carnis delectationes, vel pravorum hominum persecutiones ; his namque procellis solent concuti illæ virtutes, in quibus maxime salus humani generis consistit, id est fides, spes, charitas ; sed has procellas adeo permisit Dominus insurgere adversus naviculam, ut pene operiretur fluctibus, quia adeo permittit animam fidelem tentari, ut pene videatur mergi, scilicet ut splendor fidei obtenebrescat, spei celsitudo contabescat, et flamma charitatis refrigescat. Sed quid illi agendum est ? nunquid desperandum ? non, sed juxta exempla apostolorum est accedendum, et totis viribus proclamandum ad Deum. Nobis vero proclamantibus, ille qui non dormitat, neque dormitabit custodiens Israel, quasi exercitus surget, tempestatem sedabit, tranquillitatem reddet, et portum salutis indulgebit, gratiam donante illo qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

HOMILIA X.

In illud Matthæi : *Respondens Jesus dixit : Confiteor tibi. Pater, Domine cœli et terræ quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

Hujus confessionis etiam beatus Lucas facit mentionem dicens : « In ipsa hora exsultavit in Spiritu sancto et dixit : Confiteor tibi, Pater. » Sed non debet videri contrarium, quia beatus Matthæus ait « in illo tempore, » id quod ideo præmisit, ut daret locum Lucæ evangelistæ quatenus ea insereret quæ gesta sunt inter exprobationem civitatum, et istam confessionem, quæ adeo pauca sunt, ut si beatus Matthæus dixisset in ipsa hora, nulla videretur contrarietas. Ex occasione ergo infidelitatis civitatum quæ noluerunt sermonem Domini recipere, neque in eum credere, respondens Dominus causam retulit. laudem scilicet et gratiam Deo Patri pro iis quibus arcanum suæ Incarnationis revelaverat. Solerter etiam indagandus est ordo verborum, quia non ait tantum : « Confiteor tibi, Pater », sed addidit : « Domine cœli et terræ ; » his namque verbis Dominus Jesus illum ostendit esse suum Patrem, qui est Dominus cœli et terræ. In hoc loco destruuntur hæretici qui dixerunt Dominum Jesum creaturam esse, et non creatorem ; si enim creatura esset, et creatura etiam Dominum suum patrem appellare posset, non specialiter diceret : « Confiteor tibi. Pater, Domine cœli et terræ ; » sed tamen diceret : Confiteor tibi, Pater cœli et terræ, aut, confiteor tibi, Domine cœli et terræ ; sciendum est enim quia confessio non significat semper pœnitentiam et accusationem peccatorum, sed laudem et gratiarum actionem, unde est illud : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo ; » et item : « Confitemini Domino quoniam bonus ; » et in libro Ecclesiastici scriptum est : « Hæc dicetis Domino Deo vestro in confessione, quoniam universa opera ejus bona valde. » Ubi notandum est quia confessio non significat pœnitentiam, aut confessionem peccatorum, sed laudem, sicut et in hoc loco. Hoc similiter aperte ostendit et beatus Lucas evangelista cum dicit : « In ipsa hora » exsultavit Jesus in Spiritu sancto. Si enim verba Domini diligenter investigemus, cognoscemus profecto quod Filius Dei confitetur Deo Patri, et ei gratiam, et laudem refert, quasi jam passus et glorificatus sit non pro se, sed pro nobis. In qua confessione etiam suæ miserationis munus, et gratia nostræ reconciliationis ostenditur. Quare autem Dei Filius confiteatur Deo Patri, et ei laudem referat, manifestat cum subjungit : « Quia abscondisti hæc a sapientibus. » Quæ vero sunt quæ abscondit ? Illa scilicet de quibus dicit Apostolus : « Revelatum est mihi sacramentum, quod aliis generationibus non fuit manifestum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis et prophetis, in spiritu esse gentes cohæredes et comparticipes promissionis in Christo. » Hoc est mysterium Incarnationis, id est quia ille qui ante omnia sæcula ineffabiliter genitus est a Deo Patre ; et in fine sæculorum carnem assumpsit ex Virgine matre hoc profecto abscondit. Quibus vero absconderit manifestat cum subjungit : « Sapientibus et prudentibus. » Sed non vere sapientibus ; sapientibus vero suæ stultitiæ præsumptione, et non veræ sapientiæ acumine ; sapientibus temeritate, et non veritate ; sapientibus fastu et non sensu, de quibus ait propheta « Væ vobis qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. » Et item : « Perdam sa-

pientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.» Quorum testimoniorum sensum beatus Paulus apostolus exponens ait: »Ubi sapiens, ubi scriba, ubi legis verba ponderans ? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?» Et quia mundus non potuit cognoscere Deum per sapientiam, placuit ei per stultitiam prædicationis salvos facere credentes De hac mundiali sapientia idem apostolus alibi dicit : « Sapientia hujus mundi inimica est Deo, et legi Dei non subjicitur, » neque enim potest. Sed quinam fuerunt isti sapientes? Certe vel illius temporis legis doctores, Scribæ scilicet et Pharisæi, qui cum essent stulti, sapientes se esse jactabant; vel modo hræretici sive philosophi, qui propter suam tumidam sapientiam, humilem Domini doctrinam et prædicationem recipere non valent. Sed quibus revelavit? manifestat statim dicens: « parvulis, » id est humilibus corde. Illos Dominus appellat parvulos, qui se parvulos et humiles recognoscunt ; arcana namque, et virtutes cœlestium mysteriorum parvulis id est sanctis apostolis revelavit, qui vere parvuli erant non sensu, sed malitia, de quibus Psalmista dicit : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. » Et etiam : « Testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis.» Et iterum: « Declaratio sermonum tuorum illuminat me, et intellectum dat parvulis.» Causas et æquitates hujus facti paternæ voluntatis judicio Dominus confirmavit, ut illi qui dedignantur parvuli fieri, in Deum stulti fiant in sua sapientia. Et ut ostenderet Dominus quia non acumen ingenii, et sapientiæ sensum condemnavit, sed tumorem superbiæ, ideo pulchre subjunxit dicens: « Ita, Pater, sic enim placitum fuit ante te.» Blandientis affectu alloquitur Filius Patrem ut cœptum beneficium et gratia confirmetur, et compleatur in parvulis, id est in sanctis apostolis. Et pulchre ait: « Sic placitum fuit ante te, » ac si patenter diceret aliis verbis : Tibi justo injusta placere non possunt et ideo sic beneplacitum fuit ante te, et juste omnia disposuisti, quod hæc sapientibus et prudentibus abscondisti et parvulis revelasti. His ergo verbis redarguuntur illi qui querelas solent objicere et murmurare quare alii eligantur, alii ejiciantur, et ali salventur, alii pereant cum ipse Dei Filius parternam voluntatem, et justam ejus dispositionem laudibus efferat. Hanc enim sententiam divinæ dispositionis occulto Dei judicio, sed tamen justo, factam considerans beatus Paulus apostolus, non valens comprehendere prorupit in admirationem dicens : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus.» Sequitur: « omnia mihi tradita sunt a Patre meo.» Hæc enim verba divinitatis non carnaliter sed spiritualiter accipienda sunt ; nam et Patrem tradentem, et Filium accipientem spiritualiter accipere debemus. Si enim secundum humanam consuetudinem essent intelligenda, mox ut ille incipit possidere qui accipit, desinit ille habere qui tradidit. Sed Deus Pater non sic omnia tradidit Filio

A suo ut desierit habere quæ tradidit, quia omnia sine tempore simul cum Filio possidet. Dei ergo Filius, quantum ad divinitatem attinet, nihil ex tempore accepit a Patre, quia sicut evangelista dicit omnia quæ habet Pater ejus etiam sunt, quia « Filius et Pater unum sunt. » In hoc vero quod homo factus est, omnia ex tempore accepit a Patre, unde Pater dicit ei : « Pete a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. » Et item Filius in Evangelio : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.» Ergo quod dicit: « Tradita mihi sunt omnia a Patre meo, » non debemus intelligere ei fuisse tradita cœlum et terram, mare et cætera elementa, quæ simul cum Patre condidit, et creavit, sed traditi ei sunt sancti et electi viri, et parvuli ex omnibus

B gentibus, pro quibus ipse supplicans Deo Patri gratias egit.« Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius ? » Hæc enim verba videntur sonare ut nullus possit agnoscere Patrem nisi Filius, et rursus nullus possit agnoscere Filium nisi Pater. Quod non est ita sentiendum, sed sic est accipiendum quia Pater et Filius per ipsum revelatur. Et est sensus : nemo novit quod sit in Filio nisi Pater, et nemo novit quod sit in Patre nisi Filius, et cui ipse voluerit revelare ; quia aliud est nosse quod novit æqualitate naturæ, et aliud est nosse quod novit revelantis dignatione; ipse est enim lumen mentium nostrarum. Deus ergo potens revelat se Verbo, id est Filio suo; Verbum autem id est Filius et se, et Patrem revelat, et dum se revelat et Pater eum revelat, quia ipse et Pater unum sunt.

C Ergo quod sequitur, « et cui voluerit Filius revelare, » ad utrumque referendum est, scilicet ad Patrem et Filium. Et quod Pater eum revelet manifestat Apostolus cum dicit:« Cum autem complacuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam ut revelaret Filium suum in me, ut annuntiem eum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.» Sequitur autem : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » His verbis Dominus genus humanum alloquitur, et eos ad se vocat qui in difficultatibus legis laborant, vel idololatriæ, seu sæculi peccatis onerati erant sed maxime illos qui vocem Domini audire et sequi meruerunt. Ait enim : Venite, non pedibus sed moribus, non corpore sed

D fide, iste est namque spiritualis accessus, quo quisque valet apparere Deo, de quo Psalmista ait:« Accedite ad eum et illuminamini.» Ad me, id est non ad hominem, non ad extraneum, non ad deceptorem, sed ad Salvatorem. Pulchre quidem subjunxit: « omnes,» quia sicut Apostolus dicit: « Ips omnes vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire. » Et ideo nulla est apud eum distantia inter gentem et gentem, sexum et sexum, linguam et linguam, ætatem et conditionem. « Qui laboratis » sæcularibus negotiis, seu laboratis gravia legis pondera ferentes, « et onerati estis» diversis sceleribus atque peccatis. A deceptione namque primi homi-

nis humanum genus sub conditione diaboli laborabat, exceptis illis qui sola Dei gratia liberari meruerunt, unde Psalmista aiebat : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. » Et pulchre Dominus subjunxit : « Ego vos reficiam, » quia ipse est panis angelorum, et summa refectio atque satietas beatorum spirituum, unde propheta mente conspiciens dicebat : « Satiabor cum apparuerit gloria tua. » Refectionis deinde modum ostendit cum dicit : « Tollite jugum meum super vos, » ac si diceret : Deponite jugum legis et sumite meum, id est non interemptoris sed Redemptoris. Multum quippe distat inter jugum diaboli et Christi, et inter jugum legis et Evangelii. Jugum, diaboli peccatores deprimit, illud Christi vero erigit. Jugum legis severitatis pondere peccatores aggravat, jugum evangelicæ gratiæ spem veniæ promittendo sublevat. Et quod hoc jugum Christi genus humanum suscepturum esset, longe ante prædixit Sophonias propheta cum ait : « Et vocent omnes in nomine Domini, et serient ei humero uno ultra flumen Ethiopiæ ; inde supplices mei venient filii dispersorum meorum deferentes murum mihi. » Servient ei humero uno, id est una fidei devotione, quasi sub uno jugo. « Et discite a me. » Quid sit discendum manifestat cum subjungit : « quia mitis sum et humilis corde, » ac si diceret : Vos aliquando eratis immites et superbi, a me ergo et in me discite humilitatem et mansuetudinem, « et invenietis requiem animabus vestris, » quasi diceret : Jam fastigati estis quia requiem quæsitivis et invenire non potuistis, quia non invenitur vita in provincia mortis, neque gaudium in patria mœroris, neque requies in regione laboris. Ad me ergo venite quia ego sum totum quod quæritis. Et ne forte homines audientes jugum expavescerent, idcirco subjunxit : « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve, » scilicet ne paveatis cum jugum audistis, quoniam suave et leve est. Sed quærendum est quare Dominus dicat jugum suum suave et onus leve cum Psalmista dicat : « Ego custodivi vias duras ; » et ipse in Evangelio : « quam angusta porta est, et arcta via. » Hæc tamen non debent videri inter se contraria. Jugum enim suum volentibus leve est, sed grave nolentibus : grave est inchoantibus, sed leve est proficientibus, et usque ad perfectionis calcem pervenientibus. Durum et asperum est quia multis quæritur, sed a paucis invenitur. Sive jugum suum leve dicit ut ostenderet jugum legis grave ; jugum enim legis grave erat, quia suæ severitatis pondere mortificabat ; jugum vero Christi leve est quia peccatores spe veniæ et cœlestium promissionum vivificat. Et quod jugum legis grave sit, manifestat Petrus apostolus cum ait : « Ut quid denuo vultis imponere jugum legis ? » Quid suavius vero jugo Christi, aut quid levius onere gratiæ evangelicæ ? Et vere leve est sceleribus non acquiescere, probabilem fieri inimicis propter Dominum, amicos in Domino diligere, A omnes amare, neminem odisse, bonum velle, malum nolle, et quod sibi non vult fieri, aliis non inferre.

HOMILIA XI.

In illud Matthæi : *Ascendens Jesus Hierosolymam assumpsit duodecim discipulos suos secreto, et ait illis : Ecce ascendimus Hiesorolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis*, etc.

Prævidens Dominus animos discipulorum ex sua passione perturbandos, idcirco et ejusdem passionis pœnam, et suæ resurrectionis gloriam prædixit, ut cum cernerent eum morientem, sicut prædixit, non dubitarent eum resurrecturum sicut promisit. Armavit quippe eos cum prædixit eis mala quæ erat B passurus, quoniam levius feruntur mala præscita, quam ea quæ subito accidunt. Destruitur his verbis error infidelium, et dementia illorum qui solent Dominum deridere, et dicere quod ipse coactus ductus fuerit ad passionem ; nam sicut hic manifestatur, ipse et tempus passionis præscivit, et locum ejusdem passionis intrepidus adiit. Monentur etiam sancti prædicatores in hoc facto ut suis auditoribus antiqui hostis insidias et mala quæque evenire possunt prænuntient, quatenus fortiter adversus antiqui hostis insidias superare, et adversa quæ illis accidunt levius ferre possint. Sequitur : « Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans et petens aliquid ab eo. » Quod dicit « Tunc » ad superiora respicit, id est quando suæ passionis pœnam et resurrectionis gloriam discipu-C lis prædixit. Sed quærendum est unde sumpsit ista mater filiorum Zebedæi occasionem accedendi ad Dominum, et postulandi aliquid ab eo. Dominus enim discipulis tristitiam prænuntiavit, id est prædixit ignominiam passionis ; unde ergo sumpsit occasionem accedendi ad Dominum, ut postularet ab eo gloriam regnandi ? Recordabatur illa quia Dominus superius promisit discipulis suis dicens : « Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. » Et quia Dominus post omnia dixerat : « et tertia die resurget, » putavit eum statim post resurrectionem venturum esse ad regnandum, et quod in primo adventu complendum esset, quod D complendum erat in secundo. Idcirco femina aviditate immemor futurorum tantum præsentia desideravit. « Qui dixit ei quid vis ? » Dominus enim non quasi nescius interrogavit ut audiret quid ipsa vellet, sed ut illa exponente, ipse irrationabilem et reprehensibilem esse ostenderet petitionem illius et filiorum ejus ; petebant enim quasi religiosi et amatores cœlestis patriæ, sed non quasi sententiam habentes utilium et innoxiarum petitionum. Sæpe namque permisit Dominus discipulos suos non recte cogitare aliquid, aut dicere, vel etiam facere, ut [illegible] expo-nendi regulam pietatis ; sciebat enim quia ipse eorum,

error nihil eis nocebat præsente magistro, et ejus doctrina omnes ædificaret non solum in præsenti, sed etiam in futuro. At illa dixit : « Ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram tuam in regno tuo. » Postulavit hæc mater muliebri errore, et pietatis affectu nesciens quid diceret. Et quid mirum si ista redarguatur imperitiæ et ignorantiæ, cum superius dictum sit de Petro, quando is voluit facere tria tabernacula nesciens quid diceret ? Sed quærendum est quare dicat beatus Matthæus istam mulierem accessisse ad Dominum, cum Marcus dicat filios ejus accessisse : sed sciendum est quia mater ad Dominum suggerentibus filiis accessit ; sciebant enim matrem suam dilectam esse a Domino, et idcirco affectum et voluntatem propriam per eam Domino manifestare voluerunt. Et propterea beatus Marcus ut eorum desiderium et consilium legentibus notum faceret, tacuit de interveniente matre, et illos solos narrat accessisse, quibus suggerentibus mater accessit. Unde et Dominus secundum utrumque evangelistam non matri, sed filiis respondit dicens : « Nescitis quid petatis ; » nesciebant enim quid peterent, quia sedem gloriæ quam non merebantur petebant ; vel nesciebant etiam quid peterent, quia putabant quod aliquis sedere posset in illo regno ad sinistram, cum in die ultimi examinis omnes fideles statuendi sint ad dexteram summi Regis et Judicis, cum illius regnum nihil habeat sinistrum, et illa felicitas nihil habeat reprobum. Isti enim quamvis non deberent accipere quod quærebant, verumtamen eorum simplicitas non merebatur confundi, quia ex amore Domini nata erat. Et quia simpliciter postulaverunt, idcirco Dominus eorum affectum aut simplicitatem non reprehendit, sed ignorantiam et imperitiam culpavit dicens : « Nescitis quid petatis, » ac si aliis verbis diceret : bonum quidem est vestrum desiderium, sed inconsiderata petitio ; rem honestam postulatis, quia mihi vultis conjungi in regno ; delectat vos culmem honoris, sed tamen necesse est ut prius vos exerceat via laboris. Sequitur : « potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ? » Calicem appellat amarissimam passionem ; nomine namque calicis vult intelligi passionem martyrii per quam necesse erat ut ipse et illi consummarentur. Hinc est quod Dominus appropinquans passioni dicebat : « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. » Et Psalmista : « Calicem salutaris accipiam, » Sed quærendum est quare Dominus istos interrogavit : « potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ? » An ignorabat ipse si eum possent imitari per passionem ? Non, sed ideo interrogare voluit ut illo interrogante, et ipsis respondentibus « possumus, » nos quidem audiremus et intelligeremus, quia nullus valet cum Christo regnare in cœlis, nisi studeat eum

A imitari per passionem ; nullus etenim sublimiter valet regnare cum Christo, nisi prius humiliter studuerit pati pro ipso. Unde Apostolus dicit : « Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis ejus erimus. » Et item. « Si compatimur et conregnabimus ; et si socii fuerimus passionis, erimus et consolationis. » Attamen isti responderunt « possumus » non tantum ex confidentia cordis et fiducia suæ fortitudinis, quantum potius ex ignorantia, nescientibus quidem illud ; desiderabile est bellum scientibus, valde vero formidabile. Similiter et inexpertis levis videtur tentatio passionis et mortis. Si enim Dominus appropinquans passioni orabat : « Pater, si fieri potest, transeat a me

B calix iste ; » multo minus isti respondissent « possumus, » si scirent qualis esset in præsenti dolor passionis, et timor mortis ; habet enim passio magnum dolorem, et mors magnum timorem. Sequitur : « Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. » Pulchre autem dicit « meum, » id est sive me imitando, sive pro confessione nominis mei. Sed quærendum est quare dicat Dominus calicem meum bibetis, cum unus quidem eorum, id est Jacobus, per effusionem sanguinis vitam finierit, alter vero, id est Joannes, in pace Ecclesiæ quieverit. De passione namque Jacobi Lucas apertissime in Actibus apostolorum manifestat cum dicit : « Misit Herodes rex

C manus ut affligeret quosdam de Ecclesia ; occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. » Joannes vero, sicut in Patrum litteris legitur, et sicut fideles historiæ referunt, cum jam longo confectus senio sciret sibi imminere diem mortis, convocatis fidelibus post missarum celebrationem, et monita exhortationis, ultimum eis valefecit, ac deinde descendens in defossum sepulturæ suæ locum, facta oratione appositus est ad patres suos, et sic a dolore mortis extraneus fuit, sicut alienus fuerat a corruptione carnis. Quomodo ergo Joannes calicem Domini bibit, qui absque dolore mortis migravit de mundo ? Sed sciendum quia duobus modis calix Domini bibitur. Uno modo cum mors illata a persecutore patienter suscipitur ; altero

D vero cum animus paratus est ad perferendam mortem, et via digna geritur martyrio. Joannes ergo calicem Domini bibit, quia paratus fuit ad perferendam mortem, et vita ejus digna erat martyrio. Nam duo sunt genera martyrii, unum in aperta persecutione, alterum vero in occulta carnis maceratione. Joannes ergo calicem Domini bibit, et si non bibit in aperta persecutione, bibit in occulta carnis maceratione. Verumtamen bibit Joannes calicem Domini etiam per passionem ; nam, sicut in Actibus apostolorum legitur, cum cæteris apostolis carcerem et verbera sustinuit : « Ibant enim gaudentes a conspectu concilii, quo-

niam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Et ob insuperabilem prædicationem Evangeli a Domitiano impiissimo principe missus est in ferventissimo olei dolio, de qno ita illæsus exivit a dolore passionis, quemadmodum extraneus fuerat a corruptione carnis, et relegatus est exsilio in Pathmos insula. Joannes ergo cum fratre suo calicem Domini bibit, quia qui talia ac tanta sustinuit, aperte demonstratur quia paratus erat ad perferendam mortem etiam, si ei a persecutore inferretur. Sed quærendum est quomodo verax magister dicat : « Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, » cum ipse alibi dicat : Omnia mihi tradita sunt a Patre meo;»et item:»Omnia quæcumque facit Pater,hæc eadem et Filius facit.»Si enim Filius similiter facit omnia quæ et Pater,quid est ergo quod dicit: Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis? Tribus namque modis intelligi potest. Non est meum dare dicit,quia regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis; apud Dominum namque non est personarum acceptio,et ideo regnum cœlorum non tribuitur juxta personarum acceptionem,sed juxta qualitatem meritorum,non enim præparatum est illud regnum personæ sed vitæ.Qui ergo talem se exhibuerit ut dignus sit percipere,continuo accipiet;et vos itaque si tales exstiteritis ut digni sitis consequit continuo percipietis regnum quod Pater meus paravit torpentibus, sed victoribus et triumphantibus.Aliter non est meum dare vobis,id est superbis talibus,quales vos estis qui exaltari cupitis, sed humilibus corde,quibus paratum est a Patre meo. Ergo si vultis illud accipere, nolite esse quod estis, aliis enim præparatum est; et vos ideo alii estote et vobis etiam præparatum est.Quid est alii? id est prius humiliamini qui exaltari cupitis. Aliter, sicut dicit Beda : Sinistra Domini quando in bona parte ponitur, hanc præsentem vitam sanctæ Ecclesiæ designat, dextera namque ipsius beatitudinem superni regni significat. Unde dicit Salomon : « Longitudo regni dierum in dextera ejus,gloria et divitiæ in sinistra ipsius. » Quippe vero in dextera ipsius longitudo constat dierum? quia in illa vita beata indefectiva lux sanctis tribuitur; in sinistra vero gloria et divitiæ, quoniam in hujus vitæ peregrinatione gloria fidei et divitiis virtutum reficimur. Accipit quis sedere ad dexteram cum in cœlestis beatitudinis regno de præsenti sui Conditoris visione lætatur;percipit et sedere ad sinistram cum in hujus peregrinatione vitæ aliis præsidere suscipit regimine sacerdotii.Constat ergo notissimum esse quia hi duo filii Zebedæi non unus ad dexteram,et alter ad sinistram Domini sedere perceperunt, sed ambo ad tempus ad sinistram, quoniam apostolatus officio aliis præsederunt; nunc vero ambo ad dexteram sedent, quia de præsenti sui Conditonis visione lætantur. Quod vero Christus dicat : « Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, » sciendum est quia Dominus in Evangelio aliquando ex substantia humanitatis, aliquando ex illa divinitatis loquitur. Et quia hæc mater filiorum Zebedæi honorem ad substantiam humanitatis retulit, et gloriam regnandi in corporali ejus præsentia collocaverat,idcirco Dominus secundum eamdem substantiam eis respondit ac si diceret : Secundum hanc substantiam, qua vobiscum bibiturus sum calicem, non est meum dare vobis : verumtamen meum est id tribuere secundum substantiam divinitatis, quia per omnia æqualis sum Deo Patri. Sequitur : « Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. » Indignati ergo sunt alii decem apostoli non matri filiorum Zebedæi, sed duobus fratribus, et audaciam petitionis non ad matrem, sed ad filios retulerunt, quibus suggerentibus accessit mater, quia ignorantes propriam mensuram immoderata cupiditate exarserunt.Et hoc sciendum quod sicut illi duo carnaliter petierunt ut supra omnes essent, ita et isti decem carnaliter indignati sunt; si enim spiritualiter sapuissent, nullo modo petiissent ut supra omnes essent, et si isti spiritualiter intellexissent, nullo modo indignati essent super desiderio duorum. Nam sicut vituperabile est velle esse super omnes, ita et valde gloriosum est alios patienter supra se sustinere. Sed ille pius et mitis Magister nec istos duos immoderatæ cupiditatis redarguit, nec illos decem indignationis et livoris reprehendit, sed omnes ad viam humilitatis revocavit, et ostendit eis exemplum quo doceret illum esse minorem qui est major omnium,et illum esse Dominum qui est servus cunctorum,ait enim : « Nescitis quia principes gentium dominantur earum?»Ac si diceret:Qui enim principes sunt in gentibus imperant subjectis,et qui majores sunt potestatem exercent in minores; sed inter vos non erit ita, quia qui voluerit esse major, erit vester minister, et qui voluerit esse primo erit vester servus. Ostendit enim Dominus his verbis quia humilitate pervenitur ad regnum, simplicitate vero penetratur cœlum : quisquis enim vestigia divinitatis tenere desiderat necesse est ut exemplum humanitatis sequatur.Quicunque fratrem vult prævenire in regnando,necesse est ut præveniat eum in obsequendo; et sicut ipsi terrenam similitudinem fortasse contemnerent, se ipsum proposuit eis exemplum, ut si dicta ipsius parvipenderent,confunderentur ad opera.Dicit ergo: « Sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam pro multis. » Pro multis quidem dicit, pro illis scilicet qui in eum credere voluerunt; et cum dicit « animam, » destruitur error illorum qui dixerunt Dominum non veram animam sumpsisse.

HOMILIA XII.

IN ILLUD MATTHÆI : *Accesserunt ad Jesum Scribæ et Pharisæi; dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum, non enim lavant manus suas cum panem manducant?*

Mira quidem Scribarum et Pharisæorum stultitia, qui Dominum quidem reprehendebant cur præcepta

et traditiones hominum non servaret! » Quare, » inquiunt, « discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum? » His namque verbis aperte demonstratur intentio Scribarum et Pharisæorum quare venerint, videlicet non ad discendum, sed ad reprehendendum. Reprehendebant discipulos Domini non de ista lavatione, quæ consueto more agitur, sed de illa superflua, quæ superstitiosa traditione seniorum fuerat recepta. Quæ autem ea fuerit manifestat Marcus cum ait : Pharisæi enim et omnes Judæi nisi crebro lavent manus suas non manducant panem, servantes traditionem seniorum, et a foro redeuntes, nisi baptizentur non comedunt, et multa alia sunt quæ tradita sunt illis servare baptismata calicum et urceorum, et æramentorum, et lectorum. Lavandæ ergo sunt manus non tam corporis quam totius cordis, id est purganda sunt opera, ut in illis impleatur verbum Dei. Dominus namque Scribarum et Pharisæorum calumniam vera responsione confutavit, et reprehendit dicens : « Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? » Et est sensus : Quare cum vos præcepta Dei negligatis ut traditiones et præcepta hominum servetis, judicatis discipulos meos esse redarguendos qui traditiones et præcepta hominum contemnunt, ut jussa Dei custodiant? In quo facto monstratur illud jam esse completum quod Isaias prophetaverat dicens : « Redarguit iniquitatem pro mansuetis terræ. » Et quasi ipsis interrogantibus, ubi transgredimur præcepta Dei? respondit : « Nam Deus dixit : Honora patrem tuum et matrem, et qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. » Vos autem dicitis quicunque dixerit patri vel matri munus quodcunque est ex me tibi proderit. » Honor in sacris Scripturis non semper significat subjectionem, aut capitis humiliationem in salutationibus, vel in quibusdam officiis deferendis, sed significat largitatem eleemosynarum et oblationem munerum, et quod ita sit, manifestat Apostolus cum ait : « Honora viduas, quæ vere viduæ sunt. » Hic enim honor donum significat, id est tribue viduis necessaria. Alibi vero presbyteros duplici honore admonet esse habendos ; maxime tamen illos, qui in verbo et doctrina laborant, admonet esse remunerandos. Hinc præceptum est in lege ut os bovi trituranti non claudatur ; hinc et Dominus in Evangelio ait : « Dignus est enim operarius mercede sua. » Providens namque Dominus imbecillitati parentum, et ætati eorum, et penuriæ, præcepit in lege ut filii honorarent parentes suos, id est eorum penurias sustentarent. Hinc providentissimam Dei legem Scribæ et Pharisæi volentes subvertere et violare, docebant filios ut ea quæ ministranda erant parentibus consecrarent et voverent Deo, et dicerent : « Munus quodcunque est ex me tibi proderit, » ac si diceret : O pater et mater, ea quæ vobis subministrare debui, Deo consecravi, et ideo munus, quod ex me est, non solum mihi proderit, sed etiam tibi, ut dum hæc parentes audirent magis eligerent famis inopiam pati et penuria affici, quam ea exigerent quæ Deo consecrata audirent. Potest et aliter sic intelligi : munus quodcunque est ex me tibi proderit, id est quidquid habere possum, o pater et mater, in tuos usus consumo et cibos, et ob hoc non habeo quid Deo offeram ; ut dum parentes hæc audirent, similiter magis inopiam pati, et penuria affici optarent, quam ea sutraherent quæ filii Deo offerre volebant. Agebant enim Scribæ et Pharisæi callide, ut ea quæ tribuenda erant parentibus converterent in usus sacerdotum, quatenus sub hac occasione terrena lucra sibi cumularent; et hæc facientes sensum legis violabant : unde merito reprehenduntur a Domino dicente : « Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. » Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. » Hypocrita dicitur simulator, qui aliud opere simulat, et aliud corde gestat. Isti ergo bene hypocritæ dicuntur, quia sub honore Dei terrena lucra sibi accumulare cupiebant. Judæorum namque populus labiis et ore appropinquare et eum honorare videbatur, quia unius Dei cultum se habere gloriabatur; sed corde longe ab eo recessit, quia visis signis atque miraculis, nec divinitatem ejus cognoscere, nec eum suscipere voluerunt. Potest etiam intelligi hoc dictum non solum de Judaico populo, sed et de nonnullis in Ecclesia; appropinquamus enim Domino non corpore sed mente. Sunt enim plurimi in Ecclesia, qui frontes suas signo crucis muniunt, sed tamen longe ab eo recedunt, quia pravis operibus ei contradicunt. Sine causa enim colunt me docentes doctrinam meam. Sine causa, id est sine fructu salutis, et sine ulla utilitate et absque ulla mercede. Sequitur : « et convocatis ad se turbis dixit. » Turbas convocatas appellat turbas discipulorum, et credentium : « Non quod intrat in os coinquinat hominem. » Judæi enim summam et maximam religionem putabant esse in observatione ciborum, sed omnis eorum superstitiosa observatio his verbis destruitur, quibus Dominus ait : « Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quæ de ore procedunt. » Ostendit enim Dominus his verbis quia per illa genera animalium, quæ probibita sunt in lege comedi, non creatura Dei condemnatur, neque immunda esse decernitur, sed vitia hominum reprehenduntur. Præceptum namque fuit in lege ut illa animalia non comederentur quæ neque ruminant neque ungulam dividunt, et illa quæ ruminant et non dividunt ungulam, et illa quæ dividunt ungulam, sed non ruminant. Per illa enim animalia quæ nec ruminant, neque ungulas dividunt possunt intelligi infideles, qui bona a malis nesciunt separare, et præcepta Dei meditando, et memoriæ commendando non ruminant. Per illa vero quæ ruminant et non dividunt ungulam possunt intelligi Judæi, qui præcepta Dei meditando et memoriæ commendando ruminare videntur, sed tamen ungulam non dividunt, quia bona a malis non separant. Per illa vero quæ ungulam dividunt et non ruminant, possunt intelligi

mali catholici, qui bona a malis separare sciunt, sed tamen præcepta Dei meditando, et memoriæ commandando non ruminant. Per corvum quoque illi possunt intelligi qui humanum sanguinem fundere gaudent ; per cignos designantur elati ; per accipitres et milvos illi qui aliena rapiunt ; per pisces qui nec squamas, nec pinnulas habent, ac maxime in luto commorantur, immundi et impuri homines designantur qui volutantur in cœno peccatorum. Sive per hujusmodi pisces possunt intelligi mali catholici qui non habent squamas bonorum operum, neque pennas virtutum, et ideo saltus super aquas dare non possunt, id est cœlestia penetrare non valent. Sed forte quæret aliquis cum Dominus dicat : « Non quod intrat in os coinquinat hominem, » quare non sit licitum vesci de idolothitis, aut quare dicat Apostolus : « Non potestis bibere calicem Domini et calicem dæmoniorum. » Sed sciendum est quia omnis creatura Dei per se bona et munda est, sed invocatio dæmoniorum facit ea immunda, et ideo non est licitum comedere idolothita. Quicunque enim tantæ fidei est ut intelligat creaturam Dei nullo modo coinquinari posse, sanctificetur per verbum Dei et orationem, et comedat quæcunque vult. Hinc est quod Apostolus præcepit esse comedendum quidquid in macello venundatur, nihilque interrogandum, quia si aliquis dixerit hoc idolothitum est, præcepit non esse comedendum propter conscientiam alterius, illius videlicet qui scandalizatur. « Tunc accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? » Pharisæi namque audito verbo quod Dominus ait « non quod intrat in os coinquinat hominem » scandalizati sunt, quia summam et maximam religionem putabant esse in observantia ciborum. Sed ista vos, id est scandalum, quamvis usitatissima sit, tamen videndum est quid significet. Scandalum est offendiculum, sive ruina, sive impactio pedum ; quod ergo Dominus ait :« Qui scandalizaverit unum de pusillis istis,» sic est intelligendum qui suo dicto vel facto occasionem ruinæ alicui ex minimis istis dederit. « Et ait illis : omnis plantatio quam non plantavit Pater meus eradicabitur Et est sensus: Omnis falsa doctrina, et superstitiosa observatio cum suis auctoribus permanere non potest ; et quia a Deo Patre non est, idcirco cum eisdem eradicabitur. Illa ergo sola permanebit quæ a Deo Patre est. Videndum est ergo si illa plantatio quam Apostolus plantavit eradicanda sit, an non. Ait enim : « Ego plantavi, Apollo rigavit : » Hæc namque apostolica plantatio, quia a Deo Patre est, idcirco permanebit : unde ipse mox subjungit : « Deus autem incrementum dedit. » Sequitur : « Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum. » Hoc est quod Apostolus dicit : « Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est hujusmodi, et a semetipso damnatus. Juxta hunc sensum præcepit Dominus in hoc loco

A ut omnes hæretici et quilibet pessimi doctores proprio arbitrio relinquantur, quoniam difficulter possunt trahi ad scientiam veritatis: et quia cæci erant idcirco cæcos populos ad errorem trahebant. Scribæ enim et Pharisæi cæci erant quia scandalizabantur ; duces cæcorum erant, quia eos, quos docebant, ad errorem trahebant. Unde et pulchre subditur ; « Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt, » Potest hoc intelligi dictum non solum de Scribis et Pharisæis, sed etiam de hæreticis et quibuslibet prave docentibus ; quoniam si hæreticus hæretico, et peccator peccatori ducatum præstet, ambo præcipitantur in foveam æternæ damnationis. Sequitur: « Respondens autem Petrus dixit : Edissere nobis parabolam istam: « consueverat quippe Dominus loqui parabolice, et ideo

B Petrus cum audisset eum dicere« non quod intrat per os coinquinat hominem,» illum parabolice fuisse locutum putavit, et ideo interrogavit ; et quia sub persona et ore cæterorum hoc dixit, idcirco simul cum eis correctus et reprehensus est a Domino dicente : « Adhuc et vos sine intellectu estis ?» His verbis aperte demonstratur quia vitiosus et reprehensibilis est auditor, qui simplicem sententiam parabolice, et quod parabolice dicitur, simpliciter vult intelligere. Sequitur : « Non intelligitis quia omne quod in os intrat in ventrem vadit, et in secessum emittitur?» Fuerunt enim hæretici qui dixerunt Dominum ignarum fuisse physicæ disciplinæ, quia dixit: Omne quod in os intrat in ventrem vadit et in secessum emittitur. Physici enim dicunt quia

C mox ut escæ et cibi sumuntur, virtus eorum et liquidus humor per artus, venas et nervos diffunditur ; unde nonnulli post prandium aut cœnam quamvis vitio stomachi evomant ea quæ sumpserunt, tamen rubicundiores et corpulentiores solent apparere. Illi enim, dum Domini imperitiam ostendere voluerunt, se imperitos et stultos demonstraverunt. Nam, quamvis virtus ciborum, et tenuissimus humor eorum per artus, venas et nervos eorum diffundatur, verumtamen per occultos meatus, quos Græci poros vocant, ad inferiora descendunt, et in secessum emittuntur, ut iterum novos cibos sumant. Sequitur « De corde enim exeunt cogitationes malæ. » Destruitur his verbis error Platonicus, qui dixit principale hominis, id est sensus et intellectus, esse in

D cerebro. Juxta Platonem ergo principale hominis est in cerebro, juxta Dominum vero in corde. Reprehenduntur etiam in hoc loco illi qui dicunt omnes malas cogitotiones a diabolo immitti, et non propria voluntate nasci. Diabolus namque adjutor et incentor malarum cogitationum esse potest, sed auctor nullo modo potest existere. Cum enim diabolus aliquam levem scintillam malarum cogitationum fomite suæ malitiæ succendit et inflammat, non debemus intelligere quia ipse interiora cordis nostri valeat investigare, aut cogitationes intelligere, sed aliquando per habitum et motum exterioris hominis cognoscit interiora. Verbi gratia, si viderit nos intente inspicere vultum mulieris, intel-

fugit animum nostrum vulnerare jaculo amoris, et studet eumdem succendere flamma carnalis delectationis. De nominatis autem vitiis quæ in divina lege prohibentur pulchre Dominus subjunxit:«Hæc sunt quæ coinquinant hominem, » id est immundum et impurum reddunt. Cum enim subjungit ; « Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem, » aperte ostendit non corporalem, verum potius spiritualem lavationem sibi placere et gra[illegible] esse. De qua lavatione Dominus per Prophetam dicit : « Lavamini, mundi estote. » Et, ne nos putaremus hanc lavationem corporalem esse, subjunxit:« Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.» Hinc enim dicit malas cogitationes exire de corde, illic vero præcipit eas auferre ; fructus namque malarum cogitationum sunt vitia quæ inde sequuntur.

REMIGII MUSICA

(Apud D. Gerbertum, Scriptores de Musica, tom. I.)

MONITUM.

Nihil non egi, ut sequentem Remigii Altissiod. Collectionem Glossarum in Martiani Capellæ de nuptiis philologiæ lib. IX correctiorem redderem collatione mss. Parisiensium quatuor quidem bibl. reg. unius, deinde Victorinæ : sed frustra omnia, ut ex litt. quas P. Steph. Clement Congr. S. Mauri Benedictinus, cui apographum debeo, 24 Augusti anni 1774 ad me dedit, palam fit ; « Je voudrais être également en « état de vous satisfaire touchant les deux manuscrits du commentaire de Remy d'*Auxerre* sur *Martianus* « *Capella*. Mais j'ai l'honneur de vous répéter ce que je vous ai déjà mandé, qu'il n'y a pas ici d'antiquaire capable de les déchiffrer. S'ils étaient entièrement semblables, ils serviraient réciproquement pour s'expliquer l'un par l'autre. Mais ils varient tellement entre eux, qu'on les prendrait pour deux ouvrages différents. Celui qui avait fait la copie informe, que je vous envoyai dans le temps, n'existe plus et je ne connais personne qui puisse deviner ce qui a échappé à sa pénétration. Il faudrait un homme qui eût fait une étude particulière des abréviations de musique, mais où le trouver ? » Solum igitur glossas has cum ipsius Martiani textu conferre licuit, quem charactere cursivo expressimus.

Omnis ars musica proportionibus constat, id est consonantiis. (*Dico, quidquid recte sonuerit*) *aut tonum esse aut hemitonium aut quartam* scilicet *partem toni quæ. Diesis appellatur.* Diesis divisio toni, quæ fit aut in duas aut in tres aut in quatuor partes. *Verum tonus est spatium* Græce systema Latine spatium inter chordam et chordam *cum legitima quantitate,* id est cum ratione Epogdoi, id est superoctavi, legitima quantitate, id est octava parte ; nam tonus in Musica Epogdous est Arithmetica, et ita tonus est in Musica sicut octo ad novem in Arithmetica; legitima quantitas est ratio Epogdoi, quæ totam metitur musicam, qui scilicet *tonus ex duobus sonis,* id est ex duabus chordis *diversis inter se invicem, continetur* id est ut gravior unus, acutior alter sit verbi gratia, *tunc præcepit eos. Hemitonium dicitur quod toni medium tenet,* id est mediam partem toni, licet in duo æqua non possit unquam dividi. *Dieseos* genitivus Græcus, *distantiæ* id est differentiæ *tres sunt. Tetrartemoria dicitur* quarta pars, tetrarte quarta, moros pars, *ex eo,* id est ideo Enarmonios una pars, id est inadunatus, quod et maximis et minimis spatiis dividitur ; maximis quod sæpe in uno spatio duo toni inveniantur, sæpe sola quarta pars, dicitur scilicet illa Diesis, quæ tetrartemoria vocatur, *propterea* ideo *quod Enarmonion modulandi genus,* harmonia est consonantia et coadunatio vocum, *per hanc* scilicet quartam partem *maxime dimetimur. Secunda* scilicet distantia dieseos *ab illa,* id est prima quæ et quarta, id est diesi *major est. Nam tritemoria,* id est tertia pars toni *nominatur quod habet tertiam partem toni* vel enchromatice, appellatur [1] scilicet ipsa tritemoria, chromatice id est colorabilis: sicut enim inter album et nigrum color aliquis ponitur ita inter diatonium et enarmonium locum medietatis obtinet chromaticum, chroma Græce, Latine color, *finditur* metitur. *Tertia vero,* scilicet distantia *habet toni tertiam partem ac dimidiam tertiæ,* id est sextam, dimidia tertiæ sexta est ; sexta autem et tertia dimidium faciunt. Duodenarius quippe numerus, tertiam partem sui in quaternario ponitur, sextam vero in binario ; sexta autem pars, id est binarius adjuncta tertiæ parti quaternario videlicet dimidium duodenarii, id est senarium numerum efficit in dimidia, id est diapente vel sesquialtera, Hemiolion conpositum est ex hemis et holon, id est dimidium et totum, quod major numerus habet minorem totum et dimidium minoris, ut est tenarius ad binarium. et dimidium binarii, id est unum, duo quippe et unum tertium faciunt, quæ proportio sesquialtera vocatur. *Et harmoniæ divisio,* id est consonantia complet, continet vel *complectiur.*

Tonus igitur idem plerumque appellatur et sonus.

[1] Mart., « itemque chromatice appellatur, quod chromaticum modulandi genus per ipsam finditur. »

Inter sonum et tonum hoc distat, quod tonus est percussio duarum chordarum vel duæ voces diverse inter se sonantes, sonus in una chorda fit estque vox aliqua uniformiter et æqualiter procedens ; aliquando tamen tonus appellatur et sonus. *Verum soni*, id est chordæ *sunt per singulos quosque ac per omnes tropos* qui sunt *numero* XVIII. *Quorum* scilicet sonorum *primus dicitur apud Græcos* προσλαμβανόμενος, *apud Romanos vero idem dicitur acquisitus*, deinde per parenthesin, *quod eadem voce*, id est Romana, *nos uti summus Jupiter statuit.* Musica loquitur, quæ Græca erat et Græce artes exponere volebat. Proslambanomenos hæc chorda gravissima est omnium et extra alias posita. *Secundus*, scilicet sonus, ὑπάτη, ὑπάτων *hoc est principalis principalium :* ὕπατος Græce, Latine *consul*, sed non verbum e verbo, sed sensum e sensu iste transfert. *Tertius* παρυπάτη ὑπάτων, *id est subprincipalis principalium. Par* (παρὰ) juxta et adjacens exprimitur, quamvis iste non attendens vim verbi *par* pro *sub* posuerit, et etiam pro alio alibi sensu, sicut in sequentibus videbitur. *Quartus* ὑπάτων διάτονος, *id est principalium extenta. Quintus* ὑπάτη μέσων, *id est principalis mediarum. Sextus autem* παρυπάτη μέσων, *quod est subprincipalis mediarum. Septimus* μέσων διάτονος, *id est mediarum extenta. Octavus* μέση, *hoc est media. Nonus* τρίτη συνημμένων, *id est tertia conjunctarum. Decimus* συνημμένων διάτονος, *hoc est conjunctarum extenta.Undecimus* νήτη συνημμένων, *id est ultima conjunctarum. Duodecimus* παραμέση, *hoc est prope mediam. Tertius decimus* τρίτη διεζευγμένων, *tertia divisarum. Quartus decimus* διεζευγμένων διάτονος, *quod est divisarum extenta. Quintus decimus* νήτη διεζευγμένων, *id est ultima divisarum. Sextus decimus* τρίτη ὑπερβολαίων, *id est tertia excellentium*, id est acutarum. *Septimus decimus* ὑπερβολαίων διάτονος, *hoc est excellentium extenta*, id est acutarum. *Octavus decimus* νήτη ὑπερβολαίων, *id est ultima excellentium*, id est acutarum. *Hi sunt igitur soni, qui modulationem apte et cum ratione componunt ;* nam sine ratione confusa vox est. *Constat autem omnis modulatio ex gravitate soni*, id est ex inæqualibus, *vel acumine:* omnis modulatio ex inæqualibus constat ; si enim aliter fuerit, jam non erit modulatio. *Gravitas dicitur, quæ modi*, id est soni, *quadam emissione*, id est descensione, remissione vel productione *mollescit*, dulcescit, remittitur. *Acumen vero* dicitur, id est altitudo, *quod in aciem*, id est in acumen vocis, *tenuatam*, extenuatam, id est subtilem, *gracilis et erectæ modulationis*, id est extentæ, non remissæ, sed in altum acute *extenditur.*

Ex supradictis itaque sonis, id est XVIII, *qui et singulis* scilicet tropis *et omnibus tropis*, id est XV, in singulis et in omnibus tropis (*rite conveniunt*), omnes enim tropi ex prædictis sonis componuntur, et in singulis tropis inveniuntur, *symphoniæ tres sunt, quarum prima diatessaron*, ut est « tibi dixit cor meum » *quæ Latine appellatur ex quatuor*, sicut est scilicet quod fit in quatuor chordis, *et recipit sonos quatuor*, id est chordas vel voces, *spatia tria*, quæ sunt inter chordas et chordas, ita quatuor, *productiones duas*, id est tonos duos, *et dimidiam*, id est hemitonium, id est dimidium. Verum (*a*) est, quod dicitur diatessaron habere tonos et hemitonion, hoc est quinque hemitonia, cum unus tonus nonnisi duo hemitonia habeat. Ad quod dicendum, quod illud quintum hemitonium, quod ibi succrescit, incomprehensibiliter fit, quod inter illa quatuor excrescit. *Nam sonum, id est tonum productionem vocari. Est autem*, scilicet diatessaron, id est *hemitoniorum quinque, quæ ad productiones*, id est tonos, *plenas et integras mediatenus*, id est usque ad medietatem, *valent ; dieseon decem*, genitivus Græcus, id est quartarum partium decem ex tono (*diesis vero interpretatio est, sicut supra dixi, quarta pars toni*). *Sed hæc* scilicet diatessaron, *symphonia est*, id est consonantia vocis, ut est « Deus in adjutorium meum, » quod fit in quatuor chordis, *in epitrita ratione*, id est sesquitertia. (*Epitritus autem dicitur, qui et numerum ternarium habet, et trium tertiam, quod est unus, ut sunt quatuor ad tres*). *Alia symphonia quinaria est*, id est in quinque chordis fit, quod *dicitur diapente*, id est ex quinque est, *constatque sonis*, id est chordis, *quinque, qui inter se quatuor spatiis dividuntur* (*b*), ita IIII productiones habent tres, id est tonos, *mediamque*, scilicet productionem hemitonii *præcidit, hoc est, tonos tres ac dimidium* hemioli, sesquialteri, id est diapente possidet rationem, ut est « oculi mei, » quod fit in quinque chordis, ut est IIII ; circa collata, scilicet cui comparatur (*c*). *Tertia*, scilicet symphonia, *diapason*, id est ex omni, est ex octo chordis, διὰ πάσων ex omnibus ideo *ex omnibus dicitur*, quod veteres octo solummodo sonis utebantur, vel certe quod ex duobus simplicibus symphoniis constat, id est, ex diatessaron et diapente, v. g. tonus, tonus, hemitonium, ecce diatessaron : tonus, tonus hemitonium, tonus, ecce diapente (*d*), *ex ratione diplasia, hoc est duplici ;* nam acutissimus ejus sonus duplo gravissimos superat, ut est μέση ad ὑπάτην ὑπάτων.

Tropi vero sunt XV, *sed principales* V scilicet sunt. Notandum, quod Græci secundum numerum divisionis linguarum apud eos, quibus utuntur, principalium numerum troporum constituerunt, *quibus bini* scilicet *tropi cohærent*, scilicet *Lydius*, ecce primum : lydius dicitur, quod Lydii eo utuntur ; *cui adhærent* ὑπολύδιος *hypolydius et* ὑπερλύδιος *hyperlydius*, id est super Lydium, id est acutior Lydio ; hypolydius, id

(*a*) Pro *verum* legendum censeo *mirum.*

(*b*) Mart. « Productiones habet tres, mediamque præcidit. »

(*c*) Hæc in Martiano ita exprimuntur : « Tonos tres ac medium ; hemitonia septem, diesesque quatuordecim, atque hemiolii possidet rationem. Quæ forma et eumdem numerum circa conlata detinet, et ejus medium, ut sunt tres ad duo. »

(*d*) Martianus addit : « Octo sonos recipit, spatia septem, productiones sex, hemitonia XII, dieses XXIV, atque constat ex, » etc.

A [illegible] est gravis Lydio. *Secundus* [illegible] pus *Iastius*; ἰάστιος dicitur (*a*) quod eo Eones utuntur. *Item*, id est tertius, *Æolius*, Æolius dicitur, quod eo [illegible] utuntur [illegible] *hyper* [illegible] Phrygius dicitur, quod in Phrygia repertus et usitatus est, *cum duobus* [illegible] *Quintus Dorius;* Dorius dicitur, quod Dores eo utuntur et ab eis repertus est, *cum* ὑποδωρίῳ *hypodorio, et* ὑπερδωρίῳ *hyperdorio. Verum inter hos tropos*, id est XV, *est quædam amica concordia, qua sibi invicem germani sunt*, id est convenientes; nam V in gravitate, V in acumine, et V intemperati sunt, *ut inter* ὑποδώριον *et* ὑποφρύγιον, *et item inter* [illegible] *resp*[illegible]

B et ὑποαιόλιον, *qui tantum duplices copulantur;* acutior enim duplo superat graviorem, tonus quippe ad hemitonium sonat, est autem tonus duplum hemitonii. *Mediæ vero*, scilicet concordes, *graviorum troporum his*, id est ad illos, *qui acutiores sunt*, προσλαμβανόμεναι [illegible] Non solum προσλαμβανόμενοι fiunt in gravissimis, sed etiam in acutis tropis graves sunt, sed tamen non sic graves in acutis sicut in gravissimis: v. g. Si quis dixerit mihi, quomodo resonari debet ultima chorda ad primam in tetrachordo, dicetur, sub epitriti ratione. *Verum tropi*, id est XV, *singuli quoque tetrachorda faciunt quina*, quod diatessaron elementum est totius musicæ. *Tetrachordum est affectio* (*quædam*) id est copula et concordia *sonorum quatuor*

C [illegible] quæ scilicet transcendunt octava parte, *quorum extremi* scilicet soni *sibi debeant convenire.* (*Sed hæc posterius. Nunc ad*) *inchoamentorum*, id est principiorum et inventionum (*ratum ordinem redeamus*), quo ordine inventa est harmonia. *Prædicta enim*, id est, ea quæ superius dicta sunt, *ideo primo dicta sunt*, scilicet a me, *ut altus tenerentur*, id est, profundius in memoria figerentur.

Prima quippe, id est, ante dicta quam *divulgaret mortalibus* ea, scilicet genera Ermion vir (*b*) *Lassus ex Surse*, scilicet oppido et regione, *tria tantum mei genera putabantur*, mei, id est, harmoniæ, et est genitivus primitivi. Primum genus est Ydikon (*c*): Quæ genera formæ inveniuntur. Formarum autem tres sunt species, quarum prima in sonis, secunda in

D numeris, tertia in verbis. Illa autem prima, id est, quæ in sonis invenitur, ad harmoniam pertinet; non [illegible] verba aliquid significantia, sed soni tantum sibimetipsis aliqua ratione conjuncti quæruntur. Secunda autem, quæ ad numeros pertinet, nihil aliud requirit, nisi tantum convenientem numerum sonorum nihil significantium, aut nihil aut aliquid significantium absque ullo termino. Tertia vero, quæ vocatur metrica, non solum sonos certis temporibus terminatos inquirit, sed etiam cogit, ut aliquid significent, et certum numerum terminumque non excedant: quorum exempla sunt versus et metrum, in quibus duobus certus terminus numerusque pedum ponitur, versui quidem in senario, metro vero in octonario. Sed notandum, quod hæ tres formæ in humanis vocibus inveniri possunt, in harmonia vero in his vocibus, quæ carent sensu, non est nisi in una, id est, prima: in ea enim sonus tantum invenitur, et non sine ratione numerorum; in hac vero, id est, humana voce aliquando sonus sine sensu, non etiam sine numero, invenitur, si aliqua proportione copuletur, aliquando sonus cum sensu et numero, qui verborum nomine meruit appellari. Εἰδικόν, id est formale: εἶδος forma, vel species. Ἀπεργαστικὸν, id est, activum vel operativum, id est, exercitium artis. Ἐξαγγελτικὸν (seu) ἑρμηνευτικὸν dicitur, hoc est interpretativum, rationem enim de omnibus reddit. Εἰδικὸν *est, quod ex perseverantibus*, id est, immutabilibus, *et similibus*, scilicet sonis, *consonabat*, id est, simul sonabat, *id est, sono, numeris atque verbis*; quandiu enim sonus est, perseverat numerus et verba. *Sed quæ ex his*, scilicet tribus, *ad melos*, id est ad sonum, pertinent, scilicet sicut sonus, *harmonica di*[illegible] s, scilicet temporum, *rhythmica; quæ ad verba, metrica.* Hoc interest inter rhythmum et metrum, quod rhythmus est sola verborum consonantia, sine ullo certo numero et fine, et in infinitum funditur nulla lege constrictus, nullis certis pedibus compositus: metrum autem pedibus propriis certisque finibus ordinatur: minimum autem metrum est, quod constat pede et semipede, et res est per ordinem usque ad octo pedes: octonarium autem numerum non transgreditur. Ἀπεργαστικὸν (*d*) *est quidam materiæ*, id est vocis, *tractus*, id est productio: vox enim materies vel initium est musicæ, et eam vim obtinet vox in musica, quam punctus in gemetrica, monas in arithmetica, littera in grammatica, *efficiens exercitium ejus*, scilicet materiæ; [illegible] *tres item*, id est, similiter, *partes, id est*, Μελοποιία, id est, melodiæ factura, quod pertinet ad sonos: λέξις, id est dictio, (*e*) ad rhythmum pertinet;

(*a*) Hæc non cohærent, sed quædam in apographo omissa; Martianus ita habet: « Secundus iastius, cui sociatur et ὑπεριαστιος ὑποιάστιος. »

(*b*) Optime notat Meibomius corruptissimos hic esse omnes codices. Ipse habet: « Primo quippe cum Lasus ex Surse harmoniæ vim mortalibus divulgaret, tria tantum ei, » etc. sed optimam emendationem istam judicat: « Lasus ex urbe Hermionia harmoniæ vim, » etc. Lasus certe ex urbe *Hermione* in *Achaia* primus inter *Græcos* de musica scripsisse memoratur.

(*c*) Ita nonnulli codices, alii ἰδικόν; sed ex sequentibus omnino legendum videtur εἰδικόν.

(*d*) Quidam codices apud Meibomium habent πρακτικὸν, quæ lectio æque convenit Remigii interpretationi supra relatæ, ac nostra.

(*e*) Monendum hic ducimus Meibomium in notis suis ad Martianum hinc inde fuisse hallucinatum, quod partim ex contextu, partim ex apposita hic Remigii nostri expositione palam fit, uti in hoc ipso [illegible] λέξις pro λέξις: licet apposita interpretatio *id est dictio* priorem lectionem firmet. Ita mox superius pro *tractus* perperam legendum monet *tractatus*: et sic porro in aliis.

πλοκή, geminatio, quando unus pes multipliciter ponitur : ἐξαγγελτικὸν *autem ad expositionem*, id est, exemplar, et interpretationem, quando exponimus singula, et interpretamur, *pertinere videtur, et habet partes tres*, ὀργανικὸν, quod ab organo venit ; ᾠδικὸν, id est, cantabile, ᾠδή cantus: ὑποκριτικὸν simulativum, *quæ*, se licet omnia genera, *inferius*, id est in præcedentibus vel in sequentibus *rerum ordo disponet. Nunc de prima voce*, id est de ipsa voce, quæ prima est, *velut de parente sonitus totius dicemus.*

Omnis vox in duo genera dividitur, continuum atque divisum. Continuum est velut juge colloquium, id est, frequens narratio, quæ inter duos fit, quæ non fit per cola, id est commata. *Divisum* genus est quod dividitur per cola et commata, certosque pedes in modulatione, id est cantum (*a*). *Est et medium*, scilicet carmen, id est, neque juge neque divisum, (*quod in utroque*) *permixtum*, scilicet est (*ac*) *neque alterius* speciei, id est continuæ (*continuum modum servat*), *nec olterius*, scilicet speciei, id est divisæ vocis (*frequenti divisione*) *præciditur*, inciditur, *ut*, sicut quomodo, *pronuntiandi modo*, id est similitudine (*carmina cuncta*) *recitantur*, leguntur (*Horum illa quam in divisas partes certasque deducimus, diasmatica nominatur*). Diastematica, spatiosa dicuntur, quæ spatiis dividuntur; diastema διάστημα enim spatium et intervallum dicitur; systema σύστημα vero est vox uniformiter sonans (*et ei parti quæ*), *harmonica vocatur*, scilicet quæ ad modos pertinet (*aptanda est. Quæ quidem*) *harmonica*, scilicet pars *habet partes disputationis septem*, quæ virgulas dicunt (*b*) :

Alloquitur numeris septem discrimina vocum.

Primam, scilicet partem habet *de sonis; secundam*, scilicet partem, habet *de spatiis*, id est de diastematibus ; *tertiam de systematis*. Græcus dixit, genitivum scilicet pro ablativo nostro ponens *Quartam*, scilicet partem habet *de genere*, silicet quod est trinum, id est chromaticum, diatonicum et enarmonicum, *Quintam de tonis*, id est phthongis ; *sextam commutationibus*, id est metabolis ; *septimam* scilicet partem habet *de modulatione, quam melopæiam vocamus* id est melodiæ facturam· *Ac prius de sonis* scilicet dicamus, *ubi artis est elementum*, id est materies artis.

Sonus quippe tanti, toties, id est tanti valet *apud nos*, scilicet musicos (*loci est*) *quanti in geometricis signum*, id est punctus, *in Arithmeticis singulum*, id est unitas. *Phthongos sonos dicimus*, hinc diphthongus dicitur dualis sonus. (*Verum phthongus dicitur vocis modulatæ particula*) *una intentione*, id est, simili tenore *producta* aut gravi aut acuto. *Est autem intensio*, id est productio, *quam dicimus tasin*, productionem, *in qua*, scilicet intensione *vos consistit*

A *æ perseverat*, scilicet æqualiter. *Sonus phthongus vel speciatim*, id est singulas voces, *vel generaliter appellatur* ; *sed generale vocabulum*, scilicet quod est sonus *specialia habent, quæ idiotitia* ἰδιότητα specialia, id est propriam habentia positionem, *graia*, id est Græca *voce perhibentur. Ut si quemadmodum*, id est quo accentu, *nobis scribendum sit, cogitemus*, quemadmodum unaquæque syllaba suum accentum habet, ita unusquisquis sonus notam (*ita hæc virtus phthongi docet, quid*) *acuminis* et remissionis, *exeramus*, extendamus vel in altitudinem producamus *et lenius remittamus*, gravemus. *Verum ex istis*, scilicet phtongis, *alia faciunt* (*alia patiuntur, Faciunt*), *intensio* scilicet chordæ, id est cum tenditur chorda, *et remissio*, scilicet chordæ, id est quando relaxatur

B chorda : *patiuntur acumen et gravitas.* In chorda fit actus in intensione et remissione, passio vero fit in voce, quæ patimur, id est sustinet chordæ et arteriarum extensionem et remissionem. *Productio autem est, hoc est, epitasis*, id est superintensio, *vocis commotio a loco graviore in acutum locum : anesis vero contra*, id est cum de acuto movetur in gravem (*nam ab acuminis culmine in grave quiddam seriumque descendit*). Paracterica est repersussio vocis, serum tardum grave. (*Fit autem soni gravi as, cum*) *ex intimo*, id est ex profundo pectoris (*quidam spiritus trahitur ; acumen vero*) *ex superficie oris*, id est ex labris (*emittitur*).

Sunt igitur innumerabiles soni sed specialiter per singulos tropos, scilicet qui sunt xv et xxviii *tantum poterunt convenire.* Omnia ista in cantilena depre-

C hendi possunt. Si volueris diatonicum tantum commemorare, tunc xviii habebis. Si autem chromaticum et enarmonicum intromiseris, x supra habebis, et erunt xxviii, sub uno tamen nomine v chromatici et v enarmonici adduntur, id est pro una chorda. Sed ista subtiliter et obscure dicuntur. In Beotii vero musica hic Dorius potest provideri. *Quorum*, scilicet sonorum, *nomina superius nominavi* (*c*). (*Quorum prior est Adquisitus, qui ideo*) *tali nomine*, id est adquisitus (*nuncupatur quoniam eorum, quæ tetrachorda nominantur*) *nulli*, scilicet tetrachordo (*omnino consentit sed extrinsecus velut adquisitus accedit*) *propter consortium*, id est juncturam *mediæ*, scilicet chordæ, id est mese (*cui concinere consuevit qui adquisitus uno tono a principali principalium separatur*), id est ab

D hypate hypaton. *Quæ principalis principalium* (*quia prima in tetrachordo collocatur, quasi cujusdam rectoris nomen accepit*) hypate hypaton dicitur : est enim hypatos, id est consul vec rector sequentis tetrachordi. *Subprincipalis*)(*d*) a paritate hypaton *dicitur, quæ priacipali subjecta* est *jungitur. Principalium vero* scilicet sunt aliæ διάτονος, ἐναρμόνιος et χρωματική, *quam*, scilicet speciem chromaticam *nos*

(*a*) Apud Meibomium ita legitur:« Divisum, quod in modulatione servamus. »

(*b*) Omnino legendum censeo: *quæ Virgilius dicit*

(*c*) Cum apohraphum hic valde mutilum sit ac depravatum, Martiani textum uncinis inclusum ex Meibomio restituimus, quod idem de præcedentibus et sequentibus notandum.

(*d*) Male ; legendum : *parypate hypaton.*

id est musicæ. [illegible] *nominamus* (*et ideo hoc nomen accepit quia inter principales colores, album tetrumque, quidquid interjacens invenitur, colorabile Graia significatione perbibetur*). Albus et niger color dicitur quidquid vero inter album tetrumque apparet, colorabile nuncupatur. (*Ergo Enarmonios, Chromatice, itemque Diatonos, quam Extentam dicimus, indicia sunt generum modulandi.*) *Multiplex quippe tetrachordorum ratio sic firmatur*, id est per additionem enarmonii et chromatici generis.

Principalis autem mediarum,id est hypate meson, *quia prima est medii tetrachordi, ideo id nomen accepit*, id est principalis mediarum. Elementum totius musicæ est diatessaron,quod proportio musicæ non fit minus quam in quatuor chordis,quam vocamus diatessaron.(*Cui subnexa*) *subprincipalis mediarum*, id est parypate meson (*esse dicitur*). *Denique reliquæ* tres, scilicet chordæ, id est diatonos, enarmonios et chromaticos, *sui simili usu*, id est, secundum similem sui usum *obedient* (a). *Dictum* scilicet est, *hoc tetrachordum mediarum, quod in medio locatum est inter principalium*,id est hypatorum *tetrachordum* (*et tetrachordum*) *conjunctarum*, id est synemmenon. *Post supradictas autem*, id est postprincipales mediarum, *quæ sequitur*,id est illa quæ sequitur, *media nominatur*, ipsa est mese,(*quæ ideo media dicitur, quia tam*) *gravis modi*, id est diapason,*finis est*, (*quam in tropis omnibus futuri*) *acuminis caput, atque ipsius*, scilicet mese (*quodammodo vinculo tam gravis modulatio,quam acuta connectitur*). *ut est in Lydio modo*, id est in tropo, *ubi recti iota mese est*, ubi iota rectum pro signo ponitur, in pagina videlicet Boetii de Musica. *Verum post mediam* id est mesen, *extendem* acuentem *hemitonium, conjunctarum erit tertia*, id est irite synemmenon, tertia conjunctarum a fine est,numeratur tertia, et est homitonii spatium inter tertiam conjunctarum et mesen, (*quæ in eodem medio, id est Lydio*)*lambda supinum*,scilicet in hac similitudine V *pro nota habebit. Post hanc*, id est, trite synemmenon,*illæ* scilicet *chordæ,quæ a nobis superius expressæ sunt,tres sequuntur*, ἐναρμόνιος,χρωματική, et διάτονος, *quæ et paranete dicitur,quam Latine penultimam perhibemus. Post quam*, scilicet panareteu, *ultima*, id est, nete *sociatur, quæ ideo dicta est conjunctarum ultima*, id est nete synemmenon.*quia in hoc tetrachordo* (*finem tenet*). *Omne autem tetrachordum conjunctarum*, id est synemmenon, *ideo dictum*, scilicet est, *quia mediæ ipsi*,id est mese.*adjungitur,quæ perfectam symphoniam*,id est,diapason *prima complevit, ac producente media sequentem tonum*, mese producit tonum quod tonus est inter mesen et paramesen, *ille qui sequitur sonus*,id est chorda,παραμέσος, id est juxta mesen *nominatur,quod hunc*,id est paramesen,*satis proximum sonus adjunctæ modulationis*, scilicet tonum, *oflendat*, id est,inveniat.*Dehinc*,scilicet sequitur, *[illegible] tertia*,id est trite Zeygmenon, tertia scilicet ab ultima, *quæ plenum systema*, id est spatium *diapason finit ; unde disjunctarum tertia*, scilicet a fine, *perhibetur. Post hanc*, scilicet tertiam, *soni cæteri*. id est illi tres ἐναρμόνιος χρωματικὸς et διάτονος *consequuntur.Sonus vero divisarum ideo hoc nomen accepit,quia uno et dimidio tono*,id est tribus chordis,ut est,« Omnia quæ fecisti nobis,Domine,» ubi habentur tres chordæ sicut est III *a mediæ fine divellitur*, hoc est ab ipsa mese, quæ finis dicitur, quod graviores sonos terminat et incipit acutiores. *Post hoc tetrachordum excellentium*, id est trite hyperbolæon *collocatur : quod ideo excellens nomen accepit quia in singulis tropis*, id est XV *in omne acumen erigitur, et singulis modulationibus fastigiatur*, id est erigitur, acuitur.

Horum igitur sonorum, id est, phthongωn generis pluralis, id est sonorum, (*sunt alii, quos*) *consistere* id est,manere in suo loco,*et perseverare necesse est*, (*alii vero sunt*) *vagii*, varii, qui sæpe acuuntur et sæpe remittuntur,et ideo vocantur λιχανοί, a digito videlicet post pollicem,quod chordas illas pulsat atque movet.*Alii* βαρύπυκνοι *nominantur*,id est graviter fixi ; *alii* μεσόπυκνοι *perhibentur*, id est medii fixi, quod mutabiles sunt; alii ὀξύπυκνοι,id est acute fixi. *Spisso vero*, scilicet genu, *dicitur quædam qualitas trium sonorum compositiva*, id est,cum tres toni simul junguntur. Βαρύπυκνοι *autem sunt, qui velut regiones*, id est chordas, *prima spissi*, toni scilicet, *retentant*, id est, obtinent. Μεσόπυκνοι *vero,qui media possident:* ὀξύπυκνοι *qui ultima tenent.* ἄπυκνοι, non fixi. *qui in positione*, id sst constitutione,*sonorum trium, qui sunt spissi, in nullo genere aut lege junguntur*. (*Stantes autem persevepantesque dicuntur vel* ἄπυκνοι *vel* βαρύπυκνοι, *qui veluti quamdam speciem et formam sibi principalium*) *vindicabunt*, obtinebunt,habebunt.*Ideo autem* quidam (*a quibusdam*) *statarii nominantur* scilicet illi primi, *quod diversas* id est graves et acutas,*extensiones recipere non possunt*. Statarii dicuntur, quod uniformiter stant, nec in acutum extenduntur,nec in gravitatem remittuntur. (*Alii autem vagi et errantes habentur, quia interdum*) *longiora*, graviora. *interdum minora*, id est acutiora *spatio receperunt. Sed horum*, scilicet vagorum sonorum, *alii* παρυπατοειδεῖς,juxta principales, *alii* λιχανοειδεῖς id est, digitales a digita, quod eos pulsat sonos vel illas chordas. *Verum primi*,hi parypati, *ideo sic dicuntur quod statim prioribus*,scilicet hypatis,id est principalibus,*subnectantur.*Λιχανοειδεῖς *dicuntur a digito.qui minister artis*,et cantus singulos movet scilicet,est,(*est autem*) *primus a pollice*, id est, index, quo digito movetur chorda. (*Horum vero alii sibi invicem*) *congruunt*,conveniunt, concordant, (*alii*).*discrepant*,discordant,*et resultant*, id est dissonant,dissentiunt et repugnant sibi invicem. (*Sed illi*) ὁμόφωνοι, scilicet dicuntur (*quia scbi invicem conjunguntur*) hi æquisoni : ἄφωνοι, id est

(a) Apud Meibomiumsic legitur : « Denique reliquæ tres sui similes obedient,

dissoni (διάφωνοι *autem, id est dissentientes sunt, qui cum percussi fuerint, invicem discrepant.* Ὁμόφωνοι, *qui vocis quidem*) *aliam significationem* et virtutem *gerunt;* (*eumdem autem impetum, id est percussionem servant* unus enim idemque sonus multis comparatur in diversis virtutibus, verbi gratia, cum uno tonum, cum alio hemitonium, cum tertio diesin. (*Sunt autem et aliæ sonorum diversitates*), *et prima*, scilicet diversitas, *per intensionem*, id est extensionem chordæ (*ut aut acumine aut gravitate dissentiat*). *Secunda*, scilicet diversitas, *per spatiorum*, id est tonorum vel semitonorum *perceptionem, cum uni*, scilicet spatio, *aut plurimis conjungitur,* quando colligitur unus tonus ex duobus spatiis, et hemitonium ex duobus spatiis. *Tertia*, scilicet diversitas in sonis *fit per conjunctionem systematis*, hoc est, quantitatis vel magnitudinis vocum : sed hoc interest inter diastema, id est spatium, et sytema, hoc est, vocis magnitudinem, quod spatium inter duos sonos vel tres vel quatuor invenitur, et eo amplius ; sytema autem non minus quam in diapason, *quod aut unum recipit*, scilicet sicut tonus, *aut plura recipit*, scilicet sicut diapason, quæ VII spatia aut VIII chordas recipit. *Et quod secundum morem dicitur, id est* κατὰ ἦθος, id est secundum morem, scilicet per hoc fit discrepantia : secundum morem, id est, consuetudinem singularum nationum reperti sunt tropi ; quibusdam enim sonus gravis convenit, quibusdam acutus, quibusdam medius. *Alium quippe morem*, scilicet generum, *acuta significant, alium graviora*, quod quædam gentes delectantur acutissimo, quædam gravi.

Nunc jam de diastematis disserendum, scilicet est, Græce de diastematis, genitivum scilicet pro ablativo nostro ponens, Græci enim non habent ablativum, pro loco ejus genitivo utuntur. *Diastema* διάστημα *est vocis spatium, quo acuta*, scilicet vox, id est in quantum acuta, *et gravior*, id est in quantum gravior, *includitur*, id est comprehenditur. *Sed in diastematis*, Græce dixit sicut et supra genitivum pro ablavito ponens, *alia*, scilicet sunt, *graviora* (Meib., *breviora*) *illa* scilicet, *quæ sunt in diesi.* Enarmonia, id est in quarta parte toni ; *majora vero sunt*, scilicet diastemata (*quæ per singulos tropos*), *bis ex omnibus*, vel bis diapason *faciunt* (*quo nihil majus in tropis possumus invenire. Atque in spatiis alia composita sunt*, (*alia disjuncta atque asyntheta. Et composita sunt, quæ per ordinem currunt* quæ eodem ordine currunt : id est per æqualia spatia tonorum et hemitoniorum : *incomposita vero, quæ ex diversis*, scilicet vocibus, *sibi invicem copulantur. Item alia logica*, id est rationabilia, *alia aloga*, id est irrationabilia *memorantur. Rationabilia*, id est logica, *illa sunt, quorum consensus*, id est concordiæ, convenientiæ, *possumus præstare proportionem*, quam invenire non potuit, id est, possumus dicere, quam proportionem ad invicem habeant (*irrationabilia*) : *quibus non subest ratio*, id est nulla ratione conjunguntur : *alia conhibentia*, id est concordantia, sibi consentanea (*alia discrepantia*), *alia enarmonica*, concordantia inter se ; *alia chromatica*, colorabilia ; *alia diatonica*, id est extenta ; *alia archia* (*a*), id est principalia vel æqualia ; *alia perissa*, id est excurrentia ; *sed prima*, id est archia ; *æqualia*, scilicet dicitur voce latina ; *secunda*, id est perissa ; *excurrentia memorabo*, id est, dicam et exponam. (*Verum æqualia sunt, quæ in æquas partes poterunt separari, ut tonus in duo hemitonia*) ; *perisssa autem*, scilicet sunt (*quæ in tria hemitonia discernuntur. Deinde*) *alia deastemata spissa*, scilicet sunt, *alia rariora*, id est apertiora. (*Spissa sunt, quæ*) *per dieses*, id est, per quartas partes *colliguntur*, (*rariora*) *quæ tonis*, scilicet fiunt. (*Et in his*) *alia sibi congruunt*, scilicet per proportionem, id est conveniunt ; *alia discrepant* id est discordant.

Sed discrepantium, scilicet sonorum, *nimia multitudo* scilicet est ; (*convenientia vero per singulos tropos*) *sex sunt* scilicet diastemata ; id est διὰ τεσσάρων, *quod de quatuor dicimus* ; διὰ πέντε, *quod de quinque ; de hinc* διὰ πάσων, *quod ex omnibus concinit*, id est consonat. *Illud etiam*, scilicet est quartum, *quod ex omnibus*, id est diapason, *et ex quatuor*, id est ex diatessaron *constat, vel ex omnibus*, scilicet est quintum, id est diapason, *et ex quinque*, id est diapente ; *vel bis ex omnibus*, scilicet est sextum, *quod bis diapason dicitur. Sed illud*, scilicet diastema, *quod diatessaron, hoc est ex quatuor dicitur, recipit sonos*, id est chordas *quatuor, spatia* et intervalla *tria, tonos duos semis, hemitonia quinque, dieses vero* X, *et est in epitriti ratione*, id est sesquitertia, *instar quatuor ad tres. Diapente, quod ex quinque est, sonos*, id est chordas, *recipit quinque, spatia quatuor, tonos tres et semis, hemitonia* VII, *dieses* XIV, *et est in hemiolia ratione*, id est sesquialtera, *quod sunt tres ad duo. Diapason autem sonos*, id est chordas, *habet* VIII ; *spatia*, id est intervalla VII, *tonos* VI, *hemitonia geminat*, id est XII hemitonia habet ; *dieses quadruplicat*, id est XXIV dieses habet, *atque in diplasia*, id est dupla, *ratione versatur, quæ est unum ad duo. Quod vero ex omnibus*, id est VIII, quod est diapason, *et ex quatuor*, id est diatessaron, *dicitur, sonorum*, id est chordarum, *est* XI, licet ex omnibus, id est ex VIII et ex quatuor dicatur, tamen non sunt XII, sed XI, quod in octava finitur diapason, et in eadem inchoat diatessaron, *spatiorum* X, *tonos habet octo et semis, hemitonia duplicat*, id est XVII, *dieses prædicta ratione multiplicat*, id est quadruplicat, id est XXXVI habet, *et est in diplas i et diametri* binarii *regula, ut sunt octo ad tres ;* habet enim octonarius ternarium bis, et duas tertias partes ternarii, quas diametrum appellat : et diametri regula potest sic intelligi : ubicunque binarius fuerit, diametrum dicitur, quod per binarium omne

(*a*) Ita codex ms., quod foret Græce ἀρχεῖα ; Meibomius habet *arthia*, quæ non est Græca vox, melius fors ἄρτια *æqualia pari numero ;* ut opponatur sequenti voci περισσὰ, *impari numero.*

diametrum, id est medium dividitur. *Quod vero ex omnibus*, id est diapason, *et quinque*, id est diapente *constat, recipit sonos* XII. *spatia* XI. *tonos* IX *et semis, hemitonia geminantur* XIX, *dieses tetraplantur*, id est quadruplicantur, scilicet XXXVI, *et est in triplasia ratione, ut quatuor ad* XII. *Quod bis diapason dicitur, habet sonos* XV, *spatia bis septena*, id est XIV, *tonos* X *ac duo*, id est XII *hemitonia duplicata*, id est XXIV, *dieses* XLVIII, id est quadruplicata, *atque est in tetraplasia*, id est quadrupla *ratione, ut sunt* XII *ad* VI. *Est autem tonus*) *in epogdoi*. in sesquioctava, *ratione*: epogdous ἐπόγδοος dicitur quasi epiogdous ἐπιόγδοος, id est super octavus, quod unum habet super octo. *Ubique diesin in enarmonio*, scilicet genere, *debemus accipere, quæ*, scilicet diesis, *est in quarta particulatione*, id est in divisione toni, quarta particulatio una pars est.

(*Nunc quid sit systema*) *perhibendum*, docendum. *Systema est magnitudo vocis*, id est magnum intervallum, *ex multis modis*, id est sonis, vel ex V et III, vel ex pluribus *constans* (*quod licet multa divisionum genera recipiat, tamen quia*) *eadem*, scilicet genera, *in diastematis*, id est spatiis minoribus (*memoravi, prætercam*). *Absoluta*, integra, *et perfecta systemata sunt* VIII. *Primum est, quod ab Adquisito, quem* προσλαμβανόμενον *dicimus, ad mediam, quam mesen diximus*, scilicet et hoc vocatur diapason, *omne conficitur*, protenditur. *Secundam*, scilicet systematis genus, *quod a principali principalium*, id est ab hypate hypaton *in paramesen usque tenditur. Tertium, quod a subprincipali principalium*, id est a parypate hypaton, *in divisarum tertiam*, id est trite Diezeugmenon, *jungitur*. *Quartum, quod ab extenta principalium*, id est lichanos hypaton, *usque in divisarum diatonum profertur*, id est in paranete diezeugmenon diatonos. *Quintum, quod a principali mediarum*, id est ab hypate meson, *in neten divisarum*, id est in nete diezeugmenon, *usque progreditur. Sextum, quod a subprincipali mediarum*, id est a parypate meson, *in tertiam excellentium*, id est, in trite hyperbolæon *trahitur*, excurrit. *Septimum, quod a mediarum extenta*, id est a lichanos meson diatonos, *in excellentium diatonon*, id est in paraneten hyperbolæon diatonos *exsurgit*, excurrit. *Octavum, quod a media*, id est a mese, *excellentium in ultimam ducitur*, id est in neten hyperbolæon.

Quibus, scilicet systematis, *excursis genera tetrachordorum modulandique discurram*, id est breviter exponam. *Tetrachordon*, est nominativus Græcus, *est chordarum divisio cum certa qualitate*, id est proportione. *Genera modulandi sunt tria, Enarmonion, Chroma, Diatonon*. Enarmonium interpretatur

A inadunatum, chroma coloratum, diatonon extentum. *Enarmonion*, scilicet genus, *dicitur, quod pluribus*, id est majoribus *spatiis, et angustioribus*, id est minoribus proportionibus, diesis videlicet, *separatur*, distinguitur. *Diatonon vero*, scilicet genus, *quod tonis copiosum*, scilicet est, id est abundans tonis. Diatonon genus duobus tonis et semitonio constat, quod genus est clarissimum et minutissimum, licet diversis gentibus conveniat, sicut Gothis, qui minutissime canunt, Theodissi ab tissone (*a*). Winedi et Hebræi cum murmure. *Chroma*, scilicet genus *quod de hemitoniis componitur: sicut enim quod inter album nigrumque est, color dicitur*; *ita hoc*, scilicet tertium genus, *chroma nominatum*, scilicet est, *quod inter utrumque est*, id est inter harmonium,

B et diatonum. *Et enarmonion quidem*, scilicet genus, *cum ab immutabilibus*, id est gravioribus, *sonis cingitur*, id est vallatur, (*b*) (sic enim surgit, tonus, tonus, diesis in acumen per dieresin, scilicet surgit, quod diatonon et enarmonion, id est per duos tonos incompositum, quod duo toni in una regione sunt tria hemitonia, hoc totum clare patet in paginis Boetii de Musica; in gravem, scilicet melodiam, per diversum, id est ex contrario mutato ordine). *At vero diatonum*, id est diatonicum genus, *ipsis contentum*, scilicet est, *sonis* (*in acumen quidem ita accipiet modulationem, ut per hemitonium, et tonum, et tonum, modum integrum compleat: at vero graviorem*) id est, conjunctum, *per contrarium ordinem*, id est, per tonum, et tonum et hemitonium *persequetur*. *Sed nunc*, id est hoc tempore, *maxime diatono utimur*, id est usui habemus, eo quod pulchrior cæteris

C sit; quod ideo dicitur, quia Afer erat iste; in Africa enim maxime viget diatonicum genus. *Sed horum alia modulamur peragogen*, ἀγωγὴν, id est sursum ductionem, vel per ascensionem in acumen; *alia per plocen* πλοκὴν, id est geminationem vel copulationem. *Per agogen est*, scilicet modulatio, *cum per ordinem sonus sequetur*, scilicet seipsum. *Ploce autem dicitur, cum diversa sociamus*, id est diversas chordas conjungimus, quartam chordam ad primam. Ploce copulatio vel geminatio, quidquid enim geminatur vel ex diversis locis colligitur, ploce appellatur.

Ex hinc in modulando alia, scilicet modulatio, *euthia* εὐθεῖα *dicitur, quod est recta*, scilicet modulatio

D in acumen: *alia anacamptos* ἀνάκαμπτος, *quod est revertens*, id est in gravitatem descendens; *alia peripheres* περιφερής, *hoc est circumstans*, reflexa, quam cantores vinolam dicunt. *Euthia est*, scilicet modulatio, *quæ a gravi in acumen erigitur*; *anacamptos, quæ e contrario*, id est ab acumine in gravem *deficit*. *Peripheres*, circumvoluta, rotunda, *quæ ad utramque*.

(*a*) Hæc forte legenda: *Teodisci altisone*, vel *altissime*, scilicet canunt.

(*b*) Totam parenthesin ponimus, ut habetur corrupta in apographo: unde cum sensus nullus procudi queat, ipsum saltem Martiani textum ex Meibonio hic damus: « cingitur, modulationi obediet in acumen, per diesin et diesin, et ditonon incompositum, in gravem vero sonum e contrario modulatio tota submittitur. Chroma autem hoc modo melos accipit; per hemitonium et hemitonium, et tria hemitonia, quæ incomposita provenient: in gravem vero ex diverso recurret. At vero, » etc.

id est ad acutam et gravem, *aut accomodatur*, scilicet cum sursum, ad acumen erigitur, *aut servit*, scilicet cum flectitur ad gravem. *Sed cum tetrachordorum, quos quadrifidos* tetrachordos, id est quatuor chordas habentes; *appellamus, divisiones innumerabiles sint, septem* (*a*) *sunt notæ*, id est cognitæ, *enarmonii*, scilicet generis, *duæ*, divisiones sunt notæ; *chromatis*, scilicet generis, *tres*, scilicet sunt divisiones notæ, *quarum* una *prima, quæ mollis ac soluta*, id est lasciva, mollis dicitur, quod tria hemitonia habet in una regione, et a cæteris regionibus absoluta, id est ampla, quam vero tria hemitonia unius spatii comparata duobus hemitoniis, hemiola ratio efficitur, ideo secunda nota hemiola. *Secunda*, scilicet nota, *quæ hemiola est*, scilicet quod ibi abundat sesquitertia divisio, *Tertia*, scilicet nota, *quæ est tonia* (*b*), quod unus tonus dividitur ibi in duo hemitonia: *diatonicos*, scilicet generis, *duæ*, scilicet divisiones sunt, *una mollis*, scilicet propter integrum tonum, *altera robusta*, id est, acuta propter hemiolon. *Et modos*, id est species *quidem accipit enarmonion* scilicet genus, *a tetartemoria diesi, id est toni parte quarta nam* μορία pars dicitur. *Illud vero quod mollius*, id est, chrona *diximus, per tritemorian diesin copulatur*, id est, conjungitur in chromatico genere, quod molle vocatur; tonus dividitur in tres partes, ideo tritemoria appellatur. *Ipsum vero* (chroma) *hemiolon*, id est diationum, *fit ab hemiolia diesi*, id est ab hemitonio, in quo apparet sesquialtera proportio, *ejus* diesis, *quæ fit enarmonii*, scilicet generis, quod duæ quartæ partes in enarmonio segregatæ conjunguntur in unum in hemiolio, hoc est in diatono, et efficiunt hemitonium, a quo incipit diatonicum genus, et hemiolion dicitur diatonicum, quod in ipso genere diapente abundat, quæ in extremis suis sonis sesquialtera copulatur ratione.

Sed nunc de tonis, scilicet dicamus· *Tonus est spatii magnitudo*, id est intervalli inter chordam et chordam, et vocem et vocem; *qui ideo tonus dictus est, quod per hoc spatium ante omnes*, scilicet voces et divisiones vocum sive chordarum *prima vox quæ fuerit, extenditur, hoc est, de nota qualibet in notam*, id est, de chorda in chordam, singulæ enim chordæ habent suas notulas, sicut habetur in Boetio; *ut a media*, scilicet chorda, id est a mese *in paramesen*, id est in illam quæ est prope mediam, *ut est in Lydio*, scilicet sono, *si a iota directo*, id est a mese, *in signa jacens*, id est in paramese *signa*, id est notulæ *concurrant. Verum quod hemitonia diesisque*, id est quartæ partis et tertiæ, quando tritemoria vocatur, *quid vel quantæ qualesve sint, docui. Troporum etiam nomina*, id est, quomodo vocantur, *numerumque monstravi*, id est, quod sint xv.

Nunc de tetrachordis eloquimur, (*nam singuli qui-* A *que tropi tetrachorda quina custodiunt, sicut superius quoque notavi*). *Verum horum*, scilicet tetrachordorum *extremos*, id est primum hypaton, quod ultimum netarum hyperbolæon, sequitertia enim proportione sibimet conjunguntur extremi soni omnium tetrachordorum (*sibi aptandos esse non dubium est. Tetrachordum quippe est*) *quatuor sonorum*, id est chordarum, (*in ordine positorum congruens et*) *fida concordia*, id est inerrata. *Sonat autem tetrachorda principalium*, id est hypaton, *mediarum* id est meson; *conjunctarum*, id est, synemmenon; *separatarum*, id est diezeugmenon; *excellentium*, id est hyperbolæon. *Et primum tetrachordum, quod est gravius, incipit a principalium principali*, id est ab hypate hypaton, *et desinit in principalem mediarum*,
B id est hypate meson. *Verum principalium et mediarum*, scilicet tetrachordum, id est hypaton et meson *connexum*, scilicet est, id est conjunctum, quod nihil interest, *quod conjunctarum vocatur*, scilicet quod jungitur tetrachordo mediarum, *erit tetrachordum a media*, id est a mese, *in neten conjunctarum*, id est in neten synemmenon. *Atque divisum*, scilicet aliud tetrachordum, *ab his*, scilicet prædictis tetrachordis duobus, *longeque discretum, quod est quartum devisarum, a submedia*, id est a paramese, *in neten*, id est ultimam *separatarum*, id est in neten diezeugmenon *usque jungitur*. Separatarum tetrachordum dicitur, quod omnino separatur a mese, eum qua nullam habet consonantiam. *Quod autem ex diversis*, id est, *separatis conjunctum est*, id est inebat, *in acutiorem sonum, et in quintum*, scilicet
C tetrachordum, id est in quintam chordam, *excellentium*, id est hyperbolæon *profertur*. (*Sed de tetrachordis satis dictum. Nunc de pentachordis videamus.*

Ac similiter) *hæc quoque quinque*, id est pentachorda, *esse non dubium est. Primum igitur*, scilicet pentachordum, *quod est gravius, principalium esse dicemus*, id est hypaton, *quod incipit ab Adquisito*, id est proslambanomenon, *et in principalem mediarum*, id est in hypaten meson *terminatur. Sequens*, id est secundum pentachordum, *in acumen ejusmodi est, quod constat a principalium extenta*, id est a lichanos hypaton diatonos. *in mediarum illam*, id est in meson, *quæ in Lydio* scilicet *tropo iota rectum habet. Tertium autem*, scilicet pentachordum, *con-*
D *junctarum est*, id est synemmenon, *quod a mediarum extenta*, a lichanos meson diatonos, *in ultimam conjunctarum*, id est, in neten synemmenon, *ducitur. Quartum vero*, scilicet pentachordum, *quod per divisionem est*, interponitur enim tetrachordum conjunctarum, nam cæterum conjuncti sunt, *a media*, id est mese, *in tertia divisarum*, id est, in trite diezeugmenon, *connecti solet. Quintum*, scilicet pentachordum, *in acumen erigitur*, quod in acutis exten-

(*a*) Diversum computum habet Meibomius, ita legen- [illegible] lectio cum Aristide lib. I de Musica congruit.

(*b*) L. c. Meibomius restituit lectionem *toniæa*; mallem *tonæa* τοναῖα, uti apud Hesychium dicitur *vox intenta*: quanquam Aristides. l. c, *chroma teniæum* appellet.

ditur et hyperbolæis, vel in acumen erigitur, id est, incipit a disjunctarum extenta, id est, paranete diezeugmenon diatonos, *atque in nete excellentium*, id est, in ultima hyperbolæon, *terminatur. Hæc, quæ dixi, artis nostræ doctissimis*, scilicet a philosophis *approbantur*, id est laudantur. *Non sum nescia* Lytoies, sed scio, *asserere*, scilicet quosdam, *quædam tetrachorda ab hemitoniis*, id est ab acutis, *initia posse sortiri, quod est in modulatione diatonica situm, de qua*, scilicet modulatione diatonica, *superius multa dixi. Sane notum est, atque intimatum velim*, id est vobis esse notum, *adquisitum*, id est, proslambanomenon *in omnibus quidem*, scilicet pentachordis quæ a tono incipiunt, *aliis collocari ; in his autem*, hoc est in tetrachordis, quibus proslambanomenos non consonat, quam ab hemitoniis incipiunt, omnibus autem pentachordis apponitur, quam a tonis integris incipiunt, *quæ non per sonos*, id est, non per tonos, sed per hemitonia, *fiunt, in tetrachordis fieri non posse ; in his enim*, scilicet tetrachordis, *semper ab hemitonio principalia* (i. e. *principia*) *ducuntur*. (*In aliis autem, quæ pentachorda nominantur*), *nec tamen modulationi*, scilicet illi quæ fit per semitonia, *subjiciuntur, ut per sonos*, id est, per duos tonos, *constare videatur, apponitur*, scilicet proslombanomenos. *Secundum enim*, scilicet hypate hypaton, *in his*, scilicet pentachordis, *hemitonium possumus ponere*.

Nunc de transitu, id est, permutatione *modulantium*, scilicet dicendum. Transitum vocat commutationem, cum de genere fit transitus in aliud genus, et de sono in sonum. *Transitus est alienatio*, id est transmutatio *vocis in alteram figuram soni fit autem transitus modis quatuor : per genus, ut ab enarmonio*, id est ab enarmonico genere, *aut in chroma*, id est chromatico genere, *aut in diatonon*, id est in diatonico genere, scilicet fit transitus : *vel per systema*, id est per magnitudinem, scilicet fit transitus, *ut a principali principalium*, id est hypate hypaton, *si forte in subprincipalem*, id est, in parypate hypaton, *aut in aliud forte systematum : aut cum de conjunctis*, id est de synemmenis, *ad divisas*, id est ad diezeugmenas *transitum facimus : vel per tonum*, scilicet fit transitus (*cum a Lydio vel in Phrygium, vel in alium tropum cantilena transducitur*) cum tonum pro tropo ponimus, quod tropi ex sonis constant : *vel per modulationem*, scilicet fit transitus, *cum ex alia specie modulandi*, verbi gratia, de gravi in acuto, *in aliam transilimus*, descendimus ; *vel cum a virili cantilena*, id est robusta vel tubali, *transitus in femineos*, id est graciles *modos fit*.

De genere modulandi consequenter exponi, id est, *edisseram. Melopæia*, id est melorum factura, *est habitus*, id est, dispositio ut habeatur *modulationis*(*a*) *effectæ*, id est aptatæ. *Melos autem est actus acuti aut gravioris soni*, id est, ipse cantus cum agitur, et acutus aut gravis sonus. *Modulatio est soni multiplicis*, id est, varii, *expressio*, quod non fit cum una voce, sed ex multis et diversis, gravibus videlicet, et acutis. *Melopæiæ species sunt tres, hypatoides*, id est species principalis quæ est gravis, nam ideo species dicitur: *mesoides*, id est media, quæ neque nimis gravis, neque nimis acuta : *netoides*, id est, ultima et acuta, hæc in minoribus cordis fit. *Et hypatoides est, quæ appellatur tragica, quæ per graviores sonos constat :* tragica dicitur propter graves sonos, namtragicum carnem grave semper est. *Mesoides, quæ* et lipara iambica (*b*), propter iambum pedem lipara id est pinguia, quod non sunt gravia sicut hepatoides, nec acuta sicut netoides ; iambica propter iambum pedem, qui nec totus logus constat, nec totus brevis (*dithyrambica nominatur*) *: quæ tonos æquales*, id est, integros, *et medios custodit*, id est temperatos et in medietate constitutos inter graves et acutos. *Netoides*, id est ultima, *quæ et nomicos*, id est legatis propter legem acuminis, quam servat, *consuevit appellari quæ plures sonos*, id est acutos omnes *ex ultimis recipit. Sunt etiam*, scilicet præter has tres, *aliæ distantiæ, quæ et tropica mela*, id est mela tropis apta xv *dicuntur*; *aliæ* comiologica, id est, comædiis convenientia: sicut comædia media inter est tragicum et satyricum carmen, ita comiologica melodia diciter mediis conveniens, et *homologica* (*c*), id est, similem rationem habentia secundum quod res. (*Sed hæc aptius*) *pro rebus*, id est secundum res ipsas, *subrogantur*, id est, permutantur, *nec suas magis poterunt*, scilicet ipsæ chordæ, *divisiones afferre*, id est, demonstrare, scilicet sicut fuerit materies. *Hæ autem species*, scilicet superius dictæ, *etam tropi*, id est, divisiones vocum *dicuntur. Dissentiunt autem*, id est, discordant (*melopæiæ*) *ipsæ modis plurimus inter se; et genere* (*ut alia sit enarmonios, alia chromatice, alia diatonos*), genus est in tribus, in enarmonico, et chromatico atque diatonico, quod in his omnes soni reperiuntur, species vero in singulis sonis, id est omnibus chordis ; *specie quoque* scilicet dissentiunt inter se, *quod alia est hypatoides*, id est gravis, *alia mesoides*, id est media, *alia netoides*, id est acuta : *tropis*, scilicet dissentiunt, *ut Dorio, Lydio vel cæteris*, scilicet quinque modis. *Omnis tamen*, scilicet cantor vel homo, *qui melos inchoat, præ cunctis*, id est ante omnia, *systema debet advertere*, id est, majora spatia vocum, quæ sunt diatesseron, diapente et diapason : *dehinc sonos miscere*, id est jungere, *atque componere*.

(*a*) Meib., *effectæ*.

(*b*) Ridet hanc lectionem Meibomius, et recte, cum sua sc. *dithyrambica* ex Aristide firmetur.

(*c*) Assentiri hic Meibomio nequimus, qui legit *homologica*, seu *similem habentia rationem secundum quod est res* Aristides enim aperte etiam *Comicos modos* melopæiæ nominavit, qui ad priores generales reduci possint ; et ipsa hæc Remigii expositio nostram lectionem probat : quamvis revera huic etiam glossa ista sit inserta ; unde facile nobis persuademus, duorum auctorum glossas simul fuisse appositas, seu potius confusas, tam hic quam in cæteris hujus scriptoris locis.

Hæc de septem partibus, scilicet superius dictis, A *artis nostræ dixisse sufficiat. Nunc rhythmos , hoc est, numeros perstringamus*, id est, breviter dicamus, (*quoniam ipsam quoque*) *portionem*, partem, id est rhythmum, *nostri esse non dubium est. Rhythmus igitur est composito quædam ex sensibilibus;* sunt enim numeri intelligibiles et incorporales, cum nullo sensu corporeo discernuntur ; sunt sensibiles, cum ad visum et auditum et tactum pertinent, *collata temporibus*, id est conveniens, aptata vel conjuncta *ad aliquem habitum ordinemque*, scilicet temporis præsentis præteriti et futuri, *connexa*, conjuncta. Cum omnis musica numero constat, sola tamen humana vox, propter dignitatem rationabilitatis, rhythmus vocatur, unde Virgilius :

..Numeros memini, si verba tenerem. B

Rursum sic definitur, scilicet rhytmus : (*numerus est diversorum*) *modorum*, tonorum, temporum, et pedum (*ordinata*) *connexio*, junctura (*tempori*), *pro ratione*, secundum rationem (*modulationis*) *inserviens*, obediens, (*per id, quod aut*) *efferenda*, sublevanda in acumen, *vox* (*fuerit*) *aut premenda*, scilicet in gravitatem, *et qui*, scilicet numerus, *nos constringat a licentia*, scilicet vulgari, *modulationis*, ,id est inordinata, quæ est sine regula, *ad artem*, id est, ad certum aliquid, *disciplinamque*, scilicet ne forte evagetur vox, et libere effluat. *Interest tamen inter rhythmum et rhythmizomenon* ; *quippe rhythmizomenon*, numerandum vel numerabile, quod in numerum et artem redigi potest, *materia est numerorum*, pedes videlicet, qui præstant numeris materiam, nam per C pedes scansio : *numerus autem* (*velut quidam artifex aut species modulationis*) id est ipsa materies *apponitur*, id est additur propter materiam ipsius numeri. *Omnis igitur numerus triplici ratione*, id est tribus modis *discernitur. visu, audituque et tactu* : *visu, sicut sunt ea quæ motu corporis colliguntur*, id est gestus corporis et saltationes : *Auditu, cum ad judicium* (*a*) *modulationis intendimus*, scilicet in organicis sive humanis vocibus : *tactu*, hæc species ad medicos pertinet, *ut ex digitis exploramus venarum indicia*, scilicet in corporibus hominum, pulsus videlicet, nam et ipsi secundum ipsos rhythmos fiunt, et explorantur indicia signa pulsus. *Verum nobis*, id est, musicis *attribuitur maxime in auditu visuque. Sed rhytmice est ars*, id est numeralis positio, *omnis in* D *numeris, quæ numeros quosdam propriæ conversionis accipiat*, id est, reditus proprios, ut unde veniat, et ea redeat ipsa vox, *flexusque*, id est, reditus vel circuitus legitimos, id est rationabiles *sortiatur*.

(*Est quoque distantia inter rhythmum metrumque non parva, sicut posterius memorabo. Sed quia visus auditusque numero*) *dictus*, scilicet est a me (*accidere*); *hi quoque*, id est visus et auditus, *in tria itidem*, id est similiter, *genera dividuntur, in corporis motum*, id est gestum : *in sonorum modulandique rationem : atque in verba, quæ* scilicet verba. *apta ratio modis*, id est modulationibus *colligarit, quæ cuncta*, id est hæc tria *socia*, pro sociata, *perfectam faciunt cantilenam. Dividitur sane numerus in oratione* (*per syllabas*), id pertinet ad verba ; *in modulatione per arsin ac thesin*, hoc pertinet ad sonum, cum elevatur aut deponitur vox ; *in gestu, figuris*, flexionibus membrorum *determinatis*, id est distributis, *schematisque completur*, pro schematibus, figuris et schematibus idem est.

Verum numeri genero sunt septem : primum de temporibus, scilicet longis et brevibus. *Secundum de enumeratione verborum*, cum consideramus, quæ metra vel rhythmi quatuor partes recipiant, *quæ in numerum cadere non possunt*, scilicet quod excedunt legitimos pedes, qui sunt in quaternario numero ; *quæ*, scilicet verba, *rhythmoides, id est similia numeris judicantur*, id est sic scanduntur, quia sibi terminatur pars, ubi finitur pes : Rhythmoides, id est numeri forma vel species *quæque*, scilicet verba, *tribus vocabulis discernuntur, hoc est, enrhythmon, arhythmon, rhythmoides* : enrhythmon numerabile, et quod formam numeri habet : arhythmon numerabile, numero carens, quod in nullum certum cadit numerum ; rhythmoides, similitudinem habens numeri, quæ partim numeros assimilat, partim a numeris dissentit. *Tertium*, scilicet genus, *de pedibus. Quartum de eorum*, scilicet pedum, *genere. Quintum est, quod agogen rhythmicam*, id est ascendentem vel ductam numerationem, *nominamus, id est quo genere*, scilicet metri, utrum dactylico vel iambico, *numerus modique*, scilicet modulationis, *ducantur. Sextum de conversionibus*, id est quomodo convertatur unum genus metri in aliud. *Ultimum*, id est septimum. *Rhythmopæia* est, id est numeri factura, *id est quemadmodum procreatio numeri possit effingi in metro vel versu.*

Primum igitur, scilicet genus, *tempus est*, scilicet præsens, quando inchoatur cantilena, *quod in morem atomi*, id est insecabilis, *nec partes nec momenta recisisnis*, id est divisionis, *admittit*, recipit ; *ut est in Geometricis punctum, in Arithmeticis monas* ; *id est singularis quædam natura ac seipsa contenta*, id est sufficiens. *Sed numerus in verbis*, scilicet invenitur, (*per syllabam ; in modulatione*) *per sonum*, id est tonum ipsum, *aut per spatium*, id est divisionem toni, *quod fuerit singulare*, scilicet invenitur, id est indivisibile, et unum : majus spatium vocatur systema, minus diastema. *In gestu*, scilicet fit tempus, *per incipientem corporis motum, quod schema* diximus, id est figuram, ut in aptatione membrorum. *Atque hoc erit brevissimum tempus*, id est præsens, *quod insecabile memoravi. Compositum vero*, scilicet tempus, id est artificiale, *quod potest dividi*, scilicet in species, *et quod a primo*, scilicet præsenti tempore, quod est insecabile (*aut duplum, aut triplum, aut quadruplum*) est a primo, id est a prima divisione. *Eate-*

(Apographum habet : *Cum adjutorium*.

nus enim, id est hucusque vel ad quadruplum numerum legitimorum pedum (*tempus omne numeri profertur*), pro numero, tempore (sc. tempus) posuit. Legitimi autem pedes aut dupli sunt, id ex duabus syllabis, aut tripli ex tribus, aut quadrupli ex quatuor. Potest et alia ratione intelligi, ut duo tempora unius longæ syllabæ pro uno tempore accipias, ac sic non solum numerus syllabarum, verum etiam temporum quaternarium non transgreditur numerum, *atque ei*, scilicet numero, id est quaternario *finis est*; sicut in creaturis ipse quaternarius terminus est, quod ad exemplar ejus omnis creatura formata est, *qui plenæ rationis est terminus*, scilicet in creaturis, quod sicut ternarius numerus numerorum omnium primus est, ita et quaternarius omnium numerorum ultimus plenæque rationis terminus, ipsa autem ratione; nam ex quaternario et membris suis denarius conficitur numerus, unum quippe et duo et tria et quatuor decem fiunt, id est monas, dyas, trias, tetras. *Atque in hoc*, id est in hac ratione, *numeris tonis similis invenitur*, sub quo tonus in quatuor dieses dividitur; *sicut enim ille*, id est tonus, *per quatuor species*, id est dieses, *dividitur, deest ita, hic*, scilicet pes, *etiam quaternaria temporum modulatione concluditur*, id est dupla, tripla et quadrupla.

Sed eorum temporum, quæ ad numeros copulantur, alia sunt, quæ enrhythma, id est numerabilia, *tempora nominantur alia quæ arhythma*, id est sine numero et innumerabilia: *alia quæ arhythmoides*, id est similia numeris, *perhibentur. Et enrhythma quidem sunt. quæ ratione certa ordinem servant, ut in duplici vel hemiolo*, id est sescuplo vel sesquialtero, *vel in aliis*, id est in epitritis, *quæ alia ratione*, scilicet tripli et quadrupli, *junguntur. Arhythma sunt, quæ sibi nulla omnino lege consentiunt, ac sine certa ratione congregata sunt*; quidam enim pedes ita sunt, ut nulla ratione sibi conveniant, sicut amphibrachys, quem metrici informem et incognitum (*a*) judicant, *Rhythmoides*, id est numeri formam, *in aliis numerum servant, in aliisque despiciunt. Quorum temporum alia strongyla*, hoc est, *rotunda perhibentur*; strongylus στρογγύλος versus dicitur in quo nulla pars orationis integra locum pedis obtinet, ut:

Immortale nihil mundi compage tenetur:

in hoc enim versu nullus pes terminat partem orationis. *Alia periples* (*b*) id est superabundantia. *Et rotunda sunt, quæ proclinus*, id est velocius, *et facilius, quam gradus quidam*, scilicet ticut fit in illis versibus, qui ex vocalibus colliduntur, ut:

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur.

Sive hoc fit, quanda in omnibus pedibus finitur pars, ut est:

Respice me, Pater, ut bona quæ peto nec mihi præstes:

A *atque ordo legitimus expetit*, id est, requirit, *præcipitantur*, id est, velociter cantantur et scanduntur. *Periples vero, quæ amplius, quam docet, moras compositæ modulationis innectunt*, id est præstruunt, scilicet sicut sunt illi versus, ubi multitudo consonantium incurrit, ut

Posita spe sibi quisque

seque ipsa tardiore pronuntiatione suspendant, remorantur, propter crebras consonantes, quas habent.

(*Sed temporum alia simplicia sunt, quæ podica etiam perhibentur*), podica ποδικά, id est pedalia vel pedibus apta, pos ποῦς namque Græce *pes* dicitur. *Pes vero est numeri*, id est rhythmicæ; formam superius dixi, *prima progressio*. dispositio vel elementum numeri, *per legitimos*, id est proportionales, *et*
B *necessarios sonos conjuncta.* Illi pedes, qui proportionaliter ponuntur, legitimi dicuntur: *cujus*, scilicet pedis, *partes tuæ sunt, arsis* id est elevatio, *et thesis*, id est depositio ac remissio vocis (*Sed pedum differentiæ sunt septem*(: *per magnitudinem*, id est quantitatem (*cum alios simplices, alios multiplices pedes ponimus*) cum unus pes major est alio. (*Et simplices quidem, ut est Pyrrhichius; composito vero, ut sunt Pæones, vel eorum pares*, id est epitriti. *Et simplices quidem dicuntur, qui*, scilicet tantum *temporibus dividuntur*, id est, per tempora tantum dividuntur: *composita autem*, scilicet dicuntur, *qui in pedes etiam resolvuntur*, id est non solum in tempora, sed etiam in alios pedes. *Alios vero*, scilicet pedes, *alogos, id est, irrationabiles nominamus, quorumque ratio nulla præstatur*, invenitur, id est, nulla ratio
C divisionis eorum redditur; *sed incondita*, id est, incomposita, sine illius divisionis compositione. *quædam compositio profertur. Alia deinde differentia est*, id est quarta divisio, *quæ per divisionem quæritur* (*qualis existit*), ista divisio in simplicibus proportionibus quæritur pedum, *hoc est poia* ποῖα, id est, qualis legitimos pedes dicit, id est in quibus quæritur, qualis ratio sit; *cum varie et multipliciter ea, quæ connexa fuerint, dividuntur*, scilicet per arsin et thesin, vel cum in æquam et duplam vel sextuplam divisionem dividuntur (*atque illa, qua simplices pedes esse multiplices*) (*c*). *Atque alia*, scilicet divisio est, id est quinta, id est, atque alia est differentia, *esse pedes multiplices illis, qui simplices*; sunt enim simplices pedes multiplices, dividuntur enim in duos
D pedes, *qua simplices pedes esse*, scilicet possunt: multiplices videlicet, quando in synzygis redintegrantur. *Alia*, scilicet divisio, id est sexta, *quæ per divisionem fieri consuevit*, scilicet quod in synzygis maxime evenit, cum videlicet pes compositus in duos resolvitur. *Septima*, scilicet divisio est, *quæ per appositionem fit*, id est per comparationem inter se duorum pedum, *id est, cum duobus pedibus acceptis*, comparatis et consideratis, *unus*, scilicet pes, *habet prolixius tempus, quod præcedit ex ordine*, scilicet ut

(*a*) Forte melius *inconditum*.

(*b*) Ex Aristide est [illegible], sive [illegible], aut etiam περικλεής, quæ in idem recidunt.

(*c*) Hæc Meibomii melius habentur in Remigio nostro, ut ea exprimimus.

trochæus,in quo prima syllaba longum tempus habet ultima breve : *illud autem tempus, quod insequitur, angustius*, scilicet est ; *vel cum per contrarium ordinem prædicta tempora vertuntur*, sicut in iambo, ut primo sit breve tempus,deinde longum,quod in trochæo ex contrario evenit.

Rhythmica vero, id est numerorum ordo, *genera sunt tria, quæ alias,* id est aliquando, *dactylica*,ipsa est æqua divisio ; *iambica*, dupla divisio ; *pæonica*, sescupla divisio, quæ est hemiolia et sesquialtera (*nominantur*) ; *alias æqualia*,id est dactylica, *alias hemiolia*, id est pæonica ; *duplicia*, id est iambica. *Denique etiam Epitritus sociatur*, scilicet in proportione sesquitertia. *Etenim unus*,scilicet pes, *semper cum sibi fuerit aptatus*, scilicet ut puta, ut quasi *æqualis convenit*. sicut pyrrhichius, qui æquali proportione partitur. *Tria vero ad duo numerus* sesquialter,sescuplus,*hemiolius est*,scilicet ut in prone. *Duplex vero*, scilicet proportio vel res, *qui fuerit ad singularem*, id est,ad unam,*geminum*,id est duplam *rationem tam syllabarum quam temporum servat.* Iambus et trochæus in temporibus duplicem proportionem habent, non autem in syllabis. Tribrachys vero et molossus non solum in temporibus, verum etiam in syllabis duplam possident proportionem. *Quatuor vero ad tria epitriti ;* id est, sesquialterum *modum*, id est mensuram *faciunt.* Sed quæ æqualia diximus, eadem dactylica esse dicemus, quod in dactylo sortitur ista divisio. *Deinde in dactylico genere signa*, scilicet temporum,id est virgulæ quibus constant brevia et longa *nectuntur sibi æquali jure*, scilicet notarum. Sicut unum ad alterum, id est sicut unum ad unum,sicut in Pyrrhichio de binario dicitur,qui secundum Boetium alter numerus dicitur sive geminus,ibi enim æqua proportio est ad alterum : hoc dicit,quod omnes pedes,qui æquali proportione dividuntur dactylico genere comprehenduntur,quam ad dactylo regulam divisionis accipiunt. Dum ergo regula procedit in dactylo, cæteri ad eamdem regulam considerantur.Ecce quod dicitur(*Verum ad alterum, vel ad numerum geminum duo, velut forte æqualitas numerosa decurret*) *verum decurret*, post dactylicum videlicet, *æqualitas numerosa* usque ad sedecim pedes,sed ida æqualitas *ad alterum*,hoc est unum ad unum,ut in Pyrrhichio, *vel duo ad numerum geminum*, id est duo ad duo,ut in proceleusmatico est,si sola tempora consideraveris,in dactylis et anapæsto cæterisque similibus. *Forte* autem dixit, ac si dixisset : sic acceperis a synzygis pedes ejusdem formæ, major erit numerositas;nam sub hac regula æqualitatis nonnisi decem simplices adduntur autem ex synzygis sex, *vel ad numerum geminum* sicut sunt duo ad duo, sicut in proceleusmatico, *duo* scilicet tempora, *velut*, scilicet sunt numerosa copiosa.(*Sequitur Iambicum genus quod*) *diplasion*, id est duplum(*superius expressi, in quo*) *pedum signa,* id est virgulæ similiter ut supra, *duplicem rationem* (*ad invicem servant*) sicut unum ad duo, *sive unus ad duo,* ut in iambo (*sive ad quatuor*) *gemini*, id est bini ut in iambo *vel quidquid ad duplum currit.* (*Hemiolium*, semitonium, id est sesquialterum, *sane quod pæonicum memoratum*,scilicet est *tunc est*, scilicet illa divisio, *cum pedum signa*, id est illæ virgulæ, *hemiolii rationem usque sectantur, ut ad duo tres* (*sunt. Accidit autem etiam in epitriti ratione sæpe*) *numerus*, scilicet hemioliæ divisionis, (*cum pes*) *in eo*, id est in tali jure (*accipitur*), *qui*, scilicet pes, sit ad tres quatuor. Istud Martianus superquartam vocat. Sed jam ad ordinem redeamus.

Æquale est igitur numeri genus, id est, aquæ divisionis, *quod a disemo*,id est a pede duorum temporum brevium,sicut est Pyrrhichius,*usque ad sedecim pedes procedit*, scilicet, qui æquali proportione gaudent. *Disemus autem appellatur pes,qui per arsin et thesin primus constare dicitur*, scilicet,*ut est leo. Duplum vero*, id est dupla divisio, *incipit a trisemo* id est a pede trium brevium temporum, ut est tribrachus ; XVIII *autem syllabas*,id est pedes,syllabas pro pedibus posuit,*in finem usque deducet* numerum syllabarum,donec decem et octo pedes perficiat, ex quibus in simplicibus inveniuntur VI,adduntur vero a synzygis XII. *Hemiolium sane*, id est sescuplum, *pentasemo*, id est a pede quinque temporum, *ducit exordium ; impletur autem in* XV *numero*, id est in numero XV pedum, ex quibus VII simplices sunt, amphimacrus,bacchius, antibacchius,pæones quatuor, adduntur autem a zynzygis octo. *Epitritus ab heptasemo*, id est a pede VII temporum *principium facit, quatuordecim similibus idem*, id est suam pro portionem, *pedes*. Epitriti sunt quatuor in simplicibus,et adduntur X in synzygis. Notandum autem, quod non propter legitima metra,sed propter rhythmos pedum similium proportionum simplicibus ex synzygis adduntur ;*cujus* scilicet epitriti,*difficilis*, id est, rarus *est usus*,quod raro eo utuntur. (*Atque hos quidem omnes numerorum ordines ideo memoravimus, ut*) *singulorum*, scilicet pedum *per universa* id est, per universas divisiones *serventur.*

Sed numerorum, id est, ex his numeris *alii sunt compositi, alii incompositi,alii permixti. Et compositi e duobus generibus*, id est, ex dactylo, et iambo, *vel pluribus*, ex dactylo, iambo, prone et epitrito, *cohæserunt*, scilicet sibi *: incompositi,qui uno pedum genere consistunt*, ut dactylus, *ut sunt tetrasemi* scilicet sicut dactylus sunque similes,qui sunt quatuor temporum. *Misti vero, qui aliquando in pedes*, scilicet diversos, ut iambus in duos iambos, distrochæus in duos trochæos, *vel uno in numeros*, scilicet similes resolvuntur,ut dactylus in tempora bis bina . *ut in hexasemo numero accipere debemus,* id est in pedes extemporum,ut molossus in hexasemo ubi in duo ambo et in numeros temporum, habet enim bis terna, et in pedes, habet enim bis iambum, resolvitur ; molossus vero in numeros temporum, secundum vero ; nisi forte quis dicat, illum posse solvi in spondæum, et in unam syllabam longam, quæ pro Pyrrhichio accipitur. (*At*

vero eorum, qui compositi esse dicuntur) *alii per copulas*, , id est pedum juncturas, id est synzygias veluti cum dicimus compositionem et appositionem; alii vero per periodum colligantur, id est, conjunguntur inter se. Inter synzygiam et periodum talis differentia est, quod synzygia duorum solummodo pedum (*a*). (*Etenim syzygia, id est copula duorum pedum in unum est ascripta connexio, qui in dissimiles sibi positi esse videntur. Periodos sane est pedum compositio plurimorum, quique*,) periodus vero e multorum copula fit in dissimiles, id est valde dissimiles, ut dispondæi, *disimiles sibi* secundum genus, *sibi impares*, scilicet secundum aliquam rationem *socientur*. (*Dissimilitudinum sane differentiæ tres erunt, per magnitudinem, per genus, per oppositionem: per magnitudinem cum e disemo*, ut pyrrichius, *vel tetrasemo*, sicut proceleusmaticus *componitur numerus*. (*Per genus, cum*) *diplasion*, duplam divisionem, *aut hemiolium*, id est sescuplam divisionem (*simul jungimus, vel quod*) *ex pluribus*, divisionibus *æqualiter*, id est, æquali proportione *copulatur*, id est in syzygia, (*per oppositionem, id est*) *per antithesin*, id est per contrariam positionem, (*cum aut primos disemos ponimus, insequentibus longe*) *potioribus*, melioribus *aut*, scilicet contra cum *tetrasemos*, scilicet primum *disemis sequentibus applicamus. Verum notum esse conveniet, unum etiam pedem posse sufficere*, quod vocatur monocolon, id est unius membri, *ad complendam, periodon, si solus*, scilicet pes, *cæteris*, id est, si ex alio genere fuerit, *inæqualis*, dissimilis illis, *inseritur*.

Sed eorum, id est, earum divisionum, *quæ in pedem recidunt*, id est, sub regulis pedum cadunt, sicut sunt simplices et reliquæ, *dactylicum genus*, id est æqualis, *primum est*, id est principale (*in quo genere pedes*) *incompositi* sibi similes (*vocabuntur, qui numero sunt sex*) *id est, proceleusmaticus, anapæstus*, (*spondæus simplex*) *et spondæus major* est, id est dispondæus. *Ac proceleusmaticus*, ipse est Pyrrhichius, *quidem est*) *qui et positionem* (*brevem*) thesin, *et elationem* (*brevem*) (arsin *retinet. Utetur autem hic idem*) id est proceleusmaticus *tretrasemo*, scilicet pede quatuor temporum *frequentius*, id est sæpius. *Namque et disemus hujus*, scilicet divisisionis pes, id est Pyrrhichius effingitur, id est efficitur (*id est, qui duobus temporibus impletur. proceleusmaticus quidem, sed brevior nominatur: ille vero major est, qui ex quatuor brevius efficitur. At vero*) *brevior* (*id est*) *disemus syneches vocatur*, id est continuus vel continuatus, hic synecha passio vocatur, id est, continua febris, (*quia ipsa assiduitas et frequentia comprehendentis se invicem syllabæ*), *nec magnitudinem*, id est proxilitatem, *aliquam nec modum divisæ potestatis*, illius videlicet, quæ est in

A duas, scilicet syllabas diversas, *extendit*, quod omnes breves sunt, (*ideoque eo*) *raro uti decet*, scilicet in metro, (*ne assiduitas brevis syllabæ carmen ipsum quod cum dignitate aliqua proferri oportet*) *incidat*, minuat, conterat. *In permixtione vero aliorum pedum, qui longiores ponuntur*,) *decenter aptatus*, scilicet ipse Pyrrhichius major, id est proceleusmaticus, *ut illorum*, scilicet pedum qui ex longis constant, *prolixam moram interveniente sua celeritate compenset*, id est contemperet. (*Quare proceleusmaticus, qui*) *ad numeros*, id est ad rhythmos numerorum (*aptatur*) *a quadrisemo*, id est, a pede quatuor temporum brevium, *exordium debet accipere*. (*Anapæstus, qui vocatur minor, accipiet elationem pedis unius temporis, positionem vero duorum temporum* B *faciet*. Minorem anapæstum vocat iambum propter similitudinem syllabarum, quod ille ex duabus brevibus et longa, iambus ex brevi et longa. *Monochronon quippe dicitur tempus*, scilicet in anapæsto, id est in iambo, *etiam cum longe ponitur, quæ longa duo tempora recipere consuevit: et cum tria tempora simul brevia collocantur*, scilicet similiter monochronon appellatur, ut in iambo et trochæo, in quibus tria tempora computantur: *vel cum sunt quatuor numero*, scilicet sicut in spondæo, in quo quatuor brevia, et duo longa connumerantur; *quæ omnia* scilicet brevia, *ad comparationem longæ syllabæ computantur*.

Igitur major anapæstus; major autem dicitur anapæstus vel ipse anapæstus vel dactylus, qui est totidem temporum: sive majorem dicit anapæstum C ad comparationem iambi, qui major (*leg.* minor) anapæstus dicitur, *elationem quidem suscipiet*, id est elevationem syllabæ, arsin videlicet, *quæ monachronos esset dicatur, positionem*, id est thesin, *dichronon habere monstratur*. (*Quare utriusque temporis, quod in positione fuerit*) *aquali sibi posito*, id est sub æquali positione, *oportet elationis geminum tempus* id est in una syllaba, *accipere*, id est, oportet, ut tot tempora sint in elatione, quot in depositione. (*Ita tamen, ut utroque*) *in sequenti tempore*, una pars est insequens tempus per quod subsequitur, *par priori*, id est, elationi, *esse videatur*, id est ea, quæ sunt in positione æqualia, sint et omnia in elatione. *Quare*, id est, hac ratione *anapæstus apomizonos*, id est, sursum sociatus, *dactylicus a nobis* D *esse dicitur*. scilicet quod similitudinem dactyli habet, (*at vero*) *anapæstus, qui apelassonos nominatur*, id est minus sonans, (*ex duabus brevibus, quæ in elatione sint, et ex tua, quæ in positione sit, copulatur. Semplex vero spondæus erit, qui ex producta tam arsi quam thesi jungitur*) *major* vero spondæus, id est dispondæus (*qui quaternariam*) *non solum elationem, sed etiam positionem*, id est, octo tempora, *videtur admittere. Per copulam vero*, id est, per ge-

(*a*) Sequentibus sensum dare nullum potuimus, adeo omnia sunt depravata in apographo. Aristides paucis rem complectitur: « συζυγία copula est duorum pedum simplicium et dissimilium compositio: periodus vero plurium. »

minationem duorum pedum. *duplices accedunt numeri*, id est, diversi pedes : (*quoniam alter ex majore erit ionico, alter ex minore. Atque ille, qui ex majore procedit, constabit*) *ex spondæo simplici;* scilicet quod in principio duas habet longas,(*vel proceleusmatico, quem*) *disemum*, id est Pyrrhichium duorum brevium temporum (*esse non dubium est*). *Qui vero ex minore est*, id est ionicus minor, qui constat ex Pyrrhichio et spondæo *contrarium facit*, quodque ille habet primum, iste habet ultimum· (*Atque hi quidem*) *in dactylico genere ponuntur*, id est, in æquali divisione, quod æqualem proportionem habent, *rhythmi incompositi*, id est, pedes de pedibus dicuntur, qui secundum rationem numerum præcedunt ; incompositi numeri sunt, qui ex eisdem pedibus compositi qui ex diversis junguntur : *ac compositi*) *qui septem numero omnes erunt.* (*Dactylus igitur est dictus, quia ordinem syllabarum consimilem digito hominis informat*) *Anapæstus vero*, scilicet dictus est, *quia per ordinem redeat sursum*, anapæstus a verbo ἀναπάιω, hoc est sursum redeo, ἀνὰ enim Græce sursum dicitur. *Pyrrhichius vero, vel proceleusmaticus*, scilicet minor dictus, *quod* (*hic assiduus, vel in certamine, vel*) *in ludo quodam puerili*, qui Πυῤῥίχη Pyrrhica vocatur, ponebatur. *Spondæus* sacrificalis, a verbo spendo σπένδω, id est *sacrificio, plerumque inservit*, scilicet sacrificiis. *Ionicus*, inæqualis (*sane propter numerorum inæqualem sonum, habet enim duas longas duasque correptas, quo pedum carmine*) *multi sæpe reprehensi sunt*, veteres enim in theatris per hunc pedem, id est, ionicum reprehensibiles reprehendebant.

Ac de dactylis, id est de illis, qui habent dactylicam divisionem, *satis* scilicet dictum : *nunc iambicam*, id est duplam *memoremus* ; *in quo*, scilicet iambico, *genere numeri incompositi*, id est simplices *errant quatuor*, id est, discurrunt, variantur et vagantur : *compositi duo per copulam*, id est, syzygiam *: ut vero per periodum*, id est, per conjunctionem multorum pedum, sunt duodecim. *Qui igitur incompositi errant*, id est, discurrunt, *isti sunt. Iambus ex dimidia elatione*, id est ex brevi tempore, quæ brevis est, *et positione*, id est arsi, *quæ gemina est.* (*Trochæus ex duplici elatione, et positione quæ brevis est.*) *Orthius vero*, scilicet pes, qui constat ex spondæo et dispondæo ; orthius ὄρθιος dicitur vel quasi recitus, quod ὄρθιον Græce *rectum* dicitur vel quasi rectus (*a*) id est honestus, orcita enim Græce item dicitur *honestas, qui ex tetrasemi*, scilicet sicut est spondæus, *elatione, id est arsi, et octasemi*, id est octo temporum, sicut est proceleusmaticus et dispondæus : ὀρθοῶ octo (*positione constabit, ita ut duodecim tempora hic pes recepisse videatur*). *Atque habet*, scilicet ipse or-

A thius. *propinquitatem* (*aliquam cum iambico pede, quatuor enim primis temporibus ad iambum consonat, reliquis octo temporibus adjunctis.*) Ut enim in iambo unum ad duo duplici proportione, ita in orthio IIII. ad VIII. in eadem proportione junguntur. *Dehinc* Crœsus Χροῖσος, qui constat ex trochæo et ditrochæo ; Crœsus vocatur, quod placuit Crœso regi Lydorum. Si autem trochæus fuerit dictus, ut plurimi codices habent, tunc a trochæo dictus erit, qui semanticus dicitur, id est tardior ; quod arctetur, stringatur per copulam, id est syzygiam. (*Trochæus, qui semanticus dicitur, id est, qui et contrario octo primis positionibus constet: reliquis in elationem quatuor brevibus arctetur. Compositi sane sunt, qui per copulam colliguntur. Sunt autem*

B *hi Bacchius, qui ex trochæo deducit auspicium*, initium, *fine* (*autem iambici terminatur*)... pro perfecto, apud Græcos ἀρχὴ et τέλος, hoc est initium et finis, sic apud Latinos finis non solum finem significat, sed etiam initium. Incipit itaque bacchius ex duabus longis instar trochæi, finitur autem una brevi ad similitudinem finis, id est principii iambici. *Qui vero Antibacchius est*, id est antispastus, (*ab iambo principia sortitur, atque*) *a contrario his*, id est bacchio et iambo, (*quos diximus pedibus aptabitur*). *Per periodum vero est*, scilicet syzygia, *quod velut per se certam viam pervenit*, id est, procurrit ; ordo est, quod provenit certam viam velut per se. *In hoc genere*, id est per periodum, *cum sint duodecim*, scilicet

C pedes, *numero, quatuor*, scilicet pedes, *quidem per singulas periodos accipere docetur*, scilicet ab ipsa arte, *unum iambum ac tres trochæos.* (*Ac de hisdem quatuor primum quidem, quod iambum habere monstratur*) *trochæus ab iambo denominatur*, id est trochæi ab iambo inchoantes. *Ille vero rhythmus, qui recipit iambum secundum*, id est secundo loco, *a bracchio trochæus vocabitur. Qui vero iambum tertium*, id est tertio loco *recipit, bacchius a trochæo poterit nominari. Ille vero qui quartum*, id est, qui quarto loco *admittit iambum, appellatur epitritus iambus. Eorum vero*, scilicet in quibus volvitur trochæus inter iambos, *qui ex uno trochæo fiunt*, primus iambus a trochæo appellatur. (*Secundus iambus a bacchio dicitur ; aut certe bacchius medius poterit appellari*). *Qui vero tertium*,

D scilicet trochæum, *recipit, bacchius ab iambo nominatur. Qui vero quartum*, id est quarto loco, *recipit trochæum, epitritus trochæus appellatur*, id est, post tres iambos trochæus. *Octo vero*, scilicet (*b*) perdiximus. (*Quatuor de his, quos duodecim diximus, per periodum illi esse dicuntur, qui binos trochæos atque iambos per periodum servant. Atque*) *ille, qui primos trochæos recipit* scilicet ante duos

(*a*) Unde hæc desumpta, incertum, neque enim Græca est ista vox. Priorem explicationem probat Herodotus lib. I, juxta quem ὄρθιον carmen est, quod sublatissima voce cantatur. Cæterum hæc omnia ex Aristidis lib. I de Musica desumpta sunt.

(*b*) Hæc non cohærent, nec ex Meibomio major nexus aut clarior sensus haberi potest. Ita vero ex Aristide legendum censemus : « Quatuor vero, qui binos habent trochæos, et totidem iambos, » etc., ita ut *octo vero* in Martiano abundet.

iambos *duplex bacchius a trochæo esse dicitur: qui vero secundos trochæos habebit, duplex bacchius a iambo nominatur. Cum autem trochæi medii collocantur, trochæus medius jure dicetur. Cum autem in medio iambi*, scilicet collocantur inter duos trochæos, *medius iambus vocatur.* (*Omnes vel qui incompositi per periodon, vel qui*) *per copulam*, id est syzygiam (*colligantur, rhythmi decem et octo numerati sunt*). *Iambus dictus est ab eo, quod iambizin* (ἰαμβίζειν) *Græci* detrahere *dixerunt. Et in hoc carmine quibusque veteres detrahebant. Item hoc nomen*, id est iambi nomen, *est ab eo, quod venena maledicti*, id est maledictionis, *aut livoris* id est, invidiæ *infundat.* Duas ergo etymologias habet, aut a verbo ἰαμβίζειν, id est, detrahere, aut a nomine ἰός, quod est venenum. (*Trochæus vero ab eo dictus, quod celerem reversionem faciat veluti rota*). Τρόχος Græce rota, inde τροχαῖος rotatilis. *Orthius*, scilicet ex spondæo et dispondæo constat, orcita Græce honestas dicitur, (*propter honestatem positionis est nominatus.*) *Semanticus*, tardans et remorans; semanticus constat ex dispondæo et spondæo, (*quia cum sit tardior tempore,*) *significationem*, id est nomen, *productæ cessationis et remanentis*, quod tantæ proxitatis est elatio ejus, ut non solum elatio, verum etiam depositio, hoc est cessatio, existimetur comprehendere, ideoque semanticus, retardans vel remanens, nominatur, *cessationis*, morositatis, *effingit*, conformat. (*Bacchii vero sunt dicti, quod bacchicis maxime sonis congruunt*; *isque bacchius ludus est, qui illis carminibus aptatur*), bacchicis, id est, sacerdotibus Bacchi, in cujus sacris sacerdotes insaniebant.

In eo vero genere, id est in ea divisione, (*quod Pæonicum nominatur*) *incompositi duo rthymi esse dicuntur*: de quatuor pæonibus duos pedes facit, quos etiam pæones vocat. Primum quidem et secundum pæon ad unum pedem, tertium similiter et quartum in alterum copulat; sed prior in ratione sesquialtera, IV ad VI, alter vero VI ad IV. Duplicem autem positionem dicunt, quod in ea in una syllaba geminantur tempora, longiorem autem arsin, quæ habet VI tempora, thesis autem IV. *Quorum unus pæon* διάγυιος (*a*) *appellatur ex longa positione*, id est thesi, id est ex duobus temporibus, *et longa elatione*, id est arsis, id est duobus temporibus. Lydios a Lydia, quod in Lydio tropo abundat pæon pes. *Alter pæon epibatus* ἐπιβατὸς, *id est, in thesi*, epibatus, id est gravis, (*duplici positione producta; et arsi longiore jungitur. Hi sunt*) *pæonici generis numeri*, id est pedes, (*quos incompositos esse prædiximus*). *Neque vero per conjunctionem, hoc est, syzygiam*, A quod non ex diversis generibus junguntur, (*neque per periodum*) *in isto genere*, id est præonico, *rhythmus accedet*, id est perveniet. *Inde* διάγυιος. Lydios, quasi lysios λύσιος, id est, solutus in membra duplicia. Duplicia autem membra dicuntur, aut quod de quatuor fiunt duo pedes, aut quod in ipsis duobus pedibus duplicantur membra, id est, pedes, (*quidem dictus est, quasi*) *duplicia membra*, id est, geminos pedes (*discernat*). *Epibatus autem, quod membris*, id est, pedibus *veluti utens quatuor*, scilicet, quod quatuor syllabas habet, vel quatuor membris, quatuor pæonibus, ex quibus duæ diversitates efficiuntur, id est, duo pedes incompositi, *et duabus diversitatibus copulatur*, scilicet quod duo et duo junguntur.

B *Verum hæc genera*, scilicet omnia superiora, *cum permixta fuerint*, id est, cum inde factæ fuerint syzygiæ, *in speciebus numerorum*, (*primæ species erunt istæ, quæ dochmiacæ* (*b*) docimenæ, id est, approbatæ, *nominantur*: docimenæ a verbo δοκῶ approbo, inde docimenæ species, id est approbativæ dicuntur. (*E quibus prius quod fuerit, hac lege componitur, ut sit ex iambo et pæone, qui* διάγυιος *vocatur hunc* λόσιον *posteriores Græci cognominarunt*). *Secunda est species*, periodi, vel syzygiæ, *quæ ex iambo dactylico et pæone constare monstratur*, (*qui autem*) *deducti numeri*, id est producti, extenti (*nominantur, propter assiduum et compositum sonum*) *appellari*, scilicet deducti, *videntur. Fiunt autem numeri*, id est pedes, *qui et prosodiaci vocantur*, quod sub uno accentu pronunciantur, *Alii per ternos pedes fiunt*, id est, *ex* C *pyrrhichio* (*iambo*)*et trochæo ; alii vero quatuor*, scilicet probacchio, (*ut his tribus pedibus iambus primus aptetur*). Bacchius inter syzygias computatur, quod in duos pedes solvitur ; prima enim syllaba illius locum Pyrrhichii obtinet, cæterum trochæus est, ionicus autem a majore ex spondæo Pyrrhichioque constat. (*Alii vero ex duabus syzygiis, id est copulis, bacchio et*) *ionico apomizonos*, id est majore, (*constare consueverunt*). *Sunt sane*, scilicet pedes, *qui et irrationabiles esse dicuntur*, ex similibus pedibus copulantur, in quibus nulla profunda ratio quæritur (*quos alogos vocitamus, quos etiam chorios appellare consuevimus*) : chorius dicitur tribrachus et trochæus. *Sunt autem*, scilicet illi tales, alogi videlicet, *numero duo : quorum alter diambi figuram respicit, et constat* D *ex elatione quæ longa est, et duabus positionibus*) : prior enim iambus pro una syllaba accipitur, sicut in trochæo prima syllaba arsin tenet. Secundus vero iambus dividitur in unam brevem, et unam longam in ratione dupla. Si quis quærit cur de una brevi et una longa unam elationem longam fecit, respondendum est, quod iste pes irrationabilis est : *et numero quidem*, scilicet divisionis, *est ad dactylum si-*

(*a*) Sic bene ex Aristide, cui διαγυιος est *bimembris*: apographum nostrum habet *Lydios*, ad quod nomen etiam alludit interpretatio ; mox vero infra alia affertur, nempe λύστος α λύω : quod ex Martiano infra posteriorum *Græcorum* est, qui διάγυιον etiam λόσιον *f.* λύσιον dixerunt.

(*b*) Aristidi δοχμιακά, aliis δοχμακὸν Remigius in suo exemplari legit δοκίμεναι, quod et interpretatur.

milis, scilicet, qui habet unam longam in arsi et duo in thesi et in syllabis; *partibus vero*, id est syllabis, *ad numerum ionicum*, de Ionico minore dicitur, *jungitur*, scilicet in duplam, *et iambicinum*, id est, iambicum in dupla. (*Alius vero est numerus, qui trochoides nominatur, id est, qui figuram quamdam speciemque trochæi habere, videtur, ex elationibus geminis et longa positione consistens*) *per contrarium prioris effectus*, id est, pedis; per contrarium dicitur, quod ille in capite hic finem habet.

Sunt autem mixti generis quinque, scilicet numeri, *id est dactylus per iambum*, id est cum iambo; *dactylus in bacchio*, id est, ex bacchio, *incidens*, desinens, *is*, scilicet numerus, *qui veniat ex trochæo*, qui a longa incipit, hoc est antibacchius; *dactylus per bacchium*, id est, antibacchium *qui ex iambo manaverit*;) *dactylus per chorium*, id est, per tribachium. in quo numero chorius præcedit dactylum, ideoque (*qui ex iambi similitudine exordium*) iambi similitudinem mutuat, cum iambus et chorius eadem proportione dividuntur, *mutuetur*, accipiat: *dactylus per chorium, qui ex similitudine trochæi videatur*) *expressus*, formatus. *Creticus*, amphimacrus, (*quidem consonans ex trochæi*) *positione*, scilicet sua, id est constitutione, *et indicio*, id est signo (*numeri componendi, et omnium figurarum*) *plena perceptio*, plenus intellectus. *Dividitur* (*hæc in eas, quas et Melopœia partes. quæ sunt istæ*: λῆψις) epilepsis ἐπίληψις, *id est, perceptio*; nos tamen dicimus epilepsis Græce *suspensionem*; suspenditur enim homo, id est, alienatur vi passionis, quæ cadiva vocatur, epilepsis quippe vocatur illa passio, *per quam scimus, quo quantum*, id est, quamdiu (*numero utendum sit*:) Χρῆσις, *id est usus*, inde catachresis, id est abusio (*per quam positiones, aut elationes decenter aptamus*): μῖξις, *id est mixtio*, (*per quam quod opportunum fuerit*) *ex arte miscemus*, scilicet pedes. (*Tropi vero, ut in melopœia et in rhytmopœia, tres sunt, quos*) *systalticos*, id est, stantes, quod uniformiter unaquæque semper stat (*dicimus, et in*) *harmonicis*, musicis, *eos*, scilicet tropos (*superius memoravi*). *Numerum*, id est, rhythmum, (*autem marem esse, melos feminam noverimus*), melos Græce *cantatio*. (*Etenim, melos*, id est vox, per se nullam formam habet, donec accedat numerus, cujus operatio per elationem et depositionem præstat illi formam, et varios effectus, *materies est, quæ sine propria figura censetur*, scilicet sine dactylico et cæteris generibus computabitur. *Rhythmus autem*, scilicet numerumcertum vocat, (*opere quodam virilis actus*) *tam formam soni*, scilicet utrum elevatur aut deponatur, (*quam varios præstat effectus*).

(*Quæ eum harmonia*) *intentis* (a) diligenter audientibus *heroum populis*, id est hemitheis, *augusta*, ampla et nobili *quadam suavitate percurreret*, breviter exponeret, (*ad cautus carminumque dulcedines decenter regressa conticuit*,) continuit. Si lectum fuerit *continuit*, sicut hic habet, id est, perseverare voluit, ut quod docuit per regulas artis, probaret exemplis carminis. Si vero *conticuit* legerimus, significat *tacuit*, et subaudiendum est, a perceptis. (*Tuncque Jove assurgente, divisque*) *præambulis*, id est, præambulantibus illum Jovem, *symesin* (b), accentus Græcus est, id est, speciem carminis, permixtam et variam, *modulata*, scilicet ipsa harmonia (*in thalamum quoque virginis magna cunctorum*) *velaptate*, delectatione, (*pervenit*.).

(c) *Habes senilem Martiane*, scilicet o fili, *fabulam*, scilicet finitam; iambicum senarium trimetron. Epilogus est Martiani patris ad Martianum filium suum. *Senilem*, antiquam, anilem, delirantem, anus enim deliræ sunt præ senectute. *Miscillo*, vario, mixto *famine*, fabilis carmine, historia, miscillum famen, mixta fabula ex vero et falso, *quam*, scilicet fabulam, *lucit satyra*, id est, ludendo composuit, *lucernis*, vel cum lucernis et ad lucernas, quod nocte lucubraverat. *Pelasgos*, id est Græcos, (*dum docere*) *nititur*, scilicet ipsa satyra, id est, conatur, *artes*, scilicet septem liberales, *creagris*, vel agrestibus vel ingeniosis. Creager duobus modis intelligitur; aut enim ab eo, quod est creos, κριὸς, et ἀγρὸς, id est, aries rusticus; aut ab eo, quod est creagra κρέαγρα, id est fuscinula vel harpago; *creagris atticis*, rusticis, aut acutis, ut talis sensus sit: dum nititur. id est, dum conatur satyra docere Græcos in artibus, quæ vix a rusticis atticis reciperentur; vel certe quæ vix ab acutis atticis approbantur, *amicas*, id est familiares. *Sic in novena volumina*, id est in novem libros, *decidit*, id est, finita est; septem enim sunt de liberalibus disciplinis, et duo de nuptiis Philologiæ et Mercurii, fabulose scripta, ideoque Miscillum famen dicitur, partim quod veritatem artium exponit, partim fabulas fingit. *Hæc* (*quippe*) scilicet satyra vel fabula, *loquax*, verbosa, *docta*. vera propter artes, *indoctis*, fabulosis propter fabulas, docta indoctis, artes et fabulas, vera simul et falsa, *aggerans*, cumulans vel coadunans. *fandis*, pronuntiandis veris artibus falsas fabulas (*tacenda*) *farcinat*, implet, *immiscuit*. mixtum enarravi, (*musas, deosque disciplinas cyclicas*, tortuosas vel circulares; nam circulare neque initium, neque finem habet: sic et artes propter difficultatem cyclicæ vocantur, quod perfectæ et consummatæ vix unquam capiuntur, nullus enim ad earum perfectionem perfectam attingit, quæ Græce κατόρθωμα dicitur; unde Cicero de quodam ait: Per artium catorthoma assecutus fuerat, id est, per-

(a) Meibomius: « intentis tam divis quam heroum, » etc.

(b) Idem habet *symesin*, sed legendum notat *cœmesin* seu κοίμησιν, quasi epithalamium seu cantus ad indormiendum. Auctor noster σύνεσιν legisse videtur.

(c) Sequentia Martiani Meibomius rhytmice exhibet; quod hic ob adjunctas glossas observare haud licuit, maxime cum id in ms. quoque haud fiat.

fectamartium perceptionem. Aliter cyclicæ disciplinæ dicuntur, quod in similitudinem virtutis in semetipsas redeant, ideoque omnis ars et disciplina virtutis nomine appellatur. *Garrire*, inhoneste pronuntiare, *agresti*, rustico, *plasmate*, figmento, *finxit*, scilicet ipsa satyra, id est, simulavit, *cruda*, nova vel indocta, *hac ipsa*, scilicet satyra, inquit, *nauci*, vili, *rupta*, irata *conscientia* sua, *turgensque*, inflata, indignata, irata, *felle*, scilicet amaritudinis, id est, superbia, *ac bile*, veneno, multa chlamyde, scilicet cum hoc dixit satyra, chlamyde pro omni ornamento, *prodire*, accedere, *approbanda*, scilicet ego, id est laudanda, *doctis cultibus*, artibus: *possemque*, scilicet ego, quod vacat, *comis*, ornata ipsa, *utque*, veluti, tanquam, *e Martis curia*, ex Areopago, ubi erat curia Philosophorum, quod ibi disputabant semper, (*Felicis inquit sed Capellæ*) *flamine*, spiritu, quod per te proferor, *indocta*, scilicet videor, *rabidum*, insanum, vel eloquentissimum vel rabulum, quasi omni tempore fabulas dicentem, hinc rabulatio vocatur, *quem*, scilicet Felicem Capellam, *videre sæcula*, scilicet ista, *turgis*, improbis, gulosis epulonibus, hiatibus, *caninos*, validos, *blateratus*... id est latratus, *pendere* pro impendere, id est reddere. *Proconsulari vero*, una pars est, id est, honorabili, proconsulari *culmini*, id est in culmine proconsulari: significat enim, tunc illum proconsulem Carthaginis fuisse, quando hunc librum scripsit; *dantem*, scribentem suas fabulas, *ipsoque*, scilicet cum, (*dudum*) *bombinatorem*, pompose loquuntur, bombo est sono, hinc bombus sonus dicitur, *flosculo*, superfluo fabularum, vel pulchritudinem locutionis, *decertum* (*a*) (Meib. decerptum) pro decertatum, id est luctatorem, *falce* scilicet cum falce, pro tempore dixit, quod Saturnus falcem gestat, *jam canescente*, id est, senescente *rota*, id est ætate sua. Saturnus quippe deus temporum senex depingitur; sic et iste senex erat, quando hos scripsit libros, et ideo dicit, jam canescente rota ætatis suæ. *Beata urbs*, id est, Carthago, *Elisæ*, Didonis, *quem*, scilicet Martianum, *vidit alumnum* juvenem et nutritum, *Lugariorum*(*b*) de Lugara provincia Africæ scilicet oriundus Martianus, *murcidam*, pro marcidam, id est, antiquam *viciniam*, scilicet incolentem viciniam, id est, propinquitatem, (*parvo*) *obsidem* (*e*), paupercus, divisus, (*vixque*) *respersum*, patientem, coopertum, respersum, illa re, id est pervolucro; (*d*) *nictantem*, scilicet nocte, id est, vigilantem, *cura*, id est, propter curam et studium, *somnolentum*, dormientem, *lucibus*, id est diebus, tota die dormit et nocte vigilat; quare, *ob hoc*, id est, propter hoc, ut possit haurire (*creatum*) *pegasium gurgitem*, id est, artium fontem, *decente*... *quando*, pro quandoque (*possem haurire poculo*). *Testem ergo*, testamentum *nostrum*, scilicet Martianum, (*quem*) *veternum*, antiquum, cultum *prodidit*, scilicet satyra, id est, manifestatum. Hucusque locuta est satyra. *Secute* tu, id est, dum secutus fueris, Martianus loquitur ad filium suum, *nugis*, id est ritibus, carminibus, *o nate*, id est fili, *ignosce*, indulge, *lectitans*, sæpe legens. In hoc ultimo versu videtur, quod non minor Martianus ad patrem, sicut in quibusdam Martiani libris habetur, sed senior Martianus ad juniorem, id est, ad filium, loquitur, cum dicit: *Secute, nugis, nate ignosce lectitans.*

Expliciunt Glossæ Martiani.

(*a*) Meib. *decerptum.*
(*b*) Meibomius *Ingariorum*. Neque *Inguriam* neque *Lugarium* Africæ provinciam habet vel Strabo, vel Tabula *Peutingeriana*, aut Cellarii notitia orbis antiqui. Cassiodorus eum *Madaurensem* vocat.
(*b*) Meib. *obsidentem.*
(*d*) Meib. *lucro*

APPENDIX AD OPERA REMIGII

EPISTOLÆ DUÆ R. AD D. EPISCOPUM VIRDUNENSEM.

(Apud Marten., Ampl. Collect., tom. I.)

EPISTOLA PRIMA.

Excusat se quod senex ad eum ire non possit. Hortatur ad patientiam in adversis. Quid per Gog et Magog in Ezechiele intelligendum sit explicat, nonnullaque enarrat de Hungrorum origine.

Domino beatissimo et vere apostolico veræ et æternæ sapientiæ amatori D., sanctæ Virdunensis Ecclesiæ ierarcho, dignissime ab omnibus venerando R(*a*) ejus fidele mancipium, et minimus servorum ejus servulus fidelissimas et devotissimas in Christo orationes et servitium sempiternum.

Omnipotenti Deo gratias refero, ejusque clementiam totis præcordiorum viribus laudo, qui sacræ menti vestræ tantam misericordiam dignatus est inspirare, ut me exiguum cognoscere et sacris litteris vestris omni nectare dulcioribus dignaremini honorare. Taceo quod multiplici munerum colla-

(*a*) Hujus epistolæ scriptorem ex prima duntaxat nominis littera R. designat inscriptio, cum vero ad quem scribitur ex primo nominis elemento D. et ex dignitate episcopali, scilicet Virdunensis Eccle-

tione me immeritum decorastis, qui nec saltem dignus sum cuilibet minimo ex vestris servulis exæquari. Facitis hoc certe, quia creditis me alicujus esse utilitatis, cum ego nullius meriti vel scientiæ mihi conscius sim. Verum si quid illud est, totum ejus gratia qui habet statum hominis in manu sua, quique est nostræ dator et moderator vitæ, qui etiam dona sua persæpe indignis et non merentibus tribuere consuevit. Hanc gratiam utique in omnibus et in singulis vos amare certissimum est, quia et ipse plenus estis: utpote qui secundum Apostolum primitias spiritus abundantius exhausistis. Cæterum quod dixistis velle vos me esse vobiscum, me miserum, cui nec contigit vos id velle dum adhuc calidus medulas sanguis alebat, solideque suo stabant sanguine vires. Nunc longo senio putre corpus et succedentibus sibimet morbis membra debilia hoc mihi exoptabile bonum invident. Essem certe, essem apud vos, assisterem, inhærerem, erudirer alloquio, firmarer exemplo, benedictionibus sacrarer. Verum, quia id non licet, ago quod possum, vos noctibus, vos diebus memoria, desiderio tenendo et spirituali intuitu assidue contemplando.

Sane quod professi estis non posse vos non dolere pro miseriis Christicolarum, quas nostris meritis exigentibus patimur, scio, Pater sanctissime, esse verissimum. Quod enim, pace omnium dixerim, vos vel præcipuum vel solum esse constat, qui pro calamitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ ingemiscitis, cujus filios videtis gravissimis cladibus atteri, et divinæ ultionis jam districto, jam cervibus imminenti gladio feriri. Quodque doloris vestri pondus exaggerat, cernitis nonnullos Dei potentia in superbiam abuti, et non solum suorum nullam peccatorum agere pœnitentiam, verum etiam inter ipsa flagella deteriores, dum Dei bonitatis divitias contemnunt, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. De qualibus per prophetam dicitur : *Impius cum in profundum venerit iniquitatum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Et apostolus : *Ut impleant*, inquit, *peccata sua semper.* Juste ergo talibus superducitur ira Dei, ut nullam mereantur misericordiam, sed pereant in æternum. Nam electis flagella non ab irato, sed a propitio Deo irrogantur. Quia per illa quasi per ignem purgantur, et excoquitur in eis omnis vitiorum rubigo. Ergo flagellis Dei alii emendantur, alii exercentur, alii puniuntur, fitque miro et ineffabili modo, ut aliquando mali ab irato Deo tolerentur, justi vero a propitio flagellentur. Isti permittuntur ad tempus florere, ut in sæculum sæculi intereant ; illi temporaliter affliguntur, ut in perpetuum gaudeant. Cum hæc ita sint, oportet vos, ter beatissime Pater, venerari et admirari judicia Dei, quæ aliquando occulta sunt, semper autem justa, et non nimis dolore de his quæ ad bonorum correctionem, vel ad malorum constat fieri justissimam damnationem. Num enim aliquid novi contigit? Usitatissima sunt ista, et communis generis humani deploranda querela. Et ne longius ad multa profluam, B. Gregorius in ultima parte Ezechielis prophetæ hæc ipsa deplorat dicens: « Nostræ tribulationes excreverunt, undique gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. » Et post pauca : « Quid igitur restat, nisi inter flagella, quæ ex nostris iniquitatibus patimur, cum lacrymis gratias agamus ? » et cætera quæ doctor egregius lugubriter deplorando persequitur. Ipse auctor salutis nostræ non nobis prospera, sed adversa promisit dicens : *In mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI, 33). Sed continuo consternatos ac pavidos consolari dignatus est dicens : *Confidite, ego vici mundum* (*ibid.*). Beatus pater Augustinus scribens ad quemdam episcopum, ruinam suæ civitatis plus justo dolentem, inter cætera dixit : « Non est magnus qui magnum putat, quod corruunt lapides et moriuntur mortales. » B. item Gregorius ad hujus vitæ contemptum nos provocans : « Absit, inquit, ut de mundi perturbationibus lugeant, qui et aliam vitam esse credunt, et ad hanc per meritum aspirant. » De mundi enim fine lugere eorum est qui in ejus amore radices cordis plantaverunt, et aliam vitam aut esse nesciunt aut non amant. Et cum dicat Apostolus : *Quicunque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* IV,), qui de mundi persecutionibus dolore concutitur, inimicus Dei convincitur. Quæ igitur ratio est ut vir sapiens de mundi persecutionibus lugeat, quem finiri ipsis suis percussionibus non ignorat? Scio me forte improbulum, quod sic audaciter, vel fortassis irreverenter loquar cum domino meo, nulla sub serviente verecundia, et quasi velim consolari eum in quo est, auctore Deo, consolationis et sapientiæ plenitudo. Sed dabitis, spero, veniam obedientiæ, quæ me facit tentare quod nequeo nec arrogantiæ deputabitis impossibilia me præsumpsisse, sed potius devotioni.

Inter hæc vel maxime jussistis, ut aciem mentis ad ultimam Ezechielis prophetæ converterem, et quid sibi velit quod de Gog et Mogog aliisque gentibus cum eis congregatis sermo propheticus describit, diligentius investigarem. Ac primum dicendum opinionem quæ innumeros tam in vestra quam in nostra regione pervasit, frivolam esse, et nihil verum se habere, qua putatur Deo odibilis gens Hungrorum esse Gog et Magoh, cæteræque gentes quæ cum eis ascribuntur, propter hoc maxime quod dicitur: *A lateribus Aquilonis venies et post dies multos visitaberis* ; *in novissimo annorum venies ad terram quæ eversa est gladio* (*Ezech.* XXVIII, 8). Dicunt enim nunc esse novissimum sæculi tempus finemque imminere mundi, et idcirco Gog et Magog esse Hungros, qui nunquam ante auditi sunt, sed modo in novissimo temporum apparuerunt. Sed considerandum attentius quæ gentes cum eis venturæ dicantur. *Filii hominis, pone faciem tuam contra Gog et Magog principem capitis Mosoch et Tubal* (*ibid.*). Et paulo post: *Persæ et Lybies cum eis omnes scutati et galeati. Gomer*, etc., *domus Thogorma* etc., (*ibid.* 5). Si ergo Hungri sunt Gog et Magog, ubi sunt gentes istæ quæ cum eis venire dicuntur ? Nam Mosoch ipsi sunt Cappadoces secundum Josephum ; Tubal Hiberi sive Hispani, vel, secundum Hebræos, Itali. Persæ et Libyes, notissimæ gentes Persarum et Æthiopum, Gomer Galatæ, quos Gallogræcos vocamus, Thogorma, Phryges Sabæi; quos in sequentibus commemorat Arabes Vedan, Carthaginenses, Tarsis Cilices sive maritimi negotiatores. Ubi ergo hæ gentes sunt cum Hungris, quorum nomina saltem aut regiones ignorant ? Quod vero sagittas et arcum arripere, et in sequentibus contos habere dicuntur nunquid soli Hungri hoc genere armaturæ utuntur? Pene enim omnes gentes Orientales et Australes, plures etiam aliæ nationes in hoc armaturæ genere confidunt. Sed et Philisthæi sagittis plurimum valuisse leguntur. Legimus quia Saul vulneratus est a sagittariis, et de David legimus, quia rex factus præcepit ut docerent filios Juda arcum, ut eodem genere prælii cum Philisthis discerent decertare. Judæi et quidam nostrorum judaizantes computant Gog et Magog gentes esse Scythicas, immanes et

siæ. In serie autem episcoporum Virdunensium unicum reperimus cui hæc conveniant, Dadonem, qui anno 880 sedem illam ascendere cœpit ad annum 829 ; quo tempore virtute et eruditione florebat Remigius Antissiodorensis S. Germani monachus, ex prima nominis littera designatus, quem hujus epistolæ auctorem fuisse nullus dubito ; id enim satis superque indicat sub finem his verbis ; « Fratres et domini mei vestri fidelissimi et devotissimi oratores, omnis scilicet B. Germani congregatio æterna vobis præmia exorant. »

innumerabiles, quæ trans Caucasum montem et Mæoticam paludem, juxta Caspium mare, ad Indiam usque tendantur, eas post mille annorum tempus putant a diabolo commovendas, ut veniant in terram Israel et regnent contra sanctos, multis secum gentibus congregatis. De quibus etiam in Apocalypsi Joannis dicitur: *Cum finiti fuerint mille anni, solvetur Sathanas de carcere suo, et egredietur ut seducat gentes in quatuor angulis terræ Gog et Magog*, etc. (*Apoc.* xx, 7). Cum ergo liber iste Apocalypsis, id est *revelationis*, titulo prænotetur, quis dubitet totum esse mysticum et revelatione, hoc est expositione, indigere? Itaque Gog et Magog non gentes aliquæ corporaliter intelligendæ sunt, sed his nominibus immanissima persecutio hæreticorum designatur, qui contra civitatem Dei, id est Ecclesiam sanctam, diabolo instigante, consurrexerunt de angulis et cavernis errorum. Hi sunt anguli juxta quos meretrix sedet, quæ adolescentes, hoc est stultos quosque, per plateas, id est per latam et spatiosam viam quæ ducit ad mortem, transeuntes decipere festinat. In Evangelio quoque reprehenduntur Pharisæi, quod orent in angulis platearum, ut videantur ab hominibus, et receperunt mercedem suam. Gog autem *tectum*, Magog *de tecto* interpretatur; et Gog quidem hæresiarchas, id est principes hæresum, Magog vero, a Gog deductum nomen, eorum sequaces et adjutores intelligimus. Gog ergo, id est *tectum*, et Magog, id est *de tecto*, sunt hæretici magistri cum sequacibus suis in sublimi tecto superbiæ stantes, et falsi nominis scientia gloriantes, de quibus Isaias sub increpatione dicit: *Quid tibi quoque est, quia ascendisti et tu in tecta urbs plena civitas exsultans?* (*Isa.* XXII, 2.)

Quæ quia a B. Hieronymo exposita sunt, et brevitas epistolæ plura de his dicere non permittit, ad nostri temporis Gog et Magog, ad Hungros scilicet veniamus, ut quæ ista gens esse possit, quodve solum incolat investigemus. In nullis enim historiis legimus hujus monstriferæ nationis nomen. Et certe nulla est in mundo regio mediterranea, nulla media via, nullæ mediæ insulæ, quas potestas Romana non adierit. Qui proferendi nominis curiosissima indagatione ultimam omnium insularum Filetam probant, quod insulam sub ipsa perusta [*al.*, insularum Thulen, Taprobanem quoque insulam perusta,] etc., plaga positam, ipsosque hyperboreos ultra polum nostrum feliciter viventes investigare labore maximo etiam cum vitæ periculo studuerunt. Quorum industria probatum est oceanum ex omni parte mundi esse navigabilem. Cum igitur omnes regiones cognoverint et ad notitiam sequentium sæculorum scribendo transmiserint, cur hanc Hungrorum gentem solam prætermiserunt, et æterno silentio damnantes nescire voluerunt. Potest aliquis dicere aliud nomen hujus gentis aliquando fuisse, et temporis vetustate mutatum, sicut solent mutari urbium vel fluminum seu locorum nomina. Nam Tiberis quondam Albula dicebatur, unde Virgilius: *Amisit vetus Albula nomen*. Et Italia prius Saturnia dicebatur, sicut idem poeta: *Et nomen posuit Saturnia tellus*. Sic ergo et hæc natio forte alterius nominis in historiis habetur, et propter mutatum nomen quæ gens sit non recognoscitur. Referam quid primum audierim a majoribus. Cum exsecrandæ hujus gentis nomen apud nos auditum est, sive illud historia, sive sit fabula, fames immanissima quondam omnem Pannoniam, Histriam quoque et Illyriam ac vicinas gentes invasit; cumque jam strages vulgi catervatim fieret, principes regionum illarum ex consilio decreverunt, ut numerarentur singulæ domus, et ex singulis domibus tot homines a dominis retinerentur, quot se viderunt a famis periculo posse salvare: cætera vero multitudo innumerabilis diversi sexus diversæque ætatis abdicata est, et projecta in desertis regionibus et ignotis, interminantibus his qui eos ducebant dedituros se morti quicunque ex his reverti voluisset. Illi vero a suis tam crudeliter derelicti, diu per vastas solitudines vagantes, tandem intraverunt Mæotides paludes, ibique majore illius multitudinis parte fame consumpta, pauci qui robustiores erant et ingenio strenui, cæperunt insistere venationi, quoniam regio illa feris, avibus et piscibus fertilissima est, et captarum ferarum carnibus alebantur, pellibus tegebantur. Tali modo innumerabilis eorum crevit exercitus, et a fame quam patiebantur Hungri vocati sunt. Freti ergo innumera multitudine, loca inculta et horrida relinquentes, vicinarum primo gentium terras invaserunt, summam virium statuerunt in exercitatione sagittarum, quam artem ex necessitate didicerant, cum miseriam in desertis degerent vitam. Nunc justo Dei judicio in nostris grassantur cervicibus, et ubique intolerabilis eos formido præcurrit, Deo se per talia hominum monstra ulciscente de nobis, qui ipsius gratiam cognoscentes, non sicut Deum glorificavimus aut gratias egimus, sed elegimus servire avaritiæ, quam idolorum servitutem definit Apostolus, et a libertate qua Christus nos liberavit demum nos captivari et durissimis peccatorum catenis mala patienter astringi permisimus. Verumtamen non in perpetuum irascetur Dominus, neque in æternum comminabitur. Recordabitur misericordiæ suæ, nec sinet vacuari triumphum passionis quam sustinuit pro nobis; miserebitur pœnitentibus, aperiet sinum clementiæ ad se confugientibus; salvabit sibi populum suum, et dabit gloriam nomini suo. Amen.

Hæc sunt, o ter beatissime, et ipsa gratiosior luce, quæ vobis præcipientibus scribere potuimus, quæ poscimus ut benigne suscipere et congenita vobis pietate corrigere ac tueri dignemini. Fratres et domini mei, vestri fidelissimi et devotissimi oratores, omnis scilicet beatissimi Germani congregatio, æterna vobis præmia exorant et omnimodas mercedes referunt pro beneficiis sibi a vobis collatis: qui quantum vobis fideles sint, testes sunt orationes quas pro vobis fundunt noctu et interdiu privatim et publice. Peculiarem vestrum servum E, [*al.* et] nostrum dilectissimum fratrem, et vestræ dominæ, mansuetudini in quantum audeo commendo. Scio enim quod multum vobis fidelis est, et si necesse fuerit, animam pro vobis ponere paratus sit. Omnipotentis Dei gratia vos semper et ubique custodiat, et sua misericordia circumvallet, provehat in prosperis, protegat in adversis, et post longa vitæ curricula summis sacerdotibus in cœlesti gloria vos consociet, domne beatissime præsul.

EPISTOLA II.

Cur nullæ dedicentur ecclesiæ in honorem sanctorum Veteris Testamenti.

Placuit beatitudini vestræ, Pater sanctissime, requirere a nostra exiguitate cur modo in orbe Christiano non ædificentur aut dedicentur ecclesiæ in memoria vel nomine patriarcharum, vel prophetarum cæterorumque sanctorum, qui Domini et Salvatoris nostri adventum præcesserunt, sicut in beatorum apostolorum et martyrum seu cæterorum sanctorum fieri solet De qua re hæc reddi ratio potest, quia perrari sunt ex antiquis Patribus quorum natalitii dies memoriæ traditi sunt. Judæi siquidem, bonis omnibus invidentes, noluerunt dies transitus vel martyrii eorum commendare memoriæ, ne eorum qui passi sunt gloria illis qui eos occiderant major fieret peracti sceleris pœna, et istorum veneranda recordatio inimicis esset illorum æterna confusio sed nihil hoc agentes profecerunt, quia quibus singuli dies subtracti sunt per oblivionem, omne tempus tribuitur per honorem. Nam etsi nescimus quando passi sunt martyres, tamen quia martyres fuerunt novimus. Interea eorum reliquias aut impossibile aut difficile est reperire, sine quibus templa ædificari aut consecrari moris non est. Quia ergo innumeri sunt sanctorum Patrum quorum na-

talitii dies ignorantur, quorumque reliquiarum nihil repetitur, paucissimi vero quorum dies mortis vel passionis scitur, idcirco nulli eorum memorias celebrari vel templa construi contingit, istorum paucitate intra illorum multitudinem delicitescente.

Inter hæc sciendum quia in Veteri Testamento post tabernaculum a Moyse in deserto perfectum juxta exemplar sibi divinitus ostensum, unum fuit templum a Salomone constructum, nec præter illud alicubi hostias immolari licitum erat. Quæ omnia tunc in figura erant, cum necdum tempus venerat exstruendæ aræ, in qua singularis Agnus immolatus typicis hostiis finem imponeret, atque in se cuncta quæ illo tempore inenarrabilibus mysteriis adumbrabantur, impleta doceret. Abolitis ergo veteris legis sacramentis, sanctorum quoque memoria qui illo tempore fuerunt, quique ipsa tam vocibus quam actibus prætulerunt symbola futurorum jure (quantum ad cultum celebrem pertinet) subsedit, ut nec in Ecclesia sub eorum nominibus preces fundantur, nec sacella construantur. Nunc autem sublato velamine figurarum, et veritatis luce revelata, per totum mundum ubique gentium construuntur et dedicantur ecclesiæ in sanctorum nominibus, ad laudem et gloriam nominis ejus qui mirabilis est in sanctis suis, donec perveniamus ad illud unum et singulare templum, regni scilicet cœlestis ingressum, post quod non erunt multa templa, sed unum templum, et dicitur : *In ecclesiis benedicite Deo*, quia una erit Ecclesia ex decem sanctis angelis et hominibus congregata, et tunc erit Deus omnia in omnibus. Hoc est illud templum, hæc illa ara, interque duo legitur Zacharias interfectus fuisse. Ait enim *a sanguine Abel justi*, etc. (*Matth.* XXIII, 35.) Abel, qui *luctus* vel *vapor* interpretatur, sanctos designant, qui Domini passionem præcesserunt. Zacharias vero qui *in memoria Domini*, vel *memorans Domini* dicitur, eos designat qui passi sunt vel patienter a passione Domini usque ad finem sæculi. Et bene inter templum et altare occisus dicitur, quia intra aram Dominicæ passionis et ingressum regni cœlestis multitudo omnium sanctorum pro Christo patietur, donec regnum Dei manifestetur.

ANNO DOMINI DCCCCXI.

SERGIUS PAPA III.

VITA SERGII PAPÆ III.

(Apud Mansi, Conc. ampliss. col. tom. XVIII, pag. 249.

Sergius ille nefandus, Adelberti Tusciæ marchionis armis potentissimis fretus, homo vitiorum omnium servus, omniumque facinorosissimus, qui una cum Stephano sexto in Formosum papam supra modum sævierat, sedem Christophori, non Formosi, ut memoria lapsus asseruit Luitprandus, invasit; adeoque ab omnibus non legitimus pontifex, sed invasor sedis apostolicæ est habitus. Ex presbytero, non ex diacono, vel episcopo, ut habent Luitprandus et Sigebertus, factum esse pontificem indicant Acta concilii Romani, sub Joanne IX celebrati. Ambitione sedis apostolicæ ad Francos se contulit, ait Sigebertus, et eorum auxilio Christophorum invasorem capiens, et in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, papatum invasit, et Romanos minis ac terroribus perpulit ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent. Eumdem etiam ordinatos a Formoso papa exordinasse, novasque eorumdem ordinationes superinduxisse, testatur Auxilius apud Sigebertum, in dialogo quem hoc tempore contra intestinam discordiam Romanæ Ecclesiæ de ordinationibus et exordinationibus Romanorum pontificum, aliorumque ab iis ordinatorum, scripsit. Ne quis vero pusillanimis ex hoc facto scandalum accipiat, meminerit patrata esse hæc ab invasoribus et intrusis, pontificis nomen usurpantibus, et illegitime thronum apostolicum invadentibus, quique censura Ecclesiæ non tam apostolici quam apostatici erant nominandi qui autem legitime creati sunt Romani pontifices, ut Joannes IX, ista vehementer sunt exsecrati. Unde non est mirandum quod Sergius cum Stephano sedis apostolicæ invasore potentissimo, ea quæ sacris legibus inconcessa sunt tentaverit et usurpaverit. Alienorum invasor, grassator est; at quis ab isto justa legitimaque omnia requirat ? Et licet, quod mirandum est, Sergius talis fuerit, et ad sacrilegium nefandum turpissimam impudicitiam addiderit, et ex Marozia, nobilissimi illius scorti Theodoræ, de qua Luitprandus libro secundo, cap. decimo tertio, filia, filium Joannem nomine procreaverit : tamen eo honoris et reverentiæ fideles omnes, præsertim longe positi Boreales populi, prosequebantur Romanam Ecclesiam, ut quemcunque in ea sedentem audirent nomine tenus pontificem, eumdem, mirum dictu, nulla habita discussione ejus ingressus, ut Petrum colerent. Nam ab hoc Sergio Codoniensem et Hamburgensem pallia accepisse testatur Crantzius libro tertio Historiæ ecclesiasticæ, cap. 1. Bremensem Ecclesiam a potestate et jurisdictione Coloniensis, aliter quam auctoritate Formosi papæ in concilio Triburiensi statutum fuerat, plane exemptam fuisse scribit Adam lib. I, cap. 42, Unde nemo non intelligit quanta providentia Ecclesiam universam Deus optimus regat et gubernet, quæ cum meretricum arbitrio inflammaretur, omnia mala et scandala increbrescerent, magnoque schismate scindenda metueretur, eamdem ab hæresi et schismate omni ita defenderit, ut potius omnes ubique gentium fideles eidem fidei vinculo et obedientiæ fœdere juncti persisterent firmiterque adhærerent. Postquam triennio sedem invasam occupasset, defunctus est anno Domini 910 (*a*), ut infra patebit ex initio pontificatus Joannis X.

(*a*) *Rectius an.* 911, ait Pagius ad an. 910.

SERGII PAPÆ III
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

BULLA SERGII III PRO MONASTERIO S. GALLI.

(Anno 904, 8 Mart.)

[Apud Neugart., *Codex diplomaticus*, tom. I, pag. 533].

SERGIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus.

Cognoscat amabilis religiositas, quia quidam venerabilis vir ex partibus Germaniæ nomine Salomon Constantiensis Ecclesiæ episcopus, et abbas venerabilis monasterii S. Galli causa orationis Romam pervenit, et pro delictis suis sanctorum apostolorum suffragia humiliter imploravit. Qui cum ab apostolica sede benigne atque humaniter susciperetur, concessa sibimet apostolatus nostri auctorali familiaritate, inter alia nobis referebat, qualiter idem monasterium ab antiquis temporibus usque in Arnulfum regem, qui hoc illi concessit, a regibus vel imperatoribus potestatem ac privilegium haberet, ut ipsi fratres inter se abbatem eligerent, et nulli hominum nisi regibus subjecti esse deberent præter in eo solum episcopo suo, quod ad ecclesiasticam pertinet disciplinam (*a*). Sed cum hoc propter eum fuisset interruptum (*b*), apostolatui nostro innotuit, quomodo ob amorem Dei, et dilectionem fratrum eorumdem submissis precibus apud Arnulfum regem, et Ludovicum filium ejus regem impetrasset, quatenus ipsi per præcepta suæ auctoritatis privilegium et potestatem fratribus ipsis a regibus antiquitus concessam denuo restaurarent et corroborarent, ac roborata successoribus suis in ævum relinquerent, ita scilicet ut fratres prædicti, si idem episcopus adhuc in vita manens monasterium illud relinquere vellet, vel si non, statim post obitum ejus, prout superius dictum est, ad eligendum ac constituendum sibimet abbatem, ac etiam de rebus omnibus eidem monasterio addictis, prout voluerint, faciendis, firmissam haberent potestatem, petiitque nos idem religiosus episcopus, ut ob clementiam nostram per conscriptum nostræ apostolicæ potestatis privilegia et statuta a regibus vel imperatoribus sæpe dicto monasterio concessa, solidissime confirmaremus. Cujus petitioni libenti animo assensum præbentes nostri apostolatus vigore sancimus, ut hæc omnia supra scripta temporibus cunctis inviolabilem obtineat stabilitatem. Si quis autem, quod fieri nolumus, contra hoc nostræ auctoritatis privilegium agere præsumpserit, et hoc contraire tentaverit, sciat se, nisi resipuerit, anathematis vinculis innodandum, et a regno Dei alienandum. Qui autem verus custos ac observator exstiterit, benedictionem et gratiam a Domino Deo consequi mereatur. Scriptum per manum Leonis scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ in mense Martio, indict. 7. † Bene valete. †

Data VIII Kal. Martias (*c*) per manus Nicolai episcopi S. Sutrinæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo perpetuo augusto Ludovico (*d*) a Deo coronato magno imperatore anno 4, et post consulatum anno 4 (*e*), indict. 7.

II.

SERGII PAPÆ III EPISTOLA AD AMELIUM UZETICENSEM.

(Anno 904.)

Amelio significat Formosum papam a se damnatum

SERGIUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo AMELIO sanctæ Uzeticensis Ecclesiæ episcopo.

Cum universus orbis damnatum Formosum testetur sanctæ sedis apostolicæ invasorem, admirati in tuis fuimus scriptis, quæ eum inter sacerdotes nominabant. Igitur si te latet, et nuntiatum tibi non est, his nostris apostolicis apicibus agnosce nominatum Formosum esse damnatum. Verumtatem ad sacros, quos sanctitatem tuam credimus bene intelligere, recurre canones, et invenies non licere episcopum propriam relinquere sedem et invadere alienam: quod egisse Formosum manifestum est; unde perpetualiter est damnatus. Præterea monasterium S. Petri in Gothia, si tici ab antecessoribus nostris pontificibus, Marino, Adriano et Stephano largitum est debueras a tot temporibus nobis pensionem de eo mittere, ut jura sanctæ sedis apostolicæ plus firma tibi manerent. Si a te oblatum est, nihil inde peccavimus. Igitur si vis illud tenere monasterium, mitte nobis pensionem de eo; et qualiter illud ab aposto-

(*a*) Porro Sergius PP. Arnulfo regi tantum encomium tribuit, quod Formosi PP. memoriam exosam haberet, a quo coronatus est Arnulfus.

(*b*) Interveniente enim auctoritate regia Salomon Bernardo abbati suffectus est.

(*c*) Vitio amanuensis, ut puto, pro VIII *id. Martias*. Scriptæ enim cum sint litteræ hæ pontificiæ mense Martio, dari citius haud poterant.

(*d*) Ludovicus III, filius Bonosis regis Arelatensis seu Provinciæ, imperii corona ornatus est 12 Februarii an. 901.

(*e*) Annus consulatus æquali passu procedebat cum anno imperii; eratque hæc fere communis formula in bullis pontificiis: *Post consulatum*, scilicet inchoatum ab imperatore. Cessasse hanc formulam ad finem sæculi IX, atque adeo de fraude suspectas esse bullas posteriores, quæ illam referunt, constendit D. de Vaines, congregationis S. Mauri monachus, *Diction. raison. de Diplomatique*, p. 34. Verum hanc regulam præcise ad ultimum sæculi IX annum esse restringendam, haud arbitror.

lica accepisti sede, scriptis ostende, et nos iterum confirmabimus tibi de eodem monasterio scriptum. Verumtamen, si absque scandalo ipsum potes recipere monasterium, salvo apostolico jure, recipe et ora pro nobis.

III.

PRIVIGELIUM SERGII PAPÆ III PRO ECCLESIA SILVÆ CAMDIDÆ.

(Anno 904.)

[Apud Ughelli, *Italia sacra*, I, 91.].

SERGIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo ac sanctissimo HILDEBRANDO, fratri et coepiscopo nostro sanctæ Silvæ Candidæ, et per te in eodem venerabili episcopio tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Deum reponitur, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta, et ideo considerantes desolationem ecclesiæ SS. Rufinæ et Secundæ, quæ appellatur Silva Candida, quam passa est a nefandissima Sarracenorum gente, sicut ruina ipsius loci testatur, et plebs, atque casalia quæ pene absque agricolis et habitatoribus esse noscuntur, ob restitutionem et reparationem sacri loci ipsius, et remedium animæ nostræ concedimus, tibique, frater Hildebrande, venerabili episcopo, et per te in eadem S. Ecclesia in perpetuum, massam quæ appellatur Cæsarea, in integrum cum fundis, colonis suis qui appellantur Furculæ, Tondilianum, Martinianum; item coloniam de Solario, et coloniam de Cortina, atque coloniam de Gradolfo, et coloniam de Micinno, coloniam de Valle, seu coloniam de Fontana et coloniam de Sancto, coloniam de Corilliano, necnon et eoloniam de Castanea cupa, coloniam de Cabellis et de Cæsario, sive quibuscunque aliis vocabulis nuncupentur, cum casis, vineis, casalibus, seu appendiciis, ac cum omnibus finibus, terminis limitibusque suis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, salictis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis, aquis perennibus, ædificiis, parietinis, arenariis adjunctis, adjacentibusque suis, cum ecclesia quæ vocatur S. Andreæ apostoli infra ipsam ædificata massam, una cum colonis atque massaritiis, tributariis atque angarialibus, masculis et feminis, filiis et filiabus, ac nepotibus eorum ibidem residentibus aut exinde pertinentibus, ubicunque inventa fuerint, cum omni censu, atque dationibus, et functionibus, necnon angariis, vel quidquid de eadem massa quæ vocatur Cæsarea, in integrum in nostra S. R. Ecclesia solita consuetudine persolvi debet, et cum omnibus ad dictam massam, quæ vocatur Cæsarea, generaliter et in integrum pertinentibus, positis in territorio Nepesino, milliarium ab urbe Romana 20, ex corpore patrimonii Tusciæ juris S. Romam., cui (Deo auctore) deservimus ecclesiæ, et inter affines ab uno latere terra monasterium S. Stephani quod vocatur Major a S. Petro, et a secundo latere silva, et terra de Joanne Grammatico, et a tertio latere pars torricia Donica, et a quarto latere massa Elodiana, a præsenti octava indictione tibi tuisque successoribus in eodem venerabili episcopio donamus, largimur, concedimus et stabilimus perenniter in usu et utilitate ipsius venerabilis episcopii et episcoporum qui pro tempore fuerint, ita tamen ut quotidianis diebus sacerdotes, et clerici ipsius ecclesiæ pro remedio animæ nostræ clament in eadem ecclesia centum *Kirie eleison*, et centum *Christe eleison*, et sacerdotes sacras oblationes in missarum solemniis tribus vicibus per singulas hebdomadas pro absolutione nostræ animæ nostrorumque successorum pontificum omnipotenti Deo offerant, statuentes apostolica censura, sub divini judicii attestatione et anathematis interdicto, ut nulli unquam successorum nostrorum pontificum, vel qui publicas perfuncti fuerint actiones, vel magna, vel parvaque persona, de supradictis massis, cum omnibus locis, seu familiis, ac colonis, massaritiis, atque tributariis, cum omnibuis suis pertinentiis, vel adjacentiis, ut superius legitur, contra hoc nostrum pontificale privilegium agere, vel alienare, aut auferre præsumat, sed potius firma, atque stabilis, perennis, atque perpetuis temporibus, ita ut a nobis statuta sunt decernimus permanenda. Si quis autem, quod non optamus, contemptor exstiterit contra hoc nostrum apostolicum privilegium, et in quoquam ire transgressor esse maluerit, vel frangere præsumpserit, ac in omnibus obediens et observator esse noluerit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, et Domini nostri apostolorum principis Petri, cujus, licet immerito, Dei dispositione gerimus vices, anathematis vinculo innodatum et a regno Dei alienum. Qui vero pio intuitu verus custos et observator exstiterit hujus nostri apostolici privilegii, meritis atque precibus S. Petri apostolorum principis, et SS. mart. Rufinæ et Secundæ in æthereis arcibus præmia, et benedictionis gratiam atque misericordiam a justo judice Domino nostro vitamque æternam consequi mereatur.

Scriptum per manus Melchisedech, protonotarii S. sedis apostolicæ, in mense Maio, ind. suprascripta 8, dat. Kal. Junii, per manus Theophilati cancellarii S. sedis apostolicæ. Anno, Deo propitio, pontificatus domini Sergii summi pontificis, et universalis III papæ, in sacratissima sede B. Petri apostoli Tertio in mense, et indict. supradicta 8.

IV.

EPISTOLA SERGII III AD ADALGARIUM HAMBURGENSEM.

(Anno 905.)

Bremensis Ecclesiæ jura vindicat.

[Apud Mansi tom. XVIII, p. 251].

Sergius episcopus, servus servorum Dei reverendissimo et sanctissimo ADALGARIO Hamburgensis

Ecclesiæ episcopo apostolicam benedictionem et A paternam consolationem.

Susceptis tuæ fraternitatis litteris, cognita in eis injuria Ecclesiæ tuæ et tibi illata, non solum de ea, sed et de iniquo Formosi papæ consensu, et Hermanni Coloniensis, et Moguntini archiepiscopi et aliorum episcoporum iniqua circumventione et.... contristati sumus. Quid namque injuriosus quam privari Ecclesias juste sibi traditis honoribus? Quid etiam iniquius quam violare et infringere imperatorum et regum chartis tradita plurima apostolorum privilegia? nil amplius a nobis, vel successoribus nostris ratum firmum aut stabile statuetur in Ecclesia. Sed cum juxta hæc verba Dominica: *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* et juxta hæc verba Apostoli: *Estis superædi-* B *ficati super fundamentum apostolorum et prophetarum in ipso angulari lapide Christo Jesu*, constat sanctam et universalem Ecclesiam fundatam esse supra petram, et super fundamentum prophetarum et apostolorum, et compactam in ipso angulari et firmissimo lapide Christo Jesu, necesse est ut sic ipsa petrea et apostolica fundatio, et sancta angularis compactione firma, æterna et immobilis, ita omnis ecclesiastica superædificatio sit rata et stabilis, et ab omni humana præsumptione inviolabilis. Nos ergo juxta vocem Dominicam et apostolicam, et juxta hanc beati Gregorii sententiam: quæcunque Ecclesiæ privilegia semel indulta fuerint rata amplius et stabilia permanere debent. Quidquid igitur iniquo consensu Formosi papæ et Arnolphi regis, et machi- C natione Hermanni archiepiscopi in te et Ecclesiam Hamburgensem temere perpetratum est, auctoritate quoque nostra, et judicio plurimorum confratrum nostrorum, et sub anathemate contradicimus et omnino destruimus. Quidquid autem a Nicolao papa et cæteris prædecessoribus Hamburgensi Ecclesiæ concessum est, scilicet habere archiepiscopalem potestatem in regnum Danorum, Norvenorum, Suevorum, et omnium septentrionalium nationum, et Bremensem Ecclesiam, et ipsam Hamburgensem Ecclesiam non duas, sed unam esse Ecclesiam et parochiam decernimus et confirmamus. Auctoritate ergo apostolica et censura, sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictu statuimus ut nulla persona cujuscunque ordinis aut dignitatis sit, ea quæ vel in archiepiscopali digni- D tate, vel quæ in conjunctione Bremensis et Hamburgensis Ecclesiæ a prædecessoribus nostris Ecclesiæ tuæ et tibi concessa sunt et a nobis reformata sunt, quicunque autem mutaverit vel in aliqua violare præsumpserit, auctoritate Dei et B. Petri apostoli, et nostra qui ejus fungimur vicariatione, perpetui anathematis vinculo sit innodatus. Hermannum autem Coloniensem archiepiscopum, et Haddanum [Hattonem] Moguntinum archipræsulem pro satisfactione pœnitentiæ usque ad præfinitum a nobis tempus a divino suspendimus officio, quoniam apud Triburiam per eos inique cassata sunt concessa Ecclesiæ tuæ, et tibi apostolicæ sedis privilegia, et gloriosorum imperatorum annullata sunt testamenta Nos quoque, quemadmodum precatus es, monuimus apostolicis litteris Vigbertum et Bisonem, reverendissimos et tuos convicinos episcopis qualenus te adjuvent, et ad te convenientes ordinare episcopos in quibus canonice inveneris locis, et competens designaverit ratio. Tua ergo, sanctissime frater, sanctimonia oret pro nobis et pro universali sancta Romana Ecclesia, et nobis remanda qualiter et ubi episcopos ordinaveris.

Datæ per manum Petri cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, v Nonas Februarii, indictione 3.

V.

SERGII III PRIVILEGIUM PRO CAPITULO ASTENSI.

(Anno 906.)

Capituli Astensis possessiones, rogante Audace episcopo, confirmat.

[Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. IV.

Sergius venerabilis papa, servus servorum Dei, omnibus sacerdotibus et levitis seu clericis, atque canonicis servientibus, secundum statutum numerum, a rev. et sanctiis. Audace S. Astensis Ecclesiæ episcopo in canonica episcopii ab eodem venerab. Audace episc. pro remedio animæ suæ, pro laudibus et honorificentia omnipotentis Dei constructa, ipsisque ac successoribus eorum in perpetuum.

Cum divina simus institutione in capite omnium Dei Ecclesiarum constituti, debemus humiliter petentibus animos inclinare, et non solum propriis impartiri suffragia, verum etiam ad confirmationes eorum, ut perpetua ea quæ sibi ædificant manere in sanctis ac inviolabilibus possint statutis, qui apostolicum poscunt juvamen sine quo nihil in ecclesiasticis perfectum videtur negotiis, brachium apostolica mansuetudine extendere, et magna nimietis virtute secundum concessam nobis a B. Petro apostolorum principe potestatem roborare. Ideoque postulante Audace venerabili sanctæ Astensis Ecclesiæ episcopo quatenus firmemus privilegio omnibus sacerdotibus, et levitis, seu clericis, atque canonicis servientibus secundum statutum numerum ab eodem in canonica, cum claustra sua quæ est constructa juxta basilicam sanctæ Dei genitricis semperque virg. Mariæ Dominæ nostræ in suo Astensi episcopio de omnibus rebus et possessionibus, quas iisdem reverendissimus et sanctissimus Audax in eamdem canonicam, pro remedio animæ suæ ibidem militantibus conferre visus est, id est curtem unam quæ dicitur Quartum, et alteram curticellam quæ dicitur Azanis, sitam ultra fluvium Tanarum quam antecessor ejus Ehilulfus Ecclesiæ S. Mariæ contulerat, cum omnibus rebus et familiis ad prædictas curtes pertinentibus; simulque cum omnibus decimis de iisdem solvendis, ut eas sub omni integritate canonici de præfata canonica, et ministri eorum qui ibidem pro tempore servierint, possideant disponantque ab proprios et communes

usus: secundum quod ecclesiastica et canonica dictat regula, absque ulla nostra vel successorum nostrorum contradictione. Item plebem unam in honorem S. Dei genitricis Mariæ dicatam, etiam in villa quæ dicitur Pisentiana, cum titulis et omnibus decimis eorum, simulque cum omnibus rebus et familiis ad eamdem plebem pertinentibus, et decimas suæ Astensis civitatis, et villarum decimas, quæ ad suam ecclesiam pro tempore solvuntur, simulque et vineam, quæ conjacet prope murum S. Mariæ, una cum claustro et omni ejus integritate. Hæc autem prænominata loca omnia cum pertinentiis suis et decimis, quemadmodum ab eodem sanctissimo Audace episcopo in præfata canonica, ut ibidem militantibus concessa sunt, similiter nostra apostolica auctoritate stabilientes firmamus, et in perpetuum quieto et pacifico ordine eos decernimus sub omni integritate possidere. Contradicimus autem apostolica sanctione ut nullius officii, vel dignitatis persona eosdem canonicos, qui per tempora in jam dicta canonica fuerint constituti, inquietare de his quæ superius scripta sunt, et in eadem canonica concessa sunt, absque longe audeat. Sed magis magisque monemus quatenus, quicunque prævalent, præfatorum apostolorum amore canonicis jam dictæ canonicæ adjutorium præbeant, uti omnipotenti Domino omni remota perturbatione cuncto servire valeant tempore. Privilegium quoque quod de prædictis rebus, et possessionibus, seu decimis, ac plebibus, vel curtibus cum omnibus eorum pertinentiis fecit, prænominatus Audax, venerabilis episcopus in prædicta canonica et canonicis ejus in perpetuum stabilivit, etiam inconcussum, per hanc nostram apostolicam auctoritatem, fore statuimus. Si quis autem contra nostram apostolicam censuram ire præsumpserit, et minuere de rebus prædictæ canonicæ conatus fuerit, aut privilegium de his firmatum frangere quoquo modo tentaverit, sit a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ exterus, donec resipiscat, et ad plenam veniat sacerdotum satisfactionem. Scriptum per manum Melchisedech, protoscrinarii sedis nostræ, in mense Maio, indictione 10.

† Bene valete. †

Nonas Maias, per manum Theodori archicancellarii sepis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus D. Sergii summi pont, et universalis orbis papæ, in sacrosancta B. Petri apostoli, indict. 11.

VI

EPISTOLA SERGII III AD LEOPARDUM NONANTULANUM ABBATEM.

(Anno 907).

Monasterii privilegia confirmat.

[Apud Ughelli, *ibid.*, tom. II.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, Leopardo religioso Nonantulani monasterii abbati.

Visis humilitatis tuæ litteris, condoluimus satis de cœnobio Nonantulanensi tibi commisso, eoque sub cura tui regiminis comminus tibi grex nonnullis afficitur indigentiis. Siquidem barbarorum gladio vastatum tuumque monasterium ab eisdem igne crematum, malorum hominum infestatione te ipsum cum tuis turbatum audimus, sed misericordiæ omnipotentis Dei esto fisus, beatorumque apostolorum suffragiis adjutus, quod ad hoc prævaluisti ut post tot flagella tui laboris certamine ecclesiam ipsius tui monasterii usque ad culmen levares, quam cum toto tuo monasterio sub apostolica nostra tuitione quemadmodum sub antecessorum nostrorum tempore fuit, pro amore B. Silvestri pontificis Romanæ sedis cui Deo auctore deservimus, decernimus esse, et te ubicunque adjuvare et protegere debemus, pontificii nostri dexteram libenter porrigemus, firmantes quæcunque ab ævo religioso, et sancta concessa privilegia tuo fuere monasterio Nonantulano. De cætero si ad consecrandam tui monasterii ecclesiam episcopum quæris, hoc tempore nolumus ut aliquem ad consecrandam ipsam Ecclesiam roges nisi Joannem venerab. Ticinensem episcopum, aut Vidonem Placentinum, vel Elbungum Parmensem, reverendissimos episcopos, de his tribus qualem volueris induc ad consecrandum tuam Ecclesiam.

VII.

SERGII III PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA VIENNENSI.

(Anno 908.)

Ecclesiæ Viennensis privilegia et possessiones confirmat eique nominatim Maurianensem et Segusianam Ecclesias asserit.

[Bosco, *Bibliotheca Floriacensis*, læv. xyst. 57.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri nostro Alexandro, sanctæ Viennensis Ecclesiæ archiepiscopo, et per te Ecclesiæ tuæ in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Dei Ecclesiis ac piis locis vigilare, ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur: ideo convenit nos pastorali tota mentis integritate eorumdem venerabilium locorum maxime stabilitatis integritatem procurare, et sedulo eorum utilitatibus subsidia conferre, ut Domino et Deo nostro omnipotenti, id quod pro ejus sancti nominis honore, etiam et laude atque gloria divinæ majestatis, venerabilibus certum est nos contulisse locis, sit acceptabile, et nobis ab ejus locupletissima misericordia dignum, hujusmodi pii operis in sidereis conferatur arcibus, remuneratione perpetur. Igitur quia petit sanctitas tua, ut sanctæ Viennensi Ecclesiæ, cui, Deo auctore, præesse videris, privilegium firmaremus, inclinati precibus tuis, per hujus nostri privilegii paginam, tibi tuæque jam dictæ Viennensi Ecclesiæ roboramus, atque perpetua stabilitate firmamus, quæcunque ad dignitatem sacerdotii tui pertinent, seu quæ in facultatibus et possessionibus, tua habere vel habuisse Ecclesia videtur, tam in parochiis, quam in suffraganeis episcopis. Et cum clericis, omnibus integram tibi concedimus potestatem, eo scilicet firmato privilegii jure, quod speciale beatissimus papa Sylves-

ter, super septem provincias tuæ fecit Ecclesiæ. A
Cum omnibus itaque quæ a prædecessoribus nostris tuis collata sunt prædecessoribus, idem privilegium inconcussum atque inviolabile, tuæ ecclesiæ permanere in perpetuum censemus. Consuetudines aut quæ annualiter persolvi tuæ debent ecclesiæ, tam a suffraganeis, quam de omnibus ecclesiis infra diœcesim tuam constitutis, jubemus, et apostolica censura præcipimus, absque mora et excusatione expleri. Res quascunque habere aut habuisse Viennensis videtur Ecclesia, seu familias (*servi ecclesiæ*) et servos utriusque sexus, in quibuscunque territoriis et locis, sive sint a regibus, sive a piis hominibus illi concessæ, æternali jure possidere, eas tibi tuisque successoribus confirmamus. Et quæ admodum..... Guntramnus rex eccle- B
siam Mauriannensem per consensum apostolicæ sedis, cum omnibus pagis suis subjectam jure perenni sanctæ Viennensi fecit ecclesiæ, ita una cum ecclesia Segusiana et ecclesiis de eadem valle ad eam pertinentibus,et cum omnibus pagis,integrum eam illi subjectam esse firmamus. Interdicentes,ut nullus unquam,cujuscunque sit dignitatis, vel ordinis homo, te vel successores tuos, aut tuam Ecclesiam,sua dignitate in aliquo minuere præsumat; sed ita omnes fideles hanc nostram apostolicam admonitionem observare præcipimus, ut servata reverentia honoris, benedictionem habeant nostrorum apostolorum et nostram: et ex hinc sanctorum canonum vel cum instituta illibata permaneant,nobis lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo conferatur.Si quis autem quod non optamus, nefa- C
rio ausu præsumpserit, his quæ a nobis ad laudem Dei pro salute tuæ sanctæ Ecclesiæ statuta sunt, refragari aut in quoquam transgredi,sciat se anathematis vinculo innodatum,et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii supplicio concremandum deputatum. At vero qui pio intuitu observator, et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti, ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro, multipliciter consequatur et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Sergii scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, indict. 11. Bene valete. D

Data XIV Kalend. Julii, per manum Stephani primicerii defensorum sanctæ sedis apostolicæ.Anno, Deo propitio, pontificatus domini Sergii III, pontificis et universalis papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, quinto.

VIII.

(a) EPISTOLA SERGII III AD HOGERUM HAMBURGENSEM EPISCOPUM.

(Anno 911.)

Hogero pallium mittit.

[Apud Lappenberg, *Hamb. Urk*, tom. I, pag. 37.]

SERGIUS, episcopus et servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo HOGERO, sanctæ Hamburgensis ecclesiæ episcopo, apostolicam benedictionem et per gratiam Dei æternæ vitæ promereri requiem.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ut ne qua....., judicamur. Pallium autem sanctitati tuæ ad... Mariæ, simulque in dominicæ Domini nostri Jesu Christi nativitatis die, pariterque in solemnitatis ecclesiæ tuæ die et in natalitii tui die, sicut... arripiatur. Cujus quoniam indumenti... favor indiscretus inveniant, benignum te boni sentiant, districtum mali cognoscant, insontem reum apud te suggestio mala non faciat... recedit. Ecce, reverentia tua, charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii, quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis,intus habebis. Sancta Trinitas sanctitatem (tuam) gratiæ suæ protectione circumdet atque in timoris sui via nos dirigat, et post vitæ hujus amaritudines, ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur.

Scriptum per manum Stephani, scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio et indictione 6.

IX.

PRIVILEGIUM SERGII PAPÆ III PRO MONASTERIO S. MARTINI TURONENSI.

(Anno 904-11.)

Post illatam Turonibus a Normannis cladem privilegia monasterii confirmat.

[Opp. Launoii, tom. III, p. II, p. 36.]

SERGIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus sacerdotibus, canonicis atque clericis, præsentibus et futuris, et servientibus in monasterio beatissimi Christi confessoris Martini, quod vocatur Turonense, et basilicæ ejusdem sancti Martini, salutem.

Arcanum divinæ dispensationis mysterium sollicitudini pontificum ejusdem pietatis gratia misericorditer satagendum providit, dum curam fidelium populorum idem pastor pastorum pastoribus a se destinatis committere disposuit Petro apostolorum principi: *Si diligis me, pasce oves meas.* Idemque: *Ecce*, inquit, *Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*; *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres*

(a) In hac bulla adulteranda falsarius Hamburgensium tabularum inexplicabilibus fere posteritatem irritivit ambagibus. Dum enim quæ speciem archetypi præbet, his verbis finitur: *Scriptum per manum Stephani scrinarii S. R. E. in mense Maio et ind.* 6: in veteribus apographis non solum melius legitur: *ind.* 14, sed etiam addita hæc sunt: *Data in Kalendis Juniis* (III) *per manum Theophylacti, sacellarii S. Sed. apost., anno, Deo propitio, pontificatus domini Sergii summi pont. et univers. papæ in sacratissima sede B. Petri apostoli VIII, ind.* 14. Quæ verba cum nequierint nisi ex vera tabula depromi, unde factum est, ut in ipsa clausula, qua fides tabularum potissimum intelligitur, ab ea recederetur. JAFFÉ.

tuos. Unde, ut convenit, neque grex Dominicus sævissimis luporum dilanietur morsibus, neve fluctuoso impavide naufragetur procellarum turbine, pastorali tueatur mucrone, sustentetur baculo sublevetur que juvamine. Proinde Ecclesiæ sanctæ fraternitatis provide consulens utilitatibus sancta Romana Ecclesia per Sergium ejusdem apostolicæ sedis pontificem ad mnltorum fidelium perducere statuit cognitionem, qualiter per missos Erberni sanctæ metropolis Turonicæ archiepiscopi, et per Roberti abbatis, Rainaldique, atque Tetolonis, monasterium beatissimi confessoris Martini lugubræ desolationis comperit detrimentum. Scilicet quomodo prædictus locus destructionis triste malum a Normannorum perfida gente pertulerit, et qualiter ejusdem classis exercitus discursus pessimi periculosa damna perpessus sit. Sed ob restaurationem ejusdem loci, clerique ibidem consistentis subsidia, consultu fidelium suorum, pietatis suæ munere, princeps ejusdem regni Carolus auctoritatis suæ præceptum ex rebus ipsi loco ac fratribus ejusdem congregationis specialiter pertinentibus, et in privilegiis prædecessorum nostrorum apostolicorum, ac præceptis orthodoxorum regum nominibus propriis assignatis renovare ac facere studuit: ut remoti a sæcularibus curis et sequestrati mundialibus laqueis, cœlesti intenti militiæ, diurnæ servituti libero corde possent vacare. Pastorali igitur respectu præsulante, dictus cum collegio sacerdotum fideliumque plurimorum, paternitatis nostræ mansuetudini præsignatum dirigens præceptum, hujus sanctæ sedis Romanæ, cui Domino auctore deservimus, corroborationis privilegium pro majori et uberiori firmitatis tenore humili supplicatione statuit spectandum: ut sacerdoti pariter et regio commissæ sibi oves munitæ tutamine, inoffenso pede divinis mandatis possent intendere, et in his exsequendis munificentiæ edicto simulque votis et precibus tot fidelium annuendo statuimus, et hujus sanctæ apostolicæ sedis decreto firmamus: ut sicut ejusdem præcepti series continet institutoque sanctorum prædecessorum nostrorum apostolicorum, videlicet Gregorii, Leonis, Adeodati Adriani atque Nicolai præceptoque insuper imperatorum et regum, Caroli videlicet Augusti et Ludovici ejusdem Augusti atque alterius Caroli clarissimi Augusti, evidenter ostendant: quæ clero sancti Martini Normannorum incendia specialia remansere, scilicet ut nullus superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator in eorum ecclesiis, villis, mansionibus et territoriis, in quibuscunque habeantur provinciis, sive pagis, ingredi ad causas audiendas, nec homines illorum ingenuos vel servos distringere aut fidejessores tollere præsumat: nec teloneum aut nauticam exigat, et ut decimæ et nonæ ex eorum omnibus rebus absque aliqua præsulum principumque contradictione hospitali eorum nobiliumque pauperum integerrime reddatur; quiquidque insuper utilitatis illorum, alia privilegia apostolicorum et præsulum præceptaque retinent imperatorum et regum, et præbendas permissu ac voluntate præfati domini Roberti proprii abbatis a Carolo nunc rege per præceptum concessas, et in reliquum concedendas, cum universitate suorum appendicium perpetuo possideant integerrime, ita ut supra signavimus, nullius potestatis vir quisquam de eorum dominio vel possessione præsumat auferre. In quo misericordiarum suarum regum dignitas beneficia fratribus in eodem cœnobio beati Martini morantibus largiri disposuit. Qui autem hujus constitutionis institutum irrumpere, aut qualibet præsnmptione vel occasione tentaverit evertere, vel de decimis corum potestati per legitimos subditis, perpetuæ damnationis cumulum cum sanctæ legis prævaricatoribus se noverit perferre, nisi digna satisfactione correxerit, quod temeraria cupiditate tentaverit.

Potestate igitur in beato Petro apostolorum principe nobis concessa a Domino ligandi et solvendi, ita eo dicente *Quæcunque ligaveris super terram*, erunt *ligata et in cœlis; et quæcunque solveris super terram erunt soluta et in cœlis*: virtutis hujus confidentia nitentes, cœli aditum cupiditatis suæ malitia obice claudimus sub anathematis vinculo, qui huic pernecessario beneficio in subtractione collatarum rerum et honorum consentiens aut cooperator affuerit, nisi, ut præmisimus, divino fretus auxilio correctionis munere resipuerit, invasa restituerit, ac neglecta satisfecerit. Hujus autem definitionis et apostolicæ determinationis sententiam inviolabiliter cunctis fidelibus quæsumus observandam. Quæ, ut certius credatur et irrefragabiliter observetur, manus propriæ subscriptione adnotare curavimus, perpetimque manendam statuimus.

Scriptum per manum Leonis archiscrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indictione 11. Bene valete.

ANNO DOMINI DCCCCXI.

B. NOTKERUS BALBULUS

SANCTI GALLI MONACHUS.

B. NOTKERI ELOGIUM HISTORICUM

AUCTORE MABILLONIO.

(Acta Sanctorum ordinis sancti Benedicti, tom. VII, pag. 11.)

1. Inter illustres celebris sancti Galli apud Hel- A vetios monasterii cœnobitas haud infimus censendus est NOTKERUS, cui *Balbulo* cognomentum fuit Ejus Acta litteris mandavit Ekkehardus sæculo XIII, distinguendus a quatuor aliis ejusdem loci ac nominis monachis : primo decano sub Ottone I;secundo Othonis II sacellano et magistro;tertio item decano sæculo XI ; quarto respectu hujus *Juniori* dicto, qui librum de Casibus monasterii sancti Galli in quo quædam Notkeri facta referuntur composuit sub annum 1040 ; quarto vero prædictæ Vitæ scriptore sub Innocentii III pontificatum. Hanc vitam erratis refertam hoc loco recudere piget,maxime cum apud Canisium in Tomo VI Antiquarum Lectionum,Goldastum et socios Bollandianos ad diem 6 Aprilis reperiatur Notkeri autem elogium, quoad fieri poterit, ex Ekkehardo aliisque auctoribus condere visum est.

Sed ne ob nominis communionem confusio, ut apud Ekkehardum Vitæ scriptorem,hic oriri con- B tingat,advertendum est tres fuisse Notkeros parvo temporis intervallo sibi eodem loco succedentes, nempe *Balbulum* de quo agere instituimus, *Notherum* Leodiensem ex monacho episcopum, et *Notkerum* abbatem nepotem alterius Notkeri,« quem pro severitate disciplinarum *Piperis-granum* cognominabant, inquit Ekkehardus Junior in cap. 9, qui fuit doctor,pictor.medicus et poeta. Hi sæculo floruere; at sæculo XI *Notkerus Labeo*, beati nomine donatus et sæculo XIII Notker *doctissimus et benignissimus.* De Balbulo in primis agendum.

2.Notkeri nominis etymologiam affert Ekkehardus Vitæ scriptor,quasi idem sit ac *necessarie desiderans*,ubi notat Patrebrochius,*Noth ghere* significare *desiderium*,seu desiderantem rerum necessariarum « Igitur beatus Notkerus de pago,qui Turgowe dicitur,oriundus fuit,et in vico qui Sacer-pagus Latine, vulgariter Heiligowe appellantur,nobilissimis progenitoribus procreatus »dicitur,et,si quæ huic auctori C fides,de Carolorum genere, et sanguine Saxonum antiquorum erat parentum prosapia. Caroli Magni, Calvi an Crassi.*nepos*ab eodem perperam vocatur. Nihil de hujus genere apud Ekkehardum Juniorem nisi quod claris et illustribus parentibus natus initio capitis primi, et virginem Kerhildam *neptim* habuisse perhibetur cap. 9. Hæc illa est Kerhilt, quæ teste Hepidanno, « anno 952, VI Kal.Junii, in die Ascensionis Domini sacro velamine iuduta est, et in natali sanctæ Mariæ inclusa.» *Balbuli* cognomen accepit ob linguæ impedimentum. Unde ipse in hymno de S. Stephano apud Canisium tomo V, pag. 776 :

Æger et balbus, vitiisque plenus,
Ore polluto Stephani triumphos
Notker indignus cecini volente
Præsule sancto.

Puer,ad sanctum Gallum oblatus sub annum 840 præceptores habuit Marcellum et Isonem, uti ipse in subjecta ad Luitwardum epistola testatur;condiscipulos in primis Tutilonem et Ratpertum.« Iso magister, ait Hepidannus, obiit anno 851, prid. Idus Maii.»Ejus geste describit Ekkehardus Junior,præcipue cap. 2,ubi *sanctorum parentum* filius dicitur. Apud Grandivallenses in Alesatia monachos,petente Ruodolfo Burgundionum rege,litteras docuisse ibidemque miraculis coruscasse atque decessisse memoratur : Corpus ejus, in ecclesia sancti Germani sepultum, in Burgundiam translatum creditur. De Marcello fuse actum est in sæculi IV Benedictini parte II. Is Notkerum, Ratpertum et Tutilonem « septem liberales duxit ad artes,maxime autem ad musicam, » teste Ekkehardo Juniori cap. 3. Ex his Notkeri Balbuli ætatem colligere licet,præsertim ex tempore Isonis ejus præceptoris primi quem anno 871 obiisse mox diximus. Itaque, longe ante hunc annum,Notkerus apud Sancti-Gallenses versabatur. haud dubie principatu Caroli Calvi,non Magni, uti ex fabuloso Ekkehardo plerique narrant. Nonnulli non bene capiunt hæc verba Ekkehardi Junioris ex cap. 1. « Traduntur post tempus Marcello scholæ claustri cum Notkero, postea cognomine *Balbulo*, et cæteris monachici habitus pueris :exteriores autem,id est canonicæ, Isoni cum Salomone et ejus comparibus.»His enim prioribus verbis significatur Marcello commissas fuisse claustrales seu interiores scholas,quarum scholares erant Notkerus et cæteri monachi juniores.Id factum Grimaldo abbate post annum 841.

3. Per id tempus qualis fuerit apud sanctum Gallum disciplina operæ pretium est explicare. Salomon canonicus,in scholis exterioribus eruditus,etsi beneficus,atque inter fratres conscriptos admissus, ut tamen in claustrum admitteretur impetrare non valuit nisi facto quod monachus aliquando fieret voto, ipse cappa monastica indutus quam egressus ad limina claustri deponeret. Lepida est ejus rei narratio apud Ekkehardum Juniorem cap. 1.« Erat senatus reipublicæ,inquit,nostræ tunc quidem sanctissimus. Consuluntur Hartmanus consilio magnus,ille quidem qui *Humili prece* melodiam fecerat,Notkerus,qui *Sequentias* ; Ratpertus, qui *Ardua spes mundi* ; Tutilo,qui *Hodie cantandus est* et pleraque alia dictaverant,qui in condiscipulatu animum ejus didicerant.Hartmannus ait :Non similitudinem monachi, sed monachum ipsum quærit. Notkerus ait : Mihi prætexta hæc, qua superindui, inquit desiderat,si togam prætenderet, non utique displiceret. » Conceditur,ut in claustrum subeat cappa indutus,modo ut aliquando monachus fiat.Assensit ille. « Parat autem pro hoc beneficio insignem crucem sancto Gallo.Convivia fratribus duodecim diebus in anno, id est Kalendis, prætextatus noster

quandiu sæculariter vixit, hilariter facere suevit. Solebant idipsum ante etiam quidam alii fratres conscripti nostratibus charitatis signum exhibere. Præ omnibus quidem Carolus rex, cognomento *Crassus*, ipse, qui sancti Othmari hebdomada, ipse propositor et pincerna per triduum de vico Stainhem servivit volatiliaque nos edere fecit. Sed et Adelbero Augustensis multo tempore antistes, qui supra, et virtutes sancti Galli a pluribus audiens, locum in die sancti Galli orandi gratia adiit, et præsens plura conspiciens: Major est, inquit, gratia loci hujus, quam rumor quem audivi. Reversus illic altera vice: Quid cæteri, inquit, sentiant, nescio, qui mihi animo est pronuntio. Unum egomet sanctum, et hunc defunctum, quæsivi, vivos autem sanctissimos, ut vere fatear, fratres inveni. Doctrinam autem illorum et disciplinam in virtutum eorum operibus videre est. » Quid tamen postea ad explorandam ejus loci disciplinam ab Othone imperatore factum sit inferius exponemus.

4. Redeo ad Notkerum, qui ita cum Ratperto et Tutilone conjunctus erat, ut « cor unum et anima una essent, » sicut Ekkehardus Junior, cap. 3, loquitur: « atque votis unicordes. Notkerus corpore, non animo gracilis, voce non spiritu balbulus, in divinis erectus, in adversis patiens, ad omnia mitis, in nostratium acer erat exactor disciplinis, ad repentina timidulus et inopinata præter dæmones infestantes erat, quibus quidem se audenter opponere solebat. In orando, legendo, dictando creberrimus, et, ut omnes sanctitatis ejus in brevi complectar dotes, sancti Spiritus erat vasculum quo suo tempore abundantius nullum. Tutilo bonus erat et utilis homo, musicus, serio et joco festivus. Ratpertus scholarum ab adolescentia magister, benevolus, disciplinis asperior, raro præter fratres pedem claustro promovens, excursus mortem nominans, sæpe Tutilonem itinerarium ut se caveret monens. Labem maximam claustri impunitatem nominabat. Tales cum essent tres isti nostræ reipublicæ senatores, quod semper doctorum est et utilium, ab otio vacantibus et in levitate ambulantibus, detractiones et dorsiloquia patiuntur assidua; sed maxime, quia minus refellere solebat sanctus (ut vere asseram) dominus Notkerus. » Subdit Ekkedardus factum cujusdam monachi, nomine Sindolfi, qui Notkero infestior a Salomone Constantiensi episcopo et abbate operariis præfectus est. « Erat tribus illis inseparabilibus consuetudo, permisso quidem prioris, in intervallo Laudum nocturno convenire in scriptorio, collationesque tali horæ aptissimas de Scripturis facere. At Sindofus sciens horam et colloquia, quadam nocte fenestræ vitreæ, cui Tutilo assederat, clandestinus foris appropriat, aureque vitro affixa, si quid rapere posset quod depravatum episcopo traderet auscultabat. Sensit illum Tutilo homo pervicax, lacertisque confisus, latialiterque, quo illum qui nihil intelligeret lateret, compares alloquitur. » Tum Notkero, quia *timidulus* erat, in ecclesiam celere jusso, ali duo hominem egregie excipiunt, rapto flagello fratrum, quod *pendebat in pyrali*. Ratpertus id exsequitur, vir *ad disciplinas acutissimus*.

5. « Erant illo in tempore, » sic Ekkehardus Junior persequitur in eodem cap. 3, « sancto Gallo et alii cœnobitæ quidem sancti, quorum justitiæ apud Deum non sunt in oblivione: quorum quidem opera multa audivimus præclara, inter quos Hartmannus, et ipse doctissimus abbas cœnobii post Salomonem; Waltrammus vero, cujus etiam melodiæ quis fuerit non celant; Rueggerus, cujus supra meminimus, et alii quidem multi, cum sanctis sancti, cum electis electi: de quibus, quia longum est operi audita prosequi, tres solos quos assumpsimus in exemplum posteris sufficere credamus.

6. « Notkerus vero dies noctesque semper idem et novus, quod Ratpertus in scholis, hoc ipse in claustro, præter verbera, omni charitatis egit censura. » Hinc Notkerum claustralibus seu interioribus scholis præfectum fuisse intelligimus. « Prioris permisso, magis autem et hortatu, juveniores adhuc idonei noctes diesque, quando ab orationibus quiescerent, velut in insidiis erant, » id est, observati, et quidem a Notkero. « Neque enim hora incompetens dicebatur (sic sanctus Benedictus horas *incompetentes* vocat cap. 48, quibus colloqui et simul convenire fratribus non licet), si codice in manibus quis cum domino Notkero loquebatur. Ipse autem cum propter regulæ tenorem sibilis eos interdum et strepitu absturbaret, ab abbatibus ei per obedientiam quod refutarat injunctum est. Quam autem melliffuus in responsis fuerit, lacrymæ eorum qui hominem viderunt testantur.

7. « Enimvero etiam in spiritu Dei, multa bonis et malis aut fortunia prædixit aut infortunia, sicut, gratia exempli, superiora repetam cuidam Caroli elati animi capellano. Nam rex idem cum ob charitates agendas fratribus, ut solebat, cœnobio veniret totumque triduum gratia reverentiæ conversantium ibidem moraretur, sanctisque nostris, ut et Ratpertus scribit, munificus abbate jam musato abire parasset, ille quidem elati animi capellanus virum Dei psalterio, ut solebat, assidentem præteriens conspexit, agnitoque quod is esset qui Carolo multa quærenti pridie quæsita resolveret, comitantibus ait: « Ecce, inquit, iste est, quo neminem aiunt in regno Caroli doctiorem, sed ego, si vultis, illum tam præcellentissime doctum ad irrisionem vobis tentabo, et quod tantæ famæ vir omnino nesciat interrogabo. » Illis vero ut hoc faceret curiose rogantibus, accedunt pariter, salutant eum. Humilis ille assurgens quid petant quærit. At ille infelix quem diximus: « Scimus inquit, homo doctissime, omnia te nosse. Quid autem Deus in cœlo nunc faciat a te cupimus, si nosti, audire. Scio, inquit ille, et optime scio. Nunc enim facit quod semper fecit, et tibi utique quod mox facturus est. Exaltat enim humiles, et humiliat superbos. » Abibat tentator ille, et irrisor a suis irrisus, parvipendens quid sibi futurum dixisset. Sonatur continuo ad concursum et laudes Cæsaris abituri. Arripit ille infelix futurus labarum eo die Ordinis sui dominum antecedendi, et equo superbus invectus ante portam civitatis offendens cecidit et misere in facie collisus crus confregit. Committitur abbati novo, Hartmuoto suffecto, Berinhardo procurandus: cui ipse tandem præsagium Notkeri omnemque hujusmodi rem cum aperuisset, desiderabat viri Dei, si se invisere dignetur, absolutionem et præsentis benedictionem. Quod cum ipse despective de Notkero audiens nihil sibi mali ejus vaticinio assereret contigisse, coagulari fractura illa, nullis fomentis, nullis adunari valuit ligamentis. Supplicatur tandem media quadam nocte a miserantibus clamores ejus Notkero: qui dum adveniens crus contrectasset, confestim combullire illud sensit confractus, didicitque severe de cætero humilia sentire. » Hactenus Ekkehardus Junior in capite 3. Prætereo quæ idem mox subdit de malis in Notkerum et Ratpertum artibus illius illitterati, de quo supra, monachi qui Sindolfus vocabatur. Idem auctor cætera sic persequitur.

8. « Notkerus autem spiritualiter, ut diximus, fortis, quantum Tutilo in homines, tantum ipse valuit in dæmones. Accidit autem ut quadam nocte in ecclesia præveniens in maturitate, altariaque circuiens, ut solebat, clamaret. In cryptam vero veniens duodecim Apostolorum sanctique Columbani, acriores depost aram oculi ejus cum deducerent lacrymas, quasi canem audierat mussitantem. » Dæmon erat, quem appropinquantem loco stare jubet Notkerus. « Festinato autem aram sancti Galli adiens, cambotam suam et magistri ejus (*Columbani*) multarum virtutum operatricem, cum sphæra illa sanctæ crucis notissima rapuit, et, in

introitu cryptæ dextero sphæra posita, cum baculo A sinistrorsum caninum illum aggresus est diabolum. » Dein dæmonem ita valide cædit ut baculum sanctum confregerit. Dæmon horrendum vociferatur. Quo audito, æedituus Notkerum, quis baculum sanctum confregerit, quis voces ediderit, interrogat. Ille præ silentii nocturni religione tacet. Sed, cum neminem in ecclesia æedituus qui mysterium haud noverat reperisset, quid rei esset animo volvebat stupefactus. « Virum denique regularem, jam semel sibi tacitum, amplius alloqui non ausus est præsumere. Notkerus vero, secundum quod humilis erat et prudens, æedituum extra ecclesiam seorsim traxit, benedictioneque prolata: Quomodo baculum, inquit, fili mi, confregi? nisi tu juveris, secreta mea habent efferri. Sed quoniam meum non est ambulare in magnis et mirabilibus super me, silentio fidei tuæ quod factum est committo. Sicque ei rem, ut facta est, enucleavit. At ille baculo per fabrum latenter reparato, quod factum est ad tempus occultavit; in B temporis autem processu res, ut erat, in medium venit.

9. « Habet illa sancti Galli basilica capellas, in quarum uno angulari foribus proximo Notkerus psallere erat solitus. Accedit autem ut quadam die ad Nonæ synaxim non veniret, neque eam per se caneret. In illo autem solio cum post Completorium, clara adhuc die, precibus insisteret, videt super se in laquearii interrupti trabibus diabolum consedisse, et stylo in tabula scribere. Quem cum quid scelus scriberet interrogasset; Nonam, inquit, quam tu scelus hodie supersederas scribo. At ille dicto citius, *Deus, in adjutorium meum intende* (*vides nullas præmitti preces*) prosecutus, vidit eum manu celeberrima quod scripserat planasse. Cumque ad preces synaxis se in terra prosterneret, tabulam laquearii disrupti super eum dejecit. At ipse videns, ut ictum declinaret, citus exsiliit. Cachinnans tandem ille, mihi ut assurgeres, inquit, effeci. Enimvero, ait et C Notkerus, si tu ut nuper caninus fueris, iterum habeo tecum operari. Tandem cum evanuisset, Fratres aliqui in extremis templi orantes, sonum tabulæ vocesque audientes, mirati quid essent, citi aderant, videntesque eum, ut solebat, prostratum, nolebant illum, quod etiam incompetens hora esset impedire. Taudem tamen Tutilo unus ex illis signo dato, amice illum foras evocans, silenter in aurem, Magnas, inquit, quietudines tu et dæmones tui fratribus facere soletis. » Tum interpellanti quid esset. Notkerus abnuit, sed factum ex aliis qui viderant non celatum. Hac in narratione observa religionem silentii in primoribus sancti Galli monachis, maxime in ecclesia, ut si cui necessarium quid loquendum esset, primum extra ecclesiam secederet cum eo quocum colloqui vellet. Dein petita aut data benedictione (quod ex superiori numero colligere licet) breviter in aurem quod in rem esset insusurraret; ad hæc absoluto Completorio solitam fieri synaxim peculiarium orationum. Quod forsan intelligendum de illa D oratione, quæ *expleta psalmodia* tempore sancti Benedicti fieri solebat, teste Gregorio M. in lib. II Dialogorum, cap. 4.

10. Hepidannus anno 876 quoddam factum, quod pluribus explicandum est, uno verbo memorat: *Volo cecidit*. Rem edisserit Ekkehardus Junior in eodem cap. 3: « Erat eodem in tempore in loco adolescens quidam monachus admodum litteratus, comitis cujusdam filius, nomine Wollo, inquietus et vagus, cui propter aversionem cum nec decanus ipse, nec dominus Notkerus, seu cæteri imperare potuissent, crebroque esset verbis verberibusque correctus, nihilque proficeret; omnes pro talis ingenii viro dolebant. Nam cum nunquam sanctus Gallus nisi libertatis monachum (*id est ingenuum*) habuisset, nobiliores tamen sæpius aberrabant. Advenerant parentes ejus pro eo solliciti, per quorum monita cum parum proficeret, iterum post abitum eorum ibidem erat. Diabolus autem quadam die domino apparuit Notkero diluculo: Malam tibi, inquit, et fratribus tuis facturus sum noctem. Mala avis, ait ille, malam famam podere solet. At ille fratribus quæ audivit, ut illo die caverent, prænotuit. Wolo vero cum hoc et ipse a dicentibus audisset; Senes, inquit, semper vana somniant. Erat autem dies ipse, quo sibi a decano nequaquam, ut solebat, claustro progrederetur interdictum esse omnes noverant. Et cum sederet ad scribendum, ultima ejus scriptura erat, *Incipiebat enim mori* (*Joan.* IV): illicoque exsiliens, cæteris illum inclamantibus: Quo nunc Wolo, quo nunc? in campanarium sancti Galli per gradus ad hoc quidem nobis paratos ascendere incipit, uti oculis, quia gressu non licuit, montes camposque circumspiciens vel sic animo suo vago satisfaceret. Ascendens vero cum super altare Virginum venisset, impulsu (ut creditur) Satanæ per laquear cecidit collumque confregit. Plurimis autem qui viderant vel audierant occurrentibus, cum viaticum ei properanter afferrent, confessione dicta communicavit. At illi cum eum efferre voluissent et ad domum infirmorum portare: Sinite me, inquit, sanctas virgines prius inclamare. Ipsæ enim sciunt quia, quamvis alias nefandissimus, mulierem tamen non novi. Interea cum alte ejulasset, Notkero accurrente, manus illi porrexit: Tibi, inquit, domine mi, et sanctis virginibus quas semper amabas, animam peccatricem commendo. At ille jactans se circa eum: Sanctæ, inquit, virgines, in vobis confisus, fratris ipsius crimina super me tollo et ambos nos vobis committo. Et hæc dicens flebat et ejulabat. Cumque ille efferretur præ foribus ecclesiæ, quiete petita, Notkerum manu arctissime stringens, omnibus preces effundentibus, emisit spiritum. Inter exsequias Notkerus eum lavit, in feretrum collocavit, obsequium faciens totam ejus sepulturam ipse procuravit, semperque, quoad vixit. duo ipse monachi officia testatus est persolvenda. Completorium ipso obitus viri die dum finiretur, patrum quidam simplicior precem, in qua inest, *ut sicut læti duximus diem, ita noctem quoque læti transigamus*, dum recitasset, exsiliens vir Dei: Quid petis, inquit, frater admirabilis, quid petis? Sufficeret hodie diei malitia sua, et superabundaret, tu autem et nocti eadem precaris? Septima vero obitus hominis die cum pernoctans in ecclesia permansisset, circa tempus laudis nocturnæ parumper super genua pausans, videt quasi Ratpertum suum se excitantem et dicentem: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum (*Luc.* VII). At ille evigilans: unde, anime mi, unde hoc nosti? cum subjunxisset, quia modesto gradu ille exiit. At ipse putans eum ecclesiam, ut ibi licentius loqueretur, exire, dum eum extra velum prosequitur, » (erat ergo etiam tunc velum pro foribus ecclesiæ sancti Galli) « neque ipsum, neque gressus ejus ullum sentire poterat sonum; cereoque accenso quæsivit eum in lecto. Quem invenit surgentem, ut et ipse, sicut solebat, præveniret in maturitate et clamaret. Cereo exstincto ecclesiam rediit, *Te Deum laudamus* præ gaudio flens silenter cantavit (*id est, submissa voce recitavit*). Die autem dato, quærente Ratperto utrumne ad excitandum se nocte venisset, quod viderat amabili suo aperuit, tandem quoque et cæteros fratres res tanta non latuit. » Hic observare juvat Ratpertum, tametsi docendæ juventuti præpositum, tamen a laudibus nocturnis non abfuisse, uti neque Notkerum, imo statam horam antevertisse. Cæterum Wolo Notkeri Balbuli *ex sorore nepos* a fabuloso Ekkehardo appellatur filius comitis Kiburgensis.

11. De obitu Ratperti Ekkehardus Junior ita persequitur. « Ratpertus vero, et ipse sanctus, circa claustrum sancti Galli cum languidus iret, nec tamen docere desineret, quadraginta discipulis quondam suis canonicis, tunc quidem presbyteris, loco propter festum advenientibus, animam singulis in

manibus commisit: quorum quisque ei triginta missas obituro promiserat. Sicque ille lætissimus Deum, uti se diutius morbo coqueret rogans, panis nitidus factus, inter discipulorum manus in paradisum, ut credimus, transiit: pro quo Notkerus et Tutilo præter cæteros fratres dolentes qui post eum relicti sunt, multa fecerunt.» Scripsit litanias editas apud Canisium Tomo V, page 742, et librum de Casibus monasterii sancti Galli, a tempore B. Columbani ad Salomonem Abbatem, apud Goldastum.

12. « Tutilo vero cum apud Mettensium urbem cælaturas satageret, peregrini duo sanctæ Mariæ imaginem cælanti astiterant eleemosynamque petebant. Quibus cum nummos clam tribueret divertentes ab eo clerico cuidam astanti aiebant: Benedictus Domino vir iste qui nos hodie bene consolatus est! Sed estne soror ejus, inquit, domina illæ præclara, quæ ei tam commode radios ad manum dat et docet quid faciat? Ille vero miratus quid dicerent, cum nuperrime ab eo digressus nil tale vidisset revertitur et quod dixerant velut ad momentum et in in ictu oculi contemplatur. Ait autem illi clericus et peregrini; Benedictus, tu Pater, Domino, qui tali magistra uteris ad opera! qui cum ipsos quid dicerent nescire assereret, vehementer in illos invectus, ne cui tale quid dicerent, interminatur. In crastinum autem, cum gloriam talem de se plures audirent dictitare, subtrahens secessit de medio, neque jam ultra in urbe illa operari volebat. In bractea autem ipsa aurea cum reliquisset circuli planitiem vacuam, nescio cujus arte postea cælati sunt apices: » (*Hoc panthema pia cœlaverat ipsa Maria*).« Sed et imago ipsa, sedens quasi viva, cunctis inspectantibus, adhuc hodie est veneranda... De obitu autem ejus » (*scilicet Tutilonis*) « quia nihil constans comperimus, hoc solum quod ad gaudia eum migrasse confidimus, indubitanter asserimus. Ejus obitus contigit v Kal. Aprilis. »

14. « De Notkero quæ reliqua sunt audenter narrabimus, quoniam illum Spiritus sancti vas electum nequaquam dubitamus. Remansit ille sanctissimus uterinis in spiritu viduus et orbus, tandemque malum illi, quo dolore cordis intrinsecus factus est, accidit. Epistolas canonicas Græcas, a Liutwardo Vercellensi episcopo petitas, multis sudoribus ille exemplaverat. Et ecce Sindolfus » (*nebulo ille, de quo superius mentio facta est*) « magnus jam et præpotens in loco, codicem illum delicate scriptum casu incurrens furatus est, et singulas quaternionum, sicut hodie videre est, cultro decisas discerpsit atque depravavit, et iterum complicans in locum, ubi eas fuerat furatus, reposuit. » Hæc sunt quæ de Notkero, Tutilone et Ratperto commemorat Ekkehardus Junior in capite 3. Subjicit deinde quas quisque odas seu Sequentias composuerit et ad concentum formaverit. Nec plura de Notkeri obitu loquitur; sic vero Hepidannus: « Anno 912 Notkerus magister obiit.» Keroldus ejus discipulus piissimus, teste eodem Ekkehardo cap. 14, « sepultus est non longe a Notkero Balbulo, magistro quondam suo, sibique amicissimo. » In Necrologio Notkeri obitus ita exprimitur: « VIII Idus Aprilis obitus Notkeri, qui Sequentias composuit, in cujus anniversario datur minor stoupus [scyphus] de Balnea-stupa retro muros, et de aliis duabus domibus sibi adjacentibus et hortis superpositis, quæ pertinent ad ecclesiam sancti Petri. » Corrigendi itque Wion et alii, qui ejus obitus diem ad VI Idus collocant. Epitaphium ejus sic habet apud Bollandianos:

Ecce decus patriæ Notkerus, dogma sophiæ,
Ut mortalis homo conditur hoc tumulo.
Idibus octonis hic carne solutus Aprilis,
Cœlis invehitur, carmine suscipitur.

Inter macrobios ponitur ab his qui eum a tempore Caroli Magni vixisse putant cum fabuloso Ekkehardo; nec melius sentiunt qui Notkero Balbulo cæcitatem affingunt cum eodem Ekkehardo, cum id Notkero medico tribuendum sit.

14. Notkerus Balbulus varias composuit sequentias, id est rhytmicas preces, quales ad missam ante evangelium in festis solemnioribus cantari solent. Sequentiam de Spiritu sancto incipientem ab his verbis: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, ei tribuit Ekkehardus sequioris Vitæ scriptor, atque hanc a Notkero missam fuisse Carolo imperatori qui hymnum *Veni, Creator*, a se compositum eidem remiserit, ubi quod de Carolo dicitur falsum esse constat. Verius est quod idem auctor subdit piam illam de Spiritu sancto sequentiam, *Veni, sancte Spiritus*, compositam fuisse ab Innocentio papa III, cujus tempore vivebat. Ex omnibus porro Notkeri scriptis præcipuum est Martyrologium a Canisio editum Tomo VI. Tempus scripti operis assignat Notkerus ipse ad VII Kal. Maii in hæc verba: « Quod idcirco significandum putavi, ut patriarcha noster Hatto Maguntiacensis, qui hoc anno item ab incarnatione Domini... caput ejus » (*id est sancti Georgii*) « et aliud quoddam membrum, cum plurimis et maximis sanctorum reliquiis in Alemanniam ad novum monasterium suum a Formoso apostolico impetratis asportavit.» Annus quidem non exprimitur in codice quod usus est Canisius, sed ex Formosi pontificatu, qui ab anno 891 in annos quinque Romanæ sedi præfuit, præter *propter* intelligi potest. De Hattone infra. Vide ad x Kal. Junii, ubi de reliquiis sancti Desiderii Viennensis episcopi ab Adone anno 870 missis per Beroldum presbyterum, qui adhuc superstes erat.

15. Præterea *litteras alphabeti*, quæ olim in modulatione significanda usui erant, *cuidam amico quærenti Notker Balbulus dilucidavit*, ex Ekkehardo Juniore cap. 4. Lantheito nomen erat illi amico, apud Canisium Tomo V, pag. 739, et apud Goldastum. Idem Notkerus Psalterium Arnulfo imperatore in Alamannicam linguam transtulit, tanta verborum difficultate, ait Joachimus Vadianus apud Goldastum lib. II, de Monasteriis Germaniæ, ut nonnisi ab attento lectore intelligi queat. Specimen ejus linguæ in oratione Dominica et apostolico symbolo post idem Psalterium scripto refert idem Vadiamus pag. 47. Notkeri varios hymnos refert Canisius in Tomo V a pag. 769, et pag. 790 fragmentum Vitæ sancti Galli ab eodem Notkero tribus libris metrice scriptæ. Meminit istius operis Notkerus ipse in epistola ad Liutwardum Vercellensem episcopum et sancti Galli abbatem, quam ex ms. codice Cluniacensi eruit noster Stephanotius (*Vide infra in fronte libri Sequentiarum*).

Liutvardus is est Vercellensis episcopus, Caroli Crassi imperatoris cancellarius, cui Pauli apostoli Epistolas Græcas, Notkerus, ut superius dictum est, destinaverat. Eidem Sequentias dedicavit apud Canisium Tomo V, pag. 758. Monasterium de Gimedia est Gemeticense *Jumiéges*, in Neustria ad Sequanam infra Rothomagum, quod a Nortmannis, teste Wuillelmo Gemeticensi, vastatum est anno 851, quo tempore Notkerus *juvenculus* erat. Atque vel inde patet eum ad Caroli Magni tempus non pertinuisse, nec ita longævum, ut plerique fingunt, exstitisse. Scripta est autem hæc epistola ante annum 887, quo Carolus Crassus imperio et vita cessit, Salomone necdum sancti Galli abbate. Post superiorem epistolam sequuntur hymni sub hoc titulo: *Incipit liber hymnorum Notkeri Balbuli cœnobitæ sancti Galli*, nempe in Natali Domini: *Dies sanctificatus*; de sancto Columbano: *A solis occasu*; et de sancto Gallo: *Christe, sanctis unica spes*.

16. Postremo Goldastus existimat, nulla allata ratione Notkerum Balbulum auctorem esse duorum librorum de Rebus bellicis Caroli Magni ad Carolum Crassum imp. sub nomine monachi S. Galli editis. Certe consentit tempus, faventque hæc verba in lib. II, cap. 26. *His igitur quæ ego balbus et eden-*

tulus... explicare tentavi,etc.Verum magis gravis ac severus videtur Notkeri genius in Martyrologio suo, quam ut eidem duo isti libri tribui debeant. Non parum tamen momenti habere debet hic locus. Simili enim modo Notkerus se balbum dixit supra num. 2, in hymno de S. Stephano. Quidquid sit, emendandus est locus in lib. II de Rebus Caroli Magni cap. 8, *Apud quem et dominus meus Gallus*, ubi legendum *Grimaldus*,quod prima tantum littera initiali in codice ms. indubie designatum erat. Grimaldus vero abbas erat sancti Galli primis Notkeri annis.

17. Restat agendum de Notkeri nostri cultu,cujus litteras Canisius et Goldatus eliderunt, et ex eis Papebrochius. Iverat quondam Romam Vodalricus abbas sancti Galli, eo missus a Frederico secundo ad Innocentium III.Peractis missis, quibus apostolicus interfuit præsente abbate, de Notkero Sequentiarum auctore quas quidem forte legerat,sciscitatur pontifex, et quomodo dies anniversarii ejus celebraretur, et an denique festivitatem ejus agerent. Respondit abbas, Notkerum *simplicem monachum* fuisse,ex nobilissimis terræ parentibus ortum,valde eruditum ac sanctum : cæterum « privatim tantum agi de eo, sicut pro alio defuncto. His verbis papa commotus. O nequissimi, inquit,malo vestro tanti, tam sanctissimi viri, qui erat plenissimus Spiritu sancto,quod hujus festivitatem non celebratis infelices eritis. » Ita in posteriori Notkeri Vita et in Gestis Vodalrici abbatis. Res tamen infecta mansit ad pontificatum Julii II, qui mandavit Hugoni Constantiensi episcopo, ut de instituendo Notkeri festo et officio inquisitionem faceret,ac pro sententia sua decerneret, ita tamen ut ex his quæ fecisset, decrevissetve, aut ordinasset, « prædictus Notkerus propterea canonizatus aut approbatus non censeretur.» Hugo id officii demandavit Joanni Zwicho canonico Constantiensi,tum ejus defectu Leonardo Altwegero notario anno 613.Demum ipse Hugo absoluta inquisitione permisit abbati et conventui,«et quibuslibet aliis personis, ut una die cujuslibet anni per eos eligenda, vel die qua beatus Notkerus ab hoc sæculo migravit,festum confessoris minoris,ac missam et officium ejusdem beati Notkeri a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas ejusdem diei, in dicta capella sanctorum Petri et Pauli ac ejusdem monasterii, necnon aliis ecclesiis et capellis eidem monasterio subjectis,cujusvis licentia minime requisita, solemniter celebrare, et facere celebrari possint et licite valeant. » ita tamen ut, «prout Julius papa secundus in litteris suis voluit, idem beatus Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non censeatur. » Actum id Julio mortuo. nimirum anno 1514 sub Leone X.

18. Antequam Notkerum dimittamus, de duobus aliis Notkeris hoc loco paucis agere juvat, nempe de Notkero abbate et Notkero episcopo Leodicensi. Notkerus Balbulus vivendi finem fecit, Salomone abbate, qui anno 919 et ipse vivere desiit. Anno 921 successit Hartmannus; huic vero post biennium Engilbertus. Anno 933 Thieto abbas efficitur, isque anno 942 abbatiam Craloni fratri suo uterino resignavit. Ejus tempore Anno in abbatiam,vir alioqui frugi, intrusus est, anno uno et dimidio. Anno 959 Craloni mortuo suffectus Burchardus, Notkeri præcessor, cujus tempore cum sinistra de sancti Galli disciplina suscipio oborta esset, jussu Ottonis Augusti visitatio loci facta est. Id paucis refert Hepidannus in hunc modum : « Anno 968 adventus et immissio octo episcoporum ac totidem abbatum in monasterium sancti Galli ad examinandam vitam nostram et regulæ observationem. Qui, Deo dante, optima testimonia daturos polliciti fratresque facti, charitative abierunt. » At totam rei geste narrationem, lectu quidem, præsertim monachis, haud infructuosam aut indignam, fusius exponit Ekkehardus Junior in capitibus 10 et 11, ex quo episcoporum nomina discimus.Primus Henricus Treverensis archiepiscopus, *cui summa rerum commissa*, tum Arnolfus Tullensis, Dietricus Metensis, Hiltebaldus Curiensis, Poppo Herbipolensis, Palzo Spirensis et Erpho Wormatiensis episcopi. Abbates nominantur Kebo Lauressensis, Kerbo Wirzinburgensis, Milo Elewangensis ; cæterorum nominia ignota.Isti visitationi causam præbuit abbas Augiensis qui et ipse visitationi intererat ; Ruodmanus, qui sancti Galli monachos, *quasi minus regulares*, ad Hadwigam Henrici ducis filiam, *quæ Suevorum post Burkhardum virum dux erat*, detulit traduxitque. Id ipsa retulit ad Ottones patrem et filium,in quorum aula Ekkehardus tunc capellani munere fungebatur,dum Ekkehardus alter decani munus apud S.Gallum obiret. Et Otto filius ad delectos episcopos et abbates : « Ite, inquit, vos nominati episcopi cum abbatibus. cœnobii sancti Galli monachos qui infamantur correcturi. » Ad hæc Arnolfus Tullensis, rem arduam esse atque ex invidia profectam ; se *votivum* isthuc nuperrime adivisse ; cæterum similem charitatem vix alibi se invenisse : non unius tramitis et regulæ via cœlum scandi. Tum Hiltebaldus Curiensis : « Omnia quæ ibi noscuntur, pie rex, laude digna sunt, ait, præter quod ibi habent quædam sua, et carnium aliqui illorum utuntur eduliis, et hæc ipsa quidem abbatum suorum,ne deficerent,semper egerunt permissis. » Ad hæc : « Enimvero si de suo, ut asseritis, rex ait, vivunt, id ipsum secundum regulam Benedicti ut faciant, quantum potissime poteritis,ut agatis vobis omnibus injungimus.Et quoniam et nos quidem aliquos de ipsis venerabiles agnoscimus,non hostiliter eos aggredi libet,sed tot consultores quidem amicissimos dirigimus,ut infirmo fratri meo abbati, quoniam pater meus filium eum vocat, adminiculo sitis,ut bona multa quæ faciunt, ad Benedicti regulam deinceps vergant. » Eunt illi lege ab Ottone patre data, ut Burchardo abbati, qui nepos ejus erat, parcerent, neque eum abjicerent. Eunt illi ad locum, ubi plerique nutriti fuerant, Dietricus et Palzo præter alios. Abbas in medium vocatus jubet Ekkehardum decanum ac Notkerum medium surgere, atque instituti sui disciplinam edicere. Quibus auditis Kebo abbas Laurishamensis et abbates episcopis : « Enimvero, aiunt, hæc omnia quæ audivimus, Benedicti sunt regulæ, præter hoc solum quod secundum illam laborant, secundum illam autem non vegetantur. Sed et hoc ipsum eis causa est, ut undecunque quærant quo vitam sustentent. Quæ quia abbatis permisso quæsita, ubi jusserit, reponunt, et ad ejus nutum et arbitrium his quæcunque sunt utuntur, contra regulam non esse veraciter affirmare valebimus.Tandem placuit omnibus,quidquid quisque privati haberet, in communes officinas in fide deferret ; carnibus omnes, præter quibus regula indulget, abstinendo; mensas, etiamsi paupertatis sint, simul habeant.» Cæterum Henricus archiepiscopus pollicetur se daturum operam,ut Ottones loci penuriæ providerent; quod et factum est. « Lætis ob hoc omnibus itur in ecclesiam ; recepti manibus singuli in libro vitæ scribuntur. » Illis abituris, » pergunt Fratres in ecclesiam ad dandas abeuntibus prosperæ viæ preces, et recipiendas a tot episcopis benedictiones, data prius confessione, et a stolatis remissione. » Postquam legati omnia ad Ottones perorarunt,mittitur Kebo Laurishamensis,qui quæ apud S. Gallum deerant sarciret, et « de scriniis regum sexaginta argenti librarum rata pondera deferret. »

19. Paulo post Burchardus abbas regimine sponte cedens, ad capellam sancti Galli sese inclusit, « et Notkerum pro se,Ekkehardo favente,Notkeri medici ex sorore nepotem eligi rogavit, et regibus eum pro se inthronizandum direxit. » Litteræ hac de re directæ ad Ottonem ; quas cum Otto filius patri obtulisset, «et a patre sigillum recludere jussus,ipsi illi (nam sancti Galli semifacies erat) in manum dabat »

Litteras Otto Junior perlectas « patri et matri » Adalheïdæ « fidus interpres reponens insinuavit, et ut petita facerent, rogavit. » Ekkehardus capellanus, « notularum peritissimus, » verba ultro citroque prolata, in tabulis notavit. Otto pater, quem Otto Junior Leonem vocabat, legatos postridie introductos, « *Bonman* habere Romanisce dixit. » Tandem pastorali ferula quam Burchardus miserat recepta, « condicta quidem tali eam Notkero dedit, ut vivo abbate suo, sicut ipse vellet, illam curaret nihilque capitale absque ejus nutu, et Ekkehardi Notkerique consilio ageret. Et continuo, meus, eris, ait manibusque receptum osculatus est ; moxque ille Evangelio allato fidem juravit : dimissoque eo in ecclesiam ad *Te Deum laudamus ;* milites Galli [*id est* S. Galli] qui aderant reverso, coram se accitos jurare jussit. » Notkerus apud S. Gallum « gratanter ab omnibus susceptus, Burchardique manu in sedem potentiæ locatus, colloquium in capituli domo facere basilicam egreditur, ibique in sancti Benedicti vicem ab omnibus electus, » optime postea se gessit, et Kebonis abbatis Laurishamensis « doctrinam paulisper sopitam sollicite excitavit. » Hæc omnia ex Ekkehardo Juniori capitibus 12 et 16. Ad reliquam loci disciplinam quod attinet, « quotannis more Romano officia apud sancti Gallenses mutari solebant, cap. 15. Claustrum vero ab antiqua Patrum memoria tantæ venerationi est habitum ut nemini vel potentissimorum sæculi canonicorum seu laicorum introitus vel etiam introspectus eis licuerit, » cap. 16. « Vidi egomet, » inquit Ekkehardus, « ante tempora quæ a Gallis patimur monachorum schismatis, comites aliosque potentes, loci quoque milites, pro dilectione festis diebus crucem nobiscum per claustrum sequendo, juvenes et senes quosdam ad cingulam barbatos, monachicis iudutos roccis [*id est* cappis *supra num.* 3] nobiscum quaqua ivimus ingredi. » Quod de Gallis ait Ekkehardus, id intelligendum de Sandrado Trevirensi monacho, Ottoni patri charissimo, qui restituendæ apud S. Gallum disciplinæ obtentu Sancti-Gallensibus non parum negotii facesserat. Hæc fusius persecutus sum, quoniam multa in his occurrunt ad res monasticas illustrandas. Ekkehardus Junior desinit in Notkero abbate, qui anno 973 abbas renuntiatus, ex humanis excessit anno 981, teste Hepidanno.

20. Venio tandem ad Notkerum Leodicensem episcopum, cujus acta in Gestis episcoporum Leodiensium prolixe referuntur, sed nulla monasticæ ejus professionis mentione facta, neque apud Sigebertum, qui pontificatus ejus initium revocat ad annum 971, quo anno Everaci mortem locat Chronicon Magdeburgense, et anno sequenti Notkeri successionem. Idem Chronicon Notkerum *S. Galli præpositum* fuisse declarat ad annum 1008, his verbis : « Notkerus Leodicensis episcopus, et prius monasterii sancti Galli præpositus ad Christum migravit. » Eum bonæ memoriæ episcopum vocat Baldericus in Chronici Cameracensis lib. I, cap. 110 ; *Notgerus* in gestis episcoporum Leodiensium, perpetuo *Notkerus* in diplomatibus appellatur.

21. De Notkero Balbulo pene prætermiseram quod Goldastus in Tomo II Rerum Alamannicarum observat pag. 195, nempe ipsum scripsisse « Historiam S. Galli et subsequentium temporum usque ad suam ætatem, in morem Ciceronianum, id est, per dialogos : » quam historiam ait « exstare in Palatinatu apud viduam Wolfgangi Wecteri Sanctigallensis. » Idem Goldastus eidem Notkero chartas quasdam attribuit pag. 6, quas vice Winidhardi monachi ac cancellarii scripserit. Sed de his satis.

B. NOTKERI BALBULI

SANCTI GALLI MONACHI

DE INTERPRETIBUS DIVINARUM SCRIPTURARUM LIBER.

(Apud Pezium, Thes. Anecd., tom, I, part. I.)

NOTATIO NOTKERI

DE ILLUSTRIBUS VIRIS QUI EX INTENTIONE SACRAS EXPONEBANT, AUT EX OCCASIONE QUASDAM SENTENTIAS DIVINÆ AUCTORITATIS EXPLANABANT SCRIPTA AD SALAMONEM, DISCIPULUM SUUM, POSTEA CONSTANTIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUM.

Cum prudens sis et prudentis nomen hæredites, miror te res ineptas repetere, quod tibi quia dissuadere nequeo quod hortaris, aggrediar, prius improperando commonens ; quia, si me audisses, omnes auctores nostros notissimos haberes. In hoc autem et meæ stultitiæ et tuæ verecundiæ consulendum putavi ; ut, cum ego utilia possim scribere et tu optima sis dignus accipere, in talibus ineptiis nomen utriusque sub clausura silentii premeretur. Vide ne tu nos diffamare velis vilissime.

CAP. I. — *De iis qui in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium*, etc., *scripserunt.*

Si scire desideras quid Hebræi de historica Geneseos explanatione sentiant, scrutare librum Hieronymi qui intitulatur : *Hebraicarum Quæstionum*, juxta Septuaginta duntaxat Interpretum translatio-

nem; si vero moralitatem requiris, Origeni intende; si disputationem Augustini duodecim libros peragrare non lasseris; si defensionem Creatoris et antiquorum Patrum contra blasphemias calumniatorum, lege ejusdem Augustini libros duos adversus Manichæos, ut alios duos contra Faustum, et undecimum, duodecimum, decimum tertium, decimum quartum ipsius de Civitate Dei, prophetico Spiritu conscriptos; si creaturarum pulchritudine delectaris, Exameron Ambrosii, ut jocularis es, pro ludo relegere consuescas; si medulla ejusdem libri dulcissima pasci volueris, et ipsius ratione veritatis jocundari cupieris, Bedam tenacissima memoria retinere labora. Quod si excerptum Paterii, quod te libris beati Gregorii per ordinem singulorum librorum deflorando confecit, unquam reperire potueris, illud tibi ad omnimodam sufficiet sapientiam. In exodum et in Leviticum homilias Origenis mire disputatas ediscere labora; in totum Eptaticum septem libros Augustini Quæstionum, et alios sex Locutionum de diversitate interpretum. Et quod præ omnibus utile tibi puto acquirere, Eugippium, qui ex omnibus libris profundissimi et penetrabilissimi ejusdem Augustini in omnem auctoritatem Scripturæ utilissimum et valde necessarium volumen collegit, in quo multa mysteria de Genesi, de Exodo, de Levitico, de Numero, de Deuteronomio, Josue, et Judicibus, Samuele et Malachim, et prophetis reserata reperies: Licet in omnes prophetas laborantissimus et desudentissimus studioso lectori sufficiat Hieronymus, cujus si volueris esse discipulus, fastidium quod tibi de librorum tædio coaluit, reticere debebis, ut ferventissima lectio ferventi congruat discipulo. Hæc de lege et prophetis.

Cap. II. — *De his qui Psalterium, Proverbia, Ecclesiasten et Cantica canticorum exposuerunt.*

De hagiographis vero in sequenti doceberis: quorum primum est Psalterium juxta circumcisionem. Apud nos vero propter Christum ex eo natum, David est caput omnium prophetarum. In cujus librum plurima multi senserunt. De quibus primus et præcipuus est Origenes apud Græcos, Augustinus apud nos, ex cujus libris Prosper, ut accepimus, Aquitanus episcopus, utilissimum volumen studiosis excerpsit, cui multa de aliorum opusculis intexuit, ut statim in principio præfationem de homilia sancti Basilii posuerit. In eumdem librum et Arnobius rhetor sui nobis ingenii monumentum reliquit. In ipsum et Hilarius Pictaviensis episcopus scripsit. In cujus explanationem Cassiodorus senator, cum multa disseruerit, in hoc tantum videtur nobis utilis, quod omnem sæcularem sapientiam, id est, schematum et troporum dulcissimam varietatem in eo latere manifestat. Super omnia vero ad intellectum hujus prophetiæ juvat, si quis Psalterium quod beatus Hieronymus de Hebraico in Latinum vertit memoriæ commendare voluerit. In Proverbia Salomonis Hieronymus breves sententias dereliquit, quæ quasi paucissima grana causa segetum fuere maximarum quas Beda noster demessuit et collegit. Scripsit idem Hieronymus in Ecclesiasten juxta traditionem Septuaginta Translatorum, hoc est, Vulgatam Interpretationem. Hebræi enim dicunt eos non amplius interpretatos fuisse quam Moysi quinque libros. Huic ergo expositioni acutissime debes intendere, ut eam ad intellectum modernæ lectionis possis derivare quia nihil aliud apud Latinorum aliquem super eumdem librum reperies, nisi tantum pauca testimonia in libris beati Gregorii cum expositione posita, In Cantica canticorum interpretatur sanctus Hieronymus duas homilias Adamantii, in quarum præfatione hoc præmisit; *Origenes, cum in cæteris alios vicerit, in Canticis canticorum seipsum vicit.* Quam interpretationem, quia ipse morte præventus, nobis transferre non potuit: hanc tibi vicissitudinem nostri laboris et multimodæ servitutis impono ut si aliquando sumptibus abundaveris et alicujus hominis Latina et Græca lingua eruditi amicitia usus fueris, ab eo extorqueas ut explanationes latinis, et barbaris pro maximo munere vel præda famosissima transferre non gravetur. Interim lege Libellum Justi Lugdunensis episcopi in epithalamium, brevem quidem verbis, sed spiritualibus plenum sententiis. Quod si Romana facundia barbarorum hominum scripta contempserit, nobis barbaris expositio Bedæ in eumdem librum sufficere debebit. Quem naturarum dispositor Deus, qui quarta die mundanæ creationis solem ab oriente produxit, in sexta ætate sæculi novum solem ab occidente ad illuminationem totius orbis direxit. Si vero Romanarum etiam deliciarum opipari convivio delectaris, quidquid Gregorius papa dulce super hoc respersum latissime reliquit, idem Beda in brevissimo ferculo avidis glutiendum composuit.

Cap. III. — *De interpretibus libri Sapientiæ, Jesu filii Sirach, Job, Tobiæ, Esdræ, Judith, Esther, Paralipomenon et Machabæorum.*

De libro, qui Sapientia Salomonis inscribitur, nullius auctoris expositionem, nisi tantum per occasionem aliorum librorum pauca testimonio explanata cognovi; quippe qui ab Hebræis penitus respuitur et apud nostros quasi incertus habetur, tamen, quia priores nostri eum propter utilitatem doctrinæ legere consueverunt, et Judæi eumdem non habent, Ecclesiasticus etiam apud nos appellatur. Quod de hoc, id etiam de libro Jesu filii Sirach sentias oportet, nisi quod is ab Hebræis et habetur et legitur. Difficillimum librum beati Job prophetæ ab omnibus magistris anterioribus intactum apostolicus noster Gregorius ita exposuit, ut super historiæ fundamentum mortalitatis construeret ædificium, et anagoges imposuerit culmen præstantissimum. Cui libro tam multa de omnibus divinæ auctoritatis scriptis testimonia intexuit et intexta dissolvit, ut hujus occasione Vetus et Novum Testamentum videatur exposuisse. Quod si propter inopiam rei familiaris, vel sæcularium rerum occupationem, vel

etiam palatii assiduitatem et militiæ laborem tibi aspirare non suppetit aut vacare, excerptum Ladkeni Hiberniensis inquire, et post explanationem testimoniorum in medium adductorum nihil tibi invenies ad plenum intellectum deesse. In diversis etiam locis diversa tum collecta, tum excerpta de hoc et aliis scriptis, si requisieris, invenire poteris de quibus postea dicetur. In librum Tobiæ et Esdræ Beda presbyter aliqua scripsit magis jucunda quam necessaria, quippe qui simplicem historiam vertere conatus est in allegoriam. De libro Judith, et Esther et Paralipomenon quid dicam, a quibus vel qualiter exponantur, cum etiam ipsa in eis littera non pro auctoritate, sed tantum pro memoria et admiratione habeatur? Idem de Libris Machabæorum suspicari poteris.

Cap. IV. — *Quinam Novi Testamenti libros ex professo interpretati sint.*

De Novo autem Testamento scire debebis, quia licet remotis litteræ grossioris integumentis lucidum cunctis ad intelligendum videatur, nusquam tamen periculosius erratur, nisi reverentissima humilitate discatur. Ergo in Matthæum Hieronymus tibi sufficiat; in Marcum pedissequum Matthæi, Beda pedissequus Hieronymi; in Lucam soligradum Beda latigradus, adeo ut omne quod ipsum reperit Evangelium, volumen compingeret in unum. Joannem Cælipetam nubivolus Augustinus paribus alis insecutus est. Præter hæc est liber Augustini de Sermone Domini in Monte secundum Matthæum. Alius Quæstionum in totum Evangelium. Insuper et Eugippi Collectarium. Præterea Homiliæ Joannis Chrysostomi, Origenis, Augustini, Gregorii, Maximi, Leonis, Bedæ et responsiones Hieronymi ad interrogationes Algasiæ et Denobiæ : si tamen mox sacerdos futurus, dignaris legere libros ad eruditionem feminarum directos. Sed tu, juvenculus, non dedigneris legere quod Hieronymus senex dignatus est scribere. In Epistolam ad Romanos multa et mira scripsit Origenes, quibus adversarii ejusdem prava quædam inseruerunt, quorum unum, sicut nuper tibi in aurem diffudi, ipse in eodem volumine acerrime condemnat. Ambrosius Mediolanensis episcopus in Evangelium secundum Lucam, et in omnes Epistolas Pauli breves commentarios reliquit; sed explanationem ad Hebræos Epistolæ ejus volumini insertam non eum scripsisse multi contendunt, quod et veritas comprobat. Item Pelagius breves sententiolas in easdem scripsit epistolas. Hieronymus latissimos tractatus ad Galatas, ad Titum, ad Philemonem dereliquit. Idemque Hieronymus et Augustinus episcopus, prout interrogati fuerant, de diversis in Apostolum quæstionibus valde proficuas conscripserunt epistolas. Super Actus apostolorum lege Bedam presbyterum; In Epistolam Joannis, Augustinum, in qua explanatione qui sit Christianus agnosces. In septem epistolas (quæ dicuntur canonicæ) interpretationem Bedæ presbyteri require, et ejusdem dilucidationem

A obscurissimæ visionis potius quam revelationis beati Joannis; cujus tamen expositionis Augustinum, Hieronymum et Gregorium seminaria esse noveris; licet idem Beda sæpissime Tychonii Donatistæ se dicat explanationem suo volumini inseruisse, in quo multa quoque Primasii discipuli sancti Augustini dicta posuit, ut facile potuerit advertere qui eosdem tractatores curaverit recitare. Si glossulas volueris in totam Scripturam divinam, sufficit Rabanus Moguntiacensis archiepiscopus.

Cap. V. — *De iis qui ex occasione disputationis propriæ quasdam sententias divinæ auctoritatis explanaverunt.*

Hactenus de his scriptoribus dixisse sufficiat qui ex intentione sacras Scripturas elucidare conati
B sunt. Nunc autem de his doceberis qui ex occasione disputationis propriæ quasdam sententias divinæ auctoritatis explanaverunt. Augustinus in libris innumeris quos conscripsit, prout se locorum et rerum obtulit occasio, omnem pene, imo vere, sanctam Scripturam exposuit. Cujus rei probamenta sunt libri Confessionum ejus, numero tredecim. Liber optimus de Bono naturæ. De Utilitate credendi. Quæstiones de Proverbiis Salomonis et cæteris Scripturis. Item de Gratia, de Libero Arbitrio, et Enchiridion, hoc est, de fide, spe et charitate, in quibus vel maxime intellectus Scripturarum elucet et in aliis mille libris ipsius, sicut ante nos dictum est : *Si Augustinus adest, sufficit ipse tibi.* Speculum ejus require. Quid dicam de Cassiano? Si tamen aliquando monachos fastidire desieris, qui
C in viginti quatuor libris Collationum quos totidem senioribus Apocalypseos Joannis comparat, ita et propter octo principalium vitiorum occasionem de lege et prophetis disputat, ut eum omnia tractanda suscepisse non dubites. Qualiter vero Evangelia et apostolorum scripta disseruerit nullus credere poterit, nisi qui lectioni earumdem collationum studiosus institerit. Quam tamen doctrinam professionis suæ memor, Patrum sanctitati, non suæ scribit industriæ. Libri Isidori Hispaniensis episcopi, Etymologiarum nomine titulati, omnimoda te perficiunt scientia. Item Sententiarum ejus utilissimus liber occurrit. Item alius de Patribus Veteris et Novi Testamenti. Item alius de Officiis et ordinibus ecclesiasticis, qui tibi mox Dei gratia futuro sacerdoti
D maxime sunt necessarii, in quibus omnem rationem et nomina singularum festivitatum et jejuniorum reperies, ut præco Dei populis futuras stationes prænuntiare possis in Keriki quia si non annuntiaveris populo, qui speculatoris officium desideras veneritque gladius et tulerit eum, ipse in iniquitate sua morietur, sanguis autem ejus de manu tua requiretur (*Ezech.* XXXIII).

Cap. VI. — *De libris ornando sacerdotio necessariis, epistolographis*, etc.

Ergo quia sese obtulit occasio ut in hoc loco de ministerio, quod subiturus esse te attentius instruere debeam, et me imparem tantæ rei agnosco, quippe

qui nec vitam propriam custodire, nec quæ aliquantum sentio idonee valeo proferre, mitto te ad librum beati Gregorii papæ, qui appellatur Regula pastoralis, sed meo, imo ut credo, ejus et omnium sapientium judicio melius et verius *Speculum* nuncupari potuisset, in quo omnis homo seipsum inveniet quasi depictum, et præcipue episcopi et presbyteri, ita ut omnis homo non solum sermones et opera, sed et cogitationes et affectus, quos quisque vel antea, vel in ipso sacerdotio conceperit, quasi viventes vel ambulantes ostenderit. In quo libro tam multa de Novo et Veteri Testamento posuit et exposuit; ut si eum memoriæ commendaveris, omnium librorum scientia refertus esse videaris. Ex hoc ergo trutinari debes et examinari utrum, ob animæ tuæ salutem, sacerdotium declinare, et eorum periculum quos corrigere nequiveris fugere, vel propter tui custodiam, quia ministerium ipsum vitiis te subjacere prohibet et eorum quos convertere poteris lucrum subire debeas, vel ambire, licet hoc verbum periculosissimum sit et fœdissimum, nedum etiam in efficientiam apud Christianos veniat et maxime sacerdotes. Habes Eucherium, nescio, utrum ipsum quem beatissimus Augustinus presbyterum ex Hispania veteri morbo calculi laborantem per sanctissimum Stenum in libro vigesimo secundo de Civitate Dei narrat phacuratum, an alium episcopum vel doctorem, qui multas et utilissimas interpretationes, tropologias et anagoges sacrarum Scripturarum proposuit et dissolvit. Quid dicam de Albino, magistro Caroli imperatoris? qui, ut tu ipse fateri solitus es, nulli secundus esse voluit, sed in gentilibus et sacris litteris omnes superare contendit. Ille talem grammaticam condidit, ut Donatus, Nicomachus, Domisitheus et noster Priscianus in ejus comparatione nihil esse, videantur. Sed tibi stulto idem de dialectica, fide, et spe et charitate multa disputavit, adeo ut etiam in Evangelium Joannis manum mittere præsumeret. Scripsit enim ad amicos plurima, præcipue ad Witonem. Epistolas vero ejus tibi commendare non audeo, quia tibi puerulo eam supercilio scriptæ videntur. Sed ego ita non sentio, quia ille juxta auctoritatem suam qua omnes post regum potentissimum præcellebat, et locutus est, et vixit et scripsit. Commendo epistolas Hieronymi non illius Græci pagani idololatræ, sed nostri ecclesiastici cultoris veri Dei; in quibus omnem serietatem, miram jocalationem, Scripturarum sacrarum explanationem, virginitatis et viduitatis exhortationem, lapsorum sublevationem, clericorum et monachorum ac virginum, imo et fornicariarum modernarum insectationem tam vehementem reperies, ut, si te ipsum clericum esse memineris, non sit quod monachis et sanctimonialibus objicere possis. Sed unam illam ætati, progenitoribus et proximis, indoli et ministerio tuo congruentissimam commendo epistolam ad Nepotianum, cognatum Heliodori episcopi, qui futurus post avunculum suum sperabatur episcopus, et subita morte præreptus est, ut secundum talem institutionem qua-

A litereum instruxit vivere studeas, et non post matris tuæ consobrinum anhelare ad episcopatum, sed timere et præparare te satagas ad conspectum Dei, quia, sicut omnibus, incerta est tibi hora exitus tui.

Cap. VII. — *De metrorum, hymnorum, epigrammatumque conditoribus.*

Si vero etiam metra requisieris, non sunt tibi necessariæ gentilium fabulæ, sed habes in Christianitate prudentissimum Prudentium de mundi exordio, de martyribus, de laudibus Dei, de Patribus Novi et Veteris Testamenti dulcissime modulantem, virtutum et vitiorum inter se conflictus tropologica dulcedine suavissime proferentem, contra hæreticos et paganos acerrime pugnantem: Alewinus vero, nomine

B Avitus [*ita Cod., alias* Alcimus], licet historiam Geneseos quasi solam assumpserit, tamen omnia nostra dulcissimo carmine decantavit, et pulcherrimum librum de Virginitate ad sororem suam descripsit, et alium de Institutione mortalium, pro quo tu legisti Catonianum; sed quantocius facito tuum esse. Juvencum et Sedulum oratorem, hymnosque Ambrosianos scio quia jam memoriæ commendasti. Quod si scriptores ecclesiasticos nosse desideras, inani labore tabescis, cum hodieque et usque in finem sæculi non desint qui utilia scribere possint. Si tamen antiquos auctores nosse volueris, lege librum beati Hieronymi de Illustribus Viris a sancto Petro usque ad seipsum, et Gennadii Toletani episcopi ab Ambrosio usque ad eumdem Gennadium. Vale, et aliquando tibi satis sit exhausti. Sed quid tibi avi-

C ditatem tuam imputo cum meam socordiam ipse reprehendo? Modo Deus, qui omnia tibi prosperat, Prosperum mihi perduxit ad memoriam, cujus epigrammata, licet invitus, habes in corde descripta. Libros autem ejus de Vita activa et contemplativa nescis adhuc, quos si didiceris et observaveris (ut tandem aliquando aperiam quid jugiter sacerdotii nomine significem) episcopatu dignissimus eris. Eheu! sed mihi tum quam molliter ossa quiescent! Iterum iterumque valeto.

Cap. VIII. — *De libro Consensus evangelistarum, et de Fide ad Petrum S. Augustini.*

Lernææ paludi, hydrino capiti, seu certe rogo flagrante te comparaverim, quorum singula, aliud, quo crebrius obturatur sæpius erumpit; aliud, succiso

D uno mille capitibus pullulascit; alius, quo plura ligna voraverit, amplius voranda desiderat: Ita et tu, cum in uno tibi satisfecero, alia et alia nova et impossibilia debilissimæ cervici subeunda non exhorrescis, non times, non expavescis, non saltem misericordia motus desinis imponere. Apto ergo infirmos humeros gravi sarcinæ, pii provisoris mei est hac me quandocunque relevare. Quod tamen ita dictum noveris ante Deum, ut si quæ mihi fraterne injungere et non imperatorie volueris imponere, quoad vivam, ad voluntatem tuam cupio promptissimus esse. Ordinatione Dei (ut credo) non humana voluntate factum est quod libri sancti Augustini de Symphonia, ut ipse

illis nomen imposuit, vel anaphonia evangelistarum, A ut adversarii garriunt, incommemoratos reliqui, quatenus de his modo latius aliquid instruere te occasionem capiam. Primus itaque ex eis non de sui materia, sed de sequentibus nomen accepit; ipse enim, quodcunque ei vocabulum imposueris, omnia supergreditur. Quod si enim galeam vel thoracem Veteris ac Novi Testamenti nuncupare volueris, hoc nomen ipsi minus idoneum reperies, cum eum contra hæreticos et omnes idololatras, sed et falsos fratres clypeum æreum clavis aureis compactum et argento purissimo vestitum esse, seu nimium ignitum contra ligna arida, fenum, stipulamque (*I Cor.* III), didiceris, vel armamentarium omnimodi generis telorum adversus humanæ spiritualisque nequitiæ cœtum (*Ephes.* VI) oculis et experimento probaveris. De se- B quentibus autem quid loquar? qui ita veritatis ipsius ratione subnixi sunt ut si eos memoriæ commendaveris omnibus semper et ubique Evangelii contradictoribus ipse jam filius Evangelii contradicere possis; in quibus et multas sententias cum lucidissimis explanationibus positas invenies. Est etiam alius liber ejusdem Augustini de Fide ad Petrum diaconum ita dispositus ut, si eum firmiter comprehenderis, invictum te adversus omnes hæreses, quæ hactenus exortæ vel post orituræ sunt, reddat victoremque constituat.

CAP. IX. — *De libris S. Prosperi Aquit.*

Pulcherrimo operi Prosperi de Promissis et Prædictis Dei operam impende, quod ipsum noveris regulam omnium divinarum Scripturarum, quid in his C tantum historice factum, quid historice quidem factum, quid tantummodo futurum et quid in hoc tempore, quid sub Antichristo vel post ejus perditionem, quid in futuro sæculo reprobis et electis communiter prædictum, quid solis electis specialiter sit promissum. In quo volumine multa vera etiam ex libris ethnicorum de consummatione sæculi et commutabilium translatione utiliter inserta reperies Item libris ejusdem de Gratia et Libero Arbitrio acutissime intende, quos ille ex innumeris sancti Augustini et aliorum Patrum libris quasi in brevissima tabula quamdam, vel potius veram cosmographiam depinxit; quia videlicet homo non juxta philosophos minor est mundus, sed major, cum non homo propter mundum, sed mundus propter homi- D nem sit factus.

CAP. X. — *De iis qui vitas et passiones apostolorum ac martyrum conscripserunt.*

Præterea debes agones et victorias sanctorum martyrum diligentissime perquirere, ut eorum exemplo non tantum illecebras mundi respuere, sed et animam pro Christo ponere et cruciatus corporis pro nihilo ducere, Dei gratia et sancti Spiritus inhabitatione, consuescas: primumque præcipuorum apostolorum Petri et Pauli, Andreæ et Jacobi fratris Joannis, sed et Jacobi fratris Domini. Historiis vero quæ sunt de Andrea et Joanne, sed et passionibus reliquorum Apostolorum, auctoritatem derogat Ecclesia. Quarum tamen passionem Bartholomæi verisimillimam, seu certe veracissimam noveris. Historia vero de Petro et Paulo, et eorum discipulis Processo et Martiniano carcerariis, Nicomede presbytero, Nereo et Achileo, Marone, Victorino, Euticete, Marcello, Petronella, Felicula, Domitilla, Potentia et Euphrosyna, pro omnium ædificatione legitur. Sed et liber Hermæ, qui Pastor inscribitur, liber autem sub nomine Clementis respuitur. Post apostolos sequitur passio de sancto Clemente. Dehinc mirabilis liber de sancto Alexandro, Eventio et Theodulo, Hermete, Quirino et cæteris.

CAP. XI. — *De chronographis ecclesiasticis et bibliothecariis.*

Est et historia, quæ dicitur Ecclesiastica, Eusebii episcopi Cæsariensis, et Hieronymi nostri a nativatate Domini, non solum omnimodas per orbem terrarum sanctorum passiones continens, sed et alia quæcunque memoria digna videbantur usque ad ipsum Hieronymum, quid, quod mihi injunxisti, de paucis ipse scripsit librum de Illustribus Viris omnium a se ipso usque ad sanctum Petrum, commemorans quid singuli scriptum reliquerunt. Post quem, Gennadius Toletanus episcopus alium non dissimilem usque ad semetipsum composuit. Est et alia historia, quæ Tripartita nuncupatur pro eo quod Cassiodorus senator Romanus de tribus scriptoribus, Socrate videlicet, Sozomeno et Theodorito quæ præcipua videbantur in unum volumen compegit. Passionem sancti Laurentii si integram et non particulatim reperire quiveris, quanta bella et quot victorias martyrum invenies. Polychronii videlicet Babylonii episcopi de Perside cum presbyteris et diaconibus, regulorum quoque Abdon et Sennen, quando etiam non persecutione, sed vastitate per Decium facta Cæsarem abolita est in illis partibus religio Christiana. Qui Romam regressus ibi omnes Christianos quos invenire posset, diversis pœnis interemit. Sed, quod moliebatur, Christianum nomen auferre tanta cæde non potuit; quin etiam in Perside, licet multo post tempore, Christianitatis cultus per Cyriacum diaconum Romanum est recuperatus, temporibus scilicet Diocletiani Cæsaris et filiorum ejus, Maximini scilicet in Oriente et Maximiniani in Occidente, qui super omnes nestræ fidei fuere persecutores. Sed Ecclesiam super firmitatem fundatam petræ, licet concutere, tamen, quod præcipue cupierunt, dejicere nequiverunt, sicut neque post eos detestandus apostata Julianus. Quod cœlitus intercmpto, quasi post rigidissamam hyemem verni flores in terra nostra apparere cœperunt qui prius quasi in theca vel cortice clausi tenebantur, Basilius scilicet Cappadocum episcopus et fratres ejus mirabiles, Gregorius, Athanasius Alexandrinus episcopus, Joannes Constantinopolitanus episcopus. Deserta quoque omnia novos frutus edidere, Paulos quoque et Antonios, Macarios

utique, et Serapionas et viginti quatuor seniores cum infinita multitudine sub eorum umbraculo germinantium.

CAP. XII. — *Ecclesiam Occidentalem sanctorum multitudine Orientali nequaquam inferiorem esse docet Commendat lectionem Prisciani, Josephi et Hegesippi.*

Occidens etiam ipse, licet sero, tandem tamen aliquando in germen erupit, Martinum Pannoniis ortum,et non solum Germaniam, vel Italiam seu Gallias sua præsentia illuminantem,sed etiam omnes Orientales, ipsis testibus, claritate luminis superantem. Quos etiam magister ejus Hilarius corporaliter illustrandos adiit. Deo gratias. Credo quia æquiparaverit nostra tarditas eorum prioratum, cum intueor Ambrosium, Hieronymum, Augusti- B num, viventem nostrum, defunctum nostrum, ne sterilis Africa de tanta fecunditate se audeat jactitare ;Maximum,Clarum, Simplicianum, Eusebium, Aurelium, Severum, Severinum, Briccium, Paulinum Treverensem et Nolanum, quasi astri simul procedentes,et circa finem noctis alios multo plures quorum etiam nomina virtutum sunt præsaga ; Congellos scilicet qui interpretantur Fausti ;Columbas Columbanos, Gallos, Gregorium quintum, nomen Chrysostomi Græcis auferentem :Benedictos,Honoratos, Libertinos, Othmaros nostrum et Belgicum. Cæterum, si et gentilium auctores nosse desideras, Priscianum lege ; Josephi vero Judaici historias et Hegesippi nostri legendas. Et finem libello impono. Amen. Explicit.

B. NOTKERI BALBULI

SANCTI GALLI MONACHI

LIBER SEQUENTIARUM.

(Apud Pezium, Thesaurus Anecd. nov., tom. I, part. I.)

PRÆFATIO NOTKERI

AD LIUTWARDUM VERCELLENSEM EPISCOPUM.

Cum adhuc juvenculus essem et melodiæ longissimæ sæpius memoriæ commendatæ instabile corculum aufugerent, cœpi tacitus mecum volvere quonam modo eas potuerim colligare. Interim vero contigit ut presbyter quidam de Gemidia, nuper a Nordmannis vastata, veniret ad nos,antiphonarium suum secum deferens in quo aliqui versus ad sequentias erant modulati,sed jam tunc nimium vitiati. Quorum, ut visu delectatus, ita sum gustu amaricatus.Ad imitationem tamen eorumdem cœpi scribere. *Laudes Deo concinat orbis universus, qui gratis est liberatus.* Et infra : *Coluber Adæ malesuasor.* Quos cum magistro meo Ysoni obtulissem,ille studio meo congratulatus imperitiæque compassus quæ placuerunt laudavit; quæ autem minus,emendare curavit,dicens : Singulæ motus cantilenæ singulas syllabas debent habere. Quod autem audiens ea quidem quæ in *ia* veniebant ad liquidum correxi quæ vero in *le*, vel *lu* quasi impossibilia vel attemperare neglexi,cum et illud postea visu facillimum deprehenderim, ut testes sunt : *Dominus in Sina,* et *: Mater*. Hocque modo instructus [*al.* instructas] secunda mox voce dictavi *: Psallat Ecclesia, mater inlibata.*

Quos versiculos cum magistro meo Marcello præsentarem,ille gaudio meo repletus in rotulas eos congessit,et pueris cantandos aliis alios insinuavit. Cumque mihi dixisset ut in libellum compactos alicui primorum illos pro munere offerrem, ego pudore retractus nunquam ad hoc cogi poteram.Nuper autem a fratre meo Othario rogatus ut aliquid in laude vestra conscribere curarem,et ego me ad hoc opus imparem non immerito judicarem,vix tandem aliquando ægreque ad hoc animatus sum, ut hunc minimum vilissimumque codicellum vestræ celsitudini consecrare præsumerem.Quæ si in eo placitum vestræ pietati comperero, ut ipsi fratri meo apud dominum imperatorem sitis adminiculo, metrum quod de Vita sancti Galli elaborare pertinaciter insisto,quamvis illud fratri Salomoni prius pollicitus fuerim,vobis examinandum,habendum ipsique per vos explanandum dirigere festinabo.

INCIPIT LIBER SEQUENTIARUM.

Cap, I. *In galli cantu.*

Eia recolamus
Laudibus piis digna
Hujus diei carmina in qua
Nobis lux oritur gratissima.
Noctis inter nebulosa pereunt
Nostri criminis umbracula.
Hodie sæculo maris Stella
Est enixa novæ salutis gaudia.
Quem tremunt barathra
Mors cruenta pavet ipsa,
A quo peribit mortua.
Gemit capta pestis antiqua,
Coluber lividus perdit spolia.
Homo lapsus, ovis abducta
Revocatur ad æterna gaudia.
Gaudent in hac die agmina
Angelorum cœlestia :
Quia erat drachma decima
Perdita, et est inventa.
O Virgo nimium beata,
Qua redempta est natura :
Deus qui creavit omnia
Nascitur ex femina !
Mirabilis natura mirifice
Induta, assumens quod
Non erat, manens quod erat!
Induitur natura divinitas
Humana : quis audivit
Talia, dic, rogo, facta?
Quærere venerat pastor
Pius quod perierat :
Induit galeam, certat
Ut miles armatura.
Prostratus in sua propria
Ruit hostis spicula.
Auferuntur tela
In quibus fidebat ; divisa
Sunt illius spolia,
Capta præda sua.
Christi pugna fortissima
Salus nostra est vera.
Qui nos suam ad patriam
Duxit post victoriam,
In qua sibi laus est æterna.

Cap. II. — *In primo mane.*

Grates nunc omnes
Reddamus Domino Deo
Qui sua nativitate
Nos liberavit
De diabolica potestate.
Huic oportet ut canamus
A Cum angelis semper :
Gloria in excelsis.

Cap. III. — *In Natale Domini.*

Natus ante sæcula Dei Filius,
Invisibilis, interminus.
Per quem fit machina cœli, ac terræ,
Maris et in his degentium :
Per quem dies et horæ labant
Et se iterum reciprocant ;
Quem angeli in arce poli
Voce consona semper canunt
Hic corpus assumpserat fragile
Sine labe originalis criminis
De carne Mariæ Virginis,
Quo primi parentis culpam
B Evæque lasciviam tergeret.
Hoc præsens diecula loquitur,
Prælucida, adaucta longitudine,
Quod sol verus radio sui luminis
Vetustas mundi depulerit
Genitus tenebras.
Nec nox vacat novi sideris
Luce quod magorum
Oculos terruit scios.
Nec gregum magistris defuit
Lumen, quos præstrinxit
Claritas militum Dei.
Gaude, Dei Genitrix, quam
Circumstant obstetricum vice
Concinentes angeli gloriam Deo.
C Christe, Patris unice, qui humanam
Nostri causa formam assumpsisti.
Refove supplices tuos :
Et quorum participem te fore
Dignatus es, Jesu, dignanter
Eorum suscipe preces,
Ut ipsos divinitatis tuæ
Participes, Deus, facere
Digneris, unice Dei.

Cap. IV. — *In Natale santi Stephani martyris.*

Hanc concordi famulatu
Colamus solemnitatem,
Auctoris illius exemplo
Docti benigno
Pro persecutorum precantis fraude suorum.
D O Stephane, signifer Regis
Summe boni, nos exaudi
Proficue qui es pro tuis
Exauditus inimicis.
Paulus tuis precibus, Stephane, te
Quondam persecutus Christo credit.
Et tecum tripudiat in regno cui

Nullus persecutor appropinquat.
Nos proinde, nos supplices, ad te
Clamontes et precibus te pulsantes
Oratio sanctissima nos tua semper
Conciliet Deo nostro
Te Petrus Christi ministrum statuit,
Tu Petro normam credendi astruis
Ad dextram summi Patris ostendendo
Quem plebs furens crucifixit.
Te sibi Christus elègit, Stephane.
Per quem fideles suos corroboret,
Se tibi inter rotatus saxorum
Solatio manifestans.
Nunc inter inclytas martyrum
Purpuras coruscas coronatus.

Cap. V. — *In Natali sancti Joannis evangelistæ.*

Joannes, Jesu Christo multum
Dilecte virgo !
Tu ejus amore carnalem
In navi parentem liquisti :
Tu leve conjugis pectus
Respuisti, Messiam secutus,
Ut ejus pectoris sacra
Meruisses fluenta potare.
Tuque in terra positus gloriam
Conspexisti Filii Dei,
Quæ solum sanctis in vita creditur
Contuenda esse perenni.
Te Christus in cruce triumphans
Matri suæ dedit custodem ;
Ut virno Virginem servares
Atque curam suppeditares.
Tute, carcere flagrisque fractus,
Testimonio pro Christi es gavisus.
Idem mortuos suscitas inque
Jesu nomine venenum forte vincis.
Tibi summus tacitum cæteris
Verbum suum Pater revelat.
Tu, nos omnes sedulis precibus
Apud Deum semper commendans,
Joannes Christi chare.

Cap. VI. — *In Matale sanctorum Innocentum.*

Laus tibi, Christe, Patris
Optimi nate, Deus omnipotentiæ
Quem cœlitus jubilat super astra
Manentis plebis decus harmoniæ.
Quem agmina infantium sonoris
Hymnis collaudant ætheris in arce
Quos impius ob nominis odium tui
Misero straverat vulnere,
Quos pie nunc remuneras in cœlis,
Christe, quo pœnis nitide,
Solita usus gratia qui tuos ornas
Coronis splendide.
Quorum precibus sacris dele, precamur,
Nostræ pie crimina vitæ,
Et quos laudibus tuis junxeras nobis
Istic dones clemens favere.

A Illis æternæ dans lumen gloriæ
Nobis terrea concede vincere,
Ut liceat serenis actibus pleniter
Adipisci dona tuæ grtiæ ;
Herodis ut non fiat socius quisquis
In horum laude se exercet propere
Sed æternaliter cum eisdem catervis
Tecum sit, Domine.

Cap. VII. — *Id Epipnania Domini.*

Festa Christi omnis
Christianitas celebret,
Quæ miris sunt modis ornata
Cunctisque veneranda populis
Per Omnitenentis adventum
Atque vocationem gentium,
B Ut natus est Christus est stella
Magis visa lucida.
At illi non cassam putantes
Tanti signi gloriam
Secum munera deferunt
Parvulo offerant, ut regi,
Cœli quem sidus prædicat.
Atque aureo tumidi principis
Lectulo transito Christi
Præsepe quæritant.
Hinc ira sævi Herodis fervida
Invidi recens rectori genito
Bethlehem parvulos præcipit
Ense crudeli perdere.
O Christe, quantum Patri exercitum
C Juvenis doctus ad bella maxima
Populis prædicans colligis
Sugens cum tantum miseris.
Anno hominis tricesimo
Subtus famuli se inclyti
Inclinaverat manus Deus consecrans
Nobis baptisma in absolutionem criminum
Ecce Spiritus in specie
Ipsum alitis innocuæ uncturus sanctis
Præ omnibus visitat, semper ipsius
Contentus mansione pectoris.
Patris etiam insonuit vox pia
Veteris oblita sermonis :
Pœnitet me fecisse hominem.
Vere Filius es tu meus, mihimet
Placitus in quo sum placatus
D Hodie te, mi Fili, genui,
Huic omnes auscultate
Populi, præceptori.

Cap. VIII. — *In Purificatione sanctæ Mariæ.*

Concentu parili hic te,
Maria, veneratur populus
Teque piis colit cordibus.
Generosi Abraham tu filia,
Veneranda regia de Davidis
Stirpe genita.
Lætare, Mater et Virgo nobilis,
Gabrielis archangelico

Quæ oraculo credula
Genuisti clausa filium.
In cujus sacratissimo sanguine
Emundatur universitas
Perditissimi generis,
Ut promisit Deus Abrahæ.
Te virga arida Aaron flore
Speciosa te figurat, Maria, sine
Viri semine nato floridam.
Tu, porta frugiter serata, quam
Ezechielis vox testatur, Maria,
Soli Deo pervia esse crederis.
Sed tu tamen, matris virtutum
Dum nobis exemplum cupisti
Commendare, subisti remedium
Pollutis statutum matribus.
Ad templum detulisti tecum
Mundandum qui tibi integritatis
Decus, Deus, homo genitus
Adauxit, intacta Genitrix.
Lætare, quam Scrutator cordis
Et renum probat habitatu proprio,
Singulariter dignam, sanctam Mariam
Exsulta, cui parvus arrisit tunc,
Maria, qui lætari omnibus
Et consistere suo nutu tribuit.
Ergo, quique colimus festa
Parvuli Christi propter nos facti
Ejusque piæ matris Mariæ,
Si non Dei possumus tantam
Exsequi tardi, humilitatis
Forma sit nobis ejus Genitrix.
Laus Patri gloriæ, qui suum
Filium gentibus et populo
Revelans Israel nos sociat.
Laus ejus Filio, qui suo
Sanguine nos Patri concilians
Supernis sociavit civibus :
Laus quoque sancto Spiritui sit per ævum.

CAP. IX. — *In die sancto Paschæ.*

Laudes Salvatoris voce modulemur supplici
Et devotis melodiis cœlesti
Domino jubilemus Messiæ
Qui se ipsum exinanivit ut nos
Perditos liberaret homines.
Carne gloriam deitatis occulens
Pannis tegitur in præsepi, miserans
Præcepti transgressorem pulsum
Patria paradisi nudulum.
Joseph, Mariæ, Simeoni subditur,
Circumciditur et legali hostia
Mundatur, ut peccator, nostra
Qui solet relaxare crimina.
Servi subiit manus baptizandus
Et perfert fraudes tentatoris,
Fugit persequentum lapides.
Famem patitur, dormit, et tristatur
Ac lavat discipulis pedes,
A Deus homo, summus humilis.
Sed tamen inter hæc abjecta corporis
Ejus deitas nequaquam
Quivit latere signis variis
Et doctrinis prodita :
Aquam nuptiis dat saporis vinei :
Cæcos oculos claro lumine
Vestivit ; lepram luridam
Tactu fugat placido ;
Putres suscitat mortuos
Membraque curat debilia :
Fluxum sanguinis constrinxit
Et saturavit quinque de panibus
Quina millia ;
Stagnum peragrat fluctuans, ceu
Siccum littus ventos sedat ;
B Linguam reserat constrictam ;
Reclusit aures privatas
Vocibus ; febres depulit.
Post hæc mira miracula taliaque
Sponte sua comprehenditur, et damnatur
Et se crucifigi non despexit :
Sed sol ejus mortem non aspexit.
Fluxit dies, quam fecit Dominus,
Mortem devastans et victor suis
Apparens dilectoribus vivus
Primo Mariæ, dehinc apostolis,
Docens Scripturas, cor aperiens
Ut clausa de ipso reserarent.
Favent igitur resurgenti
Christo cuncta gaudiis.
C Flores, segetes redivivo fructu
Vernant, et volucres gelu tristi
Terso dulce jubilant.
Lucent clarius sol et luna
Morte Christi turbida.
Tellus herbida resurgenti
Plaudit Christo quæ tremula ejus
Morte se casuram minitat.
Ergo die ista exsultemus, qua nobis
Viam vitæ resurgens patefecit Jesus.
Astra, solum, mare jucundentur,
Et cuncti gratulentur in cœlis
Spiritales chori Trinitati.

CAP. X. — *Feria II.*

Pangamus Creatoris
D Atque Redemptoris gloriam,
Qui bene creatos, sed seductos astutia
Callidi serpentis sua refecit gratia,
Præducens futurum ut germen
Sancta proferret femina,
Quod hostis antiqui nociva
Exsuperaret capita,
Quod, primitus perdita, serius
Nostra cernunt sæcula,
Cum splendida flosculo virgula
Novo pollet Maria
Qui editus mire edidit miracula.
Nec juvenis tantum, sed statim inter

Suæ nativitatis primordia
Per sideris lumen, vel Simeonis verba
Judaica ad se vel corda, vel munera
Attrahens nutu gentilia.
Quem Pater in voce atque Spiritus
Sanctus specie glorificat
Visentes doctorem, vel archiatrum
Docent auctoritate sua.
Qui postquam salutis dona dedit
Multa doctrinæque perplura verba
Ore suo promulgavit saluberrima,
Ad probra, sputa, colaphos, et flagella,
Vestem quoque ludo quæsitam et spineum
Venit sertum, ad crucis brachia.
Qui hodie triumphali a mortuis
Resurgens sprevit victoria,
Ducens secum primitiva
Ad cœlos membra et nuper
Dispersa revocans ovilia,
Qui et nobis in fine speranda,
Licet ultima membra simus,
Spondet dona.

CAP. XI. — *Feria III.*

Agni Paschalis esu
Potuque dignas
Moribus sinceris præbeant
Omnes se Christianæ animæ,
Pro quibus se Deo hostiam obtulit
Ipse summus Pontifex.
Quarum frons in postis est [*Sic Cod.*], modum
Ejus illita sacrosancto cruore
Et tuta a clade Canopica;
Quarum crudeles hostes
In mari Rubro sunt obruti,
Renes constringant ad pudicitiam,
Pedes tutentur adversus viperas
Baculosque spiritales contra
Canes jugiter manu bajulent
Ut Pascha Jesu mereantur sequi
Quo de barathro victor rediit.
En redivivus, mundus ornatibus,
Christo consurgens fideles admonet
Post mortem melius cum eo Victuros.

CAP. XIII. — *Feria IV.*

Grates Salvatori ac
Regi Christo Deo solvant
Omnes incolarum incolæ
Quem spectatum diu jam tenent,
Et leges ejus mentibus
Captent promptulis
Quos derelicto populo delegit
Judæo de Abrahæ carne genito,
Et per fidem quos Abrahæ
Natos fecit et cognatos suum
Sanctum per sanguinem.
O Christe, consanguinee naturæ
Nostræ, nos fove
Atque, per divinam potentiam,

A Tuere ab omni insursu
Inimici et insidiis
Quem per carnis edulium
Delusisti hamo tuæ majestatis, Fili Dei.
Tu resurgens imperitas,
Non moriturus amplius;
Tu mortalem nostram et terream
Naturam resurgens incorruptivam
Fecisti, atque cœlis invexisti.

CAP. XIII. — *In Ascensione Domini.*

Summi triumphum
Regis prosequamur laude,
Qui cœli, qui terræ regit
Sceptra, inferni jure domito,
Qui sese pro nobis redimendis
B Permagnum dedit pretium.
Huic nomen exstat conveniens Idithun
Nam transilivit omnes strenue
Montes, colliculosque Bethel.
Saltum de cœlo dedit in virginalem
Ventrem, inde in pelagus sæculi.
Postquam illud suo mitigavit
Potentatu, tetras Phlegethontis
Assiliit tenebras.
Principis illius disturbato imperio,
Maniplis plurimis inde erutis
Mundum illustrat suo jubare,
Captivitatemque detentam inibi
Victor duxit secum,
Et redivivum jam suis se
C Præbuit serviset amicis
Denique saltum dederat hodie
Maximum, nubes polosque
Cursu præpeti transiens.
Celebret ergo populus hunc diem
Credulus, cujus morbida Idithun
Corpora in semetipso altis sedibus
Cœli invexit Dei Filius:
Et tremens judicem exspectet
Affuturum, ut duo angeli
Fratres docuerunt:
Qui Jesus a vobis assumptus est in cœlum
Iterum veniet, ut vidistis eum.
Nam Idithum nostrum vocibus
Sedulis omnes imploremus;
D Ut a dextris Patris, qui sedet,
Spiritum mittat nobis sanctum.
In finem sæculi ipse quoque
Semper sit nobiscum.

CAP. XIV. — *In die sancto Pentecostes.*

Sancti Spiritus
Adsit nobis gratia
Quæ corda nostra sibi
Faciat habitaculum
Expulsis inde cunctis
Vitiis spiritalibus.
Spiritus alme, illustrator hominum,
Horridas nostræ mentis

Purga tenebras·
Amator sanctæ sensatorum
Semper cogitatuum,
Infunde unctionem tuam,
Clemens nostris sensibus.
Tu purificator omnium
Flagitiorum Spiritus,
Purifica nostri oculum
Interioris hominis;
Ut videri supremus
Genitor possit a nobis,
Mundi cordis quem soli
Cernere possunt oculi.
Prophetas tu inspirasti, ut præconia
Christi præcinuissent inclyta.
Apostolos confortasti, ut trophæum
Christi per totum mundum veherent
Quando machinam per Verbum suum
Fecit Deus cœli, terræ, maris,
Tu super aquas foturus eas, numen
Tuum expandisti, Spiritus,
Tu animabus vivificandis
Aquas fecundas,
Tu, aspirando da spiritales
Esse homines.
Tu divisum per linguas mundum
Et ritus adunasti, Spiritus.
Idololatras ad cultum Dei revocas,
Magistrorum optime.
Ergo nos supplicantes tibi
Exaudi propitius, sancte Spiritus,
Sine quo preces omnes cassæ
Creduntur et indignæ Dei auribus.
Tu, qui omnium sæculorum sanctos,
Tui numinis docuisti instinctu,
Amplectendo spiritus;
Ipse, hodie apostolos Christi
Donans munere insolito
Et cunctis inaudito seclis,
Hunc diem gloriosum fecisti.

CAP. XV. — *De Natale sancti Joannis Baptistæ.*

Sancti Baptistæ, Christi præconis,
Solemnia celebrantes
Moribus ipsum sequamur,
Ut ad viam quam prædixit
Asseclas suos perducat.
Devoti te, sanctissime hominum,
Amice Jesu Christi, flagitamus,
Ut gaudia percipiamus
Apparens quæ Zachariæ Gabriel
Repromisit qui tuam celebrarent
Obsequiis nativitatem.
Et per hæc festa æterna gaudia
Adipiscamur,
Qua sancti Dei sacris deliciis
Læti congaudent.
Te, qui præparas fidelium corda
Ne quid devium vel lubricum
Deus in eis inveniat,
A Te deposcimus, ut crimina nostra
Et facinora continua prece
Studeas absolvere,
Placatus ut ipse suos semper
Invisere fideles
Et mansionem in eis facere dignetur,
Et Agni vellere quem tuo digito
Mundi monstraveras tollere
Crimina nos velit induere,
Ut ipsum mereamur angelis associi
In alba veste sequi per portam clarissimam,
Amice Christi Joannes.

CAP. XVI. — *In Natalitiis apostolorum Petri et Pauli.*

Petre, summe Christi pastor,
B Et Paule, gentium doctor,
Ecclesiam vestris doctrinis illuminatam
Per circulum terræ precatus adjuvet vester.
Nam Dominus, Petre, cœlorum
Tibi claves dono dedit.
Armigerum, Benjamin, Christus
Te scit suum, vasque electum.
Mare planta te, Petre, Christus
Conculcare tuæ dedit charitati;
Umbram tui corporis infirmis,
Debilibusque fecit medicinam.
Spermologon philosophos te,
Paule, Christus dat vincere sua voce.
Multiplices victorias tu, Paule,
Christo per populos acquisisti.
Postremo victis omnibus barbaris
C Ad arcem summi pergitis culminis.
Germanos discordes sub jugum
Christi pacatos jam coacturi.
Ibi Neronis feritas principes
Apostolorum, præliis plurimis victores,
Diversæ te, Petre et Paule,
Addixerat pœnæ mortis:
Te crux associat, te vero gladius
Cruentus mittit Christo.

CAP. XVII. — *De Natale sancti Benedicti abbatis.*

Sancti merita
Benedicti inclyta
Verendæ sanctitatis ac
Monachorum præsulis
D Pro posse atque nosse organa
Nostra concrepent.
Nursia felix tulit natum genitrix,
Domina mundi Roma fovit altrix.
Hic ergo præventus optimo sancti Spiritus dono.
Sophiam despexit humanam,
Nactus et angelicam.
Hic fide subnixus integra
Redintegravit confracta.
Incendia carnis edomat,
Cruce venenum effugat.
Vagæ mentis monachum
Reparat, fontem rivulat.
Ejus jussu de laci abdito ferrum enatat.

Transferte nos inter paradisicolas.
Per vos Patris cuncta
Complentur mandata quæ dat.
Ejusdem sophia compar quoque,
Pneuma, una permanens in usia
Qui estis administrantia
Deo millia millium sacra.
Vices per bis quinas bis atque
Quingenta vestra
Centena millena assistunt
In aula, ad quam rex ovem
Centesimam Verbigena,
Drachmamque decimam
Vestra duxit ad agalmata.
Vos per Æthra, nos per rura terrea
Pars electa harmonia vota.
Damus hinc per lyricas cytharas;
Quo post bella Michaelis inclyta
Nostra Deo sint accepta auream
Super aram thymiamata:
Quo in coæva jam gloria
Condecantemus alleluia.

CAP. XXV. — *De sancto Gallo.*

Dilecte Deo, Galle, perenni
Hominibusque, et cœtibus angelorum,
Qui Jesu Christi obediens
Arduæ suasioni
Prædia patris, gremium matris,
Conjugis curam, ludicra nati
Sprevisti, pauperem pauper
Dominum sequens,
Et crucem gaudiis prætulisti lubricis.
Sed Christus pretio centuplicato
Hæc compensat, ut dies iste
Testatur,
Dum tibi nos omnes filios
Dulci subdit affectu,
Sueviamque, suavem patriam
Tibi, Galle, donavit:
Necnon et judicem in cœlis apostolorum
Choro junctum te fecit sedere.
Te nunc suppliciter precamur, ut nobis
Jesum Christum, Galle, postules facere
Et locum corporis ejus
Pace repleas,
Ac tuos supplices crebra
Prece subleves,
Ut tibi debitam honorificentiam
Lætabundi semper mereamur solvere,
O Galle, Deo dilecte.

CAP. XXVI. — *In festo omnium Sanctorum.*

Omnes sancti seraphim,
Cherubim, throni quoque,
Dominationesque, principatus,
Potestates, virtutes,
Archangeli, angeli, vos decet
Laus et honores.
Ordines novenos spirituum beatorum,
Vos in Dei laudibus firmavit charitas,
A Nos fragiles homines firmate precibus
Ut, spiritales pravitates vestro
Juvamine vincentes fortiter
Nunc, et in ævum vestri simus digni
Solemnis interesse sacris.
Vos, quos Dei gratia vincere terrea
Et angelis socios fecit esse pole;
Vos patriarchæ, prophetæ,
Apostoli, confessores, martyres,
Monachi, virgines,
Et viduarum sanctarum omniumque
Placentium populos supremo Domino
Nos adjutorium
Nunc, et perenniter
Foveat, protegat, ut vestrum in die
B Poscimus gaudiorum vestrorum.

CAP. XXVII. — *In Natale sancti Martini episcopi.*

Sacerdotem Christi
Martinum cuncta per orbem
Canat Ecclesia pacis catholicæ,
Atque illius nomen omnis
Hæreticus fugiat pallidus.
Pannonia lætetur genitrix
Talis filii:
Italia exsultet alitrix
Tanti juvenis,
Et Galliæ trina divisio sacro certet
Litigio, cujus esse debeat præsul.
Sed pariter habere se patrem omnes
Gaudeant Turoni soli,
C Ejus corpus foveant.
Huic Francorum, atque Germaniæ
Plebs omnis plaudat,
Quibus videndum invexit
Dominum in sua veste.
Hic celebris est Ægypti Patribus, Græciæ
Quoque cunctis sapientibus,
Qui impares se Martini meritis
Sentiunt quoque ejus medicamine.
Nam febres sedat, dæmonesque fugat;
Paralytica membra glutinat;
Et mortuorum sua prece trium
Reddit corpora vitæ pristinæ.
Hic ritus sacrilegos destruit,
Et ad Christi gloriam
Dat ignibus idola.
D Hic nudis mysteria brachiis
Conficiens præditus et cœlesti lumine.
Hic oculis ac manibus in cœlum
Et totis viribus suspensus,
Terrena cuncta respuit.
Ejus ori nunquam Christus abfuit,
Sive justitia, vel quidquid
Ad veram vitam pertinet
Igitur te cuncti poscimus
O Martine, ut qui multa
Mira hic ostendisti,
Etiam de cœlo gratiam Christi nobis
Supplicatu tuo semper infundas.

Cap. XXVIII. — *In Natale sancti Otmari abbatis.*

Laude dignum sanctum canat
Otmarum Suevia mater
Tales nati profectu gratulans semper.
Hic velut sidus eximium
Placitus Deo
Inter fraternas caligines
Rutilans micat.
Hic Jesu Christi præceptis paruit promptus.
Hic ejus membris subvenit
Minimis largus.
Nunc suæ perfectæ vitæ se
Testem exhibet,
Debiles curando atque
Fovendo supplices.
Hunc jam cœtibus conjunctum
Sanctorum cuncti precemur,
Ut nos fragiles semper conciliet Domino Deo,
Qui regnat Trinitas sancta.

Cap. XXIX. — *De Natale sancti Columbani abbatis.*

A solis occasu
Usque ad exortum
Est cunctis nomen tuum
Deus, laudabile,
Qui inde novum solem
Mittis mira lege,
Qui lustrat orbem radiis
Et fotu terras vegetet.
Hic, Columbanus nomine,
Columbinæ vitæ fuit,
Dignus habere Spiritus sancti
Pignus in hac vita.
Hic terram cum Abraham reliquit
Et cognatos propter Deum;
Hic cum Joanne regis incestum
Increpare non metuit;
Huic pastum dat Deus
In deserto cum Moyse;
Huic cœlum obsequi est
Paratum cum Josue;
Hic feras mansuefecit et corvos,
Ut Helias et Daniel;
Hic persecutionem cum apostolis
Christi perpetitur;
Huic ipse veritatis hostis, nutu Dei,
Testatur quod hic veritatis
Cultor foret.
Nos ergo te deposcimus,
Beate, quo nos Domino tu commendes.

Cap. XXX. — *In Natale sancti Andreæ apostoli.*

Deus, in tua virtute
Sanctus Andreas gaudet et lætatur,
Eamdem comitatus.
Piscatio nati tui ipse primum
Factus piscator populorum
Myrmidones idololatras diu
Fluctivagos rite cepit fidei,
Iis legibus Achaiam tuis Deus,
A Victor illius subjugavit
Et tropæum Christi tui fixit
Ibi, bonum se ostentans militem;
Miraculis, virtutibus, doctrinis
Quacunque quæsita spolia
Tibi, o Rex, attulit,
Atque suo cruore triumphi inscripsit titulos
Tui regum, Domine.
Istum crucis socium et regni credimus
Christi Filii tui, atque fraterculum.
Nos igitur peccatis nostris
Gravati te, Deus, poscimus,
Ut illius, qui tua semper
Sectatus præcepta tibi placet,
Nos intercessions tuearis
B In æternum.

Cap. XXXI. — *De apostolis.*

Clare sanctorum
Senatus apostolorum, princeps
Orbis terrarum rectorque regnorum,
Ecclesiarum mores et vitam
Moderare,
Quæ per doctrinam tuam
Fideles sunt ubique
Antiochus et Remus concedunt
Tibi, Petre, regni solium.
Tyrannidem tu, Paule, Alexandrinam
Invasisti Græciam.
Æthiopes horridos, Matthæe,
Agnelli vellere
C Qui maculas nesciat aliquas
Vestisti candido.
Thoma, Bartholomæe,
Joannes, Philippe, Simon,
Jacobique pariles,
Andrea, Thadæe, Dei bellatores inclyti,
En vos, Occidens, et Oriens,
Imo teres mundi
Circulus se Patres habere
Gaudet et exspectat judices.
Et idcirco mundus omnis laudes
Vobis, et honorem sanctis debitum
Supplex impendit

Cap. XXXII. — *De martyribus.*

Agone triumphali
D Militum Regis summi dies iste,
Celebris est populis, Christo regi credulis.
Hi delectamentum respuerant
Mundanorum
Et crucem tunc turpem quotidie
Bajularunt.
Hos nullius feritas a Christo separat,
Quin ad eum mortibus
Millenis properent.
Non carcerullus, aut catena
Molliunt fortia in Christo pectora.
Sed nec ferarum morsus diri martyrum
Solidum excavant animum.

Non imminens capiti
  Gladius territat
Fortissimos milites optimi Domini.
Nunc manu Dei complexi persequentum
  Insultant furoribus,
  Quondam crudelibus;
Et Christi plebi solamen
  Suppeditant in cunctis
  Laboribus lubrici sæculi.
Vos, Chisti martyres,
Nos valde fragiles
Precibus nos justo judici sinceris
  Jugiter commendare curate

Cap. XXXIII. — *De uno martyre.*

Quid tu, virgo mater,
  Ploras, Rachel formosa,
Cujus vultus Jacob delectat?
Ceu sororis annicula
Lippitudo eum juvat.
Terga, mater, fluentes oculos.
Quam te decent genarum rimulæ!
Heu, heu, heu! quid me incusatis
  Fletus incassum fudisse,
Cum sim orbata nato, paupertatem
  Meam qui solus curaret?
Qui non hostibus cederet angustos
  Terminos quos mihi Jacob acquisivit,
Quique stolidis fratribus, quos multum
  Proh dolor! extuli, esset profuturus.
Nunquid flendus est iste,
Qui regnum possedit cœleste,
Quique prece frequenti miseris
  Fratribus apud Deum auxilietur?

Cap. XXXIV. — *De uno confessore.*

Rex regum, Deus noster colende,
Tu moderaris militiam Christianam,
Bellandi gnaros horribili
  Prælio destinando.
Consules scios reipublicæ,
Dando magistros tuis populis.
Nec enim falleris eligendi sapiens,
Quem cui subroges ministerio, Deus
Ex quibus est sacer iste sacerdos,
Qui in pace degens Ecclesiæ sanctæ
Consiliatus est qualiter
  Hostis irruptionem
Quæ solet incautos depopulari,
  Præmunivisset.
Iste hæreticis invisus atque paganis
  Necnon [*sic cod.*] rei omnium malorum,
Gaudet se Domini participatum tenere
  Hostes ejus perferens cum illo.
Tu nobis triticum
  Dispensator optime
Doctrinæ Domini impertire jugiter
Cœlestem quatenus
  Remeare patriam
Possimus abundantibus

A Alimoniis,
O miles Dei præcelse.

Cap. XXXV. — *De virginibus.*

Virginis venerandæ
  De numero sapientum
  Festa celebremus socii.
Filiæ Matris summi Regis
  Sacrosanctæ Mariæ,
Quam sibi in sororem Dei
  Adoptavit Filius.
Hæc corpus suum domuit
  Freno jejunii,
Et luxuriam secuit
  Ense agoniæ.
Isthæc contra cunctos mortis
B Dimicavit impetus,
Et hostem cruentum freta Christi
  Dextra straverat
Hæc Sponsum ab aula cœli
  Sese invisentem alacris
Corde jocundo secuta, ejus
  Est ingressa thalamum.
Tute jam dulcibus plena deliciis
Christo miseras nostras suggerito,
Nobis consolationem precando.

Cap. XXXVI. — *De sancta Trinitate.*

Benedicta semper sancta
  Sit Trinitas, deitas scilicet
  Unica, coæqualis gloria,
C Pater, Filius, Spiritus sanctus, tria sunt.
  Nomina, omnia eadem substantia.
Deus genitor, Deus genitus, in utroque
  Sacer Spiritus, deitate socius.
Non tres tamen dii sunt.
  Deus vere unus est. Sic Pater Dominus,
  Filius, Spiritusque sanctus.
Proprietas in personis, unitas
  Est et in essentia.
Majestas par, et potestas, decus,
  Honor æque per omnia.
Sidera, maria, continens arva,
  Simul et universa condita.
Quem tremunt impia tartara,
  Colit quoque quem et abyssus infima.
Nunc omnis vox, atque lingua
D Fateatur hunc laude debita.
Quem laudat sol, atque luna
  Dignitas adorat angelica.
Et nos voce præcelsa nunc omnes
  Jubilemus altithrono Domino
  Laudes in excelsis.
Eia et eia omnes simul
  Modulemur organica cantica
  Dulce melodia.
O veneranda Trinitas!
O adoranda Unitas!
Per te sumus creati, vera
  Æternitas,

Perte sumus redempti,
Summa tu Charitas.
Populum cunctum, salva,
Libera, eripe et emunda.
Te adoramus, Omnipotens, tibi canimus,
Tibi laus et Gloria.

CAP. XXXVII. — *Alia.*

Alma chorus Domini
Compangat nomina summi
Messias, Soter, Emmanuel,
Sabaoth, Adonai.
Est unigenitus via, vita,
Manus, homousion.
Principium, primogenitus
Sapientia, virtus.
Alpha, caput, finisque simul.
Vocitatus, id est ω.
Fons et origo boni Paracletus,
Ac mediator.
Agnus, ovis, vitulus, serpens,
Aries, leo, vermis :
Os, Verbum, splendor, sol,
Gloria, lux, et imago.
Panis, flos, vitis, mons, janua,
Petra, lapisque.
Angelus, et sponsus, pastorque,
Propheta, sacerdos :
Athanatos, ischyros, o Theos,
Pantocrator, isus.
Salvificet nos, sit cui secla
Per omnia δοξα.

CAP. XXXVIII. — *In natale sancti Dionysii Areopagitæ et episcopi sociorumque ejus.*

Exsultemus in ista.
Fratres, solemnitate, gaudeat pariter
Oomnis Ecclesia,
Diem annuum colens.
Qua Dionysius, præsul magnificus
Cum Rustico, et Eleutherio
Suis sociis,
Martyrii corona splendidus
Cœlum petit.
Hic Athenis quondam philosophus, et
A Arceopagita dictus,
Inter suos exstitit primus.
Sed istius primatus apicem,
Cunctampue gloriam mundi
Sprevit sancti monitis Pauli ;
A quo instructus atque baptismatis
Gratia lotus
Præsul et doctor plebi præponitur
Atheniensi.
Quam lucifer velut quidam
Radiens omnibus exuit
Errorum tenebris.
Ac dogmatis sacri lumen
Nuntiat patriæ, necnon
Et vicinis gentibus.
B Posthæc instinctus amore
Divino, et a præsule apostolico
Visitat gentes procul habitantes
Et ferocia regna Galliæ.
In quibus continuo prædicans,
Ac plurimos hominum
Convertent ad Dominum,
Postremo ab impiis capitur,
Et pro Christi nomine
Cum sociis plectitur.
O quam felix Parisiæ civitas,
Qua tanti martyris sepulta
Noscuntur ossa corporis !
Sed non minus Radaspona beata
Quæ nutu supero translata
Nunc ossa tenet eadem !
C Ergo jam utrumque populum,
Necnon omnes adjuvamen
Tuum rite quærentes,
Precibus commenda sedulis
Summo regi, venerande
Martyr, o Dionysi.

FINIS.

Alia manus, non tam sæculo XII *inferior, addidit in margine sequentia.*

In cœnobium istud transtulerat
Mortalium Rex invictissimus regum Arnolfus
Sanctissimi thesaurum corporis Dionysii.

B. NOTKERI CARMINA.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXXVII, col.* 40 *et seqq., in Appendice ad scripta sancti Galli.*)

B. NOTKERI BALBULI
SANCIT GALLI MONACHI
MARTYROLOGIUM.

(Apud Canisium, *Lectiones antiquæ*, tom. II, ex bibliotheca S. Galli.)

CANISIUS AD LECTOREM.

In codice ex quo hoc Martyrologium vulgamus, hoc adnotavit R. P. Jodocus Metzlerus, monasterii S. Galli professus, « Martyrologii hujus auctorem fuisse monachum S. Galli, manifestum est ex die

natalis S. Desiderii x Kalend. Junii ; ex die S. Columbæ confessoris v Idus Junii ; ex natali S. Galli, et ex festo dedicatæ basilicæ in honorem S. Galli. Item ex Indiculo N. P. Isonis, quem habes in vetustissimo codice rubro in fol. parvo et pergameno.

« Quod vero Martyrologii hujus auctor sit Notkerus, æque clarum fit ex alia quadam perantiqua scheda membranacea præfixa Martyrologio seu Kalendario Adonis in magno cod. Historiæ Scholasticæ, ubi veteris cujusdam Patris manu descriptæ leguntur historiæ S. Desiderii, Verenæ, etc., et quidem, ut ipsemet exscriptor testatur, ex Martyrologio Notkeri, quod aliud non est quam hoc nostrum, cum A historiæ illæ ad verbum cum exemplari nostro consentiant. Cum autem duo fuerint apud nos Notkeri scriptis celebres,aliter nimirum Balbulus,qui anno Domini 912 obiit ; alter Physicus, qui anno salutis 1032 mortuus est,priorem illum fuisse hujus operis parentem inde liquidum evadit,quod ipse superstes erat,quando Ado episcopus Viennensis reliquias S. Desiderii Martyris ad Monasterium S.Galli transmisit. Factum est autem hoc anno Redemptoris 870. Caret porro Martyrologium hoc mense Novembri et Decembri, et alicubi etiam aliquot diebus, nescio quo infortunio. » Hæc Metzlerus.

JACOBI BASNAGII DE NOTKERO OBSERVATIO.

I. *De Notkero episcopo Leodiensi.* — Plurimi fuere Notkeri eodem fere tempore : ab episcopo Leodiensi Notkero ordiamur ; quanquam ætate paulo recentior, dignitate fuit superior. Hunc monachum faciunt Benedictini auctoritate Magdeburgensis Chronici, in quo *præpositus monasterii Sangallensis* dicitur. Animadvertere debuerant illi erasse turpiter Chronici auctorem, qui Notkerum monasterii præpositum asserat ann. 1008 (Chapeaville, *Gesta pontif. Leod.*, t. I, p. 214) cum jam episcopus fuisset an. 971 : et revera plurima referuntur Othonis secundi diplomata, quibus Hoyensem comitatum variaque concessit Notkero, jam episcopo Leodiensi. Non igitur potuit esse monachus an. 1008, nec fuit unquam, Urbis Leodiensis fundator appellatur, quippe illam muris cinxit, ædificiis decoravit ; mosam in urbem induxit, litterarum studium invexit. Tantæ severitatis fuit in vitiosos, ut non modo canonicam, sed etiam sæcularem pœnam apud ipsum luerent. Quicunque peccator enim. C

> Ivit in exsillium, resipiscere ni properasset.
> Aut fregit collum, vel amatos perdidit artus.
> Talis erat reprobis, tam formidabilis omni
> Perjuro, etc.
>
> (*Anselm.*, *ibid.*, c. 58, p, 220.)

Talibus gestis formidabilem episcopum quis non timuisset ?

II. *De duobus aliis Notkeris.* — Alter fuit Notkerus abbas Sangallensis ; cum enim præfectura sponte cessisset Burchardus, ab Othone creatus est abbas Notkerus ea lege, ut nihil capitale absque nutu Burchardi adhuc viventis ageret. Eodem autem fere tempore præfecturam suscepit, ac alter Notkerus ad episcopalem sedem promovebatur. Abbas enim renuntiatus est an. 973, et obiit an. 981:

Hic abbas fuit nepos alterius Notkeri doctoris, pictoris, medici et poetæ, quem *piperis Granum*, ob acrimoniam vel morum severitatem nimiam, appellabant : hic cæcus obiit. Sæculo sequenti, undecimo D scilicet, vix alter Notkerus, *Labeo* dictus, et postea beati titulo decoratus. Denique sæculo decimo tertio fuit quintus vel potius sextus Notkerus, *doctissimi et benignissimi* nomine sæpius indicatus. Hi omnes a Notkero de quo nunc agendum diversi fuere.

III. *DE Notkero Balbulo.* — Balbuli titulo a cæteris distinguitur, iisque omnibus ætate fuit superior ; puer enim oblatus est ad sanctum Gallum an. 840, et ordines sacros recepit ; studiis incubuit sub Isone præceptore, qui ad an. 871 excessit e vivis. Illum Carolo Magno coævum fecit Eckerhardus et post illum scriptores plurimi. Non tam illorum quam Eckerhardi supinitatem mirare, qui Vitam Notkeri descripturus ipsius ætatem non noverat. Si credas huic panegyristæ, fuit propheta Notkerus, sæpius cum dæmonibus lusit et manus conseruit. Vix alia ab ipso discas. Obiit viii Idus Apriles an 912. Hoc B epitaphium an ejus tumulo fuerit insculptum dubitatur ; tamen a Bollandianis refertur.

> Ecce decus patriæ Notkerus dogma sophiæ.
> Ut mortalis homo conditur hoc timulo.
> Idibus Octonis hic carne solutus Aprilis.
> Cœlis invehitur, carmine suscipitur.

IV. *De Sequentiis Notkeri.* — De scriptis Notkeri hæc habet Eckerhardus in ipsius Vita, c. 33 : «Pater sanctus pauca scripsit præter Sequentias et alia modica. » Sed circa scripta Notkeri, ut in cæteris, peccasse videtur Eckerhardus ; qui enim ipsius martyrologium modicum opus potest appellare ? Quis vero ignoscat auctori quem latuit ille liber ?

Tribuuntur plurima Notkero Balbulo. Primo indubitatum est Sequentias composuisse, hoc est rhythmicas preces quæ cantari solent ante evangelium in festis solemnioribus. Hoc opusculum ut præcipuum notavit Eckerhardus. Observandum tamen illum in errorem etiam hic incidisse ; memorat enim Notkerum Sequentiam illam a se compositam : *Sanctus Spiritus adsit nobis gratia*, Carolo Magno misisse, qui in gratiarum actionem hymnum : *Veni Creator*, ipsius ore dictatum retribuit. « Talibus alis, *inquit* (*Eckerhard.*, *Vita Notkeri*, c. 18), solent pennata animalia se mutuo ferire, id est, perfecti viri et docti spiritali scientia eruditi solent se diversitate adhortationum exercitare ; sic sanctus Augustinus, B. Hieronymo, » etc. Quam fatue ! cum falsitatis dicam effugere non possit, et ex superius dictis pateat tale hymnorum commercium Notkero cum Carolo Magno, qui a longo tempore ex hoc sæculo migraverat, intercedere non potuisse.

V. *De variis ipsius operibus.* — Varia alia concinnavit opuscula Notkerus. Primo in gratiam amici Landberti, alphabeti litteras, quæ olim ad significandam modulationem inserviebant, elucidavit : secundo (*Id. ibid.*, c. 20), « transtulit, idem sanctus vir Psalterium de Latina lingua in barbaricam linguam, sicut hodie est in armario ; » hoc est, ad finem duodecimi vel ad initia decimi tertii sæculi ; hoc enim tempore scribebat Eckerhardus, cujus verba desumpsimus. Tertio varios composuit hymnos et carmina. Quarto inter illa occurrit fragmentum Vitæ S. Galli metrice scriptum. Sed asserit præterea Goldastus (*Rerum Alam.* t. II, p. 195), exstare in Palatinatu, apud viduam Wolfgangi Wecterii, *Historiam sancti Galli et subsequentium temporum ad suam usque ætatem in morem Ciceronianum, id est per dialogos.* Quinto tribuit eidem Notkero Goldatus chartas quasdam vice Weinhidardi cancellarii scriptas. Sexto libri duo de Gestis Caroli Magni sub nomine Sangallensis monachi exarati Notkero Balbulo vindicantur.

VI. *de Martyrologio.* Martyrologium quod attinet, indubio fuit a Notkero concinnatum, et inter ejus scripta primum jure merito locum tenet. Non video

cur dubitarit Pinus, in Nova Bibliotheca, an sæculo nono desinente vel decimo ineunte sit scriptum ; ipse enim tempus quo hunc laborem suscepit indicat VIII Kal. Maii. Scripsit scilicet Formoso Romanam sedem tenente. Non equidem primo pontificatus anno, sed aliquo ex subsequentibus. Sedebat Formosus an. 891 ; ideo hoc Martyrologium anno 894 assignavimus. Multa in eo possent observari, et A digunm est ut legatur ab eruditis. Germanis fuit in usu. De Anacleto refert VI Kal. Maiis ipsum a Petro presbyterum ordinatum idolis, vi coactum sacrificasse, deinde pœnitentia ductum martyrio fuisse coronatum imperante Domitiano. Quæ de lapsu Anacleti refert, unde hauserit nescio ; ipsum sub Trajano vel mortuum vel martyrem asserunt Platina, Balæus et plurimi.

IN NOMINE DOMINI

INCIPIT

MARTYROLOGIUM

PER ANNI CIRCULUM

S. P. N. NOTKERI, COGNOMENTO BALBULI, MONACHI SANCTI GALLI.

JANUARIUS.[1]

Mensis Januarii habet dies XXXI, *luna vero* XXIX.

KAL. JAN. — Octava nativitatis Dominicæ, qua die idem Dominus circumcisus est in carne, secundum legem Moysi, et nomen, ut Jesus vocaretur, accepit, quo vocatum est ab angelo, antequam conciperetur in utero (*Luc.* II).

Romæ natalis sancti Almachii martyris, qui jubente Alipio Urbis præfecto, cum diceret : « Hodie octavæ Dominici diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum sacrificiisque pollutis, » a gladiatoribus hac de causa occisus est.

Item Romæ sanctæ Martinæ virginis et martyris, qui sub Alexandro imperatore pro fide Christi multis tormentorum generibus cruciata, et ad extremum gladio est percussa : quæ etiam ferocitatem leonis numine habitantis in se Spiritus sancti mitigavit, et simulacra orando destruxit, ac multos ad fidem Christi convertit. Pro cujus vindicta imperator impiam vitam se ipsum lacerando finivit.

Eodem die apud Spoletum Tusciæ civitatem passio sancti Concordii presbyeri Romani de titulo Pastoris, temporibus Antonini imperatoris. Qui pro eo quod idolis sacrificare noluit, a Torquato comite capitalem sententiam accepit. Item Romæ via Appia Coronæ et militum triginta, qui sub Diocletiano Augusto pro confessione Christianæ fidei martyrio coronari meruerunt.

In Cæsarea metropoli Cappadociæ, depositio S. Basilii episcopi, qui Regulam fratrum et multa alia utilia conscripsit, et super multa mirabilia quæ B fecit, chirographum perditi hominis, quod diabolo fecit orando recipere meruit, et diem mortis suæ propter conversionem Joseph Hebræi distulit, et conscriptionem cujusdam nefandi sceleris etiam defunctus abolevit.

In Africa natalis sancti Fulgentii Ecclesiæ Ruspensis episcopi et confessoris. Qui tempore Wandalicæ persecutionis, ob catholicam fidem, et eximiam doctrinam, ab Arianis multa perpessus, et diu apud Sardiniam exsilio relegatus, tandem ad ecclesiam suam redire permissus, et vita et verbo clarus sancto fine quievit, annum sui episcopatus agens vicesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum.

Apud Alexandriam sanctæ Euphrosynæ virginis, C quæ orationibus patris sui Pafnutii de sterili matre pergenita, in puerili ætate constituta, clam se tonderi fecit, et monasticam vitam expetiit, Smaragdi sibi nomen imponens. Post etiam in conclusione viginti octo annis in omni sanctitate perdurans, tacta ægrotationis incommodo, et mortem sibi adesse cognoscens, manifestavit se religioso, et lacrymis multoties quærenti se jam patri. Cujus nomen et conversatio sub interpretatione castissimæ apud Romanos celebris habetur.

IV NON. JAN. — Octava sancti Stephani.

Romæ Telesphori papæ. Qui constituit ut septem hebdomadibus ante Pascha jejunium celebraretur, et in Nativitatis Domini nocte missa frequentaretur, et hymnus angelicus, id est *Gloria in excelsis Deo*, caneretur. Omni autem reliquo tempore, nullus ante D horam tertiam, qua Dominus traditur crucifixus, missam celebrare præsumeret. Hic etiam martyrio

coronatus, sepultus est juxta corpus S. Petri in Vaticano.

In Antiochia Macharii abbatis. Et in Ponto civitate Tomis, trium fratrum. Argei, Narcissi et Marcellini pueri. Item Tomis Phili episcopi. Qui sub Licinio Cæsare inter tirones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, et diu in carcere maceratus, et in cippo missus, deinde in mare demersus, martyrium consummavit. Cujus corpus ad littus delatum, et a religiosis viris depositum, magnis coruscat virtutibus.

Viennæ depositio B. Florentii episcopi.

In territorio Lugdunensi, monasterio Jurensium S. Eugendi abbatis, cujus vita virtutibus et miraculis plena refulsit.

III. Non. Jan. — Octava sancti Joannis Apostoli.

Romæ Antheri papæ et martyris, qui vicesimus post B. Petrum, duodecim annis rexit Ecclesiam, et martyrum gesta diligenter exquisivit. Passus est sub Maximiano, et in cœmeterio Callisti sepultus, via Appia.

Apud Parisium S. Genovefæ virginis, quæ a B. Germano Antissiodorensi episcopo Christo dicata, admirandis virtutibus et miraculis late claruit, et usque octoginta annos in Christi servitute consenuit.

II. Non. Jan. — Octana Innocentium.

Apud Cretam natalis sancti Titi apostolorum discipuli.

In Africa sanctorum Aquilini, Gemini, Eugentii [Eugenii], Martiani, Quinti, Theodoti, Tryphonis, præclarissimorum martyrum.

Eodem die apud urbem Romam sanctorum martyrum Prisci presbyteri et Priscilliani clerici, atque Benedictæ religiosæ feminæ, qui tempore Juliani impissimi Augusti gladio martyrium peregerunt.

Item apud Romam beatæ Daphrosæ uxoris Fabiani martyris, quæ post damnationem beati viri sui, primum relegata exsilio, deinde ab impio Juliano jussa est capite puniri.

Eodem die nativitas Theogenis martyris, qui sub Licinio Cæsare per Licentium tribunum passionem complevit. In Hellesponto primum inter quatuor columnas tensus, fustibus cæsus est, deinde in carcerem missus, ut ibi fame interiret. Sed Domini pietate invisibili cibo ibidem per quadraginta dies pastus. In laudibus Dei assidue manebat. Ad ultimum vero in mare missus, martyrizavit. Quem Eutychus et Eustochius et Zeticus tollentes de littore maris, sepelierunt in foro Hellesponti.

Ipso die passio Petri agnomine Balsami, qui sub Maximiano imperatore, agente Severo præside, suspensus et ungulis laceratus, ad extremum vero gladio percussus est, et in Aulona civitate sepultus est.

Eodem die passio Luciani presbyteri et martyris: qui missus a Roma prædicare verbum Dei in Galliis, post multorum conversionem ad Christum in eisdem partibus sub Juliano imperatore capite plexus est. Ad cujus sepulcrum multa ostenduntur miracula et sanitates plurimæ fiunt.

Non. Jan. — Vigilia Theophaniæ.

Hierosolymæ depositio S. Simeonis prophetæ, qui Dominum Jesum Christum Spiritus sancti illustratione cognitum, de manibus parentum in ulnas suas accepit, et non solum de eo, sed et de matre ejus futura mystico sermone prænuntiavit (*Luc.* II).

Apud Antiochiam, depositio sancti Simeonis monachi, admirandæ virtutis viri. Qui tertio decimo ætatis anno, huic sæculo abrenuntians, monasterii claustra expetiit. Ubi mira abstinentia, vix septimo die cibum sibi indulgens, Psalterium intra quatuor menses didicit; deinde nimia domandi corporis intentione, fune palmitio renes sibi constringens, duriter laniatus est. Unde in quodam puteo se recludens, sed ex eo a fratribus violenter ad monasterium reductus, clam fugiens eremum petiit. Ubi multo commoratus tempore, in columna editiori, sanctitate fervens, se conclusit. Ubi non modo extraneæ mulieri, sed nec propriæ matri, se videre permisit. Et usque hodie basilicam columnæ illius feminarum nulla ingreditur. Nam quædam mulier veste induta virili ingredi voluit, sed mox ut limen attigit, retrorsum mortua cecidit.

In Africa Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Januarii, Telesphori, Jocundi, Anastasiæ.

VIII. Id. Jan. — Epiphania Domini: quod interpretatur *manifestatio*. Apud Romanos autem eadem festivitas Theophania nominatur, ut ex compositione nominis, quod Dei sit apparatio manifestetur. Quo videlicet die magi, juxta prophetiam Balaam, cujus successores erant, dicentis: *Orietur stella ex Jacob et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, et erit Idumæa possessio ejus* (*Num.* XXIV); et iterum: *De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis* (*ibid.*), videlicet Ar, quæ nunc Areopolis dicitur: ex visione incognitæ prius stellæ in hora nativitatis Domini in oriente, id est domi, Hierosolymam versus conspectæ, in eadem regia civitate ex prophetia Michææ de loco nativitatis Christi certius edocti, ducatu ejusdem stellæ in Bethlehem puerum Jesum cum Maria matre sua invenientes, mysticis muneribus adoratum venerati sunt. Quod licet divino instinctu credatur actitatum, ut gentes quæ in vicinio erant, nativitatis Dominicæ ac propheticæ doctrinæ jam tunc participes fierent, tamen historica ratione et temporaria Christi dispensatione non caret, ut et Moabitarum duces apud parentes suspecti sibi quondam regis muneribus oblatis gratiam impetrarent, et eadem munera ad peregrinationem Ægyptiam prodessent. Neque enim iidem magi aut Chaldæi, aut Indi, aut denique Persæ, juxta quosdam fuerunt, et altero vel tertio nativitatis Domini anno eum adorandum venerunt, sed aut Moabitæ et Ammonitæ sive Madianitæ, sancto Hieronymo id ipsum astipulante, et tertio decimo nativitatis ejus die, non in Jerusalem sublimem sicut putaverunt, sed in Beth-

lehem humilem studio devotionis invenire, et spirituali remuneratione donari meruerunt.

Eodem die passio sanctæ Macræ virginis, quam cum Ricovarus [Rictiovarus] præses torqueri et in ignem præcipitari jussisset, illæsa permansit. Deinde mamillis abscissis, et squalore carceris afflicta, super testas acutissimas et prunas volutata orans migravit ad Dominum.

In Africa, Flori, Jocundi, Petri, Marci, Acutii, Januariæ.

In Syria, sanctæ Anastasiæ.

Medonis [Rhedonis] nativitas et ordinatio episcopatus, ac transitus sancti Melani [Melanii] episcopi et confessoris. Cujus corpori superposita in mediis ignibus illæsa reperta est palla.

VII Id. Jan. — Relatio pueri Jesu ex Ægypto. Et nativitas sancti Luciani Antiochenæ Ecclesiæ presbyteri et martyris, viri doctissimi atque eloquentissimi, qui Nicomediæ ob confessionem Christi passus, et in quatuor partes dissectus est: quibus in singulis lapidibus legatis et in mare demersis, alia die Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inventum honorifice sepultum est. Quam urbem cum prius Drepana vocaretur, in honorem ejusdem martyris Constantinus imperator instaurans ex nomine matris suæ Helenopolim nuncupavit.

Item apud Antiochiam B. Cleri diaconi, qui ob confessionem Christi septies tortus, et in carcere diu maceratus, ad ultimum decollatus martyrium consummavit.

Passio sanctæ Faustæ virginis, sub Maximiano imperatore, quæ Evilasium primum palatii, tortorem suum; patientiæ suæ virtute convertit ad fidem, necnon et præfectum cui jussum est eam torquere. Primum ergo suspensa et ferramentis lacerata, postea bestiis tradita, sed a nulla earum contaminata est. Deinde clavis caput ejus confixum est. Postea in sartaginem pice ferventem missa, sed non est læsa, sicque cum Evilasio et præfecto in tormentis constituta, reddidit spiritum: populi vero Christani hæc audientes, sepelierunt corpora sanctorum.

VI Id. Jan. — In Græcia, Poliecti [Polyeucti] et Palladii.

Neapoli Campaniæ nativitas S. Severini episcopi et confessoris, fratris beatissimi Victorini clarissimi in miraculis viri. Qui et ipse fratris imperator imitator], post multarum virtutum perpetrationem, sanctitate plenus quievit. Sepultus in eo loco ubi priusquam ad episcopatum vocaretur, abstinentissimus fuerat conversatus.

In Græcia, Rustici, Timothei et Jocundi.

Mellocia [Bellovaci] sancti Luciani, socii beati Dionysii. Item Messiani.

Metis, Patientis episcopi.

V Id. Jan. — In Mauritania, civitate Cæsariensi, passio S. Martianæ virginis et martyris.

Eodem die apud Antiochiam S. Juliani martyris, et Basilissæ virginis: qui locupletissimorum cura
A parentum, pro eo quod erant unici, renitentes et inviti specietenus in conjugio copulati, sed sanctissimo voto per aliquot annos pariter in virginitate manentes, monasteria de rebus suis in Antiochiæ municipiis instituerunt, ita multa et frequentia, ut Julianus ad decem millia monachorum Pater; Basilissa vero multarum virginum Mater existeret. Quas ante se ad regnum cœlorum præmittens, et ipsa subsequitur. Julianus vero postmodum a Martiano præside perquiritur. Quo tempore rabies crudelissima, ad persequendum sanctos Dei sub Diocletiano et Maximiano exardescens, multitudinem sacerdotum et ministrorum Ecclesiæ Christi propter immanitatem persecutionis ad eum confugere coegit. Comprehensus itaque cum hac ingenti multitudine ipse præsidis audientiæ est reservatus, cæteri servi Dei
B jussu crudelissimi ducis accenso igne, eisque apposito, in quo consistebant loco consumpti sunt. Ubi ad commodandam [commendandam] pretiosam mortem sanctorum, tertia, sexta, nona, sed et vespertina hora, psallentium Deo chori feruntur auditi. Beatus autem Julianus primum auditus rigidissimis fustibus cæsus est. Cumque cæderetur, unus ministrorum, præsidi necessarius, oculum amisit, quem, B. Juliano orante, illico recepit, et Christo credens, statim ab insano judice decollatur. Inde B. Juliano ducto ad fanum dæmonum, ad quingenta simulacra communita atque in pulverum sunt redacta: qui pro hoc [cum pro hoc] in profundissimum et obscurrissimum carcerem, cum Celso puero, præsidis filio, clauderetur, sed odore suavissimo et
C lumine mirifico donaretur, septem fratres et viginti milites, qui ad eos visitandi gratia venerunt, priores igni traditi, posteriores sunt gladio trucidati. Porro Julianus cum Celso puero, et Antonio presbytero, atque Anastasio diversis pœnis afflicti, et ipsi cum Marcionilla matrona a militibus sunt interempti.

IV Id. Jan. — Nativitas B. Nicanoris, unius de primis septem diaconis, apud Cyprum gloriose coronati ibique venerabiliter sepulti.

Apud Thebaidem nativitas sancti Pauli primi eremitæ, qui a sexto decimo ætatis suæ anno usque ad nonagesimum tertium solus in eremo permansit. Cujus animam inter apostolorum et prophetarum choros ad cœlum ferri ab angelis Antonius vidit. Romæ Melchiadis episcopi: qui constituit in ecclesia
D a fidelibus nulla ratione in diebus Dominicis jejunandum. Igini [Hygini) papæ, qui constituit clerum, et gradus ecclesiasticos distribuit.

III Id. Jan. — Eductio Domini de Ægypto, quæ secundum alios VII Id. Jan., secundum quosdam Non. Jan. propter multorum dierum profectionem celebratur. Apud Alexandriam SS. confessorum, Petri, Severi, Leuci.

In Africa nativitas S. Salvii martyris, in cujus natali S. Augustinus verbum fecit ad populum Carthaginis.

Pridie Id. Jan. — In Achaia Cyriaci. In Ægypto, Philoromi. In Arabia, Saturi qui transiens ante

[illegible] cujus [illegible] dal, signans sibi frontem, statim corruit; quam ob causam a judice [illegible] decollatus est. Eadem die nativitas S. Arcadii martyris, genere et miraculis clari.

Id. Jan. — Octava Theophaniæ. Romæ, via Lavinaca [Lavicana], Secundinæ, Coronæ, et militum quadraginta sub Gallieno imperatore. Pictavis, depositio S. Hilarii episcopi et confessoris, qui sub Constantio Augusto hæretico ob catholicam fidem quadrienno apud Phrygiam exsilio relegatus est. De quo inter alias virtutes refertur quod orando mortuum suscitaverit.

XIX Kal. Febr. — In Antiochia Glycerii diaconi, de antiquis multa tormenti [tormenta] passi et in mare demersi.

In Campania Nola civitate Felicis presbyteri: cujus episcopus Maximus cum persecutione territus fugisset in eremum, beatus Felix, captus et vinculis astrictus, ante præsidem est adductus et fustibus cæsus. Deinde in equuleo tortus, et in carcere vinculatus, et cocleis ac testulis superpositus: nocte ab angelo Domini confractis catenis, et scissa trabe qua pedes ejus astringebantur, sacerdotem suum requirere jubebatur. Quem cum senio prægravatum, fame consumptum, gelu constrictum, clausis oculis strictisque dentibus semivivum vixque spirantem ægre tandem aliquando reperisset, et non haberet quid defecto seni porrigeret, ecce subito de sentibus uvam dependere miratus, in os confessoris expressit, et refocillatum atque humeris impositum ad civitatem perduxit ac sub tugurio cujusdam viduæ clanculo pavit. Deinde captus et in exsilium trusus, cum multos ibidem per signorum ostensionem converteret: post inde regressus, cum iterum ad tormenta quæreretur, sed divina providentia occultatus, apud Nolam multis virtutibus illustrissimus emineret, adeo ut cunctus populus eum sibi pontificem postularent: non consensit, sed alio pro se ordinato, ipse nihilominus per duodecim annos Dei servitio insistens, Dominica die mysteriis confectis migravit ad Christum. Sepultusque est non longe ab urbe Nola, in loco qui dicitur Pincis.

In spoletana civitate nativitas Pontiani martyris, qui passus est temporibus Antonini imperatoris, sub Fabiano judice. Qui cum nollet idolis sacrificare, jussit eum virgis cædi crudelissime. Deinde nudis pedibus super carbones ardentes ambulare, postea duos ei leones immitti, a quibus cum nocitus non fuisset, liquefacto plumbo perfusus est; cumque nec in hoc læderetur, capite truncatus est.

XVIII Kal. Febr. — In Palæstina depositio Abacuc prophetæ, cujus reliquiæ simul cum ossibus Michææ prophetæ temporibus Arcadii et Honorii Augustorum, Domino revelante, repertæ sunt. Item Macharii abbatis, discipuli S. Antonii. Item B. Isidori, sanctitate vitæ, fide ac miraculis præclari.

XVII Kal. Febr. — Romæ, via salaria, in cœmeterio Priscillæ, nativitas S. Marcelli papæ. Hic fecit cœmeteria via Salaria, et viginti quinque titulos in urbe Roma constituit propter baptismum et pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis et propter sepulturas martyrum. Qui jubente Maximiano imperatore primo fustibus cœsus, et a facie ejus quem corripiebat expulsus est. Deinde audiens quod domum sanctæ Lucinæ, quam ipse proscriptione damnaverat, eo quod de facultatibus suis Christianis donaverit, ecclesiam faceret, atque in ea missas celebraret, in media civitate jussit in eadem ecclesia plancas sterni, ad animalia extabuli [catabuli] publici, et eumdem episcopum ad servitium animalium deputavit, cum custodia publica. Ubi etiam post multos annos serviendo, indutus amictus cilicino, defunctus est, et conditus aromatibus a Joanne presbytero et B. Lucina, sepultus est in cæmeterio Priscillæ.

Arelate S. Honorati episcopi et confessoris, cujus inter cætera miracula fertur quod draconem de Hilarina insula orando fugaverit, et ibidem monasterium fundaverit.

In pago vero Mandensi in Perona monasterio S. Fursei Hiberniensis. Qui de hoc sæculo raptus multa mirabilia conspexit, et reversus mortalibus admiranda narravit, ac postmodum in austera districtione demigravit.

XVI Kal. Febr. — In Ægypto apud Thebaidem, depositio B. Antonii monachi, qui sine ulla scientia litterarum, Scripturas divinas, et memoriter audiendo tenuisse, et prudenter cogitando intellexisse et inimitabilem vitam ac miraculis claram a pueritia usque ad decrepitam senectutem duxisse, et multos sanctitatis suæ discipulos reliquisse, toto orbe Christiano prædicatur. Obiit autem in pace sub imperatore Constantino, anno ætatis suæ centesimo quinto, et sepultus in eremo a suis discipulis, sicut ipse vivens præceperat, occultatus est. Cujus corpus, sub Justiniano imperatore divina revelatione repertum, Alexandriam delatum est, et in ecclesia B. Joannis Baptistæ humatum.

Lingonis nativitas sanctorum geminorum Speusippi, Elasippi et Melasippi [Eleusippi et Meleusippi]: qui cum essent viginti quinque annorum, cum avia sua Leonilla, et Jonilla, et Neone martyrio coronati sunt, tempore Aureliani imperatoris. Gemini quidem in una arbore suspensi, ligatis manibus sursum, pedibus vero jusum [*id est*, deorsum], ita extenti ut pene putarentur ab ipsa membrorum compage separari. Et post in ignem præcipitati, nec tamen flammis læsi: inter verba orationum simul migraverunt ad Dominum. Jonilla, hæc videns, confessa est se etiam Christianam, et comprehensa a turbis, a capillis snspensa, ac multis afflicta suppliciis, cum Christum negare noluisset, cum Leonilla est simul gladio perempta. Neon exceptor gestorum et ipse Christo nomen confessus martyrio coronatus est. Docuit autem et baptizavit geminos hos Benignus presbyter, quem misit ab Oriente B. Polycarpus Myrneorum [Smyrnæorum] episcopus, Joannis apostoli auditor, in Galliam cum Andochio com-

presbytero et Thyrso diacono. Sepulti sunt autem iidem gemini in secundo milliario ab urbe Lingonensi. Turbon quoque scribens victorias confitentium Dominum, non post multum temporis martyrium perpessus est.

XV Kal. Febr. — Cathedra S. Petri apostoli, qua primum Romæ sedit : cum enim idem princeps apostolorum Hierosolymis et in Cæsarea atque in cæteris civitatibus Judæorum primum prædicasset Evangelium, ad prædicandum postea gentibus missus, venit Antiochiam, ibique fundans Ecclesiam, præfuit eidem annis... [*apud Baron.*, annis septem]. Inde quoque pergens Romam venit secundo Claudii Cæsaris anno, ibique Evangelium instantissime prædicans viginti et quinque annis ejusdem urbis episcopatum rexit.

Item Romæ nativitas S. Priscæ virginis et martyris.

In Ponto nativitas SS. martyrum, Moysei et Ammonii : qui cum essent milites, primo ad metalla deputati, novissime vero igni deputati sunt.

XIV Kal Febr. — Hierosolymis nativitas sanctarum Marthæ et Mariæ sororum Lazari.

In Smyrna, sancti Germanici martyris, ad bestias damnati.

In Africa, Pauli, Quinti et plurimorum martyrum. Carthagine, Picariæ, Piæ et aliorum triginta octo.

XIII Kal. Febr. — Romæ Fabiani papæ, qui cum viginti quinque annis Ecclesiæ præesset, passus est tempore Decii et in cœmeterio Callixti sepultus. Hic regiones divisit diaconibus, et fecit ut septem diacones totidem notariis imminerent, ut gesta martyrum in integrum colligerent, et multas fabricas per cœmeteria fieri præcipit. In cujus electione fertur Spiritus sanctus in columbæ specie plurimis apparuisse. Item Romæ, eodem die, nativitas S. Sebastiani martyris, qui in tantum charus erat imperatoribus Diocletiano et Maximiano, ut principatum ei primæ cohortis traderent. Quem Diocletianus, ubi Christianum cognovit, nec a fide posse revocari, jussit ligari in medio campo, quasi signum ad sagittam, et sagittari a militibus. Qui cum, sagittis plenus, quasi hericius staret, putantes eum mortuum, abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier, nomine Hirene, tollere corpus, invenit eum viventem, et adduxit eum in domum suam, et curam ejus egit. Qui ubi convaluit, multos in fide confortavit. Nec mora ipsis imperatoribus apparens, eos prout digni erant corripuit. Tunc, jussit cum Diocletianus in hippodromum prlatii duci, et fustigari usque deficeret : quem mortuum in cloacam maximam miserunt. Sed ille apparuit in somniis sanctæ matronæ Lucinæ dicens : Juxta circum invenies corpus meum, pendens in unco, et dum levaveris, perduces ad Catacumbas, et sepelias me in crypta juxta vestigia apostolorum. Quæ ipsa nocte cum servis veniens totum ita complevit.

Eodem die Romæ SS. martyrum Marini Marii et Marthæ cum filiis suis Audifax et Ambacue [Abachum] nobilium de Perside qui ad orationem venerant Romam tempore Claudii principis. E quibus post toleratos fustes, equuleum, ignes, ungues, manuum præcisionem, Martha in nympha necata, cæteri decollati.

XII Kal. Febr. — Athenis Publii episcopi, qui cum Paulo apostolo, in iusulam naufragio ejecto, post patris sui a febribus et dissenteria curationem, non modicam humanitatem præstitisset, per ejus prædicationem ad Christum conversus, in tantum gratia Dei profecit, ut ab ipso Apostolo Atheniensibus ordinatus episcopus martyrio sit coronatus.

Romæ S. Agnetis, quæ sub præfecto Urbis Symphronio, pro eo quod Christi et virginitatis amore filium ejus maritum accipere noluisset : ad lupanar illusionis gratia perducta ac denudata, primum capillis suis contecta, deinde cœlesti veste donata, ipsum præfecti filium se impudentius appetentem, et ob hoc a diabolo præfocatum, orationis virtute suscitavit. Post hæc ignibus injecta, sed eis merito sanctitatis ejus exstinctis, gladio percussa est. Quæ postea parentibus suis inter multitudinem virginum auro textis cycladibus indutarum apparens, gloriam Dei, qua fruebatur in cœlis, aperta voce prædicabat in terris. In Hispaniis, civitate Tarracone, nativitas SS. Fructuosi episcopi, Augurii et Eulogii diacanorum. Qui tempore Gallieni imperatoris, sub Æmiliano præside, primo in carcerem trusi, deinde flammis injecti, exustis vinculis, manibus in modum crucis expansis orantes ut urerentur, obtinuerunt. Ex mox quidam e fratribus et filia præsidis, quæ astabat, viderunt sanctorum animas ad cœlum ascendere coronatas.

XI Kal. Febr. — Apud Trecas passio S. Patrocli martyris.

In Hispaniis nativitas sancti Vincentii diaconi et martyris : qui cum S. Valerio episcopo suo a Cæsareæ Augustana civitate Valentiam usque gravibus nexus catenis, jubente Datiano, perductus est ; ibique fame et squalore carceris diu maceratus, tormentis equulei et ungularum horrenda laceratione vexatus, etiam grabato ferreo diutissime ustulatus, arvinæ guttis et crepitante sale respersus est. Post hæc in teterrimum carcerem trusus, divaricatis in nervo cruribus, super acutissima testarum fragmenta projectus est. Ubi nocte lux ingens apparuit, et virtute Dei solutus martyr, inter angelos, a quibus visitari meruit, hymnum canebat, ita ut ipse custos carceris crederet Christo. Mane autem facto, cum misisset cum Datianus, et jussisset in lecto mollissimo reclinari, ut aliquantulum recreatus, acrius denuo torqueretur, infatigabilem spiritum Christo reddidit. Tunc Datianus corpus ejus in campum projici et feris atque avibus jussit exponi. Sed mox corvus divinitus ad custodiam ejus datus,

non solum aves alias arcebat, sed et immanem A lupum a sancto corpore repulit. Quod cum Datiano nuntiatum esset, jussit eum insutum culeo in profundum maris cum gravissimo saxi pondere demergi. Sed prius, virtute Dei super undas innatans, ad littus delatus et arenis conditus est, quam remiges portum tangere potuissent. Inde cum se sanctus martyr cuidam fideli anui revelasset, persecutionis rabie cessante, a Christianis reverenter sublatus, et in ecclesia tumulatus est.

Nativitas S. Anastasii monachi et martyris de Perside : qui post plurima tormenta carceris, verberum et vinculorum, quæ in Cæsaræa Palestinæ perpessus fuerat a Persis, postremo in Perside multa pœna afflictus, atque ad ultimum decollatus est a rege eorum Chosdroe cum aliis septuaginta. B Reliquiæ corporis ejus primo Hierosolymis ad monasterium, deinde Romam delatæ, venerantur in monasterio B. apostoli Pauli quod dicitur ad Aquas Salvias.

Ipso die in Galliis, civitate Ebreduno, sanctorum martyrum Vincentii, Orontii et Victoris.

X Kal. Febr. — Nativitas S. Parmenæ diaconi de septem primis : qui traditus gratiæ Dei a fratribus, injunctum officium prædicationis plena fide consummavit, et martyrii palmam adeptus Philippis quievit.

Romæ Emerentianæ virginis Christi et martyris, quæ erat collactanea S. Agnetis, et dum oraret ad sepulcrum ejus, ac simul orantes a gentilium læsione defenderet, lapidata est ab eis. C In Mauritania, civitate Neocæsaræa, nativitas S. Severiani et Aquilæ uxoris ejus ignibus combustorum.

IX Kal. Febr. — Nativitas sancti Timothei discipuli B. Pauli apostoli : qui apud Ephesum a beato apostolo episcopus ordinatus, post multos pro Christo agones dormivit. Cujus corpus cum reliquiis beati Andreæ et Lucæ vicesimo anno Constantinopolim translatum est.

Apud Antiochiam sancti Babylæ episcopi cum tribus parvulis : qui sub . . . . [*Apud Baron*, sub Decio] posteaquam frequenter passionibus suis et cruciatibus glorificaverat Dominum, gloriosæ vitæ finem est fortitus in vinculis ; et non longe a Castalio fonte sepultus, Apollinem in ipso ce- D leberrimo oraculorum suorum loco damnavit silentio.

In Nescæsaræa civitate nativitas sanctorum martyrum Mardonii, Musonii, Eugenii, Marcelli, qui omnes igni traditi sunt, et reliquiæ eorum in Axum fluvium dispersæ.

VIII Kal. Febr. — Romæ translatio S. Pauli apostoli, et conversio ejus apud Damascum ; et ibidem nativitas S. Ananiæ, qui eumdem Paulum baptizavit.

Alibi nativitas S. Projecti martyris. Constantinopoli, Gregorii Theologi.

Apud Gabalen civitatem, S. Severiani episcopi, admirandæ sanctitatis et doctrinæ viri.

VII Kal. Febr. — Nativitas sancti Polycarpi, qui beati Joannis apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Postea vero, regnante Marco Antonio et Lucio Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ sedente proconsule, et universo populo in amphitheatro adversus cum conclamante, igni traditus est. Sed flamma in modum cameræ curvata, specie quasi veli navis vento sinuati, supra corpus martyris stetit. Quod corpus in medio positum, non erat ut caro ardens, sed tanquam si aurum aut argentum in fornace candesceret. Tum præterea odorem naribus suis circumstantes hauserunt tanquam thuris incensi, vel pretiosissimi flagrantis unguenti. Ad ultimum, videntes sceleris ministri corpus igne non posse consumi, jusserunt propius accedere confectores, et corpus cui ignis cesserat, mucrone transfodere. Quo facto tam largus profusus est sanguis, ut restingueret rogum. Cum quo et alii duodecim ex Philadelphia venientes, apud præfatam urbem martyrio consummati sunt. Tunc etiam Germanicus athleta Christi insignis, ab bestias damnatus, et ultro ad devorationem sui provocans, veloci morte coronam adeptus est vitæ æternæ.

Eodem die sanctorum martyrum Theogenis cum aliis trigenta sex.

Item apud Biturigas beati Sulpitii episcopi et confessoris.

VI Kal. Febr. — In Africa nativitas S. Juliani, Vincentiæ et aliorum triginta duorum.

Nativitas S. Joannis episcopi Constantinopolitani, qui pro mira et pretiosissima doctrina Chrysostomus appellatur : quod Latine interpretatur *oris aurei* vel *os aureum habens*. Qui per multos agones vitam promeruit sempiternam.

Item Marii abbatis monasterii Badocensis, vita et virtutibus clari.

In Bethlehem Judæ dormitio Paulæ, matris Eustochiæ [Eustochii] virginis Christi. Quæ cum esset ex nobilissimo genere senatorum Romæ, abrenuntians sæculo, et opibus suis in pauperes erogatis, Christi consecuta est paupertatem, et apud præfatum oppidum. Dominica nativitate gloriosum, monasterii virginalis exstitit mater. Cujus Vitam virtutibus admirandam S. Hieronymus scribens, testatur eam longe coronatam esse martyrio. Ejusdemque petitionibus annuens, confecit plurima opuscula.

V. Kal. Febr. — Octava sanctæ Agnæ, vel, juxta quosdam, natalis geminus [geminus].

In civitate Appollonia, Leucii, Thyrsi, Gallinici martyrum. Qui temporibus imperatoris Decii sub præsidibus Cymbricio, Sylvano, et Baudo, diversis tormentorum generibus excruciati, primus et ultimus abscissione capitis, medius cœlesti voce evocatus

spiritum reddens, martyria consummaverunt in Græcia. A

Eodem die apud Alexandriam beati Cyrilli episcopi, qui catholicæ fidei præclarissimus exstitit propugnator.

In monasterio Reomanensi [Rhemensi], Hicanis [Joannis] presbyteri viri Dei.

IV Kal. Febr. — Romæ nativitas Papiæ et Mauri militum tempore Diocletiani : qui constantiam videntes Saturni et Sisinnii matryrum, conversi sunt ad fidem. Statimque jussum est a Laodicio præfecto Urbis, ut os eorum, quo Christum confitebantur, lapidibus contunderetur, et retunderentur [retruderentur] in carcerem, ubi erant baptizati ab Marcello papa. Quos potest dies duodecim eductos, jussit sterni in viam et fustibus cœdi ; deinde levatos de B terra plumbatis cædi donec exspirarent. Quorum corpora colligens noctu Joannes presbyter, sepelivit via Nomentana, ad nymphas beati Petri, ubi baptizabat. Scriptum in gestis beati papæ Marcelli.

Eodem die Triveris depositio beati Valeri episcopi, discipuli S. Petri apostoli.

III Kal. Febr. — Apud Antiochiam passio S. Hippolyti, qui novato [Novati] schismate aliquantulum deceptus, operante gratia Christi correctus, ad charitatem Ecclesiæ rediit. Pro qua et in qua, postea illustre martyrium consummavit.

Hierosolymis depositio beatissimi Matthiæ episcopi, de quo mira et plena fide gesta narrantur : qui octavus post Jacobum rexit Ecclesiam, et multa pro C Christo perpessus, ultimo in pace vitam finivit.

Item beati Alexandri ; hic Deciana persecutione pro confessione fidei judiciis sistitur et vinculis carceris traditur. Quique cum longævæ ætatis veneranda canitie præfulgeret, postquam frequenter passionibus suis et cruciatibus glorificaverat Dominum, de vinculis ad tribunalia, et a tribunalibus revocaretur ad vincula, inter ipsa vicissim sibi succedentia tormenta, bona fine quievit.

Item in Malbodio monasterio nativitas Adelgundæ virginis : quæ temporibus Dagoberti regis propositum elegit, et in quo permansit. Sæpiusque illi angelica visio revelata fuit, exhortans eam ut in proposito permaneret. Novissime vero cum magna claritate cœlestis luminis ad vitam migravit æter- D nam.

Pridie Kal. Febr. — Apud Alexandriam nativitas S. Metrani martyris: quem pagani correptum jubent impia verba proferre. Quod illo recusante, omne corpus ejus fustibus colliserunt. Vultumque et oculos acutis calamis terebrantes, extra urbem cum cruciatibus expulerunt. Inique quod in eo supererat spiritus, lapidibus ejecerunt.

Item Alexandriæ, Tarsitii, Zotici et Ammonii.

In Africa, Victoris, Publii, Saturnini et Polycarpi. Item Thyrsi, Gelasii et Gallinici.

Eodem die apud Trientinam [Tridentinam] urbem beati Vigilii episcopi et martyris.

FEBRUARIUS.

Mensis Februarius habet dies XXVIII., *lun.* XXIX, *in anno vero bissextili* XXX.

Kal. Febr. — Apud Antiocham S. Ignatii episcopi et martyris.

In Græcia, Polycarpi episcopi.

Ravennæ, S. Severi episcopi.

Apud Smyrnam nativitas S. Pionii martyris, qui persecutione Antonii [Antonini] Veri, post insuperabilem responsionum constantiam, et squalorem carceris, ubi multos fratrum ad martyrium suis exhortationibus roboravit ; ad ultimum cruciatibus multis vexatus, clavis confixus, et ardenti rogo superpositus, beatum pro Christo sortitus est finem. Passi sunt cum eo alii quindecim.

Eodem die, beati Effrem, Edessenæ Ecclesiæ diaconi.

In Hibernia nativitas S. Brigittæ virginis, quæ magnorum meritorum et sanctitatis esse prædicatur adeo ut cum lignum altaris in testimonium virginitatis suæ tetigisset, viride sit effectum.

Eodem die S. Pauli episcopi civitatis Tricassinæ cujus et vita virtutibus claruit, et mors pretiosa miraculis commendatur.

IV Non. Febr. — Hypapante Domini, vel purificatio beatæ Mariæ, quando Dominum Jesum cum hostiis secundum legem præsentavit in templo, et ipsum esse Christum Simeon et Anna in Spiritu sancto cognoverunt, et exspectantibus redemptionem Hierusalem prædicaverunt (*Luc.* I.)

Apud Cæsaream nativitas beatissimi Cornelii centurionis: cui cum preces et eleemosynæ suæ Deo acceptæ ab angelo nuntiarentur, mox ex admonitione ejusdem angeli, ad sanctum Petrum apostolum legatos direxit, ut ad salvationem subvenire dignaretur. Qui visione cœlitus delata edoctus, ne immunditiam gentilium abhorret, ad eum properans, et de fide Jesu Christi in auribus gentium disputans, ac Spiritum sanctum ex domo linguarum eos accepisse non dubitans, eos jussit baptizari, post conversionem multorum millium ex Judæis, has primas ex gentilibus primitias Deo consecrans. Qui Cornelius, relicta militia, apud præfatam urbem episcopi honore sublimatus quievit.

Romæ, sancti Aproniani commentariensis, qui a Sisinnio diacono Marcelli papæ baptizatus, a Laodicio præfecto Urbis capite truncatus est, temporibus Maximiani Augusti.

Item Romæ foro Sympronii, via Flaminia, milliario ab Urbe CLXIII, Laurentii, Hippolyti, et nativitas S. Fortunati.

In Africa, Victoris, Marini, Honorati, Urbani, Hilarii, Perpetui, Juliani, Privatulæ et aliorum septuaginta quatuor.

Aurelianis depositio B. Flosculi episcopi et confessoris, et Sichariæ virginis,

III Non. Febr.— In Sebastia civitate Cappadociæ passio S. martyris Christi Blasii episcopi, qui sub Agricolao præside capite truncatus est :cum duobus puerulis,filiis unius mulieris, de illis septem quæ, per prædicationem ejus confortatæ,sub eodem præside martyrizaverunt.

In Africa beati Celerini diaconi et confessoris, et sanctorum martyrum Celerinæ aviæ ejus, et Laurentini patrui, et Ignatii avunculi ipsius.

Lugduni depositio S. Lupicini episcopi.

Pridie Non. Febr. — In Foro Sympronii nativitas sanctorum Gemini,Gelasii,Nannii [Magni],Aquilini [Aquili] et Donati.

In civitate Ægypti,quæ appellatur Thynius (Thmuis] passio beati Phileæ ejusdem urbis episcopi, et Philoromi tribuni militum Romanorum : qui constantiam episcopi admiratus,et eam laudibus prosecutus, pariter cum eo capite plexus est. Cum quibus etiam innumera multitudo fidelium ex eadem urbe pastoris sui vestigia sequens,persecutione martyrio coronata est.

Non. Febr. — In civitate Patris ordinatio episcopatus S. Andreæ apostoli.

In Sicilia, urbe Catina,passio S. Agathæ virginis sub Decio imperatore, proconsule Quintiano : quæ post alapas et carcerem, post equuleum et tortiones,post mamillarum abscissionem, sed a Domino sanationem,post volutationem in testulis et carbonibus, tandem in carcere consummata est.

Viennæ, beati Aviti episcopi.Cujus fide et industria atque admirabili doctrina,tempore Gundebaldi regis, ab infestatione Arianæ hæreseos Galliæ defensæ sunt.

VIII Id.Febr.— Romæ via Appia in ejusdem cœmeterio passio S. Sotheris virginis et martyris.

Apud Cæsaream Cappadociæ nativitas S. Dorotheæ virginis ; quæ cum duobus sororibus Christe et Calliste, quæ a fide nuper apostatabant,victæ doloribus, commendata esset, ut eam averterent a Christo,ipsas iterum convertit ad Christum : ita ut a præfecto in cupam ferventem missæ, ad martyrii palmam pervenerint. Postea vero ipsa sub Sapricio provinciæ ipsius præside, primum, equulei extensione vexata,dein palmis diutissime cæsa, ad ultimum capitali sententia punita est.Cumque egrediens de prætorio duceretur ad mortem, Theophilus quidam scholasticus ait ad eam. « Eia tu,sponsa Christi, mitte mihi mala de paradiso Christi tui. » Quæ statim promisit se esse missuram.Ubi ergo ventum est ad locum in quo jugulanda,erat,pauper[parumper oratione facta,protulit orarium suum, et vocato ad se quodam puerulo annorum sex,misit Theophilo,dicens ; « Dic ei : Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de paradiso Christi sui. »Accipiens ille et gratias agens quod petitionem ejus implesset,cœpit sibi faciem tergere.Tantaque repente suavitate perfusus est,ut tota mente mutatus cum grandi exsultatione,et clara voce sæpius replicaret : « Benedictum nomen Domini Jesu Christi.» Ob quam confessionem mox et ipse tentus ac suspensus in equuleo, tanta credulitate tortus est,ut omnes circumstantes exhorrescerent.Novissime vero cæso capite martyrium consummavit.

Eodem die nativitas Antholiani,qui apud urbem Arvernam martyrio coronatus.

In Gallia, civitate Aderato [Atrebati], depositio sancti Vedasti episcopi et confessoris.

In Hellone monasterio depositio S. Amandi episcopi et confessoris.

VII Id. Febr. — In Britanniis sancti Moyseis vel Moysis venerabilis episcopi. Qui primo quidem in eremo vitam solitariam ducens,meritis et virtutibus ac signis quæ faciebat per illum Dominus,magnifice innotuerat.Quique postea, petente Mauvia Saracenorum regina,episcopus illius gentis factus, fidei catholicæ custodivit intemerata consortia,et gentem cui datus fuerat episcopus ex grandi parte ad fidem Christi convertit :sicque in pace perfectus in virtutibus quievit.

VI Id Febr. – In Armenia Minore nativitas sanctorum Dionysii, Æmiliani et Sebastiani.

Eodem die apud Alexandriam nativitas sanctæ Cointhæ martyris:quam pagani correptam ad idola perducentes adorare cogebant.Quod cum illa exsecrans recusaret,vincula pedibus ejus innectentes,et per plateas totius civitatis eam trahentes, horrendo supplicio discerpserunt.

Romæ depositio S. Pauli episcopi et Julii papæ.

V Id. Febr. — Suevo [Soli] apud Cyprum nativitas Alexandri et Ammonis.Item Ammonis et aliorum triginta septem.

Alexandriæ Apolloniæ virginis : cui persecutores omnes dentes excusserunt ; deinde, constructo ac succenso rogo,cum comminarentur vivam se eos esse incensuros, nisi cum eis impia verba proferret,illa paulum quid intra semetipsam deliberans, repente se de manibus impiorum prorupit, et in ignem quem minabantur sponte prosilivit.

IV Id Febr. — Romæ nativitas sanctorum martyrum Zotici, Hireni, Jacinthi et Amantii.

Item Romæ, via Lavicana, militum decem.

Eodem die in Oriente sanctæ Sotheris virginis, quæ graviter et diutissime alapis cæsa,cum cætera quoque pœnarum genera vicisset,gladio martyrium consummavit.

In Campania sancti Sylvani episcopi et confessoris.

In Bethlehem civitate Judæ,sub Herode rege,passio sanctorum Andreæ et Aporii.

Sanctonis civitate depositio sancti Trojani episcopi et confessoris,et Baldegundis abbatissæ.

Eodem die depositio sanctæ Scholasticæ virginis, cujus animam frater ejus,sanctus Benedictus abbas vidit in columbæ specie cœlos petere. Quod fratribus,matutinorum hymmis expletis,intimavit et Deo gratias inde retulit.

III Id. Febr. — Romæ Calocerii et Parthemii.

In Apamia Pæonis et Eufraxii.

Apud Lugdunum Desiderii episcopi et martyris, qui beatus vir, passus quidem est in Prisciniaco villa, territorio Lugdunensi, x Kal. Junii. Translatus est autem Viennam in civitatem sui episcopatus.

Alexandriæ, depositio S. Euphrosynæ, quæ in monasterio mira virtute abstinentiæ et miraculis etiam claruit.

Pridie Id. Febr. — In Hispaniis, civitate Barcillone, nativitas S. Eulaliæ virginis et martyris: quæ passa est tempore Diocletiani imperatoris sub præfecto Hispaniarum Datiano; quando sub eodem apud Barcillonem sanctum Cucufatem, et apud Gerundam sanctum Felicem, gloriosas constat martyrii accepisse coronas.

In Africa passio S. Damiani militis.

Alexandriæ Modesti et Ammonii infantum.

Romæ Gregorii papæ secundi, qui rexit Ecclesiam sedecim annis, Leonis et Constantii imperatorum temporibus. Qui vir castus, et in divinis Scripturis eruditus, in Germaniam per Bonifacium episcopum verbum salutis prædicavit. Idemque, ut in quadragesimali tempore, quinta feria jejunium atque missarum celebratio fieret, quod non agebatur, instituit.

Id. Febr. — Apud Antiochiam nativitas S. Agabi prophetæ; de quo in Actibus apostolorum refertur (*Act.*, xi, xxi) quod et magnam famem et passionem Pauli apostoli prædixerit.

In Militena Armeniæ nativitas S. Polyeucti martyris, qui Latine interpretatur *multum orans*.

Lugduni depositio S. Stephani episcopi.

XVI Kal. Martii. — Romæ nativitas S. Valentini presbyteri, qui post multa sanitatum et doctrinæ insignia fustibus cæsus, et sic decollatus est sub Claudio Cæsare.

Eodem die Romæ passio S. Valentini Interamnensis episcopi. Qui tentus a paganis ac virgis cæsus, et post diuturnam cædem custodiæ mancipatus, cum superari non posset, mediæ noctis silentio, ejectus de carcere, decollatus est, jussione furiosi Placidi Urbis præfecti. Quem cum discipuli ejus Proculus, Ephebus et Apollonius ad civitatem suam retulissent, et hoc consulari Leontio nuntiatum fuisset, jussit eos capite cædi. Qui non sunt longe a corpore S. Valentini sepulti.

Item Romæ, via Ardeatina, Feliculæ, Vitalis Zenonis.

In Egea civitate S. Juliani.

Apud Alexandriam nativitas sanctorum martyrum Bassi, Antonii, Protolici, qui in mare mersi sunt. Item Cyrionis presbyteri, Moyseos, Bassiani lectoris, Agathonis exorcistæ, qui omnes igni combusti sunt.

Item Dionysii et Ammonii decollatorum.

XV Kal. Mart. — Romæ Cratonis martyris: qui cum haberet filium Chæremonem nomine, qui inciderat in ægritudinem gravissimam, ad cumque sanandum B. Valentinum Interamnensem episcopum evocasset, eidemque ipsum sub tali conditione A obtulisset, ut si puer sanaretur, ipse cum omni domo sua fieret Christianus, sanato puero, ipse quod promiserat implevit; atque cum uxore et universa domo baptizatus, non post multos dies martyrio consummatus est.

Interamnis, sanctæ Agapæ [Agapis] virginis.

In Brixia, Faustini martyris.

In Antiochia, Josephi diaconi.

Apud Sebasten civitatem passio S. Blasii episcopi. Qui multorum patrator miraculorum sub præside Agricolao post diutinam cæsionem, post carcerem, atque inde suspensionem in ligno ubi pectinibus ferreis carnes ejus disruptæ sunt; postea iterum teterrimum carcerem, post demersionem in lacum; unde supernatans salvus exivit: jubente iniquissimo B judice capite ad extremum cum duobus pueris truncatur, felicia regna una cum ipsis ingressus. Ipso autem adhuc agonizante septem mulieres beatissimæ, quæ guttas sanguinis ejus profluentes de beatissimis plagis corporis ipsius colligebant, deprehensæ quod essent Christianæ, post caminum ignis, ubi plumbo superinfusæ sunt, post pectines ferreos, quibus carnes earum disruptæ, post æreas tunicas excandentes, novissime data sententia gladio percussæ, datoque pretio sanguinis, vitam merebantur æternam.

XIV Kal. Mart. — Nativitas S. Onesimi, pro quo B. Paulus apostolus Philemoni familiares litteras mittit. Quem idem beatus apostolus episcopum ordinans, eique prædicationis verbum committens, apud Ephesiorum civitatem reliquit. Cui episcopus post B. Ti- C motheum et ipse præsedit. Qui Romam perductus, atque ibi pro fide Christi lapidatus, sepultus est ibi primum Christi martyr. Inde ad loca ubi fuerat ordinatus episcopus corpus ejus delatum.

In Cumis nativitas S. Julianæ virginis. Quæ temporibus Maximiani imperatoris, primo a patre suo Africano cæsa et graviter cruciata est, deinde et a præfecto Eleusio, quem sponsum habuerat, nuda virgis cæsa, et a capillis suspensa, et plumbo soluto a capite perfusa, et rursum in carcerem recepta, ubi palam cum diabolo conflixit; et rursum evocata, rotarum tormenta, flammas ignium, ollam ferventem superavit, ac decollatione capitis martyrium consummavit. Quæ passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus, Deo disponente, in Cam- D paniam translata.

Eodem die in Ægypto Juliani cum aliis numero quinque millibus.

In Hispania, civitate Barcillone, S. Cucufatis martyris.

In Africa, sancti Maximi.

Item Secundæ, Sauli [Seleuci].

XIII Kal. Mart. — In Perside nativitas B. Polychronii martyris, Babyloniæ, et Ctesifontis episcopi. Qui præsente Decio imperatore, os lapidibus cæsus, manibus extentis, oculis ad cœlum elevatis, emisit spiritum. Scriptum in passione S. Laurentii. In Africa sanctorum Donati et Secundiani. In Aquilea

Crysanthi, Eutychii, Concordiæ, Justi, Romuli, Salonis, Sylvani et aliorum octoginta quatuor, quorum nomina Deus scit. Alibi Januarii, et aliorum valde multorum.

XII Kal. Mart. — Hierosolymis B. Simeonis episcopi et martyris, qui traditur propinquus Salvatoris fuisse secundum carnem. Constat tamen quia de Cleopha cujus filius fuit, frater erat Joseph.

Eodem die nativitas sanctorum martyrum Claudii et uxoris ejus Præpedignæ, et filiorum Alexandri et Curiæ, et fratris Claudii B. Maximi : qui cum essent præclarissimi generis, agente fratre eorum Gabinio presbytero, baptizati sunt a B. Gaio pontifice Romano. Et postmodum tenti, jubente Diocletiano, a judice Julio. Et Claudius quidem cum uxore sua et filiis deportatus in exsilium ; deinde incendio concremati, odoriferum sacrificium martyrii Deo reddiderunt. Ac si postmodum apud Ostiam in reuma jactati sunt : quorum reliquias Christiani perquisitas, juxta civitatem sepelierunt.

In Africa, Rutuli, Sylvani, Classici, Secundini, Fluctuli [Fructuli], Damasi.

Interamnis Pauli et aliorum multorum.

XI Kal. Mart. — Romæ nativitas S. Gabinii presbyteri, patris beatissimæ Susannæ, qui a Diocletiano diu in custodia vinculis afflictus, pretiosa morte cœli gaudia meruit.

In Africa, nativitas B. Publii, Juliani, Marubi [Marcelli].

Item Juliani, Barachei, Pauli, Marcelli. Tulii, Lampasii, Majuli, Julii.

X Kal. Mart. — Romæ, via Appia, in cœmiterio Callixti depositio Gaii episcopi.

Apud Cyprum nativitas Potamii, Nemesii et Didymi.

Alibi Victoris et Coronæ, et aliorum viginti.

Apud Tyrum, quæ est urbs maxima et celebris Phœnicis, beatorum martyrum quorum numerum Dei sola scit scientia. Quos, jubente Diocletiano, Veturius magister militiæ diversis tormentorum generibus sibi invicem succedentibus occidit. Primo flagris per omne corpus martyres Dei carpebantur ; post hæc tradebantur ad bestias, adhibebantur leones, ursi, pardi atque ferarum genus, equi quoque et tauri ; quibus ferro et igni feritas addebatur. Sed cum nulla ferarum eos læderet, furor belluarum transit in homines, et cum gladiis peragerent quod bestiis nequiverunt, etiam cadavera occisorum marinis fluctibus immiserunt. Quorum primi et prævii fuerunt Tyrannio et Sylvanus episcopi, qui parvo tempore interposito bestiarum dentibus martyrium compleverunt ; et Peleus et Linus episcopi, qui cum plurimis clericis igne consumpti sunt. Zenobius presbyter quoque venerabilis capite fuit cæsus.

IX Kal. Mart. — Apud Siciliam martyrum septuaginta quatuor. Qui sub Diocletiano per diversa tormenta confessionis suæ coronam a Christo sibi paratam percipere meruerunt.

In Africa sanctorum Veruli, Secundini, Servuli, Syricii, Felicis, Jocundi, Saturnini, Fortunati et aliorum septemdecim.

Alibi Victorini, Mappalici et plurimorum aliorum martyrum.

Item depositio Eucherii episcopi.

VIII Kal. Mart. — Apud Antiochiam Syriæ cathedra S. Petri apostoli.

Apud Alexandriam Abilii episcopi, qui post B. Marcum secundus episcopus tredecim in annos sacerdotium administravit.

Apud Hierapolim, S. Papiæ episcopi, auditoris S. Joannis apostoli.

Item B. Aristionis, qui unus fuit de septuaginta duobus discipulis Christi.

In Nicomedia nativitas sanctæ Teglæ [Teclæ] virginis, discipulæ S. Pauli apostoli, quæ sub Nerone imperatore pro Christi nomine igni est tradita, sed non est usta. Postea vero bestiis atque serpentibus deputata et projecta est, sed a nullo eorum est læsa. Ad extremum vero in Seleucia cum virginitatis martyrio atque virtutum honore per somnum pacis migravit ad Dominum.

Romæ via Tiburtina ad S. Laurentium nativitas S. Concordiæ, quæ Deciana persecutione trucidata est.

VII Kal. Mart. — Apud Smyrnam [Sirmium] sancti Synerii [Sireni] monachi, qui tempore Maximiani imperatoris, cum unus ex domesticis ejus uxorem hora incongrua in horto quem ipse sibi excolebat deambulantem acrius increpando repulisset, jubente Maximiano tentus, et Christianum se esse confessus, capite cæsus est.

Item aliorum septuaginta duorum, qui ibidem passi sunt.

Romæ, S. Polycarpi presbyteri, qui cum B. Sebastiano plurimos ad fidem Christi convertit atque ad martyrii gloriam perduxit.

Smyrnæ nativitas sanctorum Erotis et Carpophori.

In Pannoniis, sanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii.

In Africa, Grysionii, Zenonis et aliorum multorum.

VI Kal. Mart. — In Palæstina nativitas S. Matthiæ apostoli, qui de septuaginta discipulis pro Juda traditore in apostolatum electus : in Judæa Evangelium prædicavit.

Item inventio capitis præcursoris Domini, tempore Martiani principis, quando idem præcursor duobus monachis primum, ubi ejus caput celatum jaceret revelavit. Constat autem quia imminente festivitate Paschali fuerit, sicut in Evangelio patet, decollatus, et anno post hunc sequente, cum denuo tempus Paschale rediret, mysterium Dominicæ passionis esse completum. Et propterea quod in libro Sacramentorum nativitas ejus quarto Kalendarum Septembrium die notatum est, et in Martyrologio, quod Eusebii et Hieronymi vocabulis insignitum est,

legitur IV Kal. Sept. in Emissa [Edessa] civitate A Phœnicis provinciæ nativitas S. Joannis Baptistæ die quo decollatus est, non specialiter ipsum diem decollationis ejus, sed diem potius quo caput ejus in eadem civitate repertum atque in ecclesia est conditum, designat.

Siquidem duo monachi Orientales venerant adorare Hierosolymis, et loca sancta videre. Quibus per revelationem assistens idem præcursor Domini, præcepit ut ad Herodis quondam regis habitaculum accedentes, caput suum ibi requirerent, et inventum digno honore reconderent. Quod idcirco malignæ mulieres a corpore absectum in cubiculo suo diligenti cura servaverunt, ne corpori adnexum impietatem illarum denuo coarguere potuisset. Quod videlicet caput a supradictis fratribus divina gratia B repertum et assumptum, sed a conviatoribus eorum sublatum, et de loco ad locum, ab homine ad hominem, quasi quiddam aliud Emissam usque perlatum est, et in quodam specu in urna sub terra non pauco tempore ignobiliter reconditum, donec denuo sese caput ipsum ostendit Marcello cuidam presbytero religioso, dum in eodem specu habitaret. Ex quo tempore cœpit in eadem civitate beati. Præcursoris decollatio, ipso die quo caput inventum sive elevatum est, celebrari. Denique apud alios inventio capitis ejusdem octavo Kalendas Octobris, quo die conceptus asseritur, apud quosdam vero IV Kalend. Septembr. celebratur. Decollatus vero est in castello quodam Arabiæ, quod Macherunta nominatur, et corpus quidem ejus in civitate Samaria, quæ nunc Sebaste dicitur, caput autem in Hierosolymis humatum est. C At vero ossa ejus tempore procedente Hierosolymam translata, ac mox Alexandriam missa, nunc ibidem in ecclesia quæ nominis ipsius est honore consecrata, servantur. Caput quoque de Edissa Constantinopolim per Theodosium imperatorem deportatum, extra urbem in ecclesia regio cultu composita, frequentatur. Quod divina providentia constat actitatum, ut scilicet per plura loca deportatis B. martyris reliquiis plura virtutum signa fierent, pluresque per memoriam doctrinæ et vitæ illius ad finem et dilectionem ejus quam prædicaverat, confluerent, pluresque per memoriam doctrinæ et vitæ illius ad finem quæ justificat et salvificat converterentur.

Item Romæ Absalonis.

In Cæsarea Cappadociæ, Heroli, Lucii et Sergii D martyrum.

In Africa, Juliani, Juliæ et aliorum plurimorum.

In Nicomedia, Luciani presbyteri.

V Kal. Mart. — In Ægypto nativitas sanctorum Victoris, Victorini, Nichopori [Nicephori], Claudiani, Dioscori, Serapionis et Papiæ, sub Numeriano imperatore, agente Sabino duce. Quorum primus in pilam ex robore cavam, et undique circumforatam missus, ac per singula foramina diutissime transpunctus, cumque nimius sanguis efflueret, eductus de pila, capite cæsus est. Secundus, manibus et pedibus amputatis, in camdem pilam missus, prioris tormenta sustinuit et novissime gladio cæsus est. Tertius cum ultro in pilam fuisset ingressus, indignatus judex jussit eum inde produci, et supra craticulam prunis substratam aliquantum perassari et inverti. Cumque in confessione persisteret, sublatus inde, minutatim gladio concisus, spiritum reddidit. Reliquorum quatuor Claudianus et Dioscorus flammis incensi, Serapion et Papias gladio perempti sunt.

In Africa, sanctorum Donati, Justi, Rutuli, Hirenei, Pisionis.

Pamphyliæ, Nestoris et Castæ.

IV Kal. Mart. — In civitate Pamphyliæ Perge nativitas beati Nestoris episcopi, qui persecutione Decii, cum die noctuque orationi insisteret ut grex Christi custodiretur, comprehensus a quodam Irenarcho, qui erat princeps Curiæ civitatis, velut aries sine macula oblatus est præsidi Pollioni. Et cum nomen Christi mira libertate et alacritate confiteretur, deos autem gentium dæmonia pessima memoraret, jussus ab eodem præside suspendi in equuleo, et crudelissime torqueri, lætus psallebat dicens : *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal* XXXIII). Præses vero, stupens super tanta tolerantia et volens eum blandis verbis a fide revocare, dixit ei : « Vis esse nobiscum, aut cum Christo tuo? » Cui sanctus Nestor cum magno gaudio respondit dicens : « Cum Christo meo et eram et sum et ero. » Tunc indignatus præses dedit adversus eum sententiam, ut qui Jesum crucifixum sub Pontio Pilato fateretur, tanquam devotus Deo suo illius subiret sententiam, et ligno affixus esset patibulo, docebat assistentem populum Christianum, ut in fide et charitate Christi persisterent, et libentissime compaterentur, ut et simul glorificarentur. Post hæc petens omnem astantem turbam fidelium, ut genua figentes orarent cum ipso, cum compleret orationem et dixissent omnes, *Amen*, reddidit spiritum. Consummavit autem martyrium suum quinta Sabbati, hora tertia.

Eodem die, beati Alexandri Alexandrinæ civitatis episcopi, gloriosi senis, qui post beatum Petrum Arium presbyterum unum hæretica impietate depravatum, et a divina veritate disjunctum, de Ecclesia ejecit, et postea inter trecentos et octo Patres eumdem in Nicæno concilio damnavit.

Item in Alexandria, Felicis cum sociis suis.

III Kal. Mart. — Apud Hispaniam, civitate Hispali, nativitas sancti Leandri episcopi, ad quem beatus Gregorius libros Moralium scripsit. Cujus prædicatione et industria tota Gothorum gens per Reccharedum regem ab Ariana impietate conversa est. Qui etiam fratrem ejus Erminigildum regem, vivente adhuc patre hæretico, ab eadem Ariana hæresi ad catholicam fidem correxit, atque usque ad gloriosam martyrii passionem suis exhortationibus perduxit.

Eodem die in Alexandria nativitas sancti Juliani martyris, qui cum ita podagra constrictus esset, ut neque incedere neque stare posset, cum his qui

eum in sellula portabant judici offertur. Quorum unus quidem statim negavit, alter nomine Eum [Eunus] cum Juliano sene in Domini confessione perdurat. Quique [Ambo] jubentur camelis impositi per totam circumduci urbem et flagris, hinc inde stipante populo, laniari, usquequo finem ipsis verberibus sortirentur.

Apud Lugdunum sancti Baldemeris [Baldomeri] viri Dei, cujus sepulcrum crebris miraculis illustratur.

PRIDIE KAL. MART. — In Alexandria sanctorum Celeris, Pupilli [Cærealis. Pupuli], Gaii, Serapionis.

In territorio Lugdunensi locis virentibus B. Romani abbatis, qui primus illic vitam eremeticam duxit, et multis miraculis ac virtutibus clarus, plurimorum postea Pater exstitit monachorum.

MARTIUS.

Martius habet dies XXXI, *lun.* XXX. *Et in hoc mense erit jejunium primum, de Quatuor Temporibus.*

KAL. MART. — Romæ sanctorum martyrum ducentorum sexaginta temporibus Claudii, qui via Salaria arenam fodientes, damnati fuerant pro Christi nomine. Quos jussit Claudius ut in figlina foris muros portæ Salariæ mitterentur, et eo loco inclusi in civitatis amphitheatro militum sagittis interficerentur. Ibidem Simplicii papæ, qui sedit Romæ annis quindecim. Hic Acacium Constantinopolitanum episcopum, et Petrum Alexandrinum episcopum Eutychianos damnavit.

Andegavis, Albini episcopi.

VI NON. MART. — Romæ, via Satina, sanctorum Jovini et Brasilei, qui passi sunt sub Gallieno et Valeriano imperatoribus.

Eodem die martyrum plurimorum sub Alexandro imperatore passorum, quos diu cruciatos impius Alexander capitali sententia damnavit.

V NON. MART. — In Hispania, civitate Calagurritana, nativitas sanctorum martyrum Emetherii [Hemiterii] et Cheledonii : qui primum apud Legoniensem Galliciæ civitatem milites, exsurgente persecutionis procella, pro confessione nominis Christi plurimis afflicti tormentis, Calagurrim usque perducti atque ibidem martyrio affecti sunt et coronati. Cumque eorum capita lictor incideret, miraculum populis grande apparuit. Nam unius annulus orariumque alterius, nube susceptum et in cœlos evectum est. Viderunt hæc omnes qui aderant, et usquequo acies oculorum intendere potuit, fulgorem auri candoremque lintei attonito sequebantur intuitu. Scribit Aureolus in libro coronatorum.

Apud Cæsaream Palestinæ sanctorum martyrum Marini militis, et Asterii senatoris, sub persecutione Valeriani. Quorum prior cum accusatus fuisset a commilitonibus quod esset Christianus, et interrogatus a judice Christianum se esse clara voce testaretur, tres ei horæ ad deliberandum indultæ sunt. Cumque a tribunalibus fuisset egressus, a A beato Theotecno ejusdem urbis episcopo plurimum in fide confortatus, repetens continuo tribunal judicis confidentissime respondit : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V), et illico martyrii coronam capitis abscissione suscepit. Cumque præfatus Asterius capite truncatum martyris corpus subjectis humeris et substrata veste qua induebatur, exciperet, honorem quem martyri detulit, continuo ipse martyrium accepit. Scriptum in Historiæ Ecclesiasticæ libro septimo.

IV NON. MART. — Nativitas sancti Lucii papæ et martyris. Hic præcepit ut duo presbyteri et duo diaconi in omni loco episcopum non desererent propter testimonium ecclesiasticum. Qui persecutione Valeriani et Gallieni ob fidem Christi exsilio B relegatus, et postmodum divino nutu ad ecclesiam suam redire permissus, martyrium capitis obtruncatione complevit. Postea positus est via Appia ad sanctum Xystum. Sedit autem in episcopatu annos tres, menses tres, dies tres.

Item Romæ, via Appia, sanctorum martyrum nongentorum, qui positi in cœmeterio ad sanctam Cæciliam.

Eodem die S. Gaii, Palatini in mare demersi.

III NON. MART. — Apud Antiochiam sancti Focæ martyris. Qui per multas, quas pro Redemptoris Christi nomine perpessus est, injurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphaverat, hodieque populis declaratur. Denique in quempiam loci illius coluber morsum figens venena diffuderit, extemplo C qui percussus est, ut januam basilicæ martyris credens attigerit, evacuata virtute veneni, salvatur.

Item ipso die. Eusebii et Palatini et aliorum octo martyrum.

Item in Antiochia, Saturnini, Casti, Syriæ.

Item Saturnini, Martini, Petri et aliorum non paucorum.

II NON. MART. — Nicomediæ nativitas sanctorum Victoris et Victorini, qui per triennium cum Claudiano et Bassa uxore ejus tormentis afflicti, et retrusi in carcerem, ibidem vitæ suæ cursum impleverunt.

Nicopoli papiæ, Alexandri et Diodori martyrum.

In Italia, villa Fagoniæ, Victorini et Sylvani.

NONIS MART. — In Mauritania, civitate Tiburbitanorum, D passio sanctarum martyrum Perpetuæ et Felicitatis, et cum eis Revocati, Saturnini et Secunduli. Quorum ultimus in carcere quievit. Reliqui omnes ad bestias sunt traditi, sub Severo principe, die nativitatis ejus. Quique cum adhuc servarentur in carcere, et Felicitas parturiret, omnium sanctorum commilitonum precibus impetratum est ut octavo mense pareret. Jam vero Perpetuæ inter alia concessum est, ut ejus mens quodammodo averteretur a corpore, in quo vaccæ impetum pertulit, ita ut adhuc futurum exspectaretur quod in se jam gestum esse nesciret.

In. Antiochia, Leuci, Saturi et Nestoris.

In Thracia Dandæ, Eunicæ, Secundi, Sergii, A Optati.

VIII Id. Mart. — Apud Carthaginem sancti Pontii diaconi, beati Cypriani episcopi. Qui usque ad passionis suæ diem cum ipso exsilium sustinens, egregium volumen Vitæ et passionis ipsius reliquit. Atque Dominum semper in passionibus suis glorificans, caronam vitæ promeruit.

In Nicomedia, Quintilis episcopi et Capitulini.

In Africa, Rogati et Felicis, nativitas etiam Cyrilli episcopi, Sylvani et Manilii.

VII Id. Mart. — Apud Misenam [Nyssenam] civitatem,sancti Gregorii, episcopi, fratris beati Basilii Cæsariensis, viri doctissimi et eloquentia clarissimi.

Apud Barcillonem, Paciani episcopi, tam vita B quam sermone clari. Qui optima senectute mortuus est, Theodosii principis temporibus.

In Africa Felicis et Philippi, Mariani, Rogati et Concessi, Gorgonii et Esychii.

VI Id. Mart. — Nativitas sanctorum martyrum Alexandri et Gaii de Eumenia, qui apud Apamiam persecutione Antonii Veri Martyrio coronati sunt. Scribit Apollinaris Hierapolitanus episcopus in libro adversus Cataphrygas.

In Perside, sanctorum martyrum numero quadraginta duorum.

In Antiochia, Agapæ [Agapes] virginis et Marinæ.

In Nicomedia, Palatini, Firmani et Rustici martyrum.

In Alexandria, Heraclii, Zosimi, Alexandri et Gaii. C

In Italia, in monasterio Bobio, sancti Atalæ abbatis, admirandæ sanctitatis viri discipuli beati Columbani.

V Id. Mart. — Apud Sebasten Armeniæ Minoris nativitas martyrum quadraginta, qui temporibus Lucinii [Licinii] imperatoris et Agricolai præsidis et Lysiæ ducis,pro nomine Christi matyrio sunt coronati. Quos Agricolaus præses cum ad culturam idolorum convertere non posset, lapidibus obrui præcepit. Sed tortores eorum, alterutrum se lapidibus cædentes, martyribus nocere non poterant. Dux vero Lysias, exardescens ira tulit lapidem ut percuteret aliquem sanctorum. Sed miro Dei nutu ipse lapis in faciem præsidis pervenit. Qui furore commotus sanctos Dei in stagnum glacie constrictum mitti præ- D cepit. Divino autem nutu glacies dissoluta et frigidissima aqua in balnearum temperiem conversa est, ita ut in laudem Dei, sancto Spiritu confortati, erumperent. Unus autem ex eorum numero, pusillanimis effectus, refugiens ad balneum juxta paratum, mox ut attigit calorem, dissolutus et mortuus est. Porro cunctis qui eos custodiendos acceperant somno gravatis, clavacularius tantum vigilabat. Qui audiens eos orantes, vidensque lucem immensam atque glaciem resolutam, rescipiens unde ortum lux ipsa haberet, vidit super sanctos coronas descendentes numero triginta novem ; cœpit cogitare : « Quadraginta, inquit, sunt, unius corona ubi est ? » et Christi confessione præmissa, exsiliens in stagnum supplevit numerum definitum. Mane autem facto invenientes eos incolumes crura eorum fustibus confregerunt, et igni corpora comburentes, in fluvium projecerunt. Sed divina dispensatione reliquæ ipsorum in profundo aquæ religiosis viris revelatæ et honore digno sunt conditæ.

In Nicomedia Eunici et Gorgonii, Firmi et Agapiti.

IV Id. Mart. — Romæ beatorum pontificum Gregorii doctoris et apostoli Anglorum, quos per fidelissimos evangelistas Augustinum etMellitum atque Joannem ad fidem Christi convertit. Qui sedit in episcopatu annos tredecim, menses sex, dies decem.

Item Innocentii, qui rexit Ecclesiam annos quindecim, menses duos, dies viginti et unum. Hic constitutum fecit de Ecclesia Dei, et Pelagium atque Cœlestinum hæreticos damnavit, et constituit ut qui natus fuisset de Christianis perentibus, per baptismum regeneraretur. Quod Pelagius damnabat. Hoc Innocentius. Gregorius vero augmentavit, sed [*f.* addens] in precatione Canonis : *diesque nostros in tua pace dispone.*

Apud Nicomediam, beati Petri martyris, qui unus fuit ex Dorothei et Gorgonii martyrum sodalibus, qui in cubiculo regis erant. Hic jubente Diocletiano, eo quod de suppliciis martyribus irrogatis liberius clausaretur [causaretur], in equuleo suspensus, et flagris toto laniatus corpore, ac visceribus jam pelle denudatis, aceto et sale perfunditur. Cumque hoc tormenti genus constanter ac fortiter tolerasset, craticula prunis subterstratis poni jubetur in medio, ibique quod reliquum fuerat verberibus absumpti corporis superponi, et non ad subitum sed sensim paulatimque succendi, quo scilicet pœna protelaretur in longum. Hoc Petrus martyrio coronatus, vere Petri exstitit et fidei hæres et nominis.

Item Nicomediæ nativitas, sanctorum Egduni presbyteri et aliorum septem, qui singuli diebus singulis suffocabantur, ut cœteris metus incuteretur.

Eodem die passio Maximiliani martyris et aliorum plurimorum.

III Id. Mart. — Apud Nicomodiam nativitas sanctorum Macedonii presbyteri, et Patricæ uxoris ejus, et filiæ Modestæ.

Nicææ civitate nativitas sanctorum Theuscæ et Horis [Theusetæ et Horrisæ] filii ejus, Theodoræ, Nymphodoræ, Marci, Arabæ [Arabæ], qui omnes igni sunt traditi.

Item Julii episcopi et Alexandri.

Item Nicomediæ multorum martyrum.

Pridie Id. Mart. — Romæ martyrum quadraginta septem, qui baptizati sunt a beato Petro apostolo, cum teneretur in custodia Mamertini cum coapostolo suo Paulo, ubi novem menses in vinculis detenti sunt.

Item Zachariæ pontificis, qui sedit Romæ annos decem. Hic in patriarchio beati Gregorii [Georgii

Baron.] Martyris caput reperit in capsa reconditum; A in qua et pitatium pariter invenit, hoc ipsum Græcis litteris habens exaratum. Sepultus est in ecclesia beati apostoli Petri.

Apud Carthaginem, Donati, Eufrosii, Fronimi.

In Nicomedia, Felicissimi, Dativi, Frontinæ.

In Africa Dionæ, Alexandri, Petri, Mammarii et Nabotis martyrum.

Id. Mart. — In Cappadocia sancti Longini martyris : qui cum in passione Domini lancea latus ejus aperuit, viso terræmotu et signis quæ fiebant, credidit in Christum, pœnitentiam agens de pristinis operibus, et per triginta et octo annos Christo militans, multosque ad fidem Dei convertens, ad extremum in Cappadocia sub Octavio præside consummavit. Quem propter infidelitatem animi corporea B cæcitate percussum post martyrium suum illuminavit.

Apud Thessalonicam, sanctæ Matronæ : quæ cum esset Plautillæ cujusdam viduæ ancilla et occulte Christum colens, quotidie furtivis orationibus ecclesiam frequentaret deprehensa a domina sua, in scamno extenta atque ligata, et pene usque ad mortem flagellata, atque vincta in scamno, obsignatis diligentissime januis per noctem relicta, die altera divinitus soluta, et cum ingenti oris gratia orans inventa est. Rursumque crudis nervis in eodem scamno constricta, et loris quousque obmutesceret cæsa, ibique per triduum obsignatis januis est relicta. Facta autem die tertia, iterum divinitus soluta et orans inventa est. Tunc robustis fustibus usque ad mortem cæsa est. In confessione Christi incor- C ruptum spiritum reddidit.

In Nicomedia, Lucii episcopi et martyris.

Carthagine, Pauli, Salutaris.

Item Alexandri, Theophili.

XVII Kal. April. — Romæ, Cyriaci martyris, qui a beato Marcello papa diaconus ordinatus simul cum Sisinnio multa mirabilia fecit sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, et dæmones ab obsessis corporibus expulit, et post multa ac nimia tormenta quæ pertulit, novissime per Carpasium vicarium jussu Maximiani decollatus est.

In Aquilegia, Hilarii.

In Nicomedia, Castoris, Dionysii et Nonni.

In Græcia, Cyriacæ, Florentii et Joviani.

XVI Kal. April. — In Aquilegia Largi, Tatiani, D Catonis et Dativi.

Romæ, Alexandri episcopi et Theoduli diaconi.

In Scotia nativitas sancti Patricii episcopi, natione Britanni, qui in Hibernia insula Scotis primum evangelizavit nomen Domini nostri Jesu Christi, et eos per miraculorum ostensionem ad fidem veram convertit.

Eodem die passio sanctæ Mariæ martyris : quæ cum esset ancilla cujusdam Tertulli præclari, et nollet in nativitate filii ejus prandiis domini sui interesse, sed magis Christianorum more jejuniis operam dare, flagellis atrocibus ab eodem domino suo lacerata est. Sed cum non posset per hoc ab instantia Christi servitii ad idolorum cultum revocari, judici publico ad puniendum tradita est. Ubi dum carnifices eam incendio tradere voluissent, precibus populi datæ sunt ei induciæ trium dierum. Triduo ergo, completo, cum iterum eam punire unanimiter instarent, mirabiliter Dei misericordia erepta est. Nam cum orationem ad Deum fudisset, una petra ingens, quæ ante eam fuerat, per medium scissa, illam in se recipiebat, et undique concludens, hostium furori resistebat. Ad quam populus concurrens, cum vellet secundum jussum principis ipsum lapidem destruere, fulmine ac tonitru cælitus emisso, plurimi eorum interierunt, ita ut duo milia et septingenti ex ipsis divino judicio exstincti fuerint, pauci vero qui remanserant, conversi ad Dominum, in Christiana religione permanserunt.

Eodem die nativitas sanctæ Gertrudis virginis, de cujus miraculis hoc celeberimum fertur, quod cum in die natalis ejus quædam anus nuper monasterium ingressa propter imminentem Paschalis festi propinquitatem jejunium solvere cogi non potuerit, filia ipsius ad hauriendam aquam de puteo claustri directa, sed in eumdem ipsa demersa mortua extracta, meritis sanctæ virginis resuscitata, gaudium non solum matri, sed et cunctæ congregationi ad cumulum solemnitatis S. Patricii atque ipsius Gertrudæ sua recuperatione triplicaverit.

XV Kal. April. — Nativitas sancti Alexandri episcopi. Qui de Cappadocia civitate sua veniens, cum desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret, et Narcissus episcopus ejusdem urbis jam senex regeret Ecclesiam, et ipsi Narcisso et multis clericorum ejus revelatum est altera die mane intrare episcopum, qui adjutor sacerdotalis cathedræ esse deberet. Itaque re ita completa ut prædicta fuerat, cunctis in Palæstina in unum congregatis, adnitente vel maxime Narcisso, Hierosolymitanæ ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit. Quique persecutione Decii cum jam longævæ ætatis veneranda canitie præfulgeret, ductus Cæsaream, et clausus carcere, ob confessionem Christi martyrio coronatus est.

In Alexandria, Collegii et Colyti diaconorum.

In Nicomedia, Aprilis et Servuli.

In Campania, Quinti, Rogati et Ingenuæ.

In Mauritania, Timothei et Saldæ.

XIV Kal. April. — Apud Pinarensem [Pinnensem] urbem, beati Joannis, magnæ sanctitatis viri. Qui de Syria oriundus pervenit ad Italiam, et angelo Dei, non longe ab eadem urbe locum permansionis sibi demonstrante, sed et a venatoribus hiemis tempore sub arbore foliis vestita repertus, et per hanc famam populo commendatus, monasterium statuit. In quo per quadraginta quatuor annos multorum servorum Dei Pater exstitit, et in pace quiescens, quotidianis miraculis clarus effulsit.

Eodem die apud Sorrentum [Surrentum], Quinti, Quintilis, Quartillæ, Marci cum aliis novem.

In Cæsarea Cappadociæ, Theodori presbyteri sancti et pii.

In Africa, Bassæ, Lucillæ, Fusciani et aliorum multorum.

XIII Kal. April. — Apud Colossos, Archippi episcopi, commilitonis beati apostoli Pauli.

In Antiochia, sancti Joseph.

In Syria, Pauli, Cyrilli, Engenii, Serapionis, Victorici et aliorum.

In Britannia, sancti Cudberti, qui ex anachoreta Ecclesiæ Lindisfernensis antistes, totam ab infantia usque ad senium vitam miraculorum signis inclytam duxit. Cujus dum undecim annos maneret corpus humatum, incorruptum post hæc, quasi eadem hora defunctum, simul cum veste qua tegebatur inventum est. Scribit S. Beda presbyter in libello de Vita ipsius.

XII Kal. April. — Apud Alexandriam, sancti Serapionis monachi.

Item Josephi, Volutiani, Philocali.

Apud castrum Cassinum Beneventanæ civitatis, sancti Benedicti abbatis. Cujus vitam, virtutibus et miraculis gloriosam, in Dialogorum libris beatus papa scribit Gregorius. Quem etiam regulam monachorum cum magna discretione et luculento sermone scripsisse commendat.

In territorio Lugdunensi, sancti Lupicini abbatis Virensium. Qui cum fratre Romano post anachore ticam vitam, quam ab adolescentia austerissimam duxerant, fundator monasteriorum et rector exstitit animarum, uterque vero effector miraculorum. Cumque post agones plurimos, quos contra diabolum et angelos ejus visibiliter desudaverunt, atque militiam quam Christo per annos plurimos fideliter impenderunt finem sibi laborum et perceptionem præmiorum appropinquare cognoscerent, decrevit Lupicinus ut in remotiori solitudinis monasterio in uno conderentur sepulcro. Quod Romanus, qui mitioris erat ingenii, intuitu pietatis abnuens, salva charitate impetravit ab eo ut, ipso ad tutionem fratrum in monasterio tumulato, se ad remedium pauperum et maxime feminarum incommodo laborantium, in oratorio ad introitum salutis poni pateretur. Quod cum primo ita factum fuisset, nunc corpus B. Lupicini, incertum ex qua causa, in finibus Vesontionum apud Laconense monasterium celeberrime frequentatur.

XI Kal. April. — Apud Narbonem civitatem, a qua Gallia Narbonensis nomen assumpsit, nativitas S. Pauli, quem beati apostoli ordinatum eidem urbi episcopum direxerunt. Quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum proconsulem, virum prudentem, a quo ipse Paulus apostolus sortitus est nomen, quia illum fidei Christi subegerat. Qui in eadem regione prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis confessione Christi coronatus sepelitur.

In Africa, Saturnini et aliorûm novem.

X Kal. April. — Nativitas sanctorum martyrum Victoriani, Frumentii et alterius Prumentii et duorum germanorum ; qui omnes persecutione Wandalica, sub Henrico [Hunnerico] rege Ariano, pro constautia catholicæ confessionis immanissimis suppliciis excruciati, egregie coronati sunt in partibus Africæ.

Item in Africa, Fidelis et aliorum viginti.

In Antiochia, Theodori presbyteri.

In Cæsarea, Achatii et Alexandri.

IV Kal. April. — In Africa, Agapiti et Romuli.

In Mauritania, Secunduli, Veruli, Felicis, Saturnini et aliorum multorum.

Romæ, S. Pigmenii presbyteri. Is Julianum apostatam et impium a puero nutrivit, et litteris etiam sacris erudivit. Qui factus imperator, culturam pietatis relinquens, audito quod corpora sanctorum martyrum qui ab eo necabantur idem Pigmenius sepeliret, mandavit ei : « Perge quo vis, hic enim non mercabitur vita tua. Tamen hoc servitiis tuis reddo, non tibi. » Tunc S. Pigmenius perrexit ad Persidem. Cumque quatuor menses reversus clivum Sacræ viæ cum uno puero stipem petendo conscenderet, factum est ut offenderet Julianum imperatorem in rheda aurea sedentem. Qui eminus prospiciens Pigmenium, vocari eum præcepit, dixitque ei : « Gloria diis, deabusque meis, quia te video. » Cui vir Dei Pigmenius illico respondit : « Gloria Deo meo Jesu Christo Nazareno crucifixo, quia te video. » Ad hanc vocem iratus Julianus jussit eum per pontem in Tiberim præcipitari. Cujus corpus inventum et collectum sepultum est in cœmeterio Pontiani, non longe a sanctis Abdon et Sennen.

VIII Kal. April. — Apud civitatem Galilææ Nazareth, annuntiationis Dominicæ.

Extra portam Hierosolymarum Dominus noster Jesus Christus crucifixus, occulta prophetarum maxima ex parte revelavit.

In monte visionis immolatio Isaac.

Item Hierosolymis passio S. Jacobi fratris Domini, qui in Paschæ solemnitate Judæis Christum testificatus, de templi est culmine præcipitatus ac fullonis vecte percussus.

Romæ Cyrini, qui interfectus a Claudio et in Tiberim jactatus, in insula Lycaonia inventus, et in cœmeterio Pontiani conditus est. Scriptum in passione S. Valentini.

Apud Smyrnum [Sirmium] nativitas S. Irenæi episcopi : qui tempore Maximiani imperatoris sub præside Probo primo tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere maceratus ; novissime abscisso capite consummatus est.

VII Kal. Appil. — Romæ, via Lavicana, in cœmeterio ejusdem, nativitas S. Castuli. Qui cum esset notarius [zetarius] palatii et hospes sanctorum, ut in B. Sebastiani gestis legitur, a persecutoribus arctatus, et tertio appensus, tertio auditus, in confessione Domini perseverans, missus est in foveam, et dimissa est super eum massa arenaria ; atque ita cum palma martyrii migravit ad Christum.

Eodem die apud Pentapolim Libyæ, Theodori episcopi, Irenenæi diaconi, Serapionis et Ammonii lectorum.

Item apud Smyrnium [Sirmium] nativitas S. Montani presbyteri, qui cum Maxima uxore tentus et in fluvium præcipatus est. Quorum corpora nono ab urbe lapide inventa sunt.

VI Kal. April. — Hierosolymis resurrectio Domini nostri Jesu Christi.

In Africa, Romuli, Acutii, Pinarii, Missiæ, Matutinæ et aliorum.

Item Donati, Saturnini et Martiani.

In Ægypto, beati Joannis eremitæ, admirandæ sanctitatis viri. Qui præter multa miracula quæ gessit, etiam prophetico spiritu plenus, Theodosio imperatori Christianissimo victorias de tyrannorum immanitate prædixit.

V Kal. April. — Apud Cæsaream Palæstinæ nativitas SS. martyrum Prisci, Malchi et Alexandri. Qui persecutione Valeriana cum suburbanum agellum supradictæ urbis habitarent, atque in ea cœlestes martyrii proponerentur coronæ, divino fidei calore succensi, ultro judicem adeuntes, cur tantum in sanguinem piorum desæviret, objurgant. Quos ille continuo pro Christi nomine bestiis tradidit devorandos.

Item..... Romæ. Xysti papæ, qui sedit octo annos. In criminatorem suum Bassum, nutu divino mortuum, manibus suis cum linteaminibus et aromatibus tractans, sepelivit apud B. Petrum.

Apud Cabillonensium civitatem, Cunderammi [Gunthranni] regis Francorum, viri religiosi, qui ita se spiritualibus actionibus mancipavit, ut, relictis sæculi pompis, thesauros suos ecclesiis et pauperibus erogaret.

IV Kal. April. — In Nicomedia, Pastoris, Victorini, Saturnini, Juliani.

In Africa, sanctorum coufessorum Armogastis, Archimini et Satyri. Qui tempore Wandalicæ persecutionis sub Geiserico rege Ariano, cum essent lucidissima membra Ecclesiæ Christi, et pravitatem Arianorum libertate catholica frequenter arguerent, pro confessione veritatis multa et gravia perpessi supplicia atque opprobria, cursum gloriosi certaminis impleverunt.

In Burgundia depositio beati Eustasii abbatis discipuli S. Columbani. Qui pater ferme sexcentorum exstitit monachorum, et vitæ sanctitate conspicuus, etiam miraculis clarus effulsit.

In civitate Pisana, sancti Torpetis martyris.

III Kal. April. — Romæ, Quirini tribuni et martyris sub Trajano imperatore. Qui cum ex præcepto ejus B. Alexandrum papam et Hermen præfectum in vincula conjecisset, haberetque, filiam cujus collum struma circumdederat, exauditis orationibus B. Hermes de fide Christi, et visis signis quæ Dominus in martyribus suis Alexandro et Herme operabatur, eamque filiam suam obtulit eis ad sanandum. Cui

(a) Hoc est, vincula. Scriverius, not. ms, in Can.

dixit beatus Alexander: « Tolle boiam de collo meo et impone ei. » Quod cum obedienter pater exsequeretur, divino nutu subito sanata est. Vocabatur autem ipsa Balbina. Atque ita pater ejus Quirinus et ipsa cum universis qui in custodia tenebantur omnique domo sua baptizatus est. Quod ut nuntiavit commentariensis Aureliano Judici, iratus jussit ad se adduci Quirinum et dixit ei : « Ego te quasi filium dilexi. Tu autem irrides me, deceptus ab Alexandro. » Dixit ei Quirinus : « Ego Christianus sum factus, vis occidere? vis fustigare? vis incendere ? aliud non ero. Nam omnes qui erant in carcere feci fieri Christianos, et noluerunt usquam ire. » Iratus Aurelianus fecit ei linguam abscindi, deinde in equuleo suspendi. Qui dum Aureliani non cederet injuriis, jussit ei manus ac pedes abscindi, et sic eum decollari et canibus projici. Sed Christiani corpus ejus raptum in via Appia sepeliverunt in cœmeterio Prætextati.

In Thessalonica civitate. Domnini, Philopoli, Achaici, Palatini,

Alibi Victoris, Aquilinæ virginis.

Aurelianis, depositio sancti Pastoris.

II Kal. April. — Romæ, sanctæ Balbinæ virginis, filiæ Quirini martyris. Quæ cum Boiam (*a*) beati Alexandri, per quam sanata fuerat, frequentius oscularetur, admonita ab eo ut illam osculari desineret, et magis vincula beati Petri perquireret, et ea osculari curaret, summo studio per desiderium magnum pervenit ad ipsa, tradiditque sanctæ Theodoræ religiosissimæ, sorori sancti Hermetis præfecti et martyris, Ipsa vero Balbina, instructa a Beato Alexandro, in virginitate, plena bonis operibus, permansit. Et post devictum sæculum juxta patrem suum Quirinum martyrem sepelitur.

In Africa, sanctorum Anesii, Felicis, Dioduli, Proti, Cornelii et Valeriæ cum sociis eorum.

APRILIS

Mensis Aprilis habet dies XXX, *lun.* XXIX.

Kal. April. — Romæ nativitas beatissimæ Theodoræ, sororis illustrissimi martyris Hermetis. Quam beatus Alexander papa et martyr instruxit, baptizavit atque in fide Christi edocuit. Quæ sub Aureliano principe martyrizavit, sepulta juxta fratrem martyrem via Salaria, non longe ab urbe Roma.

In Armenia, Parthenii, Quintiani, Victoris, Secundi.

Eodem die S. Venantii episcopi et martyris.

In pago Jumnoense S. Wiolarici [Walerici] confessoris, cujus sepulcrum crebris miraculis illustratur.

IV Non. April. — Apud Cæsaream Cappadociæ passio sanctæ Theodosiæ virginis. Quæ tempore Diocletiani cum esset annorum decem et octo, ultro se sanctis confessoribus in custodia socians, tenta ab Urbano præfecto, et in equuleo cruciata, deinde ferro onerata et in carcerem trusa est, ubi Dei vir-

tute omnia vincula ejus disrupta sunt. Post hæc A saxo alligata, in mare demersa est. Sed mox littoribus incolumis reddita et bestiis in amphitheatro projecta, sed ab his intacta, martyrium capitis abscissione complevit.

In Africa nativitas sanctorum Amphiani, Victoris et aliorum quatuordecim.

Apud Lugdunum Galliæ depositio S. Nicetii episcopi et confessoris. Cujus et vita miraculis claruit, et pretiosa mors nihilominus miraculis commendatur.

III Non. April. — Thessalonicæ nativitas sanctarum virginum Agapes, Hirenes [Irenes] et Chioniæ sub Diocletiano. Quæ primo in carcere maceratæ, postea in ignem missæ sunt. Sed intactæ a flammis post orationem ad Deum fusam, animas reddiderunt. B

In Scythia, civitate Tomis, nativitas sanctorum Evagrii et Benigni.

Apud Taurominium Siciliæ, sancti Pancratii.

In Nicomedia, Donati et Ampliani.

Pridie Non. April. — In Thessalonica nativitas sanctorum Agathonis diaconi et Theoduli

Alibi Pauli, Matutini, Urbani. Saturnini, Quintiliani, Publii, Victoris, Successi et Juliani.

Mediolani depositio B. Ambrosii episcopi et confessoris. Cujus studio, inter cætera doctrinæ et miraculorum insignia, tempore Arianæ perfidiæ, tota Italia ad fidem catholicam conversa est. Qui præfecturæ gratia ad eumdem locum destinatus est, cum adhuc esset catechumenus, in depositione albarum a lactante puero designatus est episcopus, et suggestione angelica auditores suos allocutus, expulsio- C ne dæmonum, et exhibitione sanitatum, atque resuscitatione mortuorum, nec non et tolerantia omnimodarum injuriarum, vere comprobari et nuncupari meruit imitator antiquorum martyrum et apostolorum.

Non. April. — In Thessalonica nativitas sanctæ Hirenes [Irenes], quæ post tolerantiam carceris sagitta percussa est a Sisinnio comite, sub quo et sorores ejus simul Agape et Chionia martyrizaverunt. Quas omnes cum Dulcitius prædecessor ejus in obscurissimam cellam coquendis vasis refertam inclusisset, sed post eas ardentissima concupiscentia deperisset, clanculo ingressus in eam per totam noctem cum ollis, cacabis ac caldariis volutatus, atque a sanctarum virginum illusione defraudatus, D cum primum a familia vel familiaribus suis pro hac turpitudine abominabilis haberetur, imperatorium palatium petens, ut vel ibi suarum injuriarum ultionem mereretur, propter intolerabilem fæditatem, quam oculis clausis non agnoscebat, et inde expulsus, de reliquo omni honore est privatus.

Apud Ægyptum nativitas sanctorum Martiani, Nicanoris, Apollonii.

Apud Cæsaream Lyciæ, nativitas S. Amphiani.

In Cilicia nativitas sanctorum Taraci, Andronici et Probi, multis tormentis excruciatorum, adeo ut post tertiam interrogationem cum pro nimia corporis dilaceratione non possent ambulare, militum jussu deportarentur in amphitheatrum ut a bestiis consumerentur: quarum cum nulla a quoquam hominum vel ab ipsis martyribus ad læsionem sanctorum provocari quivisset, jussit Maximus præses introduci gladiatores ut sanctos Dei martyres gladio interficerent. Quod cum factum fuisset, Maximus de amphitheatro se recipiens, reliquit ibi decem milites, qui corpora martyrum immiscerent corporibus gladiatorum. Non post multum vero terræmotus factus est, et tonitrua et fulgura et coruscatio, et nimia tempestas imbrium descendentibus [*f.* descendentium]. Custodibus autem inde nimio terrore fugatis, accedentes quidam religiosi fratres qui in proximo latitabant, incidio stellæ se præcedentis sanctorum corpora repererunt, et in spelunca vicini montis absconderunt. De quorum longissima historia, quia paucissima sunt adnotata, libet in eorum supplementum gladiatorii ludi exhibitionem simul et cessationem, sanctorum illorum occasione, qui a gladiatoribus sunt interempti, commemorare. Inter multa inepta et sacrilega quibus ante cognitionem unius veri Dei veteres tenebantur obstricti, etiam hæc consuetudo mortalibus illudebat, ut præstantiores quique in eo spectabiliores apparerent, si effusione rerum homines diutius saginatos in arenam intromitterent, qui primum sceleratis quibusque vel etiam sanctis martyribus interemptis, deinde mutuis vulneribus crudeliter interirent. Quæ stultitia cum etiam Christiana religione pollente propter antiquitatem sui non posset aboleri, contigit quemdam monachum de Oriente orationis gratia Romam venire, et gladiatores sese cædentes inopinato incurrere. Quos cum miseratus ab alterutra cæde prohibere conaretur, a spectaculorum editoribus lapidum ruina est consumptus. Pro cujus indigna morte religiosus imperator zelo Dei compunctus ludos illos infaustos ulterius exhiberi prohibuit.

Apud Alexandriam S. Didymi presbyteri.

VII Id. April. — Romæ Sixti papæ et martyris, qui rexit Ecclesiam annos decem, menses duos, diem unum, passus est temporibus Adriani imperatoris. Hic constituit ut sacra mysteria non tractarentur nisi a sacris ministris, et quicunque episcopus evocatus ad sedem apostolicam rediens ad parochiam, non susciperetur nisi salutationis litteras, hoc est formatas, a sede apostolica plebi detulisset. Et hic instituit ut intra actionem missarum *Sanctus, sanctus, sanctus,* decantaretur.

In Syrmio, S. Irenæi episcopi ejusdem loci.

In Africa, sanctorum Epiphanii episcopi, Donatis, Sixti, Rufini, Modesti, et aliorum undecim.

In Nicomedia, Timothei et Theogenis.

Pentapoli Lybiæ superioris passio S. Theodori episcopi et multorum martyrum.

VII Id. April. — Depositio Egesippi viri sanctissimi. Qui vicinus apostolicorum temporum, omnes a

passione Domini usque ad suam ætatem ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros simplici sermone composuit: ut quorum vitam sequebatur, dicendi quoque exprimeret charactere.

In Alexandria, sancti Pelusii presbyteri.

In Nicomedia nativitas S. Cyriaci cum aliis decem.

In Scotia, Finiani confessoris.

VI Id. April. — Romæ depositio Cœlestini papæ, qui rexit Ecclesiam per anmos octo. Hic constituit ut psalmi David centum quinquaginta antiphonatim canerentur ante sacrificium. Nam antea tantum Epistolæ recitabantur apostolicæ, et S. Evangelium.

Turonis sancti Perpetui episcopi, admirandæ sanctitatis viri. Cujus opera templum super reverenda ossa B. Martini episcopi perfectum est, ejusque sacrum corpus de loco ubi primum fuerat tumulatum ad locum ubi nunc condigne veneratur angelica demonstratione delatum.

In Africa, sanctorum Januarii, Macharii, Maximæ et Concessæ, et aliorum multorum.

V Id. April. — Nativitas beati Prochori diaconi, unius de septem primis, præclarissimi fide et miraculis viri, apud Antiochiam martyrio consummati ibique quiescentis

Apud Syrmium nativitas virginum, quæ in unum coronari meruerunt.

Item nativitas quinque virginum.

Alibi Demetrii diaconi, Hilarii et Concessi.

IV Id. April. — Nativitas beati Ezechielis prophetæ.

Apud Romam, beatorum martyrum plurimorum, quos beatus Alexander papa et martyr baptizavit, cum teneretur in carcere, ei ipsi essent relegati pariter cum illo. Hos omnes Aurelianus princeps navi vestustæ impositos, in altum mare deduci, et illic, ligatis ad colla lapidibus, mergi in profundum maris fecit.

In Alexandria, Apollonii presbyteri.

In Antiochia, S. Theodori presbyteri.

In Thracia, nativitas S. Gaiani.

In Africa, martyrum sedecim, quorum nomina Deus scit.

III Id. April. — Apud Cretam, urbe in Cortyna, nativitas beati Philippi episcopi, qui vita et doctrina claruit temporibus Antonini Veri et Lucii Aurelii Commodi imperatorum.

In Mauritania, Salonis, Maximi et Concessi cum cæteris sanctis.

In Salonia [Salona] Dalmatiæ, Domnionis episcopi et millium octo.

In Africa, Fortunati, Donati et aliorum ducentorum quadraginta.

Romæ, Leonis papæ, qui quadragesimus septimus post beatum Petrum apostolum, sedit in episcopatu annos viginti et unum. Hic detexit hæreses duas, et missa legatione ad Martianum principem catholicum, congregata synodo ducentorum quinquaginta et sex episcoporum in Chalcedone in martyrio S. Euphemiæ exposuerunt, juxta fidem catholicam, duas naturas in uno Christo Domino, hoc est humanam et divinam, et condemnaverunt Eutychetem et Nestorium hæreticos.

Pridie Id. April. — Pergamo Asiæ nativitas sanctorum Polycarpi episcopi, Pauli, Isaac, Agathonis. Romæ via Aurelia, millario tertio, in cœmeterio Calepodii, nativitas sancti Julii papæ et confessoris. Qui sub Constantio Ariano, filio Constantini, decem mensibus tribulationes et exsilia perpessus, post ejus mortem cum magna gloria ad sedem suam reversus est. Hic constituit ut nullus clericus causam quamlibet ageret nisi in ecclesia, et notitia fidei per notarios colligeretur, et sive cautiones, vel instrumenta, aut donationes, vel commutationes aut traditiones, aut testamenta, aut allegationes, aut manumissiones clericis in ecclesia celebrarentur.

In civitate Verona, sancti Zenonis martyris, de cujus miraculis sanctus papa Gregorius refert quod Athesis fluvius inundans, usque ad superioris ecclesiæ fenestras, ubi corpus ejus jacebat humatum, excreverit, sed intra ecclesiam, ubi fuerat congregata turba fidelium, intrare non potuerit.

Id. April. — Apud Pergamum Asiæ urbem nativitas sanctorum Carpi episcopi, et Papyrii diaconi, et Agathonicæ optimæ feminæ, aliarumque multarum, quæ pro beatis confessoribus martyrio coronatæ sunt. Cum quibus et vir mirabilis Justinus phililosophus, qui in habitu quoque philosophorum incedens, pro religione Christiana plurimum laboravit. Intantum ut Antonino Pio et filiis ejus et senatui librum contra gentes scriptum daret ignominiamque crucis non erubesceret. Cumque jam secundum librum successoribus præfati imperatoris, id est Antonino Vero et Aurelio Commodo, pro religionis nostræ defensione porrexisset, remunerationem linguæ fidelis martyrii munus accepit.

In Chalcedone, sanctæ Euphemiæ, et Eucarpiæ post multa tormenta requiescentis.

In Hispania nativitas beati Herminigildi, quem pater ejus Leovigildus Arianus, rex Gothorum, ob fidei catholicæ confessionem inexpugnabilem in carcerem et in vincula conjecit. Ubi nocte Dominicæ resurrectionis jussu perfidi patris securi in capite percussus, regnum cœleste pro terreno, rex et martyr, intravit. Scribit beatus papa Gregorius in Dialogo suo.

XVIII Kal. Maii. — Romæ via Appia, in cœmeterio Prætextati, nativitas sanctorum Tiburtii, Valeriani et Maximi, sub Almachio urbis præfecto. Quorum primi fustibus cæsi et gladio sunt percussi: ultimus tandiu plumbatis verberatus, donec spiritum redderet.

Interamnis sancti Proculi martyris.

Item sanctæ Domnæ virginis, cum sociis virginibus coronatæ.

Apud Alexandriam beati Frontonis monachi Nitriensis. Qui septuaginta monachos secum in eremum abduxit, ut sequestrati ab hominibus, divinæ contemplationi vacarent. Sed cum eis alimenta deessent, admonnit Dominus quemdam divitem patremfamilias, ut servis suis fame laborantibus alimenta dirigere curaret. Qui cum locum habitationis eorum ignoraret, consilio amicorum prudentium edoctus, septuaginta camelos victualibus oneratos absque ullo humano ducatu in eremum direxit, ut Deus omnipotens eos quo vellet sua providentia perduceret. At illi, per devia et avia, recto itinere usque ad cellam sanctorum pervenerunt. Quibus discretissimus Fronto conspectis Deo gratias agens, et avaritiam cavens, dimidium omnium sibi et suis assumpsit dimidium vero camelis impositum domino suo per ipsos remisit. Qui miraculo simul et beneficio stupefactus, omnibus annis pari modo sanctis Dei annonam subministravit. Qua recreati et aliorum etiam religiosorum adminiculo sustentati, in Dei servitio perstitere devoti.

XVII Kal. Maii. — In Perside, civitate Cordula, nativitas Olympiadis et Maximi nobilium. Qui, jubente Decio Cæsare, fustibus cæsi, deinde plumbatis, ad ultimum capita eorum securibus tunsa sunt, donec spiritum redderent.

In Tuscia nativitas sanctorum martyrum Maronis, Eutychetis et Victorini. Qui cum beata Flavia Domitilla apud insulam Pontianam longum ducentes exsilium, eamque in Christi confessione pio foventes solatio, invidia atque insectatione Aureliani sponsi et persecutoris ejus, quem illa ob Christum contempserat, postmodum a principe Nerva eidem Aureliano in servitutem traditi sunt. Quos ille primum quasi servos per sua prædia singulos divisit, jussitque eos terram fodere per diem, ad vesperum vero cantabrum (*ita ms.*) manducare. Deinde quamplurimos ad fidem Christi cum converterent, et populum credentium ampliarent, repletus ira a diabolo, misit qui vario genere pœnarum interficerent. Nam Eutychen [Eutycheten] in media via tandiu cædi jussit, donec spiritum exhalaret. Cujus corpus rapuit populus Christianorum. Victorinum vero apud locum quem Cotilias appellant, ubi aquæ putentes emanant sulphure, capite deorsum per horas tres suspensum, jussit torqueri. Quod cum per triduum pro nomine Christi perpessus fuisset, migravit ad Dominum. Cumque una die jussu Aureliani corpus ejus inhumatum jacuisset, venerunt Amiternenses populi Christiani, et rapientes in suum territorium transtulerunt. Maronem autem, misso amico suo nomine Turgio, jussit idem Aureliauus duci et saxo ingenti opprimi. Sed, protegente Domino, in nullo eum lædere potuerunt. Quem consularis, accepto ab Aureliano præcepto, interfecit. Corpus vero ejus populus Christianus rapuit, et condigno honore apud urbem Picenum in monte Aureo sepelivit.

In Hispaniis, civitate Cæsaraugusta, nativitas sanctorum octodecim martyrum, Optati, Luperci, Successi, Martialis, Urbani, Juliæ, Quintiliani, Publii, Frontonis, Felicis, Ceciliani, Evotii, Primitivi, Apodemii et reliquorum quatuor, qui omnes Saturnini vocati esse referuntur.

XVI Kal. Maii. — In Achaia, civitate Corintho, nativitas sanctorum Callixti, Charisii, Leonidis, Christianæ, Gallæ, Theodori, qui omnes in mare sunt demersi.

In Mauritania, sanctæ Basiliæ.

Romæ, Aniceti papæ: qui sedit in episcopatu annis undecim, et temporibus Severi et Marci martyrio coronatus, sepultus est in cœmeterio Callixti. Hic constituit ut clerus comam non nutriret secundum præceptum apostolicum.

XV Kal. Maii. — In Antiochia nativitas sanctorum Petri diaconi et Hermogenis, Petri, Fortunati et Martiani.

In Africa sancti Mappalici, qui cum aliis plurimis est coronatus, ut de illis beatus Cyprianus, in epistola ad martyres et confessores, hoc modo scribit inter alia: « Istum nunc beatissimum martyrem, et alios principes ejusdem congregationis et comites, in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione victores, ut cæteri quoque sectemini, et opto pariter et exhortor. Ut quos vinculum confessionis, et hospitium carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis et corona cœlestis. »

XIV Kal. Maii. — Apud Mesenam [Messanam], Apuliæ civitatem, nativitas sanctorum martyrum Eleutherii episcopi et Anthiæ matris ejus. Qui in Aquileia episcopus ordinatus, primum Felicem et Correnum [Corebum] comites convertit ad fidem Christi. Qui sub Adriano imperatore Romam perductus, cum esset et sanctimonia vitæ et miraculorum virtute illustris, in confessione Christi lectum ferreum ignitum, craticulam igni supposito, et sartaginem oleo pice ac resina ferventem superans, leonibus quoque projectus, sed eis mitigatis non læsus, novissime una cum matre gladio jugulatur.

Romæ, Parthenii et Calocerii [Caloceri].

Item Romæ, Apollonii senatoris: qui sub Commodo principe a servo proditus quod Christianus esset, imperatoris ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in senatu legit, et nihilominus sententia senatus pro Christo capite truncatur; veteri apud eos lege obtinente, absque negatione non dimitti Christianos qui semel ad eorum judicium protracti fuissent.

In Salonica civitate nativitas sancti Septimi diaconi.

In Africa, Victoris cum sociis suis.

XIII Kal. Maii. — Apud Corinthum nativitas beati Timonis de illis septem primis diaconibus.

In Armenia, civitate Militana [Melitinæ], nativitas sanctorum Hermogenis, Gaii, Expediti, Aristonici, Rufi, Galatæ, uno die coronatorum.

Caucoliberi Hispaniæ nativitas S. Vincentii martyris.

XII Kal. Maii. — Romæ, S. Victoris episcopi, qui tertius decimus post beatum Petrum rexit Ecclesiam annos decem, et sub Severo principe martyrio coronatus est. Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur, et a quinta decima luna primi mensis usque in vicesimam primam observaretur. Quod eatenus sexta die Kal. Aprilis absque ullius diei discretione vel lunæ observatione celebratum est. Et constituit ut, necessitate cogente, sive in flumine sive in mari, sive in fontibus sub Christiana confessione, quicunque homines ex gentilibus venientes baptizarentur.

Item Romæ, sanctorum martyrum Sulpitii et Serviliani. Qui prædicatione et miraculis beatæ Flaviæ Domitillæ ad fidem Christi conversi, quæ etiam sponsas eorum Theodorum et Euphrosynam ad spem vitæ æternæ et perseverantiam sanctæ virginitatis lusrata fuerat, persecutione Trajani, cum nollent idolis immolare, a præfecto Urbis Aniano capite cæsi sunt. Quorum corpora Christiani rapientes, posuerunt in prædio eorum, via Latina, milliario secundo.

Eodem die in Galliis, civitate Ebredunensi, nativitas sancti Marcelli, primi ejusdem urbis episcopi et confessoris. Qui divino jussu cum sanctis sociis Vincentio et Domnio ex Africa veniens, maximam partem Alpium Maritimarum, verbo et signis admirandis, quibus usque hodie refulget, ad fidem Christi convertit. Ita ut baptisterium quod ipse apud præfatam urbem condidit, in sacrosanctis Paschalis festi vigiliis, divino virtute singulis annis aquis subitis inundaretur, et per septem ejusdem solemnitetis dies gratia exuberante permaneat. Venerabiles socii ejus, apud Dimensium urbem conditi, gloriosis nihilominus miraculis commendantur.

XI Kal. Maii. — In Asia nativitas sancti Maximini martyris, qui tempore Decii imperatoris oblatus est proconsuli, nomine Optimo. Qui cum ab eo tormentis cogeretur ad sacrificandum idolis, et nollet, in equuleo diu tortus, ad extremum lapidibus est oppressus.

Apud Alexandriam nativitas sanctorum Fortunati, Aratoris presbyteri, Felicis, Silvii, Vitalis, qui in carcere quieverunt.

Romæ, sancti Sotheris papæ, qui sedit in episcopatu annos novem, sepultusque est in cœmeterio beati Callixti. Hic constituit ut nulla monacha pallam sacratam contingeret in ecclesia, neque incensum poneret.

In Perside nativitas sancti Simeonis episcopi Seleuciæ, et Ctesiphontis regalium civitatum. Qui persecutione Saphoris [Saporis] regis Persarum, jubente eodem tyranno, comprehensus ferroque onustus, cum iniquis tribulationibus ejus aspectibus exhibitus, de Domino Jesu Christo libera voce et constantissima testaretur, primum carcerali ergastulo cum aliis centum, e quibus alii episcopi alii A erant presbyteri, alii diversorum ordinum clerici, longo tempore maceratus est. Deinde omnibus ante se trucidatis, ad extremum et ipse lictoris ictu percussus, martyrii palmam assecutus est. Erat autem sexta feria septimanæ majoris, in qua ante Resurrectionis festivitatem, annua passionis Christi memoria celebratur. Passi sunt cum eo etiam Ustazadis nutritius regis et major regiæ domus, et Abdella atque Ananias venerabiles senes, et Pusitius princeps artificum regalium, eo quod videns præfatum senem Ananiam sub ictu gladii trementem, exclamaverit confidenter, dicens : « Paululum, o senex, claude oculos, et securus esto, mox Christi videbis aspectum. » Filia quoque ejusdem Pusitii, virgo sacra, perempta est.

B X Kal. Maii. — Romæ, via Appia, in cœmeterio Callixti, nativitas sancti Gaii papæ. Qui cum Ecclesiam undecim annos, menses quatuor, dies duodecim rexisset, martyrio coronatus est sub Diocletiano imperatore. Frater autem ejus beatus Gabinius presbyter, in multis clarissimus passionibus jam finierat triumphum victoriæ suæ, sub eodem impio principe, undecimo Kalendas Martii. Hic constituit ut per omnes primum gradus ascenderet si quis episcopus fieri mereretur, id est ut esset ostiarius, lector, exorcista, subdiaconus, diaconus, presbyter, et libellum valde utilem de Incarnatione Domini conscripsit.

Item Agapiti pontificis, qui sedit Romæ undecim menses. Et ingressus Constantinopolim ad Justinianum imperatorem, Anthemium episcopum Constan- C tinopolitanum, qui duas naturas in Christo negabat, deposuit, et in ejus loco Menam catholicum consecravit.

In Perside, civitate Cordula, nativitas sanctorum Parmenii, Helinæ [Helimenæ] et Chrysoteli presbyterorum, et Lucæ et Marci diaconorum de Babylonia. Quorum primus præcisa etiam lingua loquebatur. Omnes in equuleo suspensi et nexibus attracti sunt. Deinde laminis ardentibus circa latera appositis ustulati, et unguibus lacerati, ad ultimum gladio trucidati sunt, præsente persecutore Decio. Scriptum hoc est in passione sancti Laurentii.

Item in Perside, sanctorum martyrum plurimorum, qui jubente Saphore [Sapore] Persarum rege, annuo die cum passionis Dominicæ memoria cele- D bratur, per totam Persidis regionem tenti ac pro Christi nomine gladio sunt jugulati. In quo fidei certamine passus est etiam Milesius [Milles] episcopus, sanctitate et miraculorum gloria insignis. Acepsimas quoque episcopus cum presbytero suo Jacobo, et Marcas et Bicor nihilominus episcopi cum clericis fere ducentis, et quinquaginta monachis, etiam sacratis virginibns plurimis. Inter quas etiam et sororem sancti episcopi et martyris Simeonis, nomine Tarbuam [Tarbulam], cum pedisequa sua stipitibus alligantes, serraquæ findentes crudelissime necaverunt.

Lugduno Galliæ sancti Epipodii, qui persecutione

Antonini Veri, post gloriosos quadraginta octo martyrum agones, qui in eadem urbe passi sunt, cum Alexandro charissimo collega tentus, ipso interim in carcerem truso, primo os duris pugnorum ictibus cæsus, deinde equulei extensione vexatus, postremo martyrium capitis abscissione complevit.

IX Kal. Maii. — (a) In Perside, civitate Diospoli, passio sancti Georgii martyris, qui sub Datiano, rege potentissimo qui dominabatur super septuaginta reges, multis miraculis claruit, plurimosque ad fidem Christi convertit, simul et Alexandram, ipsius Datiani uxorem, usque ad martyrium confortavit. Ipse vero post multos et inauditos agones novissime decollatus, martyrium suum sanguinis effusione consummavit. Cujus gesta passionis, etsi inter apocryphas connumerantur scripturas, tamen illustrissimum ejus martyrium inter coronas martyrum Ecclesia Dei venerabiliter honorat

Romæ, sancti Naboris. In Alexandria Coronæ martyris.

In Gallia, civitate Valentia, Felicis presbyteri, Fortunati et Achillei diaconorum. Qui a beato Irenæo Lugdunensi episcopo et martyre ad prædicandum verbum Dei missi, cum maximam partem supradictæ urbis ad fidem Christi convertissent, a duce Cornelio in carcerem trusi deinde durissima nervorum flagellatione diutissime verberati sunt. Post etiam revinctis post terga manibus, renibus cruribusque confractis, circa rotarum vertiginem astricti, fumi quoque amaritudine supposita die ac nocte continuata, equulei extensione suspensi, ad extremum gladio perempti sunt. In Fontenella monasterio sancti Wolframi episcopi, præclari in meraculis et doctrina viri.

VIII Kal. Maii. — In Babylone, metropoli Chaldæorum, Ananias, Azarias, Misael, qui ab ipsis nominibus immutatis Sydrach, Mysach et Abdenago nuncupati sunt, de camino ignis ardentis sunt liberati.

In Alexandria, Victoris, Zotici cum aliis plurimis

In Africa, Faustini, Victorini et aliorum plurimorum martyrum.

Apud Lugdunum Clavatum, nativitas S. Alexandri medici, civis Pergamensis, qui tertio post passionem Epipodii die productus e carcere, primo ita laniatus est crudelitate verberantium, ut carne soluta costarum patefactis visceribus, secreta omnino panderentur. Dein crucis affixus patibulo beatum spiritum exanimatus emisit. Passi sunt cum eo alii numero triginta quatuor.

In Britania depositio Melliti episcopi, qui tertius post Augustinum, primum Anglorum episcopum Dorvernensem rexit Ecclesiam.

VII Kal. Maii. — Apud Alexandriam nativitas S. Marci evangelistæ. Qui discipulus et interpres apostoli Petri, rogatus Romæ a fratribus scripsit Evangelium. Quo assumpto perrexit in Ægyptum, et primus Alexandriæ Christum annuntiavit. Meminit et hujus Marci Petrus in prima Epistola, sub nomine Babylonis figurate Romam significans: *Salutat vos quæ est in Babylone Ecclesia et Marcus filius meus* (*maximus* [*meus*]). Qui constitutis et confirmatis Ecclesiis per Libyam, Marmaricam, Hammoniacam, Pentapolim Alexandriam atque Ægyptum universam, ad ultimum tentus est a paganis qui remanserant Alexandriæ. Qui videntes eum die sancto VIII Kal. Maii missas facientem miserunt funem in collo ejus et trahebant eum ad loca Bucoliæ, quæ erant juxta mare sub rupibus ubi erat ecclesia constructa. Et inter trahendum insultantes dicebant: *Trahamus bubulum ad loca buculi.* Hoc autem ideo quia statura procerus erat. Et præ nimio cruciatu, defluebant carnes ejus in terram, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto, miserunt eum in carcerem, ubi circa mediam noctem, primo angelica visitatione confortatus, deinde ipso Domino sibi apparente ad cœlestia regna vocatus est. At mane, dum traheretur ad loca Bucoliæ, gratias agens et dicens: *Domine, in manus tuas commendo spiritum meum*, defunctus est, et a viris religiosis sepultus in loco lapidis excisi cum gloria. Ordinaverat autem pro se Alexandriæ episcopum Anianum. Alios quoque longe lateque episcopos et presbyteros et diaconos Ecclesiis dederat. Passus est autem octavo Neronis anno.

In Syracusa civitate Siciliæ nativitas sanctorum Evodii, Hermogenis et Callixtæ.

In Perside S. Georgii martyris juxta Kalendarium sagacissimi Hieronymi. Cujus passio apud Romanos et pene alios omnes IX Kalendarum Maiarum, ut superius notatum est, celebris habetur. Quod idcirco significandum putavi, ut patriarcha noster Hatto Magontiacensis, qui hoc anno item ab incarnatione Domini (b), caput ejus et aliud quoddam membrum cum plurimis et maximis sanctorum reliquiis in Alemanniam ad novum monasterium suum a Formoso apostolico impetratis asportavit. In ejus solemnitate. S. Georgii videlicet, indicenda, caute se agat, quia et plures in hac die ipsius natalitia celebrare consueverunt. Et festivitas S. Marci evangelistæ a supradicto Hieronymo sancto, priori die, id est octavo Kalendarum Maiarum, auctoritate Eusebii Cæsariensis designata est.

Roma Litania major. Cujus causæ qui nos, utpote barbari et in extremo mundi climate positi sumus ignari, vel ejus quæ ante ascensionem Domini religionis gratia videtur instituta, ut si quid culpæ sordidantis in diebus indulgentiæ contractum videatur vel hoc triduano jejunio diluatur, hic rationem secundum traditionem majorum commodum duximus aperire. S. Avitus Viennensis episcopus refert in quadam homilia quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, a Mamerto ipsius Viennensis urbis episcopo, cui et hic eo tempore

(a) Vide Rabani Martyrologium.

(b) Hic videtur numerus anni excidisse.

præerat institutas fuisse. dum ubs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræmotu frequenti quatiebatur, sed cervorum atque luporum feritas portas ingressa, per totam, ut scripsit, urbem nihil metuens oberrabat. Cumque hæc per anni circulum gererentur, advenientibus Paschatis solemnitatibus exspectabat misericordiam Dei plebs tota devote, ut vel hi magnæ solemnitatis dies huic terrori terminum darent. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum missarum celebrarentur solemnia, subito palatium regale intra muraneum divino igne succenditur. Pavore omnibus perterritis et ecclesia egressis, credentibus ne aut hoc incendio urbs tota consumeretur, aut certe disrupta tellure dehisceret sanctus sacerdos, prostratus ante altare, cum gemitu et lacrymis Domini misericordiam deprecatur. Quid plura ? Penetravit excelsa poli oratio pontificis inclyti, restinxitque domus incendium flumine profluentium lacrymarum Cumque hæc agerentur, appropinquant ascensione, ut jam diximus majestatis Dominicæ, indixit populis jejunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus inde quoque terroribus, per cunctas provincias dispersa facti fama cunctos sacerdotes imitari commonuit, quod sacerdos fecit ex fide. Quæ Litania usque nunc in Dei nomine per omnes ecclesias in compunctione cordis et contritione spiritus celebratur.

VI Kal. Maii. — Romæ nativitas S. Anacleti papæ : qui duobus [*Beda*, quartus post B. Petrum cum Ecclesiam rexisset annis [*Beda*, novem] duodecim, persecutione Domitiani martyrio coronatus est. Hic memoriam B. Petri construxit, et composuit loca ubi episcopi reconderentur. Hic presbyter a B. Petro est ordinatus. Hic ad sacrificandum idolis ductus, sacrificavit ; deinde pœnitentia ductus, pro confessione veræ fidei capite truncatus est.

Ipso die nativitas S. Marcellini papæ, qui cum Ecclesiam novem annos et menses quatuor rexisset, temporibus Diocletiani et Maximiani, ab eodem Diocletiano, pro fide Christi cum Claudio et Cyrino et Antonio capite truncatus est, et post dies triginta quinque sepultus via Salaria, in cubiculo, a Marcello presbytero et diaconibus cum hymnis. Quo tempore fuit magna persecutio, ita ut intra mensem decem et septem millia martyrio coronarentur.

In Gallia Richarii episcopi et confessoris.

V Kal. Maii. — Romæ nativitas S. Anastasii papæ : qui post B. Petrum quadragesimus primus sedit in episcopatu annos tres, dies decem. Hic Manichæos in urbe Roma inveniens damnavit, et constitutum fecit ut nullus transmarinus in clericatum susciperetur, nisi quinque episcoporum designaret chirographum.

In Nicomedia, S. Anthimi episcopi et martyris. qui persecutione Diocletiani ob confessionem Christi martyrii gloriam capitis obtruncatione accepit. Quem tanquam bonum pastorem viam martyrii præeuntem, universa pene gregis multitudo secuta est. Quorum alios præfatus tyrannus apud eamdem civitatem tunc temporis residens, gladio obtruncari alios ignibus conflagrari, alios naviculis impositos, pelago fecit immergi, ipsis fidelium turbis tanta per Dei gratiam fide inflammatis, ut nec interrogari se paterentur, sed ultro vel flammis irruerent, vel cædentibus gladiis cervices objectarent. Scriptum in Historia ecclesiastica, libro septimo.

In Tharso Ciliciæ, nativitas S. Castoris. In Lydia Genesii, Sodalis, Zotici, Elpidii et Eutychii.

IV Kal. Maii. — Apud Ravennam nativitas S. Vitalis martyris, cum [patris] SS. Gervasii et Protasii. Qui militaris cum Paulino judice Ravennam ingressus est, et cum videret in conspectu judicis sui Christianum nomine Ursicinum, arte medicum, natione Ligurium, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam (locus autem ubi decollabatur Christiani hoc habebat vocabulum ut diceretur, ad Palmam, eo quod arbores antiquæ palmæ illic essent) : ille igitur, ut diximus, post nimia tormenta decollandus cum veniret ad Palmam, expavit, et dum mallet male evadere, exclamavit voce magna Vitalis dicens. « Noli, noli, Ursicine medice, qui alios curare consuevisti, teipsum æternæ mortis jaculo vulnerare, et qui per passiones nimias venisti ad Palmam, coronam perdere a Domino tibi præparatam. » Audiens hæc Ursicinus genu posuit, et spiculatorem ut feriret hortabatur, agens pœnitentiam quod expavisset, et sic Christi martyrem se fecit. Statimque B. Vitalis corpus ejus rapiens, et intra Ravennatium urbem sepeliens, ad judicem ultro venire contempsit. Ideoque a Paulino consulari tentus, post equulei tormenta jussus est perduci ad Palmam, et facta fovea profunda quousque perveniretur ad aquam, ibi supinus depositus et terra ac lapidibus est oppressus. Beata vero Valeria uxor ejus, cum post mortem viri Mediolanum tenderet, Sylvano sacrificantes incurrit. Qui cum eam deponentes de saumario hortarentur de idolothytis manducare, nec sibi omnino licitum esse testaretur, quia esset Christiana, tanta ab eis cæde mactata est, ut vix seminecem eam sui homines ad Mediolanensem urbem perducerent, ita ut intra biduum migraret ad Dominum.

Alexandriæ, S. Theodoræ virginis. Quæ sacrificare contemnens, in lupanar tradita miro Dei favore erepta est. Astante quippe jam ad ostium cellæ multitudine juvenum impudicorum, repente quidam a fratribus Didymus nomine, plenus fide, divinitus inspiratus, sumpto militari habitu, primus lupanar irrupit, et sanctæ virgini cur venisset exponens, illi militares imposuit exuvias, ipse virginali veste induitur. Sic virgo egressa et a nullo agnita, ad civitatem fugiens, evasit. Didymus præsidi exhibitus, et omne factum constanter exponens, Christianum se esse confessus, abscisso capite igni traditus est. Beata quoque virgo, quæ pro tuenda virginitate ex lupanari fugerat, amore coronæ continuo ad stadium regressa, simul cum Didymo percussa et simul est coronata.

In Pannonia, Eusebii episcopi, Tiballi et Pollionis.

In Africa, provincia Numidia, sanctorum Manilii, Donati, Maurilii, Luciani, Victorini, Narciæ virginis et aliorum septuaginta duorum.

Item Luciani cum aliis ducenti et septuaginta.

In Tarso Ciliciæ, Malinæ cum aliis centum septuaginta et aliorum multorum.

III Kal. Maii. — In Papho insula, nativitas sancti Tychici apostolorum discipuli.

Apud Alexandriam nativitas sanctorum Germani presbyteri, Prosdoci diaconi.

In Perusio Tusciæ, Valentini et Martiani.

In Bononia, Vitalis et Agricolæ.

In Numidia, apud Cirtensem coloniam, sanctorum martyrum Agapii et Secundini episcoporum. Qui persecutione Valeriani post longum exsilium apud præfatam urbem, in qua tunc maxime gentilium cæco furore et officiis militaribus ad tentandum justorum fidem rabies diaboli infestantis inhiabat, ex illustri sacerdotio effecti sunt martyres gloriosi. Passi sunt in eorum collegio Æmilianus miles, Tertulla et Antonia sacræ virgines, et quædam mulier cum suis geminis.

II Kal. Maii. — In civitate Sanctonis nativitas S. Eutropii martyris. Qui a beato Clemente, apostolorum successore, ad episcopatum consecratus et in Gallias prædicandi gratia directus, impleto hujus officii munere, insurgentibus paganis, quos auctor invidiæ credere non permisit, ictu securis colliso capite victor occubuit.

In Alexandria nativitas sancti Aphrodisii presbyteri et aliorum triginta.

Romæ depositio Quirini episcopi.

Passio sanctorum Mariani et Jacobi, quorum prior lector, sequens diaconus erat. Et cum jam pridem infestationes Decianæ persecutionis in confessione Christi evicisset, iterum cum charissimo collega tentus, apud Cirtensem coloniam, post dira et exquisita supplicia, ita ut Marianus per summos apices pollicum suspensus, et gravi pondere pedibus innexus, crudelissime torqueretur, tunc cæteri in carcere macerati sunt, sed divinis revelationibus mirabiliter confortati; deinde Lambelisitanam urbem ad præsidem directi, et rursum longo tempore carcerali ergastulo mancipati, sed iterum divinis revelationibus allevati, novissime cum multis aliis gladio consummati sunt.

MAIUS.

Mensis Maii habet dies XXXI, *lun.* XXX.

Kal. Maii. — Pausatio Jeremiæ prophetæ. Initium prædicationis Domini nostri Jesu Christi. Natale apostolorum Philippi et Jacobi. Ex quibus Philippus cum totam pene Scythiam ad fidem Christi convertisset, diaconibus, presbyteris et episcopis ibi constitutis, reversus est ad Asiam. Ubi continuæ prædicationi per aliquot annos insistens multitudinem populorum

A Christo, laboribus piis semper inserviens, lucratus est. Quique apud Hierapolim Asiæ civitatem (*a*) dormivit cum patribus suis, exstincta hæresi Ebionitarum, qui Christum Jesum ante incarnationis tempus fuisse negabant, et sepultus est in pace. Jacobus vero qui et frater Domini dicitur, pro eo quod filius materteræ ejus Mariæ perhibetur, cognomento Justus post passionem Domini statim ab apostolis Hierosolymorum episcopus est ordinatus. Hic de utero matris sanctus fuit. Vinum et siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo. Huic soli licitum erat ingredi Sancta sanctorum. Siquidem vestibus laneis non utebatur, sed lineis. Sed cum publice in concilio compelleretur, ut Dominum Jesum Christum
B et Filium Dei esse denegaret, et ille voce maxima protestaretur ad populum dicens: *Quid me interrogatis de Filio hominis? Ecce ipse sedet a dextris virtutis, et venturus est in nubibus cœli;* præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc semianimis, tollens ad cœlum manus diceret: *Domine, agnosce eis, quod enim faciunt nesciunt,* fullonis fuste in cerebro percussus, occubuit. Hic est de quo et apostolus Paulus scribit ad Galatas: *Alium autem apostolorum vidi neminem nisi Jacobum fratrem Domini* (*Gal.* I). Et apostolorum super hoc Acta crebrius testantur. Evangelium quoque, quod appellatur secundum Hebræos, et a beato Hieronymo in Græcum sermonem Latinumque translatum est, post resurrectionem Salvatoris de eo refert: « Dominus autem, venit ad Jacobum Justum, et apparuit ei. Juraverat
C autem Jacobus se non comesturum panem ab illa hora qua calicem Domini biberat, donec videret eum resurgentem a mortuis. » Rursumque post paululum: « Afferte, ait Dominus, mensam et panem. » Statimque additur: « Tulit panem et benedixit et fregit, et dedit Jacobo Justo, dixitque ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus. » Inde est, ut quidam existimant, quod in Epistola Pauli ad Corinthios [ubi] specialiter ei dicitur apparuisse, sic scriptum est: *Deinde visus est a Jacobo* (*I Cor.* XV). Triginta itaque annis Hierosolymitanorum rexit Ecclesiam, id est usque ad septimum Neronis annum, et juxta templum ubi præcipitatus fuerat, sepultus. Scripsit autem unam tantum Epistolam, quæ de septem Canonicis est.

D In Gallia, territorio Vivariensi, S. Andeoli subdiaconi. Quem misit ab Oriente sanctus Polycarpus Smyrnensis episcopus, discipulus beati Joannis apostoli, cum beato Benigno et Andochio presbyteris, et Thyrso diacono, ab prædicandum verbum Dei in Gallia. Cujus prædicatione Cæsar Severus comperta, spinosis fustibus crudelissimo flagellatum in carcerem tradi præcepit. Et alia die productum cum videret superari non posse, jussit ad similitudinem gladii de ligno durissimo ensem fieri, et in crucis modum ejus caput findi. Quod cum factum fuisset,

(*a*) Confunditur hic Philippus apostolus cum Philippo diacono. Vide Baronium.

eliso in terram cerebro, gloriosa morte translatus est ad vitam æternam. Item Jerosolymis passio sancti Judæ sive Quiriadi episcopi, cui revelatum est lignum Dominicæ crucis, et Annæ matris ejus, omnimodis passionibus cruciatæ.

Item in Galliis, territorio Sidunensi, loco Agauno, passio Sigmundi [Sigismundi] regis, filii Gundewaldi regis Burgundionum. Qui cum se cerneret Francis resistere non posse, solus fugiens; coma deposita, habitum religionis suscepit, et jejuniis, vigilis atque orationibus die noctuque vacans, captus a Francis cum uxore ac filiis in puteum demersus occubuit. Postea vero cuidam abbati revelatus, et ab eo reverenter sepultus, etiamnum miraculis claret: adeo ut frigoretici ab eo quasi specialem expetere soliti sint medicinam, et fideliter expetentes nequaquam priventur eadem.

VI Non. Maii. — Notivitas S. Patris nostri Athanasii Alexandrinæ urbis episcopi et confessoris; qui multa Arianorum perpessus insidiis, et maxime Constantii imperatoris, adeo ut sex continuis annis in lacu cisternæ non habentis aquam, nunquam solem conspiciens, latitaverit, totis regni viribus in ejus necem conspirantibus. Sed et ibi a quadam ancilla patrisfamilias, qui ei latebram præbere curaret, proditus, sed divina se gratia protegente servatus, et in sedem suam, Constante Galliarum principe apud fratrem Constantium impetrante, restitutus. Rursumque post mortem illius ob constantiam catholicæ fidei fugatus, usque ad imperium Joviani latuit. A quo demum [illegible] litteris requisitus, ecclesiarum disponendarum statutus in sede sua potestatem accepit. Anno autem sacerdotii sui quadragesimo et ultra, post multos agones multasque patientiæ coronas, quievit in pace, temporibus Valentiniani et Valentis imperatorum. Vitam sancti Antonii anachoretæ futuris generationibus profuturam, eleganti sermone, et plurima sapientia refertam, scriptam relinquens.

Item Alexandriæ Saturnini et Neopolis, qui in carcere requierunt.

Antissiodoro, Optati episcopi et Sanctiani presbyteri.

V Non. Maii. — Hierosolymis, inventio sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi ab Helena regina, post passionem Domini anno ducentesimo tricesimo tertio, regnante Constantino imperatore, filio ejusdem Helenæ. Quam post tam diuturna tempora divina revelatione repertam, et resuscitatione mortui comprobatam, ac per medium divisam, ita cuncto orbi curavit exhibere salubrem, ut pars Hierosolymis in loco Dominicæ passionis relicta, Orientalibus et Austrinis non fieret elongata, et pars Constantinopolim ad filium deportata, Septentrionalibus et Occidentalibus esse videretur ad invisendum aliquantulum propinquata. Quæ Dominica crux in materia insensata vim sensatam et procul dubio vivam retinens, ita ut ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum accommodet, ut [et] detrimenta non sentiat, et quasi intacta permaneat, jugiter dividua sumentibus, et semper tota venerantibus; sed istam imputribilem virtutem et indetribilem soliditatem de illius profecto sanguine creditur accepisse qui passus mortem non vidit corruptionem, imo cunctis in se credentibus immortalitatem providit et incorruptionem.

Eodem die Romæ, via Nomentana, milliario septimo, nativitas S. Alexandri papæ. Qui Romanæ Ecclesiæ episcopatum, quintus post beatum Petrum, annos decem, menses duos, dies decem, sanctitate incomparabilis, rexit, et fide clarissimus maximam partem senatorum Urbis convertit ad Dominum. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis fidelium, et passionem Domini miscuit in prædicatione sacerdotem cum missæ celebrantur. Qui, jubente Trajano Cæsare, ab Aureliano, comite utriusque militiæ, carceri mancipatus, et inde per cœlestem nuntium, ad domum Quirini tribuni, ubi beatus Hermes præfectus in custodia tenebatur, perductus, postquam filiam ipsius Quirini nomine Balbinam in nomine Domini nostri Jesu Christi a struma colli sanavit, et nutricem ejus illuminavit, ipsumque Quirinum in fide Christi confortavit, et eos quos carcer incluserat baptizatos inde liberavit: inter quos etiam duos sanctissimos presbyteros Eventium et Theodulum, idem Quirinus adhuc gentilis constrictos habuit; post hæc omnia et multa alia apostolice facta, exhibitus est ipsi Aureliano cum duobus supradictis presbyteris, et in equuleum levatus, tortus ungulis, atque lampadibus gravissime est attrectatus. Cumque nullas voces emitteret, dixit ei Aurelianus: « Quare taces? » Sanctus Alexander respondit: « Quia tempore orationis Christianus homo cum Deo loquitur. » Tunc eo deposito, jussit applicari Eventium et Theodulum, et interrogavit eum: « Qui sunt isti? » Sanctus Alexander dixit: « Ambo viri sancti, ambo presbyteri. » Quos etiam ipsos cum in confessione Christi constantissimos inveniret, jussit furnum acriter incendi, et beatos Alexandrum et Eventium ligatos in medio præcipitari. Ad quos invictus Theodulus sponte prosiluit in flammas, cumque non læderentur ab igne, fecit Aurelianus beatissimum Alexandrum punctis creberrimis per cuncta pungi membra donec deficeret, sanctos autem duos presbyteros gladio consummari. Quorum corpora Severina religiosa femina colligens, beatum Alexandrum atque Eventium in una sepulcro, sanctum vero Theodulum in altero diligenti accuratione commendavit.

Ipso die, nativitas sancti Juvenalis episcopi.

In Asia, sancti Hermogenis de antiquis.

Antissiodoro, depositio sanctorum Eusebii presbyteri et Aviti diaconi.

Eodem die Heraclii martyris

IV Non Maii. — In Palæstina, civitate Gaza, nativitas sancti Sylvani ejusdem urbis episcopi, qui

persecutione Diocletiani cum plurimis clericorum suorum martyrio coronatus est.

Item in Metallo Panensi [Phennensi], sanctorum quadraginta martyrum, qui simul capite cæsi sunt.

Hierosolymis, Quiriaci episcopi, cognomento Judæ, qui posteaquam Dominicam crucem reperit, et in fide Christi profecit, a beato Eusebio, Romanæ urbis episcopo, Hierosolymorum est antistes ordinatus. Cujus fama Julianus Apostata cognita, cum ad bellum Persicum, ubi et divinitus est interemptus, tenderet, jussit eum ad se perduci. Quem cum nullis terroribus aut promissionibus a confessione Christi posset immutare, jussit dextram ejus abscindi manum, dicens : « In hac manu multas scribens epistolas, multos separavit a sacrificiis deorum. » Sed videns eum immobilem et fixum in Christo perseverare, jussit plumbum bulliens in os ejus infundi, ut et interiora viscera ejus conflarentur. Cumque ne sic quidem ejus constantiam emollire valuisset, jussit grabatum æreum afferri, et in eo sanctum virum extendi, et substerni carbones ignis, et spargi super eum sal et adipem, et desuper virgis cædi. Matrem autem ejus hæc omnia perseveranter aspectantem, et non solum impavidam, sed etiam constantissimam permanentem, ac filium materno affectu confortantem, jussit impiissimus tyrannus per capillos suspensam, pene tribus horis ungulari, et lampades magnas, flamma ardentes, lateribus ejus applicari. Quæ in gratiarum actione inter tam immanes cruciatus perseverans, immaculatum Deo reddidit spiritum. Tunc præcepit Julianus nequissimus fossam fieri altam, et vocavit plurimos incantatores serpentium, et jussit eos nequissimos serpentes afferre, et mitti in fossam et sanctum Quiriacum projici in medio eorum. Cumque serpentes divino nutu mortificati fuissent, et Ammon serpentarius ad tantum miraculum credidisset, capite plexus est. Tunc Julianus consueto sibi more beatum Quiriacum compellans, ut Crucifixum negaret, et ab eo digna invectione coercitus, jussit cacabum magnum impletum oleo calefieri, et in eum sanctum Quiriacum mitti. Sed cum nimium ferbuisset cacabus, ita ut astantes calorem sustinere non possent, dixit sanctus : « Longe recedite, filioli, ut nemo confletur ex vobis, » et faciens in fronte sua signum crucis, ingressus est in cacabum quasi ad lavacrum. Cumque nec sic nocitus fuissent, jussit eum tyrannus de macroconto in pectus percuti. Qui percussus in voce confessionis emisit spiritum, et cum triumpho martyrii pervenit ad Christum. Dies passionis ejus secundum alios hic, secundum Martyrologium vero S. Hieronymi Kalendis Maii celebris habetur.

Item die suprascripto, Nicomediæ, sanctæ Antoninæ. Quæ nimium torta, et variis cruciatibus afflicta, brachio tribus diebus suspensa, et in carcere biennio detrusa, a Priscilliano præside ad ultimum flammis exusta est.

Eodem die in Nicorio [Norico] Ripensi, loco Lauriaco, nativitas sancti Floriani : qui tempore Diocletiani et Maximiani imperatorum, sæviente iniquissimo præside Aquilino, jussus est collum saxo ligato post nimias cædes et lacerationes in flumen Anisum præcipitari. Cumque lictores divino metu pavefacti, impium facinus exhorruissent, quidam juvenis audacior et infelicior cæteris, præcipitavit eum de ponte in fluvium, et statim oculi ejus crepuerunt : unda vero famulatrix corpus sancti martyris in quodam secretiori loco saxo eminentiori deposuit, ubi ei tandiu aquila exhibuit custodiam, donec ipse cuidam religiosæ feminæ eumdem demonstravit, et ei de transferendo corpore suo mandavit.

III Non. Maii. — A Bethania, in monte Oliveti juxta Hierosolymam sita, ascensio Domini nostri Jesu Christi in cœlum. Ubi cum ecclesia regio cultu constructa visatur et tecta, proprie locus ille, in quo novissime stetit et unde ad cœlos corpus incorruptivum libravit, ita sacratus divinæ majestatis impressione creditur, et ab incredulis etiam cernitur, ut nunquam desuper tectum sustinere, aut deorsum marmor, aut aliud pavimentum recipere patiatur, sed in media basilica Dei et hominis ultima vestigia arenæ cernantur omni tempore impressa, ut locum ipsum adeuntes non immerito possint in hanc propheticæ laudationis vocem erumpere : *Adoravimus in loco, ubi steterunt pedes ejus* (*Psal.* CXXXI.)

Apud Alexandriam nativitas sancti Euthymii diaconi, in carcere quiescentis.

Thessalonicæ, Irenæi et Peregrini atque Irenes igni combustorum.

In Gallia quæ dicitur Provincia, civitate Arelatensi, sancti Hilarii episcopi, magni, docti et præclarissimi viri. Qui paupertatis amator, et erga inopum provisionem, non solum mentis pietate, sed et corporis sui labore sollicitus erat. Nam pro reficiendis pauperibus etiam rusticationem contra vires suas et usum, homo genere clarus et longe aliter educatus, exercuit. Sed nec in spiritualibus neglexit : nam et in docendo gratiam habuit, et absque personarum acceptione omnibus castigationem ingessit. Pelagianam quoque hæresim in Collatore maxime deprehendit et corrigere sategit. Inter sua vero Opera ad multorum utilitatem, necessario opere, Vitam sancti Honorati decessoris sui ingenio immortali composuit. Moritur Valentiniano et Martiano imperatoribus.

Viennæ Nectarii et Nicetii episcoporum.

Antissiodoro passio sancti Joviani confessoris.

II Non. Maii. — Romæ, ante portam Latinam, passio sancti Joannis apostoli. Qui ab Epheso, ubi manere consueverat, jussu Domitiani, fratris Titi, secunda in Christianos persecutione quam ipse post Neronem exercuit, ad urbem Romam perductus præsente senatu ante portam Latinam in ferventis olei dolium missus est, agente hoc impio principe qui Christianorum infestissimus persecutor erat, ut tam valido capite detruncato, infirmiora cederent Ecclesiæ membra. Sed beatus apostolus tam illæsus a pœna immanissima exiit, quam a

A corruptione carnis permansit immunis. Tunc in Pathmum insulam relegatus exsilio, Apocalypsin vidit et scripsit. Ad commendandam ergo ipsius dignam memoriam et apostolicam in fide et confessione Domini nostri Jesu Christi constantiam, Christiani basilicam, ipsius nomine ac memoria gloriosam, in supra dicto loco ante portam Latinam præclaro opere condiderunt, ubi festivum concursum pridie nonas Maias annuatim usque hodie facere non desistunt; quod et in plurimis Ecclesiæ catholicæ locis religiose solet actitari. Post mortem vero Domitiani, omnibus ejus constitutis senatus judicio cassatis, inter alios diversis ex causis ab eo damnatos et in exsilia detrusos, etiam beatus apostolus Joannes indulgentia Nervæ imperatoris dimissus, et ad Ephesum redire permissus, Ecclesiam, ad tempus absentia sua destitutam et contristatam, adventu B suo lætificavit, et exemplis instructam dictis et scriptis in perpetuum confortavit. Porro propter nimiam crudelitatem, et impiissimi persecutoris ejus Domitiani facinora, in eo, ut historiographi referunt, et domus et nomen Cæsarum defecit. Ut vero etiam postea reges Romanorum Cæsares appellarentur, antiqua consuetudo et maxime apud barbaras nationes obtinuit.

Eodem die nativitas beati Evodii Antiochenæ Ecclesiæ episcopi, qui primus ab apostolis ibi est ordinatus episcopus. De quo ipse Paulus Philippensibus scribens ait: *Evodium rogo, et Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino Jesu Christo* (*Philipp.* IV).

C Item nativitas beati Lucii Cyrenensis, qui apud Cyrenen primus episcopus a sanctis apostolis est constitutus. Quem etiam in Actibus apostolorum (*cap.* XIII) sanctus Lucas evangelista in catalogo virorum commemorat perfectissimorum.

Item Mariani et Jacobi juxta quosdam, et aliorum plurimorum.

Antissiodoro depositio S. Valerii episcopi.

NON. MAII. — Nativitas sancti Juvenalis martyris et beatissimæ atque illustrissimæ Dei famulæ, Flaviæ Domitillæ. Quæ cum esset Flavii Clementis consulis ex sorore neptis, et a sancto Clemente sacro velamine ad integritatis perseverantiam consignata, persecutione Domitiani, anno principatus ejus decimo quinto, ob testimonium quod Christo perhibebat, cum aliis plurimis, in insulam Pontia- D nam exsilio deportata, longum inibi martyrium duxit. Novissime cum ab Aureliano sponso suo, quem pro Christo contempserat, et cujus accusatione exsilio fuerat relegata, translata esset ad Terracinam, urbem Campaniæ, et doctrina ac miraculis primo Euphrosynam et Theodoram collactaneas et convirgines suas, deinde etiam alios ad fidem Domini convertisset; inter quæ magnalia prædictus Aurelianus, infestissimus persecutor ejus, divina virtute exstinctus est: a Luxurio fratre ejus incenso cubiculo in quo simul cum præfatis virginibus clausa abatur, cursum gloriosi martyrii consummavit sub persecutione Trajani. Altera vero die sanctus diaconus nomine Cæsarius invenit corpora sanctarum illæsa: in facies enim suas prostratæ, orantes Dominum recesserunt. Quarum corpora idem sanctus diaconus et martyr inclytus in sacrophago novo simul condiens, in profundo terræ infodiens, sepelivit. Luxurium vero dum ad convivium properaret, coluber de ramo arboris per capitium ad cor ejus ingressus, enectum et turgidum ad spectaculum et exemplum infidelium dereliquit.

Item Romæ depositio Benedicti pontificis, qui sedit menses decem, imperante Constantino. Hic ab ineunte ætate in Ecclesia militavit, paupertatis semper amator. Sepultus est apud beatum Petrum.

Apud Nicomediam passio sanctorum martyrum Flavii et Augustini, et trium fratrum Marcellini, Macrobii et Eutychii.

In Africa Celerini, Maximi, Victuri, Potentillæ, Faustinæ et aliorum innumerabilium, Augustoduno depositio beati Placiti episcopi.

VIII ID. MAII. — Mediolani natalis sancti Victoris. Qui natione Maurus, et a primæva ætate Christianus, cum esset in castris imperialibus miles, etiam canitie decoratus, compellente Maximiano imperatore ut sacrificaret idolis, in confessione Domini fortissime perseverans, post ergastulum carcerale, ubi sex dies sine cibo et potu permansit, primo graviter fustibus et flagellis cæsus, deinde liquenti plumbo perfunsus, sed nihil penitus læsus, novissime gloriosi martyrii cursum capitis abscissione complevit. Cujus corpus apud Silvam quæ ad Ulmos vocatur bestiis et volucribus projectum, sed per integram hebdomadam a nulla earum contaminatum, a sancto Materno episcopo collectum et honorifice sepultum est. Erat autem civis sanctorum Narboris et Felicis, qui, in Africa decollati, simul cum Januario et Marino Mediolanum translati sunt.

Constantinopoli Agathi militis et aliorum valde multorum.

In Ægypto, Victoris et Stephanæ.

In Sanctonico depositio S. Martini presbyteri.

Antissiodoro Helladii episcopi.

VII ID. MAII. — In Axiopoli, Quirilli, Quindei, Zenonis.

In Tharso Ciliciæ, Afrodisii.

Constantinopoli translatio S. Timothei.

In Perside, sanctorum trecentorum et decem martyrum.

Apud Nazanzi oppidum, depositio beati Gregorii episcopi, qui Theologus dicitur, nobilis, Athenis eruditus, collega beati Basilii, Cæsareæ Cappadociæ postea episcopi. Quique cum se totum Dei servitio mancipasset, tantum de collegæ amore præsumpsit, ut sedentem Basilium de doctoris cathedra deponeret ac secum ad monasterium manu injecta perduceret, ibique per annos tredecim, omnium Græcorum sæcularium libris remotis, solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant. Postmodum

vero apud Nazanzum oppidum episcopus ordinatus, hæreticorum turbinem fidei serenitate dispulit. Deinde etiam Constantinopolim ad corrigendam vocatus, ire et ejus curam suscipere non abnuit. Qua in fide catholica roborata, ne cupiditate illectus ditioris invasor æstimaretur, ad pauperrimam sedem suam reversus, quod superfuit vitæ in ea tempus exegit. Et quoniam fessa jam ætate et corpore invalidus erat, successorem sibi delegit, quo Ecclesiam gubernante debilitatis et senectutis otio frueretur.

VI Id. Maii. — Depositio beati Job prophetæ.

Romæ Faltonis, Pinianæ et Anitiæ, Lucinæ, conjugis ejus, cum aliis plurimis martyribus.

Item, Romæ Calepodii senis presbyteri sub Alexandro imperatore, qui eum fecit occidi a Laodicio, et corpus trahi per civitatem, atque in Tiberim jactari, die Kalendarum Maii. Quod inventum piscatores levaverunt et narraverunt Callixto episcopo. At ille acceptum condivit cum aromatibus, et linteaminibus involutum sepelivit in cœmeterio ejusdem, via Aurelia, milliario ab Urbe tertio, in crypta, sexto Idus Maii. Tunc decollatus est ab Alexandro Palmatius consul cum uxore et filiis, et aliis promiscui sexus quadraginta duobus, cum quibus et Simplicius senator, qui per doctrinam Callixti papæ et Calepodii presbyteri nuper fuerant baptizati. Scriptum in passione beati Callixti papæ.

Eodem die natale beati Gordiani martyris, qui sub Juliano impiissimo imperatore passus est. Nam cum prædictus tyrannus præcepisset eidem Gordiano vicario suo adhuc gentili ut Januarium presbyterum diligenter examinaret, si quo modo illum posset avertere a fide Christi, sanctus autem Januarius eum magis lucratus esset Christo cum uxore ipsius nomine Marina, et familia promiscui sexus, numero quinquaginta tribus et eo amplius, atque universos baptismatis unda consecrasset: audiens hoc impissimus Julianus, iracundia plenus, sanctum Januarium presbyterum proscriptione damnavit, sanctum vero Gordianum in custodia publica posuit, atque cuidam Clementiano, quem vicarium ejus loco deputaverat, commisit; porro uxorem ejus Marinam ad Aquas Salvias in servitio rusticorum opprimi fecit. Cum autem vidisset Clementianus quia sanctum Gordianum nullo modo a statu fidei suæ posset avertere, jussit eum primo plumbatis cædi, dein capite truncari, et corpus ejus ante templum Apollinis intellude [*f* palude] jactari. Quod cum factum Christiani comperissent, corpus ejus nocturno silentio rapientes, milliario plus minus uno ab urbe Roma posuerunt in crypta in cœmeterio Prætextati, ubi jam pridem corpus beati martyris Epimachi sepultum fuerat. Quem ferunt unum de septuaginta discipulis Domini Jesu Christi fuisse.

V Id. Maii. — Passio sancti Evellii martyris. Qui antea consiliarius Neronis imperatoris fuit; sed videns constantiam Christianorum quomodo martyrizarentur, et præcipue patientiam sancti Torpetis, et mirabilia quæ per eum facta sunt, credidit Christo, ita ut etiam pateretur pro illo.

Romæ, via Salaria, milliario vicesimo secundo; S. Anthimi.

In Africa, Majoli, Victorini, Fortunati et aliorum multorum.

In Asia nativitas sanctorum Demetrii et Thadæi.

Viennæ, beatorum episcoporum Martini et Materni. Quem Maternum ob clades imminentes, solemni ante Ascensionem Domini litanias instituisse retulimus.

Item depositio Nepotiani presbyteri, nepotis Heliodori episcopi de sorore, in cujus epitaphii consolatione S. Hieronymus totum mundum, pro eis quæ in eo fiunt malis et accidunt calamitatibus, in luctum et lamentationem convertit.

IV Id. Maii. — Romæ, in cœmeterio Prætextati, nativitas sanctorum Nerei et Achillei fratrum. Qui fuerunt eunuchi beatæ Flaviæ Domitillæ, cum ea apud insulam Pontiam longum pro Christo duxerunt exsilium. Postmodum vero ab Aureliano sponso Domitillæ, quem ipsa ob amorem Christi spreverat, primo verberibus gravissimis arctati [attrectati], deinde Moninic Ruffo [Memmio Rufo] consulari sunt traditi. A quo cum equuleo et flammis compellerentur ad immolandum, et dicerent se a beato Petro apostolo baptizatos, nulla ratione idolis immolare, capite cæsi sunt. Quorum corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, nutritor sanctæ virginis Domitillæ in crypta arenaria, via Ardeatina sepelivit, a muro Urbis miliiario uno et semisse.

Item via Aurelia, milliario secundo, sancti Pancratii martyris. Qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione complevit. Cujus reverendum corpus, Octavilla illustrissima femina occulte noctu sublatum aromatibus conditum sepelivit.

Eodem die, beati Dionysii, patrui ejusdem sancti Pancratii. Cujus studio item Pancratius baptizatus, et in timore Dei confortatus ad martyrium animatus est. Ipse vero cum præmiis cœlestibus charus et Deo dignus, diem hujus vitæ ultimum in pace conclusit.

Item passio sacratissimæ virginis Sotheris, genere nobilis, sub Diocletiano Augusto.

Item passio sanctorum Joannis, Achillis, Moysei Aphroditi, cum aliis numero quingentis quatuor.

Apud Cyprum, S. Patris nostri Epiphanii episcopi Salaminæ.

III Id. Maii. — Natalis S. Mariæ ad Martyres. Cujus festivitatis ista est ratio. Sub Phoca imperatore, beatus Beneficius [Bonifacius] papa in veteri fano quod Pantheon vocabatur, ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis et omnium Martyrum dedicavit.

Cujus dedicationis sacratissima dies tertio Idus Maii Romæ agitur. Festivitas autem omnium Sanctorum Kalendis Novembris toto orbe terrarum religiosissime celebratur.

Eodem die, S. Servatii Ecclesiæ Tungrensis episcopi. Qui tempore quo Hunni Germaniam vastabant, ne civitatis atque Ecclesiæ suæ videret excidium, divina revelatione commonitus, transiit ad vicum Trajectensium, ibique defunctus atque in medio publici aggeris est sepultus. Ob cujus meritum hominibus demonstrandum cum tempore hiemis omnia nix in circuitu repleret, nunquam sepulcrum ejus operuit, donec industria civium,instante etiam successore ipsius Munolfo, basilica super illum ædificata est.

Antissiodoro depositio S. Marcelliani episcopi.

In Alexandria, Aphrodisii, Agrippæ et multorum Martyrum.

In Pollentia passio sanctorum Victoris et Saturnini.

Pridie Id. Maii. — In Ægypto depositio sancti Patris nostri Pachomii. Qui cum esset factis apostolicæ gratiæ insignis, fundatorque Ægypti cœnobiorum,scripsit monachorum Regulas,quas angelo dictante didicerat,simul et de tempore paschali.

In Syria nativitas S. Victoris et Coronæ sub Antonino imperatore, duce Alexandriæ Sebastiano. Erat autem Victor miles a Cilicia. Cui Sebastianus in confessione fidei digitos confringi et evelli jussit a cute, deinde illum in caminum ignis mitti, ubi triduo permanens non est læsus. Deinde venenum bibere jussus non est mortuus,sed veneficum potius ad fidem convertit. Deinde jussum est nervos corporis ejus tolli, deinde oleum bulliens in pudendis ejus mitti. Post hæc lampades ardentes suspensæ ad latera applicari. Post hæc acetum et calcem simul misceri, et in os ejus infundi. Deinde oculos ejus erui.Deinde per triduum capite deorsum verso suspendi.Et cum adhuc spiraret, præcepit eum judex iniquitatis excoriari. Tunc Corona eum esset uxor militis cujusdam, cœpit beatificare sanctum Victorem pro gloria martyrii, et dum hoc faceret, vidit duas coronas de cœlo lapsas,unam Victori et alteram sibi missam.Cumque hoc cunctis audientibus protestaretur, tenta est a duce. Jussumque est duas arbores palmæ curvari adinvicem,et cannabineis funibus ligari Coronam in utraque manibus et pedibus, et sic arbores dimitti.Quod dum fieret divisa est Corona in duas partes. Erat autem annorum sedecim. Tunc quoque Victor decollatus, et in omnibus victor effectus, simul cum Corona coronam vitæ perennis et martyrii palmam accepit.

In Asia, beati Maximini.

Mediolani, Victoris, Naboris, Felicis, Rustici.

Item quadringentorum sanctorum,qui cum sancto Quiriaco passi sunt.

In Africa,Secundiani et multorum Martyrum.

Id. Maii. — In Hispaniis nativitas beatorum confessorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indelatii [Indaletii], Cæcilii, Hesychii. Euphrasii. Qui Romæ a sanctis apostolis episcopi ordinati, et ad prædicandum verbum Dei ad Hispanias, tunc adhuc gentili errore implicitas, directi sunt.Cumque civitatem Accitanam venissent, et propter laborem itineris modicum quiescentes, causa victus emendi discipulos in urbem misissent, mox paganorum multitudo, qui tunc forte diis suis festa celebrarent, eos usque ad fluvium persecuta est. In quo pons miræ magnitudinis et firmitatis exstructus,transeuntibus sanctis, Dei nutu cum omni insequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum cæteri territi,ei cujusdam magnæ senatricis Lupariæ,quæ divinitus inspirata,eos benigne suscipiens,credidit,exemplum secuti, relictis idolis Christo Domino crediderunt.Post hæc vero diversis urbibus evangelizantes et innumeras multitudines Christi fidei subjugantes, Torquatus Acci,Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indaletius Urci, Cæcilius Heliberri [Hiberi], Hesychius Carcesæ [Cærtesœ], Euphrasius Heliturgi [Illiturgi] quieverunt. Exstat usque hodie illustre miraculum, ad commandationem pretiosæ mortis eorum. Nam eadem solemnitate apud præfatam Accitanam urbem ad sepulcrum sancti Torquati arbor olivæ divinitus florens maturis fructibus onustatur.

Apud insulam Chium nativitas sancti Isidori martyris, in cujus basilica puteus, in quo et fertur injectus. De cujus aqua energumeni et febricitantes, vel reliqui infirmi sæpius potati, salvantur.

Lamosaco [Lampsaci] passio sanctorum Petri et Andreæ, Pauli et Dyonysiæ. In Sardinia Simplicii.

XVII Kal. Jun. — In Isauria nativitas sanctorum Aquilini et Victoriani.

Antissiodoro passio sancti Peregrini,primi ejusdem urbis episcopi.

In civitate Piceno, Florentii et Diocletiani. Apud Ephesum, Miogenis, Gaiani et Jovini.

In civitate Cortina, Vincentii et aliorum.

Apud Castrum Tricassinum depositio Fidulii [Fidoli] presbyteri.

In pago Forojuliensi,vico qui dicitur Calidianus, sanctæ Maximæ virginis, quæ multis clara virtutibus in pace quievit.

XVI Kal. Jun. — In Tuscia,civitate Pisana, nativitas sancti Torpetis martyris sub Nerone principe. Qui magnus quidem prius in officio Neronis Cæsaris fuit, sed a beato Antonino presbytero baptizatus, et in fide Christi eruditus est. Quem cum Nero cognovisset esse Christianum,tradidit cuiquam propinquo suo Satellico, ut eum sacrificare compelleret. Sed cum Spiritu Dei confortatus beatus vir, et in fide fundatus immobilis permaneret,fecit eum Satellicus alapis cædi,et ligatum ad columnam tandiu verberibus affici,quousque sanguis guttatim de corpore ipsius efflueret.Sed subito dum martyr cæderetur, columna cadens oppressit judicem,et cum eos viros quinquaginta.Inde tentus a ministris,positus est in rota. Inde feris objectus a filio Satellici, sed minime læsus ab eis. Cujus constantiam et virtutem quidam consiliarius Neronis,Evellius nomine inspiciens,Christo credidit,ac post paululum baptizatus,decollatus est in urbe Roma martyriique ho-

nore coronatus. Sed et beatus Torpes, jubente Sylvio, foras civitatem Pisanam ductus, decollatione martyrium suum complevit tertio Kalendas Maii. Cujus festivitas et conventus civium decimo sexto Kalendas Junii agitur. De quo etiam fertur quod ingens machina, quam adversarius Dei Nero ad similitudinem cœli commentando fabricavit, meritis et orationibus ejus in flumen Auxarum præcipitata fuerit, ita ut nusquam comparuerit.

In Alexandria, Victoris et Basilii.

Romæ, beati Parthenii.

Leviduno, Heraclii [Novioduni, Heradii], Pauli et aliorum.

Item depositio beati [*f.* Brandani] Præandini confessoris.

XV Kal. Jun. — In Alexandria, Potamonis, Hortasii et Serapionis presbyterorum.

Item in Ægypto, Dioscori lectoris, in quem præses multa et varia tormenta exercuit, ita ut ungues ejus effoderet, et lampadibus ejus latera inflammaret. Sed cœlestis luminis fulgore territi ceciderunt ministri. Novissime laminis ardentibus adustus, martyrium consummavit. Constantinopoli Hesychii et Eustachii.

XIV Kal. Jun. — Romæ nativitas sanctæ Pudentianæ virginis, quæ illustrissimi generis Pudentis, discipuli sancti Pauli apostoli, filia fuit. Cujus mater Sabinella, soror Praxedis. Quas piissimus pater earum Pudens in omni religione Christi erudivit, Christoque virgines reliquit. Quæ post obitum patris ita in omni exercitatione pietatis excreverunt, ut die noctuque incessanter hymnis et orationibus cum familia sua Domino inservirent. Quam totam beatissimus Pius urbis Romæ episcopus baptismatis unda consecratam, chrismatis unctione et quotidiana exhortatione confirmavit. Beatæ vero virgines Christi post innumeros Christi agones, et multorum martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates suas in visceribus pauperum inclusas, Christoque fideliter commendatas, tandem de terris ad cœlestia regna migraverunt. Pudentiana quidem decimo quarto Kalendas Junii posita in cœmeterio Priscillæ, via Salaria. Praxedis vero, duodecimo Kalendas Augusti. Quæ ab apostolis susceptum in Christo baptismatis candidatum, usque ad finem vitæ custodierunt immaculatum.

Item Romæ nativitas sanctorum Calocerii et Parthenii, eunuchorum uxoris Decii imperatoris. Qui cum essent, unus præpositus cubiculi, alter primicerius, nolentes sacrificare idolis, a Decio sunt occisi, et a Christianis juxta viam Appiam sepulti.

In Alexandria, sancti Irenæi diaconi.

In Africa, sanctorum Quinti, Primulii, Salustii et multorum martyrum.

XIII Kal. Jun. — Romæ, via Salaria, nativitas sanctæ Basillæ virginis et martyris Christi. Quæ cum esset ex regio genere, et haberet sponsum illustrissimum, nomine Pompeium, per beatam Eugeniam et sanctos Dei viros Protum et Jacinthum ad fidem Christi conversa, accusata est a præfato sponso suo apud Gallienum Augustum, quod esset Christiana. Qui eodem tempore immanissimus Ecclesiæ persecutor, decrevit ut aut sponsum Basilla repeteret, aut gladio interiret. Quæ conventa super hoc, respondit se Regem regum habere sponsum, Christum videlicet veri Dei Filium. Et cum hæc dixisset, gladio transverberata est.

In Gallia civitate Nemauso passio sancti Baldelii (Baudelii). Qui a paganis deorum suorum sacrificia celebrantibus comprehensus, cum sacrificare nollet, sed in fide Christi immobilis inter verbera et tormenta persisteret, martyrii palmam pretiosa morte percepit, et creberrimis signis clarus effulsit.

Biturigis depositio Austregisili episcopi et comessoris.

XII Kal. Jun. — In Mauritania, civitate Cæsariensi, nativitas sanctorum Timothei, Pollii et Eutychii diaconorum. Qui apud præfatam regionem verbum Domini disseminantes, pariter coronari meruerunt.

Apud Cæsaream Cappadociæ, sanctorum Polyeucti, Victorii, Donati.

In Britannia, Timothei diaconi.

Antissiodori depositio beati Valis presbyteri, a quo nostrates æstimo nomen Valentis mutuatos.

XI Kal. Jun. — Romæ nativitas sanctorum Faustini, Timothei, Venusti cum sociis eorum.

In Corsica, sanctæ Juliæ, quæ crucis supplicio coronata est.

In Africa Casti et Æmilii, qui per ignem passionis martyrium consummaverunt. Scribit beatus Cyprianus in libro de Lapsis.

In civitate Antissiodorensi depositio beatæ Helenæ virginis.

X Kal. Jun. — Apud Lingones passio sancti Desiderii episcopi. Qui cum plebem suam ab exercitu Wandalorum vastari cerneret, ad regem eorum pro ea supplicaturus exivit. A quo statim jugulari jussus, pro ovibus sibi creditis cervicem libenter tetendit, et percussus gladio migravit ad Christum. Percussor vero ejus mox amentia correptus, interiit. Sepultus est idem beatus martyr in basilica intra urbis muros. Quod fidelium populus a Christo ei commissus præcipuo amore ipsius, et pia devotione ad tutelam civium fieri procuravit, contra pessimam quorumdam consuetudinem, qui ne sanctissimos quidem in urbibus tumulari voluerunt, dicentes civitatem civium esse viventium, non cadaverum defunctorum. Passi sunt cum eo et plures alii de numero gregis sui, et apud eamdem urbem conditi.

Eodem die, apud Viennam nativitas sancti Desiderii ejusdem urbis episcopi. Qui passus est quidem in territorio Lugdunensi in villa Prisciniaca, super fluvium Calaronam : modo autem in Viennensi ecclesia sepultus, honorifice servatur. De quo quia venerabilis Pater Ado, ejusdem Ecclesiæ nostra ætate pontifex, utpote in præsentia posito, et ob id

suis in cunctis notissimo, aliquid speciale dicere superfluum existimavit, nos juxta scriptum quod idem apostolicus vir, anno ab incarnatione Domini 870, indictione tertia, per virum sanctissimum Beroldum presbyterum indigenam eorumdem locorum, sed nunc in castro Turico Christi servitiis insistentem, cum reliquiis ipsius sancti martyris Desiderii et aliorum sanctorum pignoribus atque agonibus, nobis in cœnobio beati Galli constitutis dixerit, pauca de eo summatim attingentes, earumdem rerum ignaris insinuare curavimus. Igitur incestuosissima regina Brunichildis, Hispanis superba divitiis, et Arianis infecta venenis ideoque omnibus corrupta vitiis, postquam electos advenas, peregrinos quidem mundi, sed cives sanctorum et domesticos Dei, Columbanum scilicet et discipulos ejus, quorum Gallus noster pars præcipua fuit, flagitia sua non ferentes, a Francorum finibus expulit, et sanctus Desiderius tali solatio destitutus, non jam ovem erroneam, sed indomabilem bestiam corrigere studeret, hoc ab ea pro beneficiis recepit ut in exsilium truderetur. Ubi quadriennio diversis quidem laboribus fatigatus, sed tamen gratia Dei suos ubique comitante adjutus est ac relevatus, adeo ut non solum ipse necessariis non careret, sed et omnibus se devota mansuetudine quærentibus proficua subministraret. Nam quidam totus lepra exasperatus, tactu sancti viri, inspectante populo, sanitati est restitutus, et cincindele, quod ad primum insulæ ad quam exsilio deportatus fuerat, ingressum, ipse manu sua accenderat, per omne illud tempus ardens et non deficiens, in oleis et sanctitatem tumuli Dei ostendit, et multis infirmantibus omnimodam salutem suo unguine recuperavit. Vasculum etiam vini, quod ad refocillandum pauperem Christi minister ejus custodela cautissima servare curavit, sed eo jubente plurimis adventantibus inde præbendo se exinanisse timuit, lætus iterato divina largitate repletum invenit. Sed cum industria consacerdotum suorum diu desideratus ad sedem suam reversus esset, nec tamen fonti iniquitate profluo cursum liberum permisisset, sed intra legitimos terminos coercere studuisset, tum vero rapacissimi, imo furentis fluvii more, omnes justitiæ metas Brunichildis excedens, et committens operariis iniquitatis propugnatorem veritatis, ad Lugdunensem urbem, quasi ad concilium, re autem vera ad supplicium, deduci præcepit. Quorum aliis virum Dei perimere dissimulantibus, alii, qui et insaniores fuerunt, orantem illum lapide primum in cerebro graviter vulneratum, deinde vallo acutissimo in cervice confossum, ab hac ærumnosa vita crudelitate nimia propulsarunt. Passus est sanctus Desiderius nullo crimine impetitus, sed criminosis invisus, die supra memorato, in vico Prisciniaco, temporibus Mauritii imperatoris et Theodorici Burgundiorum regis, factione Brunichildis, non reginæ sed meretricis, adnitentibus Bettone, Ephano atque Gasifredo comitibus. In diebus autem Etherii successoris sui Viennam cum magna gloria translatus, et extra urbem in ecclesia beatissimorum Petri et Pauli apostolorum inter antecessores suos martyres et confessores tertio Idus Februarii sepultus, quotidie signis et virtutibus mirabilis apparet et vivus.

Eodem die, in Hispaniis, Epictii [Epitacii] et sancti Basilii [Basilei].

In Africa, Quinti et Lucii atque aliorum multorum.

IX Kal. Jun. — Nativitas sancti Manahe, Herodis tetrarchæ collactanei, doctoris et prophetæ, sub gratia Novi Testamenti apud Antiochiam in Christo quiescentis.

Item beatissimæ Joannæ uxoris Chuzæ, procuratoris Herodis, quæ in Evangelio commemoratur (*Luc.* VIII, XXIV).

In Portu Romano, sancti Vincentii martyris.

In Galliis civitate Nannetis, passio sanctorum Donatiani et Rogatiani fratrum. Qui ab impio præside compedibus impediti, carcerali sunt ergastulo mancipati. Indeque producti, cum a confessione nominis Christi non possent ullo modo coerceri, jussi sunt equuleo suspendi et diu torqueri. Cum neque sic possent emolliri ad consentiendum idolis, militari lancea cervicibus perfossi, tandem martyrium consummaverunt, gladio capitibus amputatis. Sed quia vulgari accusatione insperato ad tribunal præsidis sancti Dei sunt evocati, ut Rogatianus aqua baptismatis non posset emundari, quid de eo cautissimus Ecclesiæ doctor Augustinus sentiat, sententiis ejus in medium proferre non solum commodum, sed et valde necessarium duxi: « Qui baptismatis sacramentis initiandi sunt, inquit, prius abrenuntiare solent diabolo et omnibus operibus et pompis ejus, deinde post confessionem unius veri Dei, Patris videlicet, et Filii, et Spiritus sancti, aqua intingi vel perfundi; et martyres, contemptis idolis et abdicatis, propter eamdem confessionem in ignem aut certe in aquam demerguntur, aut proprii sanguinis effusione perfunduntur. Moris est etiam baptizatos sacro chrismate perungi, sancti Spiritus invocatione confirmari: et martyres nisi ejusdem Spiritus unctione confortati, nequaquam vel ad certamen accederent, vel omnimoda tormentorum genera constantissime superarent. Jam baptizati ac fideles perceptione corporis et sanguinis Domini eidem consueverunt incorporari et martyres cum pro Domino patiuntur, ipsius corpus efficiuntur. Martyres igitur tanto perfectius omnia ecclesiastica sacramenta consequuntur, quanto et post percepta, mox sine ullo contagio ab hac ærumnosa vita rapiuntur. »

Eodem die, in Istria nativitas sanctorum Zoelli, Servuli (Servilii), Felicis, Sylvani et Dioclis.

VIII Kal. Jun. — Romæ via Nomentana, in cœmeterio Prætextati, nativitas sancti Urbani papæ et martyris, cujus doctrina sub persecutione Alexan-

dri multi martyrio coronati sunt. Hic constituit ut nulla esca repudieratur a Christianis, quæ rationabilis esset et humana.

Mediolani, sancti Dionysii episcopi et confessoris. Qui ab imperatore Constantio Ariano apud Cappadociam pro fide catholica damnatus exsilio, ibidem requievit. Reliquias corporis ejus, per sanctum Basilium præfatæ urbis Episcopum receptas, beatus Ambrosius condigno condidit honore. Licet alii contendant quod in Armeniam apud Reditium civitatem exsiliatus, ibidemque defunctus, per sanctum Aurelium ejusdem urbis episcopum Mediolanum sit translatus, et quod idem Aurelius ibidem infirmatus ac mortuus, in eodem cum sancto Dionysio monumento, sicut in vita condixerant, fuerit tumulatus.

Item Romæ, Eleutherii papæ, qui sedit in episcopatu annos quindecim, et accepit epistolas a Lucio Britannorum rege, ut per ejus mandatum fieret Christianus. Quod et factum refertur per Timotheum virum sanctum, ita ut idem Lucius, spretis omnibus mundialibus rebus, nudus et expeditus peregrinatione suscepta, partem Bejoariorum et totam Rhetiam inter Alpes sitam miraculis et prædicationibus ad fidem Christi convertisse credatur. Cujus sepulcrum, id est qui in Rhetia requiescit, sive rex quondam ille, sive quicunque servus Dei fuerit, creberrimis virtutibus illustratur.

Eodem die apud Mæsiam, civitate Doroscoro, nativitas sanctorum martyrum Pasicratis, Valentionis et aliorum duorum simul coronatorum.

VII Kal. Jun. — Nativitas sancti Quadrati, Apostolorum discipuli, qui in locum beati Publii Athenarum episcopus constitutus, Ecclesiam grandi terrore dispersam fide et industria sua congregavit. Cumque Adrianus Athenis exegisset hiemem, invisens Eleusinam, et omnibus pene Græciæ sacris initiatis dedisset occasionem, eis videlicet qui Christianos oderant, absque præcepto imperatoris vexare credentes, porrexit ei librum pro nostra religione compositum, valde utilem plenumque rationis et fidei, apostolica doctrina dignum : in quo et antiquitatem suæ ætatis ostendens, ait plurimos a se vivos qui, sub Domino variis in Judæa oppressi calamitatibus, sanati fuerant. Qui una cum filiabus Philippi in prophetica gratia celeberrimus fuit.

Item in Africa, sancti Quadrati martyris in cujus solemnitate sermones sancti Augustini inveniuntur habiti.

Romæ, Symmitrii presbyteri et aliorum viginti duorum, quos Antoninus imperator gladio pro Christo puniri fecit : quorum corpora noctu beata Praxedis collegit et in cœmeterio Priscillæ sepelivit.

Tuderto, Tusciæ, Felicissimi, Heraclii, Paulini.

In territorio Antissiodorensi passio sancti Prisci martyris cum ingenti multitudine.

In Britenia depositio sancti Augustini episcopi et confessoris. Qui missus a beato Gregorio papa, primus genti Anglorum Christi Evangelium prædicavit, atque illic virtutibus et miraculis gloriosus in pace quievit.

VI Kal. Jun. — In Alexandria nativitas sanctorum Aquili presbyteri, Evangeli et aliorum duodecim.

In Tomis, Heliæ, Luciani, Zotici, Martialis, Victoris et Maurini.

In Sardinia, Salustiani.

In Mæsia, civitate Doroftorensi, nativitas sancti Julii. Qui tempore persecutionis cum esset veteranus et emeritæ militiæ, comprehensus ab officialibus, et Maximo præsidi oblatus, nolens sacrificare idolis, et nomen Domini Jesu Christi constantissime confessus, capitali sententia punitus est. Cumque duceretur ad locum cædis implendæ, Hesychius quidam miles cum et ipse ob fidem Christi comprehensus, detineretur, rogabat eum dicens : « Memor esto mei, nam et ego subsequor te. Plurimum etiam saluta Pasicratem et Valentionem famulos Dei, qui nos per confessionem bonam jam præcesserunt ad Dominum. » Julius vero osculans Hesychium dixit: « Frater, festina venire : mandata tua jam audierunt quos salutasti. » Sic accepto orario, ligans sibi oculos, martyrii palmam gladio cædente percepit.

In Galliis civitate Arausica, sancti Eutropii episcopi, cujus Vitam illustrem virtutibus ac miraculis Verus episcopus luculento sermone descripsit.

V Kal. Jun. — In Sardinia passio sanctorum Æmilii, Felicis, Priami, Luciani.

Romæ nativitas sancti Joannis papæ. Quem, quia orthodoxus erat, et a Justino, imperatore orthodoxo, Constantinopolim veniens gloriose susceptus fuerat, Theodoricus rex Arianus revertentem Ravennæ in custodia detentum ad mortem usque cum aliis æque catholicis viris perduxit. Hujus meminit sanctus Gregorius in libro Dialogorum. Cujus corpus, translatum de Ravenna, sepultum est in basilica sancti Petri apostoli, quinto Kalendarum Junii. Olibrio consule. Quo tempore Theodericus rex duos senatores præclaros et exconsules, Symmachum et Boetium, occidit. Qui nonagesimo octavo die postquam Joannes papa defunctus est, subito interiit, et in ollam Vulcani projectus, ultra non comparuit.

Item apud urbem Parisium depositio Germani episcopi et confessoris. Qui ex nobilibus quidem parentibus exortus sed malitiosorum omnimodis attentatus insidiis, divina se gratia protegente, non solum vivus et incolumis evasit, sed et in virile robur virtutibus et sapientia decoratus excrevit in tantum, ut a sancto Nectario presbyter ordinatus, abbas monasterio sancti Symphoriani præficeretur invitus ; in cujus regimine ita et divino judicio et humano placuit arbitrio, ut claves portæ Parisiacæ, et prius in visione per Dominum, et postmodum in episcopatus electione per cohibentiam (a) acciperet populorum. Cujus digni-

(a) Forte *conniventiam.* Can. De hac voce vide Goldastum ad edicta de imaginibus. Scriver. *not. ms.* in

tantem tanta auctoritate administravit, ut tamen exemplo beati Martini propositum monachi virtutemque non desereret, atque ideo et in carne vivens, et spiritu cœlos petens, in miraculorum ostensione illi per omnia similis appareret, et eadem ætate, octogenaria videlicet, ad Christum, ipso vocante, plenus sanctitate migraret.

IV Kal. Jun. — Romæ, via Aurelia, nativitas sancti Restituti.

Via Tiburtina, septem Germanorum.

Apud Iconium provinciæ Isauriæ passio sancti Cononis et filii ejus, sub Aureliano imperatore, judice Domitiano. Qui cum esset fide præclarus, exhibitus judici cum filio suo annorum duodecim, Spiritum sanctum in se habitare veraci confessione manifestaverunt. Primum itaque ignito ferro superpositi, deinde craticulæ prunis suppositis et oleo superfuso. Deinde frixorio cadenti immissi, omnia superaverunt in nomine Christi. Inde suspensi, et valido igni subtus adhibito, malleo ad extremum ignito manibus contritis in laude omnipotentis Dei spiritum emiserunt.

Eodem die, in regione Anagniæ, juxta urbem Tridentinam, passio sanctorum Sisinii diaconi, Martyrii lectoris, et Alexandri ostiarii. Qui a beato Vigilio, Tridentinæ urbis episcopo, ad vicina loca prædicationis gratia destinati, cum plurimos ad fidem Christi convertissent, ab his qui in errore paganismi persistere maluerunt, diversis mortium generibus trucidati sunt. Nam beatus Sisinnius cum cæteris quidem diutius cæde mactatus, sed ærea tuba in capite percussus, atque securibus confossus, juxta ipsius ecclesiæ limina decumbebat. Sanctus vero Martyrius et ipse in caput securibus vulneratus, atque sudibus transforatus, reddidit spiritum. Tunc gentiles corpora sanctorum Sisinnii et Martyrii simul cum sancto Alexandro adhuc seminece ad aram Saturni, ubi ignis copiosus erat accenssus, ad concremandum perduxerunt; et sanctum Alexandrum flagellis cædentes, nec ad immolandum idolis compellere queuntes, vivum projecerunt in ignem, et sic martyrii cursum consummans, palmam gloriosæ passionis accepit. Post quorum necem mox umbra quædam terræ proxima totam regionem fulminibus creberrimis discurrentibus obtexit, ut et ipsi impii terrore perculsi, confiterentur hoc sanctorum causa fieri. Ad quorum etiam reliquias cum eas postmodum Mediolanenses summa devotione susciperent, quidam cæcus ex littore Dalmatino divino admonitus instinctu veniens, tacto loculo lumen recepit, ut scribit beatus Paulinus in Vita beati Ambrosii.

Treviris depositio sancti Maximi episcopi. Cujus indumenta sacerdotalia in urna ærea ad usque nostra, imo Nortmannorum tempora, in testimonium sanctitatis ejus visebantur incorrupta. A quo sanctus Athanasius, persecutionem Constantii fugiens, honorifice susceptus est. Sed quia fuga sancti Athanasii quosdam formidolosos aut certe blasphemos in contrarium abuti, cognovi quid de ea fidelissimus Ecclesiæ dispensator senserit Augustinus, verbis ejus in medium proferre necessarium duxi. Dicit ergo inter alia in epistola quam ad Honoratum scripsit episcopum, consultus utrum tempore persecutionis fugiendum sit episcopis a suis sedibus: « Quid est ergo quod in epistola tua posuisti? Dicis enim: Si in Ecclesiis persistendum est, quid simus nobis vel populo profuturi, non video, nisi ut ante oculos nostros viri cadant, feminæ constuprentur, incendantur ecclesiæ, nos ipsi tormentis deficiamus, cum de nobis quæritur quod non habemus. » Respondit Augustinus: « Potens est quidem Deus audire preces familiæ suæ, et hæc quæ formidantur avertere, nec ideo tamen propter ista, quæ incerta sunt, debet esse nostri officii certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies, non in rebus vitæ hujus, sed alterius, quæ incomparabiliter diligentius sollicitiusque curanda est. Nam si certa essent ista mala quæ timentur ne in locis in quibus sumus forte contingant, prius inde fugerent omnes propter quos manendum est, et nos a manendi necessitate liberos redderent. Non enim quisquam est qui dicat ministros manere oportere, ubi jam non fuerint quibus necesse sit ministrare. Ita quidam sancti episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis: sed multo plures, illic manentibus propter quos manerent, sub eorumdem periculorum densitate manserunt. Et si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere: neque enim tales ducti auctoritate divina, sed humano vel errore decepti, vel timore sunt victi. Cur sibi enim putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum; et mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cur non istas duas Dominicas verasque sententias, unam scilicet ubi fuga sinitur aut jubetur, alteram ubi arguitur atque culpatur, hic intelligere student, ut inter se non reperiantur esse contrariæ, sicut non sunt? Et hoc quomodo reperitur nisi attendatur, quod jam superius disputavi, tunc de locis in quibus sumus, premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi plebs Christi non fuerit cui ministretur; aut etiam fuerit, et potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus eadem non est causa fugiendi: sicut in sporta submissus fugit Apostolus, cum a persecutore ipse proprie quæreretur, aliis utique necessitatem si-

Can. Ibi quidem Carolus Mageus asserit hoc opus aggressum esse cum cohibentia episcoporum, hoc est, cum collibentia sive assensu. Retinenda igitur hæc vox quam emendandam autumabat Canisius, quippe per consensum episcoporum eligentium præfectus. Basn.

milem non habentibus, a quibus illic ministerium absit ut desereretur Ecclesiæ; sicut fugit sanctus Athanasius Alexandrinus episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet imperator, nequaquam a cæteris ministris deserta plebe catholica quæ in Alexandria commanebat. Cum autem plebs manet et ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenarium illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici corporis defuit; et peribit infirmus in tua non scientia, sed ignorantia, frater, propter quem Christus mortuus est. Quod autem ad eos attinet qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur: quare non potius contra suum timorem, Domino miserante atque adjuvante, fortiter dimicant, ne mala sine comparatione graviora, quæ multo amplius sunt tremenda, contingant? Fiat hoc ubi Dei charitas flagrat, non mundi cupiditas fumat. Charitas enim dicit: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (I *Cor.* xi.) Sed charitas ex Deo est. Oremus ergo ut ab illo detur, a quo jubetur; et per hanc magis timeamus ne oves Christi spiritualis nequitiæ gladio in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur, ubi, quando, cum quibus, quocunque mortis genere morituri sunt. Magis timeamus ne, sensu interiore corrupto, pereat castitas fidei, quam ne feminæ violenter constuprentur in carne: quia violentia non violatur pudicitia, si mente servetur; quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides vivi exstinguantur deferentibus nobis, quam ne lapides et ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Christi, destituta spirituali victu, necentur, quam membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur. Non quia ista non sunt vitanda cum possunt, sed quia potius sunt ferenda, quando vitari sine impietate non possunt. Nisi forte quisquam contenderit, non esse ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietati necessarium quando magis est necesarium. An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni ætate concursus; aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem. Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt vel ligati! Quantus est etiam luctus fidelium de perditione filiorum suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt! Quantus denique

A gemitus omnium, et quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum! Vide quid faciat malorum temporalium timor, et quanta in eo sit acquisitio malorum æternorum. Si autem ministri adsint, pro viribus quas Deus eis subministrat, omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, ædificantur et exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia quæ timentur avertere; parati ad utrumque, ut si non potest transire ab eis calix iste, fiat voluntas ejus qui mali aliquid non potest velle. Certe jam vides quod scripseras te non videre, quantum boni consequantur populi Christiani, et in præsentibus malis non eis desit præ-
B sentia ministrorum Christi: quorum vides etiam quantum obsit absentia, dum sua quærunt, non quæ Jesu Christi; nec habent illam charitatem, de qua dictum est: *Non quærit quæ sua sunt* (I *Cor.* xiii); nec imitantur eum qui dixit: *Non quærens quod mihi utile, sed quod multis, ut salvi fiant* (I *Cor.* x). Qui etiam persecutoris principis illius insidias non fugisset, nisi se aliis quibus necessarius erat, servare voluisset. Propter quod ait: *Compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo, multo enim magis optimum*; *manere autem in carne, necessarium propter vos* (*Philipp.* i). Hic autem fortasse quis discat, ideo debere fugere ministros Dei talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servent. Recte hoc
C fit a quibusdam, quando non desunt alii per quos suppleatur ecclesiasticum ministerium, ne ab omnibus deseratur, quod fecisse Athanasium supra diximus: nam quam necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit, quod vir ille mansit in carne, catholica fides novit, quæ adversus Arianos hæreticos ore illius et amore defensa est. » Hoc breviarium sancti Patris Athanasii causa hic a nobis positum, magnum, ut credo, legentibus conferet emolumentum, et ad inquirendum totum illud opusculum, dulcedine sui præbebit incitamentum.

III Kal. Jun. — Romæ via Aurelia, in cœmeterio, sancti Felicis papæ. Qui cum annos quinque rexisset Ecclesiam sub Claudio principe, martyrio
D coronatus est. Hic constituit super memorias martyrum missas celebrari.

In Antiochia, sanctorum Isychii [Syci] et Palatini, qui, ut S. Hieronymus scribit, multa tormenta propter nomen Christi sunt passi.

Turribus Sardiniæ, sanctorum martyrum Gabini et Crispuli.

In Nicomedia, multorum martyrum.

Pridie Kal. Jun. — Romæ nativitas sanctæ Petronellæ virginis, filiæ beati Petri apostoli. Quam ipse, rogantibus fidelibus, a paralysi curavit, sed mox ut sanitatis miraculum in Christi nomine ostendit, ad grabatum eam salutis animæ gratiæ redire manda-

vit. At illa in Dei timore cœpit esse perfecta, non solum ipsa salva facta est, verum etiam plurimis sanitatem recuperavit orationibus suis. Quam, quia nimis erat speciosa, Flaccus comes suo voluit conjugio sociari. Sed sancta virgo, triduanas ab eo petens inducias, cum Felicula collactanea sua, æque sanctissima virgine, totum illud spatium in jejuniis et orationibus explevit, et veniente S. Nicomede presbytero et Christi mysteria celebrante, mox ut Dominici corporis et sanguinis sacramenta percepit, ad gaudia æterna migravit.

Eodem die apud Aquileiam passio sanctorum Cantii, Cantiani et Cantianillæ fratrum, qui imperante Diocletiano martyrii sui cursum consummaverunt.

Turribus Sardiniæ, S. Crescentiani.

In Hispania, civitate Gerunda, Germani, Victuri, Sylvani, Teleaphori, Victorini et aliorum multorum.

JUNIUS.

Mensis Junius habet dies XXX. *Et in hoc mense, hebdomade secunda, erit celebratio Jejuniorum.*

KAL. JUN. — Romæ dedicatio S. Nicomedis presbyteri et martyris, cujus martyrium XVII Kalend Octob. celebratur.

Item Romæ nativitas Lyciæ [Luceiæ] virginis et Auceiæ regis barbarorum, Rogati, Germani, Sylvani cum aliis plus quam trecentis.

In Thessalonica nativitas sancti Octavii.

In Antiochia Zosimi et Te[illegible].

Apud Cæsaream Palestinæ passio sancti Pamphili presbyteri, viri admirandæ fidei et sanctitatis. Qui persecutione Maximini martyrio coronatus est. Hujus vitam Eusebius Cæsariensis episcopus tribus libris comprehendit. Sed et beatus Hieronymus scribit quædam volumina manu ejus exarata se reperisse : « Quæ tanto, inquit, amplector et servo gaudio, ut Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitiæ est unam epistolam habere martyris, quanto magis tot millia versuum, quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigiis. »

Eodem die depositio sancti Caprasii abbatis monasterii Lirinensis.

Viennæ, Claudii et Helladii episcoporum.

IV NON. JUN. — Romæ nativitas sanctorum Marcellini presbyteri, et Petri exorcistæ. Qui multos in carcere ad fidem Christi convertentes, post dira vincula et plurima tormenta decollati sunt, persecutione Diocletiani, sub judice Severo. Sed qui eos decollavit, vidit animas eorum splendide ornatas ab angelis ferri ad cœlos, et pœnitentiam agens, sub Julio papa baptizatus est in senectute sua, nomine Dorotheus. Ex pluris autem qui per doctrinam eorum in Christum credentes baptizati sunt, id est, trecentis viris et amplioris numeri feminis, decollatus est Artemius cum uxore sua Candida, et filia Paulina, quæ per beatum Petrum exorcistam a demonio fuit liberata.

A Item Romæ centum octoginta martyrum, et multo plurimum, quorum nomina Deus scit solus.

Apud Lugdunum Galliæ, nativitas quadraginta octo martyrum, temporibus Marci Aurelii Veri, et Antonini atque Lucii filiorum ejus. Quando per multas orbis Romani provincias ex acclamatione et seditione vulgi, persecutione adversus Christianos dirissime concitatæ sunt, ita ut multa millia martyrum per loca singula fierent. Quo tempore, apud Lugdunum et Viennam, urbes Galliæ, erga Dei servos supra omne narrationis genus suppliciorum et cruciatuum modus exhibitus est, ita ut primum domorum illis prohiberetur habitatio, vini deinde usus et balnearum, post etiam, processus ad publicum, ad ultimum, ne omnino in quolibet loco domi forisque pu- B blico privatoque viderentur. Denique quodam tempore astante tribuno et primoribus civitatis, pro solis acclamationibus populi, correpti et in carcerem trusi sunt Christiani usque ad præsentiam præsidis Cuique advenienti offeruntur, in quos ille tanta crudelitate abusus est. ut sævitiæ ejus species singulas nemo possit exponere. Inter eosdem vero martyres, licet omnes in Christo fideles et fortissimi fuissent inventi, hi tamen ad Deum et homines apparuere præcipui : Photinus videlicet episcopus, qui nonagenaria ætate gravatus, dum ab ecclesia ad tribunal, et a tribunali ad carcerem deferretur, et post nimias cædes et injurias ei factas, paulo post incontaminatum edidit spiritum ; et Zacharias presbyter, qui pro defensione fratrum exemplo Christi animam C suam posuit ; et Repagatus [Epagathus], qui ejus imitatione cum esset nobilissimus et eruditissimus, quasi advocatus Christianorum, pro omnibus est interemptus. Diaconus quoque nomine et opere sanctus, qui inauditis cruciatus tormentis, adeo ut cadentes laminas æris et ferri erga inguinum loca delicatiora quæque membrorum instauratis ignibus tortores adhiberent, et super sellam ferream igni supposito collocarent, nec tamen eum a fide Christi deflectere valerent, cum Attalo et Maturo, cæsis ferro cervicibus, martyrii palmam adepti sunt. Blandina etiam quædam femina, cujus teneritudini omnes metuerent : cui a prima luce usque ad vesperam tormenta semper innovantes, ad ultimum victos se tortores confitentur ; quæ et secundo pul- D sata cruciatibus non superatur. Tertio quoque die religata ad stipitem, atque in crucis modum distensa, bestiis pabulum præparatur. Quam cum nulla ex eis auderet contingere, rursum revocatur ad carcerem. Quarto etiam verberibus acta, craticulis exusta, et multa alia perpessa, ad ultimum gladio jugulatur. Tunc et Ponticus puer annorum quindecim per omnia tormentorum genera cum ipsa cruciatus, et materna ejus adhortatione corroboratus, ante illam martyrium consummavit. Alexander autem medicus, genere Phryx, qualiter omnia tormentorum genera superaverit, et victor ad Christum perrexerit, congruentius in quinto libro ecclesia-

ticæ Historiæ, unde ista excerpsimus. invenietur. Nomina vero eorumdem martyrum ista sunt : Photinus episcopus, Zacharias presbyter, Sanctus diaconus, Vetitius [Vetius], qui et Repagatus [Epagathus], Macharius, Asclepiades, qui alio nomine dicitur Alcibiades, Silvius, Primus, Ulpius, Vitalis, Comminus, October, Philominus, Geminus, Vilia, Albina, Grata, Rogata, Æmilia, Potamia, Pompeia, Rhodana, Biblis, Quarta, Matema, Elpis, quæ et Ammas. Hi quidem diversissimis mortibus interempti sunt. Hi autem bestiis traditi sunt : Sanctus supradictus, Maturus, Attalus, Alexander, Ponticus, Blandina. Aristeus, Cornelius, Zosimus, Titus Julius, Zoticus, Apollonius, Geminianus, Julia, Ausonia, Æmilia, Jannica, Pompeia, Domna, Justa, Throphima, Antonia. Quorum omnium reliquiæ igni traditæ et in Rhodanum fluvium dispersæ sunt ; sed, ipsis martyribus revelantibus, collectæ, et in ecclesia Apostolorum conditæ, creberrimis virtutibus apud Deum vivere declarantur. Quorum festivitatem cives Lugdunensis urbis, omnibus undequaque lætanter per descensum fluminis cum hymnis et canticis gratulationis procedendo concelebrantes, missarumque solemnia in eadem ecclesia festive Domino reddentes, ex antiquorum traditione ipsam diem Miraculorum appellant. Locus autem in quo passi sunt Athenaco vocatur, ideoque dicuntur martyres Athenacenses.

III Non. Jun. — Romæ nativitas sanctorum martyrum Marcelli, Avidi, Gaii, Donati eum aliis amplius quam centum quinquaginta.

In Africa Quirini, Abidiani, Neophori, Pambo, Januariæ, Demetriæ, Zinci et aliorum centum quadraginta novem.

Apud Aritium, civitatem Tusciæ, sanctorum martyrum Pergentini et Laurentini fratrum. Qui persecutione Decii, sub judice Tertio, cum essent pueri, post dira supplicia tolerata, et multa miracula ostensa, gladio cæsi sunt, et apud eamdem urbem conditi ; et aliorum plurimorum quadringentorum.

In Campania beati Erasmi Antiocheni episcopi et martyris. Qui in Libano monte per annos septem vitam eremiticam duxit, ibidemque multa mira fecit. Sed postmodum a Diocletiano imperatore comprehensus, et jussu ipsius primo plumbatis crudeliter cæsus deinde fustibus diutissime maceratus. Postea resina, sulphure, plumbo, pice, cera oleoque solutis, perfusus, ingenti miraculo illæsus apparuit. Quod multi videntes, fidem Christi, rejectis idolis, susceperunt. Inde immenso pondere ferri constrictus, in carcere sub dira custodia reclusus est, de qua angelica visitatione solutus et ereptus ; sed fama miraculorum Maximiano imperatori proditus, renovatis suppliciis iterum est cruciatus, in tantum, ut tunica ærea ignita vestiretur, et in ollam quæ plumbo, pice, cera, resina, oleo fervefacta erat, immitteretur ; sed virtute Domini omnia superans, et illæsus exinde progrediens, atque ad confirmandum cæteros a Domino servatus, in Campaniam, angelico monitus et munitus solatio, pervenit. Ubi cum plurimos sive in fide roborasset, sive ad fidem Christi convertisset, vocante Domino, martyrio clarus, sancto fine quievit.

Arelianis depositio sancti Leifardi presbyteri.

II Non. Jun. — Noviduno civitate, Zotici, Attali, Eutychii, cum aliis multis.

In Sicilia sanctorum Expergentii et Christæ martyrum.

In Pannonia, civitate Sabaria, Rutuli cum aliis duobus.

In Illyrico, civitate Fiscia, nativitas sancti Quirini episcopi. Qui persecutione Maximiani pro fide Christi, ligato ad manum molari saxo, in flumen præcipitatus est, et circumstantibus collocutus diutissime, ne ejus terrerentur exemplo, vix tandem precibus ut mergeretur obtinuit. Cujus relquiæ translatæ sunt Romam, et positæ ad Catacumbas.

Non. Jun. — In Ægypto nativitas sanctorum martyrum Marciani, Nicandri et Apollonii.

Romæ, millario septimo, Feliculæ et Felicitatis cum aliis multis.

In Histria Zoeli, Satyri, Thymini, Saturnini, Servuli, Felicis, Sylvani, Fortunati.

Item Romæ sancti Bonifacii martyris, sub Diocletiano et Maximiano apud Tharsum Ciliciæ passi, sed Romæ in via Latina sepulti. Qui cum esset procurator rerum cujusdam nobilis matronæ, nomine Aglaes, et cum ea in sturpo misceretur, tandem uterque divino nutu compuncti, consilium habuerunt ut ad quærendum corpora martyrum Bonifacius mitteretur, si quo modo, servientes atque obsequentes eis, per eorum merita salvari mererentur. Perveniens igitur post dies aliquot Tharsum, festinabat ad locum ubi erant sancti martyres in agone certantes, viditque alium suspensum per pedes igne supposito : alium in quatuor lignis extensum, et diutissime aflictum ; alium ungulis exaratum, alium manibus abscissum, alium stipitem in collo habentem infixum, et a terra levatum, et sic diversa supplicia martyrii ab impio carnifice deposita cum eminus, fervens et ipse amore Christi, respiceret, magnum Deum sanctorum martyrum clamare cœpit, et accurrens consedit pedibus eorum, deosculans vincula ac dicens : « Certate, martyres Christi, calcate diabolum, modicum perseverate. Parvus quidem labor, sed multa est requies, et ineffabilis postmodum satietas. » Aspiciens autem Simplicius judex, jussit eum applicari ad tribunal et dixit ei : « Quis es tu ? » Sanctus Bonifacius dixit : « Christianus sum et Bonifacius vocor. » Tunc iratus judex jussit eum suspendi, et tandiu corpus ejus ungulis radi, donec ossa ejus apparerent. Deinde calamos acutos sub ungulos manuum ejus affigi. Cumque sanctus martyr, in cœlum aspiciens, alacriter dolores toleraret, videns impius judex, jussit aperire os ejus et plumbum bulliens infundi. Sanctus autem martyr dicebat : *Gratia tibi ago, Domine Jesu Christe, Fili Dei*, Deinde judex jussit afferri ollam, et eam pice impleri, atque sanctum martyrem verso capite in picem bullientem

mitti. Sed cum nihil læsus esset, jussit impius judex ut gladio caput ejus abscinderetur. Quo facto terræmotus factus est magnus, ita ut multi infideles, virtutem Christi in martyre cernentes, crederent. Socii autem ejus, tollentes corpus ipsius, aromatibus condientes, perduxerunt ad urbem Romam. Angelus vero Domini apparens dominæ quondam ipsius, rem factam beati martyris indicavit sancto corpori, et ædificans ei memoriam dignam, reposuit illud in ea ab urbe Roma stadiis quinque. Beata vero Aglae abrenuntiavit mundo et pompis ejus, distribuens universa quæ possederat egenis ac monasteriis, relaxans universam familiam suam a jugo servitutis; et tantam gratiam a Domino meruit, ut in ejus nomine virtutum signis claresceret. Supervixitque in habitu sanctimoniali annos tredecim, et sepulta est apud eumdem martyrem, piis operibus consummata. Martyrizavit autem beatus Bonifacius decimo quarta die mensis Maii, apud Tharsum metropolim Ciliciæ, sed Nonis Junii sepultus est Romæ.

Eodem die in Frisia passio sancti Bonifacii episcopi. Qui de Britannia veniens, et fidem Christi evangelizans, cum maximam multitudem in Frisia Christianæ religioni subjugasset, novissime a paganis qui supererant, gladio peremptus, martyrium consummavit cum Eobano episcopo et aliis servis Dei quorum hæc sunt nomina : Wintrug, Walthere, Skirwald, Bosan, Hamund et Hethere, Wacchar, Gundachar, Willehere, Hadowolf. De quorum collegio fertur etiam fuisse Willibaldum presbyterum, virtutibus et doctrina clarissimum, et sororem ejus Waldburgam, sanctitate conspicuam.

VIII Id. Jun.— Natvitas sancti Philippi, qui fuit unus de septem primis diaconibus qui cum beato Stephano statim post passionem Christi ab apostolis sunt ordinati. De quo in Actibus apostolorum refertur (*cap.* vi, viii) quod signa et prodigia faciendo, prædicatione sua Samaritas ad fidem Christi convertit, et Candacis reginæ Æthiopum studiosum in Scripturis eunuchum in fonte qui est apud vicum Betsuram, in tribus Juda, euntibus ab Helia ad Hebron, in vicesimo lapide baptizaverit. Qui postea apud Cæsaream requievit : juxta quem tres filiæ ipsius, virgines ac prophetissæ, jacent tumulatæ, nam quarta filia ipsius, plena Spiritu sancto, in Epheso occubuit. Quidam tamen putant apud Hierapolim eas esse sepultas, ubi Philippus apostolus, unus de duodecim, quiescit. Cujus fuisse filiæ ab aliquibus scriptoribus putatæ sunt. Quorum opinionem beati Lucæ refellit auctoritas ita narrantis: *Intravimus in domum Philippi evangelistæ, qui erat unus de septem : cui erant quatuor filiæ virgines prophetantes* (*Act.* xxi).

Apud Tarsum Ciliciæ martyrum viginti, qui sub judice Simplicio, temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum, per diversa supplicia glorificaverunt Deum in corporibus suis, ut supra in passione beati Bonifacii dictum est.

Romæ sanctorum Artemii cum uxore sua Candida et filia Paulina. Qui Artenius cum esset custos carcerum, et clausum teneret beatum Petrum exorcistam in custodia, per liberationem unicæ filiæ Paulinæ a dæmonio credidit in Christum, et a beato Marcellino presbytero baptizatus est cum omni domo sua et aliis multis. Quod judex nomine Serenus, sed mente turbidus, audiens factum, Artemium et Candidam filiamque ipsorum Paulinam sibi præsentatos immenso pondere ruderum jussit obrui. Sicque sancti Dei ad passionis locum perducti, beatus quidem Artemius gladio percussus, sancta vero Paulina et Candida per limina cryptæ præcipitate lapidibus sunt obrutæ.

Noviduno Amantii, Lucii et beati Alexandri.

Alexandriæ Donati et Peregrini.

VII Id. Jun.— Cæsarea Cappadociæ beati Luciani martyris.

In Byzantio nativitas sancti Primosi, Fortunati, Macri et Macharii monachi.

Constantinopoli, quæ antiquitus Byzantium vocabatur nativitas sancti Pauli ejusdem civitatis episcopi. Qui tempore Arianæ perfidiæ a Constantio imperatore apud civitatulam quamdam Cappadociæ, Cucusam nomine, ob catholicam fidem expulsus exsilio, Arianorum insidiis strangulatus, ad cœlestia regna migravit.

In Africa Victurii, Evasi, Privitæ, Januariæ, Donatæ, Spismæ, Quirilli.

VI Id. Jun.— In Ægypto nativitas sancti Martiani.

In Cæsarea Palestinæ Cristi.

In civitate Doroscoro nativitas sancti Marci.

In Nicomedia Eutychii, Nestorii et Marinæ.

In Sardinia nativitas sancti Salustiani.

In Galia, civitate Suessionensi, festivas sancti Medardi episcopi et confessoris, cujus vita virtutibus plena a Fortunato Parisiaco episcopo et prosa et metro nobiliter est conscripta : nam et in eleemosynis largus, et in virtutibus clarus, et in prophetiæ spiritu præcipuus, quindecim annis Veromandensium urbis episcopatum rexit, imo totum Occidentem exemplis et doctrina gubernavit. Cujus anima ab angelis in cœlum perducta, corpus ejus ad Suessionem delatum, et ibidem honorifice sepultum, miraculorum ostensione gloriosum commendatur.

Andegavis sancti Licinii episcopi.

Item eodem die Carlenii confessoris.

V Id. Jun.— Romæ in monte Cælio nativitas sanctorum martyrum Primi et Feliciani sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus. Qui gloriosissimi martyres semper in Domino viventes, a pontificibus templorum apud imperatores quod Christiani essent, accusati sunt: et inquisiti, erant enim cives Romani, adducti sunt in conspectu imperatorum, qui jusserunt eos ferro vinctos in carcerem detrudi, ubi adfuit eis angelus Domini qui eos consolaretur. Post aliquot vero dies jusserunt eos imperatores suis aspectibus repræsentari, et præceperunt militibus ut ducerent eos ad fanum Herculis, et si sa-

crificare nollent, fortiter eos pœnis affligerent. Verum cum nulla possent eos ratione movere,sed pro Christi nomine magis optarent mori, extenderunt eos milites et virgis fortiter mactaverunt; et cum renuntiassent imperatoribus quæ facta sunt, irati valde jusserunt eos tradi Promoto præsidi civitatis Nomentanæ ut diversis pœnis eos interficeret. Et accipientes eos milites dexerunt in viam quæ dicitur Nomentana, milliario decimo tertio, ferro vinctos, et miserunt eos in carcerem juxta forum civitatis; ubi iterum angelica visitatione relevantur. Post multum vero temporis jussit sibi Promotus sanctos Dei Primum et Felicianum ante tribunal suum præsentari. Quos cum ad primam et ipsam publicam interrogationem ab invicem separari fecisset, jussit beatum Felicianum plumbatis cædi. Quem cum in eo genere supplicii videret insuperabilem,præcepit eum ligari ad stipitem, et aculeos in manibus ejus ac pedibus figi, et diutissime torqueri, et per tres dies neque aquam neque ullum genus cibi ei ministrari. Cumque sic per triduum continue permaneret in Dei laudibus, jussit eum præses flagellis cædi, ac de stipite depositum in custodia recludi. Ac postmodum, præsente ipso beato Feliciano, fecit applicari sanctum Primum. Quo validissimis fustibus cæso, ac deinde in equuleo deposito, et in lecto supinato, præcepit plumbum ferventissimum in os ejus infundi. Sed cum sancti martyres invictissimi perstitissent, angustiatus præses jussit eos ad amphiteatrum duci, et duos leones in eos dimitti. Quibus ad pedes sanctorum corruentibus, laxati sunt et ursi ferocissimi, sed et ipsi martyrum virtute sævitiam perdiderunt. Quod videntes hi qui ad spectaculum venerant, pene mille quingenti viri miraculis perculsi,crediderunt in Domino. Verum præses cum insuperabiles eos cerneret, gladio animadverti præcepit. Quorum corpora, noctu a Christianis rapta, sepulta sunt ad arcus Nomentanos intra arenarium, quinto Idus Junii, ab urbe Roma milliario decimo tertio.

In Galliis, civitate Agenno,loco Pompeiaca, passio sancti Vincentii levitæ et martyris, de quo in libro Miraculorum Gregorii Turonici refertur.

Item Romæ militum quindecim.

In Scotia, insula Hibernia, depositio sancti Columbæ,cognomento apud suos Columbkilli, eo quod multarum cellarum, id est monasteriorum vel ecclesiarum institutor, fundator et rector exstiterit, adeo ut abbas monasterii cui novissime præfuit, et ubi requiescit, contra morem ecclesiasticum primas omnium Hiberniensium habeatur episcoporum, nec immerito, quia idem sanctus per inhabitationem sancti Spiritus, nulli, post apostolos et mirabilem Martinum, in prophetia, doctrina et miraculorum ostensione atque angelica frequentatione videatur secundus. Quod vel ex his paucissimis persentiscere licet. Cum sederet in quadam insula scribens. et in alia domus altissima ædificaretur, et quidam de culmine ejusdem enormis fabricæ ad terram corruere cœpisset, in ipso subitanei casus periculo, dixit angelo Dei sibi assistenti: *Auxiliare,auxiliare*; et ecce in ipsius momenti atomo, ita ruenti homini subventum est ab angelo, quasi non scriptori, sed fabro semper adesset. Cum gravis infirmitas, imo lues et pestilentia intolerabilis, universum pene populum devastaret, benedixit lapidem de littoreis saxis, et ubicunque præcepit in aquam mittere, atque ipsa aqua infirmantes potari vel aspergi: qui in aquam missus, et contra naturam suam in modum spumæ supernatans, at hoc modo divinam se benedictionem percepisse contestans,et omnes morbos medicando sanificans, super aurum et omnes gemmas pretiosus, ac super omnia medicamenta fuit saluberrimus. Et ad augmentum miraculi, a nullo per id temporis morituro, licet diligentissime custoditus et cautissime requisitus,unquam poterat inveniri. Hoc uno de multimoda sanatione commemorato, alterum de multiplici in penuria subventione libet ad memoriam revocare, ut prudens lector ex his duobus et tacita discat æstimare. Cuidam pauperculo,omnibus rebus indigo, contulum in veru sanctus exacuit, quod ab eo silvis et aquis jussit infigi. Quod cum faceret, ita dives effectus est, ut et domus ejus eamdem abundantiam non caperet,et uxor ejus,terrestres delicias cum marinis fastidiens, idem veru in perniciem sui a viro suo fecisset incidi. Doctrina vero beatus Columba cum omnes anteriores adæquaret, in hoc transcendere non injuria censetur, quod per tres dies ultimos commorationis in terra cuncta ei revelata sunt sacræ Scripturæ sacramenta, omibus retro mortalibus aut penitus occulta, aut certe juxta Apostolum: *Per speculum et in ænigmate* (I *Cor.* XIII), comperta, imo requirenda atque enucleanda proposita. Quæ propter absentiam Batthenei, familiarissimi videlicet illius discipuli,imo propter indignitatem generis humani, litteris non sunt attitulata.Porro prophetiæ dono ita mortales omnes præponderavit, ut et præsentia cæteris abscondita, et absentia, non solum vicina, sed et longe posita, sed et præterita et futura, in uno inevitabilis oculi ictu deprehenderet. Vas ante eum pro solemni benedictione, lacte plenum, oblatum est. Quod cum benedixisset, et vasculum illico crepuisset, increpuit ministrum cur non ante infusionem per signum sanctæ crucis antiquo hosti locum in eo permanendi interdixisset. Item lactis similitudinem, ex tauri testiculis expressam, in propriam, id est sanguinis, eminus benedicendo convertit naturam. Regum vicinorum bella et præscivit et aliquando compescuit aliquando vero justiores causas habentibus favit, injustiores vero, divinæ justitiæ conjunctus, non adjuvando despexit. Subversionem quoque civitatis, quæ nunc Nova dicitur in Italia, in subitaneo stupore, terræ hiatu, imo cœlestis iræ respectu, subversam conspexit, et aliis exstasin ejus mirantibus idipsum nuntiavit,sed et hoc prædixit, quod Gallici nautæ, sicut et factum est, eamdem rem ipso anno in Scotia relaturi es-

sent. Die quoque ultimo vitæ mortalis, id est Sabbato, cum psalmum tricesimum tertium usque ad eum versum perduxisset in scribendo : *Inquirentes autem Dominum, non deficient in omni bono* (*Psal.* XXXIII), astantibus inquit : « Quod reliquum est, Baitheneus scribat ; » ut videlicet qui in regimine fratrem ei successurus erat, non solum docendo, sed et scribendo discipulos ad se vocare deberet : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Ibid.*) ; et addit : « Hæc dies in Scriptura sacra Sabbatum, id est *requies*, appellatur, in qua mihi requies æterna paratur. Ecce enim hac nocte resurrectionis Dominicæ vado ad Dominum Jesum Christum magnæ resurrectionis auctorem,et hoc scitote quia per continuos dies mare clausum nimia tempestate tenebitur,ut exsequiæ meæ non a vulgaribus turbis superstitiose, sed a sanctis fratribus meis religiose celebrentur. » Qui cum plurimos discipulos vel socios sanctitatis suæ pares habuisset, unum tamen, Comgellum scilicet, Latine Fausti nomine illustrem, præceptorem beatissimi Columbani, magistri, domini et Patris nostri Galli, virtutum ac meritorum suorum, quasi unicum, exemplo Isaac, reliquit hæredem.

IV Id. Juin. — Romæ via Aurelia, milliario decimo tertio, nativitas sancti Basilidis martyris, Tripodis et Mandalis, sub Aureliano imperatore,præside Platone, et aliorum viginti martyrum. Pro *Tripode* tamen et *Mandale* in quibusdam codicibus *in Tripoli Magdaletis* scriptum reperitur.

Eodem die beati Getulii martyris temporibus Adriani imperatoris,sub judice Licinio.Hic in omnis lege divina erat doctissimus, et per ejus doctrinam multi in fide Christi erudiebantur. Cujus famam Adrianus imperator audiens, direxit Cerealem vicarium ad tenendum eum : sed audito ejus verbo veritatis, credidit in Christum, et baptizatus a beato Sixto papa, per instructionem sancti Getulii in fide Christi confortatus est. Quo Adrianus comperto, Licinium consularem direxit, ut Cerealem vicarium teneret. Cum quo beatus Getulius et frater ejus Amantius,atque amicus eorum sanctissimus Primitivus inventi, pariter sunt tenti, et jussu ejusdem Licinii exspoliati ac cæsi, ac per viginti ac septem dies in carcerem sunt detrusi. Tunc veniens Romam,et Adriano de hujusmodi facto innotescens,ab eo in mandatis accepit ut omnes igne concremaret. Sanctus vero Getulius, cum in igne superviveret, fustibus colliso capite martyrium complevit. Consummati sunt autem beati martyres in fundo Capreolis, via Salaria, ab urbe Roma plus minus milliario decimó tertio, supra fluvium Tiberim, in parte Sabiniensium. Quorum corpora collegit beata Symphorosa, uxor Getulii martyris (quæ non longe post eumdem ipsum martyrem cum septem filiis suis martyrizavit,videlicet vicesimo septimo die mensis Junii), et sepelivit ea in prædio suo in arenario, in loco et oppido supra nominato.

Nicomediæ sancti Zachariæ.

Antissiodoro depositio sancti Censorii episcopi.

III Id. Jun. — Apud Cyprum nativitas S. Barnabæ apostoli. Qui cum a parentibus Joseph fuerit nuncupatus, ab apostolis Barnabas, vel *filius consolationis* est vocatus,pro eo quod cum habuerit agrum, eumque vendiderit,pretium ejus ante pedes apostolorum ad consolationem pauperum posuerit. Qui cum esset gente Judæus, imo levites, sed natione Cyprus,non solum cæteros Judæos fidei Christi subjugare, sed et ipsum apostolum Paulum a Christo de cœlo vocatum, sed propter anterioris persecutionis immanitatem Christianis suspectum, apostolorum choro sociare curavit. Cum quo ab illis gentium apostolus ordinatus, et plurimas ab incredulis perpessus injurias ; sed causa Marci,communis eorum discipuli,vel potius dispensatione divina ab eo corpore divisus, mente tamen unitus, nihilominus evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus explevit. De cujus sanctitate unum beati Lucæ testimonium fidelibus sufficere debebit, quia videlicet erat *vir bonus, plenus Spiritu sancto et fide* (*Act.*, XI). Cujus corpus tempore Zenonis imperatoris, ipso revelante,repertum est. Hic unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem scripsisse fertur epistolam, quæ tamen inter apocryphas reputatur.

Eodem die apud Corinthum Sosthenis discipuli beati Pauli apostoli. Qui cum in Judaismo male a gentibus, Gallione proconsule non curante, tractaretur, ad Christianismum conversus, ab ipso beato Paulo in apostolicis est litteris honorifice commendatus (*I Cor.* I).

Item apud Aquileiam nativitas sanctorum martyrum Felicis et Fortunati, sub persecutione Diocletiani et Maximiani imperatorum,præside Euphemio. Qui cum essent germani fratres fide Christi ferventes, deferente Apamio qui erat unus ex officio præsidis, vincti ferro Aquileiam judici Euphemio perducuntur. Ubi cum Christum constantissime faterentur, ab irato judice primum in equuleo suspensi sunt, ardentibus lampadibus circa latera appositis ; sed mox, psallentibus martyribus, exstinctis, inde per ventrem ardenti oleo perfusi ; ad ultimum, dum in confessione Christi perdurarent, foras civitatem ducti,juxta fluvium civitati proximum capite truncantur. Inde nocte a religiosis viris ejus civitatis sublati, cum aromatibus involuti linteaminibus occulte sepulti sunt. At cives Vicetiæ supervenientes eorum corpora perducere ad suam civitatem Vicetiam nitebantur. Non permittentibus autem Aquileiensibus, imo renitentibus, tandem pia contentio finita est nutu divino, ut Felicem Vicentini, Fortunatum haberent Aquileienses, ita tamen ut caput beati Felicis Aquileienses, caput vero sancti Fortunati Vicetia sortiretur.Quod factum in laude Domini nostri JesuChristi usque hodie permanet.

Romæ Anacleti papæ,qui primus beati Petri apostoli memoriam construxit et composuit, cum pres-

byter esset ordinatus ab eo. et juxta corpus ejus sepultus est.

II Id. Jun. — Romæ nativitas sancti Cyrini. Qui jussu Claudii imperatoris secundi, post omnium facultatum ablationem, et diutinam carceris macerationem, nocte decollatus est, et corpus ejus in Tiberim projectum. Quod in Lycaonia insula inventum, honorifice a fidelibus est sepultum. Quando autem vel quomodo Romam fuerit translatum, nobis quidem est incognitum, sed beato Gregorio credimus non ignotum.

Item Romæ Naboris et Nazarii. Quos simul cum Gorgonio martyre, quem in ecclesiastica Historia puto designatum, permittente Paulo papa Romano, transtulit a Roma in Galliam, vel, ut verius fatear, in Franciam antiquam Ruodgangus Metensis episcopus, anno ab incarnatione Dominica septingentesimo sexagesimo quinto, et collocavit sanctum Gorgonium in monasterio quod dicitur Gorzia, sanctum vero Naborem in monasterio alio quod dicitur Nova Cella, sanctum quoque Nazarium in monasterio quod dicitur Loresham, ubi signa et miracula in recuperatione sanitatis infirmorum et debilium sæpius ostenduntur.

Eodem die, Mediolani, nativitas sanctorum martyrum Nazarii et Celsi pueri. Beati Nazarii pater Africanus, mater vero Perpetua, a beato Petro apostolo baptizati. Ipse vero sanctus Nazarius a sancto Clemente instructus et baptizatus est. Quem Anulinus sub rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratum et afflictum in carcere cum beatissimo puero Celso, quem idem ipse nutrierat, gladio feriri jussit. Quorum corpora Christiani furati quinto Kalendas Augusti sepelierunt foris portam quæ dicitur Romana in propriis hortis. Revelaverunt autem se beati martyres cuidam Cæratio nomine, cujus uxor Fortunata, et per visum monuerunt se occultari propter rabiem persecutionis quam Nero impius excitaverat. Latuerunt vero usque ad tempora Honorii et Arcadii imperatorum. Quos beatus Ambrosius, Domino revelante, reperit. Patefacto autem sepulcro in quo jacebat corpus beati Nazarii, qui quandonam passus fuerit, ut scribit sanctus Paulinus, usque tunc temporis ignorabatur, viderunt sanguinem martyris ita recentem, qui præsentes erant, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius, quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis et barba, ut videretur eodem tempore quo levabatur, lotum atque compositum in sepulcro ; etiam odore tanto repleti sunt, ut omnium aromatum vinceret suavitatem : quo levato et in lectica composito, statim ad sanctum Celsum martyrem, qui in eodem horto positus erat, ad orationem perrexit sanctus episcopus, et utrumque transtulit ad basilicam Apostolorum quæ est in Romana. Inventi autem et translati sunt pridie Idus Junias. Festivitas vero eorum de martyrio agitur quinto Kalendas Augusti. Commemoratio tamen eorum publica et celeberrima

A in die sanctorum martyrum Protasii et Gervasii, quasi sociorum synchronon agitur.

(*Hic desiderantur aliquot pagellæ in manuscripto.*)

Antiochiæ sanctæ Marinæ virginis, quæ per Olibrium præfectum multa tormenta pro Christi nomine, id est vincula, carcerem, flagella et equuleum, perpessa est. Quam et diabolus in draconis specie atque Æthiopis aggressus, subvertere tentavit, sed per signum sanctæ crucis effugatus et superatus ab ea discessit. Novissime vero per eumdem præfectum decollata, mortalem vitam finiens, veram et æternam a Christo percepit.

Ravennæ Macharii, Felicis, Æmilii, Crispini.

XIII. Kal. Jul. — Mediolani nativitas sanctorum B martyrum Gervasii et Protasii. Qui beatissimi, a sancto Paulo apostolo instructi, cum per decem annos in uno cœnaculo conclusi, lectionibus et orationibus atque jejuniis vacassent, decimo anno a pontificibus templorum apud Astatium comitem proditi, et ab eodem tenti atque examinati, hoc modo ad palmam martyrii pervenerunt. Cum enim nec minis nec blandimentis eos compellere potuisset ut se Christianos esse negarent, Gervasium quidem tandiu jussit plumbatis cædi, quandiu spiritum exhalaret ; Protasium vero, fustibus cæsum, capite truncari. Quorum corpora Philippus vir religiosus una cum filio suo furtim abstulit, et intra domum suam in arca marmorea sepelivit. Eorumdem vero sepulcra multa post tempora sub Theodosio imperatore, Domino revelante, beatus Ambrosius reperit, et ita C incorrupta corpora eorum, ac si eodem die fuissent interempti. Quæ cum in urbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit.

Item ibidem, juxta Martyrologium sancti Hieronymi, nativitas sancti Nazarii et Celsi pueri.

Apud Ravennam sancti Ursicini martyris, qui sub judice Paulino post nimia tormenta in confessione Domini immobilis permanens, capitis abscissione martyrium consummavit sepultusque est in eadem urbe a beato Vitale, patre sanctorum Gervasii et Protasii.

Romæ Sylvestri papæ, qui sedit anno uno. Qui, consentiente Justiniano imperatore, a Vilisario [Belisurio] patricio depositus, et monachus factus, in exsilio confessor moritur.

D XII. Kal. Jul. — Romæ depositio beati Novati, fratris Timothei presbyteri, qui a beatis apostolis eruditi sunt. De quo Novato scribit Pastor in gestis Pudentianæ et Praxedis virginum, quod post mortem beatæ Pudentianæ visitante se beato Pio episcopo et sancta Praxene, assistente etiam frequentia plurimorum martyrum, migraverit ad Christum.

In Tomis civitate Pauli, Cyriaci, Paulæ, Felicianæ, Felicis, Æmilii, Vitalis, Crispinæ, Martyriæ.

Item translatio sancti Zezonis martyris.

XI Kal. Jul. — In Sicilia, civitate Syracusis, nativitas sanctorum martyrum Rufini et Martiæ.

Romæ sanctæ Demetriæ virginis, quæ fuit beati

Fausti filia. Hæc cum ante impium Julianum pro fide Christi introduceretur, in ejus confessione spiritum emisit, sepultaque est a beato Joanne presbytero, juxta matrem suam Dafrosam et sororem Vivianam, juxto palatium Licinianum.

Apud Moguntiacum civitatem nativitas sancti Albani martyris, qui sub Theodosio imperatore de insula Namsia pergens, cum sancto Theonesto et Urso Mediolanum venit. Indeque exiens, auxiliante Domino, pervenit ad Gallias, et in servitute Domini perseverans, et ad martyrium pro nomine Salvatoris promptus, postquam in civitate Augusta beatus Ursus martyrii cursum consummavit, sanctus Albanus cum Theonesto Magontiacum pervenit. Dumque ibi verbum Dei prædicaret, martyrium explevit, et sepultus est ibi juxta prædictam civitatem.

In Cæsarea depositio sancti Eusebii episcopi.

X. Kal. Jul. — Antiochiæ nativitas sanctorum martyrum Agathalicæ, Juliani, Graphi et aliorum octingentorum quatuordecim, quorum nomina Deus habet in libro viventium.

In Britannia sancti Albani martyris, qui tempore Diocletiani in Verolamio civitate post verbera et tormenta acerba capite plexus est, sed illo in terram cadente, oculi ejus qui eum percussit pariter ceciderunt. Passus est cum illo etiam unus de militibus, eo quod eum ferire jussus, noluerit, divino utique perterritus miraculo, quia viderat beatum martyrem, sibi dum ad coronam martyrii properaret, alveum omnis interpositi, orando transmeabilem reddidisse. Quo in tempore persecutio crudelissima Oceani limbum in Britannia transgressa, etiam Aaron et Julium cum aliis octingentis octoginta novem felici cruore damnavit.

In civitate Campaniæ Nola sancti Paulini episcopi. Qui se temporibus Wandalorum, aliis omnibus jam exhaustis, pro filio cujusdam viduæ in servitutem barbaris tradens, et ex terribili visione regi eorum quis esset agnitus, reddita sibi omni captivitate civitatis suæ, et oneratis frumento navibus, cum ingenti gloria ex Africa ad propriam sedem reversus est. Claruit autem non solum eruditione et copiosa vitæ sanctitate, sed etiam potentia adversus dæmones.

Eodem die depositio beati Nicetii Romanæ urbis episcopi.

IX Kal. Jul. — In Nicomedia passio sanctarum virginum, Pistis, Elpis, Agapis, quæ Latine *Fides, Spes, Charitas*, dicuntur, et matris earum Sophiæ, quæ *Sapientia* interpretatur, et aliarum multarum.

Romæ sancti Joannis presbyteri, quem impius Julianus inauditum via Salaria veteri, ante simulacrum Solis decollari præcepit. Ejus corpus a beato Concordio presbytero collectum et sepultum est juxta concilia martyrum.

In britannia depositio sanctæ Edeldrudæ virginis et reginæ. Cujus corpus, cum decem annis esset sepultum, incorruptum inventum est.

Item vigilia sancti Joannis Baptistæ.

VIII Id. Jul. — In provincia Palæstina, civitate Sebasta prius Samaria, et ante multa sæcula Sichem nuncupata, celebritas nativitatis sancti Joannis Baptistæ, propter corpus ejus in Macherunta quidem castello Arabiæ detruncatum, sed ibi a discipulis ejus tumulatum. Qui revera in Hebron civitate Juda, quæ ad fugitivorum præsidium sacerdotibus, imo filiis Aaron fuerat delegata, auctoritate Evangelii sancti Lucæ, et libri Jesu Nave, et natus creditur et nutritus. Cujus vitæ sanctitas et conversationis austeritas ac prædicationis qualitas, atque passionis ob defensionem veritatis acerbitas, non solum evangelistarum scriptis, verum etiam ipsius Domini, interni videlicet arbitri, testimoniis commendatur.

In Epheso dormitio beati Joannis apostoli et evangelistæ. Cujus licet præconia sexta die Kalendarum Januarii, quando per totam Ecclesiam festivitatis ejus solemnia celebrantur, congruentius prædicari videantur, tamen et hic aliqua ex eis ad legentium utilitatem commemorentur. Cum igitur sexagesimo octavo post passionem Domini anno, sciret imminere recessus sui diem, convocatis discipulis suis, inter sacra missarum Dei solemnia, de contemptu mundi et concupiscentiarum ejus, ac de observatione mutuæ charitatis, iterato atque frequentato sermone eos admonere non destitit, in tantum, ut etiam de ejusdem sententiæ repetitione fastidientes, alia illum dicere quia hæc sibi satis superque sufficerent, precarentur. Quibus ille respondit : « Quia sanctæ et intemeratæ dilectionis custodia aut vix a quoquam mortalium digne prædicaretur, aut inter mundana scandala usque ad finem illibata teneretur ; et his dictis, data omnibus pace, et tam semetipso quam illis Dominici corporis et sanguinis sacramento communitis, reclinavit se in sepulcro quasi in lecto, tam liber a dolore mortis quam immunis creditur a contagio corruptionis.

Augustoduno depositio sancti Simplicii episcopi, Festi, Lucerii.

VII Kal. Jul. — Apud Pyrrhi Beroeam nativitas sancti Sosipatri, discipuli beati Pauli apostoli.

Alexandriæ sancti Gallicani martyris : Qui dux Romani exercitus, cum intra Philoppolim [Philippopolim] Thraciarum urbem, a gente Scytharum fuisset obsessus, et ad suggestionem sanctorum Joannis et Pauli, abdicata idolorum cultura, Domini Jesu Christi se defensioni commendasset, et ipsæ et totæ Thraciæ ab hostium incursione sunt liberatæ. Quique Romam reversus, et Christianus effectus, quinque millia servorum suorum liberos civesque Romanos fecit, quibus etiam prædia domosque donavit. Cunctas vero facultates suas, excepto jure filiarum, Atticæ videlicet et Artemiæ, quas Constantina Augusta virgo sacratissima Christo fuerat lucrata, distrahi ac donari pauperibus fecit. Ac se in Ostiensi urbe manenti sancto viro cuidam, nomine Hilarino, sociavit, cujus habitaculum ampliari fecit ad peregrinorum susceptionem, quam ipse plurimis impendebat. Et adminiculo servorum, quos jam libertate donavit, atque ides arctius eos sibi astrin-

xit, omnibus indigentibus ad se venientibus, cunctisque languentibus sanctæ servitutis servitia exhibere non cessabat, donec Julianus Apostata, Cæsar effectus, legem promulgaret ut Christiani nihil in hoc sæculo possiderent. Sed et tunc Gallicanus in paucissimis casis quas ad ministerium pauperum reservatas habebat, ita Christum defensorem invenire merebatur, ut quicunque in eas malitiose vel ad ponendos titulos fisci intrare præsumeret, statim aut diabolo repleretur, aut lepræ maculis respergeretur. Quod cum Juliano fuisset nuntiatum, mandavit ei ut aut diis sacrificaret aut a finibus Italiæ discederet. Mox ergo beatus Gallicanus, relictis omnibus, Alexandriam petiit, et ibi junctus est confessoribus Christi per annum continuum. Post etiam secessit in eremum, ibique a Rauciano comite templorum vi cogebatur sacrificare diis; et dum contemneret, percussus gladio in corpore, Christi martyr factus, atque ita perrexit ad Dominum, gaudens cum triumpho. Cui statim sui nominis basilicam construxerunt, in qua exuberant beneficia martyris, ex eo et nunc et usque in sæcula.

Romæ Luceiæ virginis et Auceiæ regis, qui cum aliis viginti duobus pariter martyrio coronati sunt.

VI Kal. Jul. — Romæ nativitas sanctorum Joannis et Pauli fratrum. Quorum prior præpositus, secundus fuit primicerius Constantiæ virginis, filiæ Constantini imperatoris. Qui cum omni die turmas Christianorum recrearent ex his opibus quas sacratissima virgo Christi Constantia reliquerat, pervenit hoc ad Julianum impiissimum Cæsarem. Qui cum nec minis nec suasionibus a Christi amore eos abstrahere et ad idolorum culturam allicere posset, dedit eis inducias decem diebus, ut ad venerationem deorum suorum inclinarentur. Tunc sancti Dei, Christianos ad se invitantes, ordinaverunt de omnibus quæ relinquere poterant, ac per totos decem dies incessanter noctu diuque eleemosynis insistentes, in fine decimi diei, hora cœnandi, intra domum suam a Terentiano campiductore orantes constricti sunt, et nulla ratione vel comminatione a dilectione Christi quantulumcunque declinantes, per eumdem Terentianum decollati, et intra domum suam fovea facta repositi sunt, fama divulgata quod jussu Cæsaris in exsilium missi fuissent. Dæmones autem ex obsessis corporibus intra domum Joannis et Pauli ejiciebantur, confitentes sanctam passionem eorum, ita ut unicus filius Terentiani qui eos decollaverat, veniret intra domum sanctorum, et clamaret per os ejus dæmon, quod Paulus et Joannes incenderent eum. Tunc Terentianus, divina compunctus gratia, et in Christo regeneratus, tandiu ad sanctorum corpora orationibus, incubuit, donec emundationem filio suo impetraret.

In Alexandria Agathonis, Diogenis et Bigati.

In Africa Gaudentii, Felicis, Agapiti et Emeritæ.

V Kal. Jul. — In Galatia nativitas beati Crescentis, discipuli beati Pauli apostoli. Qui et in Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi convertit. Rediens vero ad gentem cui specialiter fuerat episcopus datus, Galatas usque ad beatum finem vitæ suæ in opere Domini confortavit.

Apud Tiburtinam Italiæ civitatem nativitas sanctæ Symphorosæ, uxoris beati Getulii martyris cum septem filiis, Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio, cum quibus passa et simul sub Adriano principe. Qui ipsam Symphorosam jussit palmis cædi, deinde per crines suspendi. Quam dum superare nullatenus posset, jussit eam alligato saxo in fluvium præcipitari. Cujus frater Eugenius, principalis curiæ Tiburtinæ, colligens corpus ejus, sepelivit. Et mane imperator jussit septem stipites figi, ibique filios ejus ad trocleas extendi, et Crescentem in gutture transfigi, Julianum in pectore, Nemesium in corde, Primitivum per umbilicum, Justinum, per membra distensum, scindi per singulos corporis nodos atque juncturas; Stacteum lanceis innumerabilibus, donec moreretur, in terram configi: Eugenium findi a pectore usque ad inferiores partes; et posuerunt pontifices sacrorum nomen loci illius, ad septem Bithanatos: quorum corpora requiescunt via Tiburtina, milliario nono.

Eodem die in Hispania, Corduba civitate, nativitas sanctorum Zoelli et aliorum novemdecim.

Apud Ephesum festivitas Septem Dormientium fratrum, hoc est, Maximiani, Malchi, Martiani [Martiniani], Dionysii, Joannis, Serapionis, Constantini. Qui Decianam persecutionem post nimia et plurima tormenta fugientes, absconderunt se in spelunca grandi in monte Cælio, et ibi in oratione assidua permanserunt. Quod audiens Decius imperator, jussit obstrui os speluncæ ut ibi interirent. Post trecentos autem et septuagtnta duos annos, hoc est tricesimo anno imperii Theodosii, filii Arcadii imperatoris, quando pullulavit hæresis, volens evacuare spem fidei et resurrectionem mortuorum, ipsi septem fratres, qui in prædicta spelunca usque ad illud tempus quiescebant, divina provisione suscitati sunt de somno longissimo, et comprehensi a quibusdam eo quod pecuniam sui temporis jam nunc antiquissimam in mercatum adduxerint ad comparandum sibi victum quotidianum, in præsentiam hominum illius ætatis adducti, quasi inventores antiquorum thesaurorum cogebantur reddere quod putabantur tenere. Sed post multam concertationem et sanctorum nimiam tribulationem (quia suspicabantur se vespere de civitate exisse et mane redisse, licet immutata esset in oculis eorum), tandem veniente Marino Ephesiorum episcopo, et veritate rei difficulter exsculpta, liberati sunt de manibus violentorum: ac Theodosio imperatori de longinquis mundi partibus advocato, in testimonium futuræ resurrectionis præsentati, iterum in locum quietis pristinæ redierunt.

In civitate Ambianensium inventio corporum sanctorum Fusciani, Victorici atque Gentiani.

IV Kal. Jul. — Apud Lugdunum Galliæ nativitas sancti Irenæi episcopi, qui beato Photino prope nonagenario ob Christi martyrium coronato, in locum ejus successit. Quem etiam constat beatissimi Polycarpi discipuli sancti Joannis apostoli, sacerdotis et martyris, fuisse discipulum : quique persecutione Severi cum omni fere civitatis suæ populo gloriose coronatus est martyrio, sepultus est a Zacharia presbytero, in crypta basilicæ beati Joannis Baptistæ sub altari, cujus ab uno latere Epipodius, ab altero Alexander martyr est tumulatus.

Eodem die apud Alexandriam passio sanctorum martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois. Item Sereni, Potamienæ, Marcellæ et catechumenæ Heræ nomine, baptismum martyrio consecutæ. Inter quæs præcipua erat Potamiena virgo, quæ primo immensos et innumeros agones pro virginitate desudans, deinde etiam pro Christi martyrio exquisita et inaudita tormenta perpessa, ad ultimum cum venerabili matre Marcella ignis suppliciis consumpta, e terris migravit ad cœlum.

Eodem die depositio sancti Leonis papæ. Qui post beatum Petrum apostolum quadragesimus septimus, in urbe Roma sedit annos viginti et unum, mensem unum, dies tredecim. Hic plurima doctrina exuberans, et cum multis episcopis fidem catholicam exponens, Eutychianam et Nestorianam hæresim damnavit, et sanctissimum Chalcedonense concilium sua industria congregari fecit. Hic constituit intra actionem dicere : *Sanctum sacrificium*, et monacham non accipere velamen capitis benedictum ab episcopo nisi prius virginitas illius probata fuerit.

In Africa Fabiani et Felicis cum aliis multis martyribus.

Vigilia sanctissimorum apostolorum Petri et Pauli.

III Kal. Jul. — Romæ natalis beatorum apostolorum Petri et Pauli, qui passi sunt sub Nerone Cæsare, Basso et Tusco consulibus. Petrus, post multorum millium Judæorum conversionem ad Dominum Jesum Christum, post vocationem Cornelii et plurimorum gentilium, post episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ et prædicationem dispersionis eorum qui de circumcisione in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia in Christum crediderant, secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum, imo ad illuminationem Occidentalium, et medicamentum in anima et corpore languentium a Deo directus, Romam pervenit. Ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem usque ad ultimum Neronis annum tenuit : a quo et cruci affixus, martyrio coronatus, capite secundum petitionem suam ad terram verso, et pedibus in sublime supinatis, quia videlicet indignum se crederet, qui ita crucifigeretur ut Dominus suus: sepultusque aqud eamdem urbem in Vaticano, juxta viam Triumphalem ; totius orbis veneratione celebratur, et cunctis ex fide se inquirentibus multis et inenarrabilibus modis opitulatur. Scripsit duas Epistolas quæ Canonicæ nominantur : quarum secunda propter styli cum

A priore dissonantiam, ejus a plerisque negatur, sed vere ipsius esse a cunctis sanum sapientibus approbatur. Hic ordinavit daos episcopos, Linum videlicet et Cletum, qui præsentaliter omne ministerium sacerdotale in urbe Roma populo vel supervenientibus exhiberent. Ipse vero orationi et prædicationi operam dabat : sicut etiam Hierosolymis diaconibus ad viduarum ac pupillorum ministerium constitutis, ipse cum cæteris apostolis orationi ac verbo semper erat instans.

Paulus quoque, post passionem Domini vicesimo quinto anno, id est secundo Neronis, postquam ab Jerusalem usque in Illyricum Evangelium Christi replevit, Romam quidem vinctus directus, sed a Deo mirabiliter absolutus, sub libera custodia ingressus B est, et sicut ipse in secunda ad Timotheum Epistola scribit (*cap.* IV), *liberatus de ore leonis*, ferocissimi videlicet persecutoris Neronis, Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicavit, et ipse quarto decimo Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultus est in via Ostiensi, anno post passionem Domini tricesimo septimo. Scripsit autem novem, imo decem, juxta Decalogum legis, Epistolas ad septem Ecclesias : Ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas, ad Hebræos unam. De qua licet a quibusdam propter dissimilitudinem dictorum atque sententiarum, et quia nomen illius in titulo non habetur, quondam C dubitatum sit, nunc et inter canonicas Scripturas, et ipsius beati Pauli apostoli indubitanter habetur. Præterea sunt et aliæ ad discipulos ejus quatuor, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una. Legunt quidam et ad Laodicenses, quæ tamen pro nihilo reputatur apud sapientes. Commemoratis igitur quæ ad apostolatum vel martyrium ejus pertinere videbantur, liceat paucis, quamvis ordine præpostero, aliqua de genealogia vel educatione præelectione ipsius ad memoriam studiosorum revocare. Saulus itaque aut Saul certe, ut juxta Hebraicum idioma loquar, quia ipsum nomen in tribu Benjamin unde ille erat, propter Saul regem maxime excellebat, ex oppido Giscalis oriundus fuit ; quo a Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ transmigratus est. A quibus ob studium litterarum D Hierosolymam directus, a Gamaliele antiquæ legis peritissimo, ac postea in Evangelium Christi vocato, in tantum eruditus est, ut *Vas electionis* ab ipso datore spiritualium charismatum non immerito nuncupari mereretur. Cum autem in nece beati Stephani protomartyris Christi, Judæis Christianorum persecutoribus consentaneus esset, ac postea per totam illam provinciam omnes eo nomine insignitos acerrime debellaret, atque ut ipse confitetur, Jesu Nazareni cultores usque in exteras nationes persequeretur : in quibus, dum Damascum, metropolim videlicet Syriæ, pergeret, revelatione subita, imo pœna dignissima, compulsus ad fidem, in doctorem

gentium de persecutore est translatus. Cumque primum ad prædicationem ejus Sergius Paulus proconsul Cypri credidisset, eo quod eum Christi fidei subegerat, ejus sortitus est nomen.

Et quia de beati Pauli origine seu vocatione pauca proposuimus, etiam de cæteris apostolis sine præjudicio sapientum aliqua narrentur ad instructionem ignorantium.

Ac primum sciendum quia cum duodecim apostoli a Domino referantur electi, quorumdam eorum patria vel tribus aut denique vocatio non aperte videatur expressa. Sed diligentius inspectis divinæ Scripturæ paginis, neque hæc pie quærentibus invenienda negantur. Et de Petro quidem et Andrea atque Philippo quod de Bethsaida, quæ nomine proprio *venatores* nostros præfiguravit, orti fuerint, nullus qui Evangelium legit, ignorat. Quod etiam de Jacobo et Joanne intelligendum Lucas nobis insinat cum eos Simonis, qui ob firmitatem fidei Petrus a Domino cognominari meruit, socios fuisse commendat. De Jacobo autem Minore, qui frater Domini non solum a fidelibus, verum et a Josepho, Judæorum historiographo, nuncupari solet, et fratribus ipsius Simone ac Juda, sive Thaddæo, quin de tribu Juda fuerint, nullus Christianorum dubitare permittitur. De vocatione vero Matthei cum, tribus evangelistis consonantibus, apertissime referatur: de tribu vel patria ipsius taceri videtur. Sed dum Marcus et Lucas eum, tacito vulgato nomine, Levi nuncupant, aut Dionymon juxta quosdam, aut de tribu Levi, juxta diligentiores, fuisse designant. Porro de Bartholomæo atque Thoma nihil aliud quibusdam in litteris apostolicis significari videtur, nisi quod ex multitudine discipulorum selecti narrantur in apostolicum gradum. Sed et in eis, si quis acutius intueatur, sacræ Scripturæ profundissimos rimando thesauros fontium, Jerusalem [Israel] divitias se invenisse gratulabundus admiratur. Sicut in psalmo de resurrectione et ascensione Domini atque donis Spiritus sancti, apostolorumque prædicatione, nec non et credulitate gentium sive crudelitate persequentium conscripto cantatur (*Psal.* LXVI) : *In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Jerusalem* [*Israel*]. *Ibi Benjamin adolescentulus*, Paulus videlicet, sicut etiam Lucas de illo repetivit, *secus pedes adolescentis* (*Act.* VII) ; — *in mentis excessu*, velut idem de se profitetur : *Sive mente excedimus Deo* ; *sive temperantes sumus, vobis* (II *Cor.* V). — *Principes Juda*, *duces eorum.* Jacobus scilicet Simon et Judas. — *Principes Zabulon, principes Nephthalim.* Reliqui procul dubio cuncti, præter Judam Scarioth, quod interpretatur *meditatio mortis*(*a*) designata non inconvenienter accipiatur, etiam transmutatione litterarum, quia de tribu Issachar, quod in Latina lingua *est merces*, exprimitur, et ortus, et ipsius nominis hæres seipsum profligando fuerit, a tractatoribus Evangelii commendatur. His breviter per excessum commemoratis ad propositum redeamus.

(*a*) Videtur desse aliquid.

Eodem die, id est tertio Kalendas Julii, quod est ante unum diem Kalendarum earumdem, Romæ passio nongentorum septuaginta sex martyrum.

In Perside nativitas sanctorum Simonis et Judæ apostolorum.

II Kal. Jul. — Romæ, imo per totum orbem Christi, festivitas sancti Pauli apostoli,

Item natalis beatissimæ Lucinæ, quæ ab apostolis baptizata est et instructa : quæque de facultatibus suis necessatibus sanctorum communicans, vincula semper et carceres sublevare, atque sepulturis eorum venerabiliter inservire studuit. Quorum meritis et ipsa sociata, pretiosam mortem confessione Christi adepta, atria cœlestis Jerusalem intrare vota sua Domino persolvendo meruit; ac Romæ in crypta laudabili, quam ipsa ad condendum corpora martyrum construxerat, honorabiliter est sepulta.

In Africa Timothei et Zotici.

In Agrippina Asclepii et Pamphili.

Lemovicis depositio sancti Martialis episcopi et confessoris.

JULIUS.

Mensis Julius habet dies XXXI.

Kal Jul. — In monte Or depositio Aaron primi sacerdotis in lege.

Romæ nativitas sancti Gaii papæ et aliorum non paucorum martyrum.

In Mesopotamia Zoelli cum aliis plurimis. Uronis [Turonis], Monegundæ [Monegundiæ] sanctissimæ feminæ, apud beatum Martinum inclusæ, sed miraculorum ostensione celeberrimæ.

In territorio Lugdunensi, loco qui vallis Vebrona nuncupatur, depositio viri Dei beatissimi Domitiani abbatis, qui primus illic eremiticam vitam exercuit, et plurimos sibi in Dei servitio aggregans, monasterium instituit, magnisque virtutibus et gloriosis miraculis clarus, collectus est ad patres suos in senectute bona.

Eodem die depositio Areleffi confessoris. Qui ab infantia Deo deditus, monasticam vitam expetivit, et a sancto Maximino Aurelianenei episcopo, simul cum Avito socio presbyter ordinatus, vitam solitariam desiderans ; sed proficientibus meritis latere nullatenus (divino id factum nutu) nequiens, et monasteria in diversis locis ædificans, multis virtutibus et in carne manens et post obitum claruit. Sed quia virtutum nomine aliquando vitæ sanctitas, aliquando miraculorum efficacia designatur, unum de miraculis per sanctitatem illius ostensis, ad comprimendum temerariarum mulierum audaciam, in hoc ecclesiasticarum historiarum breviario commemorare sufficiat. Audiens quædam mulier, nomine Gunda, quia sanctus Areleffus muliebri sexui, per quem virile robur solet emolliri, interdixisset aditum in monasterium suum, assumpto viri habitu, quasi sancto Dei illusura, et ut sibi videbatur jam voti sui compos effecta, inter multitudinem virorum tendebat ad cœnobium ; et ecce subito in amentiam

versa, femora denudare, crura divaricare, et pudenda proprio nomini cognomina cœpit ostentare, et quod pudet dicere, nisa est basiare: atque exemplo uxoris Lot, etsi non in statuam salis mutata, sed pœna sua condimentum fatuis effecta, præsentibus et absentibus, imo etiam futuris metum curiositatis incussit.

VI Non. Jul. — Romæ nativitas sanctorum Processi et Martiniani, qui cum viderent mirabilia, quæ faciebat per beatos apostolos suos Petrum et Paulum Dominus Jesus Christus, mirari cœperunt, Erant enim hunc temporis beatissimi apostoli traditi Paulino viro clarissimo sub custodia Mamertini in monte Tarpeio : ubi de monte suis orationibus aquam manare fecerunt. Tunc baptizati sunt Processus et Martinianus a beato Petro apostolo, et alii promiscui sexus numero quadraginta septem. Quod cum nuntiatum esset Paulino, misit milites et tenuit eos, jussitque in custodia retrudi. Sequenti autem die educti, cum constantissime. . . . .

Hic iterum desiderantur aliquot pagellæ in manuscripto codice.

Rusticus e contra intulit : Nunc, inquiens, agnovimus quia irreligiosus, incantator ac magus es, qui mane comedis, cervas mulges, vestem de radio solis appendis, si infantem in Dei nomine loqui non feceris. Tandem igitur post refragationem diutissimam sanctus vir, humilitatem suam aliquantulum postponere et potentiam manifestare coactus, conversus ad infantem dixit : « Adjuro te per Jesum Christum Filium Dei vivi, ut fatearis coram omnibus, quis te genuerit, aut quæ pepererit. » Ad quæ infantulus, fandi gratia ab omnium auctore percepta, obsolutissimo sermone respondit: « Pater meus iste Rusticus est episcopus, et mater mea sanctimonialis est illa. » Sicque obstinatus ille episcopus in scelere suo denudatus, a veraci famulo Dei pœnitentiæ consilium accepit, et sanctus sacerdos Gor a Christo glorificatus, ad locum suum rediit, ac de die in diem in augmento virtutum proficiens in pace requievit.

Non. Jul. — Apud Alexandriam Ægypti nativitas sancti Pantæni, viri apostolici et omni sapientia adornati. Cui tantum studii et amoris erga verbum Dei fuit, ut etiam ad prædicandum Christi Evangelium omnibus gentibus quæ in Orientis ultimis secessibus reconduntur, fidei et devotionis calore profectus sit, et usque ad Indiam citeriorem prædicando pervenerit. Ubi reperit Bartholomæum, unum de duodecim apostolis, adventum Domini Jesu Christi juxta Evangelium Matthæi prædicasse. Quod Hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam secum detulit, ibique præclaram et nobilem vitam beato fine conclusit.

Ibidem sanctorum Heraclii, Helii, Apollonii Publii cum aliis viginti.

Romæ passio beatorum martyrum Nicostrati primi scrini, Claudii commentariensis, Castorii sive Castulli, Victorini, Symphoriani, vel, sicut in libro Sacramentorum continetur, Semproniani. Quorum natalem sexta die Iduum Novembris eatenus nos celebrasse credidimus, donec venerabilis Pater Ado alios et alios pro eis nobis honorandos insinuaret: de quibus in suo loco, vita comite, commodius disseretur. Hos ergo beatus Sebastianus credere in Christum docuit, et sanctus Polycarpus presbyter baptizavit. Qui cum sanctorum corpora per ora Tiberina requirerent, tenti sunt, et ad Fabianum Urbis præfectum perducti. Qui cum per dies decem minis et blanditiis satageret ut eos ad immolandum idolis provocaret, et nullum penitus a stabilitate fidei commovere posset, fecit de eis suggestionem Diocletiano et Maximiano imperatoribus : quique jusserunt eos torqueri ; cumque nulla ratione compulsi cederent, jusserunt eos in mare præcipites dari : immensis itaque arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati sunt, ut in loco mundo inter aquas coronam martyrii percipere mererentur.

VIII Id. Jul. — In Asia Minore nativitas sancti Aquilæ et Priscillæ uxoris ejus, de quibus in Actibus apostolorum legitur (*cap.* XVIII) quod apud eos beatus apostolus Paulus, propter idem artificii genus quod illi et eisdem erat commune, moraretur et operaretur, postquam ipsi ab urbe Roma in Achaiam devenerunt.

In Palæstina sancti Procopii martyris, qui ab Scythopoli ductus Cæsaream, ad primam responsionum confidentiam irato judice Fabiano capite cæsus est.

In Nicæa Sostrati senatoris, Severi et Honorati, cum aliis multis.

In Taurominio Speri et Corneliani cum aliis sexaginta.

In pago Austriæ, id est novæ Franciæ castro, imo civitate, ut Teutonico nomine prodit, Wirzburg, juxta Moin fluvium sita, passio sancti Chiliani, primi ejusdem civitatis episcopi et duorum discipulorum ejus Colonati [Colomanni] scilicet presbyteri et Totnani diaconi. Qui ab Hibernia Scotorum insula venientes, et a pontifice sedis apostolicæ auctoritate accepta, nomen Christi in eodem loco et in circuitu prædicaverunt. Cumque multum populum idem vir apostolicus signis et verbo Domino acquireret, a duce locorum eorumdem, nomine Cozperto, pro eo quod eum a conjugio uxoris fratris sui disjungere niteretur, factione ejusdem incestuosissimæ Geilæ, cum sociis eodem zelo ferventibus, est interemptus. Ad quorum memorias cum plurima semper fiant miracula, his tamen indiciis pretiosa mors eorum primum mortalibus est commendata. Nam is qui eos in oratione positos nocturno tempore silentio peremit, huc et illuc amens discurrendo, ac se reum necis sanctorum clamitando, seque ipsum dentibus suis laniando, quia igne invisibili a sancto Chiliano sibi videbatur exuri, commissum suum ipse publicavit. Geilam quoque etiam ipso nomine petulcam spiritus malignus invasit, et indignam ejus vitam dignissima morte finivit. Cozbertum vero servi sui occiderunt gladio, filium autem ejus populi propulerunt de re-

gno. Ad augmentum quoque sanctitatis martyrum declarandum, cum post annos plurimos transferendi gratia detegerentur, contra naturam ejusdem regionis, supra modum humidæ, libri eorum ac vestimenta omnia, pariter cum eis subterrata, ita sunt illæsa reperta quasi in scrinio super terram posito essent inclusa.

VII Id. Jul. — Romæ ad Guttam jugiter manantem nativitas sancti Zenonis et aliorum decem millium ducentorum et trium.

Item Floriani et Fausti.

In civitate Tyro [Thora], non longe ab urbe Roma, Anatoliæ et Audacis sub Decio imperatore. Quorum Anatolia, cum multos in Piceno infirmos, lunaticos ac dæmoniacos curasset, ducta est, jubente Faustiniano, ad civitatem Tyri [Thoræ], et diversis plagarum generibus vexata, deinde cum serpente tota nocte inclusa, nihil læsa est. Quin et ipsum Marsum, qui serpentem dimiserat, nomine Audacem, mane a suo serpente devorandum eripuit, et ad Christi martyrium convertit. Nam et ipse post hoc ob confessionem veritatis in custodiam datus, nec mora, capitali sententia coronatus est. Ipsa quoque Christi virgo gladio transverberata cum staret extensis manibus in oratione, ita ut per dextrum latus gladius missus, per sinistrum exiret. Passa est septimo Iduum Julii, sepulta autem est mane a civibus Tyrensibus [Thorensibus].

Mediolani nativitas sancti Mochymi [*f.* sancti Monæ].

In Ægypto Cyrilli episcopi. Qui a Lycio duce flammis injectus, illæsus evasit; ac stupore tanti miraculi a judice dimissus, cum rursus verbum Dei alacriter prædicaret, ac plurimos efficacius ad fidem Christi converteret, judex, impietate repletus, eum capite plecti jussit atque optatum martyrii finem consummavit.

Item in Ægypto sancti Serapionis episcopi et confessoris.

In civitate Martulana sancti Brici [Brictii] episcopi et confessoris. Qui sub judici Martiano postquam os lapide contusum est, et in equuleo crudelissime cruciatus, in confessione Domini perdurans, in carcerem trusus est; nocte autem terræmotu gravi civitas est perculsa, inter alios plures etiam Martianum occidit. Et Christi confessor ab angelo sancto et a beato Petro apostolo visitatus, atque ad prædicandum Evangelium confortatus, magnas populorum credentium multitudines omnipotenti Deo lucrifaciens, quievit in pace. Cujus animam viderunt astantes in specie columbæ niveæ cœlo recipi.

VI Id. Jul. — Romæ nativitas septem fratrum filiorum sanctæ Felicitatis, id est Januarii, Felicis, Philippi, Sylvani, Alevandri, Vitalis, Martialis. Qui sub præfecto urbis Publio, tempore Antonini principis, primum auditi, deinde per diversos judices, ut variis suppliciis laniarentur, missi sunt. E quibus Januarius, post verbera virgarum et carcerem, ad plumbatas occisus est. Felix et Philippus fustibus mactati. Sylvanus præcipitio interemptus est. Alexander, Vitalis et Martialis capitali sententia puniti, a charitate Christi et unitate fidei non sunt vel in morte divisi.

Item Romæ milliaro decimo, fundo Plautillæ qui dicitur Buxo, sanctarum Rufinæ et Secundæ sororum, patre clarissimo Asterio et matre Aurelia genitarum; sub persecutione Valeriani et Gallieni, judicibus Junio præfecto et Archisilao comite, in loco prædicto, pro eo quod sponsos suos a Christo apostatatos accipere noluerint, capite cæsæ sunt.

In Africa sanctorum Januari, Marani, Naboris et Felicis, ob constantiam Christianæ fidei decollatorum: quorum corpora postea Mediolanum sunt translata.

V Id. Jul. — Romæ passio sanctorum Stephani, Leontii, Mauritii et aliorum multorum.

In Africa Mauriani [Marini] et Januarii.

In Armenia Minore, civitate Nicopoli, sanctorum martyrum Januarii et Pelagiæ, qui equuleo, ungulis et testarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrizaverunt.

Translatio sancti Benedicti abbatis a castro Cassino sive Cassiani in Gallias vel Aquitaniam. Postquam enim, sicut ipse vivens prædixerat, monasterium ejus a gentibus est vastatum, hominibus tantum, juxta sententiam illius: *Vix obtinui apud Deum omnipotentem, ut ex hoc loco mihi animæ cederentur*, illo intercedente salvatis: corpus ipsius a religiosis quibusdam, Domino revelante, repertum et in Gallias translatum, atque in territorio Aurelianensi, monasterio quod vocatur Floriacum, digne sepultum, et multo dignius frequentatione devotorum est jugiter honoratum

Translata sunt etiam pariter ossa beatæ Scholasticæ virginis, sororis ejus, atque in partibus Cenomanensium religiosorum devotione conditum. Cujus animam idem vir Dei e corpore egressam vidit in columbæ specie cœli secreta penetrare, corpusque ejus secum in uno jussit poni sepulcro, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret. Sed væ miserorum meritis, per quos separationem passa sunt, quæ dispositione sancti Spiritus conjungi meruerunt: sed non diu locus ille, sanctorum reliquiis honorabilis, a fidelium conventu mansit inanis; nam fratres qui hostium manus evadere potuerunt, iterato in unum conglobati, et aliis ad vicem dispersorum adhibitis multiplicati, sacros cineres seipsos jam cautius agentes, satis religiose curarunt, donec nuper infestatione Saracenorum in omnem ventum dispersi sunt.

IV Id. Jul. — Apud Aquileiam nativitas sancti Hermagoræ, vel, sicut in antiquis codicibus invenitur, Hermechoræ, primi ejusdem civitatis episcopi, discipuli sancti Marci evangelistæ.

Item Fortunati, de quo Fortunatus episcopus:

Et Fortunatum fert Aquileia suum.

In Cypro beati Nasonis [Jasonis] antiqui Christi discipuli.

Romæ in Vaticano depositio S. Pii papæ, qui sedit in episcopatu annis octodecim. Sub hujus tempore Hermes librum conscripsit qui appellatur Pastor, quia in habitu pastoris ei angelus apparuit.

Mediolani translatio sanctorum martyrum Naboris et Felicis, qui sexto Idus Julii cum Januario et Marino in Africa decollati, hac die Mediolanum sunt deportati. De quibus beatum Victorem in passione sua credo supplicasse : *Ne separes me, Domine, a civibus meis martyribus tuis Nabore et Felice.*

Lugduno Galliæ depositio Viventioli episcopi.

III Id. Jul. — Transitus Esdræ instauratoris divinæ legis.

In Alexandria Serapionis, Evangeli, Zenonis et aliorum ac Trophimæ virginis.

Romæ sancti Cleti papæ, qui sedit in episcopatu annis duodecim. Hic cum esset chorepiscopus beati Petri apostoli, ex præcepto illius ordinavit in urbe Roma presbyteros viginti quinque, et sepultus est juxta corpus ipsius.

In Africa nativitas sanctorum confessorum, imo victoriosissimorum martyrum, Eugenii Carthaginensis episcopi, fide et virtutibus atque miraculis gloriosi, et universi cleri ejusdem Ecclesiæ : qui cæde inediaque macerati fere quingenti vel amplius, inter quos quamplurimi erant lectores infantulique, gaudentes in Domino, crudeli exsilio procul extrusi sunt. In quibus erant nobilissimi archidiaconi nomine Salutaris, et Mauritta, secundus in officio ministrorum. Qui plurima pro confessione catholica perpessi supplicia, et tertio confessores effecti, gloriosæ in Christo perseverantiæ titulo collustrati sunt.

In Antiochia passio Margarethæ virginis, quam Olibrius consul a Christi fide seducere et constuprare cupiens, non consentientem sibi plurimis tormentis affixit : hoc est, in equleo suspensam ungulis acerbissimis lacerari, ac postea in carcerem tenebrosum conjici præcepit, ubi multimodas diaboli seductiones, quas ei in specie draconis et Æthiopis ingerere nisus est, in nomine Domine Jesu exsuperans, novissime decollata, ad requiem migravit æternam.

II Id. Jul. — In Alexandria nativitas SS. martyrum Mammarii, Petri et aliorum.

In Africa Donatæ.

In Ponto S. Phocæ sive Phocatis episcopi civitatis Sinopis. Qui sub Trajano imperatore, præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Christo superavit ; cujus reliquiæ in basilica Apostolorum, in Gallia, civitate Vienna, habentur.

Lugduno Galliæ sancti Justi episcopi et confessoris, qui fervore divinæ contemplationis in anachoretica conversatione defunctus, et ad civitatem suam gloriose translatus, ingenii sui monumenta in Cantico canticorum reliquit insignia.

Item sancti Amici episcopi.

A Id. Jul. — Nisibi civitate, natalis sancti Jacobi episcopi, magnæ virtutis viri, ita ut ad ejus preces sæpe urbs discrimine liberata sit. Hic unus fuit ex numero confessorum sub persecutione Maximini, et eorum qui in Nicæna synodo perversitatem Arii homousii oppositione damnarunt : atque intra muros urbis suæ, ex præcepto Constantini imperatoris, ad tutelam et munimentum sepultus, postea zelo Juliani Apostatæ extra urbem elatus et conditus est. Sed mox eadem civitas, tanti patroni orbata reliquiis, Persarum ditioni succubuit. Qui etiam adhuc in corpore multa signa fecit, et arcam Noe solus in monte Armeniæ Tauro videre promeruit, quod nulli alii de his qui cum eo perrexerant videre permissum est.

B In Portu Romano Eutropii, Zozimæ et Bonosæ sororum.

Apud Alexandriam sanctorum Philippi, Zenonis, Narsei et decem infantum.

Carthagine sanctorum Catulini diaconi, Januarii, Florentii, Juliæ et Justæ, qui sunt positi in basilica Fausti.

In Sirmio Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis.

XVII Kal. Aug. — In Ostia natalis sancti Hilarini, qui sanctorum hilarissimus susceptor et sustentator, dum sub persecutione Juliani cogi non posset sacrificare idolis, fustibus cæsus, martyrium consummavit.

Apud Antiochiam Syriæ sancti Eustachii [Eustathii] episcopi et confessoris : qui sub Constantio
C princeps ob catholicam fidem intra Janopolim [Trajanopolim] urbem Thraciæ pulsus exsilio, ibidem primo requievit.

Item Theodosii, Dionysii, Theodoti.

In Cæsaræa Cappadociæ sancti Pauli, cujus gesta sancto Hieronymo, ut ipse confitetur, agnita, nostræ tarditati sunt ignota.

Apud eamdem urbem passio sancti Mammetis, qui in montem Sina divina vocatione perveniens, et non propriam, sed cœlo delapsam ad paranda miracula virgam accipiens, ea terram attigit, et mox Evangelium prosilivit. Quod cum legere cœpisset, omne genus ferarum mansuetis animalibus mansuetius est affectum, adeo ut lactantes feminæ ultro se mulgendas applicarent. Cumque lactis coagula pres-
D sisset in caseum, perrexit ad Cæsaream Palestinæ, et viduis ac debilibus et cæteris pauperibus ministravit. Quod videntes Hierosolymitæ Judæi, omnium bonorum invidi, detulerunt eum quasi arte magica imbutum apud præsidem Cappadociæ, ab Alexandro tyranno ad procurationem partium earumdem directum : quo modo ad exhibitionem ejus manum militiæ destinante, et sancto Mamma eosdem exsecutores suos charitatis intuitu pascente, et post prandium Evangelium lectitante, tantus ferarum ac bestiarum concursus est effectus, ut se milites effugium non habituros crederent ; quos vir benignissimus blande consolatus ante se præmisit,

et leoni immanissimo præcipiens ut post se veniret ad theatrum, milites e vestigio subsecutus est. A quibus præsidi assignatus, et ab eo crudeliter examinatus, et crudelius ungulis in equuleo laceratus, ac deinde in carcerem missus, quadraginta alios, quos ibi fame ac siti periclitatos invenit, melle et lacte per columbam sibi cœlitus delato reficiens, et meritorum suorum clavibus invisibiliter absolvens, et ipse solus in carcere persistens, iterum præsidi præsentatur. A quo in caminum ignis missus, et post quinque dies illæsus inter angelorum choros repertus, ursæ crudelitatis nimiæ objicitur; quæ magno impetu ad discerpendum eum festinans, divino nutu subito retroacta subsedit, quasi audaciæ suæ semetipsam accusans. Admissus est ei etiam pardus, obsecutus est potius, quam ei injuriosus effectus. Tunc præses, iracundia plenus, leonem crudelissimum ad devorationem ejus inquiri præcepit. Et ecce Arabicus ille, et tanto cursu efferatus leo theatrum irrumpens, evangelicæ lectionis assiduitate mansuefactus beato Mammæ his eum verbis alloquitur: « Salve, o probate Dei cultor, in quo Spiritus sanctus habitaculum sibi dulce construxit. Ecce angelica jussione vocem ad tempus accepi; fides tua naturæ jura superavit, pro te mutis animalibus humana vox creditur; officia reddo pastori, memini cui paruerimus in monte. » Hæc eo loquente, ab angelis theatri clausæ sunt januæ, et statim ille horridis rictibus fremens, per omnes populi cuneos communiter sævit. Hos ex industria lene [*f.* leo] lacerat, illos ore excipit, hos frangit amplexu, confringit alios unguibus, nonnullos consumit solo timore. Exstinctis itaque omnibus gentilibus vel Judæis, præsidi et officio ejus, ex præcepto Mammæ, vita conceditur. Qui pro beneficiis reddens injuriam, leonem jubet dimitti, in quo omnem spem putabat esse suæ victoriæ. Sed fera, ut propius accessit, lingens sancti vestigia, poscens veniam, volvebatur ad genua. Tunc omnis populus lapidibus eum obruere nisi sunt, sed incassum, nam ictus hinc inde volitando martyrem non læserunt. Sic integer inde discessit, Deo vota persolvens. Et ecce vox e cœlo lapsa est, quæ ait: « Ascende, Mamma, apertum tibi est cœlum, et omnia paradisi claustra reserata. Jam pro te Dominus exsultat, remunerans præmia pro triumphis: Jam te cum corona Christus exspectat, propera cum sancto Spiritu, qui te gubernat. » His victoriosissimus martyr gaudenter auditis, facta oratione, quievit in pace.

XVI Kal. Aug. — In Carthagine natalis sanctorum martyrum Scillitanorum, id est Sperati, Martialis, vel Narthali, Aquilini, Cythini, Beturii, Felicis, Lactantii [Letarii] vel Lactatii, Januariæ, Generosæ, Bessiæ, Donatæ et Secundæ. Qui sub Saturnino præfecto de civitate sua Scylla Carthaginem perducti, et post primam confessionem Christi in carcerem missi, et in ligno confixi, mane gladio decollati sunt: quorum reliquiæ cum ossibus beati Cypriani et capite sancti Pantaleonis ex Africa in Gallias translatæ, venerationi habentur Lugduni in basilica beati Joannis Baptistæ.

Mediolani sancti Marcelli.

Antissiodoro depositio beati Theodosii episcopi.

XV Kal. Aug. — Romæ via Tiburtina, milliario octavo, nativitas sanctorum Symphorosæ martyris, matrisque septem germanorum, quæ cum ipsis est posita; nomina vero germanorum hæc sunt: Petri, Marcelliani, Januarii, Dionysii, Sympronii, Clementis, Hirenei (*a*).

Apud Carthaginem natalis sanctæ Gudenes [Gundenis] quæ Plutio [Planciano] et Reto [Geta] consulibus, jussu Rufini proconsulis, quatuor diversis temporibus equulei extensione vexata, et ungularum horrenda laceratione cruciata, carceris etiam squalore diutissime afflicta, novissime gladio cæsa est.

Apud civitatem Metensem depositio sancti Arnolfi episcopi, qui sanctitate et miraculorum gratia illustris, eremiticam vitam etiam in episcopatu diligens, beato fine quievit.

XIV Kal. Aug. — In Hispaniis natalis sancti Justi. Et in civitate Hispalensi sanctarum Justæ et Rufinæ, quæ a Diogeniano præside comprehensæ, equulei extensione et ungularum laniatione vexatæ sunt, deinde trusæ in carcerem, inedia et dolore afflictæ. Post hæc jussit præses ut quocunque iret ipse, nudis pedibus sequerentur. Tandem Justa in carcere spiritum exhalavit. Corpus ejus in puteum projectum, et a Sabino episcopo levatum, in Hispalensi cœmeterio sepultum est. Rufinæ cervix confracta, et corpus ejus igni traditum; cujus reliquiæ a fidelibus curatæ sunt.

In Ægypto Patris nostri Arsenii. De quo in Verbis Seniorum refertur quia propter redundantiam lacrymarum tergendam, sudarium semper in sinu vel in manu sua habuerit.

In Alexandria sancti Sisinnii.

In Antiochia Luciani et sociorum ejus.

Constantinopoli Dariæ.

In Hispaniis Justi.

Apud Lugdunum Galliæ, depositio sancti Rustici presbyteri et confessoris.

In Italia, civitate Tyro, natalis sanctæ Crystinæ virginis juxta quosdam.

XIII Kal. Aug. — Nativitas beati Joseph, qui cognominatus est Justus, quique cum beato Matthia ut numerum duodecimum impleret ab apostolis statuitur. Sed Matthia locum Judæ prævaricatoris implente, beatus Joseph nihilominus prædicationis et sanctitatis officio inserviens, multasque fide Christi persecutiones a Judæis sustinens, victoriosissimo fine in Judæa quievit. De quo refertur quod venenum biberit, et nihil ex eo triste propter fidem Christi pertulerit.

Apud Damascum natalis sanctorum Sabini, Maxi

(*a*) Horum nomina in martyrologio Rom. alia habentur.

mi, Juliani, Macrobii, Cassii [Cassiæ], Paulæ cum aliis decem.

In Corintho Cyriaci cum aliis multis.

Romæ sanctæ Passeriæ, Macrini, Saturi et Æmilii.

XII Kal. Aug. — Depositio sancti Danielis prophetæ.

Romæ sanctæ Praxedis virginis. Hæc cum sua sorore beata Potentiana vel Pudentiana a sanctissimo patre Pudente, qui fuit edoctus in fide a beato apostolo Paulo, in omni castitate et lege divina erudita. Post transitum patris vigiliis et orationibus atque jejuniis assidue vacans, omne patrimonium suum simul cum beata sorore in sustentationem pauperum et Christi sanctorum erogavit. In titulo vero quem pater eorum Pudens nomine beati Pastoris dedicavit, una cum consilio beati Pii sedis sacrosanctæ et apostolicæ episcopi, fontem baptismi construere soror et ipsa studuerunt, ut familia earum die sancto Paschæ baptizaretur. Quos ad nonaginta sex numero manumissos, beatus Pius aquis salutaribus abluit. Inde post innumera pietatis opera, post multorum martyrum sepulturas, eadem beatissima virgo migravit ad Dominum, coronam justitiæ a justo judice receptura. Sepulta in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, juxta sororem suam atque patrem Pudentem.

In Galliis, civitate Massilia, natalis sancti Victoris. Qui sub persecutione Diocletiani et Maximiani cum esset miles, et nec militare nec idolis sacrificare vellet, primum a tribuno suo Austerio in carcerem trusus, sed omni nocte ad visitandos et consolandos infirmos ab angelo eductus est. Deinde jussu Eutychii præfecti retortis brachiis loris subtilibus ligatus, et pedibus fune constrictus, per mediam tractus est civitatem. Post hæc fustibus crudelissime cæso ac suspenso, et taureis cruciato, cum exhibuissent aram in qua sacrificaret, et eam nec respicere sustinens, de manu sacerdotis calce excussisset, pedem præses ejus jussit incidi. Ad ultimum in confessione Christi persistens, missus est in molam pistoriam, in qua sparsum vertigine animalis macerari solet, atque ita contritus, martyrium consummavit. Passi sunt cum eo tres milites, Alexander, Felicianus et Longinus. Puer quoque Deuterius, dum ad sepulcrum ejus oraret, emisit spiritum.

In urbe Cæsena nativitas sanctorum Adriani, Helii, Victoris, Patrocii et aliorum.

Apud Veronam translatio sancti Zenonis martyris, de cujus sanctitate beatus papa Gregorius commemorat, quia cum Atesis fluvius usque ad superiores ecclesiæ fenestras, in qua venerabile corpus ipsius requiescebat, excresceret, patentibus januis aqua in eamdem ecclesiam non intraret, sed haustum suum inclusis omnino non negaret.

XI Kal. Aug. — Nativitas sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua, ut evangelistæ referunt (*Marc.* xvi, *Luc.* viii), dæmonia septem Dominus ejecit. Quæ A etiam, inter alia dona insignia, Christum a mortuis resurgentem prima videre et apostolis prædicare promeruit.

Depositio sanctæ Syntyches, quæ Philippis sepulta quiescit. De qua beatus Apostolus Philippensibus scribit: *Evodiam rogo, et Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino* (*Philip.* iv).

In Antiochia Cyrilli episcopi, Andreæ et Actebelli.

In Ancyra Galatiæ sancti Platonis.

X Kal. Aug. — Apud Ravennam natalis sancti Apollinaris episcopi et martyris. Qui Romæ ordinatus a beato Petro apostolo, illuc directus est. Qui etiam in Æmilia, et in partibus Corinthiorum et in Mysia, et in ripa Danubii, et in partibus Thraciæ, in quibus locis exsilio relegatus est, Evangelium B Christi fiducialiter annuntiavit. Et ubicumque pervenit, innumeras virtutes ostendit, et plurimas passiones sustinuit. Nam nimia cæde frequenter ac diu mactatus, ac nudis pedibus super prunas impositus, atque equuleo suspensus, crudelissime tortus est, et saxo os ejus contusum, et cum gravissimo ferri pondere inclusus in carcere horrifico, atque in ligno extensus est. Ubi ab hominibus quidem est neglectus, sed ab angelo publice pastus est. Deinde catenatus in exsilium trusus est, ibique rursum fustibus cæsus et vulneratus est, iterumque in carcerem missus est et cæsus, sic martyrium consummavit sub Vespasiano Cæsare, Demosthene patricio. Rexit Ecclesiam per annos viginti octo, mensem unum, dies quatuor.

Romæ via Tiburtina, milliario decimo, octavo, C nativitas sancti Vincentii.

Via Acula sanctæ Primitivæ.

In Laodicia Phrygiæ Minisei et Isichii.

IX Kal. Aug. — Romæ nativitas sancti Victorini.

In Amiternina civitate militum octoginta trium.

In Tuscia apud civitatem Tyrum, quæ est juxta lacum Vulsinum, passio sanctæ Christinæ virginis, quæ in tenera adhuc ætatula, Christi fide et gratia confortata, deos aureos Urbani patris sui præfecti contrivit et pauperibus distribuit. Ob hoc, jubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onerata, in carcerem conjecta est. Post hæc cum diutissime et crudelissime dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem projecit. Cumque alligata rotæ D igni supposito, et fuso desuper oleo, torreretur, erumpens flamma mille gentilium interfecit. Iterum carceri tradita, angelo visitante sanata est et refecta. Deinde cum magno saxi pondere in mare jactata, angelico præsidio liberata est. Quam successor patris ejus Dion multis iterum suppliciis afflixit; sed orante illa, simulacrum Apollinis, quem adorare jubebatur, in favillam subito redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conversa sunt. Novissime successor Dionis Julianus post fornacem candentem, ubi quinque diebus illæsa permansit, post serpentes a venefico immissos, sed fide Christi superatos, post abscissionem lin-

guæ, sagittis eam contigi præcepit, sicque cursum A martyrii sui beata virgo complevit anno ætatis suæ decimo.

Apud Emeritam Hispaniæ civitatem sancti Victoris militaris, qui cum duobus fratribus Stercatio et Antinogene diversis examinatus supplicii martyrium consummavit.

Eodem die natalis sanctarum Niceæ [Nicetæ] et Aquilinæ. Quæ ad prædicationem beati Christophori martyris ad Christum conversæ, martyrii palmam capitis abscissione sumpserunt.

VIII Kal. Aug. — Natale beati Jacobi apostoli filii Zebedæi, fratris Joannis evangelistæ. Qui jussu Herodis regis decollatus est Hierosolymis, ut liber Actuum apostolorum docet (*cap.* xii). Hujus beati apostoli sacratissima ossa ad Hispanias translata, B et in ultimis earum finibus, videlicet contra mare Britannicum condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur. Nec immerito, quia ejus corporali præsentia et doctrina atque signorum efficacia iidem populi ad Christi fidem conversi referuntur. Ad quorum fidei confirmationem etiam beatissimus apostolus Paulus se iturum esse pollicetur.

In provincia Lycia, civitate Samone, nativitas sancti Christophori. Qui virgis ferreis attritus, et flammis æstuantis incendii Christi virtute salvatus ad ultimum sagittarum ictibus confossus, martyrium capitis obtruncatione complevit.

In Hispania civitate Barcilone [Barcinone] Cucufatis martyris, qui ex civitate Scyllitana oriundus fuit, sed Barcilone sub Galerio proconsule et Ma- C ximiano et Rufino passus : primo gravissime tortus et cæsus, deinde catenis astrictus, in craticula superextensus, aceto et sinapi perfusus, assari jussus est. Cumque ab igne et flammarum globis illæsus apparuisset, ex præcepto impii judicis extra civitatem ductus, in ignem copiosum iterum projectus est. Quo divino nutu exstincto, iterum ferro vinctus, in custodiam retrusus est. Ubi divino splendore consolatus, iterum carduis ferreis et taureis crudelissime cæsus, in ultimo gladio perimente consummatus est. Cujus corpus a Christianis ibidem tunc temporis sepultum, sed postmodum inde translatum, non longe a civitate Parisiaca, in ecclesia beatorum martyrum, Dionysii, Rustici et Eleutherii tumulatum, et ad usque hæc Nortman- D norum tempora omni cum honore cultum est.

Romæ Eutychiani papæ et martyris. Is constituit fruges super altare, id est, tantum fabas et uvas benedici. Qui temporis suis per diversa loca trecentos quadraginta et unum martyres manibus suis sepelivit. Quique hoc constituit ut quicunque fidelium sine dalmatica aut colobio purpurato martyrem nulla ratione sepeliret, quousque ad notitiam suam divulgaretur.

VII Kal. Aug. — Nativitas beati Erasti, qui Philippis a beato Paulo episcopus relictus, ibi martyrio coronatus, quievit.

In portu Romano Hyacinthi, sub consulari Leontio, Luxurio primo civitatis Terracinæ tradente. Qui missus in ignem, nullo modo lædi potuit : inde præcipitatus in validissimum torrentem, incolumis ejectus est ad ripam. Quibus Leontio nuntiatis misit spiculatorem cum militibus ut eum gladio ferirent. Tunc quædam matrona, nomine Julia, corpus ejus collegit et in prædio suo cum honore sepelivit.

In Laodicia Phrygiæ Joviani, Juliani, Æmilii, Felicis, Martiani, Maximæ, Saturnini, Gloriosæ.

VI Kal. Aug. — Apud Nicomediam nativitas beati Hermolai presbyteri, cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem Christi conversus est. Qui sanctissimus presbyter, tentus a Maximiano, capitali sententia ob confessionem Christi punitus est.

Item ibidem passio sanctorum Juliæ, Jocundæ et Januarii.

In Sicilia Simeonis monachi.

In civitate Nola sancti Felicis, de ordinatione episcopatus, ubi multa mirabilia fiunt.

Antissiodoro depositio sancti Ætherii episcopi.

V Kal. Aug. — In Laodicia Phrygiæ nativitas sanctorum Auxentii, Prudentii, Theophili, Philippi Alexandri, Zotici, Byssiæ, Secundæ et Macharii.

In Nicomedia sancti Pantaleonis pueri. Qui cum jubente Maximiano artem disceret medicinæ, a presbytero Hermolao ad fidem Christi conversus, multa miracula fecit, patremque suum Eustorgium senatorem Christi fidei subjugavit. Ob quam causam ab eodem Maximiano equulei pœna et lampadum exustione cruciatus, sed inter hæc Domino sibi apparente est refrigeratus, tandem ictu gladii martyrii cursum consummavit.

Mediolani nativitas sanctorum Gervasii et Protasii, Nazarii et Celsi pueri.

Lugduni Peregrini, cujus beatitudinem miraculorum gloria testatur.

Romæ Victoris papæ et martyris. Qui constituit ut ubicunque in Ecclesia catholica necessitas occurreret, quicunque ex gentilitate ad Christi fidem festinans, veræ fidei confessione præmissa, sive in fonte, sive in flumine, sive in mari licite baptizaretur.

Item Innocentii papæ. Qui constitutum fecit de omni Ecclesia, et de regulis monasteriorum, et de Judæis et de paganis : et multos Cataphrygas invenit, quos exsilio in monasteria relegavit ; et ipse invenit Pelagium et Cœlestinum hæreticos, ac damnavit eos, et hoc constituit ut qui nati fuerint de Christiano, denuo per baptismum nascantur, quod Pelagius damnavit.

Mediolani commemoratio sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, Nazarii et Celsi pueri.

IV Kal. Aug. — Romæ via Aurelia nativitas sancti Felicis papæ, sub Constantio filio Constantini. Qui Constantius imperator concilium hæreticorum ac Valentis et Ursatii Arianorum approbans, quia et ipse Arianus erat ab Eusebio Nicomediense rebaptizatus, ejecit sanctum Felicem urbis episcopum de sede episcopatus sui. Et facta est persecutio maxima

in clero, ita ut presbyteri et clerici plures neca- A rentur et martyrio coronarentur. Depositus autem sanctus ac beatissimus Felix papa, habitavit in prædiolo suo, quod erat via Portuensi ; sed, agentibus postmodum hæreticis, ductus est in civitatem et capite truncato martyrio coronatus est.

Eodem die nativitas sanctorum martyrum Simplicii, Faustini, Beatricis, temporibus Diocletiani et Maximiani. Qui post multa ac diversa supplicia. jussi sunt capitalem subire sententiam, et ligato saxo in colla eorum, jactari per pontem qui vulgo Lapideus, sed a prudentioribus Lepidi vocatur, in Tiberinis reumatibus. Quorum corpora, Dei nutu inventa, levata sunt a beata sorore eorum Beatrice et beatissimis presbyteris Crispo et Joanne, et sepulta sunt in loco qui appellatur Sextum Philippi, B via Portuensi. Quo comperto Lucretius, possessor vicinus, nocte præfocari fecit sanctam Beatricem, et sic quasi a nemine jam impediendus, possessiones sanctorum invasit. Ubi dum quædam mulier filium parvulum lactaret, ipse infantulus, Lucretio cum complicibus suis epulante, hujusmodi vocem emisit dicens : « Audi, Lucreti : occidisti et invasisti, et ecce datus es in possessionem inimici. » Ad hanc vocem invasus a maligno spiritu ibi in convivio, et per tres horas vexatus, emisit spiritum Lucretius, mortemque sempiternam lucratus.

Depositio beati Lupi episcopi Trecasini. Qui cum beato Germano Antissiodorensi episcopo venit in Britanniam, et quinquaginta ibi annis sacerdotio functus, ad Christum, quem semper dilexit, mundi ac diaboli victor, ascendit. Quinque inter alia mira- C cula tempore regis Attilæ, qui Gallias crudelissime devastabat, sicut in hymno ejus canitur : *Dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit.*

Aurelianis Prosperi episcopi, viri sanctissimi et doctissimi. Qui multa ad utilitatem Ecclesiæ conscripsit, maximeque gratiam Dei contra superbiam hæreticorum defensare curavit.

III Kal. Aug. — Romæ in cœmeterio Pontiani, ad Ursum Pileatum, nativitas sanctorum Abdonis et Sennis. Quos Decius in civitate Persarum Cordula comprehensos, catenis vinctos Romam perduci, et ornatos auro atque lapidibus pretiosis : in templo Intelludi [*f.* Telluris] præsentari sunt Decio ac senatui, et omni populo Romano facti sunt spectaculum, eo quod essent nobiles et subreguli, insuper et D a Domino Jesu Christo divinitus illustrati. Tunc Decius, ira permotus, jussit Valeriano præfecto ut si deum Solem non adorarent, ferarum morsibus interirent. Qui tenuit eos ac duxit ante simulacrum Solis juxta amphitheatrum ut sacrificarent. Sed illis contemnentibus, et in simulacrum Solis expuentibus, jussit Valerianus ut cum plumbatis cæderentur ; deinde introductis in amphitheatrum, admissi sunt eis leones duo et ursi quatuor : qui rugientes venerunt ad pedes sanctorum, et nullatenus eos læserunt, sed magis custodiebant. Valerianus vero, plenus furore, jussit gladiatores introire, et beatos subregulos interficere, et ligare pedes eorum, et ante simulacrum Solis jactare. Ubi jacuerunt corpora sanctorum tribus diebus. Post tridum venit quidam subdiaconus, Quirinus nomine, et collegit noctu corpora, et recondidit in arca plumbea in domo sua tertio Kalendas Augusti. Ubi latuerunt usque ad tempora Constantini. Tunc se reserantes beati martyres, levati sunt et translati in cœmeterium beati Pontiani.

In Africa, civitate Tyburbolucernaria, nativitas sanctarum virginum Maximæ, Donatillæ et Secundæ. Quæ persecutione Gallieni sub Anulino judice passæ sunt. Qui eas diutina fame ac siti ad negandum Christum compellere conatus, sed despectus contemptusque, aceto et felle potari præcepit. Deinde cum in conspectu ejus crudelissime cæderentur, jussit calcem super plagas earum spargi et fricari : exinde in equuleo extendi et torqueri et stativam (*ita ms.*) ad bibendum offerri, dein super craticulam ad carbones igneos sterni, et prunas ardentes super comam capitis earum adduci : postmodum in theatro ad ludibrium deponi et ab omnibus conculcari. Cumque eas invincibiles per omnia vidisset, ad bestias damnavit, et ferro vinctas, ad spectaculum populi iterato jussit in theatrum produci. Quæ cum introducerentur in media arena, osculatæ sunt se invicem, ut martyrium pace complerent. Quibus admissus ursus ferocissimus ac sævissimus, in mansuetudinem versus, pedes eorum lingere cœpit. Tunc furore repletus Anulinus, sanctas Dei martyres gladio jussit adverti.

Item in Africa Rufi, Prisci, Paternæ, Septimæ, Optionis, Ammonii, Justi, Juliæ, Potamiæ : item Maximæ.

Antissiodoro depositio beati Ursi episcopi.

II. Kal. Aug. — Cæsareæ passio sancti Fabii martyris. Qui cum ferre vexilla præsidialia recusaret, primum diebus aliquot in carcerem trusus est, deinde productus sistitur ante tribunal, interrogatus semel et iterum, in Christi confessione perdurat : et mox a furibundo judice capitali sententia damnatus est : cujus etiam detruncato cadaveri sepultura per triduum sub custodia negabatur. Quod postea, reticulo inclusum, in maris profunda seorsum et seorsum caput immergitur. Sed Domini virtute rescisso reticulo, membra capiti revocantur, et scapulis cervix cum indiciis passionis adjungitur ; atque ita suæ integritati redditum corpus unda blandiore ad Cartenitanum littus evectum, et condigno cultu a fidelibus in basilica tumulatum est.

In Africa, civitate Sinnada, nativitas sanctorum Democriti, Secundæ, Dionysii et Thyrsi martyrum.

Antissiodoro depositio sancti Germani episcopi et confessoris, qui multis virtutibus, doctrina et continentia clarus, etiam Britonum fidem per duas vices a Pelagiana hæresi defendit. Cujus tamen festivitas Kalendis Octobris apud Gallicanas Ecclesias celebrior habetur.

AUGUSTUS.

Augustus habet dies XXXI, *lun.* XXIX.

KAL. AUG. — Apud Antiochiam Syriæ nativitas septem fratrum Machabæorum cum matre, qui, ut beatus Augustinus ait, « ante tempora revelatæ gratiæ, multimoda passione probati fideles sunt inventi. Quos crudelissimus Antrichristi præcessor Antiochus de patria eliminatos gentile solum sacri sanguinis effusione fecit, invidus atque inscius consecrare, »

Romæ statio ad sanctum Petrum ad Vincula. Quam ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit et consecravit. In qua postmodum catenæ, quibus apud Hierosolymam vinctus et a quibus angelica visitatione solutus est, fidelium cura positæ expetuntur et coluntur orbis quadripartiti veneratione, sicut etiam distichon antiquissimum de illis testatur.

In Arabia, civitate Philadelphia, synodus martyrum celebratur.

Ibidem nativitas sanctorum martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri, una die simul coronatorum.

In Italia, civitate Vercellis, sancti Eusebii episcopi et confessoris. Qui ob confessionem catholicæ fidei a Constantino principe Scythopolim Arabiæ, ac deinde Cappadociam relegatus, sub Juliano imperatore ad Ecclesiam suam reversus, novissime, persequentibus Arianis, martyrium scalarum tractu perpessus, sed Salvatore Jesu Christo servante salvatus, in pace Ecclesiæ circum confessionis suæ consummavit prius sibi visione revelata, quia in Kalend. Augusti a monte ad montem volare deberet. Quod Patres ita interpretantur, quia videlicet ab humanitate Christi quem verum Deum propter nos hominem factum in terris confessus est, ad visionem Dei Patris, Spiritus sancti gratia sublevante, esset perventurus in cœlis, eisdem Kalendis.

In Hispaniis, civitate Gerunda, sancti Felicis martyris. Qui de Scyllitana civitate oriundus, cum persecutiones in Hispaniis adversus Christianos agi comperisset, ascensa mercatorum navi amore martyrii ocius accurrit. Et cum aliquandiu apud Barcinonam, Empurias et Gerundam verbum Dei prædicans, plurimos in fide Christi confortasset, et fama ejus longe lateque crebresceret, jubente Datiano, repente a Rufino officiali tentus est: cumque nomen Christi constantissime fateretur, primo fustibus cæsus, et in ima carceris trusus deinde manibus pedibusque ligatis, negato cibo et potu, in loco squalido projectus est. Post hæc etiam catenis gravioribus vinctus, per totas plateas ab indomitis mulis tractus et pene in frusta discerptus est; deinde missus in carcerem, nocte ab angelo visitatus et solutus atque sanatus fuit, factoque die ad certamina revocatus est. Tunc ungulis excoriatus, capite inverso ab hora tertia usque ad vesperam suspensus, nullum penitus sensit dolorem. Deinde in carcerem Rufinus eum tradi præcepit, ubi per A totam noctem splendor copiosus effulsit, et voces angelorum psallentium sunt auditæ. Quod cum nuntiatum fuisset Rufino a custodibus, jussit eum, manibus post tergum ligatis, in maris profunda demergi ubi continuo vincula ejus disrupta sunt, et angelis sibi manum tenentibus super undas deambulans ad littus venit. Tunc Rufinus jussit iterum cutem ejus ungulis detrahi ac deinde usque ad ossa laniari, et tandiu vulnera vulneribus instaurari, usque dum invictum Christo spiritum reddidit. Cujus corpus Gerundæ in monumento quod sibi ipse præparaverat conditum est Nonis Augusti.

In Gallia, civitate Biturica depositio beati Arcadii episcopi.

IV NON. AUG. — Romæ, in cœmeterio Callixti, B nativitas sancti Stephani papæ et martyris, sub Valeriano et Gallieno principibus. Hic constituit ut sacerdotes et levitæ vestes sacras in quotidiano usu non haberent nisi tantum in ecclesia. Qui cum persecutio sæva grassaretur congregato universo clero suo, hortabatur eos ut pro Christo coronam martyrii alacriter susciperent. Ordinaverat autem tres presbyteros et septem diaconos, et clericos sedecim, cum quibus de regno Dei assidue docebat. Divina autem gratia procurante. occurrebant multi ex gentilibus, et honesti viri ut baptizarentur ab eo inter quos Nemesius tribunus cum omni sua domo filiaque sua, nomine Lucilla, quæ cæca erat, at per beatum Stephanum illuminata fuerat; et Olympius alter tribunus cum uxore sua Exuperia, et filio C Theodulo, et aliis plurimis. Quid postea gloriosa confessione martyrii palmam promeruerunt. Celebrabat autem beatus Seephanus missas atque concilia per cryptas martyrum. Quem Valerianus et Galienus summo studio perquisitum missis militibus teneri ecerunt cum multitudine clericorum, presbyterorum et diaconorum, Qui veniens ad tribunal Valeriani solus intravit, et condemnatus ad mortem, perductus est a militibus foras muros portæ Appiæ ad templum Martis ut ibi aut simulacrum Martis adoraret aut interiret. Orante autem beato Stephano Deum suum, facto fragore tonitrui cum terroribus coruscationum, corruit pars maxima templi sacrilegi, et milites pavefacti fugerunt. Ipse vero cum omnibus Christianis ad cœmeterium sanctæ Lucinæ perrexit, et multis eos consolatus sermonibus obD tulit pro eis sacrificium Deo omnipotenti. Quæ gesta audiens Valerianus misit plurimos militum qui beatum Stephanum punirent. Qui venientes invenerunt eum sacrificium Deo offerentem: quem intrepidum et constantem ante altaris officia, et cœpta perficientem, in eodem loco, in sua sede decollarunt.

In Antiochia nativitas reliquiarum sancti Stephani protomartyris Christi et primi in Ecclesia diaconi: ubi haberi dicitur unus de lapidibus quibus in passione sua percussus est, et multas sanitates per eum fieri.

Eodem die passio sanctæ Theodotæ cum tribus

filiis suis, in provincia Bithynia, urbe Nicæa, tempore Diocletiani sub comite Leucadio qui eam ferro vinctam cum filiis consulari Bithyniæ Nicetio destinavit. At ille filium ejus primogenitum Evodium, Christum fiducialiter confitentem, in conspectu matris jussit fustibus cædi. Cumque pia mater sacris adhortationibus filium confortare non desisteret, jussit Nicetius cuidam Hirtaco ut prius illuderet et sic inter publicas meretrices constitueret : quam ille tenere conatus, sed ab angelo Dei pugno percussus in naribus nimia sanguinis eruptione periclitatus recessit ab ea. Tunc consularis Nicetius, in furore nimio succensus, jussit ignem copiosum accendi, et beatam Theodotam cum tribus filiis suis immiti, et sic in confessione Christi consummata, migravit ad cœlum.

In Italia, civitate Verona, nativitas sanctorum Felicis et Nicetii.

III Non. Aug. — Hierosolymis inventio, imo raptus corporis sancti Stephani, protomartyris Christi, quando lapidatus a Judæis, et aliquandiu costoditus ne spoliretur a Christianis, tandem compassione beati Gamalielis sublatus est, et in villa Gamaliel sepultus ac lamentibus est, sicut ipse Gamaliel septimo Honorii principis anno, cuidam presbytero nomine Luciano in visione divina apparens, exposuit, et sanctus etiam Lucas breviter intimavit, dicens (*Act.* VIII) : *Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.* Cujus visionis seriem commodius, Deo donante in tempore suo, id est septimo die Kalendarum Januarii, quando sacrum corpus ejus patefactum et Hierosolymam translatum est, vita comite curabimus aperire. Quam revelationem quidam minus caute legentes, hoc tempore putant actitatam cum et circa principia Decembris inchoata; et juxta finem ejusdem mensis probetur absque dubio consummata, ut celebritas protomartyris Christi subjiceretur nativitati Jesu Christi.

Romæ nativitas sanctorum Diogenis et Stephani martyrum.

Constantinopoli sancti Achillæ.

Augustoduno depositio sancti Euphronii episcopi,

II Non. Aug. — Natale sancti Aristarchi, de quo apostolus Paulus Colossensibus scribit: *Salutat vos Aristarchus cancaptivus meus* (*Coloss.* IV). De qua captivitate quia tractatores divinarum Scripturarum, alios adeo errasse, ut animas de cœlo captivatas et ad corpora damnatas existimarent. alios vero pio quidem sensu sed historiæ satis incongruo, ita intellexisse cognovi ut idcirco beatus Apostolus Aristarchum concaptivum suum dixerit, quia captivitatem quam omnes patimur solus pene secum senserit, et sentiendo doluerit; quod ego ab anterioribus gratis accepi, sequentibus sine invidia tradam: Cum Judæi rebellionem contra Romanos assumpsissent, illi solit sibi more, quasi injuriam dissimulantes interimque Judææ parcentes, Basanitidem et Galilæam sive Galaaditin devastantes, Giscalamque, beati Pauli et A Aristarchi patriam, invadentes, pueros ipsos in Ciliciam cum parentibus transmigrarunt. Unde idem Apostolus vere et multipliciter se peregrinum agnocens, cum sanctis Patribus supernæ Jerusalem jugiter suspirabat sed et terrestrem discendi gratia frequentabat ut jam superius insinuavimus.

Romæ, in crypta arenaria, beati Tertullini martyris, quem beatus Stephanus pontifex baptizatum in albis presbyterum consecravit. Qui post biduum consecrationis suæ, tentus a Marco præfecto, ductus est ad Valerianum imperatorem, quem ille extensum mactari fustibus jussit. Cumque inter cædes Christo gratias ageret jussit lateribus ejus Valerianus ignem supponi ; cumque lætus et constans perseveraret, jussit elevari eum, et tradi Sapricio præfecto : qui B primum jussit os ejus lapidibus conquassari, deinde extentum in equuleo, nervis diutius torqueri, deinde ignibus assari. Qui cum perseveranter, sancti Spiritus gratia roboratus, Christum Dominum fateretur, mandavit hoc factum Sapricius Valeriano tyranno: Cui ille remandavit, ut ejus caput abscinderetur. Tunc Sapricius depositum de equuleo jussit eum duci via Lavicana in secundo milliario, et ibidem decollari. Cujus corpus sanctus Stephanus papa colligens cum clericis, hymnis Deo redditis, sepelivit in eodem loco in crypta arenaria.

Item Romæ, in via Tiburtina, Crescentiani et Justi.

Item Justini presbyteri, de quo narratur in passione sancti Laurentii quod multos ad fidem Christi converteret, et plurimorum martyrum corpora se- C peliret.

Apud Lugdunum Galliæ adventus corpori sancti Justi episcopi de eremo.

Non. Aug. — In Gallia civitate Catalaunis, depositio sancti Memnii episcopi et confessoris, de quo legitur quod a beato Petro apostolo episcopus ordinatus, in Galliam una cum sancto Dionysio atque Eucherio ad prædicandum verbum Dei fuerit directus. Qui psst admirabilis vitæ consummationem: et plurimorum miraculorum ostensionem, ad vitam commigravit æternam.

Romæ Hormisdæ papæ, qui sedit annos septemdecim, et composuit clerum ac psalmis erudivit, sepultusque est in ecclesia beati Petri.

In Augusta Euphratensi nativitas sancti Afri mar- D tyris. Quorum nominum similitudine, id est et Augustæ et Afri, nostrates inducti, hac die apud Augustam Rhetianam sive Vindelicam passionem sanctæ Afræ consummatam putaverunt. De qua in sequentibus Deo volente dicemus.

Augustoduni depositio sancti Cassiani episcopi.

Alibi nativitas sanctorum Floriani et Cœlestini.

VIII Id. Aug. — Romæ via Appia in cœmeterio Callixti, nativitas sancti Sixti episcopi et martyris.

Item in cœmeterio Prætextati, Felissimi et Agapiti diaconorum. sub Decio imperatore, Valeriano præfecto. Qui tenuit beatissimum senem sanctum

Sixtum episcopum Romanum, cum omni clero suo et reclusit in publica custodia, et fuerunt ibi diebus multis. Postea vero jussit Decius beatum Sixtum cum duobus diaconibus Felicissimo et Agapito sibi in templo Intelludi (*a*) præsentari, et contemnentes idolis sacrificare in custodia privata includi. Cumque iterato præsentarentur Decio et Valeriano, suggerente Valeriano, jussit Decius ut ducerentur ad templum Martis, et si sacrificare nollent, in eodem loco capite truncarentur. Cumque illuc perducti fuissent, dixit beatus Sixtus ad templum Martis : *Destruat te Christus Filius Dei vivi*. Et cum respondissent omnes Christiani, *Amen*, subito cecidit aliquapars templi et comminuta est. Tunc beatus Laurentius cœpit clamare dicens : *Non me derelinque, Pater sancte, quia thesauros jam expendi quos tradidisti mihi*. Milites autem qui duxerunt eos, audientes thesauros, tenuerunt beatum Laurentium archidiaconum, sanctum vero Sixtum, Felicissimum atque Agapitum duxerunt in clivum Martis, et ibidem decollaverunt Noctu vero advenientes clerici, et maxima pars Christianorum, collegerunt corpora sanctorum, et in locis supra nominatis honorifice sepeliverunt. Decollati sunt cum eis et alii quatuor, Januarius, Magnus, Vincentius et Stephanus subdiaconi, ut in Gestis pontificalibus legitur. Passus est cum eis quoque sanctus Quartus, ut scribit magnus doctor Cyprianus. Hic beatus Sixtus apud Athenas natus et edoctus, prius quidem philosophus fuit, sed postea Christi discipulus factus fuit. Sedit in episcopatu annum unum, menses decem, dies triginta et tres.

Item Romæ militum centum sexaginta quinque, et passio sanctæ Afræ virginis.

Eodem die in Hispaniis, civitate Compluto, Justi et Pastoris fratrum. Qni cum adhuc pueri lttteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cuourrerunt : et mox a Datiano comite teneri jussi sunt, cum se mutuis exhortationibus constantissime roborarent, extra civitatem producti, et in campo Laudabili a carnificibus sunt jugulati.

VII Id. Asg. — Romæ passio sanctorum martyrum numero viginti quinque.

Item sanctorum martyrum Petri et Julianæ [Juliani] cum aliis octodecim.

In Tuscia, civitate Aretio, nativitas sancti Donati episcopi et martyris. Qui nutritus a sancto Pigmenio presbytero in titulo beati Pastoris, eruditus est non solum in divinis, verum etiam in humanis litteris sufficientissime. Cum quo et Julianus crevit, et subdiaconus ordinatus, rejecto postmodum gradu, inutilis apostata factus, ad imperium aspiravit. Quo tempore beatum Pigmenium Romæ in custodiam mancipavit, et sanctos patrem et matrem Donati gladi occidit. Donatus vero lector fuga petiit Aretium civitatem, et habitavit cnm Hilarino religiosissimo monacho, serviens Domino continuis orationibus et jejuniis. Factum est autem ut mulier nomine Suranna, gentilis et pagana, capta oculis et corde vere cæca, cum unico filio suo, Herculio nomine, cellam beati Hilarini, cum quo beatus habitabat, requireret. Quam fide Christi instructam ad beatum Satyrum episcopum Hilarinus et Donatus perduxerunt. Qui fidem ejus accipiens, et Deo gratias agens, indixit ei jejunium, et ut humiliaretur in cilicio et cinere. Et sic deinde catechizavit eam et baptizavit tam ipsam quam filium ejus. Et mox aperti sunt oculi Surannæ. Quod factum audiens Apronianus, attulit etiam filium suum dæmoniacum ad beatum Donatum. Quo orante simul cum beato Satyro episcopo et beato Hilarino, expulsus est dæmon, puerumque sanum reliquit. Sed et non longo post tempore vir quidam Eustasius, rector Tusciæ et exactor fisci, dum occupatus alicubi teneretur, supervenientibus hostibus, uxor ipsius Euphrosina pecuniam fisci abscondit, et paucis diebus succedentibus, absente adhuc viro defungitur. Rediens autem vir ejus, et pro pecunia fisci conventus, venit ad beatum Satyrum et Donatum, et indicavit eis anxietatem animi sui. Stans itaque Donatus super sepulcrum uxoris ipsius, voce magna clamavit : « Euphrosyna, per Christum crucifixum te adjuro ut dicas nobis quid factum sit de pecunia fisci, quia vir tuus propter eam ab exactoribus valde affligitur. » Quæ mox de sepulcro respondit : « In ingressu domus suffossa latet pecunia quam quæritis. » Recepta igitur pecunia liberatus est Eustasius ab impositione calumniæ. Verum recepto beato Satyro cum patribus suis, ejus loco sacerdotium beatus Donatus suscepit. Cumque die quadam missas celebrasset populo, et de corpore Christi ac sanguine populus venerabiliter recrearetur, diaconus quidam, nomine Anthimus, tradebat sacrum sanguinem Christi, et subito paganorum impulsu cecidit, et sanctum calicem comminuit. Unde valde tristis tam ipse quam populus Christi effectus. Cujus tristitiam Dominus per beatum Donatum illico relevavit : nam collecta sunt fragmenta Dominici calicis et beato viro allata ; quæ flendo ille suscipiens, oratione facta vas in pristinam formam restauravit. Quo signo perculsi pagani, simul cum Christianis deitatem Christi confessi sunt, ac circiter septuaginta et octo animæ in Christum credentes, per baptismum salvatæ sunt. Multis ergo signis Dominus glorificans sanctum suum, ad coronam martyrii provexit. Denique tempore Juliani imperatoris, tentus a Quadrationo Augustali, simul et cum eo vir Dei Hilarinus jubetur idolis sacrificare. Cui fideliter reluctanti, jussit Quadratianus ejus os lapidibus contundi, Hilarinum vero monachum in conspectu ipsius tandiu fustibus cædi donec spiritum emitteret ; deinde beatum Donatum in custodia recludi. Ubi cum innumera miracula Dominus per servum suum operaretur, misit Quadratianus, et gladio percussit septimo Idus Augusti. Cujus corpus Christiani juxta civitatem cum veneratione sepeliverunt

(*a*) Etiam superius III. Kalend. Augusti, hac voce usus est.

martyris vero Hilarini ossa in civitate Ostia tumulata servantur.

Apud Mediolanum sancti Faustini, tempore Aurelii Commodi martyrizati.

Apud provinciam Rhetiam, civitate Augusta, nativitas sanctæ Afræ. Quæ cum esset pagana et meretrix, per doctrinam sancti Narcissi Gerundensis episcopi, eo per gratiam Dei directi, ad Christum conversa, et cum omni domo sua baptizata, pro confessione Domini cum matre Hilaria et puellis, Digna, Eumenia [Eunomia] et Euprepia, igni est tradita.

VI Id. Aug. — Romæ nativitas sancti Cyriaci. Qui post longam carceris macerationem, quam sub Maximiano pertulit cum Sisinnio condiacono suo, et Largo et Smaragdo, post multa facta miracula, B in quibus filiam Diocletiani Artemiam ipsius rogatu a dæmonio curavit ac baptizavit: filiam quoque Saporis regis Persarum Jobiam, missus illo a Diocletiano pro hoc, æque liberavit a dæmonio, ac baptizavit cum ipso rege, et aliis trecentis et triginta: rediens Romam post mortem Diocletiani, tentus est inter alios Christianos a filio (*a*) ejus Maximiano, et in custodiam missus, eo quod sororem suam Christianam fecisset. Deinde præcepit idem Maximianus ut die processionis suæ, nudus, catenis obligatus, ante rhedam ejus traheretur. Et post hoc eductus de carcere cum sociis Largo et Smaragdo et Crescentiano, per Carpasium vicarium pice reliquata caput ejus perfusum est. Et rursum post dies quatuor eductus est denuo de carcere, in catasta extensus, attractus nervis et fustibus cæsus: C post dies aliquot, jubente Maximiano, capite truncatus est cum Largo et Smaragdo et aliis viginti: quorum corpora collegit noctu Joannes presbyter et sepelivit in via Salaria, sub die decimo octavo Kal. Aprilis. Post dies octo veniens beatus Marcellus episcopus cum Lucina matrona Christianissima, condivit corpora sanctorum cum aromatibus et linteaminibus. Deinde sustulit ea et transtulit in prædium suum via Ostiensi, milliario ab urbe Roma septimo, et manu sua recondidit in sarcophagis lapideis, die octavo mensis Augusti. Carpasius vero vicarius petiit domum Cyriaci, quam donaverat ei Diocletianus Augustus, et eam statim Maximianus concessit. Ingressus autem Carpasius, invenit locum ubi sanctus Cyriacus diaconus fontem ædificavit, D quem consecravit beatus Marcellus episcopus, ubi venientes ad fidem, baptizabat beatus Cyriacus: in quo loco Carpasius balneum sibi statuit, et dum lavassent et epulas exhibuissent, Carpasius et novendecim pariter cum ipso, cum deriderent fidem Christianam, subito ceciderunt et mortui sunt.

In Nicomedia natalis sanctorum Nazarii, Juliani et Agapes virginis, Eutychiani, Philadelphiæ, Leonidis.

Apud Viennam Galliæ urbem nativitas sancti Se- A veri presbyteri et confessoris. Qui ut ejus testantur gesta, natione Indus, fide Christi fervens, causa Evangelium prædicandi laboriosissima peregrinatione suscepta, etiam ad præfatam urbem deveniens ingentem paganorum multitudinem verbo et miraculis ad fidem Christi convertit; cumque in pace quievisset, conditus est in basilica beati Stephani, signis clarus, mira fidelium veneratione colitur.

V Id. Aug. — Vigilia sancti Laurentii.

Eodem die Romæ natalis sancti Romani martyris. Qui confessione beati Laurentii compunctus, petiit ab eo baptizari: et mox, jubente Decio, cum fustibus exhibitus et decollatus est.

In Verona civitate Firmi et Rustici, qui tempore Maximiani imperatoris et Anulini consiliarii ejus passi sunt.

In Oriente passio multorum martyrum.

In Colonia Faustini, Marcellini, Secundiani, Veriani, juxta Martyrologium beati Hieronymi, cum a nostratibus, apocryphorum deliramenta sectantibus, a beato Sixto propter continuationem temporum baptizati, et a Decio dicantur interempti.

IV Id. Aug. — Romæ, via Tiburtina, nativitas sancti Laurentii archidiaconi et martyris sub Decio imperatore. Cui beatus Sixtus omnes facultates et thesauros Ecclesiæ, pergens ad coronam martyrii. reliquit. Quos ille munifica liberalitate debilibus et aliis pauperibus, viduisque et indigentibus erogare curavit. Quo audito Decius Cæsar fecit eum sibi præsentari: et auditum tradidit eum Valeriano Urbis præfecto, qui et ipse dedit eum in custodiam cuidam Hippolyto, et Hyppolytus reclusit eum cum multis. Ibidem beatus Laurentius post sanationem Cyriacæ viduæ, et illuminationem Crescentionis, Lucillum cæcum in nomine Jesu Christi videntem reddidit. Hoc factum audientes multi cæci, veniebant ad beatum Laurentium, et illuminabantur. Quod videns Hippolytus credidit, et catechizatus atque baptizatus est. Completis autem tribus diebus, in quibus ex permissu Hippolyti, jam Christiani, omnes facultates Ecclesiæ beatus Laurentius pauperibus expendit, præsentavit se ipse in palatio Sallustiano. Decius, iratus, jussit eum exspoliari et cædi scorpionibus: postea vinctus catenis ductus est beatus Laurentius in palatium Tiberii ut ibi audiretur: et iracundia plenus Decius jussit eum nudum cædi. Qui dum cæderetur clamabat ad Cæsarem: « Ecce, miser, vel modo cognosce quia non sentio tormenta tua. » Tunc Decius fustes augeri darique ad latera ejus laminas ferreas ardentes jussit. Beatus vero Laurentius dixit: « Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi servo tuo, quia accusatus non negavi; interrogatus, te Dominum Jesum Christum confessus sum. » Et cum diutissime plumbatis cæderetur, dixit: « Domine Jesu Christe, qui pro salute nostra dignatus es forman servi accipere ut nos a servitio dæmonum liberares, accipe spiritum meum. » Et au-

(*a*) Collega. Vide B , Annal.

dita est vox : « Adhuc multa certamina tibi debentur. » Tunc extensus in catasta, et scorpionibus gravissime cæsus, subridens et gratias agens, dicebat : « Benedictus es, Domine Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis donasti misericordiam, quam meriti non sumus : sed tu, Domine, propter tuam pietatem, da nobis gratiam, ut cognoscant omnes circumstantes, quia tu consolaris servos tuos. » Tunc unus de militibus, nomine Romanus, credidit Domino Jesu Christo, et dixit beato Laurentio : « Video ante te hominem pulcherrimum, stantem cum linteo, et extergentem tua vulnera. Adjuro te per Christum, qui tibi misit angelum suum, ne me derelinquas. » Levatus igitur beatus martyr de castata, et solutus, redditus est Hippolyto, tantum in palatio. Veniens autem Romanus cum urceo, misit se ad pedes beati Laurentii ut baptizaretur : et mox baptizatus, ac se Christianum publica voce professus, educ us foras muros portæ Salariæ, decollatus est. Decius autem Cæsar pergit noctu ad thermas juxta palatium Sallustii : et exhibito ei sancto Laurentio, allata sunt omnia genera tormentorum : plumbatæ, fustes, laminæ, ungues, lecti, baculi. Et dixit Decius beato martyri : « Jam depone perfidiam artis magicæ, et dic nobis generositatem tuam. » Cui beatus Laurentius dixit : « Quantum ad genus, Hispanus sum eruditus vel nutrius Romanus, et a cunabulis Christianus, eruditus omni lege sancta et divina. » Et Decius : « Sacrifica, inquit, diis, nam nisi sacrificaveris, nox ista in te expendetur cum suppliciis. » « Mea, inquit, ille nox obscurum non habet, sed omnis in luce clarescit. » Et cum cæderetur lapidibus os ejus, ridebat, et confortabatur ac dicebat : « Gratias tibi ago, Domine, quia tu es Dominus omnium rerum. » Allatus est autem lectus cum tribus costis, et exspoliatus beatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream, et cum furcis ferreis coriatus desuper, dixit Decio : « Ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis, quia sacrificium est Deo spiritus contribulatus. » Carnifices tamen urgenter ministrabant carbones, mittentes sub cratem, et desuper eum comprimentes furcis ferreis. Sanctus Laurentius dixit : « Disce, miser, quanta est virtus Domini Jesu Christi Dei mei, nam carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi autem supplicium sempiternum. Quia ipse Dominus novit quia accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago. » Et vultu pulcherrimo dicebat : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia me confortare dignatus es. » Et elevans oculos suos in Decium, ait : « Ecce, miser, assasti unam partem, regyra aliam, et manduca eam. » Gratias igitur agens et glorificans Deum, dixit : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia merui januas tuas ingredi, et emisit spiritum. Mane autem primo, adhuc crepusculo, rapuit corpus ejus Hippolytus, et condivit cum linteis et aromatibus, et hoc factum mandavit Justino presbytero. Tunc beatus Justinus et Hippolytus, plorantes et multum tristes, tulerunt corpus beati Laurentii martyris, et venerunt in via Tiburtina in prædium matronæ viduæ, nomine Cyriacæ, in agro Verano, ad quam ipse beatus martyr fuerat noctu, cui et linteum dedit, unde sanctorum pedes exterserat, et ibi jam hora vespertina sepeliverunt quarto Idus Augusti. Et jejunaverunt agentes vigilias noctis triduo cum multitudine Christianorum ; beatus vero Justinus presbyter obtulit sacrificium laudis, et participati sunt omnes. Tunc passi sunt Claudius, Severus, Crescentius et Romanus, ipso die quo beatus Laurentius, post tertium diem sancti Sixti martyris.

Eodem die Romæ militum centum et quadraginta quinque.

III Id. Aug. — Romæ inter duas Lauros natalis sancti Tiburtii, filii Chromatii Urbis præfecti quem, cum esset scholasticissimus, erudierunt in fide beatus Sebastianus et sanctus Tranquillinus, ac gloriosus presbyter Polycarpus, qui ipsum in sacro fonte baptismatis innovavit, et familiam ejus promiscui sexus mille quadringentos cum eo pariter baptizavit. Hujus filius Tiburtius cum propter immanitatem persecutionis, et pater ejus, et ingens multitudo Christianorum cum illo in Campaniam ex consilio pontificis Gaii perrexisset, amore martyrii flagrans, resedit in urbe Roma. Et cum jejuniis et orationibus ibi cum beato Gaio papa occuparetur, quadam die transiens, incurrit in hominem qui, de alto lapsus, ita caput et omnia membra quassatus erat, ut de sola sepultura ejus agerent hi ad quos pertinere videbatur : juxta quem ipse accessit, et cœpit dicere super ejus vulnera lente orationem Dominicam et Symbolum, et ita factus est homo solidatis membris incolumis, quasi nihil ei contigisset. Tunc apprehendens parentes ejus, segregavit eos a turbis, et indicavit eis virtutem Christi : et videns animum eorum fixum fortiter in timore Domini, perduxit eos ad papam Gaium, qui juvenem sanatum ac Deo gratias referentem, et parentes ejus pariter baptizavit. Interea dum procella persecutionis graviter excresceret, junxit se quidam Torquatus nomine, simulata fide, veris Christi famulis, et egit arte quatenus orantem sanctum Tiburtium pagani comprehenderent. Qui comprehensus, et ad Fabianum Urbis præfectum perductus, cum Christum constantissime confiteretur, jussit Fabianus ante pedes ejus carbones ardentes effundi, dicens ad eum : « Elige tibi unum e duobus : aut thura in istis carbonibus diis addice, aut pedibus nudis super eos incede. » Ille autem faciens signum crucis, constanter nuda super eos ingressus est planta ; et cœpit dicere : « Depone infidelitatem, et disce quia solus est Deus quem confitemur omnibus creaturis dominari : nam mihi in nomine Domini nostri Jesu Christi videtur quod super flores roseos ingrediar, quia creatura ipsa Creatoris famulatur imperio. » Cui Fabianus ait : « Quis ignorat magiam vos docuisse Christum ? »

Tunc beatus Tiburtius exclamavit, dicens : « Obmutesce, infelix, et noli hanc injuriam auribus meis facere, ut audiam te ore rabido latrantem mellifluum nomen et sanctum. » Iratus Fabianus dictavit sententiam capitalem, ut gladio interficeretur. Ductus autem gloriosus martyr Tiburtius in via Levicana, tertio ab Urbe milliario, uno ictu gladii percussus abscessit ; et in eodem loco a quodam parente Christiano sepultus est tertio Idus Augusti.

Eodem die Romæ sanctæ Susannæ virginis et martyris, sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, judice Macedonio. Fuit autem filia gloriosi presbyteri et martyris Gabinii, fratris Gaii papæ et martyris, nobili sata propagine : quam pater diligentissime nutrierat, et divinis litteris imbuerat. Audiens itaque Diocletianus de puella quod pulchritudine et sapientia præcelleret, misit ad Gabinum quemdam consobrinum suum, nomine Claudium, et petiit eam Augusto Maximino filio suo in conjugem. Cujus petitionem et filia et patre ac præcipue patruo refutante etiam ipse Claudius a beato Gaio instructus et cum uxore sua Euprepia et filiis Alexandro et Cutia baptizatus est, et in tantum in fide convaluit, ut omnes suas facultates venderet et pauperibus Christianis erogaret. Quod audiens Diocletianus misit fratrem ejus, nomine Maximum, quid de puella Suzanna ageret : qui et ipse a beatis Gaio et Gabino diligenter instructus, in Christoque baptizatus, cœpit facultates suas vendere, et per quemdam suum amicum nomine Thrasonem, Christianissimum virum, per vicos et carceres ministrare. Quibus Diocletianus compertis misit Julium, qui Claudium, et Maximum, et Euprepiam, quæ alio nomine, ex Græco et Latino composito vel interpretato, Præpedigna dicitur, et Alexandrum atque Cutiam puniret, jussitque filio suo Maximino ut abuteretur Susanna in domo sua, sicut ipsi liberet. Qui ingressus damum ubi sancta virgo orabat, vidit nimiam claritatem super eam, et timefactus ad palatium recurrit. Quod Diocletianus audiens, misit Macedium, qui eam intra domum patris sui constringeret, illeque exspoliatan eam cœpit fustibus cædere. Cumque beata virgo in confessione Christi perseveraret, gladio percussa, spiritum incontaminatum Domino reddidit. Cujus corpus Serena Augusta, occulte Christiana, noctu collegit, et manibus suis aromatibus conditum ac linteaminibus involutum posuit juxta sanctum Alexandrum tertio Idus Augusti. Sanguinem vero maris velamine detersit, et posuit in capsa argentea in palatio domus suæ, ubi die noctuque furtivis orationibus semetipsam Domino effundebat.

Nicopoli passio multorum martyrum.

II Id. Aug. — In Sicilia civitate Catina [Catana] natalis sancti Eupli diaconi, sub Diocletiano et Maximiano Augustis. Qui cum extra velum secretarii se Christianum esset confessus, intromissus est jubente Calvisiano consulari, in auditorium : et cum ibidem

A fidem suam constantissime confiteretur, commotus ira Calvisius, jussit eum acrius torqueri, atque ad ultimum dictavit sententiam, dicens : « Jubemus Euplum justo judicio interfici. » Beatus vero Euplus gratias agens Deo, et flectens genua sua, facta oratione paravit cervicem, et decollatus est tertio Idus Augusti. Cujus corpus, aromatibus conditum, sepultum est in loco venerabili Catinæ [Catanæ] civitatis pridie Idus Augusti.

Eodem die passio Hilariæ matris beatæ Afræ martyris. Quæ cum ad sepulcrum illius excubaret, ibidem pro fide Christi a persecutoribus igni tradita est cum Digna et Emenia [Eunomia] et Euprepia, quæ fuerunt puellæ sanctæ Afræ.

In Historia [Istria?] sancti Juliani cum sociis suis.

B In Syria, vico Magarito, natalis sanctorum Macharii et Juliani, ubi multa religio convenit monachorum.

Id. Aug. — Romæ nativitas sancti Hyppoliti, qui tempore Decii imperatoris, ligatus pedes ad colla equorum indomitorum, sic per carduos et tribulos, prærupta et ardua tractus, emisit spiritum. Et Concordiæ nutricis ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizavit. Et aliorum novem de domo ejus, qui simul decollati sunt.

Dorosyllæ [apud forum Syllæ] sancti Cassiani. Qui cum adorare idola noluisset, interrogatus a persecutore quid artis haberet, respondit quia pueros notas doceret. Et mox spoliatus vestibus, ac manibus post terga revinctis, statuitur in medio, vocatisque pueris, quibus docendo exosus fuerat, data est C facultas eum perimendi. At illi quantum oderunt discentes, tantum se ulcisci gaudentes, alii eum tabulis ac buxis feriebant, alii stylis vulnerabant. Quorum quanto infirmior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam dilata morte faciebat. Scripsit Prudentius poeta.

Pictavis depositio Radegundæ reginæ, quæ et prius in palatio jejuniis et orationibus atque eleemosynarum largitionibus Deo placere studuit, ac postmodum a sancto Medardo Suessionensi episcopo in monacham consecrata, adeo se hostiam vivam Christo exhibere curavit, ut inter mille cruces quas pro ejus amore sustinuit, etiam circulis æreis, a more sacrilegorum, sanctissima brachia sua constringi fecisset. Sed easdem tribulationes remunerator fidelium D etiam in præsenti recompensare dignatus est, annuens ei omnia quæcunque petiisset in nomine ipsius.

XVIII Kal. Septemb. — Vigilia assumptionis sanctæ Mariæ.

Romæ depositio sancti Eusebii episcopi et confessoris, qui præsente Constantio imperatore Ariano, cum fidem catholicam constantissime defenderet, et (a) Liberium papam Arianæ perfidiæ consensisse doleret, jubente eodem Constantio, includitur in quodam cubiculo domus suæ, habente in latitudine pedes quatuor, ubi multis diebus in oratione constanter perseveravit, ac post menses septem adhuc tamen inclu-

(a) Vide Baronium in Annalibus.

sus, decimo Kalendas Sptembris dormitionem accepit. Cujus corpus collegerunt Gregorius et Orosius presbyteri, et sepelierunt in crypta juxta corpus beati Sixti episcopi et martyris, via Appia, in cœmeterio Callixti, ubi et titulum ejus scribentes, posuerunt ita: *Eusebio homini Dei.* Audiens Constantius quod Gregorius et Orosius sepelivissent corpus beati Eusebii in eadem crypta ubi illud condiderat, præcepit vivum includi Gregorium: quem semivivum noctu Orosius presbyter excepit inde, et post paululum defunctum juxta corpus sancti Eusebii presbyteri sepelivit. Factaque est gravissima persecutio in catholica Ecclesia ab Arianis, sedem apostolicam tenente tunc Liberio.

Mendara Syriæ natalis sancii Fortunati.

In Africa Demetrii.

Alibi Eutychii, Pauli, Eracli [Heraclii], Possessoris, Parmi, Dissei, Hermæ, Prospolini, Prosalami, Hermiæ.

Item Heraclii cum tribus.

In Aquileia natalis sanctorum Felicis, Fortunatæ, Vincentiæ.

Item alibi Eusebii. Tituli conditoris.

XVII Kal. Septemb. — Assumptio beatæ Mariæ genitricis Dei. Pro quo nomine cum in cæterorum sanctorum transitu, depositio vel dormitio, aut certe natale dici soleat, qui venerabilis Pater Gregorius Turonicus episcopus in libro Miraculorum de eadem assumptione sentiat, libet ad utilitatem legentium commemorando proferre: « Post admirabilem igitur Dominicæ ascensionis gloriam, quæ, contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad contemplanda cœlestia animavit, sancti apostoli Domini et Salvatoris nostri cum beata Maria matre ejus, in unam congregati domum, omnia ponebant in medium, nec quidquam suum esse aliquis dicebat, sed unusquisque cuncta possidebat in charitate, sicut sacer apostolicæ actionis enarrat stylus. Post hæc dispersi sunt per regiones diversas ad prædicandum verbum Dei. Denique impleto beata Maria hujus vitæ cursu, cum jam vocaretur e sæculo, congregati sunt omnes apostoli de singulis regionibus ad domum ejus. Cumque audissent quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul. Et ecce Dominus Jesus advenit cum angelis suis, et accipiens animam ejus, tradidit archangelo Michaeli et recessit. Diluculo autem levaverunt apostoli corpus ejus, posueruntque illud in monumento, et custodiebant, adventum Domini præstolantes. Et ecce iterum astitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nube, deferri jussit in paradisum. Ubi nunc resumpta anima, cum electis ejus exsultans, æternitatis bono, nullo occasura fine, perfruitur. » Huc usque Gregorius. Quod si quem movet quomodo idem Gregorius, in Occasu solis positus, ea quæ in Oriente sunt gesta compererit, ex aliis ejus scriptis agnoscat quia de toto orbe ad sanctum Martinum, sicut ad philosophos, concurrebatur, et de Occiduis mundi partibus loca sancta in Judæa frequentabantur.

A Quod etiam usque ad hæc Nortmannorum tempora jugiter actitari solebat. Sed ne idem catholicus et venerabilis Pater contra Apostolum sensisse videatur, ubi ait: *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam enim per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi in adventu ejus* (*I Cor.* xv). Sciendum quia vel hæc specialis assumptio corporis venerandæ genitricis Dei Mariæ, vel eorum qui cum Domino surrexisse leguntur, et in cœlum ascendisse creduntur, apostolicam auctoritatem magis adjuvant quam impugnant. Quoniam et corpus illud, de quo Deus incorporari voluit, citius
B in cœlum sublevari decuit, et illos veræ resurrectionis et ascensionis nostræ testes præisse, procul dubio constat. De quibus quia doctissimi tractatores videntur inter se dissidere, non est meum in tam brevi opusculo definire. Hoc tamen certissime cum universali Ecclesia et credimus et confitemur, quia si reverendissimum illud corpus ex quo Deus est incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, revelatio utique ipsius ad destructionem Antichristi reservatur.

Eodem die in Nicomedia nativitas sanctorum Stratonis, Philippi et Eutychiani, cum sociis eorum.

Romæ sancti Tharsicii martyris. Quem pagani cum invenissent Christi corporis sacramenta portantem, cœperunt discutere quid ageret et quid gereret. At ille, indignum judicans porcis prodere marga-
C ritas, tandiu fustibus ac lapidibus cæsus est, quo usque spiritum exhalaret. Et revoluto ejus corpore sacrilegi discussores nihil potuerunt in ejus manibus vestimentisque invenire sacramentorum Christi. Christiani autem collegerunt corpus ejus, et sepelierunt in cœmeterio Callixti via Appia.

XVII Kal. Septemb. — In Nicæa Bithyniæ nativitas sancti Ursatii confessoris sub Licinio persecutore. Qui deinde, relicta militia, solitariam vitam in quadam turre præfatæ urbis egit, tantisque virtutibus claruit, ut et dæmones expulisse et ingentem draconem orando interemisse legatur. Scriptum in libro quinto Historiæ ecclesiasticæ Tripartitæ.

Romæ sanctæ Serenæ uxoris quondam Diocletiani Augusti.

D In Alexandria nativitas sanctorum Orionis, Æmilii, Agnati.

In Verside Thyrsi cum sociis suis.

XVI Kal. Septemb. — In Cæsarea Cappadociæ nativitas sancti Mammæ sive Mammetis. Qui temporibus Aureliani tyranni, quando persecutio maxima fuit Christianis, cum puer esset decem annorum, relictis omnibus, fugit in montem cum pecoribus suis, quæ ibidem pascebat et eorum lacte vescebatur. Ubi visitatio divina super illum venit, eique præsignavit qualiter pro Christi nomine pati deberet. Cum ergo feræ silvestres ad eum venirent, ipseque sedens quotidie Evangelium legeret, man-

suetissime circa eum versabantur, earumque lacte A servus Dei et se et alios pauperes in alimoniis juvabat. Cum audisset hoc Alexander præses eum inter feras communiter vivere, magicæ arti illud deputavit : vocatumque ad se multis tormentis afflixit, hoc est equuleo suspensum torsit, et in caminum ignis ardentem misit, sed in nullo eum ignis lædere potuit. Postea jussit eum lapidari, in tantum, ut pene totum corpus illius lapidibus operiretur. Quem persecutor mortuum credens, secessit. Sed Dominus, martyrem suum illæsum servans, postea sua vocatione ad cœlestia regna eum arcessivit; sicque in pace animam reddens, ad æternam requiem migravit.

In Africa sanctorum martyrum Liberati abbatis, Bonifacii diaconi, Servii [Servi] et Rustici subdiaconorum, Rogati et Septimini [Septimi], monachorum B et Maximi pueri. Qui persecutione Wandalica, jussu crudelissimi atque impiissimi regis Henrici [Hunnerici] de territorio Caspensis civitatis, ex habitaculo monasterii abstracti, atque urbem Carthaginensem perducti sunt. Ubi pro confessione catholicæ fidei et unici baptismatis defensione primo carcerali custodiæ mancipati, et crudelibus ferri ponderibus arctati, tenebrosis deputati sunt locis. Ubi cum die ac nocte Christianissimum populum in fidei constantia roborarent, jussit tyrannus, furore succensus, navem lignorum manipulis adimpleri, atque in ea omnes pariter alligatos, in medio pelagi igne supposito concremari. Cumque pro voluntate nefandi regis vel crudelium ministrorum, extensis eorum manibus et pedibus elevatis, ignis fuisset lignis injectus, statim imperio divino, videntibus cunctis, exstinctus C est. Et dum sæpius revocaretur, iterum atque iterum exstinguebantur globi flammarum. Unde magis tyrannus furore simul et pudore repletus, jussit eos remorum vectibus enecari, et ita singulos in modum canum cerebris commiuntis exstingui : sicque speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino, perfecerunt. Corpora eorum in mare jactata, sed eadem hora illæsa littoribus reddita, et a Christiano populo reverenter sublata, præeunte clero cum hymnis solemnibus condita sunt in monasterio continuo [*pro* contiguo] basilicæ, quod dicitur Celerinæ. Scribit beatus Victor Africanus episcopus in Historia ejusdem Wandalicæ persecutionis : quam et ipse cum cæteris sustinuit, et fideli atque illustri stylo digessit.

D In Alexandria Orionis.

XIV Kal. Septemb. — Apud civitatem Prænestinam, milliario ab Urbe tricesimo tertio, natalis sancti Agapiti martyris sub Aureliano imperatore, præside Antiocho. Qui cum esset annorum quindecim, et pro amore Christi martyrio ferveret, jussu imperatoris tentus, et primo nervis crudis diu cæsus, deinde præsidi ut impelleretur sacrificare traditus est. Qui in durissimo atque obscurissimo carcere eum reclusit, et per quatuor dies ei cibum omnem negavit : inde cum de carcere præsidi fuisset exhibitus, prunas ardentes super caput ejus jussit imponi. Sed cum gratias Deo martyr ageret, flagellis est cæsus, et nudus suspensus capite deorsum verso, acri subter fumo facto, cum diceret præsidi : « Sapientia tua et vanitas tua in fumo laboret, » iterum flagellis cæditur a quatuor sibi invicem succedentibus deinde bullientem aquam super ventrem ejus ministri diaboli effuderunt. Interea judex, de tribunali suo cadens, collectus a ministris in lecto reclinatur, et sentiens Dei virtutem in martyre, post modicum tristem animam amisit. De beato vero Agapito renuntiatum est imperatori, qui beatum virum leonibus jussit projici; sed mansuefactæ feræ, pedibus martyris ad lambendum se inclinaverunt. Hoc videntes sceleris ministri, tulerunt de medio sanctum martyrem, et venerunt contra civitatem Prænestinam, ubi sunt duæ columnæ et ibi eum gladio percusserunt sub die..................................

(*Hic iterum desiderantur aliquot pagellæ in manuscripto codice.*)

caput ejus sicut mons est ante me, unde totus contremisco. Traditur ergo aliis, et gaudio repletus, manus suas aqua lavit, genua flexit, cervicem ad terram humiliavit, orationem ad terram fudit, martyrium suscepit.

Apud Capuam nativitas sancti Rufi martyris, docti et baptizati a beato Apollinare.

Tomis sanctorum martyrum Marcellini tribuni, et uxoris ejus Mannsæ, et filii ipsius Joannis, et Serapionis clerici, et Petri militis.

In Galliis, civitate Arelatensi, sancti Cæsarii episcopi et confessoris.

Apud Augustodunum sancti Syagrii episcopi et confessoris.

V Kal. Septemb. — Beatissimi Hermetis martyris. Qui cum esset præfectus, ab Alexandro pontifice et martyre baptizatur, filiique ejus et familia cum illo; deinde ab Aureliano imperatore trusus in carcerem, tribunum Quirinum cum omni domo sua ad fidem convertit. Quod audiens Aurelianus, beatum Hermen [Hermetem] decollari præcepit.

Eodem die, in Africa, depositio sancti Augustini episcopi, mirabilis in omni scientia viri. Qui de hæresi Manichæorum ad Christi gratiam Ambrosii episcopi doctrina conversus, Hipponensi Ecclesiæ dignissimus præficitur antistes. Hujus venerabile corpus, prius de sua civitate propter barbaros Sardiniam translatum, nuper a Luitprando rege Longobardorum Ticinis relatum atque honorifice conditum est.

Eodem die Emmoniæ, quæ est civitas provinciæ Carniæ, passio sancti Pelagii martyris. Qui tempore Numeriani imperatoris, agente Velasio [Elivasio] judice, pro fide Christi primo ferri pondere collo manibusque gravatus, in carcerem truditur : eductus virgis verberatur, dein fustibus cæditur, postea equuleo suspensus, ungulis laceratur oleo bulliente ventrem infunditur, super fragmenta testarum, ligatis manibus ac pedibus, protrahitur, postremo capite truncatur.

Eodem die, Brillatensi oppido, nativitas sancti Juliani qui a persecutoribus ob Christi confessionem, desecto gutture, necatus est.

Constantinopoli sancti Alexandri episcopi et confessoris, cujus virtute orationis Arius crepuit medius, et diffusa sunt omnia ejus viscera in terram.

Eodem die apud Santonas sancti Vibiani [Viviani] episcopi.

IV Kal. Septemb. — Romæ Sabinæ martyris, quæ passa est, Adriano imperante, sub præfecto urbis Elpidio, omnesque ejus facultates dominicis vel publicis titulis insignatnur [assignantur]. Sepulta est autem in monumento in quo ipsa composuit fidei suæ magistram beatam martyrem Seraphiam, ad arcum Faustini, juxta aream Vinditianam, in oppido Vindinensi.

Eodem die decollatio sancti Joannis Baptistæ, qui primo in Samaria conditus est, nunc in Alexandria. Porro caput de Hierosolymis ad Phœnicis urbem Edissam delatum est.

III Kal. Septemb. — Romæ, via Ostiensi, Felicis et Adaucti martyrum. Hic Felix cum ad diversorum deorum imagines duceretur compellendus sacrificare, Serapis, Mercurii et Dianæ exsufflans statuas dejecit. Pro qua re suspensus est in equuleum, et de patibulo vivens depositus, jussus est decollari. Cumque eo duceretur, obvius est ei quidam Christianus, qui divino instinctu subito exclamavit: « Et ego ipsum quem hic sanctus presbyter confitetur, Dominum Jesum Christum colo. » Mox et ipse comprehensus cum beato Felice decollatus est. Hunc postea Christiani, quia nomen ejus ignorabatur, Adauctum appellaverunt, quia martyri Felici auctus sit ad coronam; ipsique pro fidei confessione corona martyrii sit aucta.

II Kal. Septemb. — Treviris sancti Paulini episcopi et confessoris. Qui tempore Arianæ persecutionis a Constantio imperatore ob catholicam fidem exsilio relegatus, et in eo usque ad mortem fatigatus, apud Africam beatæ passionis accepit coronam.

Eodem die apud Athenas beati Aristi [Aristidis], fide sapientiaque clarissimi, qui Adriano principi de religione Christiana libros obtulit, et quod Jesus Christus verus esset Deus, præsente illo, jucundissime peroravit.

SEPTEMBER.

September habet dies XXX, *lun. vero* XXIX.

Kal. Septemb. — Jesu Nave et Gedeon.

Eodem die natalis sanctissimæ virginis Verenæ, Thebææ genere, quæ a parentibus suis cuidam episcopo Chæremoni, qui et postmodum martyrio coronatus est, ad imbuendum commendatur: deinceps ad inferiorem Ægyptum cum aliis fidelibus profecta, beatæ se legioni, id est Mauritio et sociis suis, qui tunc temporis, quasi Diocletiano et Maximiano militaturi ibidem commanebant, Christi virgo Italiam venire desiderans, conjunxit. Mediolanum ergo perveniens, locaque in quibus sancti martyres continebantur inquirens eis quoque pietatis opera, ipsa etiam martyrium optando subministrans, a quodam sancto viro Maximo ibi detenta subsistit. Audiens denique sanctam Thebæorum legionem, eumque quem unice deligebat Victorem, martyrio consummari, per Alpina juga ad Acaunum [Agaunum] rem experitura pertendit. Inde juxta Ararium fluvium, non longe a castro Solodoro, sub districtione mirabili jejuniorum, vigiliarum, orationum, dies et noctes continuans, habitavit. In quodam igitur specu arctissimo, tempore se aliquanto carnem maceratura inclusit. Unde non longe anus quædam Christiana habitabat, et quidquid sacra virgo operari poterat mulier prædicta vendidit, ac de hoc sanctæ Dei victum exhibuit. Nam sacrilegus adhuc paganorum cultus Alamannos obtinuit. Signa igitur quam plurima Domino per famulam suam operante, Alamanni ad fidem Christi commoveri cœperunt. Virginis itaque fama in tantum miraculis prodentibus excrevit, ut mater virginum effecta, discretione pietatis omni populo venerabilis existeret. Cujus laudabili vitæ diabolus invidens, quemdam tyrannum sub potestate Romani nominis inflammavit, qui virginem Dei multipliciter affectam, publicæ custodiæ mancipavit. In quo ei ergastulo juvenis quidam eximii splendoris apparuit, quem quis esset interrogat. Ille cum se Mauritium esse responderet, illico purpuratorum septus multitudine, ab oculis virginis orationem implorantis eximitur, et eamdem nocte tyrannus validissima febre correptus, sed virginem ad se vocans, per ejus orationem continuo sanatur, sicque cum laude omnium ad locum virginum remittitur. In quo cum die quodam panis defecisset, querimonia de hoc exoritur. Illa sorores de divina commonens largitate confidere, in orationem pro imminentis necessitatis causa prosternitur, et ecce inopinato quadraginta sacci, mundissimæ pleni farinæ, ad ostium cellulæ reperiuntur, ex quibus per annos aliquot congregatio illa sustentabatur. Cumque jam finis sibi vitæ appropinquaret, infirmata corpore, non autem propositi sui rigorem deponens, lectulo decubuit. Et dum obitus sui terminum præstolatur, adest Dei genitrix virgo Maria, innumerabiles virginum choros præcedens: quam Verena tota devotione intendens, et unde hoc mereretur, interrogans, ab eadem Dei genitrice audivit: « Veni, inquit, ut ab eo cui fideliter serviisti, remunereris. » Quo dicto, beata illa anima corpus reliquit. Sepulta est autem beata virgo in loco qui Zurzacha vocatur.

Apud Capuam nativitas Prisci martyris, qui unus fuit ex antiquis Christi discipulis.

Eodem die apud Senonas Lupi episcopi, sanctitate et miraculis illustris.

Item apud Cæsaream Cappadociæ Longini militis et martyris, qui dicitur lancea latus Domini aperire. Hic cum postea ab apostolis baptizaretur, ab Octavo præside comprehensus, lingua abscissa dentibusque excussis, capite pro Christo truncatur. Simul

cum eo coronatus est Aphrodisius commentariensis, qui etiam post abscisionem linguæ Christum expedite loquebatur.

IV Non. Septemb. — Nativitas sancti Justi Lugdunensis episcopi. Qui clam episcopatum relinquens, ad Ægyptum migravit, comitante se quodam lectore, cui nomen erat Viator. Ibidem igitur per aliquot annos monachis associatus, vitam in sancta conversatione finivit. Corpus ejus a religiosis civibus Lugdunum cum ossibus sancti Viatoris ministri ipsius delatum, in basilica septem Fratrum Machabæorum.

Eodem die, in præfata urbe, Elpidii ejusdem civitatis episcopi.

Apud Apamiam beati Antonii martyris.

III Non. Septemb. — Romæ Seraphiæ virginis, passæ sub Adriano imperatore, judice Berillo. Hæ, Antiochena genere, apud sanctam manens Sabinam, rapitur et præsidi exhibetur. Qui cum ab ea fidei verbis increparetur, iratus præses, jussit eam duobus tradi juvenibus, quorum lascivia virgo corrumperetur. Qui ut eam contingere tentabant, subito terra prostrati ceciderunt exanimes. Iterum virgine adducta, deportati sunt et juvenes ante præsidem. Ad quos virgo cum oratione accedens, erexit illos in statu suo. Post hæc jussu præsidis fustibus cæditur, et excussa ex his assella in oculum tyranni insiluit, et protinus eum luscrum effecit. Qui data sententia gladio eam percuti jubet. Quæ sepulta est juxta collegam suam Sabinam.

II Non. Septemb. — Moysi prophetæ. Et apud Ancyram Galatiæ sanctorum martyrum. Rufini, Silvani et Vitalici.

Cabillone nativitas sancti Marcelli martyris. Qui temporibus Antonini ex numero quinquaginta martyrum Lugduni in ergastulum projectorum, patefactis divinitus claustris exiens, hominem a quo hospitio susceptus est cum omni domo sua convertit ad Dominum ; et postea Cavillonem [Cabillonem] veniens, a Prisco præside multis cruciatus tormentis, erectus, in terram cingulotenus defossus est, et sic tertia die Deo reddidit animam.

Nonis Septemb. — Victorini martyris in suburbano Romæ. Hic cum fratre suo Severino, sub mutua charitatis servitute, qua diutius alterutrum sibi famulabantur, in tanto virtutis provectu excrevit, ut post erogatam pauperibus substantiam, post longam servitutem, qua alter alteri nudus ac solus famulabatur, eremi pro Deo solitudinem ingrederetur. Cumque in hac omni se virtutum studio exerceret, ecce dæmon in forma mulieris ante ostium se viri, hujusmodi ejulatus emittens, projecit : « Heu me, inquit, miseram, silvis erroneam, tenebris vagam, bestiis devorandam ! Eripe me, quisquis es hujus loci incola, quia si victura sum, tuum erit, si moritura, tuum. » Hæc et alia miserabiliora vociferanti Victorinus aperit januam. Post modicum, inter alios motus corporis, pedem imago protendit, hominem Dei tetigit, noxium calorem incussit, vulneravit, prostravit. Exclamat jam victum Victorem victor diabolus : « Quid agis, inquit, perfectissime vir ? Cur jungeris alteri, qui a fratre recessisti ? » Post multa jactantiæ irrisionisque improperia, ex oculis decepti diabolus evanuit. At ille, quia ceciderat, velut exanimis effectus est. Tandem in se reversus, ad fratrem Severinum repedavit, primo pudore conticuit, dein causam aperuit, ipseque sibi pœnam constituit. Findens namque arborem, manusque per fissuras inserens, et cuneis pessulans, cicatricem arboris clausit. De qua pœna nec episcopo, cui res a fratre suo innotuit, ut eximeretur consensit, sed in eadem toto triennio perduravit ; Dominica tantum die modicum panis et aquæ, coactus a fratre, percepit, qui etiam jejunio se simili pro germano maceravit. Vix deinde per episcopum a supplicio abstractus, sub omni religione sanctitatis vitam duxit, et postmodum Amiterninæ urbis episcopus eligitur. Procedente vero tempore, imperante Nerva, ab Aureliano judice diutius tormentis examinatus, apud locum qui Cotialis appellatur, in putentes et sulphureas aquas, capite deorsum, per tres horas suspensus teneri jussus est. Quod cum per triduum ageretur, martyrio coronatus migravit ad Dominum.

Item Romæ sancti Herculani.

Capuæ, Quinti, Acontii et Donati, Eutychetis et Maronis.

VIII Id. Septemb. — Nativitas sancti Magni confessoris, discipuli et comitis beati Galli, mirabilis atque sanctissimi viri.

Item Zachariæ prophetæ, et natalis Onesiphori apostolorum discipuli.

Apud Africam natalis sanctorum confessorum et episcoporum Donatiani, Præsidii, Mansueti, Germani, Fusculi, qui persecutione Wandalica, jussu Hunnici [Hunnerici] regis Ariani, crudeliter fustibus cæsi, exsilio damnati sunt. Inter quos etiam episcopus, nomine Lætus, incendio consumptus est: Tunc idem tyrannus una die universas Africæ clausit ecclesias, omnemque episcoporum substantiam suis episcopis condonavit.

VII Id. Septemb. — Apud Nicomediam nativitas sancti Joannis, nobilitate, honore ac sæculi dignitate illustris. Qui sub Maximiano et Diocletiano librum impiæ legis eorum, fidei calore succensus, inspectante populo, minutatim discerpsit. Quod cognoscentes tyranni, omni eum crudelitatis genere jusserunt torqueri. Sed carnifices usque dum viscera ejus defecissent, in sanctum martyrem furentes, ne tristem quidem eum pœnis efficere potuerunt.

VI Id. Septemb. — Nativitas sanctæ Dei genitricis Mariæ.

Eodem die apud Nicomediam sancti Adriani martyris cum aliis viginti tribus. Quorum passio licet ubique habita lectitetur, aliquid tamen brevitatis mihi causa de his memorandum videtur. Beatissimus igitur martyr Adrianus temporibus Maximiani prior officii erat. Qui cernens quam multa suppliciorum acerba sancti Dei paterentur, inquirit cujus

mercedis gratia talia fecerent. Qui cum viginti tres martyres ob indefectivam et inenarrabilem cœlestis regni jocunditatem martyrium se ferre dixissent, illico exsiliens, stetit in medio eorum, et adnotatus est inter confessores et athletas Dei. Audiens Maximianus inter nomina sanctorum Adrianum recitari, jussit eum, ferro vinctum, cum reliquis sanctis ad carcerem pertrahi. Erat autem ipse annorum viginti novem. Quod audiens uxor ejus, nomine Natalia, Christianissima, gaudio plena cucurrit ad carcerem, et inter multa hortamenta, suadebat ei ne propter aliquam terrenæ dignitatis gloriam, aut propter pœnæ metum imminentis consortio se martyrum subtraheret. Qui iratus contra Adrianum, tam crudeliter eum cædi præcepit, ut apertis costis viscera apparerent. Rursum cum aliis in carcerem truditur. Quibus denuo, consumptis pene carnibus, eductis, jussunt est ut vecte magno ferreo tibiæ eorum confringerentur. Confractis ergo cruribus omnium, pedibusque incisis, etiam manus Adriano abscissa est. Quibus ita Christo transmissis, Natalia Byzantium navigans, quo sanctorum delata sunt corpora, et ipsa post aliquot di es obdormivit in Domino.

V Id. Septemb. — Passio sanctorum martyrum Dorothei et Gorgonii apud Nicomediam, sub Diocletiano imperatore. Hi officiorum quæ intra palatium exhibebantur, magistri erant, et cubiculi regalis præpositi. Qui Christianæ fidei sectatores, cum die quadam aliquem viderent martyrem suppliciis immaniter lacerari : « Cur, aiunt, imperator, in hoc persequeris, cujus nos quoque cultores existimus? » Quos ille in medium accersens, jussit appendi, flagris laniari, sale et aceto profundi, ac deinde craticulæ torquendos imponi, et ad ultimum laqueo suspensos strangulari.

In Sabinis, milliario ab Urbe tricesimo, natalis sanctorum Hyacinthi, Alexandri, Tiburtii martyrum.

Eodem die Sergii papæ, qui sedit Romæ annis tredecim. Hic invenit miræ magnitudinis de cruce Christi portionem in beati Petri sacrario. Hic statuit in tempore fractionis Dominici corporis *Agnus Dei* cantari : et ut diebus annuntiationis Domini, dormitionis ac nativitatis sanctæ Mariæ et S. Simeonis, quod Hypapanti Græce dicitur, litaniæ exeant a S. Adriano, et ad sanctam Mariam populus occurrat.

IV Id. Septemb. — Apud Africam natalis sanctorum episcoporum Nemesiani, Felicis, Lucii.

Item Felicis, Littæi, Polyani, Victoris, Jaderis et Dativi. Qui sub Decia [Gallieno] et Valeriano pro fide Christi graviter fustibus cæsi, compedibus vincti, et ad fodienda metalla deputati, martyrium consummaverunt.

Eodem die in Calchidona [Chalcedone] SS. Sosthenis et Victoris, qui cum beata Euphemia pro Christi nomine decertaret, trusi sunt in carcerem. Inde producti ad stipem religantur : deinde ursi et ferocissimus leo in eos dimittitur ; sed cum

A nullatenus a bestiis læderentur. Priscus proconsul illos concremari decernit : interea orationi incumbentes dato sibi pacis osculo, spiritum emiserunt.

III Id. Septemb. — Nativitas sanctorum martyrum Felicis et Regulæ sororis ejus. Quorum festivitas quia solemnis apud nos veneratur passionisque eorum conscriptio pluribus nota habetur, scriptis superaddere scripta non opus mihi esse videtur. Hoc tantum dicere sufficiat quod prædicti martyres, de consortio Mauritii et sociorum ejus, per vasta eremi, quæ Darona vocatur, tendentes, in partes Germaniæ devenerunt, et in quodam loco juxta fluvium Lindimacum subsistentes, vigiliis precibusque cum omni pietatis studio operam B dabant. Dum hæc a sanctissimis agerentur germanis, adsunt nuntii ab impiissimo Maximiano directi, ut sanctos Dei vel idolis sacrificare compellerent, vel tormentis eos variis punire non differrent. Beati igitur martyres sacrilegis petitionibus fiducialiter resistentes, sociosque se sanctorum Mauritii, Exuperii, Candidi ac Victoris confitentes, in ferreas rotas igne candentes alligantur, et ineffabilibus insuper tormentis exscruciantur. Ac beatissima Regula super ferventem picem imposita est, cui etiam bulliens plumbum ad potandum a carnifice dari est præceptum. Cumque nullis suppliciorum acerbitatibus a Christo divelli potuissent, jussa sunt eis capita amputari. Quo facto, truncati martyres abscissa capita suis bajulantes a loco ubi decollati sunt cubitis quinqua- C ginta deportaverunt.

Eodem die via Salaria, cœmeterio Basillæ, Proti et Hyacinthi martyrum, qui erant eunuchi beatæ Eugeniæ virginis. Qui aliquanto tempore apud Egyptum in monasterio servorum Dei conversati, deinde cum beatissima virgine Romam reversi, sub Gallieno imperatore pro fide Christi durissime verberantur, ac deinde pariter decollantur. Quomodo vero beata Eugenia propter Deum masculum se simulans vitam sanctissimam duxerit, ac a Niceto præcepto detenta, simulacrum Dianæ in pulverem orando redegerit, qualiter etiam scapulis ejus ingenti saxo astricto, in Tiberim præcipitata passionis suæ compleverit agonem, liber Gestorum ejus sufficienter exponit.

D II Id. Septemb. — Apud urbem Ticinum, quæ et Papia, sanctorum confessorum Syri et Hyventii [Juventii]. Qui a beato Hermagora Aquileiensi pontifice, discipulo beati Marci evangelistæ, illuc directi, post continuas instantissimasque prædicationes ac plurimorum miraculorum virtutes in pace quieverunt.

Id. Septemb. — Apud Alexandriam Ægypti, Philippi episcopi et martyris. Qui primum præfectus fuit, sed deinde, divina ascitus gratia, episcopatum accepit, et sub Volusiano atque Gallieno ca Perenio præfecto occisus, martyrii adeptus est palmam.

Eodem die sancti Aniani presbyteri et abbatis monasterii sancti Romarici, qui miræ abstinentiæ et anachoreticæ vitæ sectator, illustrem miraculis et virtutibus duxerat vitam.

XVIII Kal. Octob. — Romæ in cœmeterio Callixti natalis sancti Cornelii episcopi, qui sub persecutione Deciana Centumcellis axsilio deputatus est. Postea Decio exhibitus, cum nullo a fide catholica posset deflecti, jussus est decollari : cumque duceretur, rogatus visitavit uxorem militis Cerealis, quæ quinque annis paralytica jacens, orante sancto Cornelio, erecta et sanata est. Quo viso, multi baptizati sunt, et cum beato Cornelio trucidati, numero viginti et unus : et Cerealis cum sua uxore Salustia.

Eodem die apud Africam beati Cypriani episcopi et martyris, qui sub Valeriano et Gallieno, agente Aspasio proconsule, in exsilium mittitur, et postea de exsilio revocatus, a Maximo proconsule, qui Aspasio successerat, ob insuperabilem fidei constantiam gladio percussus, migravit ad Dominum. Passi sunt autem cum eo Crescentianus, Auctor [Victor], Rosula et Generalis. Cujus ossa cum sancto capite sancti Pantaleonis, membrisque Sperati martyris, legati Caroli Magni imperatoris, ab Aaron rege Persarum reversi, secum ex Oriente deportaverunt. Quas beatorum martyrum reliquias, ab imperatore concessas, Lugdunensis episcopus in sua collocavit civitate.

Eodem die exaltatio sanctæ crucis : quæ ab Helena inventa, ita per medium secta est, ut et crux Hierosolymis conservata, et crux Constantinopolim sit deportata. Post multa temporum curricula, Persarum gens cum rege suo Chosdroe multas Romanorum provincias devastantes, etiam Hierosolymam invadunt. De qua plurimis ornamentorum insignibus ablatis crucem quoque Dominicam abducunt. Quas Chosdroe in turrem argenteam constituit, sibique in eadem turri sedem ex auro paravit, in qua volut collega Dei sedere consuevit. Heraclius igitur Romanus imperator contra Persas bellum aggressus, occiso Chosdroe, venerabile lignum cum magna veneratione reportavit : et in eodem die cæcis, paralyticis, leprosis, dæmoniacis pluribus sanatis, etiam mortuus vitam recepit.

XVII Kal. Octob. — Natalis sancti Nicomedis martyris, quem Flaccus comes, quia corpus sanctæ Feliculæ martyris sepelivit, et quia idolis sacrificare contempsit, eatenus plumbatis cœdi jussit, donec vitam finiret, corpusque ejus in Tiberim præcipitatum, a diacono suo collectum et honorifice sepultum est.

Eeodem die in territorio Cavillonensi [Cabillonensi] natalis sancti Valeriani martyris.

XVI Kal. Octob. — In civitate Chalcedone natalis sanctæ Euphemiæ. Hæc sub Diocletiano imperatore cum aliis quadraginta novem tradita est proconsuli Prisco, et post carceres ac tormenta

A rotarum, post verbera et ignes, lapidumque angularium pondera, post secures et sartagines igneas, in theatrum ducitur, ac leonibus et bestiis objicitur. Tunc beata virgine orante una bestiarum accessit, morsumque sancto ejus corpori infixit, et ita sancta Dei animam emisit.

Eodem die Romæ sanctæ Luciæ et Geminiani. Quæ beata videlicet Lucia cum triginta et sex annis in laudabili virginitate Deo serviret, accusata est a filio suo Euprepio, et coacta ut idolis sacrificaret, imperatore Diocletiano, judicibus Apofrasio et Megasio. Quod fecere contemnens, post carcerem et sævissima verbera missa est in ollam pice et plumbo ferventem : de qua illæsa egrediens, onerata ferro et plumbo per plateas trahi-

B tur civitatis, et cum pertransisset domum cujusdam potentis nomine Geminiani, idem vir cœlesti miraculo instinctus (visa est quippe super caput ejus columba residere), pervenit ad locum ubi sancta Dei torquebatur, et petens baptismum, cum illa pariter gladio trucidatus est.

XV Kal. Octob. — In Britanniis Socratis et Stephani.

Novioduno, Valeriani, Macrini et Gordiani.

Romæ nativitas sancti Justini presbyteri, qui a beato Sixto ordinatus est, eique beatus Laurentius pedes lavans, suis se orationibus commendavit. Idem Justinus corpora sanctorum Hyppoliti, Concordiæ, Irenæi, Abundii et Cyrillæ filiæ Decii imperatoris, sepulturæ tradidit, et in persecutione

C Decii, Galli et Volusiani, confessionis gloria insignissimus fuit.

Item Romæ Narcissi et Crescentionis martyrum.

Tungrensi diœcesi natalis sancti Landeberti [Lamberti] episcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis accensus, increpasset, intra domum ecclesiæ occiditur : cujus sepulcrum crebris miraculorum ostensionibus illustratur.

XIV Kal. Octob. — Nativitas sancti Methodii, Olympi Lyciæ, et postea Tyri episcopi, qui sub Diocletiano in Ebacide [Chalcide] martyrio coronatus est.

Viennæ sancti Ferreoli. Qui cum esset tribunitiæ potestatis, pro fide Christi crudelissime verberatur, catenis ligatus in carcerem truditur ; unde Dei nutu solutis vinculis educitur, et postea ab in-

D sequentibus, ad Brivatense territorium perductus, capite detruncatur.

XIII Kal. Octob. — In Neapoli Campaniæ civitate, natalis sancti Januarii, Beneventanæ civitatis episcopi, Sosii diaconi Mensenatis [Misenatis] civitatis, et diaconi Festi, et lectoris Desiderii. Qui cum ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculum Puteolanæ civitatis diaconum, et laicos duos, Eutychen et Acutium, qui interrogaverunt quare justi juberentur occidi. Quos judex, Christianos esse intelligens, decollari jussit cum illis.

Eodem die in Palesna [Palæstina] natalis sancti Marci [Eliæ], Palei [Pelei] et Nili episcoporum,

qui persecutione Diocletiani cum plurimis clericis pro Christo igni consumpti sunt.

Apud Niceriam [Nuteriam] sancti martyris Felicis et Constantiæ, qui sub Nerone passi sunt.

In territorio Lingonicæ civitatis sancti Sigonis [Sequani] presbyteri.

XII Kal. Octob. — In Cyzico natalis sanctæ Faustæ virginis et Evilasii sub Maximiano imperatore. Quam idem Evilasius primus palatii jussit rasam decalvari, dein suspensam torqueri, loculosque afferri, immissam etiam illam atque infixam quasi lignum mediam socari. Quod cum carnifices efficere non possent, nec serris eam lædere, stupens Evilasius Christo credidit. Hoc ubi imperator comperit, jussit Evilasium suspensum acrius torqueri, Faustam vero nudam de carcere educi, et ei caput terebrari, ac claves infigi, faciem quoque ac totum corpus clavis impleri; post hæc sartaginem igniri quæ illa psallente refriguit. Inter hæc cœlesti voce vocati, tradiderunt spiritum.

XI Kal. Octob. — Natalis sancti Mathiæ apostoli et evangelistæ, cujus passionis historia circumquaque frequentatur.

X Kal. Octob. — In Hispaniis [Galliis] urbe Siduno [Seduno], loco Acauno [Agauno], sanctorum martyrum Mauritii et sociorum ejus. Qui ab Oriente de Thebis civitate profecti, sub Maximiano imperatore, cum legione sua sex millium et sexcentorum numero virorum pro fide Christi trucidati sunt. Hi in auxilium Maximiano accersiti venerunt, sed cum in sacrilegio illum sequi contempsissent, ut cæteros post se facilius inclinaret, decimum quemque ex eis in oculis eorum jugulari præcepit. Quæ decimatio cum bis ab interfectoribus exerceretur, et reliqui nihilominus in sententiam perstarent, una et similii interfectione, sponte sua colla submittentes omnes trucidantur. Maximianum autem digna perculit pœna. Genero enim suo Constantio insidiari deprehensus, strangulatur, et teterrimo supplicio affectus, impiam vitam morte digna finivit.

IX Kal. Octob. — Sosii diaconi, de quo decimo tertio Kalend. Octobris invenies.

Eodem die Theclæ virginis, apud Seleuciam quiescentis, quæ de civitate Iconio a beato apostolo Paulo instructa est. Quam mater ejus cernens Christianam et nuptias repudiantem, accusavit apud judicem. Adducta itaque sancta Thecla in pyram immittitur, et facto crucis signo, pluvia erumpens, flammas exstinxit. Postea leonibus et ursis nudata iterum iterumque objicitur: de quibus divina virtute protecta, in fossam aqua et serpentibus plenam immergitur, de qua nihilominus eam gratia divina illæsam eduxit. Alligatur deinceps duobus ferocissimis tauris, ferro candente, ut eam decerperent, stimulatis: qui, funibus disruptis, huc illucque disjecti martyrem relinquunt illæsam. Tunc dimissa virgo, Tryphænam religiosam feminam, quæ et martyrio ejus adfuit, cum omni domo ejus in fide Christi

A confortans, venit Seleuciam et ibi in pace quievit.

VIII Kal. Octob. — Conceptio sancti Joannis Baptistæ.

Augustoduno sancti Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi et Felicis. Qui a Polycarpo episcopo ad docendum Galliam directi, Aureliano imperatore, flagellis cæsi, in ignem missi, versis manibus suspensi, et ad ultimum vectibus in colla percussi, martyrium compleverunt.

VII Kal. Octob. — Nativitas beati Cleophæ, cui Dominus post resurrectionem in via apparuit.

VI Kal. Octob. — Sanctorum martyrum Cypriani episcopi, et Justinæ virginis, Scholasticus quidam, Agladius nomine, apud Antiochiam videns beatam B Justinam, exarsit in concupiscentia ejus, et promisit Cypriano mago duo talenta auri si virginem Justinam in illius amorem excitaret. Cyprianus magus, convocatis dæmoniis, cœpit agere ut per eos sancta Dei seduceretur; cumque id dæmones nullatenus efficere valerent, ac signo Crucifixi se ab ea repelli faterentur, Cyprianus, diaboli virtutem contemnens, ab episcopo Anthymo catholicis se mysteriis imbui rogavit. Nec multo post diaconus ordinatur, ac deinde virtutibus et miraculis excrescens, etiam episcopatus dignitate sublimatur. Procedente tempore Cyprianus episcopus et virgo Christi Justina comprehensi, vinculis alligantur: episcopus suspensus exungulatur, sancta Dei post alapas crudis nervis immaniter cæditur, dein cum pice, adipe et cera in C sartagine torrentur, postremo etiam gladio jugulantur. Sed et Theognotus quidam simul cum illis punitur sub Diocletiano imperatore, judice Eutelamio [Eutholmio].

V Kal. Octob. — Apud Ægeam nativitas sanctorum Cosmæ et Damiani, persecutione Diocletiani, sub præside Lysia, qui ex Arabia oriundi, arte medici fuerunt, quorum fratres Antimius [Anthimus], Leontius, Euprepius vocabantur. Qui culturam spernentes idolorum, pedibus vincti ac manibus fortiter torquebantur: deinde catenati in mare merguntur, de quo per angelum Dei liberantur; deinde in ardentem ignem sunt projecti, quo sanctis orantibus exstincto, iterum suspensi cruciabantur. Quod patienter sufferentes, in crucem levati lapidabantur, D ac deinde sagittis appetuntur. Verum cum in nullo læderentur, sed mittentes ac circumstantes non pauci repercuterentur, jussi sunt a præside gladio trucidari.

IV Kal. Octob. — In Hispaniis, civitate Corduba, Fausti, Januarii et Martialis. Qui primo equuleis cruciati, deinde rasis superciliis, auribus naribusque præcisis, dentibus etiam superioribus excussis, deturpati, ad ultimum ignis passione martyrium consummaverunt.

III Kal. Octob. — In monte Gargano memoria beati archangeli Michaelis, ubi consecrata ipsius nomine habetur ecclesia, quæ hoc modo cognita est;

Quidam prædives, nomine Garganus, de cujus eventu vocabulum monti inditum est, infinita pecorum multitudine pollebat. Contigit autem taurum, peculio remeante, domum non esse reversum. Quem dominus per devia quæque requirens, invenit tandem in vertice montis, foribus cujusdam assistere speluncæ. Quem cum sagitta petisset, illa retrorsum cum impetu retorta, dominum percussit. Quod episcopus comperiens, indicto civibus triduano jejunio causam interfecti hominis a Deo monuit inquirendam. Peracto itaque jejunio, apparuit sanctus Michael episcopo, sua hoc insinuans actum esse voluntate: « Locum, inquiens, hunc incolere, mihique proprium vindicare decrevi. » Nec opus esse, inquit ab hominibus ecclesiam ibidem dedicari, sed a se conditam, a se quoque eamdem, inquit, consecratam. Tantum eos præcepit intrare precibusque devotis locum frequentare. Qualiter autem civibus per sanctum archangelum cœlestibus ostensis miraculis victoria de hostibus collata sit, atque de ejusdem loci situ miraculorumque ibidem ostensorum numerositate, in plerisque codicibus scriptum reperies.

II Kal. Octob. — In castro Galliæ Solodoro passio sanctorum martyrum Victoris et Ursi ex legione Thebæorum. Qui jussu Maximiani ab Hirtaco diris suppliciis cruciati, deinde in ignem missi, postremo gladio consummati sunt.

Eodem die apud Bethlehem Judæ deposito sancti Hieronymi presbyteri. Hic, natus in oppibo Stridonis, quod Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, patre Eusebio, vestem Christi puer Romæ suscepit, ibique litteris Græcis ac Latinis a primævo eruditus est, probatissimorum quoque monachorum habitum factumque imitatus est; Romanæ etiam Ecclesiæ presbyter ordinatus cunctorum judicio, dignissimus summo sacerdotio esse decernitur. Sed postquam æmulorum invidia Roma effugatus est, Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanum episcopum discendi gratia adivit. Inde Syriam petivit, ac deserta loca accedens, in horrida solitudine quadriennium exegit: dein Bethlehem oppidum adiens, in præsepe Domini prudens se animal contulit permansurum. Quantis ibi denuo vigiliis jejuniisque institerit, quali instantia Hebræorum bibliothecas auribus Latinorum inseruerit, novit ille cui sudores suos immolavit. Tandem, post perfectam placitamque Deo conversationem, nonagesimo octavo ætatis suæ anno apud Bethlehem oppidum in pace quievit, secundo Kalendas Octobris, duodecimo Honorii imperatoris anno. Libros suos per quinquaginta et sex annos confecit.

OCTOBER.

Mensis Octobris habet dies XXXI, *lun. vero* XXX.

Kal. Octob. — Apud Antissiodorum natalis sancti Germani episcopi. Qui ob refutandam Pelagianæ hæresis perfidiam, omnium Gallicanorum pontificum judicio, Britannias mittitur. In medio igitur pelagi, cum iter beatus pontifex ageret, inimica vis concitata tempestate magnum navigantibus periculum exhibuit. At ille consurgens, invocato nomine Domini, procellarum immanitatem sedavit. Deinde Britanniam perveniens, hæresim exortam compescuit; tribuni cujusdam filiam, decem annis cæcam, illuminavit; in vicina qua manebat casula furens incendium exstinxit: infirmitatis suæ dolorem (erat quippe læso pede debilis) cœlesti se visitante persona exsuperavit. Saxones et Picti contra Britones eo tempore bellum intulerunt, sed Germano ducis officium assumente, precibusque non armis dimicante, hostes in fugam vertuntur. Post multa virtutum insignia, Ravennam pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus advenit, ibique a Valentiniano honorifice susceptus, post aliquot dies finem vitæ præsenti imposuit, corpusque ipsius ad suam urbem relatum est.

Tomis civitate sanctorum Prisci, Crescenti [Crescentis], Evagrii.

Remis sancti Remedii episcopi et confessoris, viri clarissimæ virtutis et sanctitatis. Hic gentem Francorum idolis deditam, rege ipsorum primitus initiato, convertit ad Christum. Hic inter cætera facta puellam a mortis vinculo suscitavit. Septuaginta plus minus annos in episcopatu complevit.

VI Non. Octob. — Eusebii papæ, qui sedit in episcopatu annos septem, sepultus via Appia, in cœmeterio Callixti. Cujus tempore Dominica crux inventa est. Hic hæreticos invenit in Urbe, quos ad manus impositionem reconciliavit.

Apud Nicomediam nativitas sancti Eleutherii martyris. Tempore Diocletiani contigit palatium incendio conflagrare, quod imperator a Christianis falsa suspicione factum putans, jussit omnes Christianos colligi, et alios quidem gladio detruncari, alios ignibus concremari. Quorum primus, et qui omnes ad martyrium hortaretur, erat Leudegarius [Eleutherius]. Tunc quidam flammis injecti, alii gladio trucidati, in pelagus etiam plurimi sunt demersi. Verum beatus Eleutherius, immanissimis diu excruciatus tormentis, ad ultimum flammis immissus, martyrii palmam est adeptus.

In Atratis [Atrebatis], villa Syrricinio, passio sancti Leodegarii, Augustodunensis episcopi.

V Non. Octob. — Nativitas sancti Dionysii Areopagitæ, qui ab apostolo Paulo ad fidem deductus, ab ipso etiam primus Athenarum episcopus est ordinatus, et sub Adriano principe, post clarissimam fidei confessionem et gravissima tormentorum genera, martyrio coronatus est.

Apud antiqnos Saxones natalis sanctorum Edili et Evaldorii [duorum Euvaldorum] presbyterorum. Qui cum Willobrordo episcopo venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones, ibique Dei verbum prædicando a paganis occisi sunt. Ad quorum corpora noctu lux apparens, cujus essent meriti declaravit.

IV Non. Octob. — Apud Corinthum Crispi et Gaii,

quorum apostolus Paulus in Epistola ad Corinthios meminit (*I Cor.* v).

In Ægypto sanctorum martyrum Marci et Marcelliani fratrum, et cum eis aliorum promiscui sexus inumerabilium : quorum alii flammis traditi, alii in mare demersi,nonnulli inedia consumpti,quidam patibulis affixi, cœlum meruerunt.

III Non. Octob. — Apud Siciliam Placidi et Eutychii aliorumque triginta.

In Galliis, civitate Valentia, Apollinaris episcopi, virtutibus et martyrio insignis.

Apud Eumeniam Thraseæ episcopi martyrio consummati, qui unus ex antiquis, qui quasi ex traditione priorum se accepisse asserit Salvatorem præcepisse apostolis ne ante duodecimum annum discederent ab Hierosolymis.

II Non. Octob. — Apud Capuam sanctorum Marcelli, Casti, Æmilii, Saturnini.

In Galliis, civitate Agenno, Fidis [Fidei] virginis et martyris cujus exemplo beatus Caprasius ad martyrium animatus est.

Eodem die Sagaris martaris et episcopi Laodicensis, qui unus fuit de beati Pauli apostoli discipulis.

Non Octob. Romæ, via Appia, natalis sancti Marci episcopi et confessoris. Qui sedens in episcopatu annos duos, menses novem,triginta dies,constituit ut episcopus Ostiæ qui consecrat episcopos, pallio uteretur.

Eodem die sanctorum Juliæ,Sergii et Bacchi,sub Maximiano imperatore.In cujus palatio Sergius primicerius,Bacchus vero secundicerius,cum apud eumdem imperatorem accusarentur, imo veracissime deprehenderentur, quod abjecta idolorum cultura veri Dei cultores existerent, cum nec minis nec blandimentis a fidei firmitate possent avelli, jussu imperatoris chlamyde exuti,muliebribus sunt induti colobiis,et sic per mediam civitatem catenis cervicibus impositis pertrahuntur. Postremo a duce Antiocho præcepto Maximiani,ita sunt martyrio coronati,ut Bacchus,dum extensus crudis flagellis cæderetur emitteret spiritum, Sergius vero post multa tormenta gladio cæsus est.Quorum corpora tollentes Christiani, honorifice in uno loco sepeliverunt. Ubi et virgo Julia,quæ sub Martiano præside passa est, martyribus sociata quiescit.

Eodem die sanctorum martyrum Marcelli et Apulei,qui primo adhæserunt Simoni Mago ; sed videntes mirabilia quæ Dominus per apostolum Petrum operatus est, relicto Simone,apostolicæ se doctrinæ tradiderunt, et post passionem apostolorum, ipsi quoque martyrio coronati sunt.

VIII Id. Octob. — Apud Cretam, urbe Gortynæ, beati Philippi episcopi, magnus virtutibus viri.

Thessalonicæ sancti Demetrii martyris.

Item nativitas Reparatæ virginis et martyris, quæ passa est in Cæsaræa Palestinæ sub Decio imperatore. Quæ post fervens plumbum et mamillas abscissas,in caminum missa est ardentem ; cumque nihil læderetur ab igne,decollata est : cujus de collo candida visa est evolare columba.

VII Id. Octob. — Abrahæ patriarchæ.

Apud Parasium[Parisios]passio Dionysii episcopi, Eleutherii presbyteri et Rustici diaconi. Qui beatus episcopus a pontifice Romano causa peregrinationis in Gallias directus, Parisiorum civitatem devenit. Ubi cum per aliquot annos miraculis fidem confirmantibus,populos ad viam veritatis convertere satageret,a præfecto comprehensus cum Rustico et Eleutherio martyrio coronatus est.

Apud Coloniam Agrippinam natalis sancti Gereonis cum aliis trecentis novemdecim, quos fertur de legione beati Mauritii fuisse.Qui spernentes funesti Maximiani imperium,pro vera religione gladiis colla subdiderunt.

VI Id. Octob. — Lot prophetæ.

Apud Cretam Pinyti episcopi, qui memoriam sui in scriptis a se editis vivam reliquit.

Item apud Agrippinensium urbem sanctorum martyrium Mallosi et Victoris.

In Britania Paulini Eburaci episcopi. Qui ordinatus episcopus a beato Justo,quem sanctus Augustinus,primus Anglorum pontifex,consecravit, gentem Northumbrorum, hoc est eam nationem Anglorum quæ ad aquilonem Humbri fluminis habitabat ad fidem convertit.

V Id. Octob. — Apud Tharsum, metropolim Ciliciæ, natalis Tharaci presbyteri [Probi] et Andronici martyrum. Qui Diocletiani persecutione sub Maximo præside carcere puniti, nervis cæsi testis defricati, ardente papyro adusti, maxillarum fracturam et tibiarum tormenta perpessi,aceti et sinapis in naribus infusione cruciati,post obeliscos ignitos, post confixos clavis acutissimis digitos, post oculorum transpunctionem linguæque abscissionem,ursis et leonibus projecti sunt.Sed cum a nulla bestiarum læderentur, gladio jugulati,inter corpora interfectorum projici jubentur.Ubi noctu velut stella splendida de cœlo demissa super corpora sanctorum Christianis revelati sunt, et ejusdem ducatu stellæ, sepulturæ traduntur.

IV Id. Octob. — Apud Ravenam sancti Edistii.

In Africa sanctorum confessorem et martyrum quatuor millium nongentorum septuaginta sex,qui persecutione Wandalica jussu Hunnerici regis Ariani inter Mauros ferocissimos deputati sunt.Inter quos erant Cyrianus et Felix, præcipui sacerdotes Domini.Quorum alii dum hastilium cuspidibus ad currendum impellerentur,alii ligatis pedibus per asperrima traherentur,tam diro discerpti supplicio,inter manus contrahentium spiritum exhalabant.

Romæ natalis sancti Bedisti [Edistii] martyris.

In Syria Eustatii[Eustachii]presbyteri,Eucharisti, Burri, Bonati.

In Campania Patriæ, Fortunatæ.

III Id. Octob.—Apud Trohadam [Troadem] Carpi, discipuli apostoli Pauli,

Antiochiæ Theophili, qui sextus ab apostolis Ec-

clesiæ pontificatum tenuit, vir eruditissimus. Hic constituit die Sabbati, jejunium ter in anno fieri, secundum prophetiam, frumenti, vini et olei.

In Hispaniis Fausti, Marci et Adriæ [Januarii et Martialis].

In Chalcedonia Marcelli.

In Alexandria sancti Anastasii episcopi.

II Id. Octob. — Nativitas sancti Callixti papæ, qui sub Alexandro imperatore martyrium suscepit. Postquam enim Palmachium proconsulem et Simplicium senatorem, cum omni familia eorum, ac multos alios baptizavit, tentus est ab Alexandro, fame cruciatur, fustibus cæditur, custodiæ mancipatur. In qua custodia presbyter ejus Calepodius, dudum martyrizatus, eum visitans consolabatur; ubi etiam militem, Privatum nomine, ab ulceribus sanans, fidei catholicæ aggregavit. Unde iratus Alexander beatum Callixtum per fenestram domi præcipitari, et ligato ad collum ejus saxo, in puteum jubet demergi, et in eum rudera cumulari. Unde a suis levatus, in cœmeterio Calepodii est terræ commendatus.

Corduba sancti Lupi, Aureliæ.

Lugduno translatio Justi episcopi et confessoris, qui eremiticam ducens vitam, prophetico spiritu quæ post se esssent ventura prædixit.

Id. Octob. — In Galliis apud Coloniam Agrippinam sanctorum Maurorum de militibus sanctæ legionis Thebæorum. Qui cum essent numero quinquaginta, martyrio consummati, in eadem urbe sunt conditi.

In Capua Libuli et sanctæ Fortunatæ.

Eodem die apud Lugdunum Antiochi episcopi.

XVII Kal. Novemb. — In Asia Cereæ.

In Africa ducentorum septuaginta pariter coronatorum.

Item sanctorum mortyrum Martiani, Satyriani cum duobus fratribus eorum, et Maximæ virginis. Qui sub Geiserico rege Ariano primum nodosis fustibus usque ad ossa discerpti, postea in nervo arctati, divinaque virtute liberati, continuo incolumes efficiuntur. Maxima Christi famula, dimissa, multarum virginum mater est effecta. Reliqui jussu impiissimi tyranni, ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca discissi, obierunt in Domino.

(*a*) Eodem die apud Alemannos, qui et Suevi, juxta Alpes Rhetianas, depositio sive transitus vel ad æternam vitam natalis dies, beatissimi Galli confessoris, festive celebratur. Qui de insula Hybernia, quæ inter Britanniam et Hispaniam sita est, divini amoris instinctu cum magistro et abbate suo Columbano peregrinaturus per Gallias iter agens, Alemanniam ingressus est. Veniens igitur in eremum quæ sita est inter Alpes Retiarum et Brigantini marginem lacus, patre Columbano Italiam petente, infirmitate deteutus est. Qua, divina medicante manu, devicta, sanitateque recepta, solitariam ducere vitam desiderans, eremi secreta soli Deo vacando, non vacans fovebat. Rex igitur Sigebertus, ut audivit in publicis eum commorari possessionibus; jussit fieri conscriptionem firmitatis, ut vir sanctus locum quem incolebat per auctoritatem obtineret : datis etiam illi auri argentique ponderibus, Cunzoni duci præcepit, ut si solitudinis incola vellet, solatiorum ei copiam ædificandam cellam subministraret. Athleta itaque Dei spirituale constructurus ædificium, parcimoniæ, orationibus vigiliisque insistens, populum ab errore idololatriæ revocavit, simulacra eorum confregit, signorum effectu prædicationem suam audientibus commendavit. Quarum numerositatem, quia liber vitæ et virtutum ejus ubique habetur et legitur, hodieque per miracula quæ prius gesta sunt augmentantur, in præsentiarum supersilimus, hoc solum commemorantes quod divina pietas beatum Gallum genti Alemanniæ apostolum fecit, qui nationem, quam paganismo involutam reperit, fidei veritate imbutam, de tenebris ignorantiæ ad solem justitiæ, qui Christus est, ipse callis Dei solers viator reduxit, ac locum quem eatenus humanæ naturæ inaccessibilem, solisque bestiis, serpentibus et dæmoniis obsessum invenit, exturbatis hostibus, divinitati habitaculum exhibuit. Videndum summopere ac timendum est ne tabernaculum Dei, quod demonstratione divina multisque sudoribus vir sanctus erexit, quotque aegali auctoritate in sortem et funiculum hæreditatis Dei sequestratum est, aliqua humanæ præsumptionis temeritate impetatur, ne avaritia occupet hominum, quod a rabie dæmonum et sævitia expurgatum est belluarum, Postremo, ne quo delati sunt ab equis indomitis artus Galli defuncti, ibi eum molestare præsumat inquietudo quælibet ausus humani.

XVI Kal. Novemb. — Marthæ sororis Lazari, et Aristionis, qui unus fuit ex septuaginta discipulis.

Item natalis Heronis, qui post sanctum Ignatium Antiochenam rexit Ecclesiam quod et ipsi Ignatio ad passionem eunti revelatum est. Qui et vita et martyrio magistri sui imitator effectus est, erat, enim diaconus Ignatii.

In Galliis, civitate Arausica, Florentii episcopi qui multis virtutibus clarus, in pace quievit.

In Nicomedia Alexandri.

In Mauritania Nini, Victurii, Nobilitani, Mariani Lucii, Mittini, Crescentiani.

Item translatio corporis sancti, Galli et dedicatio opiparis (*b*) et decentissimæ basilicæ ipsius, quæ inter duos montes Sirium et Walthrammesberch constructa est, a meridie habens fluvium Stenaha, ab aquilone fluvium Nigraha. Quia locus ex ipsius beati nomine sancti Galli monasterium cognominatur. Ubi Domino virtutum ejus merita declarante,

(*a*) Omnia ex Walafrido Strabono desumpta.

(*b*) *Opiparæ*, id est maximis sumptibus exstructæ,

cæci illuminantur, surdis auditus tribuitur, mancis operari conceditur, muti linguarum laxatione gratulantur, claudis gressus diriguntur, energumeni a spiritibus nequam liberantur : clinici atque contracti, indepta gratis sanitate, eriguntur, dolor dentium medicina trabis compescitur, reliquarum etiam infirmitatum exinanitio ibidem efficitur.

XV Kal. Novemb. — Sancti Lucæ historiographi et evangelistæ, cujus vitæ conversationem, officii professionem, finis qualitatem, in Epistola Pauli, in Actibus apostolorum, in Evangelii sui proœmio reperies.

Romæ Tryphoniæ uxoris Decii imperatoris, quæ post interfectionem Callixti et Laurentii, divinitus punito marito suo, aquam baptismatis cum filia Decii Cyrilla suscepit, et alia die defuncta est.

Eodem die Asclepiadis Antiocheni episcopi et martyris sub Decio imperatore.

XIV Kal. Novemb. — Apud Antiochiam Syriæ natalis sancti Beronici, Pelagiæ et aliorum quinquaginta novem. Quæ Pelagia primo fuit sub gentilitatis ritu meretrix, postea per gratiam Dei et sancti Dei Nonni episcopi dogma ad fidem Christi conversa et baptizata, omnia sua pauperibus erogavit, et in monte Oliveti Antiochiam deserens, in loco ubi Dominus cœlum ascendit parvulam sibi cellam construxit, et sub virili habitu ac monastica conversatione, præsentem vitam finivit.

Eodem die beatorum martyrum, Tholomei [Ptolomæi] et Lucii. Qui Tholomeus post vincula et carcerem, quibus a centurione propter divini nominis confessionem cruciatus est, judici Urbicio præsentatus, denuo ab illo de cultura examinatus est. Cui Tholomeus : « Qui negat, inquit, quod est, sine dubio culpabile judicat esse quod negat. » Continuo duci ab Urbicio jubetur. Quod videns Lucius quidam Christianus, dixit ad judicem : « Cur, inquit, hic homo, nullius criminis accusatus, sed sola professione Christianitatis, duci jubetur ad mortem ? » Cui Urbicius ait : « Ut video, et tu Christianus es ? » Quo confitente, jussus est et ipse interfici. Sed et tertius quidam ejusdem rei causa simul punitus est. Passi sunt sub Antonino hi martyres, Alexandriæ sepulti sunt.

In Galliis civitate Aginno [Agenno] Caprasii martyris. Qui persecutionem fugiens in spelunca delituit : audiens autem beatam virginem Fidem pro Christo agonizare, et ipse animatus martyrii indeptus est palmam.

XIII Kal. Novemb. — Apud Nicomediam sanctorum martyrum Dasii, Zotici, Gagii [Caii] cum aliis duodecim millibus.

Item Simplicii cujus vita probabilis fuit multis causa salutis, ita ut tria millia hominum baptizatorum gremio matris Ecclesiæ susciperentur.

Eodem die Patris nostri Hilarionis cujus vitam virtutibus plenam scripsit Hieronymus. Qui vitam in omni ducens labore, cum sibi finem appropinquare agnovisset, nec jam præter sensum quidquam in se vivi hominis remaneret, apertis oculis dixit : « Egredere, egredere, anima, quid times ? quid dubitas ? septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem formidas ? « In hæc verba exhalavit spiritum.

Ipsa die sancti Asterii presbyteri, sancti Callixti, qui cum corpus patris elevatum de puteo sepelivisset, præcepit eum Alexander per pontem præcipitari.

Item translatio beati Viatoris in eremo, comitis sancti Justi.

XII Kal. Novemb. — Hierosolymis Marci, qui primus ibidem ex gentibus episcopatum tenuit, et martyrio consummatus est.

Item beatæ Salomæ, quæ cum reliquis mulieribus circa Domini sepulturam erat sollicita.

Apud Thraciam in Adrianopoli, sanctorum Philippi episcopi, Eusebii, Severi presbyteri, Hermetis diaconi. Qui ecclesias ab iniquis spoliari contradicentes, martyrio sunt coronati.

XI Kal. Novemb. — Apud Antiochiam Syriæ natalis Theodoriti [Theodori] presbyteri. Qui persecutione Juliani impii equuleo et lampadibus dire cruciatus est : millites autem illum torquentes ab aspectu angelico territi corruerunt in faciem, et crediderunt in Christum. Quos jussit tyrannus pelago immergi. Quibus beatus Theodoritus [Theodorus] ait : « Præcedite, fratres, ego quoque superans inimicum sequar ad Dominum, « sicque occisus gladio martyrium consummavit. Hic etiam prophetico spiritu interitum Juliani in Perside prædixit.

In Hispaniis Servandi et Germani. Qui post verbera et carcerem longissimum iter ferro onusti perfecerunt, et novissime amputatis capitibus passionem compleverunt.

X Kal. Novemb. — In Venusia, civitate Apuliæ, natalis sancti Felicis episcopi, Audactis [Audacti] et Januarii presbyterorum, Fortunati et Septimi lectorum. Qui temporibus Diocletiani in occisione gladii migraverunt.

Item Venantii abbatis, de quo scriptum est quod, adhuc in terris constitutus, missarum solemnia in cœlo consummari agnoverit ; et cum aliquando ad missas Dominica recitaretur oratio, audierit quemdam e tumulo sacerdoti respondentem : *Sed libera nos a malo.*

IX Kal. Novemb. — In Nicomedia natalis dies Severi et Dorothei.

In Cæsaræa Cappadociæ Longini, de quo postea.

VIII Kal. Novemb. — Romæ passio Chrysanthi et Dariæ, qui sub specie conjugii castitatem servaverunt perpetuam ; nam Chrysanthus Dariam a gentilitatis convertit errore, et sub Numeriano imperatore cum uxore et filiis post multa tormentorum genera in foveam demersi profundam, Deo animas reddiderunt.

In Galliis, civitate Suessionis, Crispinus et Crispinianus sub Maximiano et Diocletiano extensi sunt ad

trocleas, fustibus cæduntur, sudes unguibus eorum infiguntur, hiemis tempore molaribus collo eorum suspensis fluvio immerguntur, plumbo facto liquido, oleoque cum pice et adipe ferventi ingeruntur, sed de his omnibus divina liberatione eripiuntur. Quod cum videret tortor eorum Retiovapus [Rictiovarus] nullis eos lædi posse tormentis, se furens præcipitavit in ignem. Maximianus autem, audiens satellitis sui perditionem, eos gladio consummari præcepit.

Eodem die, Petragoricis civitate, sancti Frontonis. Qui a beato Petro apostolo episcopus ordinatus, cum Gregorio presbytero ad prædicationem Evangelii mittitur. Qui magnam civitatis gentem ad fidem et professionem Christi convertit, eumdemque comitem suum Gregorium, in itinere defunctum, superposito illi baculo apostoli Petri, resuscitavit a mortuis, et in pace quievit.

Item Romæ passio quadraginta sex militum, qui simul a papa Dionysio baptizati, jubente Claudio imperatore sunt decollati. Ibi sunt et alii martyres cum ipsis positi centum et viginti unus, inter quos sunt illi quatuor, Theodosius, Lucius, Marcus, Parus [Petrus].

Item Bonifacii papæ, qui constituit servum clericum non fieri nec obnoxium curiæ.

VII Kal. Novemb. — Apud Africam sanctorum martyrum Rogatiani presbyteri ei Felicissimi, qu-passi sunt sub Decio et Valeriano.

Eodem die sanctorum episcoporum Vedasti ei Amandi. Qui Vedastus in oppido Tullensi officio funt gebatur presbyteri, sed postquam rex Clodovæus victor Alamannorum effectus est, memor voti quo se in neccessitate pugnæ constrixit, beatum Vedastum de Tull secum ducens, baptismi gratia ad sanctum Remigium civitatem Rhemensium properavit.

Reliqua desiderantur.

B. NOTKERI BALBULI
S. GALLI MONACHI
EPISTOLA AD RUODPERTUM
De obtrectationis crimine se purgat.

(Apud Pezium, Thesaurus Anecdot. novissimus, tom. VI,)

Fratri Ruodperto Notker de exsilio.

Vix mihi es notus, et miror quare jam sis in me commotus. Invictum animum contra iracundiam geri oportuit, non temere concitari in quoquam. Scriptum est in Evangelio*: qui irascitur fratri suo sine causa, reus est judicio* (*Matth.* v). Enimvero per fidem, quæ est in dilectione, nunquam ego conatus sum famam tuam lædere, vel eorum qui tecum sunt fratrum insipientiæ notare, quemadmodum per Kazilinum presbyterum minaciter objeceras. Alioquin gloriæ vestræ cum derogarem, me ipsum facerem inglorium. Cupio enim per fraternitatem una vobiscum et ego regnare, si tamen regnatis. Quod, mihi si vis credere, gaudeo propter te quod non sinistræ famæ potius aurem aperias. Sin autem: accersito forsitan impostore illo, nescio quo, qui zizania seminavit. Ivit, inquies, in inficias, quem dudum accusaveras. Et ille si perseveraverit mentiens, nec confitebitur mendacia, jam conjecturis res agenda est, dum non conceditur factum. Trahendum est argumentum ex omnibus attributis personæ et negotio, animi impulsione et ratiocinatione, honestatis partibus et utilitatis. Difficile est ergo sine his locis ambiguum quid discernere. Iste est ille status rationalis per quem maxime forus [*ita cod. pro* forum] personat, surgunt acerrima bella, animositates partium criminante Catone, defensante Quintiliano. Per hunc me et ego coram purgare statui pro insimulato quod argueras. Si tamen optio datur, et ignotus ignoto si suadere quid poterit, confido quia apud te excusatus ero. Interim abstineto irarum. Utique sic videris mihi sapiens, si virtutis sectator.

B. NOTKERI BALBULI
S. GALLI MONACHI
FORMULÆ

(Apud Neugart., Codex diplomaticus Alemaniæ, tom, I, *passim.*)

I.

Traditio Willihere.

(*Anno* 855 *vel* 60.)

Ego in Dei nomine Willihere, trado ad cœnobium sancti Galli, cui venerabilis abba Grimaldus præesse dignoscitur, unam hobam in silva, quæ adjacet Werimbretiscella(*a*), — Actum in Viskingun (*b*) publice, præsentibus istis quorum hic signacula continentur.

(*a*) Zell, quo nomine plures appellantur vici in Argengovia.

(*b*) Fischen, unum in cap. rur. Lindav.. alterum in Stiefenhof.

Sig. Willigeri advocati. Sig. Heimo, † Sigifrid, † Egibert, † Ellinwart, † Ruadmunt, † Waldram, † Adalhelm, † Adalcoz. Ego itaque Notger [Notker] in vice Irfingi scripsi et subscripsi. Notavi diem VIII Kal., oct., II feriam, anno XXI (*a*) Ludovici regis, sub Huodalrico comite (*b*).

II.
PRECARIA BEREFRIDI.
(*Anno* 858).

Christi igitur favente clementia placuit mihi Grimaldo abbati cæterisque fratribus, consentiente etiam Ruadberto advocato nostro, ut res, quas Pereurid (*c*) ad sanctum Gallum tradidit, per hanc precariam juxta traditionem legitime ab ipso peractam possidere. Idem namque Percurid tradidit quidquid proprietatis habuit in pago Zurichuaënse, villa nomine Pichilinchova (*d*), excepto uno prato inter Parachstetin(*e*)et Heremuntinchouun (*f*): alia omnia tradidit cum omni integritate ad jam dictum monasterium: ea videlicet ratione, ut ille ipse easdem res possideret, annisque singulis censum inde persolveret. — Ipse vero Perevrid si easdem res redimere voluisset, cum sex denariis id faceret. — Actum in villa Pichilinchova publice, præsentibus istis, quorum hic signacula continentur. † Signum Grimaldi abbatis. Signum Hartmoti decani. Signum Engilrammi portarii. Signum Cozberti præpositi. Signum Selbonis, etc. Ego itaque Notger [Notker] scripsi et subscripsi. Notavi diem II feria, IV Kal. Septemb., anno XIX (*g*) regni Ludovici regis, sub Kerolto comite (*h*).

III.
TRADITIO HILTIBERTI.
(*Anno* 864.)

Ego Hiltibert trado ad monasterium sancti Galli quidquid proprietatis in Zurichgewe, in loco qui et in Huson (*i*) dicitur, hæreditario jure possideo. Ea ratione, ut ego ad ipsum monasterium vadam, et ibidem dies vitæ meæ ducam, et omnis mea proprietas statim ad idem monasterium revertatur in ævum possidenda; et filiabus filiæ meæ Liutsindæ et Engilsindæ XXXIII jugera in Turbattale(*j*) ab ipso
A monasterio sub censu IV den. dentur, ut ipsæ sub legitima eorum procreatio eam in ævum possideant. Hoc autem notum esse posteris volo, quod ipsæ neptes meæ postea sua sponte per manum patris sui Elelandi eadem XXXIII jugera ad monasterium reddiderunt. — Actum in Richombach (*k*) publice, præsentibus istis, quorum hic signacula continentur. Signum Elelandi et filiarum ejus, qui de ipsis rebus, quas eis Hildebert de ipso monasterio acquisivit, hanc venditionem et conventionem perpetrarunt. Sign. Grimaldi abbatis et advocati ejus Amalungi, et aliorum testium, † Linco, † Adalbert, † Erchanbert, † Paldolt, † Hadabert, † Cozolt, † Winidhere, † Anzo, † Erchanbold, † Waldhere, † Pato, † Reginbold, † Wido, † Ruadho, † Lantpert, †
B Adalbert, † Waffo, † Adanert, † Thancpert, † Reginker, † Pato, † Reginbert. Ego itaque Notker vice Folchardi præpositi scripsi et suscripsi. Notavi diem sextam feriam, IV Non. Jun. anno XXIX (*l*) regni Ludovici, sub Adalberto comite.

IV.
TRADITIO LANDELOHI.
(*Anno* 870.)

Ego in Dei omnipotentis nomine Landeloh (*m*) cogitans pro remedio animæ meæ, progenitorumque meorum, trado ad monasterium sancti Galli, cui modo venerabilis abba Grimaldus præesse dignoscitur, basilicam meam in Hoinga (*n*), et acquisitionem meam in Tellinghovon (*o*), et quidquid eis Lindimacum (*p*) in Zurichgewe habeo, excepta acquisitione mea in Wirchilleozha (*q*). Ea tamen pactione hæc
C trado, ut diebus vitæ meæ ea possideam, et censum inde annis singulis unum solidum persolvam. Et insuper ipsius monasterii rectores, quousque vixero, mihi concedant res suas in beneficium, hoc est, curtem in Wurmherresbach (*r*); et in Burge (*s*) duas hobas, in Waganon (*t*) unam, et in Enstelingon (*u*) unam, et in Affaltrahe (*v*) unam, et in Reganesdorf (*x*) unam. Et si mater mea, et presbyter meus Williboldus me supervixerint, cæteris monasterii rebus ad rectores suos redeuntibus, mater mea illam in Affaltrahe habeat, et censum unum solidum

(*a*) Litt. Dom. F vel GF, atque adeo epocha an. 835 aut 40.

(*b*) Argengoviæ.

(*c*) Berefridi chartam traditionis exhibet Goldastus n. 52: precariam vero integram n. 72.

(*d*) Forte Büelhof, cujus nomine tres villæ exstant in comit. Kiburg.

(*e*) Hod. Bartstock, ut puto, in dynastia Grüningensi dit. Turic.

(*f*) Hermikon ad Glattam fl.

(*g*) Lit. Dom. B.

(*h*) Ap. Gold. vitiose Karolus: præfuit Keroltus Zurichgoviæ.

(*i*) Hausen, vicus cum parochia in dynastia Knonau, dit. Turic.

(*j*) Turbenthal vicus insignis in comit. Kyburg.

(*k*) Rickenbach prope oppidum Wyl dit. S. G.

(*l*) Epocha an. 835, litt. Dom. BA.

(*m*) Landelohum P. Heregott, n. 70, dynastis ac nobilibus ascribit. Pluribus vero de eodem agit Proleg. IV, n. 8, 9, ad Geneal, diplom. Gentis Habsburg. Ekkehardus jun. De Cas. S. G., c. 1. Landelohum Treverensem archiepiscopum, cognominis vero auctor, Minimus simul dictus, in Vita Notkeri Balbuli c. 12, Darviensem episcopum fuisse narrat.

D (*n*) Hoeng horæ spatio infra Turicum.

(*o*) Dællicken in præfectura Reginstorf dic. Turic.

(*p*) Liddemagus, *die Limmat*, fl. qui Turicum in majorem minoremque civitatem dividit.

(*q*) Würenlos parochia in comitatu Badensi, inter Turicum et Badenam.

(*r*) Wurmspach ad dextrum littus lacus Turic. supra Rapperswillam, ubi nunc parthenon ord. Cist.

(*s*) Burg in dynastia Uznach in iisdem confiniis, vel in parochia Durnten præfecturæ Gruning. dit. Turic.

(*t*) Wagen parochiæ Ionen prope Rapperswilam.

(*u*) Engstlingen, Engstringen, Eystringen inter Hœng et Weiningen.

(*v*) Affeltrangen parochiæ Hinnwil præf. Gruning. vel Affoltern parochiæ Regenstorf. Prius ex etymologia, posterius ex situ facilius intelligitur.

(*x*) Regenstorf infra Turicum.

reddat. Illam vero hobam in Enstelingon presbyter Willeboldus cum basilica in Hoinga dies vitæ suæ sub censu unius solidi possideat. Illis autem defunctis, omnia quæ in Zurichgewe juris mei fuerunt, excepta, ut dictum est, acquisitione mea in Wirchilleozha rectores monasterii sancti Galli sibi vindicent. Hoc tantum observato, ut nulli unquam in beneficium præstentur ipsæ res, et mancipia, quæ tunc ibidem fuerint inventa, sive intra curtem, sive in hobis, ad monasterium redeant. Ne quod autem scrupulum de supradicto censu nascatur, unum tantum solidum et pro meis rebus, et in beneficum a prædicta monasterio mihi præstitis reddere debeo. Similiter et mater mea pro meis possessionibus, ex supradicta hoba in Affaltrahe unum tantum solidum reddat, et Williboldus unum. Si quis vero hujus chartæ contradictor emerserit, ad ærarium regis auri uncias tres, argenti pondera quinque coactus persolvat, et hæc traditio nihilominus firma et stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in Hoinga, præsentibus quorum hic signacula continentur. Signum Landelohi et advocati ejus Oadalhardi, qui hanc traditionem fecerunt, et aliorum testium, † Ruochere, † Herbreht, Wolfhere, † Perichker, Landolt, Heitar, † Adalbreht, † Adalbern, † Otto, † Reginger, † Egino, † Wolfhere, † Wolfhart, † Ratker, † Hupreht, † Waning, † Cozhelm, † Adalhelm, † Oadat, † Undolf. Ego itaque Notker scripsi et subscripsi. Notavi diem quartam feriam, IV Id. Febr., anno XXX (*a*) regni Ludovici, seu Ruodolfo comite (*b*).

V

TRADITIO WILLIBOLDI.

(*Anno* 875).

Ego Willebold senio meo providens, et ei, quæ illud comitari solet, penuriæ, trado ad monasterium sancti Galli, cui modo venerabilis abba Hartmotus (*c*) præest, terrulam meam quam habeo in Uzomvilare (*d*), hoc est, XX jugera. Eo pacto, ut ipsa terrula ad domum peregrinorum serviat, et ego ibi in domum hospitum suscipiar, et usque ad finem vitæ meæ ibi victum et vestitum habeam, sicut primus illorum juniorum : hoc est, omnibus annis unum vestimentum lineum, el aliud laneum, et tertio anno pallium, si vetus ita attritum est, et calciamenta et alias impensas accipiam, sicut cæteri in ipso monasterio. Et hoc volo, ut ipsa possessiuncula nulli unquam in beneficium præstetur. Quod si factum fuerit, ut ille ager ab hospitali tollatur, et ego ibi victualia non habeam, utunc mea mihi absque illius contradictione vindicem. Actum in ipso monasterio, præsentibus quorum hic signa continentur. Sig. Engelrammi hospitarii (*e*) Sig. Heitarii centurionis, et aliorum testium : † Wilhere, † Waldpert, † Hartman, † Richpert, † Thancpert, † Ruodpert. Ego itaque Notker ad vicem Winidharii monachi scripsi et subscripsi. Notavi diem Dominicum XVI Kal. Jun., annum XXXIII (*f*) regni Ludovici junioris, sub Adalberto comite Durgaugensi.

VI

CONCAMBIUM HUGPERTI.

(*Anno* 882.)

Ego Hugpreht providens paupertati et opportunitati meæ, trado ad monasterium sancti Galli in Zuricghowe, in loco qui dicitur Eskinghowa (*g*) ad curtem Linthowa (*h*) pertinente, IX juchos de terra statim in jus monasterii redigendos : et accepi inde alios IX in Durgowe, in loco qui dicitur Eilickewe (*i*) ea ratione, ut dies vitæ meæ terram sub censu unius denarii possideam, similiter et uxor mea post me : et post obitum nostrum in jus monasterii revocetur. Actum in Cella (*j*), id. Febr. anno imperii Caroli secundi II (*k*), Adalberto comite in Durgowe. Et hi sunt testes, Othere, Buozo, Zuozo, Maganloh, Cozolt, Echanolt, Eburhart, Rathere, Vodalhart, Hildibold, Adalung, Richgowo. Ego Notker jussus descripsi.

VII.

PRECARIA EJUSDEM HUGPERTI.

(*Anno* 882.)

Ego Hartmotus gratia Dei abbas monasterii S. Galli, cum manu advocati mei Cozolti accepi a quodam homine, nomine Hugperto, in Zuricgowe, in loco qui dicitur Eskinhova, ad curtem Lintowa pertinente, IX juchos de terra, statim in jus monasterii redigendos ; et dedi alios IX juchos in Durgowe, in loco qui dicitur Elickewe. Ea ratione ut dies vitæ suæ eamdem terram sub censu unius denarii possideat, similiter et uxor ejus post eum : et post eorum obitum in jus monasterii revocetur. Actum in Cella, id. Febr. anno imperii Caroli secundi II, Adalberto comite in Durgowe. Et hi sunt testes :

(*a*) Ep. an. 840. Lit. Dom. A.
(*b*) Rudolfus. com. Zurichgoviæ.
(*c*) Hartmotus S. Galli decanus, et abbatis vices gerens usque ad 13 Junii a. 872. « Grimaldus abbas, inquit Ratpertus De Cas. S. G., c. 9, omnia monasterii negotia Hartmoto commendans, ipse securus regali se frequentabat exhibere præsentiæ. »
(*d*) Uzweil in comit. Toggenburg.
(*e*) Hospitarius solus inter monachos S. Galli chartam signavit, quod redditus legati ad ipsius curam unice spectabant.
(*f*) Annus XXXIII Ludovici Germanici ab anno 840 productus currebat adhuc mense Maio an. 873 lit. Dom. D.
(*g*) Eschicken villa in comit. Kyburg.
(*h*) Lindau vicus, ad cujus parochiam hodieque spectat Eschicken, non confundentus cum Lindavia urbe imperiali in lacum Brigantino, quam hic intelligendam existimavit Vadianus l. c. et post illum Ern. Tentzelius, disputationis fervore eo abreptus, ut Lindaviensem urbem Turgoviæ ascribere minime vereretur (*Hist. Vindic*. p. 216). Cf. ib. p. 264. Sed nec patrodis diplomatis Lindaviensis favere hanc chartam, ex situ locorum et nomine Adalberti comitis mihi persuasum habeo.
(*i*) Elig. in comit. Kyburg.
(*j*) Zell ib. ad dextram Tosæ.
(*k*) Carolum Crassum secundum appellat scriptor, quod Carolo Calvo ejus patruo nihil juris fuerit in Alemanniam.

Othere, item Othere, Buozo, Adalram, Zuozo, Maganloh, Cozolt, Erchanolt, Richart, Eburhart, Rathere, Vodalhart, Gebehart, Hildibold, Adalung, Richgowo. Ego itaque Notker jussus descripsi.

VIII,

PRECARIA WOLFHARII.

(*Anno* 904.)

Ego Salomon ordinatione divina episcopus, atque abbas manasterii sancti Galli, decrevi cum consensu eorumdem fratrum, et manu advocati mei Witonis, res, quas nobis Wolfhere tradidit, ei per hanc precariam repræstare. Tradidit autem nobis idem Wolfhere quidquid proprietatis in Ringowe, in loco qui dicitur Farniwang (*a*), et in omni illa marcha circumcirca habuit, vineis, agris, pratis, silvis propriis, et usu communium, pascuis et paludibus, alpibusque, B aquis, aquarumque decursibus, atque usibus, ædificiis quoque multiplicibus, et quidquid in Durgowe, in loco qui dicitur Yzzonwilare (*b*), et in omnibus ejus confiniis, a potentibus hominibus, et legitimis hæredibus accepit, aut omnimoda sagacitate et industria acquisivit. Eo pacto, ut pro his rebus villam, quæ dicitur Liubmanni (*c*), et possessinculam, quæ dicitur Willoboldi fabri, et aliam juxta Roccowilare (*d*), diebus vitæ suæ sub censu unius denarii possideat. Sed et illa sua pariter retineat, donec juxta voluntatem rectorum ejusdem monasterii, et misericordiam Dei, eidem congregationi conectatur. Post ejus vero obitum, aut sæculi contemptum, compar illius Hiddruda, et filius ipsius Wolfthrige beneficiolum illud in Liubmanneswilare, C et possessiunculam Willoboldi, et illam in Rocconwilare, diebus tantum vitæ suæ possideant sub censu duorum denariorum. Post illorum vero obitum cuncta illa redeant ad monasterium. Sed et duo oratoriola, in Berge (*e*) scilicet et Steinalum (*f*) ea conditione suscepit, in missarum ac psalmodiæ celebratione, atque luminarium sumministratione curanda, ut annuatim illi a Decano ipsius monasterii dentur porci saginati tres, et quatuor carradæ de grano, duæ de siligine, duæ de avena; et ea cuncta, A quæ ipse de suo tradidit, cum ipsis oratoriis post ipsius obitum, aut a se sæculum relictum, in utilitatem fratrum redigantur. Unam vero hobam in Farniwang, et mancipiola sua, cum varia supellectile extra banc traditionem reliquit, propter quamdam necessariam propinquam suam. Si quis vero contra hanc precariam venire et eam infringere conatus fuerit, ad fiscum regis auri uncias III, argenti libras VI coactus persolvat, et hæc precaria nihilominus firma et stabilis permaneat. Actum in Heninowa (*g*), in basilica publice, præsentibus quorum hic signa continentur. Sig. Salomonis episcopi et advocati ejus Witonis. Sig. Folchardi decani, Otwini secratarii, Beronis præpositi, Winidharii portarii, Engelberti camerarii. Sig. Wolfharii, et advocati ejus Otharii, per cujus manum ipsam traditionem perfecit. Sig. Vodalrichi, Eskerichi, Richlozi, Arolfi, Immonis, Wettini, Eolchardi, Hadomari, Cozberti, Adalrammi, Wacharii, Wolfhardi, Ellenbaldi, Adalberti, Zullingi, Ratpoti, Hildiberti, Adalberti, Buozonis, Willohelmi. Ego itaque Notker indignus monachus et hospitarius S. Galli rogatus scripsi. Notavi diem, IV fer. XII (*h*) Kal. Oct. annum V regni....

IX.

TRADITIO NANDOLF..

(*Anno* 909.)

In Dei omnipotentis nomine. Ego Nandolf trado ad monasterium S. Galli, ubi modo venerabilis Salomon abba præesse dignoscitur, quidquid proprietatis in Cozzosowarro marcho, in villa Adelineswilare (*i*) hodierna die visus sum possidere. Actum in Herinesowa. Signum ipsius Nandolfi, qui hanc traditionem manu sua fecit. Signa et aliorum testium, Thiotpert, Puoto, Wolfhart, Winerat, Adalram, Waldo, item Wolfhart, Wito, Thietrich, Waldram, Albgoz. Ego Notker indignus monachus ad vicem præpositi Cozolti, qui hanc traditionem manu sua suscepit, præsente advocato suo Amalungo, scripsi et subscripsi. Notavi diem, III fer. XV Kal. August. (*j*), anno XVII (*k*) regis. sub Adalberto comite.

(*a*) Hujus nominis locum in Rhingovia circa Rhenum supra Brigantium non invenio. Exstat vero Farwangen in antiqua Argovia et editione Bernatum prope lacum Hallwilensem.

(*b*) Utzweil.

(*c*) I. e. Liubmanneswilare, ut sequitur; hod. Lemenschweil, seu Lœmenschweil.

(*d*) Roggweil.

(*e*) Berg.

(*f*) Steinach. Singula in Turgovia.

(*g*) Hennau in comit. Toggenburg.

(*h*) Leg. XIII Kal. Octob., quæ erat feria IV an. 904, Ludovici infantis quinto, lit. Dom. AG.

(*i*) In finibus Gossaviæ nullum locum reperi qui nostro similis sit, nisi Anweil seu Andwyl.

D (*j*) Lit. Dom. A.

(*k*) Leg. X vel XIII.

NOTKERI DE MUSICA.

(Apud D. Gerbert., Scriptores de Musica, tom. I.)

MONITUM.

Notkeri Balbuli explanationem *quid singulæ in superscriptione significent litteræ*, post Canisium Lect. ant. t. II, p. III, p. [illegible], ed. Basnag. dedimus. Ejusdem an alterius Notkeri, *Labeonis* nempe videtur esse opusculum theotiscum de musica, quod ex ms. San-Gallensi sæc. circiter XI edimus, addita interpretatione Latina.

Apud eumdem Canisium l. c. p. 190. Clar. P. Jodocus Mezler, monasterii S. Galli professus et SS. Canonum doctor, testatur quod Notkerus Balbulus dilucidaverit « amico cuidam litteras alphabeti, quas quibusdam notulis antiphonarum attinxerat Romanus quidam (a), qui ab Adriano papa ad instantiam Caroli Magni cantor ecclesias Galliarum in cantu ad primævum morem Gregorianum reducebat aberrantes. » Ibidem Notkerus Balbulus scripsisse fertur de Musica et Symphonia librum unum. Quod tamen haud puto esse theotiscum illud opusculum de musica, quale hic exhibemus; sed alteri potius Notkero, ut jam monuimus, dicto tertio vel *Labeoni*, itidem San-Gallensi monacho, videtur adscribendum : cujus varia opera in lingua veteri theotisca exarata exhibet Schilterus t. I Thesauri Antiquit. Teuton. qualia a Balbulo elaborata esse nuspiam me legissse memini.

(a) De hoc egimus Mus. Eccles. T. I, pag. 274.

QUOD SINGULÆ LITTERÆ IN SUPERSCRIPTIONE SIGNIFICENT CANTILENÆ.

NOTKER LAMBERTO fratri salutem.

Quid singulæ litteræ in superscriptione significent cantilenæ, prout potui juxta tuam petitionem explanare curavi.

A, ut altius elevetur, admonet.

B, secundum litteras, quibus adjungitur, ut bene, multum extollatur, vel gravetur, sive teneatur, belgicat.

C, ut cito, vel celeriter dicatur, certificat.

D, ut deprimatur, demonstrat.

E, ut æqualiter sonetur, eloquitur.

F, ut cum fragore seu frendore feriatur, flagitat.

G, ut in gutture gradatim garruletur, genuine gratulatur.

H, ut tantum in scriptura aspirat, ita et in nota idipsum habitat.

I, jusum vel inferius insinuat, gratitudinemque pro g. interdum indicat.

K, licet apud Latinos nihil valeat, apud nos tamen Alemannos pro χ Græca positum chlenige, id est, clange, clamitat.

L, levare lætatur.

M, mediocriter, melodiam, moderari, mendicando, memorat.

N, notare, hoc est, noscitare, notificat.

A O, figuram sui in ore cantantis ordinat.

P, pressionem, vel prensionem prædicat.

Q, in significationibus notarum cur quæratur? cum etiam in verbis ad nihil aliud scribatur, nisi ut sequens V vim suam amittere quæritur.

R, rectitudinem vel rasuram non abolitionis, sed crispationis rogitat.

S, susum vel sursum scandere, sibilat.

T, trahere vel tenere debere, testatur.

V, licet amissa in sua, veluti valde Vau Græca, vel Hebræa, velificat.

X, quamvis Latina verba per se inchoet, tamen exspectare expetit.

Y, apud Latinos nihil hymnizat.

Z, vero licet et ipsa mere Græca, et ob id haud necessaria Romanis, propter predictam tamen. R
B litteræ occupationem ad alia requirere. In sua lingua, zitise require.

Ubicunque autem duæ, vel tres, aut plures litteræ ponuntur in uno loco, ex superiore interpretatione, maximeque illa, quam de B dixi, quid sibi velint, facile poterit adverti. Salutant te Ellinici fratres; monentes te fieri de ratione embolismi triennis, ut absque errore gnarus esse valeas biennis contempto pretio divitiarum Xerxis.

DE OCTO TONIS.

TEXTUS THEOTISCUS.

C Yuuizin darmite. daz an demo sange dero stimmo echort siben uuehsela sint. die Virgilius heizet septem discrimina vocum unde diu ahtoda in qualitate diuselba ist. so diu crista. fone diu sint andero lirun. unde andero (a) rotun io siben sieten. unde sibene gelicho geuuerbet. Pe diune gat ouh andero organum. daz alphabetum nieht furder. ane ze siben buohstaben dien eristen. A B C D E F G. Tero sibeno sint fiere. ih meino. B C D E. allero sango uzlaza. Tiu des eristen toni. unde des anderen sint tiu habent uzlaz an demo B. Tiu des tritten. unde des fierden sint. an demo C. Tiu des finften unde des sehsten. an demo D. Tiu des sibenden unde des ahtoden. an demo E. Undeuuanda sangolih uuallon mag fone sinemo uzlaze nider. unz zedemo finften buohstabe. unde uf unz ze demo niunden. so daz iz
D trizene uberloufe. also diu antiphona tuot an demo eristen tono Cum fabricator mundi. bediu sint obenan zu zesezzenne. des kemachen alphabeti sehse die eristen A B C D E F. unde nidenan dri die afte.

(a) Rota, vel Rocta, seu psalterium instrumentum musicum. Vid. Du Cange Glossar. med. Lat. V *Rocta*, Item de Cantu et Mus. S. t. II, p. 165.

INTERPRETATIO LATINA.

Sciendum itaque, quod in cantu tonorum septem duntaxat mutationes sint, quas Virgilius dicit : *Septem discrimina vocum;* et octava in qualitate eadem est, quæ prima. Propterea in lyra et in psalterio septem semper chordæ sunt, cæque æqualiter factæ. In his aliisque instrumentis alphabetum ulterius haud procedit, quam ad primas septem litteras A B C D E F G. Ex septem his quatuor sunt, nempe B C D E, in quas omnis cantus desinit : qui primi et secundi toni est, desinit in B; qui tertii et quarti, in C; qui quinti et sexti, in D; qui septimi et octavi, in E. Quod si cantus descendere velit a sua conclusione deorsum usque ad quintam litteram, vel sursum ascendere usque ad nonam, ita ut tredecim superet, sicut fit in antiphona *Cum fabricator mundi* in primo tono : tunc superius apponendæ sunt dicti alphabeti sex primæ litteræ A B C D E F et inferius tres ultimæ E F G, tunc sexdecim sunt : quem-

rosten. E F G. Tanne sint iro sehszene. so uuio dien alten musicis finfzen buohstabo. unde finfzen seiton gnuoge duohti. Unde sie uuoltin daz tiu cithara so manige seiten habeti. unzter oberosto demo niderosten in chade in quadruplo. Taz ist tiu meista proportio. unde meista simphonia. diu bis diapason heizet. diu fone anderen simphoniis bestat. uuanda diatesseron unde diapente machont ein diapason. so aber diatesseron unde diapente daz kemacha diapason. So danne zuei, diapason ein bisdiapason. fone diu uuerdent fier simphoniæ an ein ero funden.

A admodum veteribus musicis quindecim litteræ, te quindecim chordæ sufficere videbantur : et volebant, ut cithara totidem chordas haberet, usque dum suprema infimæ corresponderet in qnadruplo. Hæc est maxima proportio, et maxima symphonia, quæ bis diapason dicitur, atque ex aliis symphoniis constat. Diatessaron siquidem et Diapente efficiunt Diapason : sicut autem Diatessaron et Diapente Diapason faciunt, ita duæ Diapason bis Diapason constituunt : propterea quatuor symphoniæ in una reperiuntur.

DE TETRACHORDIS.

TEXTUS THEOTISCUS.

An dien finfzen seiton. zalton sie quatuor tetrachorda. An ahto seiton zuei disiuncta. an sibenen zuei coniuncta. daz chit zuei gezkeideniu. zuei ungeskeideniu. Uuanda aber nu einer zu getan ist. pediu sint siu alliu fieriu geskeiden. Unde daz niderosta heizet gravium. daz ander heizet fone allero sange uzlaze finale. daz tritta superiorum. daz fierda excellentium. Taz aber fure die sehszen seiten an dero lirun driostunt sibene sint. also ouh sumelichero organum driu alphabeta sint. daz ist umbe dia sempfti getan. daz man ana geleitem beiden handen. ufstigendo folle singen muge sangolih. unde oben anne gebreste. nohturft ne uuerde. dia hant ab demo oberosten alphabeto. Ze uuehselonne an daz niderosta. Tiu driu alphabeta sint tanne note so gelih. laz an iogelichemo si diapason. unde darana diatesseron, unde diapente, unde an diatesseron sin dri underlaza tonus tonus semitonium. unde an diapente fiere. tonus tonus semitonium tonus.

INTERPRETATIO LATINA.

In quindecim chordis numerabant quatuor tetra- B chorda, in octo chordis duo disjuncta, in septem duo conjuncta, hæc dicuntur duo discreta, duo indiscreta. Si autem unum tantum addatur, tunc sunt omnia quatuor discreta, et ultimum dicitur *gravium*, alterum propter omnium cantuum terminationes *finale*, tertium *superiorum*, et quartum *excellentium*. Quod autem pro sexdecim chordis in lyra ter septem, codemque modo in quibusdam instrumentis tria alphabeta sint ; id propter majorem facilitatem factum est, ut sine difficultate ambarum manuum ascendendo plenus cantus formari possit, et superius omnino necesse non sit mutare manus a supremo alphabeto ad infimum. Hinc tria alphabeta necessario ideo similia sunt, ut in quolibet sit Diapason, tum Diatessaron et Diapente. Et in Diatessaron C sunt tria cola, tonus, tonus, semitonium ; et in Diapente quatuor, tonus, tonus, semitonium, tonus.

DE OCTO MODIS.

TEXTUS THEOTISCUS.

Ter ouh tia lirum uuerbe. der uuerbe sia ze demo meze. daz sie uber dene tiu ne kelle. nob si fore flachize unlutreiste ne si. diu hohesta uuarba. unde diu niderosta. die sint fore un meze ungeza mestum. Bediu lobeton friges unde dores. tia metens kaft. tiu under dien zuein ist. Unde also dores uuolton eteuuaz naheren sin dero niderostum. danne dero oberostun. so uuolton friges eteuuaz naheren sin dero oberastun danne dero niderostun. die tuouuarba namot musica. nah tien selben gentibus dorium modum unde frigium. Under dien zuisken ist tonus. taz ist isto zueio underskeit. Obe frigio ist lidius. tero underskeit ist tonus. Obe lidio ist eines semitonii hohor mixolidius. unde obe domo hohor eines toni ypermixolidius. Noh tanne sint tri under dorio. Nideror eines semitonii ist ypolidius. under demo nideror eines toni ypofrigius. unde aber eines toni nideror ypoderius. taz ist ter niderosto fone demo ist hina uf ter ahtodo. unde der oberosto ypermixolius. An dien octo modis. ih meino ypodorio. ypofrigio. ypolidio. dorio. frigio lidio. mixolidio. ypermixolidio. sunt uns keougete octo species diapason simphoniæ. An dien uuir finden ufstigendo fone

INTERPRETATIO LATINA.

Qui autem lyram facit, eam ita mensuretur, ne propter majorem extensionem nimis sonora, nec ob minorem extensionem minus sonora sit ; chordæ enim nimis altæ et nimis depressæ propter mensuræ defectum omnium sunt ingratissimæ. Hinc Phryges Doresque laudabant medium, quod inter duo illa extrema est. Itaque Dores mallebant aliquantulum propinquare tomo infimo quam supremo ; Phryges vero aliquantidum proximiores esse volebant su- D premo quam infino. Duos hos modos Musica ex his ipsis gentibus dicit modum Dorium et Phrygium. Inter hos est tonus, qui est discrimen inter duos illos. Super Phrygium est Lydius, quorum discrimen tonus est. Super Lydium uno semitonio altior est mixolydius, et hoc altier uno tono hypermixolydius. Deinde tres sunt inferiores Dorio : inferior uno semitonio hypolydius est : hoc inferior uno tono hypophrygius ; et adhuc uno tono hypodorius. Hic est infimus, a quo ascendendo octavus et supremus est hypermixolydius. Ex his octo modis, puta hypodorio, hypophrygio, hypolydio, Dorio, Phryhio, Lydio, mixolydio hypermixolidio demonstratæ nobis sunt octo species diapason symphoniæ. In quibus reperi-

demo niderosten ze demo oberosten dise siben underskeita. tonum. tonum. semitonium. tonum. tonum. semitonium. tonum. Pediu liutet diu oberosta uuarba duplum gagen dero niderostun. Unde bediuternin. ube daz ypodorius modus ist. tanne uuir stillos anauahen zesingenne. unde ube ypofrigius ist. tanne uuir eines toni hohor anafahen. unde ypolidius tanne zueio. unde dorius tanne eines diatasseron. unde frigius tanne einss diapente hohor. unde ypermixolidius danne uuir folles diapason. ih menio zuiuaat hohor. daz uuir danne hohor anafahen ne mugen. uuanda ouh selbez taz sang. note stigen sol fone dero stete dar iz anagefangen uuirt. unz tara sin hobi gat. ih meino uuilon ioh ze demo ahtoden buchstabe. der zuiualt liutet. tanne der buohstab. ze demo iz anafieng. Mennisken stimma nemag fure fierualt nicht kereichet uuerden. Tiu fierualti ist so ze fermenne. also ih nu chad. taz fone demo eristen anafange in ypodorio. so B. ist. alde. C. zuiualt in ypermixolidio. unde aber dannam ze demo C. in ypermixolidio. unde aber dannam zuiualt hina uf ze sine ahtoden buohstabe der imo zuiualt. unde enemo fierualt liutet. Tar maht tu chisen. ube daz sang ferror stiget fone sinemo anafange. danne ze demo ahtoden buohstabe. so diu fore genamda antiphona tuoi. daz iz danne in permixolidio. ana zefahenne ne ist. uuanda an demo modo nioman uber drn ahtoden buobstab kestigenne mag. Aber an so uuelichemo buohstabe imo hoho anauahentomo gebristet. aba demo sturzeter note. an daz nidera alphabetum. ze demo selben buohstabe. also er ouh sar dannan. ube izimo penideret. uuidere uf kestepfen mag an daz obera. Anafahendo habet er geuualt erbeuenne so nidero. alde so hoho er uuile. aber so er erbeuet unde furder gerucchet. sone habet singendone bein geuualt. nideror alde hohor zefahenne. ana aba duplo in simplum. alde ab e simplo in duplum. also erchunnen magan demo monochordo. alde an dero organum. Ter die suegela mese der borgee desselben. des andero lirun ze borgenne Ist. uuanda ube die eristum zelang uuerdent. so sint sie selben unhelle. unde habent heisa utun. doh sub tie andere. sin lutreiste. Uuerdent sie aber ze churz. tannen sint die afterosten zechlei stimme. doh tie eristen gnuoz lutreiste sin. sone diu cheden daz einero elno langue suegela. fone dore zungun uf. an demo eristen buohstabe ze churz si. unde zueio langiu zelang si. unde aber under dien zuisken gagen andero halbero langiu gelimflih si. so habet tiu ahtoda ane halb dtametrum. einero elno dodrantem in lengi unde diu finftazenda mer danne trientem. daz chit den drittenteil einero elno.

A mus ascendendo ab infino ad supremum hæc septem discrimina: tonum, tonum, semitonium, tonum, tonum, semitonium, tonum. Ad hæc sonat supremus modus duplum respectu infimi. Porro ubi hypodorius modus est, tunc profundissime cantare incipimus; et ubi hypophrygius, tunc uno tono altius incipimus; et ubi hypolidius, duobus; et ubi Dorius, tunc uno diatessaron; et ubi Phrygius, tunc uno diapente altius; et ubi hypermixolydius, tunc plenum cantamus diapason, nempe duplo altius, ut altius deinceps incipere non possimus. Quod si etiam cantus ipse ascendere deberet a loco, ubi inchoatur quam altissime potest, quia nempe ad octavam litteram, quæ duplum sonat ejus litteræ, a qua inceperat, hominum vox per quadruplum passim pertingere non potest: ideo quadruplum ita accipien- B dum est, sicut nunc dixi, ut a primo initio in hypodorio, quod B. est vel C. duplum sit sursum usque ad B. vel C. in hypermixolydio, hinc vero duplum sursum ad octavam suam litteram, quæ huic duplum, et illi quadruplum sonat: tunc eligere potes, an cantus altius debeat ascendere ab initio quam ad octavam litteram, quemadmodum fit in prædicta antiphona. Ut adeo in hypermixolydio incipiendum non sit, cum in eo modo nemo supra octavam litteram ascendere possit: sed in quacunque littera altius ascendi non potest, ab illa littera necessario ad eamdem litteram alphabeti inferioris descendendum est. Sic quoque mox inde, ubi nimis descendit, iterum ad superius alphabetum ascendere potest. In incipiendo potestatem habet intonandi C tam profunde vel alte quam velit: ubi vero inceperit et perrexerit, cantans haud amplius sive profundius sive altius progredi potest, quam a duplo in simplum, vel a simplo in duplum, uti cognosci potest in monochordo vel in organo. Qui fistulam metitur, in ea evitet quod in lyra vitandum est: quia ubi primæ [*f* chordæ] nimis longæ fiunt, haud sonoræ sunt, tonumque raucum efficiunt, etiamsi alteræ sint sonoræ: si vero nimium breves fiant, infimæ tonum nimis exilem faciunt, etsi primæ satis sint sonoræ. De his dicitur, quod fistula longitudine unius ulnæ a labio ejus sursum in primam litteram nimis brevis sit, et duarum ulnarum nimis longa, sed inter binas has, quæ longitudine unius et dimidiæ sunt, congruæ sint. Sic habet octava pro dimi- D dia diametro unius ulnæ dodrantem in longitudine, et quintadecima plusquam trientem, quod facit tertiam partem unius ulnæ.

DE MENSURA FISTULARUM ORGANICARUM.

TEXTUS THEOTISCUS.

Sidtu nu becennest. uuio alle die suegela ein anderen encheden. Sone bedrieze dih ouh iro maza zelir nenne. Macha dia eristun so langa. so dar fore gesaget ist. ube du uullest. unde so uuita du uuel-

INTERPRETATIO LATINA.

Postquam cognovisti quomodo omnes fistulæ invicem sibi respondeant, jam mensuram earum etiam discere ne graveris. Fac primam tam, longam, uti ante dictum est, quam velis, tamque amplam, quam

lest. tero uuiti sulen sie alle sin. Unde miztia anderun bi dero eristum fus. sih ze erist uuio uuit si si. diu uuiti heizet diametrum.Tara nah la an dero eristum suegelun lengi. fore den ahtoden teil dero uuiti. unde teile sia dannan nider unz ze derozungun diu plectrum heizet. in niun teil eben micheliu. Dero niun teilo. gib ahto teil dero anderun. taz ist iro lengi. fone dero zungun ul. la dara nah fore an dero anderun suegelun lengi. zuene ahtoteila des diametri. unde teile daz ander aber also in niuniu. unde gib tero niuno ahtoteil. dero dtittun. daz ist iro lengi. fone dero zungun uf. Nim danne dia eristun. unde la fore an iro lengi den dritten teil des diametri. unde teile sia dannan niderunz ze dero zungun in fier teil. unde dero gib triu dero fierdun. taz ist iro lengi.unde tara gat distessaron.mit tono tono somitonio Unde fernim io ze io gelichemo. male. fone dero zungun uf.So nim aber dia eristun. unde la. an iro lengi fore den halben teil iro uuiti unde teila sia in driu teil. unde gib tero zuei dero finftun. Daz ist iro lengi. Nim daranah selbun dia finftun. unde la in iro lengi fore den ahtoden teil des diametri. unde teile daz ander in fieriu. unde gib tero driu dero sibendum.Tanne miz tia ahtodum bi dero eristun. la andero eristun fore. so uilo des diametri si.daz chit la fore alta dia uuiti.unde teile daz ander in zuei eben micheliu teil.unde gib einez tero ahtodun.daz ist iro lengi fone demo plectro uf. Unztara gat diapente.mit tono tono semitonio tono Taranah kib tia selbun maza dienanderen sibenen. tia du nah tero eristun dien ereren sibenin gabe.So habet tanne diu eristazuo lengi dero ahtodun.unde ein diametrum ubere.Unde so samo habet tiu ahtoda zuo lengi dero finftozendun. eunde ein diametrum ubere. Aber diu erista habet fier lengi dero finftozendun. Unde dara ubere triu diametra. Ulbe dih uuunder ist. zui iro driu sin. nalszuei. ih kibo dir is rationem.Uuanda so man an dero eristum fore lazet ein diametrum. unde si noh tanne dupla ist gagen dero ahtodun. diu iro simpla ist. unde aber dero lengi fore ferlazanemo diametro. halbiu uuirt tero finftozendun. so ist tero ahtodun note zuiualt, tane dero finftozendun, unde ein diametrum. unde dero eristun note fierualt.unde zuei diametra. ane daz erista diametrum. Uuile aber der organicus fure finzen. alde sehszen seiten buohstaba. folliu driu alphabeta machon. so sol er daz dritta mezen nah tien ereren zuein. also er daz ander maz nah temo eristen.

A placuerit:ejusdem amplitudinis omnes esse debent Metire reliquas ad mensuram primæ. Vide primo quam ampla sit ; amplitudo dicitur diameter.Dein relinque pro primæ fistulæ longitudine octavam partem ejusdem amplitudinis, et divide illam ab hinc deorsum usque ad labium,quod plectrum dicitur in novem partes æqualis magnitudinis, Harum novem partium ocio paries da secundæ. et hæc est longitudo ejus a labio sursum. Relinque dein pro secundæ fistulæ longitudine bis octo partes diametri,et divide reliquum denuo sic in novem, harumque novem octo partes da tertiæ;hæc est longitudo ejus, a labio sursum.Sume dein primam,et relinque pro ejus longitudine tertiam partem dimetri, et divide eam abhinc deorsum usque ad labium in

B quatuor partes et harum tres da quartæ : hæc est longitudo ejus,et huc convenit diatessaron cum tono, tono, semitonio ; et perge ita æquali modo a labio ejus sursum.Sume denuo primam,etrelinque proejus longitudine dimidiam partem ejusamplitudinis et divide eam in tres partes,et da harum duas quintæ : hæc est longitudo ejus. Sume dein eamdem quintam et relinque pro ejus longitudine octavam partem diametri reliquumque divide in quatuor et tribue ex his tria septimæ. Tunc metire octavam per primam : relinque in prima quantum diameter est,id est,relinque omnem amplitudinem et divide reliquum in duas ejusdem magnitudinis partes et da unam octavæ; hæc est longitudo ejus a plectro sursum. Usque huc it diapente cum tono tono,semitonio, tono.Tunc tribue eamdem mensu-

C ram reliquis septem quam post primam prioribus septem tribuisti. Habet itaque prima duas longitudines octavæ,cum una diametro supra ;et similiter habet octava duas longitudines decimæ quintæ, et unam diametrum supra.Prima vero quatuor longitudines habet decimæ quintæ, et insuper tres diametros. Si miraris, cur tres sint et non duo, ejus rationem accipe. Nam si in prima relinquatur una diameter, et ea tamen dupla est respectu octavæ, quæ ejus simpla est,ejus autem longitudo ante protensionem diametri dimidium fit decimæ quintæ ; tunc ejus octava necessario dupla est puta decima quinta. et una diameter, ejusque primu necessario quadrupla,et duæ diametri absque prima diametro Quod si velit organicus pro quindecim vel sexdecim

D chordarum litteris plena tria alphabeta facere. tunc metiatur tertium juxta duo priora,sicut secundum juxta primum metiebatur.

ANNO DOMINI DCCCCXII

HATTO
MOGUNTINUS ARCHIEPISCOPUS.

HATTONIS
EJUSQUE SUFFRAGANEORUM
EPISTOLA AD JOANNEM IX PAPAM.

De morte Arnulphi imperatoris, de Ludovico ejus filio septenni, rege Germaniæ salutato, de archiepiscopatu apud Moravos erecto.

(Apud Labb. Concil. general., tom. IX, col. 496).

Dommo sanctæ et apostolicæ et universalis Romanæ ecclesiæ papæ, Hatto indignus præsul Moguntinensis Ecclesiæ, cum universis suffraganeis nostræ exiguitati adjunctis, debitum orationis obsequium et fidelem servitutem.

Noverit igitur sublimitas vestræ sanctitatis: quod nulla fratrum unanimitas sanctæ Romanæ Ecclesiæ potestati subjecta, fidelior atque devotior ac subjectior apparet, quam nos, qui vestræ dominationi et capiti omnium Ecclesiarum omni mentis intentione subjicimur, plurimum gaudentes in Domino et in dono gratiæ ipsius quod per vestram sanctitatem et sapientiam magnifice et amplissime sedes ejusdem Ecclesiæ dilatatur in religione divina: et in hoc instantissime precibus incumbimus, deprecantes divinam clementiam, ut ad altiora semper conscendere vos, et de die in diem meliora sectari atque perficere concedat. De cætero vestræ clementiæ innotescimus, seniorem nostrum Arnulphum imperatorem de hujus vitæ exsilio migrasse(*a*). Sed quod quandiu in hoc mundo subsistimus per incerta ferimur, nescientes ubi quorumdam animæ post hanc lucem mansionem recipiant: vestri quasi provoluti vestigiis subnixe poscimus, ut animam ipsius vestræ auctoritatis potestate a vinculis peccatorum absolvatis, quia quæcumque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo (*Matth.* XVI). » Tali vero domino, rectore, et gubernatore amisso, in nostris partibus vacillavit navis Ecclesiæ. Quem regem eligeret parvo tempore inscia mansit: et quia timor magnus aderat, ne solidum regnum in partes se scinderet, divino, ut credimus, instinctu factum est, ut filius senioris nostri quamvis parvissimus, communi consilio principum et totius populi consensu in regem elevaretur. Et quia reges Francorum semper ex uno genere procedebant, maluimus pristinum morem servare quam nova institutione insidere. Sed cur hoc sine vestra jussione et permissione factum sit, vestram haud dubitamus latere prudentiam. Nulla scilicet alia causa actum constat, nisi quia paganis inter nos et vos consistentibus, impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram Romanam sedem: ita ut ne legati a nostra parvitate ad vestram dignitatem dirigi potuissent. Sed quia tandem occasio et tempus advenit quo nostra epistola vestris obtutibus præsentaretur, rogamus nostram communem constitutionem vestræ dominationis benedictione roborari.

Insuper etiam pietati vestræ intimamus quod fratres et coepiscopi nostri Bawarienses se apud nos conquerentes, et alta suspiria trahentes gemebant qualiter Maravenses populi Francorum potestati rebelles, jactent se ab illorum consortio esse divisos, et seorsum metropolitano glorientur a vestra concessione esse sublimatos, cum nunquam metropotana sedes inter illos haberetur, sed semper illorum provinciæ et diœcesi cohærerent. Dolebant se etiam apud nos, quod quorumdam machinatione, magna infamia circa vestram celsitudinem essent denotati, scilicet, ut cum paganis fœdus et pacem inirent, et ipsi pagani consilio eorum agerent tam multa nefaria et illicita. De his omnibus consilium a nobis quærentibus Bawariensibus episcopis, justum respondimus esse fratrum solatio semper adhærere.

(*a*) Arnulphus imperator, cujus hic obitus nuntiatur, mortuus est 20 Novembris, anno 899. Stephano VI pontifice. Non tamen ad eum, sed ad ejus successorem Joannem hæc scripta est epistola, quod facile intelligitur ex querela de Moravorum archiepiscopatu, quem a Joanne institutum esse præsens epistola declarat. Cur autem tam sero scribant hi episcopi, causam his ipsis in litteris afferunt, Cossart.

quia propheta inquit: « Ecce quam bonam et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXI). » Illi vero non in unum habitant, qui fratrum se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias præparant. Nos illorum tristitiæ compatientes, nolumus illis consilium de talibus objectionibus præbere, priusquam ad vestram interrogationem per epistolam nostram veniremus. Semper nos scimus carnales spiritales solere persequi, et malevolos benevolos infirmare et lacerare. Prævidere ergo summopere debent omnes qui sacerdotes Domini persequuntur tam occulte quam manifeste, ne ad illos pertineat quod Propheta dixit: « Cogitaverunt malitias in corde suo, tota die constituebant prælia; exacuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum (*Psal.* CXXXIX). » Et paulo post: « Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos (*ibid.*). » Et iterum: « Vir linguosus non dirigetur in terra; virum injustum mala capient in interitu (*ibid.*). » Et per Jeremiam inquit Dominus: « Omnes in sanguine judicantur, unusquisque proximum suum tribulat. Omnes in malum manus suas præparant. » Non debent enim alieni episcoporum aut accusatores aut judices fieri. Unde de Lot est scriptum: « Ingressus es ut advena, nunquid ut judices? (*Gen.* XIX.) » Accusator autem episcoporum nullus sit servus, aut libertus, nullaque persona suspecta aut infamis, repellantur inimici, et omnes laici. Isti fratres et coepiscopi nostri Bawarienses, veraces Dei cultores, et boni pastores, pervigili custodia custodiunt gregem sibi commissum, ne lupi rabies aliquam sancti gregis oviculam rapiat in prædam suam. Stant pro muro domus Israel, ne aliqua vis inimica firmamentum Ecclesiæ dissolvat. Qui tales inquietat, et sua malitia impugnat, licet præsentem, futuram tamen non evadet pœnam, quia scriptum est: « Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II). Hæc autem omnia perscripta vobis ideo dirigimus, qui estis caput totius sanctæ Ecclesiæ, quæcunque per orbem diffunditur, et solamen mærentium, quæcunque tristia vobis contigerunt membris vestris: quia sanctissimi pastores Christi superius dicti in nulla re a catholica fide deviantes, sed eamdem sanctis operibus, et ecclesiasticis officiis ornantes, apud nos conquerentes postulaverunt ut vestræ notitiæ manifesta faceremus, quia et illi per seipsos vobis eadem innotescere vita comite promittebant. Unde possimus ut vestra consolatio illorum mærorem ad lætitiam reformet, et semper talia membra summo capiti, quod estis vos, se gaudeant adhærere. Illi autem Maravenses, ut nostris auribus illatum est, in occasionem superbiæ suæ assumunt, quia a vestra concessione dicunt se metropolitanum suscipere, et singulariter degentes aliorum episcoporum consortia refutant. Si hac confidentia diutius inflantur, usque ad sanguinis effusionem, ut multi arbitrantur, prosilient. In quantum præsumimus, admonemus quatenus vestra auctoritas, priusquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat, ut tandem cognoscant cui dominatui subjici debeant. Nos siquidem debitores esse cognoscimus, si quid a sanctæ matris Romanæ Ecclesiæ scilicet contigerit elabi, vos inde certificari, ut vestra potentia ad rectitudinis lineam perducatur. Quod si vestra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum principibus colla submittent, et credimus absque effusione sanguinis et mutua cæde ex utraque parte tunc posse bene contingere. Iterum iterumque vestræ dignitatis auribus replicamus quod tam episcopi quam laici Bawarienses in religione Christianitatis nulla gente inferiores esse probantur, neque unquam Franci absque illorum auxilio aut in ecclesiasticis rebus, vel in bellicis negotiis nominatim vel fama dignum aliquid peregerunt. Sicut neque illi absque istis.

ANNO DOMINI DCCCCXIII.

ANASTASIUS III

PONTIFEX ROMANUS.

NOTITIA HISTORICA IN ANASTASIUM

(Apud Mansi, Concil., tom. XVIII, pag. 311.)

Anastasius, patria Romanus, Luciani filius, anno Domini nongentesimo decimo, Sergio invasori sedis est subrogatus, tempore Lamberti et Leonis imperatorum. Sedit annos duos et menses totidem. Ticinensem Ecclesiam, teste Sigonio, lib. vi de Regno Italiæ, plurimis iisdemque magnificis ornamentis decoravit, concedens ei usum umbellæ, equoque vehi albo, crucem præviam in itinere habere et in conciliis a læva pontificis assidere.

Hujus tempore, Lambertus imperator, cum esset [illegible] Mediolanenses [illegible] summa regni deinceps ad Berengarium devoluta.

Leo, sextus ejus nominis, imperator orientalis,

ventris profluvio laborans, excessit e vivis anno imperii sui vigesimo sexto. Præterea centum et tredecim novellas constitutiones, Justinianum imitatus, de sacris simul et profanis ridicule nimis edixit. Exstat una sub ejus nomine epistola in bibliotheca sanctorum Patrum, de Christianæ fidei veritate inscripta, qua Spiritum sanctum a Patre Filioque [illegible] nus Deus tuus, creator tuus, lumen de lumine, Verbum de Patre, ex quibus Spiritus sanctus procedit. Quod ideo dictum velim, ut intelligas orthodoxam doctrinam hujus temporis viros disertos recepisse; exclamasse tamen, quod sine œcumenici concilii A auctoritate in symbolo posita esset. Defuncto Leone, in Oriente frater illius Alexander homo nefarius, anno ætatis suæ vigesimo, una cum Constantino imperatoris Leonis filio puero succedit in imperio, et post sextum mensem imperii, propter comtemptum Dei, et sanctarum imaginum, infami exitu, ut tradunt Curopalates, et Arctas, mortuus est, solique Constantino imperium reliquit Anastasius papa cum sedisset annos duos et menses totidem, obiit anno Redemptoris nostri 912, sepultus est in basilica sancti Petri, ut habet epitaphium illius, quod ex Manlio recitat Baronius.

ANASTASII PAPÆ III PRIVILEGIA DUO.

I.

PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA VERCELLENSI.

[illegible]

[Opera Attonis, tom. I, præf., pag. IX.]

ANASTASIUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo RAGEMBERTO sanctæ Vercellensis Ecclesiæ episcopo, diebus vitæ suæ tantummodo.

Si pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contemnitis, ut ne qua ex eis; aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles nos, qui pastores animarum ducimus, attendamus, et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die examinis divini pro nostra desidia ante summum Pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur! Pallium autem sanctitati tuæ ad missarum solemnia celebranda concedimus, quod tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, nisi solummodo in die sanctæ venerandæ Resurrectionis D. N. J. C., seu in natalitiis sanctorum apostolorum, atque in sancti Joannis, et in Assumptione beatæ Dei genitricis Mariæ, simulque in Dominicæ Domini nostri nativitatis diem, pariterque in solemnitatis Ecclesiæ tuæ diem, verum etiam et in ordinationis tuæ natalitiorum concedimus diem, sicut a prædecessore nostro domno Gregorio hujus almæ sedis præsule D factum est. In secretario vero induere tua fraternitas pallium debeat, et ita ad missarum solemnia proficisci, et nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare, ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam, quæ facere poterant, amittantur. Cujus quoniam indumenti honor, modestia actuum vivacitate servanda est, hortamur, ut cuncta ornamenta conveniant, quatenus, auctore Deo, recte, vel ubique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula, in ipsa si qua fortitudino in ipsis jacta est, dirigent in ea, quod B imitantur, aspiciant, in ipsa semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videantur bonum, quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant, sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum, odia nullus favor indiscretus inveniat, districtum mali cognoscant, insontem apud te, culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset, remissum te delinquentibus non ostendas, ne quid ultum non fuerit, perpetrari permittas, sis in te boni pastoris dulcedo, sit et judicis revera districtio. Unum scilicet, quod innocenter viventes foveas, aliud, quod inquietos feriendo a pravitate compescas. Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus, dum districtus majorum C vultu debes existere, transit in crudelitatem correctio, iram judicio refrena, et censura disciplinæ sic utere, ut et culpas ferias, et ad dilectionem personarum, quas corrigis, nunquam recedas, misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subveniat, optantibus modesta erectio contradicat, nullius faciem contra justitiam accipias, nullum quærentem justa despicias, in custodiendo æquitatem excellas, ut nec divites potentiarum aliquid apud nos extra viam suadeant, rationes audire, nec pauperes de re sua faciat humilitas desperare, quatenus, Deo miserante, talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit dicens: « Oportet episcopum irreprehensibilem esse (*I Tim.* III, 2), » sed his omnibus uti salubriter poteris, si magis magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit, aliquanto tramite non recedat. Ecce, charissime, inter multa alia, ista sunt sacerdotis . . . . . Pallii, quæ si studiose servaveris, quæque foris accepisse ostenderis, intus habetis, sancta Trinitas reverentiam vestram gratiæ tuæ protectione circumdet, atque in timoris sui via non dirigat, ut post vitæ hujus amaritudines, ad æternam simul perveniamus dulcedinem.

Scriptum per manum Joannis scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Februario, indictione quinta decima.

Bene valete.

Dat. iv Idus Februarii per manum Theophilacti saccllarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni Anastasii summi pontificis... et unum Scili Junioris P. P. in sacratissima sede beati Petri apostoli, indictione 15.

II.

PRIVILEGIUM PRO [illegible]

[illegible]

[Apud Rappenberg, *Hamb. Urk.*, I, 38.]

† ANASTASIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto contratri HOGERO, venerabili archiepiscopo Hammaburgensis Ecclesiæ, salutem in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud Deum procul dubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint per nos statum perducta. Igitur quia postulasti a nobis quatenus archiepiscopatum Hammaburgeusem totum in integrum tibi tuisque successoribus confirmaremus, sicut a prædecessoribus nostris Gregorio, Nicolao hujus apostolicæ sedis decretum est, inclinati precibus tuis et nos apostolica auctoritate concedimus et confirmamus, cum omnibus generaliter atque specialiter ad eumdem præfatum archiepiscopatum pertinentibus, scilicet omnia quæ tui antecessores suis laboribus acquisierunt vel etiam quæ ob amorem æternæ patriæ ibi a fidelibus Christi largita sunt vel adhuc largiuntur. Cum illis etiam qui hoc tempore ad Christi fidem conversi sunt, provocante et protegente gratia Dei, videlicet episcopos in omnibus gentibus Sueonum seu Danorum, Norwegorum, Island, Scridevinnum, Grolandon et universarum septentrionalium nationum, necnon etiam in illis partibus Sclavorum, quæ sunt a flumine Pene usque ad fluvium Egidore, ita ut sub tua tuorumque successorum Hammaburgensis Ecclesiæ archiepiscoporum, maneant potestate, vel quidquid a vobis, divina favente gratia, ab errore perfidiæ, sive hominum sive locorum ad religionem Christianam acquiri potest. Pallium quoque tibi transmittimus, et usum ejus tibi tuisque successoribus perpetualiter tenendum inviolabiliterque retinendum censemus. Et insuper decrevimus nullum archiepiscoporum, vel Coloniensem vel alium quemlibet, in tua diœcesi ullam sibi vindicare potestatem, et cætera. Caput quoque tuum mitra, quod est insigne Romanorum, permittimus insigniri. Quod si quis huic nostræ auctoritatis privilegio contraire vel in aliquo tentaverit illud temerare, anathemata sit; qui vero pie observaverit, gratiam et benedictionem consequatur a Domino nostro Jesu.

Data per manum Adriani, scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario, Indictione 8.

ANASTASII PAPÆ III EPITAPHIUM

IN BASALICA SANCTI PETRI.

(Apud Baron., Annal. tom. X, col. 775.)

Vatis Anastasii requiescunt membra sepulcro,
  Sed numquam meritum parvula claudit humus.
Rexit apostolicam blando moderamine sedem
  Tertius existens ordine pontificum.
Ad Christum pergens, peccati vincula sperat
  Omnia clementer solvere posse sibi:
Undique currentes hujus ad limina templi.
  Ut præstet requiem poscite corde Deum.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

FINIS TOMI CENTESIMI TRICESIMI PRIMI.

Sancti Amandi. — Ex typis DESTENAY.